Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

191
A
4

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK UM
05289150
Digitized by Google

BIBLIOTHEEK THEOL. COLLEGE S.J.
MAASTRICHT
1191 A. 4.
192738607

BIBL. SEMIN. S. J.
PROV. NEERL.

H
d
114.

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. RODERICI DE ARRIAGA,

E SOCIETATE IESV,

LVCRONIENSIS HISPANI, S. THEOLOGIÆ Doctoris, & in Cæsareâ, Regiáque Pragensi Vniuersitate olim Professoris, nunc eiusdem Vniuersitatis Cancellarij.

DISPVTATIONVM THEOLOGICARVM IN PRIMAM SECVNDÆ D. THOMÆ.

TOMVS SECVNDVS:

SIVE

VNIVERSI CVRSVS THEOLOGICI

TOMVS QVARTVS:

QVI CONTINET TRACTATVS

DE { LEGIBVS. / DIVINA GRATIA. / IVSTIFICATIONE. / MERITO.

NVNC PRIMVM IN GALLIIS PRODIT.

LVGDVNI,
Sumptibus Laurentij Anisson, & Soc.

M. DC. XLVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
COLLEGII MAXIMI S.J.
TRAIECTENSIS.

REVERENDI PATRIS

RODERICI DE ARRIAGA

E SOCIETATE IESV

TRACTATVS DE LEGIBVS.

PRÆFATIO AVCTORIS.

POST *explicatos actus humanos in communi, videbatur agendum de eisdem in particulari, de virtutibus scilicet in specie, de fide, spe, charitate, &c. & simul eadem viâ de peccatis in particulari illis oppositis; hunc enim ordinem natura ipsa videtur exigere; quia tamen D. Thomas interposuit Tractatum de legibus & de Gratiâ; illum, quia actus humani ex conformitate vel dissonantiâ cum legibus bonitatem habent vel malitiam (vt dictum est præcedente Tomo;) hunc, quia à gratiâ vt à principio effectiuo habent bona opera rationem meriti; ideò nos etiam Deo fauente quarto hoc Tomo duos Tractatus expedire conabimur.*

De legibus copiosè multi disputarunt tam Theologi quàm Iuristæ, quia materia est vtriusque fori: vtrosque fusè refert Pater Salas in præfatione aà Tomum suum de Legibus: vno verbo dico, Commentatores D. Thomæ hîc de illis disseruisse, proprijs verò Voluminibus Patrem Suarez, & Patrem Salas, aliosque Scholasticos breuiter in 2. Sententiarum dist. vlt. & in 3. dist. 37. Iuristas non refero, quia longum esset & otiosum; & in decursu materiæ, prout sententiæ exegerint, suum habebunt locum. Ex Philosophis fusè de illis Plato in Minoë, & per 12. libros; Aristoteles 5. Ethicorum cap. 1. & 7. & in lib. Politicorum, & obiter alibi; Tullius per tres libros, & alij. Quinam de hac materiâ egerint.

Circa hunc Tractatum duo præmonenda censeo. Primum, quod & sæpè obseruaui, me nolle in citandis multis auctoribus & eorum testimonijs longum esse. Pater Salas cuiuslibet desiderio quantumuis magno abundè in hoc puncto satisfaciet. Quando res est facilis, vel certè verba Doctorum sunt clara, & de eorum mente constat, me referam ad citatos; si aliquando & grauitas quæstionis & dubia Doctorum mens diligentiorem examinationem petierit, non eam intermittam. Quia verò nouissimè Pater Suarez omnes ferè possibiles quæstiones in hac materiâ ad ordinem redegit, licet ob similitudinem materiarum sæpè easdem Auctor duo Lectorem monet.

Digitized by Google

bis repetat, ipsius methodum, repetitione omissâ, quia breuitatem non obscuram affecto, magnâ ex parte tenebo; sæpè aliter ob maiorem claritatem quæstiones disponam: in substantiâ verò doctrinæ sæpè illum sequar, sæpè etiam reijciam: quia sicut non iuraui in vllius verba, sic non detrecto quam iudico veritatem in quocumque approbare; & procuro ex omnibus vnum veritatum connexum filum consequenter trahere. Alterum obseruatum velim, materiam hanc non multùm de scholasticâ speculatione requirere, sed in eâ maiori ex parte auctoritati Doctorum & prudenti morali iudicio standum, ideò breuiùs posse nos ab illâ expedire, quia necessum non erit discursus filum in longum texere; nihilominùs tamen inueniuntur hinc inde aliquæ satis difficiles quæstiones, quæ non permittunt ingenium otiari. Vt enim nulla longa via est, quantumuis aspera, quæ aliquibus aut pratis aut planitiebus ad viatorum recreationem non distinguatur; ita nullam adeò planam inuenies, adeò amœnam, in quâ difficilia aliqua aut periculosa loca superanda non occurrant.

Partitio totius Operis.

Primò autem agam de lege in communi; Secundò de lege æternâ & naturali, vtpote de maximè necessariâ & quodammodò inter omnes primâ; Tertiò de lege diuinâ, tam de Mosaicâ quàm de lege gratiæ seu nouâ; Quartò de lege humanâ in communi; Quintò de lege Ecclesiasticâ; Sextò de lege ciuili; Septimò de lege non scriptâ seu consuetudine; Octauò de lege fauorabili seu priuilegijs; Vltimò de abrogatione legum. In quâ methodo naturæ ordinem seruare videor, vt, explicatâ ratione communi & genericâ, de speciebus illius agamus iuxta earum dignitatem & maiorem necessitatem, deinde de contrarijs ipsius legis; qualia sunt quodammodò priuilegia & abrogatio: disputationes verò & sectiones vitandi fastidij causâ breuissimas efficiam.

DISPVTATIO I.

De Lege in communi: an consistat in actu intellectus, an voluntatis.

SECTIO I.

Quid nomine legis in præsenti; & eius definitio.

1. ARIAS legis significationes & deriuationes tradunt Vasq. disp. 150. cap. 1. Salas disput. 1. sectione 1. Suarez lib. 1. Tannerus quæst. 1. dub. 1. & cæteri ad hunc locum. Res est nullius momenti, ideò duobus verbis eam expedio. Primò accipitur pro regulâ cuiuscumque operis tam moralis quàm artificialis; vt leges Grammaticæ, pictoriæ, &c: Secundò pro ipsâ adimpletione rei præceptæ: sic dicitur, Nemo facit legem. Tertiò pro naturali inclinatione ad aliquid: sic Paulus legem, quæ est in membris, appellauit concupiscentiam naturaliter propendentem in obiecta naturæ conformia, esto moraliter mala. Quartò, integra Religio vel secta dici solet lex, lex Christiana, lex Mosaica, lex naturæ. Quintò, & propriè ad rem nostram, sumitur pro regulâ seu normâ præscribente aliquid faciendum, aut omittendum intra genus moris: hæc acceptio sola ad nostrum intentum pertinet, sub eâ tamen quarta acceptio comprehenditur; nam lex Mosaica v. g. & Christiana dicuntur tales ab aggregato legum diuersarum quibus constant; vnde solùm distinguuntur duæ illæ acceptiones, sicut lapis & aceruus lapidum; aut homo & multi homines.

Quintuplex legis acceptio.

2. *Variæ eiusdem deriuatio.*

Ergo lex in hac acceptione variè deriuatur à Doctoribus: quidam eam vocem deducunt à ligando; eo enim ipso quod obligat, videtur etiam ligare moraliter manus ad non faciendum contrarium; ad quod tamen homo carens eâ lege liber erat: alij dicunt orici à verbo lego, vt significat eligere, quia cum delectu fieri debent leges: quo sensu non videtur vox extendi ad leges naturales, quæ sine vllo delectu ab intrinseco & essentialiter obligant: Tertiò alij à legendo, quia leges olim scribebantur in tabulis, &, vt eas legere omnibus liceret, affigebantur publicè Quæ ex iis deriuationibus melior sit, non est cur valdè curemus: magis ad rem nostram est quæ ab obligatione petitur; quia magis declarat effectum primariù legis. Occasione huius vocis *lex*, quia in eius definitione poni solet vt sit iusta, tractant hîc etiam nonnulli de significatione vocis *ius*: sed de hac re ego aliqua dixi in materiâ de iustitiâ inter Deum & homines primo Tomo disp. 30. num. 1. Ad rem verò præsentem quidam dicunt, ius à iusto deriuari; alij è contrario putant iustum à iure; quia in similibus nominibus frequentior est deriuatio concreti ab abstracto quàm è contrario: quod si ideò dicatur deriuari à iustitiâ, arguunt incontrarium, quia sicut, teste Cicerone 2. de Naturâ Deorum, venustus & venustas à Venere deriuatur, quia in eâ Venus stare videtur; ita dicendum de iustitiâ in quâ etiam stare videtur ius. Quidquid autem hac de re sit, in quâ non iudico operæ pretium esse diu hærere, ad acceptionem vocis veniamus.

An ius à iusto deriuetur, aut viciss. controuertitur.

Ius

Digitized by Google

3. *Quidnam latè sumptum.*

Ius ergo accipitur Primò pro omni eo quod æquum & conforme rationi est, & sic omnem omnino honestum actum complectitur; & iuxta hanc acceptionem non est specialis virtus iustitia, sed generalis; & vsurpatur pro eodem iustus ac sanctus, &c. & in hac sola acceptione ponitur in definitione legis; primò vt sit æqua, rationi conformis: de quo infrà.

qui strictè.

Secunda acceptio iuris est, prout spectat ad eam virtutem quæ specialiter dicitur iustitia; & communiter sic definitur: Est facultas vtendi re pro libitu citra iniuriam alterius. In eâ autem disp. 30. primi Tomi num. 2. & 3. probaui contra nonnullos in hac definitione non committi vllum circulum, sed leges optimæ definitionis seruatas. de quò hîc nihil amplius, quia est extra nostrum intentum.

Reliquæ iuris acceptiones in idem coincidunt.

Omitto alias duas significationes iuris, quia videntur ad primam facilè reduci, vel ad rem nostram non sunt: vna, vt idem sit quod iuxta legem seu conforme legi; hæc enim reducitur ad primam, neque est ad rem; quia hîc legem dicimus quæ est iusta, non è contrario iustum, quod est iuxta legem. Altera verò, vt ius deriuetur à iubeo, quasi faciens id quod iubetur, est planè eadem cum præcedenti; quia facere id quod iubetur, & esse iuxta legem, idem est omnino: ergo patitur eumdem defectum quem præcedens, & cum primâ conuertitur. ideò de eâ satis.

4.

Ad definitionem legis veniamus: D. Thomas quæst. 90. art. 4. eam definit, *Est quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata:* aliis verò videtur conuenientiùs posse sic definiri, *Est rectum quoddam rationis practica decretum, aliquid subditis propter bonum commune faciendum imperans.* In vtraque hac definitione illud minùs mihi placet, quòd gratis videatur supponere, legem esse actum rationis seu intellectus; de quo tamen adhuc statutâ bonâ legis definitione disputandum erit. Secunda videtur etiam obscura per eos terminos, *rationis practica decretum.* Inde etiam ambæ reiiciuntur, quia de ratione legis est necessaria perpetuitas; id quod nullo modo declaratur per vllam particulam earum definitionum. Nam potest esse præceptum Superioris ad totam communitatem in bonum illius pro re vnâ solùm die faciendâ: vt si v. g. audiatur hostis aduentare, & mandetur vt omnes se disponant ad defensionem, &c. vbi tamen non est lex. Breuiùs ergo & clariùs sic definitur:

Duplex legis definitio reiicitur.

5. *Propria legis definitio.*

Lex est præceptum stabile, iustum, commune ad faciendam aut omittendam rem aliquam obligans. Per *tò stabile* & *commune* explicatur differentia legis à præceptis aliis, quæ vel vnam aut alteram personam respiciunt, vel ad breue tempus imponuntur: per *tò iustum* innuitur, legem debere esse de re honestâ: neque iam curo, vtrùm debeat esse in bonum totius communitatis; nam si præceptum, vt obliget, eam vtilitatem requirat, eamdem requirit vt sit honestum & iustum: non enim iustè imperantur ea quæ non tenemur facere.

Obiectio.

Dices: Etiamsi præceptum sit iniquum, potest habere rationem legis, iuxta illud quod Isa. 10. dicitur, *Væ qui condunt leges iniquas.* Et Aristoteles 5. Ethicorum cap. 1. diuidit legem in rectam & in inconsultam seu malam.

Responsio.

Respondeo iam hîc fieri quæstionem de nomine, vtrùm scilicet dicenda sit lex, quæ iniusta est secundùm quid: sicut homo pictus dicitur homo, potest ea etiam dici lex: & in hoc sensu loquitur Scriptura & Aristoteles: non enim volunt ibi quidquam de propriâ significatione dicere, sed ostendunt, aliquando Superiores imperare ea quæ sunt iniqua; siue illud imperium vocetur absolutè lex, siue solùm secundùm quid. Ideò Augustinus lib. 1. de Libero arbitrio cap. 5. *Lex mihi non videtur, quæ iusta non fuerit:* idem clariùs dicit Cicero 2. de Legibus, eos qui leges iniustas condidêre, quiduis potiùs tulisse quàm leges.

Lex iniusta non est lex.

6.

Denique per hanc definitionem comprehendo etiam leges naturales seu æternas; nam illæ etiam sunt iustæ, stabiles, communes; & dici possunt præceptum: nam licet non sint ab aliquo propriè Superiori, quia, vt diximus suo loco, esto per impossibile Deus non esset, tamen ratio naturalis multa dictaret facienda, alia omittenda. Ratio verò ea naturalis non est nobis propriè superior, quia est idem cum nobis; nemo autem sibi superior est: nihilominùs, quia illa verè nos obligant, meritò dicuntur præcepta naturalia, seu leges naturales.

Lex naturalis verè lex est.

Sectio. II.

Vtrùm lex sit actus intellectus, an voluntatis.

HAc de re fusè aliqui agunt auctores; cùm reuerà quæstio sit valdè facilis, &, vt ostendam, maiori ex parte de nomine. Quinque opiniones diuersas refert Pater Salas suprà sect. 5. Prima dicit esse actum voluntatis; Secunda solum actum intellectus; Tertia ex vtroque debere coalescere. Quarta dicit, quemlibet actum seu voluntatis seu intellectus seorsim acceptum posse esse legem. Quinta dicit legem esse scripturam, vel signa illa, per quæ Superior manifestat suam voluntatem obligantem. Iudicium de his sententiis constabit ex conclusionibus ponendis; vbi simul, quæ obiici possunt pro illis, commodiùs explicabuntur.

Quintuplex est auctorum hac super re sententia.

7.

Subsectio I.

Quid sit lex naturalis.

CONclusio: Lex naturalis seu æterna propriè est actus intellectus; illud scilicet iudicium quo ratio dictat, furtum v. g. est contra naturam rationalem, & vitandum. Ita Salas suprà sectione 6. conclusione 2. & Suarez lib. 2. cap. 5. vbi eam dicit esse cõmunem inter omnes Theologos: suadetur autem à nonnullis ex illo Pauli ad Romanos 2. *Cùm Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum.* Ergo ex Paulo conscientia est lex: conscientia autem est actus intellectus, ergo. Hunc tamen locum non puto pro nobis efficacem, quia quòd Apostolus dicat, conscientiam reddere testimonium, non dicit illam esse legem, sed legem esse in homine, & de hac lege testem esse conscientiam. Et potest totus quantus hic locus optimè explicari in sententiâ Patris Vasquez; de quâ statim; idem dico de altero ex Psalmo 4. *Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Etenim quòd lumen Dei signatum ostendat nobis bona, non probat illud esse legem;

Lex naturalis est actus intellectus.

Duplex huius conclusionis probatio refellitur.

Digitized by Google

nam & Doctor manifestans discipulo quæ sunt licita,&c. ostendit ei bonum ; & tamen non est lex,sed legis declarator. Melius probatur ea aliquibus Patrum testimoniis ; nam Basilius , teste Diuo Thom.hîc art.1.synderesin seu conscientiã dixit esse legem nostram : idem tradit Damascenus & alij apud Suarium suprà. res est certa & facilis,ideò non hæreo in illâ. Ratione suadetur, quia eo solo dictamine concepto , sine vllâ aliâ re,intelligimus hominem ve re obligatum vel ad fugiendum id quod dictatur malum , vel ad amplectendum quod dictatur bonum; ergo illud dictamen erit lex. Aliqua possunt contra hanc conclusionem obiici ; quibus satisfaciam , cùm primùm expediuero quæstiunculam de voce præcedenti annexam.

Melior est à Patribus & subiectâ ratione.

An vis intellectiua vel eius actus sit lex.

Ea autem est , vtrùm ipsum actuale iudicium rationis, an verò vis intellectiua seu productiua illius debeat dici lex. Ratio dubitandi ea est; nam ex vnâ parte lex seu imperium est regula dirigens,natura verò intellectualis vt potens elicere actum,seu considerata per modum habitus, non dirigit ; ergo ea non potest esse lex: aliunde verò lex naturalis dicitur congenita naturæ , & per modum rei permanentis; vnde quamuis homo nihil actu cogitet,sicut quando est distractus aut dormit, dicitur tamen habere legem naturalem;id autem non conuenit actui ipsi, sed intellectui vt habenti vim excitandi eiusmodi cognitionem. Respondeo , in eâ quæstione de voce probabiliùs ipsum iudicium rationis dici legem. Id quod communiter plerique docent cum D. Thom.quæst.94.art.1.esto Alensis in 3.quæst.27. membro 2. & quidam alij contrarium censeant. Ratio huius est , quia sicut respectu legis positiuæ non possumus dicere, ipsam voluntatem Legislatoris in actu primo vt habet vim prohibendi esse legem,nisi accedat actualis prohibitio & volitio;ita in lege naturali, non ipsa vis intellectus potens dicere, *Hoc est malum & fugiendum, illud verò amplectendum*, sed actuale ipsum iudicium est dicendum lex.

9. *Ipsum actuale iudicium rationis dici debere legem est probabilius.*

Ad rationem in oppositum respondeo , ideò legem dici congenitam naturæ, quòd naturaliter consequatur , alioquin si esset ipsa vis intellectiua,cùm hæc in meâ sententiâ nullo modo distinguatur à naturâ, non deberet lex dici congenita, sed esse ipsamet natura. Quòd verò etiam, quando homo nihil actu cogitat, dicatur habere legem, pertinet ad figuratam locutionem ; sicut solemus passim dicere, *Benè ille scit quis hoc fecerit*; dicimus autem id, etiamsi tunc eâ de re nihil penitus cogitet;& consequenter, etiamsi in rigore verè & realiter nihil sciat propriè ; nam scire actum ipsum denotat , non verò habitum , nisi, vt dixi, impropriè & denominatiuè: eodem modo solemus dicere , *Ille amatur à Rege*, etiam quando Rex dormit,& de eo nihil cogitat. Addo,sicut suprà diximus, ipsam scripturam vocari aliquando legẽ, quia continet signa quæ possunt excitare speciem seu cognitionem legis in subditis;ita posse etiam ipsas species intellectuales aut intellectum ipsum, quatenus potest excitare talem cognitionem, vocari legem. Et hæc satis de voce.

Solutio rationis oppositæ.

10. *Ipsa scripturæ lex quandoq; dicitur.*

Obiectionum ergo Prima sit: Si dictamen hoc rationis esset lex, Deus haberet legem in se, quia etiam habet dictamen rationis ,quo iudicat v. g. *Mendacium est malum.* Secunda est : Lex debet esse imperium seu præceptum , ergo debet esset à Superiore; nemo autem est sibi Superior, ergo. Tertia : Non posset esse peccatum , si Deus non prohiberet id quod est malum ; ergo iudicium illud non est lex , sed id habebit ipsa Dei prohibitio. Respondeo facilè ad Primum,Deum etiam habere legem æternam & naturalem, non quidem ab aliquo sibi Superiore , sed à iudicio suo proprio & intrinseco , seu à suâ propriâ naturâ & essentiâ : id quod sine vllo absurdo , imò meritissimò dicitur. In cuius confirmationem refert Pater Salas suprà Philosophorum quorumdam placita , qui legem dicunt Reginam mortalium & Deorum : & D. Thomas 1. parte, quæst.21.art.1.ad 2. idem docet. Ad Secundum dicimus , non omnem legem esse proprium imperium , sed esse prohibitionem ne fiat aliquid, aut è contrario obligationem vt fiat ; ea autem prohibitio & obligatio benè potest ex iudicio illo prudenti prouenire.

Obiectio triplex.

Soluitur.

Lex Regina mortalium & Deorum.

11.

Verùm replicabis : Omnis lex naturalis debet prouenire vt ab auctore à Dei liberâ voluntate; ergo illud iudicium non est lex.Respondeo , respectu nostri etiam illud iudicium à liberâ Dei voluntate oriri saltem virtualiter , quatenus nos creauit omnino liberè. Addo tamen , libertatem Dei (vt benè Salas notauit) in ordine ad nos obligandum , esse omnino per accidens : etenim si Deus per impossibile esset agens necessarium. non continuò omnia omnino licerent nobis ; & omnino obligatione legis careremus.

Solutio replica pro Secundâ obiectione factæ.

Ad Tertium respondeo , à nobis fusè præcedenti Tomo probatum , si Deus non esset, aut ignoraretur inuincibiliter , adhuc posse concipi obiecta aliqua mala,alia bona ; imò ideò Deum necessariò aliqua prohibere ita, vt in eis dispensare non possit, quia ea ex se mala sunt : ergo etiam ante omnem volitionem Dei intelliguntur prohibita aliquâ lege ; ergo per iudicium illud diuinum respectu Dei ; in nobis verò per nostrum. Fateor,eam malitiam,vt dicto tertio Tomo dixi , non futuram sufficientem ad grauitatem mortalis, quam nunc habet fornicatio; v.g. si Deus ignoraretur : at inde nihil contra conclusionem præsentem ; nam etiam in ordine ad eam grauitatem constituimus legem in iudicio alio naturali, & per se loquendo necessario, quo homo iudicat , omne malum morale esse offensam Dei summi boni & Iudicis nostri. hoc enim dictamen, esto nulla in Deo sit alia prohibitio, sufficit , vt homo peccans in re graui contra illud iudicium contrahat malitiam grauem mortalis.

In per se malis Deus dispensare nequit.

12.

Quodnam iudicium sufficiat ad mortale.

SVBSECTIO II.

Examinatur sententia Patris Vasquez.

HVic conclusioni ob alia fundamenta aduersatur Pater Vasquez , qui disput. 150. cap. 3. & alibi sæpè opinatur legem naturalem non esse prædictum iudicium rationis , sed naturam ipsam substantialem, rationalem v. g. hominem, Angelum , Deum , quatenus non implicant contradictionem : eius fundamentum hoc est ; nam natura ipsa rationalis est regula,in ordine ad quam desumitur , quid sit bonum & malum : ideò enim obiecta naturaliter mala,seu quæ prohibentur lege naturali , talia sunt, quia sunt contra naturam rationalem ; alia verò è contrario ideò sunt bona , quia sunt conformia eidem naturæ; ergo natura rationalis est regula; iudicium

Quid lex naturalis secundum Vasq.

Fundamentum sententiæ.

13.

Digitized by Google

iudicium verò rationis, explicans quid sit bonum, quid malum, dicit esse eius legis applicationem seu promulgationem. Hanc eamdem sententiam priùs docuêre Albertus Bolognetus disput. de Iure & æquitate cap. 3. & Socinus apud Patrem Salas disput. 5. sect. 1. fundarique potest opinio hæc in superiùs citato Pauli loco ad Romanos, *Ipsi sibi sunt lex*; ergo lex est ipsa essentia seu natura hominis. Ex Cicerone citat pro se Bolognetus aliqua loca; quæ tamen magis ipsam rationem naturalem quàm naturam dicunt esse legem.

Opinio hæc Patris Vasquez nihil penitus singulare de re dicit; omnes enim admittimus naturam rationalem esse id cui bonum conformatur, & cui malum contrariatur, vt ille docet; & de quo nos fusiùs præcedente Tomo, dum de primâ radice bonitatis & malitiæ disputauimus: vocare autem eam naturam legem purè ad modum loquendi spectat; in quo vel ideò displicet ea sententia, quia singularis est: sæpè enim diximus in quæstionibus de voce eam esse probabiliorem sententiam quæ communior est. Arbitror Patrem Vasquez imaginatum sibi fuisse legem instar libelli materialis, aut (vt alij vocant) regulæ; cui si asser, v.g. conformatur, rectus iudicatur; à quâ si discrepat, curuus dicitur: in quo sensu haud dubiè sicut lineale & libella dicitur regula; ita natura ipsa rationalis regula dici potest; quia tamè nemo dicit hominis naturam obligare; hominis naturam esse prohibitionem huius rei & imperium illius, &c. sed præcisè dicitur subiectum, in ordine ad quod desumitur imperiũ vel prohibitio; lex autem ab omnibus dicitur imperium, præceptum aut prohibitio; non debemus vllo modo eum modum loquendi P. Vasq. tenere, sed rationem legis propriè & formaliter soli actui illi intellectus tribuere, quem nos suprà explicuimus, quia ille solus obligat nos formaliter & per se: qui modus loquendi eò magis tenendus, quia, vt paulò antè dixi, conformis est multis Patribus. Expresè enim Augustinus 2. de Sermone Domini in monte docet, Deum scribere in cordibus hominum legem naturalem: id quod non potest intelligi de ipsâ naturâ rationali secundùm esse possibile, quia vt sic non inscribitur in cordibus: meritò autem explicatur de ipso formali iudicio rationis; quod sequitur in cordibus nostris quasi Deo suggerente. Idem docet D. Thomas quæst. 91. art. 2; quæst. verò 71. art. 6. in corpore non aliam agnoscit naturalem legem seu regulam quàm duas; vnam homogeneam, quam vocat propinquam; heterogeneam verò aliam, seu remotam: illam dicit esse rationes nostras, hanc verò rationem in mente diuinâ existentem. Per quam doctrinam reijcitur solutio quædam, quæ pro Patre Vasquez poterat adhiberi rationibus & testimonijs allatis; scilicet, ea solùm posse habere locum in lege propinquâ, nõ in remotâ reijcitur; inquam, hæc solutio; nam D. Thomas etiam eam remotam legem non aliâ cognoscit quàm rationem Dei seu dictamen intellectus; de naturâ verò ipsâ substantiali quà tali nihil docuit. Hanc eamdem sententiam Pater Suarez lib. 2. cap. 5. ideò refutat, quia ex illâ videtur sequi, Deum habere non minùs propriè suam naturalem legem quàm eam habeant homines; id quod absurdum iudicat: sequelam verò probat, quia etiam Dei naturæ repugnat mendacium v. g. est enim disconueniens excellenti naturæ ipsius; ergo ipsa natura Dei erit regula honestatis; ergo erit vera lex. Item eadem bonitas diuina cognita à Beato erit lex amoris beatifici; quia est regula eius honestatis. Ego hoc argumentum, re benè consideratâ, nullo modo censeo ad rem nostram; nam cùm hîc præcisè quæratur, vtrùm ipsa natura rationalis sit lex formaliter, an verò id conueniat iudicio rationis dictantis obiectum esse malum, videtur omnino idem dicendum de lege Dei à Patre Vasquez quod à Suarez & à nobis: habet enim Deus non solùm naturam, cui sunt contraria obiecta, sed etiam iudicium; quod dictat illa fugienda; ergo siue ratione iudicij, siue ratione ipsius naturæ, debemus nos non minùs quàm Vasquez eam legem in Deo admittere: ergo argumentum non est magis contra Patrem Vasquez quàm contra nos. ei paulò superiùs respõdimus, & infrà etiam aliquid addemus. Melius ratione quasi à priori argumentatur Suarez, quia longè aliud est loqui de fundamento honestatis vel obligationis, aliud de ipsâ obligatione; vt patet in eleemosynâ: nam indigentia pauperis est fundamentum obligans ad dandam eleemosynam; & necessitas corporis est fundamentum obligans ad comedendum; nemo tamen propterea dixit, necessitatem pauperis esse legem, & famem esse legem comestionis: ergo eodem modo, esto natura rationalis sit id cui res bona cõformatur, & à quâ è contrario mala discordat, non continuò debet dici lex. Hoc idem ego magis & paulò aliter confirmo respondendo argumento Patris Vasquez, & simul probando eamdem esse rationem de lege positiuâ ac de æternâ naturali ex quo capite efficaciter reijcitur ea opinio. Respondeo igitur Patrem Vasquez optimè probare, naturam rationalem esse obiectum seu subiectũ, in ordine ad quod lex desumit suam vim; nego tamen ideò illam esse legem. id quod in lege positiuâ manifestè apparet. Nam quando Legislator aliquis fert legem, omnino requiritur, vt in obiecto, quod imperatur, sit aliqua honestas, in quam vltimò ea lex fertur; de quo fusius infrà; non tamen propterea vllus dixit, honestatem illam esse legem, sed obiectum legis. Et hinc confirmo maximè modum nostrum loquendi; nam quòd lex sit æterna vel positiua, non videtur vllo modo ad punctum præsens facere: ergo sicut in lege positiuâ ipsemet Vasquez meritò honestatem non vocat legem, ita nec debet vocare in æternâ. Consequentia est bona: antecedens verò probatur; nam differentia legis æternæ à temporali seu positiuâ non desumitur ex eo, quòd vnius legis obiectum non sit conforme naturæ rationali, alterius verò sit; etenim vtrumq; debet esse honestũ & conforme naturæ; sed ex eo, quòd vnum, etsi honestum sit, contingenter tamen est imperatum, alterum verò essentialiter; vnum ex se, alterum ob voluntatem imperantis: hoc autem per accidens est ad hoc, vt ipsa natura, cui est conforme, dicatur vel non dicatur esse lex. Et verò si discutiendum esset consequenter, potiùs dicendum esset, ipsammet intrinsecam entitatem eorum obiectorum possibilium esse legem, quàm id tribuere naturę rationali: vt enim in rebus positiuis id quo redduntur bonæ aut malæ, licitæ aut illicitæ vocamus legem; non verò id tribuimus naturæ rationali, cui vltimo aduertantur aut conformantur; ita in rebus naturalibus, non naturam rationalem, sed ipsamet obiecta, quia per suam naturam sunt contraria aut conformia naturæ, deberemus dicere legem.

Modus loquẽdi Patris Vasquez improbatur, non ita res.

14.

Ratio legis propriè & formaliter soli actui intellectus tribuatur.

15.

D. Thomas duplicem solam legem naturalem agnoscit.

16.

Refutatur à Suarez ratione sententia P. Vasq.

17.

Natura rationalis nequit dici lex, sed subiectũ illius.

Lex æterna & temporalis vnde differant.

Digitized by Google

18. *Replica.* Verùm hinc replicabis: Legi positiuæ aduersantur aut conformantur obiecta; ergo cùm ea, quæ sunt intrinsecè bona aut mala, aduersentur naturæ ipsi rationali aut conformentur, ipsam naturam dicemus legem. *Solutio.* Respondeo, legem etiam positiuam non tam esse id cui aduersantur obiecta, quàm rationem ob quam aduersentur, naturam verò rationalem semper esse in omnibus rebus moralibus id cui conformantur aut aduersantur cætera. Pro quo aduerte ideò rem prohibitam positiuè, à Deo v.g. esse malam; quia ipsa ratio naturalis & æterna dictat, inferiorem teneri obedire Superiori; vnde eo ipso, quod Superior mandet, iam ea res constituitur contra naturam rationalem. Vides ergo etiam hîc naturam rationalem esse regulam, legem autem positiuam esse id quo constituitur contraria res imperata: sicut in rebus intrinsecè malis ipsa natura earum eas constituit malas; ergo sicut ibi non dicit Vasquez legem esse id cui obiecta sũt dissona, sed id quo constituuntur dissona; ita eodem modo deberet in præsenti non naturam, cui aduersantur, sed naturam obiecti, quâ aduersantur, vocare legem. Sed neutrum nos dicimus, quia non tam vocamus legem id, cui aut quo aduersatur obiectum, quàm id quod prohibet aut mandat: cùm autem in rebus naturaliter malis dictamen ipsum rationis prohibeat obiectum, vel quasi mandet, sicut voluntas Superioris id præstat in positiuis, propterea vt vtrobique consequenter discurramus, dictamen illud naturale vocamus legem.

19. *Ratio, cur res à Deo positiuè prohibita mala sit.*

Ratio, cur dictamen ipsũ rationis vocetur lex.

Locus Pauli explicatur. Quod ex Paulo obijciebatur pro Patre Vasquez non est magni momenti; nam dum dicit Apostolus, *Ipsi sibi sunt lex*, non aliud denotat, quàm apud se habere legem, id est conscientiam seu dictamen rationis. Et satis de hac quæstione de voce.

SVBSECTIO III.

Qui actus re ipsâ ad legem positiuam necessarij sint.

20. IN lege positiuâ tria aut quatuor re ipsâ sunt necessaria essentialiter; vtrùm autem ea omnia dicenda sint constituere legem, an verò vnum solùm ex illis, & quod illud, purè est quæstio de nomine, nec magni momenti. De quæstione de re in hac subsectione, in quintâ de voce. Pro primæ ergo partis probatione supponendum vt omnino certum, legem non posse ferri nisi ab agente rationali: hoc ergo supposito, de re hæc in agente, requiri possunt; Primò cognitio repræsentans honestum esse v. g. die Veneris in memoriam passionis Christi Domini non comedere carnes: aduerto tamen hunc actum non requiri nisi ordinariè & per se loquendo, non verò omnino necessariò & essentialiter. Nam si Legislator ex errore putet iniustum esse quod præcipit, re tamen ipsâ iustum sit, habeátque serium animum obligandi quantum potest, sine dubio re ipsâ obligabit, quia est lex iusta in se & ab habente veram iurisdictionem, ergo. Dices cum Patre Suario lib. 1. cap. 4. vbi eum actum omnino necessarium reputat, Lex debet esse prudens; atqui si procedat sine cognitione bonitatis materiæ imperatæ, non potest esse prudens, ergo. Respondeo nõ esse necessum vt lex oriatur ab actu prudẽtiæ, sed sufficere, si re ipsâ ex parte materiæ reperiatur id quod actus prudens quærere poterat: prudentia enim solùm requiritur ob iustitiam rei imperatæ: si autem hæc iustitia sit, siue qui imperat prudenter, siue imprudenter ferat legẽ, iam hæc habet omnia necessaria ad valorem.

Lex non nisi ab agente rationali ferri potest.

Quanam cognitio ex parte intellectus ad legẽ requiratur ordinariè.

Secundò potest requiri ex parte intellectus iudicium, quo Legislator noscat se velle obligare. Pro quo aduerto, duplex esse posse iudicium hoc; vnum de voluntate obligandi vt actu existente; hoc est, vt homo agnoscat se velle obligare; de hoc autem dico non esse omnino necessarium: nam (vt paulò pòst ostendemus contra Patrem Tannerum) eo ipso quòd sit voluntas obligandi, esto eius existentia non noscatur à Legislatore; si tamen manifestetur exteriùs, erit vera lex. Ideò dixi *non esse omnino necessarium*, per quod innuo ordinariè illud requiri. Cùm enim manifestatio legis debeat fieri ex voluntate Legislatoris, nemo autem possit velle manifestare suum actum, nisi agnoscat se illum habere; non potest saltem quoad punctum obligandi esse lex, nisi etiam sit cognitio reflexa ipsius: quomodo enim naturaliter manifestabitur mens actus interior, nisi ego illum velim manifestare? Dico *naturaliter*; nam diuinitus haud dubiè poterit manifestari etiam me inscio & nolente.

Explicatur duplex iudicium ex parte intellectus ad legem ordinariè requisitum.

21. Aliter potest iudicium illud explicari, quòd debeat ante ipsam volitionem præcipiendi existere iudicium, quo Legislator noscat se posse obligare seu præcipere: in quo etiam sensu ordinariè solùm requiritur: etenim nihil volitum quin præcognitum: ergo vt quis dicat, Volo obligare, debet scire se posse obligare; sicut vt velit quis efficaciter ambulare, debet scire se posse ambulare.

Habens iurisdictionem obligandi etsi dubitet ea se habere; dũm tamen vult obligare, obligat.

Dixi: *tantùm requiri ordinariè*; nam contingere fortè posset, vt quis non sciret certò se habere iurisdictionem, sub dubio tamen eam apprehenderet, diceretque, Volo quantum possum te obligare: quo casu haud dubiè obligaret: sicut in simili in materiâ de Sacramentis dici solet, etiamsi quis putaret se non habere iurisdictionem absoluendi, re tamen ipsâ eam haberet, & auditâ confessione vellet absoluere quantum posset, sine dubio validè absolueret: at in talibus casibus, saltem sub dubio, iam est reflexa cognitio eius potestatis.

22. *Duo ex parte intellectus necessariò requisita referuntur.*

Concludo ergo solùm requiri ex parte intellectus cognitionem eius obiecti, ad quod vult obligare, v. g. ieiunij, auditionis Sacri, &c. & saltem apprehensionem potestatis suæ ad obligandum, vt obligare velit: si enim nec quidem sub dubio eam vim apprehendit, non poterit velle obligare aut imperare, sine tali autem volitione non stat obligatio, vt infrà dicemus.

Post hac sequitur volitio obligandi & publicatio.

Post hos actus intellectus sequitur volitio obligandi: cuius quodnam sit obiectum infrà ex proposito discutiemus: res enim est maioris momenti: post hanc volitionem sequitur manifestatio seu publicatio exterior; eo autem ipso videtur iam posita tota integra legis constitutio ex parte Legislatoris. Quæ vltima verba *ex parte Legislatoris* ideò addo, quia abstraho nunc à quæstione, an ex parte populi requiratur etiam acceptatio, de quâ infrà. Porrò hæc sufficere patet; quia positâ præter illos actus intellectus volitione obligandi & eius promulgatione, nulla planè necessitas est alterum actum requirendi ad obligationem. id quod magis constabit ex subsectione sequenti.

SVB-

Digitized by Google

Svbsectio IV.

An sit necessarius actus intellectus qui sit imperium.

Affirmant Thomistæ ferè omnes, & multi alij, quos fusè citat Salas disp. 1. num. 17. affirmat etiam Tannerus dubio 1. & Vasquez suprà. Aduerto tamen à Tannero citari Suarium pro se, licet addat, illum esse dubium; in quo tamen puncto non benè distinxit Tannerus; etenim Suarez actum illum intellectus, qui non sit iudicium, sed dicat, *Fac hoc*, in quo Thomistæ & Vasquez ponunt legem, omnino iudicat non solùm non esse necessarium, sed etiam impossibilem: & solùm dicit, dubium esse, an consistat lex in iudicio præuio, an in volũtate subsecutâ: quos duos actus posuimus nos paulò antè: tertium verò actum, quem Tannerus ponit, reijcit Suarez vt inutilem.

Suarez hic à Tannero male intellectus.

24. *Primò nonnulli dicunt, imperiũ intellectus esse actum distinctum ab apprehensione & iudicio.*

Quidquid verò de Suario sit, citati auctores ponunt, præter volitionem obligandi, vnum actũ intellectus quem vocant imperium; quia verò valdè difficile est explicare, quale illud sit, quidã recurrunt ad vnum actum, qui nec sit iudicium, nec apprehensio, sed solùm dicat, *Fac hoc*: sicut oratio est actus intellectus, qui nec est iudicium, nec apprehensio: & de illo *Faciam hoc* multi eodem modo opinantur. Alij verò, inter quos est Tannerus num. 9. ponunt iudicium quoddam reflexum, quo post actum voluntatis sibi intimat Legislator volitionem suam hoc modo; Hæc est mea voluntas, seu, Hoc volo vt fiat. Vtriusque sententiæ fundamentum solum illud est, quòd actus voluntatis non possit esse lex: non enim est lex actus ille voluntatis, quo Legislator vult, vt res aliqua fiat; etenim sine tali volitione stat lex; nec alter actus, quo vult legem ferre; nam ille habet pro obiecto legem ipsam; neq; item tertius, quo velit quis obligare subditos; nam ea etiam voluntas habet pro obiecto obligationem seu legem: alius autem actus voluntatis non est excogitabilis, ergo debet consistere in altero subsequente, qui ad intellectum pertineat: quòd verò quidam hoc modo, alij alio eum actum explicẽt, prouenit, vt dixi, ex difficultate illius actus.

Secundò, Tannerus cum alijs ait, esse iudicium reflexum suprà volitionem Legislatoris.

25. *Reijcitur iudicium à Tannero positum.*

Ego verò, saluo meliori iudicio, ferè improbabiliorem iudico hanc sententiam: & quidem actus iudicij prout à Tannero ponitur manifestissimè reijcitur Primò, quia reflexus est suprà volitionem, & hæc suprà iudicium; ita vt nihil planè per duos eos actus dicatur: etenim ipse fatetur debere interuenire volitionem obligandi; obiectum autem illius assignat legem; ergo illa volitio solùm dicit, *Volo legem*; lex autem in eâ sententiâ formaliter nihil aliud dicit quàm, *Habeo volitionem legis.* Vides ergo vnum actum volitionis dicentem, *Volo actum intellectus*, & hũc dicentem, *Habeo actum volitionis circa me*: vbi nihil penitus declaratur, quales sint illi actus; quia nullum obiectum, in quo vltimò quiescere possimus, assignatur. Nec est vllo modo explicabile, cur ex eo præcisè quòd voluntas dicat, Volo illum actum, & ille actus nihil aliud noscat quàm eam volitionem, debeat oriri magis obligatio ludendi quàm saltandi, vel certè magis saltandi quàm non saltandi. Quòd si propterea Tannerus assignare velit aliquid aliud, in quo consistat obligatio, & quod sit obiectum eius volitionis, iam eo ipso corruet argumentum illius; nam tunc non recurrendo vllo modo ad eum tertium actum intellectus, sed ad volitionem eius obligationis, saluabimus perfectè legem.

26. *Secunda & principalis eiusdem reiectio.*

Secundò principaliter & euidenter reijcio illud iudicium, quia ea manifestatio si sit externa, non est actus intellectus, sed verba vel signa exteriora: sicut quando sine vllo imperio significo meo amico me velle ire deambulatum, & summùm posset asseri, tunc post voluntatem obligandi debere sequi alteram manifestandi id exteriùs; at hæc volitio iam includitur saltem implicitè in priori, quæ versatur circa obligationem: si verò illud imperium sit manifestatio seu locutio interior, quà sibi homo aut Deus dicat, *Ego hoc volo*, tunc clarissimè apparet, planè esse otiosum. Quid enim, si ego habeo volitionem obligandi Petrum, & eam ei manifesto; quid, inquam, iuuat, quòd ego reflexè percipiam me id velle? Numquid ego obligor per eam volitionẽ, vt propterea mihi debeam eam intimare? Demus, Superiorem velle efficaciter obligare Paulum ad ieiunandum, idque Paulo manifestari iuridicè, ipso Superiore diuinitus impedito, ne reflexè agnoscat suam volitionem, numquid non eo ipso alter erit obligatus? Sanè id manifestum videtur ex terminis; non enim ego obligor, quia ille scit se velle obligare, sed quia mihi constat illum velle me obligare; ergo gratis omnino recurritur ad iudicium illud reflexum, quod solùm dicat, *Ego volo obligare Petrum.* Non nego tale iudicium in nobis ordinariè sequi & in Deo necessariò, quia ordinariè nos cognoscimus volitiones nostras, Deus item necessariò scit reflexè quid actu velit. Tantùm ergo dico eam reflexionem planè videri impertinentem quoad punctum obligandi: sicut vt quis peccet, non est necessum distinctam sequi reflexionem post actum volitionis amplectentis obiectum malum; nam malitia prior est quàm ea cognitio reflexa, quòd scilicet habuerit volitionem peccaminosam, esto frequenter aut ordinariè sit talis reflexio: ad volendam autem promulgationem dicam paulò pòst quomodo necessaria sit cognitio reflexa.

Non requiritur reflexum iudicium volitionis, vt hac obliget.

27.

Deus necessariò reflexè scit quid actu velit.

Tertiò reijcio eum actum; nam vel intellectus cognoscit præcisè se velle de futuro obligare; id autem non sufficit ad actu obligandum; nam quòd ego velim cras obligare, non obligat de facto; vel nosci se actu obligare, vnde infero, Ergo iam præsupponitur obligatio existens: etenim Tannerus sentiat eum actum esse reflexum suprà volitionem, non tamen dicit illum esse reflexum supra seipsum; hic enim esset error peior priore: quis enim dicet, si vera sit sententia multorum opinantium, non posse vllum actum nostrum esse reflexum supra seipsum, eo etiam ipso non posse vllam dari legem? quomodo enim existentialegum pendebit ab opinione valdè incertâ de reflexione actus supra se? ergo ille actus non reflectens supra seipsum habet tamen pro obiecto obligationem vt existentem & vt volitam; ergo ille actus totus est adæquatè distinctus ab obligatione etiam vt existente & volitâ; ergo sine illo est obligatio; ergo etiam sine illo erit lex, quia sine lege non est obligatio; ergo illud imperium eo modo explicatum planè est otiosum in præsenti.

Tertia refutatio.

28.

Si verò imperium ponatur per actum hunc, *Fac hoc*, reijci posset, eò quòd non videatur possibilis in intellectu talis actus, qui non sit iudicium aut apprehensio. Hanc tamen rationem non approbo, quia difficulter ea repugnantia ostenditur (de quo alibi) meliùs ergo inde reijcitur, quia necessa-

Reijcitur imperium positum in actu intellectus distincto ab apprehensione & iudicio.

Digitized by Google

necessarius non est;etenim, eo ipso quòd Superior velit alterum obligare,eíque legitimè manifestet eam volitionem, etiamsi solùm dicatur, Ego volo tamquam Superior vt hoc facias, neq; vtatur imperatiuo vllo, iam eo ipso alter obligatus est:quòd verò in verbis externis communiter vtamur imperatiuo, non propterea significatur alius actus diuersus aut intellectus aut voluntatis; fit enim id vel maioris breuitatis gratiâ, vel vt verba ea magis designent seriam volitionem obligandi. In quo puncto puto ideò multos occasionem minùs benè discurrendi habuisse, sicut Thomistæ,& alij, qui essentiam ab existentiâ distinguunt, videntur decepti; eò quòd de re non existenti dicatur, *Est possibilis, Datur possibilitas.* vnde intulerunt,possibilitatem nunc de præsenti aliquid esse;& realiter ex parte obiecti separabile ab existentiâ,illud dixerũt essentiam, hoc existentiam; similiter etiam alij, eò quòd dicamus communiter de hac aut illâ re, *Est præterita, Est futura,* intulerunt futuritionẽ aliquid esse de præsenti: vt autem illud declararent, recurrerunt ad mirabiles quasdam negationes negationũ; & iudicarunt nõ esse idem re ipsâ dicere,*Petrus amabit cras,* &, *Petrus est amaturus cras:* quæ omnia planè sunt improbabilia; &, vt dixi,occasionem sumpserunt ex modo exteriori loquendi.Idem in præsenti suo modo dico. Cùm enim & Latini& Græci,omnésque alij,quando dicere alicui volũt vel imperatiuè vel precatiuè vt aliquid faciat, vtantur secundâ personâ, *Fac hoc,*nec dicãt ita frequẽter,*Volo,*aut, *Vellem faceres hoc,*eo ipso putarunt actus,qui per ea verba significantur, esse diuersos; vnum voluntatis,alterũ verò intellectus; cùm reuerà, si quis benè se reflectat, aduertere poterit, se nõ posse alium tunc temporis in se actum experiri quàm voluntatis absolutũ & obligantem, quando imperat,optatiuum verò, quando rogando dicit,*Fac hoc;* & idem esse ac si diceret,*Volo vt facias hoc,*vel,*Vellem faceres hoc.*quale autem harum volitionum obiectum sit, sequenti disputatione discutiam.

Volitio obligandi & legitima eius manifestatio nudo etiam imperio accedente obligant.

Cur quandoque in legibus vtamur imperatiuo.

Cur quidam existentiam ab essentiâ distinxerint.

29.

Cùm quidpiam imperamus,actum voluntatis in nobis experimur.

Nunc verò addo,si distinctus actus tunc esset admittendus, non esse vllam prorsus rationem, cur ille dicatur magis ad intellectum quàm ad voluntatẽ pertinere; plus enim habet similitudinis imperare cum volitione quàm cũ cognitione,seu cum iudicio & apprehensione: quo ergo, quæso, fundamento ad intellectum non verò ad voluntatem dicitur pertinere? Respondebis,quia imperare,est dirigere,dirigere autem est opus rationis. Sed contrà, quia imperare solùm remotè est dirigere,quatenus qui imperat præuidet,priùs quid sit honestũ,vtile,&c. vt id imperet;per hoc autem nullatenus insinuatur ipsum immediatũ & proximum imperium,seu legem esse directionem; sufficit enim si sit obligatio, seu vinculum, quo subditus adstringitur ad exequendum illud bonum: ea autem obligatio nulli potẽtiæ meliùs tribuitur quàm volitioni. Contrà Secundò, quia hac tuâ responsione summùm suadetur, actũ intellectus esse legem:at id ego tribuerem actui illi præuio,non verò alteri tertio distincto.

30.

Actus imperij distinctus ab apprehensione & iudicio potiùs spectat ad voluntatem quàm ad intellectũ Quomodo imperans solùm remotè dirigat.

31.

Ex his cõstat manifestè, præter eos duos actus intellectus & voluntatis non esse necessarium alium tertiũ, in quo sita sit ratio imperij, nec quidem partialiter. Ad argumentum verò Tanneri, quod scilicet nullus actus voluntatis possit esse lex, negatur antecedens; ille enim est, quo quis dicit, *Volo te obligare:* quod autem sit eius obiectum, aut quomodo vltimò sit declarandum, infrà dicetur. Nunc aduerto, difficultatem esse communem omnibus; etenim voluntatem obligandi debent omnes admittere, ideóque & eius obiectum ab omnibus quærendum est;nec inueniretur faciliùs, si simul admittatur ille alius actus imperij,quia (vt ostendi suprà in argumento contra Tannerum) tunc esset mutuus respectus inter eos actus; & nihil penitus declararetur: per alterum verò, qui non sit iudicium, faciliùs quidem vitaretur circulus; iam tamen ostendi antè illum esse totam obligationem, & planè illum esse impertinentem.

Satisfit argumento Tanneri.

Difficultas explicandi obiectum volitionis obligandi est omnibus communis.

SVBSECTIO. V.

Quis actus sit propriè dicendus lex.

PRIMA CONCLVSIO: Ex illis actibus suprà num. 23. enumeratis actus intellectus non potest solus vocari lex. Hæc est contra nonnullos, quos Salas suprà refert: videtur autem esse ex terminis nota, quia licet homo agnoscat iustum hoc esse, & posse imperari; si tamen illud non imperet, seu nihil velit, non erit lex vlla;ergo solus ille actus intellectus non est lex. Respondebis, argumentum conuincere euidenter, actum illum,quando est solus,non esse legem,at posse dici eum actũ, positâ vt conditione, volitione esse legem.Sed contrà,quia per hoc relabitur quis in opinionẽ cõnotantium,quàm sæpissimè reieci; & in præsenti res est clara:nam si antequam adueniat volitio non est tota essentia legis,sine dubio ea volitio accedens debebit minimùm esse pars legis. De quo puncto satis,quia fusè alibi contra ea connotata. 32.

Solus actus intellectus nequit vocari lex.

Contra hanc conclusionem nostram non aliud video argumentum, quàm quod paulò antè insinuatum est, scilicet imperare esse dirigere,dirigere verò spectare ad intellectum: accedunt etiam multa Scripturæ, Patrum & Philosophorum loca,ex quibus videtur inferri, solùm actum intellectus esse imperium:quia dicunt imperium & legem esse rationis opus. Prouerb. 8. Sapientia diuina dicit de se, *Per me Reges regnant.*Psalmo item 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos,* Vide Patrem Salas illâ sect. 9. Respondeo vno verbo, legem dupliciter dici opus rationis. Primò, quia procedit ex rectâ ratione, & supponit prudens iudicium Legislatoris. Secundò, quia efficit, vt dum homo ei obedit,& sequitur voluntatem Dei & aliorum Superiorũ à Deo constitutorum, perfectus & sanctus efficiatur, reddatúrque dignus, vt à Deo illuminetur:nec in Patribus aut Philosophis poterit inueniri locus aliquis,qui dicat,formaliter loquendo,actum intellectus esse legem;licet dicant eam ad intellectum pertinere, ob rationes proximè datas.

Cur lex dicatur opus rationis.

SECVNDA CONCLVSIO: Non benè vocantur lex signa externa, seu verba, quibus Legislator manifestat suam voluntatem obligandi. Hæc est contra Salas suprà num. 21. vbi aliquos alios pro se refert; licet infrà num. 29. veram sententiam defendat. Probatur tamen nostra conclusio, quia cùm in præsenti simus in quæstione de nomine (vt suprà obseruaui) maximè attendendus est communis modus loquendi: atqui communiter ferè omnes distinguunt inter legem & eius promulgationem, ergo suppponunt ea duo non esse idem. Vlteriùs: Promulgatio & ea signa externa, quibus manifestatur voluntas 33.

Verba & externa signa voluntatem Legislatoris manifestantia malè vocantur lex.

non

Digitized by Google

obligatoria Principis, sunt idem; ergo ea signa non sunt lex, sed aliquid à lege conditinctum & illam manifestans. Fateor sæpè ipsam externam scripturam vocari legem; at id intelligendum solùm quasi denominativè; est enim declaratio legis: sicut solemus dicere, Da mihi Augustinum, Ambrosium, hoc est Opera Augustini, Ambrosij: quo sensu lex scripta vocatur Lex Moysis, & olim Leges duodecim tabularum: & in eodem sensu intelligendi sunt antiqui aliqui, qui eiusmodi signis attribuebant rationem legis.

Ea externa signa, quia ea non sunt ea promulgatione distinguitur à lege. Cur scriptura externa saepe dicatur lex.

Quòd verò sola ea promulgatio non sit lex, ostendo euidenter; nam si sola esset lex, ergo eo ipso quòd essent talia signa, licet non esset verè ex parte Legislatoris vlla voluntas, daretur vera lex: id quod est euidenter falsum, nec potest responderi eam volitionem Legislatoris requiri vt conditionem essentialem; etenim id esset relabi in ea cónotata, de quibus paulò antè. Vbi aduerto Patrem Tannerũ ideò reiecisse promulgationem à parte essentiali legis, quia transactâ promulgatione adhuc manet lex; ergo illa non est pars legis. Hæc tamen ratio nullius est efficacitatis, & habet eamdem omnino vim contra ipsũ: etenim decretum seu imperium seu volitio Legislatoris est in eius & communi sententiâ lex; & tamen etiam transactio eo decreto, eâ volitione, eo imperio, quãdo Princeps dormit, est vera lex; ergo est eadẽ difficultas in omni sententiâ. Quòd si respondeat, tunc temporis saltẽ moraliter permanere eam volitionẽ, eo modo quo manet lex; pari ratione, qui promulgationẽ dicunt esse partem, respondebunt eam etiam manere moraliter: nã eo ipso quòd semel promulgata sit lex, vt ad notitiam populi veniret, censetur semper durare in eius populi notitia, quasi semper actu omnibus promulgaretur: ea enim perseuerantia notitiæ in mentibus subditorum est promulgatio continuata; promulgatio enim quæ ad legem requiritur, siue vt conditio, siue vt pars, non dicit necessariò præconis clamorem, sed notitiam illius in subdito generatam. Vnde si Deus diuinitus infunderet omnibus notitiam legis latæ à Papa v.g. sine vlla alia promulgatione obligaret: de quo aliquid dicam disput. 4. ergo ob hoc argumentum non est excludenda promulgatio à ratione partis essentialis magis quàm à ratione conditionis.

Demonstratur promulgationem solam non esse legem.

34. *Aliâ ratione id probat Tannerus, refutatur.*

35. *Sententia Vasquez, promulgationem, promulgationem esse de essentiâ legis esse declaratur, & ratione improbatur.*

Huic nostræ conclusioni aduersatur Pater Vasquez, qui disp. 155. num. 16. docet promulgationem externam esse de essentia legis; quia nisi illa adsit, non potest esse propriè præceptũ; vnde inferi, Etiamsi quis diuinitus nosset voluntatẽ Principis, non ideò fore obligatum ei obedire, quia nondum esset imperium. Doctrina hęc duplici ex capite mihi displicet. Primò, quia ponit eum actũ imperij vt necessarium ad rationem legis, quod à nobis reiectum est paulò antè. Secundò, quia esto daremus talem actum esse necessarium, malè illũ confundit Pater Vasquez cũ promulgatione externa: hæc enim non potest esse actus intellectus Legislatoris; nam hic est actus spiritualis vitalis interior; promulgatio verò sunt signa materialia externa; ergo casu quo in intellectu Legislatoris esset ille actus, Deus verò impediret externã promulgationem, posset esse verum imperium: ergo si illud diuinitus reuelaret Deus subdito, teneretur obedire: ergo ea promulgatio exterior nec partiale constitutiuum est legis.

36. TERTIA CONCLVSIO: Longè probabilior videtur modus loquendi eorum, qui volitionem solam obligandi dicunt esse legem. Eam tenent Almainus, Henricus & Alphonsus à Castro apud Tannerum num. 4. Salas autem suprà conatur ostendere, eos, excepto Castro, non tenere expresè prædictam sententiam; citat tamen pro illa Mediuam: ei fauet Paret Suarez; nam licet dubius sit, magis tamen in hanc propendet: illam tenet ipse Salas, licet non valdè constanter, vt paulò superiùs notaui. Huius sententiæ, quæ ad quæstionem de nomine, vt dixi, pertinet, probatio desumitur ex communi hominum modo loquendi & apprehendendi: etenim tam præceptum respectu vnius particularis, quod est quasi quædam lex, quàm præceptum vniuersale, semper in sola voluntate collocari videtur; ideò omnes dicunt, *Meus Superior, meus Dominus vult vt faciam hoc aut illud*; ideò teneor: item è contrario, *Non vult vt faciam*: semper etiam, dum ad obedientiam hortantur, tantùm dicunt vt pareatur voluntati Superioris. Ideò Scriptura passim monet, vt Dei voluntatem faciamus: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me*, Ioan. 4. & 2. Machab. 1. *Det vobis cor vt faciatis eius voluntatem.* Innumera alia possent in eumdem sensum adduci; vnde fortè emanauit illud carmen,

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.

& in iure, *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* docet idem Aristoteles ad Alexandrum cap. 1 & 2. vbi ait legem esse communem populi consensum.

mollìùs vocitatur lex.

Primò probatur id ex communi hominũ loquendi modo.

37. *Replica. Confutatur.*

Video ad testimonia hæc & similia posse dici ea intelligenda de lege mediatè, quatenus à volũtate debet oriri. Tamen cùm hìc sumus, vt sæpè dixi, in quæstione de nomine, & docti pariter ac indocti magis tribuant rationem legis volitioni quàm intellectioni, cur, quæso, eum modum loquendi intelligere volumus vt sonat, cùm reuerà nihil sit quod cogat ad improprios sensus? Et verò quidquid de eo sit, ea in quæstione de nomine melior est opinio quæ magis se conformet communi phrasi; hoc autem nostra habet, ergo.

Secundò probatur ẽclusio ratione.

Secundò meo iudicio clarè id ostendo, quia ceteris omnibus ablatis, hac sola voluntate manẽte datur lex, è contrario verò sola deficiente ea volitione, vt suprà ostendi, non est lex; quia sine volitione obligandi non est obligatio; ergo ea sola volitio rationem habet legis. Consequentia est per se euidens; & secunda antecedentis pars ab omnibus conceditur. Probo autem nunc primam partem: nam licet ea volitio habeat dependentiam essentialem à cognitione præcedenti; id tamen est commune omni volitioni, neque oritur vllo modo id ex conceptu legis: ideò ad punctum præsens non debet singulariter ea dependentia applicari, alioquin etiam diceremus, dolorem de peccatis, quia connexus est cum cognitione, consistere inadæquatè in ea cognitione; & sic de omni alia virtute: id quod communi iudicio & modo loquendi hominum repugnat; aliud enim est essentia rei, aliud id, quod sæpè ad ipsam præsupponitur vel vt causa; vel vt conditio: sicut essentia hominis non est Deus, licet ab hoc illa essentialiter pendeat: vnde in similibus casibus solemus per impossibile argumentando rem totam facilè declarare hoc modo, *Si per possibile vel impossibile quidquid in me est maneret, non manente obiecto, maneret homo & actus vitalis, ergo Deus & obiectum non sunt pars hominis & actus vitalis, sed termini, quos essentialiter respicit homo & actus vitalis.* Hęc argumentatio est optima;

Cur volitio obligandi essentialiter à cognitione præsidi deposcat eam vt comparetur in ratione legis non inuolucrat.

38. *Declaratur argumentũ.*

Digitized by Google

mortali autē ego vtar in præsenti, Si per impossibile sine vllo actu intellectus maneret volitio Principis, qua populū vellet obligare ad faciendam rem aliquam honestam, eo ipso esset populus obligatus; ergo eo ipso esset lex; ergo hæc adæquatè consistet in eâ volitione, non verò vllo modo in actu prævio intellectus, esto hunc de facto necessariò supponat; eò quòd nihil volitum quin præcognitum.

39. *Objicitur, volitionem obligandi non obligare sine promulgatione.*

Dices: Esto esset eiusmodi volitio, si tamen nō esset promulgata, nulla esset obligatio, ergo nec lex, ergo saltē ea prōmulgatio erit partiale complementum & constitutiuum legis. Hæc ratio fauet ex parte eis qui legem in solâ eâ promulgatione constituerunt. de quibus suprà. Dico *ex parte*, quiâ argumentum non probat totam essentiā esse in eâ promulgatione, sed partialē. Respōdeo tamen neq; id probare, quia cùm, vt suprà ostendimus, ex acceptione cōmuni omnes ferè distinguant inter legem & eius promulgationē, & sæpè agnoscant legem non promulgatam, manifestè constat, eam vocē non dicere ne quidem partialiter promulgationem. Ad obiectionem ergo dico,

Respondetur.

Lex aliud est secundùm se, aliud vt actu obligans.

aliud esse legem secundùm se, aliud vt actu obligantem: sicut aliud est causa secūdùm se, aliud vt actu causans, aut vt proximè potens causare: etenim approximatio non est pars causæ propriè loquendo, sed causæ potentis proximè operari; ita dico sine promulgatione dari posse veram legem, eo ipso quòd sit vera volitio obligandi; admitto tamen non esse tunc proximam obligationem, quia ad hanc requiritur promulgatio; hæc ergo pars est legis vt proximè obligantis, non verò pars legis secundùm se.

40. *Promulgatio est solùm pars legis proximè obligantis.*

Et hoc modo sustineri debet cōmunis modus loquendi, quòd lex ante promulgationem non obliget: cui communi phrasi optimè concordat nostra conclusio, quæ vel ex hoc capite tenenda est. Addo, licet ob eumde fectum obligationis admitteremus promulgationem consortium constitutionis legis; id quod etiam satis est communi apprehensioni affine; non enim solent homines iudicare dari leges quousq; promulgentur; in ordine tamē ad iudiciū intellectus prequium, de quo hîc maximè disputamus, an sit pars legis, obiectionem hanc nullam habere vim. Ideò absolutè & omnibus pensatis concludo, probabiliùs tribui ei volitioni adæquatam rationem legis. Sed satis in quæstione de voce,

DISPVTATIO II.

Explicatur obiectum actus constituentis legem.

1. HÆc difficultas à nemine ex proposito discutitur; est tamen sūmè intricata, vt ex dicendis constabit, extenditúrq; ad multas materias morales; ideò operæ pretium iudicaui eam diligenter excutere, etsi aliquantulùm fusior sim.

SECTIO I.

Reijcitur sententia Medinæ.

Obiectū actus legislatiui in sententiā Medinæ.

QVi q. 91. art. 1. censet, ad legem necessariam non esse volitionem obligandi, sed sufficere in Legislatore volitionem dicendi exteriùs subdito, *Fac hoc*: opinatur ergo posse esse in Legislatore animum præcipiendi sine animo obligandi; illúmque sufficere ad hoc, vt subditus teneatur re ipsâ obedire: id quod probat à simili; nam licet quis non habeat animum se obligandi dum vouet vel dum iurat, eo tamen ipso quòd voueat manet obligatus; ergo eodem modo superior obligabit inferiorem, si ei præcipiat, esto id faciat sine animo illum obligandi. In hac sententiâ facilè explicatur obiectum volitionis legislatiuæ; est enim exterior prolatio verborum *Fac hoc*. Censeo tamen hanc opinionem esse implicatoriam in terminis; rogo enim, quid sit illud præcipere, quod debet Legislator velle; an solùm exteriùs ea verba proferre, *Fac hoc*: hoc autē euidenter reiicitur, quia illa exterior prolatio potest fieri vel ioco, vel recitatiuè, vel aliis de causis: in quibus casibus clarissimum est non inferri vllam obligationem: ergo voluntas præcipiendi vult aliquid præter eam prolationem; id autē nihil aliud penitus esse potest quàm inducere obligationem; ergo repugnat in terminis dicere, dari volitionem præcipiendi, & non dari volitionē obligandi. Huic argumento respondeti fortè posset Legislatorem tunc solùm habere pro obiecto vsum suæ iurisdictionis, qui vsus est imperare, præcipere, vel mandare. Sed cōtrà, quia in hac solutione multiplicantur tantùm termini, & nihil dicitur re ipsa: etenim mandare, imperare, præcipere planè sunt synonyma, ideò non debet vnum per alterum explicari: vsus item eius iurisdictionis nihil aliud est quàm subditos obligare; hoc autem formaliter est præcipere.

Refutatur hæc sententia vt implicatoria.

2. *Occurritur resp̄sioni ad argumētum.*

Secundò videtur ea sententia in terminis repugnare; cùm enim dicat ex eo præcepto volito sequi necessariò in subiecto obligationem, infero manifestè, Ergo Legislator volens præcipere, eo ipso vult saltem virtualiter obligare. Respondebis, cum hoc optimè consistere, vt expressè velit non obligare. Sed contrà, quia quando quis videt se dare causam, ex qua sequitur necessariò effectus, non potest habere animum efficacem ne sequatur ille effectus. Displicentia autem simplex poterit quidem esse: at de hac in præsenti non agimus, sed de efficaci. Quidquid verò de hoc sit,

3. *Reijcitur Secundò.*

Tertiò argumentor ratione à priori: Nam obligatio, quæ in subditis oritur, prouenit à voluntate Legislatoris; ergo si Legislator vult absolutè eam non esse, non potest intelligi ea oriri in subdito: vnde licet *præcipere* & *obligare* essent distincta, & hoc sequeretur ex illo, dicendum tamen esset, eo ipso quòd per voluntatem contrariam expressam obligatio esset inuoluntaria Legislatori, non posse in eo præcepto implicitè esse voluntariam sufficienter ad valorem; nam inuoluntarium expressum cæteris paribus fortius est quàm voluntarium solum implicitum: vt si quis velit proferre verba Baptismi, & habeat animum implicitum faciendi quod per ea verba fieri potest, si tamen expressè per alterum actum dicat, Nolo tamen verè baptizare, nequaquam baptizabit.

Refellitur Tertiò à priori. Obligatio in subditis orta, à voluntate Legislatoris oritur.

Ad instantiam de voto dico, eādem esse in eo rationem: in iuramento fortè aliter est discurrendum

Digitized by Google

rendum;nam iuramentum non desumitur in ordine ad obligationem, sed quia adducit exteriùs in testem sui animi aut rei narratæ Deum vel hominem:vnde siue habeat animum,siue non:re ipsâ iurat,licet falsè,idcóq; peccat : in iuramento autem promissorio , ne Deum quodammodò faciat testem falsi , tenetur posteà implere quod iurauit animo faciendi. sed de hoc alibi. Constat ergo omnino esse necessariam absolutam voluntatem obligandi ad hoc,vt vera sit lex veráque obligatio.

4. *Respondetur ad instantiam de voto & iuramento factum.*

Sectio II.

Proponitur ratio dubitandi circa obiectum actus legislatiui.

5. *Legislator nõ necessariò debet velle seriò à subditis fieri imperata.*

PRo quo supponendum est, non esse necessarium , Legislatorem velle omnino seriò fieri à subditis id quod imperat , sed posse aliquando contingere,vt ille ex nequitiâ suâ optet,ne id faciant. V.g. imponit Rex iustas ob causas legem, ne quis frumentum foras euehat ; euehenti autem in pœnam ponit amissionem frumenti,& simul aliam summam pecuniariam , fieri optimè potest,vt tunc Rex animo accipiendi pro se eam pucuniam & frumentum optet,dum legem eam fert, vt subditi aliqui frumentum illud euehant. Imò potest dari casus , in quo ob solam nequitiam sine vllâ aliâ vtilitate desideret Legislator subditos transgredi suas leges : idem est in vouente;si enim quis sic voueret,*Ego me obligo voto ad ieiunium , numquam tamen ieiunabo* , peccando licet se verè obligaret.Ratio est ; nam sicut facto iã voto non est idem, velle illud transgredi , ac velle illud auferre ; ita in ipsâ primâ eius effectione non videtur esse formaliter , imò nec realiter idem, velle illud facere , & velle illud obseruare:si autem ea duo distincta sunt,optimè potest vnum sine altero intendi , ideò reiiciendi sunt nonnulli, qui tã in Legislatore quàm in vouente censuerunt separari non posse voluntatem obligationis à voluntate seriâ executionis ipsius rei.Fateor in Deo ea duo nõ separari;non quia vna sit de conceptu alterius ; sed quia, cùm Deus iustissimus sit , non ponit leges,nisi omnino seriò velit vt fiant ea obiecta honesta , quæ per leges præcipiuntur:semel mandauit Abrahamo immolationem filij animo obligandi illum: qui reuerà fuit ita obligatus, vt si non habuisset animum immolandi , peccasset. Deus verò non optabat vt Abrahamus immolaret , sed solùm præcipiebat animo explorandi virtutem Abrahæ;& decreuerat ante executionẽ rei tollere præceptum;alioquin repugnat , vt non placeat Deo executio rei ab ipso præceptæ durante ipso præcepto. Et certè in eo casu maximè optabat Deus volitionem obediendi , quam de facto Abrahamus habuit.

Cur in Deo voluntas obligandi semper sequatur volitionem executionis rei iecundum tractat.

6. *Proponitur difficultas de obiecto volitionis obligãdi.*

Ad difficultatem verò propositam ex dictis argumentor sic:Voluntas obligandi non habet pro obiecto effectionem rei;prætet hanc autem nihil est aliud quod possit velle, ergo. Vrgeo , Esto ea volitio respiceret executionem rei , non potest per hoc sufficienter lex explicari;quia nec potest esse volitio efficax rei,neque inefficax,ergo nulla.Non efficax;quia cùm non sit in solâ potestate iubentis ea executio , sed à subditi libertate pendeat,& ille possit nolle obedire,quantumuis sibi imponatur præceptum,non potest ea volitio esse efficax;id quod in Deo clariùs ostenditur;nã omnis volitio efficax Dei semper impletur; constat autem magnâ nimis experientiâ, non omnia præcepta Dei adimpleri ; ergo Deus non habet volitionem efficacem de eâ impletione. Sed neque potest ea volitio esse inefficax , quia volitio inefficax non est sufficiens ad inducendã obligationẽ:& certũ est, licet Princeps optet sæpissimè multa fieri,eámque suã voluntatem explicet,non continuò condere legem , aut imponere præceptum,ergo. Respondebis eam volitionem habere pro obiecto obligationem seu hoc , quod est teneri subditum ad faciendam eam rem. Sed contra , quia rogo , quid sit illud teneri seu illa obligatio. Certè ea solùm potest esse denominatio quædam extrinseca desumpta formaliter ex ipsâ lege,atqui lex illa non habet seipsam pro obiecto,quia tunc nihil aliud vellet quàm se ponere ; per hoc autem , quòd ea volitio se ponat, non magis infertur obligatio erga illã rem quam carentia obligationis : nam etiamsi contrarium voluisset mandare , volitio tamen seipsam posuisset.

Difficultas hæc in nostris principiis negantibus entia media moralia distincta à realibus & fictis valdè magna est , quia reuerà posito præcepto,nullum aliud ens reale positiuum ponitur ab ipso distinctum,quod videatur posse assignari pro obiecto eius volitionis. Quæ difficultas communis etiam est ad votum, quid scil. sit obiectum illius;item ad donationes rei , quid enim volo dum dico , Dono tibi pallium ? ipsa enim physica datio pallij potest esse sine donatione: præter illam autem quid est, quæso,obiectũ reale eius volitionis ? In multis etiam aliis materiis potest hæc difficultas moueri , vt in relaxatione voti,in remissione peccati, in dispensatione, &c. ideò suprà dixi eam esse communem multis materiis moralibus : dicam hîc quæ ad legem pertinent;& insinuabo breuiter quî ex eadem doctrinâ ad alias materias discurri possit.

7. *Eadẽ difficultas locũ habet in voto, donatione, &c.*

Sectio III.

Proponuntur & reijciuntur aliquæ explicationes.

8. PAter Suarez suprà cap. 4. n. 8 breuissimè hanc rem attingens dicit , in primis necessariam esse in Deo voluntatem aliquam efficacem non de ipsâ obseruatione legis , sed obligatione subditorum;num. verò 9. magis ad rem nostram addit,obiectum illius esse, constituere materiam præceptam vt necessariam ad seruandam mediocritatem in eâ virtute , ad quam pertinet ea res præcepta;V.g.si imperat ieiunium die Iouis, vult ea volitio,vt illud ieiunium necessariũ sit ad hoc, vt homo sit abstinens:addit tamen,hoc simpliciter & in omni casu non requiri ad legem:deniq; docet , obiectum legis esse magis morale quàm physicum, posse tamen circa illud versari voluntatem efficacem non solùm humanam;sed etiam diuinam : quod se alibi ex professo tractasse dicit , & ad finem materiæ de gratiâ remittit ; ibi tamen solùm inuenio hoc ipsum repetitum, nullam autem maiorem eius explicationem. Et verò valdè difficile est id explicare , quia (vt ipse Suarez ibi supponit) ens morale pro fundamento semper includit aliquod ens reale , vnde desumitur ; ergo quamdiu non assignatur illud ens, verum & reale non assignatur , nec quidem obiectum morale eius volitionis. Quod verò dicit hîc Suarez de eâ necessitate ieiunij v. g. ad virtutem abstinentiæ,nec absolutè verum est,ne-

P. Suarez obiectũ volitionis legislatiuæ ait esse , constituere rem præceptã vt necessariam materiã certæ virtutis.

Ens morale semper fundamẽto reali nititur.

9.

Digitized by Google

que satisfacit quæstioni: non verum; quia præcedenti Tomo dixi, virtutem abstinentiæ naturalis, quæ consistit in eo, quòd quis non comedat nisi ea quæ ad sustentationem corporis sunt vtilia, formaliter non prohibere vllo modo carnes etiam die Veneris; ideóq; etiãsi quis peccet contra legem ieiunij in Quadragesimâ comedendo carnes, non tamen ideò peccare contra naturalẽ abstinentiam, vt citato loco fusiùs deduxi. Secundò, Esto ea doctrina P. Suarez esset vniuersaliter vera, intactam tamen omnino relinquit difficultatem, nam tunc temporis illud ieiunium necessarium esse ad mediocritatem illius virtutis, est denominatio formaliter proueniens ab ipsâ lege: vel dicat, rogo, quæ alia sit entitas producta, in quâ ea necessitas consistat. Totum enim quod de obligatione dixi debet hîc intelligi de eâ necessitate; quia illa duo idem re ipsâ sunt. id quod maximè vrgeo ex doctrinâ eiusdem auctoris; nam volitionem legislatiuam vocat efficacem; ergo debet habere aliquid, quod à parte rei producat: atqui nihil à parte rei producitur aliud quàm ea obligatio; ea autem est ipsa lex, ergo ea solam seipsam habet pro obiecto.

Impugnatur sententia P. Suarez. Primò quia non est absolutè vera.

Secundò, quia non tãgit difficultatem.

Volitio legislatiua efficax obiectũ proximè desiderat.

10. *Alter modus explicãdi obiectũ volitionis facilè reijcitur.*

Secundus dicendi modus esse potest, eam volitionem terminari ad carentiam libertatis moralis ad non ieiunandum; ac si diceret, Volo, ne ampliùs licita tibi sit comestio carnis die Veneris: hæc tamen explicatio solas voces nouas habet: etenim carentia licẽtiæ ad comedendas carnes, & obligatio ad non comedendas idem sunt formalissimè.

Tertia difficultatis propositæ explicatio.

Fortasse quis ex doctrinâ recentiorum quorumdam circa obiectum condonationis diuinæ, in quâ (vt suprà ostendi) videtur esse similis difficultas, responderet (& hæc sit tertia explicatio eius difficultatis) legem habere pro obiecto, ne ampliùs ea bonitas physica, quæ est in esu carnis, denominetur bona moraliter; sicut in condonatione dicunt, Deum velle, ne ampliùs peccatum præcedens denominet hominem malum; eã autem carentiã denominationis bonæ esse idem cum carentiã libertatis moralis. Verùm hæc explicatio planè est improbabilis; vel enim ea volitio vult tollere aliquã entitatẽ, ex quâ oriebatur anteà ea denominatio licitæ & bonæ: vel relinquit omnes entitates vt priùs existebãt, & addit nouam; si primũ, ostendatur quæ sit illa entitas ablata; & tunc habebitur obiectum volitionis sine recursu ad tales denominationes; dicam enim obiectum illud esse carentiam physicã eius entitatis: si verò nulla entitas tollitur, ergo nec poterit tolli denominatio prior; quia hæc non distinguitur à prioribus entitatibus simul sũptis: itẽ si noua additur, ostẽdatur in suo proprio vestitu quę illa sit, & omittantur omnes voces illæ, *denominationis ablatio*, &c. per quas hi auctores nullam adstruentes entitatem valdè confundunt Theologiam.

Confutatur.

11. *Quarta explicatio.*

Ideò posset huic difficultati responderi Quartò ex doctrinâ, quam tradidi circa obiectum condonationis diuinæ (dixi enim illud esse futuritionem conditionatam iniustã odij Dei, casu quo per impossibile Deus odio haberet peccatorem) hoc modo, *Volo, vt si per impossibile te odio habuero propter peccatum præcedens, eo ipso sim iniustus.* Ex hac doctrinâ posset in præsenti ita discurri, vt etiam lex dicat, *Volo vt, si non ieiunaueris tu, pecces:* cuius volitionis obiectum solùm est futuritio cõditionata iniusta comestionis; comestio autem iniusta procul dubio distinguitur ab illâ volitione. Ecce verum & reale obiectũ; quod autem id à lege intendatur, patet, quia aliquem esse obligatum ad ieiunandum, nihil aliud est, quàm illum sine peccato non posse non ieiunare: *Non posse autem sine peccato non ieiunare*, idem est ac dicere, *Quòd si non ieiunet, peccabit:* ergo exactè & sine vllâ violentiâ declaratur eius voluntatis obiectum.

12. *Displicet.*

Hæc explicatio, quæ mihi olim in puncto adeò obscuro arrisit, nunc re meliùs considerata videtur valdè difficilis: etenim, iuxta mea principia de libertate extrinsecâ, planè relabitur in reflexionem eam quam vitare cupimus; nã esum carnis v. g. esse malum & legi contrarium, nihil penitus supra ipsum esum addit aliud quàm existentiam legis siue in se, siue in comedentis apprehensione; (quod vltimũ in præsenti quæstione nullius est momenti:) etenim idem numero actus omnino in se immutatus, quo quis vult comedere carnes, non cogitando de prohibitione; & qui eo ipso non est contra legem formaliter; solâ tamen additâ extrinsecâ legis existentiâ & cognitione illius redditur contrarius legi, vt fusè in materiâ de libertate in Philosophia, & etiam tertio Tomo Theologico explicui. Hinc efficaciter argumentor, & probo, dari eam reflexionem; nam comestionem esse contrariam legi, nihil prorsus aliud addit supra ipsam comestionem quàm existere legem, quæ eam prohibeat; ergo dum lex vult vt ea comestio habeat contrarietatem, nihil aliud vult quàm vt ipsa lex existat: ergo illius volitionis obiectum solùm est ipsamet lex; nam existentiam ipsam comestionis non vult, sed præcisè vt, si fit, sit mala, sicut dixi, seu sit contraria legi: sed contrarietas, vt superaddita existentiæ comestionis, est formalissimè ipsa lex; ergo illa se solam habet pro obiecto, siue iam hoc nomine, siue illo illud obiectum explicetur. Idem argumentum fieri eodẽ modo potest contra obiectum condonationis diuinæ, quia dum dicimus, odium Dei erga Petrum ob peccatum commissum & condonatum fore iniustum, nihil aliud formalissimè dicere videmur, quàm illud odium esse contra eam condonationem: atqui esse contra condonationem, iuxta doctrinã sæpè datam, nihil est aliud quàm existere ipsam condonationem, & existere illud odiũ; ergo tunc habet se pro obiecto adæquato ea condonatio: id quod omnino videtur absurdum: ergo non vitamus eas adæquatas reflexiones, quas aliis sententiis tribuimus. Neque vim argumenti labefactat, quòd ea contrarietas odij cum lege dicat etiam odij ipsius existentiam: etenim condonatio non vult odium existere, sed casu quo existat, esse iniustũ; iniustum autem illud esse supra existentiã ipsius, nihil penitus addit nisi ipsam condonationem; ergo hæc, dum vult illud odium esse contra rationem, nihil aliud vult quàm seipsam.

Volitio legislatiua seipsã haberet pro obiecto in hac sententiã.

13. *Ad probatur de condonatione.*

Meliùs fortè & ingeniosè quis ei argumento responderet Primò in condonatione, in quâ res clarior videtur; & inde Secundò ad materiam præsentem; responderet, inquam, volitionẽ condonatiuam diuinã hoc velle; vt si Deus odio haberet Petrum v. g. propter peccatum iam remissum, illud odium esset non tam contra ipsam cõdonationem (hæc enim manifesta esset reflexio) quàm contra alterum principium naturale, scilicet, *Neminem innocentem esse odio habendum*; quod principium antecedens est omnem eam condonationem; in actu verò exercito eam volitio-

Proponitur effugium in eã donatione.

Digitized by Google

virtutem abstinentiæ, nec absolutè verum est, nevolitionem cõstituere illum hominem innocentem; vnde sequitur, si posteà odio ille haberetur, non minùs aut non aliter illud odium fore peccatum, quàm si esset odium in hominem qui nũquam anteà peccasset. Certè in ea volitione nulla planè cernitur reflexio. Hinc autem ad præsentem materiam dici posset, volitionem legislatiuam non sic explicandam; vt dicat, *Volo ieiunium esse contra me*; sed, *Volo ieiunium esse contra principium illud naturale generale, obediendum esse legitimo Superiori:* aut si vellemus magis accedere ad sententiam Suarez & communem, de quâ suprà, quòd scil. lex ponat materiam præceptam vt necessariam ad virtutem, intra quã est, dicere poterit ea volitio, *Volo vt ieiunium sit contra regulas abstinentiæ*: vt autem hæ regulæ vniuersales antecedunt omnẽ actualem liberam prohibitionem, ita etiam eius volitionis obiectum est adæquatè distinctum ab ipsamet actuali prohibitione: ergo cessat omnis reflexio, quam fugere conamur. Porrò eam volitionem optimè eo modo explicari videtur facilè probari; nam etiam in omnibus peccatis contra præcepta positiua recurrendum nobis est ad oppositionem aliquam cum naturâ rationali & lege æternâ Dei: si enim interrogem, cur non obedire hîc & nunc Superiori legitimè imperanti sit peccatum; respondebitur mihi, quia lumen naturale dictat, Superiori legitimè mandanti obediendum esse: quòd si hoc principium generale cessaret, procul dubio eo ipso cessaret omnis obligatio obediendi hîc & nunc: ergo ea volitio particularis optimè potest habere pro obiecto contrarietatem cum eâ lege naturali & æternâ; imò necessariò videtur eam debere respicere modo explicato: supposito autem eo respectu satis commodè vitatur omnis reflexio. Explicatio hæc etiamsi videatur, vt dixi suprà, ingeniosa, adhuc tamen non satisfacit; nam eam comestionem hîc & nunc esse contra præceptum naturale abstinentiæ (quod tamen satis à me reiectum est Tom. 3.) vel certè contra præceptum illud generale, nihil aliud esse potest formalissimè, quàm eam prohiberi per hanc legẽ particularem. Pro quo aduerto, quod variis in locis dixi, maximè Tomo primo in proœmialibus Theologiæ, conclusionem non contineri in solâ maiori vniuersali, sed inadæquatè etiam in minori. V. g. *Omnis comestio prohibita est vitanda*, propositio generalis est; quæ non continet absolutè hanc propositionem, *Ergo comestio carnis hodie vitanda est*; non, inquam, continet, nisi addatur minor, *Sed hæc comestio hodierna est prohibita*: vnde fit, vt supposità etiam veritate propositionis illius generalis, quam propositionem, vt sic dicam, non efficit particularis Legislator, non possit aliter quis efficere, vt hæc comestio sit contra eam legem vniuersalem, quàm efficiendo veram eam particularem seu minorem propositionem; id est, *Hæc comestio est prohibita*. Sicut, supposità veritate generali, quod homo legitimè ordinatus potest validè consecrare, non potest quis efficere, vt Petrus validè possit consecrare, nisi eum legitimè ordinando; quod si id aliter effici non valet, ergo nec aliter potest quis id velle, nisi volendo eam ordinationem. Ergo cùm per solam legem particularem formaliter ea materia prohibita constituatur de nouo oppositа legi illi naturali & vniuersali antiquæ, idem erit dicere. *Volo vt de nouo opponatur*, ac dicere, *Volo meipsam*; quâ solâ de nouo positâ, contrarietas seu oppositio illa constituitur. Quæ ratio tam habet locum in materiâ præsenti quam in obiecto condonationis diuinæ; quia supposito peccato iam à me commisso formaliter constituor ego odio indignus per eã cõdonationem; & per eam solam odium mei redditur malum seu contra rationem naturalem: ergo quando Deus vult, vt illud odium, si existat, sit malum, nihil aliud vult, quàm vt sit condonatio; ergo condonatio vult vt sit ipsa condonatio. Ecce integram eam totam reflexionem. 17.

Idẽ applicatur volitioni legislatiuæ.

Peccatũ omne opponitur naturæ rationali & legi æternæ Dei.

15.

Præcluditur effugium.

Conclusio & in maiori vniuersali & in minori continetur.

16.

Hanc comestionẽ esse cõtra regulas non fit aliter quàm hanc prohibendo.

Instantia pro eadẽ veritate.

Respondebis fortè, in ordine ad conceptum nostrum non habere locum hanc impugnationem; nam licet re ipsâ per legem formaliter constituatur illa contrarietas, non videtur tamen negandum, intellectum nostrum posse concipere, comestionem carnis esse verè oppositam legi illi vniuersali, esto non concipiat vllo modo actualem positiuam prohibitionẽ liberam; sicut concipit fornicationem esse malam ante omnem actualem positiuam prohibitionem: id quod videtur maximè conforme principiis, quæ tradidimus de constitutiuo malitiæ moralis; nam eam fornicationem esse malã præcisè consistit in eo, quòd sit contra educationem prolis; certum autẽ est, ordinariè ab hominibus concipi eam esse malam moraliter, non conceptâ tamen eâ ratione, seu damno prolis; sicut apprehenduntur alia obiecta turpia, v. g. pollutio, ebrietas; & tamen non statim apprehenditur ratio, ob quã in eis reperitur malitia: ergo eodem modo posset intellectus apprehendere hanc comestionem esse malam moraliter, non apprehendendo in particulari prohibitionẽ positiuam; ob quam ea est contraria rationi: quod si intellectus id potest apprehendere, etiã voluntas poterit id ipsum amare; nam voluntas sequitur in modo abstrahendi ipsum intellectum; ergo non est necessarium vt tunc faciat directam reflexionem supra se. Sed contrà Primò, quia licet in creaturis, quæ confusè obiecta cognoscunt, locum habeat talis modus apprehendendi & volendi, in Deo sanè, qui distinctissimè & prout in se sunt res cognoscit, non potest ea doctrina sustineri; necessum enim est, vt formalissimè, dum cognoscit fornicationem, pollutionem, mendacium, &c. esse malum moraliter, cognoscat, in quo ea malitia consistat; sicut non cognoscit hominem in confuso, non cognoscendo in quo essentia illius consistat; ergo non potest cognoscere esum carnium die Veneris esse màlum, nisi cognoscendo eum esse prohibitum: & quidem si noscit esse malum positiuè, agnoscit prohibitionem positiuam; si verò malum ex naturâ rei, agnoscit etiam prohibitionem ex naturâ rei: & clariùs id cernitur in nouâ prohibitione; nam si noscit, *Hoc obiectum antea non erat malum, iam verò volo ego illud reddere malum*, necessariò debet scire determinatè quid sit illud, per quod ipse reddet malum tale obiectum; & consequenter debet illud velle exequi.

Replica.

Voluntas intellectũ sequitur in modo abstrahendi. Obniatur replica.

18.

Deus cognoscẽs fornicationẽ, &c. necessariò cognoscit in quo consistat eius malitia.

Hinc autem Secunda impugnatio deducitur, quæ habet locum etiam in creaturis; quia licet quãdo solùm quasi speculatiuè agnoscitur in obiecto aliquo malitia, non debeat homo apprehẽdere determinatè in quo illa cõsistat, sed in communi aliquod malũ agnoscat; si tamẽ ipsemet debet malitiã illã obiecto determinatè tribuere, vt eam tribuit Legislator prohibendo obiectũ, necessum est, vt clarè cognoscat hoc obiectum non aliter malum reddi quàm per prohibitionem; ergo

19.

Legislator volẽs obiectũ malũ reddere, debet velle suã prohibitionem.

Digitized by Google

ergo vt velit illud reddere malum, debet velle ſuam prohibitionem; ergo illa prohibitio purè eſt reflexa ſuprà ſe.

Quinta explicatio aſſerit obiectū eſſe nouū iudiciū de ratione illicitā.

Quintò ergo ad vitandam eam reflexionem poſſet dici, obiectum eius volitionis eſſe hoc, *Vt prudenter iudices, tibi non eſſe licitum eſum carnis, & ratione illius iudicij pecces, ſi operatus contra illud fueris.* In quâ volitione obiectum eſt illud iudicium nouum quod reſultat in ſubdito, & ratione cuius immediatè peccat; nam (vt Tomo præcedenti oſtendi) non deſumitur malitia formaliter ex lege ipsâ in ſe, ſed ex cognitione illius; vnde dixi contra nonnullos, ſtante eadem apprehenſione legis idem omnino fore peccatum, ſiue ea lex re ipsâ in ſe exiſtat, ſiue non: ergo, cùm iudicium illud ſit diſtinctum à lege, eſto lex habeat illud pro obiecto, non continuò erit reflexa ſupra ſe. Eſt tamen adhuc in hoc ipſo dicendi modo duplex difficultas, Prima, quia obiectum aſſignatū non tam eſt legis quàm promulgationis ipſius; etenim intentū promulgationis formaliter nihil eſt aliud, quàm vt ſubditi eam legem noſcant: ſicut autem aliud eſt lex, aliud promulgatio legis, iuxta ſuprà dicta, ita etiam aliud erit velle legem condere, aliud velle promulgare; ergo non eſt obiectum vnius idem quod alterius. Quia verò reſpondere quis poſſet, velle condere legem etiam includere promulgationis volitionem, ſit ſecunda difficultas: nam tunc ſaltem mediatè ea lex erit ſupra ſe reflexa: dicet enim. *Volo vt tu ex cognitione mei promulgatæ pecces, ſi comederis:* hoc autem etiam videtur repugnare; fit enim ridiculus ſenſus, *Volo vt, quia me noſcis, pecces, ſi talem actum facias:* cur enim, quæſo, ex cognitione illius volitionis magis debet eſſe peccatum, quàm non peccatum? nam & alia appoſita volitio, quæ diceret, *Volo vt non pecces*, idem reſpectu ſui diceret, *Volo* ſcilicet *vt ex cognitione mei non pecces:* cur ergo, quæſo, cognitio illius prioris volūtatis debet cauſare obligationem præ cognitione ſecundæ, cùm vtraq; nihil aliud dicat quàm, *Volo vt me noſcas?* certè; niſi aliquod aliud obiectum eis aſſignetur, nugatoriæ ompino videntur tales volitiones, ſeu talia præcepta.

20. *Reijcitur.*

Velle legē cōdere, & velle promulgare, tūt diuerſa.

Sectio IV.

Alia ſolutio diſcutitur.

21. *Sententia P. Lugo de obiecto volūtatis legiſlatiuæ, cōdonatiuæ, relaxantis votum &c.*

PAter Ioannes Lugo Tom. 1. in 3. partē diſp 3. ſect. 5. occaſione iuris iuſtitiæ & volitionis transferentis dominium diſputat vniuerſaliter, quod ſit obiectum volitionis imponentis legem, condonantis culpam, relaxantis votum, &c. quia reuerà (vt & ſuprà ſæpiuſque notauimus) eadem omnino eſt de his omnibus ratio dubitandi, niſi quòd in condonatione peccati aliquantulùm faciliùs res declaratur. Cùm reiecisſet ergo omnino à ratione legis directam volitionē etiam inefficacem ipſius rei imperatæ (quibus verò argumentis id præſtet dicemus ſect. 6. quia videntur etiam impugnare ſententiam noſtram ibi ponendam;) cùm, inquam, eam ſententiam reiecisſet, ait num. 83. voluntatem condonatiuam, de quâ, vt diximus, eſt eadem ratio, eſſe efficacē quoad effectum, inefficacem verò quoad affectum: dicit enim illa hoc modo, *Vellem, quantum eſt ex me, quòd ex offenſa præteritâ non reſultaret amplius mihi ius aduerſum te:* quæ volitio non habet ſeipſam pro obiecto, ſed aliquid aliud, præſcindendo à poſſibili & impoſſibili: qui affectus apud prudētes habet hanc vim, vt eo ipſo iudicent non poſſe iam rationabiliter hominem illum iraſci iuſtè alteri; ſicut è contrario cōtritio eſt actus inefficax dicēs, *Nollē peccaſſe:* vbi habet pro obiecto rem impoſſibilem, ſcil. quòd non fuerit peccatum; & tamen eo ipſo re ipsâ delet peccatum, ſeu eſt efficax quoad effectum. Eodem modo docet obiectum voluntatis donantis eſſe, quòd res donata habeat connexionem eamdem cum donatario, quam habebat cum ipſo donante ratione inuentionis, vel alterius tituli, quo res fuerat facta ipſius. Ac denique in præcepto docet voluntatem præceptiuam dicere, *Vellem vt tibi eſſet hoc obiectum impoſſibile, ſeu turpe in genere moris, non minùs quàm ſunt alia obiecta turpia ex naturâ ſuâ.* Obiicit autem contra ſe; Nam illa voluntas non vult reddere tale obiectum turpe niſi intra materiam obedientiæ: etenim etiamſi vnus idemq; Superior habeat ius, vt ex iuſtitiâ & ex obedientiâ adſtringat ſubditum ad rem eamdem faciendam, poteſt tamen haud dubiè vti vno ſolo ex illis titulis; & conſequenter illam rem prohibitam non reddet malam, niſi in vnâ ex illis materiis; v. g. in materiâ obedientiæ: atqui eo ipſo iā videtur ea volitio ſe habere pro obiecto; nā velle vt illa actio ſit contra obedientiam, eſt idem ac velle, vt illa ſit contra eam ipſam volitionē, quæ eam actionem imperat.

Obiectū voluntatis donantis iuxta Patrē Lugo.

Obiectū voluntatis præceptiuæ.

Obiectio P. Lugo.

Huic obiectioni reſpondet, voluntatem illam habere pro obiecto obligationē diuerſam ab eâ quam cauſat in actu ſecundo. Pro quo obſeruat, lumine naturæ cognoſci, dicere naturam rationalem ſequi monita & conſilia illorum quos ob aliquem titulum ſibi conſtituit quaſi duces & magiſtros: qui tituli aliquando fundant non ſolam decentiam, ſed etiam obligationem ſequendi monita. Vt ſi parens v. g. velit velleitate illâ inefficaci obligare filium, & reddere illi turpe obiectum prohibitum, eo ipſo id efficiet: vnde ait, parentem non debere ante illam voluntatem agnoſcere in ſe poteſtatem veram & formalem obligandi, ſed ſolùm fundamentalem, hoc eſt, quòd deceat filium ſequi monita parentis; ac propterea ſolùm tunc dicit parens, *Ego vellem, quantum eſt ex me, eam decentiam reddere obligatoriam, ſicut ſunt obligatoria alia obiecta, ad quæ natura obligat:* fertur ergo ea voluntas ad obligationem quamdam, quæ pro tunc non apprehendetur poſſibilis; eo autem ipſo natura acceptat eam volitionem patris ad cauſandam veram obligationē: ſicut ſi quis habeat poteſtatē donandi librum, & ignorans ſe illam habere, diceret, *Ego, quantum eſt ex me, vellem, ſi poſſem, transferre in te dominium huius libri*, eo ipſo cenſeretur moraliter & efficaciter tranſlatū dominium; ſuppoſito autem quòd per eam volitionē in actu exercito obliget, poterit reflexè velle obligare: tunc enim voluntas illa eſſet reflexa ſupra illam alterā inefficacē. Quod ſi vlterius interroges, quæ ſit ea prior decentia ſequendi conſiliū parentis, antequā concipiatur obligatio faciendi; reſpondet; conſilium intra terminos conſilij non includere vllo modo voluntatē rei quæ conſulitur, nec obligare ad id, ſed ſolùm manifeſtare id quod in illo negotio iudicamus expediens, quia & ſecundùm ſe iudicatur melius vel certè practicè, hoc eſt illud quod ipſe filius decerneret facere, ſi in talibus circumſtantiis eſſet. Hinc proſequitur fusè, quomodo tranſferatur dominium

22. *Eiuſdē reſpōſio, voluntatē præceptiuam habere pro obiecto obligationē diuerſā ab eā quam cauſat in actu ſecundo.*

P. Lugo docet voluntatē cōdonatiuā eſſe efficacē quoad effectum, ſed inefficacem quoad affectū: huius voluntatis obiectū ſtatuit deſitionē iuris reſultātis ex offenſa præteritā.

Digitized by Google

dominium & obligatio ex iustitiâ, quomodo ité differat oratio ab imperio, consilio, &c.

23. *Explicatio P. Lugo reijcitur. Primò, quia non facit ad rem.*

Circa hanc explicationẽ PRIMÒ DICO, quidquid in eâ adducitur de connexione rationẽ illorum titulorum, & de decentiâ in sequendis consiliis, &c. esse planè extra intentum nostrum. Hîc enim solùm agimus de obiecto voluntatis imperantis; quòd verò debeant præcedere tituli ad imperandũ, iam vt pot se notum supponitur: neque difficultas consistit in eo, vnde illi tituli sumantur, & qui illi sint; etenim etiã in ipso Deo, vbi clarè constat ratione suæ infinitæ perfectionis, & ex eo quòd sit essentialiter causa creaturarũ, esse simul dominum, & habere ius nobis imperandi; in eo, inquam, reperitur tota quãta difficultas præsens circa obiectum voluntatis, quâ nobis aliquid imperat; nec ex eo; quòd sit ibi ea essentialis connexio, explicatur vel in minimo obiectum illius imperij; ergo ea omnia sunt extra intentum nostrum.

Reijcitur Secundò.

SECVNDÒ DICO, quòd supponit hic auctor, priùs debere concipi decentiã in sequendis consiliis Superiorum, vt inde Legislator dicat, Volò illam decentiam facere obligatoriam quantũ est ex me; hoc, inquam, nec est vllo modo verum, neque iuuat ad nodi præsentis solutionẽ. Quòd non sit verùm patet Primò, quia vis imperatiua non pendet essentialiter à vi consiliatiua; vnde etiamsi conciperemus per possibile vel impossibile Superiorem non habere vim dandi vllum consilium; nemo tamen prudenter dicere poterit ideò non posse in eo Superiore esse vim mandandi, neq; potest ostendi probabiliter ea duo ita esse connexa, vt ablato consilio cesset imperiũ: vt enim è contrario possum dare consilium, licet non possim imperare; ita possum imperare, licet non possim dare consiliũ. Id quod clarissimè cernitur in Deo; etenim æquè immediatè certum est lumine naturæ, teneri nos Deo præcipienti parêre, quàm sit notum iustũ esse Dei sequi consilia: vnde vt Adamo præceptum imponeret, non præmisit vllum consilium per modum consilij; quod enim dixerit, *Ex omni ligno paradisi comede*, permissio fuit, non per modũ consilij; quòd verò addidit statim, *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas*, fuit proprium præceptum. Et verò fortasse quis diceret, magis proprium esse Deo præcipere quàm consiliari; quia mandare est proprium Maiestatis diuinæ essentialiter habentis in nos iurisdictionẽ, at consiliari videtur esse actus quasi æqualis ad æqualem; ideóq; ex eo capite videtur esse Deo minùs connaturalis respectu nostri. Nec facilè inducar, vt credam Deum ante primam voluntatem imperandi nõ posse præcognoscere, sibi esse possibile posse obligare creaturas, sed teneri hoc solo modo procedere, *Scio creaturas decere vt sequantur mea consilia; an autem ea decentia possit esse obligatoria, adhuc non scio, vellem tamen vt esset obligatoria; vtrùm tamẽ re ipsa sit futura nec ne obligatoria, adhuc non noſco*; & deinde post habitam eã volitionẽ de obiecto chimærico tunc primò agnoscere Deũ reuerà se induxisse obligationem in creaturam. Profectò modus hic procedendi valdè videtur esse alienus à diuinâ Maiestate, & præter opinionem saltem, quam de Deo omnes Theologi habent.

Imperium & consiliũ non habent necessariam inter se connexionẽ.

Id clarissimè cernitur in Deo.

Gen. 2.

Id in Legislatore creato.

Denique addo; neq; vllum vmquam creatum Legislatorem eo modo processisse quo hi auctores dicunt: quis enim Rex, quando imperat, facit reflexionem hanc, *Quia decens est, vt mei subditi sequantur mea consilia, etiamsi id adhuc non sit obligatorium, ego vellem vt ea consilia essent obligatoria?* profectò vel grauiter fallor, vel nulli vmquam ne quidem venit in mentem talis cogitatio, sed immediatè agnoscens subditos teneri obedire suis mandatis dicit, *Volo illos hac aut illa facere, ita vt iam eis non sit licitum illa omittere.*

24. *Idipsũ ostenditur ratione à priori. Consiliũ ordinatur ad melius, non autẽ præceptum.*

Secundò id ipsum ratione à priori ostendo: Consilium enim videtur maximè ordinatum ad honestiora; vtiliora seu commodiora declaranda hîc & nunc; vnde ad illud maximè requiritur ingenium, experientia, iudicium, prudentia, vt sciat discernere hîc & nunc quid expediat magis; at vis præceptiua non respicit vllo modo maiorem eam conuenientiam rei mandatæ in se: subditus enim tenetur obedire Superiori, etiam quando ille mandat id quod hîc & nunc est minus bonum in se. Id quod maximè patet in Deo, vbi hi auctores ideò explicant libertatem ipsius ad obiecta etiam imperfectiora, quia facit in illis suam voluntatem: vnde aiunt tam nos esse obligatos ad obediendum dum imperat res minùs perfectas quàm dum perfectiores; inde autem infero ego hanc euidentissimam consequentiam, Ergo consilium quà tale intrinsecè non præsupponitur ad vim obligandi; quia quodammodò habent opposita fines aut modos intrinsecè procedẽdi; consilium dicendo, *Hoc est melius*, præceptum verò, *Hoc fiat, esto sit minùs bonum.*

Obiectio.

Fortè dices, Eo ipso quòd Superior mandet mihi aliquid, iam illud hîc & nunc est mihi vtilius & honestius, ergo iam conuenit præceptum cum fine consilij. Sed contrà, quia non loquor ego de obligatione, quæ est post ipsum mandatum, sed de honestate, quæ est in re ante mandatum, & ante consilium; dicóq; in hoc ea duo differre, quòd consilium videtur ex suâ essentiâ quærere ea quæ sunt in se meliora hîc & nunc; propterea enim ad illa datur consiliũ: at præceptum non respicit ea quæ sunt ex se meliora, sed quæ hîc & nunc Superior vult imperare; supposito quòd aliunde non sint inhonesta; malè ergo vis imperandi ponitur eo modo dependens à vi cõsiliatiuâ. Vnde ostenditur, quod suprà dixi, falsam ab his auctoribus doctrinam supponi.

Solutio.

25. *Ostenditur explicationẽ P. Lugo esse inutilem ad præsentẽ difficultatem declarandam.*

Quòd verò tota ea sit inutilis ad præsentem difficultatem declarandam patet: nam si obiectũ eius voluntatis obligantis dicitur esse ea obligatio re ipsâ impossibilis, quam homo tunc vult efficaciter quantum est ex se; quid, quæso, est necessarium priùs recurrere ad decentiam in sequendis consiliis, quæ decentia deinde transferatur ad obligationem? sed potest clarè & facilè dici Legislatorem agnoscere teneri subditos facere suam voluntarem, quando ipse velit eam obligationem chimæricam, & tunc eo ipso illum dicere, *Volo ergo, quantum est in me, eam obligationem*: quo posito iam illi obligantur sine vllo planè recursu ad consilia & ad decentiam in sequendis consiliis & tot confusis reflexionibus, quas hi admittunt.

26. *Non rectè ad propositum dicitur consilium includere manifestationẽ eius quod hîc & nunc melius iudicatur, vel quod ipse consilians faceret.*

Nec video, quomodo explicatio eius obiecti impossibilis possit iuuari per illã decentiã priorẽ repertam in sequendis consiliis: vnde etiam valdè confirmatur quod paulò antè dixeram, scil. vim mandandi nequaquam pendere ab eâ vi cõsiliatiuâ.

TERTIÒ DICO, Minùs benè, ad ostendendum in quo consistat obiectum consilij, doceri ab his, consilium solùm includere manifestationem eius quod iudicat melius hîc & nunc, vel quod ipse consilians faceret, si in occasione simil: existeret

Digitized by Google

existeret: etenim si consilium illud sumatur vt est suasio illius quod optimum censetur, manifestè constat in hoc sensu, cognitionem eius decentiæ, quæ in sequendo tali consilio reperitur, non posse requiri vllo modo ad imperandum: etenim obligatio exequendi id quod imperatur non pendet, vt deduxi fusiùs paulò antè, ab eo quòd imperetur id quod optimum est hîc & nunc: vnde confirmatur quod ibi dixi, consilium & imperium esse actus inter se disparatos. Quòd si iterùm consilium sumatur in eâ alterâ acceptione huius auctoris, constat etiam non habere vllam connexionem cum præcepto; seu (vt magis ad rem loquar) constat præceptum non esse vllo modo pendens à decentiâ quæ reperitur in seruando tali consilio: id quod facilè ostendo ratione, quâ in hac quæstione hi ipsi vruntur. Nam etiamsi ipse mandans positus in occasione simili non esset eam rem facturus, idque mihi constaret per reuelationem; nihilominùs tenerer illi imperanti obedire: ergo quòd eius præceptum habeat vim me obligandi, non pendet à consilio eo sensu accepto, quo denotat consiliantem obediturum, si in tali occasione poneretur; seu si sibi alius id ipsum consuleret vel præciperet. Vides manifestè, consilium ita ab his declarari, vt constet apertè se habere disparatè ad præceptum.

Hinc DICO QVARTÒ potuisse clariùs & meliùs dici, volitionem illam Superioris, quâ ex se vult vt actio illa habeat similem obligationem ei quam habent actiones naturâ suâ obligantes, esse præceptum; obiectum verò illius esse aliquid impossibile, nempe vnam aliam obligationem indiuidualiter à naturali distinctam, quam intellectus tunc ibi apprehendit; perinde ac si apprehenderem ego vnum alium Deum solo numero ab hoc distinctum, haberem pro obiecto aliquid fictum. Quo modo haud dubiè nulla datur reflexio eius actus supra seipsum, quam videbamur velle vitare. Dubito autem, vtrùm auctores hi hoc modo explicent illud obiectum; dicunt enim eo num. 9. circa medium, eam volitionem inefficacem in priori signo ferri ad quamdam obligationem, quæ pro tunc non apprehenditur vt possibilis: quo videntur insinuare saltem deinde agnosci vt possibilem: sed, quidquid de eorum mente sit, in eis vltimis verbis iam dixi sufficienter vitari omnem reflexionem, & assignari obiectum ab eâ volitione distinctum, chimericum tamen.

27. *Non videtur probabile, Deũ non aliter posse imperare quàm optãdo inefficaciter rem impossibilem.*

Vnde DICO QVINTÒ ET VLTIMÒ, non videri mihi probabile Deum non aliter posse imperare quàm optando inefficaciter vnam rem impossibilem. Multi enim auctores censent, Deum non posse primò apprehendere rem chimæricam nisi in nostris actibus: & licet eorum sententia nullo modo mihi placeat, nemo tamen eam reiecerit ex eo capite, quòd si Deus non posset apprehendere chimæras; non posset quidquam hominibus præcipere. Sunt enim valdè ea duo diuersa planè inter se independentia.

Secunda impugnatio.

Secundò argumentor: Nam à parte rei intrinsecè & essentialiter nulla sunt obiecta obligantia titulo solius obedientiæ; præcepta enim naturalia obligant sub diuersis rationibus iustitiæ, castitatis, veracitatis, &c. quomodo ergo apprehendendo seu optando obligationem similem virtuti castitatis, dum præcipio ambulationem, constituo ambulationem obligatoriam non in materiâ castitatis, sed in aliâ penitus diuersâ? profecto id valdè difficulter potest intelligi.

Tertia.

Tertiò, quia praxis videtur esse planè in contrarium: nullus enim vmquam ex Superioribus aut Regibus interrogatus quid vult, dum mandat aliquid subditis, respondebit se optasse dari in subditis chimæricam quamdam obligationem, & eam exoptando se causasse veram obligationem. Profectò ausim certissimò asserere, nec quidem sententiæ huius auctores, si quando ante tractatam hanc quæstionem Superiores fuêre, & aliquod præceptum imposuêre, vel cogitasse de eiusmodi chimericâ obligatione; si autem hæc fuisset obiectum illius volitionis, profectò necessariò & ipsi & omnes Superiores etiam simplicissimi debuissent illam agnoscere; quia cùm illã solam tunc voluerint, necessariò debuerunt eam noscere.

28. *Replica Prima. Solutio.*

Fortè dices implicitè eam voluisse. Sed contrà, quia cùm illi necessariò habuerint aliquod explicitum obiectum illius volitionis, oporteret ostendere quod illud sit, si semel negas esse eam chimæricam obligationem; redibit autem de illo tota quanta difficultas præsens.

Replica Secunda. Solutio.

Respondebis Secundò, eo ipso quòd Superiores dicant, *Volo vt hæc materia sit obligatoria sicut alia naturales*, iam eo ipso velle eos obligationem fictam; quia illa similis obligatio reuerà est ficta. Sed contrà Primò; quia illi, dum dicunt, *Volo similem*, nequaquam intelligunt, *Volo vt etiam ibi sit obligatio naturalis*; non enim dicunt, *Volo vt ieiunium* v. g. *sit ex naturâ rei prohibitum*; hoc autem deberent dicere, si haberent pro obiecto eam chimæricam prohibitionem; sed dicunt, *Volo, vt sicut alia sunt prohibita ex naturâ rei, ita sit prohibitum positiuè ieiunium*: per illam autem particulam *sicut* satis apertè declarant se non eiusdem speciei aut omnino similem prohibitionem velle, sed aliam quam possunt causare, quæque verè & realiter potest in obiectis reperiri, & est aliquo modo similis obligationi naturali. Quæ omnia sine dubio cadunt in veram obligationem. Neque ambigo vllo modo, quin interrogatus quilibet ex Regibus, Superioribus, &c. quid velit dum imperat, recurret ad hanc meam explicationem; de fictâ verò illa neminem vel somniaturum.

29. *Alia impugnatio.*

Id quod Secundò ostendo simul impugnando totam explicationem: nam etiamsi per impossibile nulla obiecta essent ex naturâ rei illicita, sed omnia planè indifferentia, solúmque illud principium naturale esset, debere esse in Republicâ aliquem moderatorem, cui omnes obediant; profectò ille posset tunc non minùs quàm iam prohibere aliqua obiecta, alia imperare; tunc autem quomodo, quæso, Superior ille recurreret ad obligationes naturales aliorum obiectorum, vt in illis aliquam aliam eiusdem rationis fingeret, quamque appeteret efficaciter quantum est ex se? profectò talis tunc non aliter imperaret quàm dicendo, *Volo vt facias hoc*; seu, *Mando tibi vt facias hoc*: quo casu nihil esset de fictione vllâ, ergo nequo de præsenti erit; quia eo modo de facto imperatur quo tunc imperaretur, & è contrario.

Vltima impugnatio.

Vltimò denique eam sententiam reiicio: nam potest Superior seriò & ex corde dicere, eamque volitionem aliis manifestare, *Vellem quantum est ex me, & quidem efficaciter, si possem, vt hæc essent res ex se illicitæ, & nemo illam posset efficere*: cum hac autem voluntate optimè cohæret hæc alia,

Sed

Digitized by Google

Sed quandoquidem ex se non est ita prohibita, nolo ego eam positiuè prohibere, quia nec volo esse singularis in eâ positiuâ prohibitione. Profectò has duas volitiones esse inter se compossibiles nullâ vel apparenti ratione potest in dubiũ verti. Hinc autem manifestè argumentor: Ergo voluntas obligandi non consistit in volitione illâ quantum est in potestate hominis efficaci, quâ vellet vt obiectum illud esset prohibitũ ex naturâ rei. Vnde vlteriùs dico, eum, dum semel dicit, *Sed quandoquidem ita non est, ego nolo illam positiuè prohibere*,; profectò ostendere se non habere aliã volitionem prohibitiuã diuersam ab eâ, quæ circa eam chimæricam obligationem versatur; quia hanc re ipsâ habet, vt supponimus, & nõ vult habere volitionem illam obligantem; ergo duæ illę volitiones diuersæ sunt. Iam ergo explicetur, quæso, obiectum illius alterius quæ tunc deest. Profectò iam, quidquid in eâ doctrinâ horũ auctorum continetur, apparet esse ad quæstionem soluendam insufficiens.

30. *Obiter reijciuntur ea quæ P. Lugo tradidit de translatione dominij, relaxatione voti, remissione peccati & iniuriæ.*

Hinc vno verbo etiam reiicio quæ de translatione dominij, de relaxatione voti, de remissione peccati & iniuriæ, hi auctores citato loco tradiderunt: ea enim omnia fundantur in illâ quasi duplici decentiâ & obligatione: itẽ in iis recurritur rursum ad illud obiectum planè impossibile, contra quod nos hucusque fusè egimus: neque necessarium iudico specialiter eis materiis in particulari applicare argumenta nostra, cùm facilè id à quolibet fieri possit; specialiter autem obseruo, in condonatione culpæ clariùs id constare: nã qui condonat non vult vllo modo, vt peccatum præcedens, in me v.g. commissum, non fundauerit ius odij; at verò fortasse è contrario gaudet, quòd illud fundauerit, vt possit iam illud condonare, & liberaliter offensam remittere, ostendendo suam misericordiam: neque vllus parcens suo inimico ad eiusmodi considerationem vmquam descendit; vult enim, non quòd non fundauerit, sed summùm, quòd non fundet in posterum: hoc autem non repugnat. Quomodo autem ea condonatio maximè diuina explicanda sit, dicam infrà, quia videtur mihi res multò minùs difficilis quàm in voluntate legislatiuâ. Et satis contra hanc singularem sententiam.

Sectio V.
Soluitur difficultas.

31. *Volitionis legislatiuæ obiectũ est ipsa actio exterior præcepta.*

Videò illam esse grauissimam; & quàm facilè vulgariter eam explicare possumus (scimus enim quid sit mandare, ferre leges, &c,) tam difficulter eam scholasticè discurrendo posse declarari. Crediderim, non meliùs eam posse explicari quàm si dicamus, imperium nihil aliud habere pro obiecto quàm ipsam actionem exteriorem, quam præcipit, non verò ferri directè in obligationem, sed potiùs ipsammet volitionẽ esse obligationem in actu exercito: hoc enim modo facilè & obiectum, & tota essentia eius volitionis explicatur sine vllâ reflexione supra seipsam. Restat autem nunc ostendere qualis sit in se ea volitio; *Natura eius volitionis inquiritur.* nam (vt suprà diximus) non videtur ea posse esse efficax; quia effectio operis non pendet à Legislatore; ergo ille non potest habere volitionem efficacem adimpletionis præcepti: nec item videtur sufficere inefficax. Et verò, quod grauius est, & suprà insinuatum, non videtur repugnare, vt Legislator habeat simul volitionem obligandi, & tamen nolit vt res ea fiat; ergo non potest explicari præceptum aut lex per volitionem quæ directè feratur in ipsam actionem.

32. *Difficultati enodãda supponitur dãuersorũ actuũ eiusdẽ intellectus & voluntatis posse esse idẽ obiectum.*

Vt huic difficultati respondeam, suppono circa idem omnino obiectum posse esse diuersos actus eiusdẽ voluntatis aut eiusdem intellectus: etenim (vt sæpè dixi) apprehensio & iudicium nullo modo differunt ex obiecto, sed ex se & modo tendendi in illud: dissensus itẽ & assensus habent idem omnino obiectum; sed vnus illud asserit, alter illud negat. Neque enim debet quis cogitare rò *non*, quod ponitur in iudicio negatiuo, esse aliquam entitatem ex parte obiecti quæ cognoscitur; nihil enim planè tale est; sed præcisè denotat diuersum actũ intellectus seu fugam, vt sic dicam, intellectualem ab illo obiecto. Eodem modo in voluntate desiderium & gaudium erga eamdem omnino rem afficiuntur; nam de illâ eadem formalissimâ existentiâ obiecti, quam quis desiderauerat priùs, gaudet, dum iã eam obtinet. Item idem obiectum, quod amor respicit, respicere potest odium, licet fortè hîc desint saltem formales rationes motiuæ diuersæ. Quòd si vlterius inquiratur, in quo differant illi actus, non possumus aliud respondere, quàm eos differre in se seu à seipsis formaliter; eam autem differentiam nos experiri in nobis ipsis, nec posse aliter explicare: in omnibus enim materiis deueniendum semper est ad aliquas res per se notas, quas vlteriùs explicare nõ possumus, alioquin vel daretur processus in infinitum in eiusmodi explicationibus, vel circulus planè vitiosus. vtrumque autem absurdum est. Sic oculis video differentiam albedinis à nigredine; olfactu percipio diuersum odorẽ rosæ & rutæ; gustu distinguo dulcedinem mellis ab amarore fellis: quod si vlteriùs eas differentias eorum accidentium declarare voluero, nullo modo potero, eò quòd nihil magis notum habeo quàm ipsam experientiam, per quam id præstem.

33. *Experientia docet differentiã inter volitionẽ imperatiuã optatiuam & efficacem.*

Hoc supposito dico, nos experientiâ manifestâ in nobis ipsis agnoscere quemdam affectum voluntatis, quo ita afficimur erga aliquam rem (suppono iam in nobis esse iurisdictionẽ ad mandandum) vt per illum affectum mandemus in actu exercito subditis illam eamdem rem: quem actum denotamus per ea verba exteriora, *Mando tibi*, seu, *Fac hoc*, *Cane illud*, &c. qui actus omnino diuersus est à volitione solùm inefficaci quâ dico, *Opto vt id fiat*; est etiam diuersus à volitione efficaci, quâ exequi volo illud idem obiectum. Harum autem trium volitionum differentia non potest meliùs explicari à nobis quàm ipsâ experientiâ, quę eos distinctos & diuersos actus ostẽdit. In ordine verò ad subditos ipsos declaramus nos eos diuersos actus, imperantem quidem per verbum illud *Mando*, alios per *Opto*, & *Volo efficaciter eam rem fieri*: & sicut dum ego dico alteri, *Desidero hoc*, intelligit diuersum me habere actum ab eo quem significo dum dico, *Gaudeo aut doleo hac de re*; ita etiam distinguit in me diuersum eum actum voluntatis dũ dico, *Mando tibi*, ab eo quo dico, *Rogo te vt facias hoc*, &c. Certum enim est etiam illum actũ rogandi non esse volitionem efficacẽ, neq; inefficacem quamcũq; quia possum ego desiderare vt Petrus faciat hoc, itẽ explicare illi meum desiderium; & tamẽ non petere eam rem ab illo, nec rogare illũ pro eâ: ergo ea petitio aliquid diuersum dicit à volitione inefficaci sumptâ in communi, & vt vocari solet volitio inefficax. Eodem modo dico intelligi ex verbis illis *Mando tibi* vnam specialem

Digitized by Google

volitionem circa illud obiectũ; quæ eo ipso censetur vim habere ad obligandum, si cætera adsint. nec video quid in hoc puncto amplius explicare teneamur.

34. *Respondetur argumento suprà n. 6. posito.* Hinc ad argumentum suprà n. 6. positum facilè responderi poterit: admitto enim imperium hoc non esse efficax, seu non esse volitionem efficacem, item neque esse inefficacem ordinariam; quam significamus eâ voce, *Opto hoc*, aut, *Vellem hoc*; nego tamen non esse volitionem inefficacem quamdam specialem, quæ explicatur per illud verbum, *Volo hoc tanquam Superior*, seu, *Mando tibi hoc*, seu, *Fac hoc*. qui omnes sunt termini synonymi.

Volitio præceptiua est volitio quædã inefficax specialis.

Volitio præceptiua potest cõsistere cum volitione inefficaci, ne fiat id quòd præcipitur.

Ad confirmationem respondeo, eo ipso quòd sit diuersa volitio ab eâ simplici & inefficaci, non repugnare, vt simul sit cum eâ alterâ volitione inefficaci, ne fiat illud obiectum; potest enim volitio etiam efficax, ambulationis: v.g. optimè cohærere cum volitione efficaci non ambulandi; à fortiori autem cohærere poterunt duæ inefficaces, quarum vna dicat, *Ego vt Legislator, seu vt Superior, volo hoc fieri*, altera autem, *Vt Petrus vellem ne id fieret*. Et verò passim simul & semel in nobis experimur similes volitiones: ob diuersas enim rationes & vellemus rem aliquam fieri, & nollemus. Imò addo, posse esse in ordine ad non effectionem rei fortiorem eam volitionem, quàm sit volitio imperatiua: vnde interdum gratius erit Superiori alicui, quod subditus transgrediatur legem, quàm quòd ei obediat. Ideo suprà dixi, serium animum, vt res fiat, non esse necessarium: *serium* dico, id est, qui licet inefficax sit, omnibus tamen pensatis prævalet: per hoc autem non infertur, in ordine ad obligandum subditum impediri alterum actum minùs serium; quia cùm non sint oppositi, quilibet retinet in suo genere totam suam vim. Et licet subdito constaret de desiderio eo secundo Principis, quia tamen non tenetur se accommodare Superiori quà hic est priuata persona, sed quà Superior, non tollitur in subdito obligatio parẽdi ei volitioni inefficaci Superioris quà talis; esto constet de alterâ quasi contrariâ volitione, quam Superior habet vt priuata persona.

Ob diuersas rationes possũ eamdem rem velle & nolle fieri experientiâ teste.

35. *Replica.* Replicabis ex suprà dictis: Velle vouere, seu vouere non est idem ac velle obseruare votum; vnde sine vllâ planè voluntate obseruandi videtur stare votum; ergo pari ratione idem erit in lege. Confirmatur; nam qui dicit, *Volo te obligare vt facias*, obligat verè & realiter; & tamen immediatè non respicit actionem illam, ergo.

36. *Solutio.* Respondeo Primò, in voto eodem modo discurrendũ, vt scilicet *vò promitto* sit specialis quædam voluntas inefficax circa effectionẽ operis, quæ naturâ suâ obligat in actu exercito ad effectionem illius; ideóq; negandum esse sine vllâ voluntate faciendi rem stare posse voti emissionem, esto simul posset alia adesse paulò fortior de non exequendâ eâ re, vt in Legislatore diximus, & reuerà planè inintelligibile videtur; quòd stet vera promissio dandi alteri aliquid sine vllâ planè voluntate re ipsâ dandi, ego certè vix id capio; promissionem quidem externam facilè intelligo sine animo; at ea est ficta, non vera promissio; internam autem & veram ego non capio sine aliquo animo re ipsâ dandi: ergo votum, quod est quædam species promissionis, non potest esse sine animo aliquo faciendi. In eâ ergo volitione, quæ simul ex suâ specificâ ratione est promissio, vt de petitione, desiderio, imperio, &c. paulò antè diximus, consistit totâ ratio voti.

Voti emissio stare nequit sine vllâ voluntate rẽ faciendi, sicut nec promissio vera dandi.

Cur quis emisso voto possit id velle non seruare absque animo destruendi.

Neque obest, quòd emisso iã voto possit quis sine vllo animo illud destruendi velle tamen illud non seruare: etenim tunc existentia aut destructio voti non ampliùs pendet vllo modo ab ipso qui vouit, sed à personâ cui vouit: quid ergo mirum, si, velle illud non implere, non sit, velle illud destruere; esto in prima effectione, quando ab eius voluntate pendebat, necessum fuerit vouentem habere volitionẽ aliquam circa eam materiam. Ad confirmationem potest responderi; Sicut velle vouere non est formaliter vouere (vnde esto habeam animum vouendi ieiunium, quousque tamen actu illud vouedm non teneor) ita velle obligare, non esse propriè legẽ, sed volitionem reflexam supra legem: ideò ibi admitto libenter, non esse necessariam volitionem immediatã ipsius operis, nego tamen in lege ipsâ formaliter non includi; quando enim non solùm dicit Legislator *Volo mandare*, sed in actu exercito mandat, tunc respicit immediatè ipsam executionem modo explicato; dicitq; *Volo vt facias hoc*. Replicam contra hoc in materiâ voti vide sectione sequenti.

Sicut velle vouere nõ est formaliter idẽ quod vouere; ita nec velle obligare & lex ipsa.

Legislator in actu exercito mandans immediatè respicit ipsam executionẽ.

SECTIO VI.

Duæ obiectiones contra dicta soluuntur.

37. *Obiectio Prima, cur potiùs dicamus imperiũ esse specialem affectũ voluntatis quàm specialem actum intellectus, vt volũt Thomistæ. Reijcitur. quia specialis ille actus intellectus est fictitius, non autẽ specialis ille affectus voluntatis.*

PRima, quia si ponimus in voluntate eum specialem affectum, quem vocamus imperium; cur non illum in intellectu ponemus cum Thomistis & aliis, quos suprà reiecimus: magis enim videtur imperium pertinere ad intellectum seu ad rationem quàm ad voluntatem. Facilè huic obiectioni respondeo à me probatũ suprà, mandare potiùs spectare ad voluntatem quàm ad intellectum: certum enim videtur mandare esse quoddam velle; difficulter autem intelligitur mandare esse quoddam genus iudicij: etenim quantumuis homo iudicet conuenientiam rei, necessitatem legis, &c. non ideò formaliter fert legem; ponere autem in intellectu alium actum, qui nec sit species iudicij, neque apprehensionis, neque discursus, superfluum omnino est; & fortè etiam difficulter intelligitur eius possibilitas. Dico *difficulter*; nam vtcumque posse intelligi dixi Tomo 3. in voluntate autem & necessariò & clarè ponitur eiusmodi actus: necessariò, quia sine volitione obligandi nulla est lex, vt fatentur etiam qui ponunt actum intellectus consecutum voluntatem: præter eam autem volitionem nihil aliud ego pono, iuxta supra dicta; ergo quidquid admitto, omnino necessariũ est in omnium sententiâ. Quod verò id clarè intelligatur probo; nam non fingo ego nouum genus actuum voluntatis, sicut maiori ex parte fingunt illi, qui opinantur imperium esse actum intellectus; dicunt enim, illum nec esse apprehensionem, nec iudicium, nec discursum, sed genus aliud, quod solùm dicit *Fac hoc*: nullo autem modo explicant, quî ad intellectum pertineat actus aliquis aliud præstans, quàm cognoscere aliquid; & licet fortasse hæc repugnantia tanta non sit, vt dicatur propterea etiam diuinitus non posse dari talem actum, negare tamen nullus poterit, quin ea ratio sufficiat, vt sine euidenti necessitate, qualem non videmus in præsenti, nullo modo de facto concedatur talis actus intellectus: at in voluntate ego non fingo, vt dixi, nouum

Actus ille intellectus difficulter intelligitur, facilè autẽ affectus ille voluntatis.

Digitized by Google

Imperiū melius voluntati tribuitur.

uū genus,sed hoc pono,quod omnes admittunt, nempe veram volitionem aut nolitionem obiecti;solùm autem intra illud genus explico aliquā speciem eo planè modo quo omnes explicamus species desiderij, gaudij, amoris; intra genus tamen volitionis:qui modus discurrendi haud dubiè facilis est;& licet aliquam habeat difficultatem,maiorem certè in opposito esse nemo negabit. Et hæc circa primam obiectionem.

38. *Secunda obiectio,obiectū condonationis diuinæ & relaxationis voti non posse explicari nisi per futuritionem quasi conditionatā, soluitur. Obiectū condonationis diuinæ est carentia odij & consideratio hominis perinde ac si non peccasset.*

Fortiùs nos premit Secunda, quæ ex obiecto condonationis diuinæ & relaxatione voti desumitur;nam illud non possumus explicare nisi recurrendo ad eam futuritionē quasi conditionatam, de quâ suprà; si autem semel id ibi dicatur, poterit etiā simile quid in præsenti dici.Respondeo tamen, in condonatione potiùs videri rem longè faciliorem:etenim ibi habemus vnum obiectum, quod non potest pertinere nisi ad illam scil. carentiam odij ac displicentiæ erga hominē ob peccatum antiquum,& quod simul illum hominem velit considerare, ac si non commisisset vllum peccatum. Volitio enim huius considerationis positiuæ & carentiæ illius odij sine vllâ reflexione constituit obiectum sufficiens condonationis diuinæ. Ostendi enim alibi Deum nec diuinitus posse non odio habere peccatū quamdiu existit.Vnde dicere, *Nolo te iam amplius odio habere ob præcedens physicum peccatum*, est illud peccatum tollere in futurum.

39. *Replica. in creatis volitionē carētia odij nō esse condonationē iniuriæ. Responsio. Prima.*

Dices saltem; In creatis potest quis nolle odio habere alterū,nec tamen ideò illi condonare iniuriam; fortasse etiam è contrario posse velle illi iniuriam condonare,& tamen adhuc velle habere illum odio; ergo saltem inter homines debet assignari obiectum aliquod diuersum:quod si semel assignetur, poterimus faciliùs & vniuersaliùs discurrere, illud idem assignando etiam respectu Dei. Respondeo Primò,mihi omnino videri impossibile, quod in secundâ parte replicæ dicitur, posse scil. me velle remittere alteri iniuriam, & tamen actu me illum prosequi odio inimicitiæ, & velle in eo odio durare; hæc enim duo planè videntur repugnare; vnde,quidquid sit de voto & legibus,certè in cōdonatione nō videtur posse illa voluntas locū habere.Hinc autē potiùs confirmatur sententia nostra, quòd scil. ea volitio cōdonatiua habeat pro obiecto ipsam carentiam odij.Respondeo Secundò ad priorem partē:Esto actualis ad tempus limitatum omissio odij non extinguat peccatum in creaturis,quia homo non tenetur semper esse in odio actuali sui inimici; si tamen velit numquam ampliùs illum prosequi odio ob culpam præcedentem, nec velit vllam compensationem exigere, iam eo ipso remittet illi offensam.

Secunda.

40. *Vrgetur replica.*

Adhuc tamen vrgebis;Potest ille dicere,Numquam ampliùs te odio prosequar,tamen volo retinere ius vt possim id facere sine iniustitiâ,quādo mihi placuerit.Ecce in eo casu non est actualis condonatio; & tamen amatur in perpetuum illa negatio odij;ergo necessum est aliud quærere obiectum illius volitionis condonatiuæ. Respondeo Primò,Si ea sola carentia odij non sufficit,habere tunc locum totam doctrinam superiùs traditam scil. interuenire ibi affectum illum specialem, quem experientiâ nouimus, & in se non possumus ampliùs declarare, quàm quod sit singularis modus amandi illam carentiam odij in perpetuum:sicut desiderium est specialis modus amandi obiectum,& diuersus à modo amādi per puram simplicem complacentiam, aut per gaudium. Nunc autē solùm agimus de obiecto eius voluntatis,quod dicimus esse eam carentiā odij: neque id vllo modo reiicitur ex eo, quòd eadem illa carentia possit per aliquem alium actum diuersum non condonatiuum amari. Secundò respondeo, Si carentia non sufficit,saltem reperiri ibi pro obiecto condonationis considerationem illam eius hominis pro hoc tempore, perinde ac si non peccasset: dicit enim tunc ille actus,*Volo te deinceps non aliter iudicare,quàm si me non offendisses, vel mihi æqualem dedisses satisfactionem.*

Soluitur Primò. Cōdonatio est specialis affectus quo amamus carētiam odij in perpetuum.

Soluitur Secundò. Non sola carentia odij est obiectū condonationis, sed etiā consideratio hominis perinde ac si non peccasset.

Non tamen adhuc acquiescès: etenim illud ipsum iudicium necessariò videtur fore reflexum supra hanc volitionem; debet enim illud sic declarari, *Ego considero illum hominem ac si me non offendisset; considero, inquam, quia illi condonaui peccatum.* Propterea ipsa condonatio ideò est talis,quia respicit illùd iudicium;datur ergo ibi vitiosus circulus; *Condono, quia volo considerare,* &,*Considero, quia condono.* Respondeo Primò,in meâ sententiâ non esse vllum inconueniens in eo quòd aliquis actus habeat se inadæquatè pro obiecto; ergo cùm huic actui iam assignem ego illud iudicium, quod sine dubio distinctum quid est ab eâ volitione, non erit inconueniens vllum,si simul inadæquatè seipsam noscat,dicatque, *Volo illud iudicium formare, quod me respiciat vt præcedentem*, perinde ac si in aliâ quauis materiâ voluntas diceret,*Volo elicere vnum actū, qui sit memoria mei.* Secundò respondeo, nec quidem eam inadæquatam reflexionem esse necessariam; nam ea volitio solùm dicit, *Volo habere iudicium*, dicens,*Petrus non est mihi debitor, sed fuit:* quare autem non sit,non explicat tunc ea voluntas, neque illud iudicium;vnde nullatenus est supra se reflexa: neque item necessum est vt illud iudicium deinde habendum id dicat intrinsecè, sed sufficit, si dicat, *Iam Petrus mihi nihil debet:* quòd si vlteriùs vrgearis, *Cur?* tunc per alium actum respondebitur, *Quia iam illi condonaui,*

41. *Alia replica.*

Responsio. Prima. posse fine absurdo admitti reflexionē inadæquatā.

Responsio. Secunda. ne quidē inadæquatā reflexionem hic esse necessariam.

Vrgebis illud iudicium, dicens, *Mihi nihil Petrus debet*, habet aliquod motiuum seu rationem formalem; non potest autem habere aliam quàm, *quia illi condonaui*; ergo necessariò debet esse reflexum supra condonationem; seu debet dicere,*Nihil mihi debet, quia iam illi condonaui.* Respondeo ex doctrinâ à me alibi traditâ circa actus intellectus sæpè contingere, vt licet ratio formalis assentiendi alicui veritati sit necessaria ad primum assensum, non tamen ad secundum aut tertium,sed intellectus per se excitatis speciebus assentiatur veritati ipsi sine vllo motiuo Sic, vt Primò noscam meum fratrem absentem obiisse, debeo accipere noua ab aliquo:at deinde cùm semel id credidi, sæpè cogito illum esse mortuum;& tamen non occurrit quis scripserit, aut, an id ex famâ,an ex intuitu ipso nouerim. Similiter vt personam aliquam iudicem esse suauem, aut è contrario cholericam, debeo induci aliquibus factis illius, aut aliorum testimonio fide digno; potest tamen fieri vt formato semel eo firmo iudicio cogitem sæpè, ille est cholericus, nec cogitem tunc an dicto alterius, an aliunde id nouerim. Hoc posito dico posse me asserere, *Nihil mihi debet Petrus*, non cogitando tunc quæ sit ratio; an quia satisfecerit, an quia ei condonauerim, an quia numquam me offenderit: volitio ergo condonationis potest esse talis vt dicat,*Volo iam Petrum vt omnino liberum à debito*

42. *Veritati semel cognitæ deinde sæpè assentimur sine vllo motiuo.*

Digitized by Google

bito iudicare, vndecumque id oriatur : iuxta quam explicationē non eſt neceſſarium vt illa ſit reflexa ſupra ſe, neque iudicium ſupra illam; & verò experientia ita manifeſtè in nobis oſtendit, quia ſæpiſſimè de illis, etiam, qui nobis aliquando fuêre debitores, dicimus deinde, nec quidem cū memoria præcedentis debiti, *Ille nihil mihi debet:* ergo iudicium abſtrahens ab eâ ratione formali, quia ego illi condonaui, poteſt eſſe obiectū illius condonationis Concludo ergo per eam dici, *Volo, vt etiam in poſterū cenſearis & à me, & à te, & ab omnibus nihil mihi debere.* Et de condonatione ſatis.

43. *Relaxatio voti pro obiecto habet, reputare venientē perinde ac ſi non voueriſſet, vel, non exigere à venie actum promiſſum.*

In relaxatione item voti eodē modo debet diſcurri, vel *vt* dicat, *Volo te iā ab hoc momento reputare perinde ac ſi non emiſiſſes votū:* ea enim reputatio eſt obiectum illius volitionis: poteſt etiā dici ibi obiectum eſſe, tum non exigere ab illo actum promiſſum; ac ſi diceret, *Nolo iam à te ratione voti emiſſi exigere vt ieiunes.* Replicabis: Hæc volitio ſtat ſine verâ relaxatione, ſicut ſtat voluntas non repetendi à Petro pallium meum; etiamſi non habeam veram volitionem illud ei donandi; ergo aliquid amplius debet in eâ volitione poni. Imò in donatione ſeu trāſlatione dominij videtur planè eſſe poſſe voluntas dandi alteri ius in pallium ſine vllâ volitione, nec quidē inefficaci, dandi illi re ipsâ palliū, ſed potiùs cum omni animo illud apud ſe retinendi: ergo ea volitio donatiua non habet pro obiecto phyſicam ipſam dationē, ſed ius in vſum pallij. Debet ergo ſemel explicari quid ſit illud ius: ſi autem hîc explicetur, eodem etiam modo poterit explicari in lege obiectū illius per volitionem auferendi ius quod quis habebat in aliquā actionē; nam poſitâ lege, iam illud ius periit: & eodem modo poterit in condonatione peccati diſcurri Reſpondeo cōſequenter ad dicta, eam volitionem eſſe ſpeciem quamdam ſeu ſimplicem affectum, per quem ita vult non exigere opus promiſſū, vt ſimul in actu exercito relaxet, ſeu remittat obligationē ad illud: ea autem ſpecialis voluntas explicatur per illud verbum, *Relaxo*; vnde nego poſſe eſſe relaxationem ſine vllâ omnino volitione terminatâ ad ipſam materiam voti.

Et ſimul in actu exercito remittit obligationem.

44. *Quomodo emiſſio voti non habeat pro obiecto ipſum votum.*

Dices: Eſto in ipsâ relaxatione voti locum habeat ea doctrina, in emiſſione tamen ipsâ voti nō videtur poſſe ſuſtineri: nam certum eſt poſſe aliquē velle vouere ſine animo rem faciendi: vt ſi quis in aliquo caſu metaphyſico ita eſſet obduratus in Dei odium vt diceret, *Facio votum caſtitatis non vt eam ſeruem vllo modo, ſed potiùs vt eo modo grauiùs contra Deum peccem:* ergo eo caſu dabitur votū ſine vllâ prorſus voluntate exequendi rem illam. Reſpondeo. Licet in voluntate reflexâ vouendi non videatur voluntas includi faciendi rem illam, ſed vouendi, mihi tamen videri ſummè difficile, vt paulò antè dixi, quòd poſſit eſſe vera promiſſio interior, qualis in voto includitur, & tamen non ſit vlla voluntas faciendi eam rem. Et reuerà quò magis hac de re cogito, minùs percipio, quod dum dico, *Promitto ieiunium, Vouco ieiunare,* non habeam volitionē vllam ieiunij. Secundò tamen reſpondeo, Si fortè alicui prior ſolutio non arriſerit, in voto eo caſu ab homine haberi pro obiecto ſpeciale odiū Dei in ſe, caſu quo non fuerit caſtus; ac ſi dixiſſet, *Volo, vt ſi caſtitatem violauero, Deus habeat in me ſpeciale odium propter eam actionem.* Etenim, vt diximus ſæpè, nec Deus poteſt hominem ſpecialiter odio habere; niſi ſpecialiter homo ipſe peccet; nec è contrario poteſt Deus nō ſpeciali odio proſequi hominem ſpecialiter peccantem. Et licet ea volitio ſeu votum ſit inadæquatè reflexū ſupra ſe, dummodò aſſignemus illi ſaltem partiale obiectum diſtinctum; nulla tamen inde ſequetur indecentia, vt paulò ſuperiùs aduerti. Ideò autem hîc id ſpecialiter noto, quia fortè quis repliearet, illud odium ſpeciale etiam fore reflexū ſupra ipſum votum; quod licet in dubiū reuocaret quis, poteſt tamen pro præſenti difficultate admitti: quantumuis enim ſit reflexum ſupra votū; diuerſum eſt ab ipſo voto; ideóq; ſufficit pro obiecto, voti: vt ſuprà dixi in ſimili de iudicio intellectus; quod dixi eſſe obiectum condonationis iniuriæ. Et ſatis de voto.

45. *Explicatur obiectū volitionis transferentis dominiū. Diſquiritur in quo ius dominij conſiſtat.*

In dominio præterea fortaſſe faciliùs res declarabitur, quia ibi ius conſiſtit in eo, quòd ſi ego contra voluntatem alterius comburam v. g. pallium aut lacerem, non faciā vlli iniuriam, id eſt, nemo prudenter contra me conqueri poterit, aut me obligare ad reſtitutionē vllam. Video rurſus adhuc ſic vrgeri poſſe: Totum hoc, quod eſt, neminē poſſe prudenter cōqueri, &c. nihil aliud eſt quàm alterum donaſſe mihi illud palliū; ergo ibi reperitur etiam hæc importuna reflexio, quæ nos ita vexat, vt ſolùm dicat ea donatio, *Volo vt ego ſim;* quandoquidem, Petrum non poſſe prudenter contra me conqueri, idem eſt ac donatum eſſe mihi pallium. Reſpondebis, ea duo non eſſe idem abſolutè; nam eſto Petrus mihi illud pallium non donaſſet, ſed ego vel emiſſem ab alio, vel à Deo accepiſſem, eodem modo eſſet meum quo iam; ideóq; nemo prudenter contra me conqueri tunc poſſet, ſicut nunc non poteſt. Sed contrà, quia licet in particulari neceſſarium non ſit illud palliū haberi à Petro v. g. tamē debeo vel ab illo, vel ab alio illud habere; vnde ſaltē vagè ibi fit reflexio ſupra hanc aut ſupra illā donationē vel emptionē; imò cùm hîc & nunc aliunde Petrus non habeat illud ius, neceſſariò dicendū eſt, volitionē eā eſſe reflexam determinatè ſupra ſe; vtpote quæ ſola dat ius illud: non enim dicit, *Volo vt ſit tuum pallium ex emptione aut donatione alterius,* ſed *ex hac meâ donatione.*

46. *Donatio qualiſnā ſit volitio.*

Meliùs ergo ad replicam reſpondetur eadem conſequentiā quâ ſupra, ſcil. etiam donationem eſſe volitionem quamdam illius vſus talem, quæ ex naturâ ſuâ ſpecificâ in actu exercito conſtituat alteram perſonam dominum. Quod enim dicitur in obiectione, poſſe donantem velle retinere apud ſe rem illam, probat quidem id quod ſæpè conceſſimus, ſcil. poſſe eſſe alteram volitionem efficaciorem de carentiâ eius vſus; vt in Legiſlatore oſtendimus; quia tamen illa, etiamſi in ordine ad vſum rei fortior ſit, non tamen eſt oppoſita volitioni donatiuæ in eo ſpeciali modo, ratione cuius hæc habet vim transferendi dominium, ideò adhuc hæc donatiua re ipsâ ſuum effectum præſtat; non aliter quàm volitio efficax, quâ habet latro dum ducitur ad patibulum; etſi in genere producendi ambulationem & cōſcenſum per ſcalas fortior ſit quàm diſplicentiâ in eâ viâ, & in eo per ſcalas aſcenſu; abſolutè tamen in genere denominandi illum quaſi moraliter voluntarium aut inuoluntariū longè minorē vim habet quàm diſplicentia in eâ volitione efficaci; omnes enim dicent illū magis diſplicere in eo aſcenſu, & erga illum minùs affici quàm erga contrarium; ideóq; vnā volitionem non tollere, quò minùs altera effectum, quem continet, communicet in actu exercito. Et licet quis vrgeat, ſe nullā ſentire

Digitized by Google

tire volitionem vsus ipsius externi pallij, quando dum donat pallium habet simul animum illud retinendi apud se; respondendum erit, eo ipso quòd experiatur in se volitionem donatiuam, in eâ formalissimè experiri eam volitionem vsus, cùm non possit ea volitio in alio quàm in hoc consistere: & certè eo ipso quòd dicat, *Volo te posse licitè vti eâ re pro tuo libitu*, iam habet volitionem vsus. Hæc solutio, quæ vniuersalis est ad omnes materias, mihi nunc occurrit; si faciliùs aliquis id potuerit declarare, libentissimè ei acquiescam.

Volitio donatiua alij formalissimè non est volitio eius vsus ab alio.

SECTIO VII.

Insinuatur alia solutio.

47. VT verò quis occasionè habeat discurrendi, aliam solutionem subiungam, quæ videtur tangere veritatem; aliquid tamen ei deesse crediderim vt rem penitus declaret; & ingenuè fateor, mihi non occurrere quid illud sit.

In rebus moralibus aliud esse fundamentū moralitatis, aliud ipsam formalem moralitatem, declaratur; Primò exemplo iurisdictionis

Diceret ergo quis, in his rebus moralibus aliud longè esse fundamentum moralitatis, aliud ipsam formalem moralitatem; non quia vtrumque non sit quid physicum; aut quia nos ponamus medium aliquod ens, quod nec physicum nec rationis sit, sed quia aliud est nostro modo concipiendi physicum fundamentū, in quo quasi fundatur moralitas, & in quod vltimò illa resoluitur; aliud verò id, quod nos formaliter vocamus ipsam moralitatem. Explico id in iurisdictione & pretio seu valore (potéstque eadem doctrina aliis materiis omnino applicari;) si enim physicum fundamentum, in quo iurisdictio consistit, quæramus, nihil aliud profectò inueniemus, quàm quod vel Deus voluerit Saulem v. g. eligere in Regem, vel certè ipsi homines eum elegerint: si autem deinde rogemus, in quo consistat formaliter ea iurisdictio, nemo recurret ad eam electionem à Deo & hominibus factam, sed dicet, consistere in eo, quòd Rex possit validè leges ferre, obligare, castigare, &c. Quòd si vlteriùs rogetur, quid sit posse iustè obligare, punire, hísve similia facere; respondebunt, vel ea omnia ita esse ex terminis nota, vt non possint ampliùs explicari; vel dicent, in eo consistere, quòd sit possibilis absolutè in eo homine volũtas non mala, id est nõ digna odio Dei, quin potiùs bona, & Deo placens, quâ puniat malè operantes, quâ quid, in hac vel illâ materiâ faciendum sit, præscribat. Quæ omnia iam non possunt ampliùs explicari, ex terminis enim videtur notum esse quid sit non peccare, non offendere Deum, non mereri odium illius, dum quis efficit hanc vel illam actionem. Idem in valore cernitur; non enim dubium, quin, quòd hæc pecunia huius sit valoris, proueniat quasi fundamentaliter ex voluntate Regis, aut Reipublicæ; si verò formaliter loquamur, nemo aliud dicet, quàm quòd illa perinde debeat æstimari, ac si reuerà haberet intrinsecè in se eum valorem; hæc autem æstimatio, quę est actus intellectus, nõ est formaliter ipsa volitio Regis vel Reipublicæ, sed aliquid distinctum, quodque potest haberi sine vllo iudicio reflexo supra illam volitionẽ: nullo enim modo cogitando de tali volitione dicere possũ, Pro meis vsibus hanc pecuniam perinde æstimo, ac si intrinsecam perfectionem vt octo v. g. haberet; & reuerà mihi in eo gradu vtilis est;

Secundò exemplo valoris pecuniarij.

Hinc fortè ad legem discurrere possumus, si dicamus, Legislatorem, dum prohibet, velle vt in ordine ad æstimationem humanam perinde se habeat res prohibita, ac si esset ex se & ex naturâ suâ mala; hoc autem, quod est perinde te habere, ac si esset naturâ suâ mala, fit quidem in actu exercito per eam ipsam legem, at formaliter aliquid est in ordine ad conceptus nostros quasi distinctum à lege, nempe iudicium prudentum de eâ malitiâ: in quo iudicio non est necessum includere reflexionem supra eam positiuâ legem; sufficit enim si illud dicat, *Hac res nunc perinde non est licita, ac si intrinsecam haberet malitiam.*

48. *Applicatur id legi.*

Replica.

Quòd si replices. vbi *nunc* idem esse ac dicere; *post prohibitionem*, vbi iam sit reflexio supra ipsã legem; respondeti potest, vbi *nunc* solum denotare tempus præsens: hæc tamen responsio violenta est, quia certum est, si non attendatur ad legem datam, non posse magis dici, licere aut non licere hoc tempore quàm priori, quàm futuro. Meliùs fortè respondetur, iudicium illud solùm dicere, non licere Petro non ieiunare: nam esto abstrahatur in eo à ratione seu causâ, vnde venit ea obligatio, sufficienter proponetur res illa, vt non possit amari sine peccato. Hæc item explicatio absolutè non placet, quia saltem in Deo debet esse distincta cognitio & volitio causæ, vnde ea obligatio prouenit; & consequẽter erit ea volitio omnino reflexa supra se. In creaturis item cùm volitio ea sit effectiua sui obiecti, seu eius licentiæ, aut è contrario carentiæ licentiæ, debet determinatè velle illud, à quo licentia aut carentia licentiæ prouenit; id autem formalissimè est ea ipsa volitio, ergo debet esse reflexa supra se. Propter hanc replicam dixi suprà mihi non omnino satisfacere hanc solutionem, ideò priorem absolutè defendo.

Occurritur replicæ; sed non satisfit.

DISPVTATIO III.

Quomodo lex debeat respicere communitatem ac auctoritatem publicam, per quam fertur.

EXPLICVIMVS obiectum actus legislatiui, iam conditiones necessariò illum comitantes explicandæ erunt; quod hac & sequenti disputatione præstabimus.

SECTIO I.

An lex debeat respicere communitatem.

QVærimus, vtrùm de ratione legis sit, vt feratur pro aliquâ communitate, an verò sufficiat, si pro vnâ tantùm personâ. Quæstionẽ hanc fusè aliqui tractant; & tamen re ipsâ purè est de solo nomine: de re enim cõstat, posse imponi mãdatum vni soli, quod verè illum obliget; constat posse poni duobus, tribus, posse item vni cõmunitati, &c. vtrùm autem solùm hoc mandatum, quod communitatem respicit, dicendum sit lex, an verò etiam illud, quod vnam tantùm personam, quæstio est purè de nomine; in quâ (vt in similibus dixi) attendenda est cõmunis acceptio.

Mãdatũ etiã vni soli dari potest.

Quia

Digitized by Google

Quia ergo communiter ferè omnes non vocant legem nisi illam, quæ communitati imponitur, esto aliqui auctores, maximè Canonistæ, contrarium videantur sentire, absolutè dicendum est, de ratione legis esse vt pro communitate aliquâ feratur. Vide P. Salas disp. 1. sect. 7.

Lex pro cõmunitate fertur.

2. Aduerto tamen Primò, multos textus adduci ad probandam hanc sententiã, qui efficaces non sunt: aliquos Suarez reiicit cap. 6. præcipuus autem est ex D. Isidoro lib. 1. Etymologiarũ ca. 21. vbi inter alias conditiones legis ponit, quod, debeat esse in bonum commune: quem textum P. Vasq. disp. 151. cap. 3. fusè conatur ostendere esse pro hoc intento: Suarez verò meo iudicio meliùs probat, ibi non tam agere Isidorũ de personis, quibus lex est imponenda, quàm de vtilitate, ad quam debet ordinari. Nec benè id reiicitur à Vasq. eò quòd ea vtilitas iã videatur declarata in τὸ *honesta*; meritò enim respondet Suarez ibi tantùm implicitè contentam, ideóq; debuisse magis declarari ab Isidoro, in quo ea honestas consistat. Secundò addo posse legem concipi honestam, etiamsi in vnius tantùm bonum ordinetur, dummodò non sit in detrimentum aliorum: ergo vtilitas communis non declaratur sufficienter per τὸ *iusta* seu *honesta*; nec quidem implicitè, vt ait Vasq. verum, vtrùm Isidorus implicitè an explicitè id dixerit, res est non magni momenti.

Textus quidã pro hac re minùs efficaces.

Lex, etiã in vnius bonũ ordinata, honesta esse potest.

3. Addit Suarez à n. 8. aliquos alios textus, quos reputat efficaciores, qui meo iudicio patum nobis fauent; vt, quòd Gregorius Nonus in Proœmio Decretalium dicat, *Ideò lex proditur; vt appetitus noxius sub iuris regulâ limitetur, per quam humanum genus vt honestè viuat informetur*; vnde inferri videtur, Ergo lex debet esse pro communitate. Respondeo tamen, certum esse, ad legem non requiri vt ad totum genus humanum extendatur; ergo Gregor. genus humanũ indefinitè accepit; ac si dixisset, per quam homo informetur; sine vnus ille sit, siue multi, quotquot scil. habent legem. Quòd item Aristoteles 6. Ethicorum dicat, ferre leges pertinere ad prudentiam; & lib. 1. Rhetoricorum cap. 4. dicat, salutem ciuitatis in legibus esse positam, planè nihil probat; nam etiam prudentia requiritur ad regendam vnam personam; & haud dubiè salus ciuitatis pendet à legibus: per quod non excluditur, quod vni particulari aliqua lex imponatur; imò, si leges etiam particularibus imponerentur, magis inde salus ciuitatis pẽderet; feliciùs enim omnia succederent, si etiam quilibet pro suâ particulari occupatione leges haberet.

Ex Aristotele nihil euincitur.

4. Obseruo Secundò, minùs benè ad probandam eamdem veritatem quæri rationes ex naturâ ipsâ desumptas: quarum primã adducit Suarez, quòd lex debeat esse perpetua; nisi autem communitatem respiciat, non potest habere vllam perpetuitatem. Secunda est, quia de ratione legis est, vt non pendeat ex vitâ Legislatoris: at præceptũ vni tantùm impositum cessat mortuo Legislatore. Tertia, quòd lex debeat esse regula & mensura operationis, id est, constituens materiam præceptam vt necessariam ad eam virtutem: hæc autẽ mensura debet esse generalis ex se & communis omnibus. Obseruo, inquam, minùs benè has rationes adduci; quia prima & secunda etiam nituntur quæstione de voce, an scil. solùm præceptum stabile, an verò etiam tẽporaneum debeat dici lex. Secunda verò etiã ex eo capite mihi displicet, quia non video, cur sicut potest Papa ita obligare vnam totam ciuitatem, quousque à successore reuocetur lex, non possit (si velit vti suâ potestate) obligare etiam vnum solum hominem.

Rationes ex naturâ desumptæ minùs probãt.

Papa sicut obligare potest totam ciuitatẽ, ita vnum solùm hominem.

5. Et verò post hæc à me scripta, admodum Reuerẽdus Pater noster Generalis Mutius Vitelleschus declarauit, præcepta particularia à quocumque Superiore imposita priuatę cuilibet personæ durare post mortem, aut ex officio depositionem Superioris mandantis, nisi reuocentur à successore; ergo non est contra naturã præcepti particularis duratio illa, quam in legibus hi requirunt.

Fortè respondebis, eo casu Generalem ad se traxisse præcepta illa, & quodãmodo se feciisse illorum auctorem, ideóq; non mirum, si illa durent, cùm duret eorum auctor. Sed contrà, Ergo mortuo Generali iam eo ipso deberent illa perire; hoc autem videtur absurdum, quia illa declaratio non est solùm ad vitam admodum Reuerendi nostri Patris, sed in futurum, nisi à sequente Generali reuocetur; non potest autem illa esse per modum legis, quia illa attractio eorum præceptorum ad personam Generalis neminẽ potest ex nobis obligare, sed solùm Generalẽ; quia ille solùm ad se trahet ea præcepta; non potest autem vnus Generalis legẽ facere in Generalem sequẽtem, quia respectu illius non est superior, sed æqualis. Constet ergo durationem illam non soli legi conuenire. Neque in contrarium vrget quod obiicit P. Vasq. suprà n. 16. ideò legem durare post mortem Legislatoris, quia illa lex lata est nomine totius cõmunitatis, quæ adhuc durat post mortem Legislatoris; præceptum verò particulare, si pœnale non est, non durare, quia solùm est nomine ipsius Principis. Hæc, inquam, obiectio mihi videtur planè non subsistere, quia, relinquamus nomina hoc debet apud omnes certum esse, communitatem eligentem aliquem in Regẽ, non solùm in omnes simul sumptos, sed in quẽliber seorsim dare illi iurisdictionem, & re ipsâ ab eâ iurisdictione prouenire, quòd omnes simul dirigat, & quòd vnum in particulari; & non nisi ex eâ iurisdictione à communitate concessâ prouenire, quòd possit hunc in particulari vrgere. Quod vel inde confirmatur, quia certum est, omnes homines non esse nisi Petrum & Paulum & Ioannẽ: quòd si Respublica dedit illi iurisdictionem, vt possit Petrũ dirigere, quando simul Ioannem dirigit, etiam dedit, vt dirigat Petrum, licet non dirigat Ioannẽ, eò quòd hic fortè tunc specialiter non indiget. Quæ ratio mihi ex terminis videtur nota. Fortè diceret quis, illũ in Petrũ agere ex iurisdictione in ipsũ concessâ nõ à tota cõmunitate, sed à solo Petro: verùm id falsum omnino est, quia non dedit quilibet iurisdictionẽ in se tantùm, sed omnes per modum vnius dederunt illi in omnes & in quemlibet in particulari.

Communitas eligens Regẽ nõ solùm dat ei iurisdictionẽ in omnes collectiuè, sed & in singulos in particulari.

Omnes per modũ vnius dant Regi iurisdictionẽ in omnes, & in quẽuis in particulari.

Secundò, esto id verum esset, argumentor sic, Etiam mortuo eo, cui data est ea iurisdictio, quia tamen manet communitas quæ dedit, durat lex; quare, quæso, non durabit particulare præceptũ, quandoquidem etiã durat illa persona, quæ iuxta dicta, dedit in se iurisdictionem; etiamsi mortua sit persona, quæ præceptum posuit? ex quo capite non solùm reiicitur hæc responsio, sed tota doctrina P. Vasquez.

Præceptum particulare durat etiam mortuâ personâ qua illud dedit.

6. Idem dico de alterâ ratione, quã insinuat idẽ auctor, quòd scilicet propterea duret lex, quia non vnius, sed commune bonum respicit: dico inquam, idem, quia si ideò durat, quia respicit bonum

Infirmatur alia ratione Suarez & Vasquez.

Digitized by Google

bonum communitatis durantis; ergo cùm etiam illud præceptum particulare ordinetur in bonũ subditi, qui adhuc durat post mortem mandãtis, adhuc durabit eius vis. Et hæc de secundâ ratione Suarez & Vasquez. Tertia item non plus vrget, quia etiam particulare præceptum dirigens vnum Religiosum v. g. ad perfectionem, debet esse norma & regula. Quod item dicitur de cõstitutione materiæ legis vt necessariæ ad virtutem etiam displices; tum quia ipsemet P. Suarez c.4. num. 9. dixerat id non esse necessarium ad omnẽ legem; tum quia si lex eam materiam facit necessariam, etiam particulare præceptum faciet: neq; vllus poterit ostendere, cur, si toti ciuitati imponatur ieiunium, dicendus sit intemperans, qui non ieiunauerit; si verò vni soli imponatur, non sit intemperans, si non ieiunet: fateormeam tarditatem ingenij, nec apparentem huius rei disparitatem posse inueniri.

Auctoritate solâ hæc quæstio decidi potest.

Constet ergo, in quæstione de voce frustrà ad has rationes recurri, frustrà item rationes in cõtrarium adduci; cùm res tota decidenda sit ex solâ communi hominum acceptione, qui vocẽ *lex* non vsurparunt ad significandum præceptum vni personæ tantùm, sed multis impositum: cui communiori acceptioni non obest, quòd pauci aliqui contrariè sentiant: sæpè enim diximus, in quæstionibus de solo nomine communiorem sententiam præferendam semper esse.

Qui omne, quocumque modo præcipit Imperator, sit lex.

Obijcies: Lege 1. ff. de constitutione Principũ. dicitur, Omne, quocumq; modo Imperator præcipit, esse legem, intelligendum est lato modo quoad vim obligandi: quo sensu fortè explicari possunt illi pauci, qui particularia præcepta leges vocant.

7. *Communitas variè sumi potest*

Secunda difficultas, quæ ex præcedenti oritur, est, quanta & qualis debeat esse communitas, cui potest imponi lex. Rursus hîc noua quæstio de voce; etenim in acceptione eius termini *communitas* tota est difficultas; habet enim summam latitudinem; nam & significat totum genus entis realis, etiam includendo Angelum & Deum, respectu cuius mendacium, periurium, &c. lege naturali prohibetur: accipi rursus potest pro solis creaturis rationalibus; Tertiò pro solis hominibus; Quartò pro eâ communitate, quæ per se extendi possit in aliquo sensu ad totum mundum; vt est religio Christiana; & casu quo vnus esset temporalis dominus totius orbis, posset totus hic dici vna Respublica; Quintò, magis determinatè, ad vnum Regnum; Sextò, ad vnam communitatem, oppidum vel pagum; Septimò, ad cœtum aliquorum abstrahentium à loco, vt ad Confraternitates & Religiones; Octauò & vltimò, ad vnam domum.

8. *Dominus domus legem propriè ferre nequit, &c.*

Suppositis his omnibus significationibus, quę ex illis communitatibus sufficiat aut requiratur, vt præceptum ei impositum dicatur lex, quæstio est de solâ voce; in quâ tenendus est communis vsus loquendi: Primò, dominum domus non posse propriam legem ferre; quia eius communitas est valdè imperfecta, nec habet quasi publicã auctoritatem, imò nec veram iurisdictionem in suos: deinde, quia æquiuocis quasi titulis ei subsunt partes familiæ; etenim famuli non eo titulo quo filij, neque hi eo quo vxor, neque mancipia eo titulo quo cæteri: ergo non habet vnam veram rationem communem, quæ ad leges ferendas sufficiat.

Domini aliarum communitatum propriè legem ferunt.

Secundò dicendum est, in reliquas communitates omnino propriè ferri legẽ ita ex acceptione communi: nam etiam de vnâ Confraternitate, quæ minima, videtur esse inter omnes, passim ita loquimur, *Quæ sunt leges huius Confraternitatis; Non seruantur leges talis Confraternitatis.* In quâ resolutione, vt in præcedenti, nõ est alia ratio quærenda quàm modus communis loquendi.

Tertiò tamen inquiri potest, vtrùm ita debeat lex respicere communitatem, vt necessum sit omnes ex illâ obligari, an verò possit vna sola pars ciuitatis Ecce rursus de voce quæstionem; in quâ non desunt, qui dicant necessariò legem debere esse vniuersalem; nihilominùs tamen, stando eidẽ acceptioni communi, videtur cõtrarium certum; nam etiam pro vnâ solâ personâ, loquendo intra vnam communitatem, vt in exemplo allato Confraternitatis & Religionum dicimus, Hæ sunt leges Rectoris, Confraternitatis, vel Collegij, hæ leges Secretarij, hæ Consiliariorum, &c. Vnde si in ciuitate sint multæ nationes aut sectæ, v.g. Itali, Hispani, aut hæretici, Catholici, Iudæi, &c. ferri potest lex pro solis Italis, alia pro Hispanis, imò & fortè pro vnâ solâ domo; vt scilicet illa sola teneatur hoc vel illud onus subire; ita tamẽ vt illud onus non solùm indiuiduam personã de facto ibi commorantem respiciat, sed etiam omnes in futurum quotquot ibi habituri sunt: & idem dico in exẽplo posito Rectoris, Secretarij, &c. nam per hanc perpetuitatẽ ad successores in officio ea lex dicitur habere vniuersalitatem requisitam. Addo tamen vltimò, nec necessum esse, vt omnes personas totius domus comprehendat; sufficit enim, si vel vnicam, v.g. dominum domus, aut vnum famulũ obliget lex. Quibus omnibus apparet ad quas angustias reducatur ea vniuersalitas, quam pro legibus in primo dubio requirunt auctores communiter; & quam parui momenti sint rationes pro eâ sententiâ allatæ de prudentiâ, de medio virtutum, &c. quandoquidem etiam respectu vnius personæ potest esse lex, dũmodò sit perpetua, & ad successores eius personæ extendatur, vt dixi; vbi tamen non minùs deficit ea ratio virtutis & prudentiæ, quàm si lata fuisset solùm ad vitam illius: quo casu in sententiâ Suarez eis rationibus vtentis nulla esset lex; sed frustrà in quæstione de voce rationes ex naturâ rei exçerptæ quæruntur.

9. *Legem pro certâ parte communitatis ferri posse exẽplis comprobatur.*

Lex non necessariò omnes totius domus comprehendit.

SECTIO. II.

Quomodo lex debeat ferri in bonum commune.

10. *Legem esse communẽ & in bonũ publicum ordinari sunt diuersa.*

QVærimus, vtrùm de ratione legis sit, vt in bonum commune feratur: pro quo aduerte, non esse idem, legem esse communem, & ordinari in bonum publicum, neque è contrario: etenim in bonum vnius personæ possunt obligari omnes ciues, & in bonum omnium posset vnus tantùm: iã ergo, explicatâ vniuersalitate ex parte obligatorum, videndum etiam, an ex parte boni ex lege secuti debeat esse vniuersalitas. Hæc etiam difficultas ferè tota est de nomine; etenim dubitare nemo potest, possibile esse mandatum aliquod in bonum vnius, dummodò alijs non noceat. Dico, *dummodò alijs non noceat*, quia si noceret, esset iniquum, & consequenter non obligaret. Possibile item est aliud mandatum, quod ordinetur in bonum commune; quærere autem, quod ex his duobus præceptis seu mandatis dicendum sit lex, quis non videat quæstionem esse de voce?

Vt possibile est lex in bonum vnius, ita & in cõmune.

Digitized by Google

Dixi tamen aduertenter *ferè tota*; nam de re ipsâ moueri fortè posset quæstio, vtrùm scilicet in bonum vnius tantùm possent obligari omnes ciues; siue ea obligatio dicatur ex lege, siue ex præcepto prodire: quam difficultatem paulò pòst explicabimus.

11. *Cur lex dicatur in bonũ commune ordinari.*

Circa præcipuam verò, & quæ est de nomine obserue, Patrem Vasquez disp. 151. num. 21. ita explicare eam vtilitatem communem, vt planè confundat illam cum priori conditione; ait enim expressè ideò legem dici ordinari in bonum cõmune. nb quòd vtilitas ex eius obseruatione secuta sit cõmunis, sed quia omnes obligat: in quo sensu dicit, legem de tuendâ vitâ, de dandâ eleëmosynâ esse in vtilitatem communem: nam licet bonum secutum solùm sit in fauorem pauperis, quia tamen omnes obligantur ad eleëmosynam datis circumstantijs requisitis, ideò ea eleëmosynæ lex dicitur in bonum commune; ideò miror à Patre Salas sect. 8. pro contrariâ sententiâ Vasquez citari. Fundamentum illius est; nam per hoc, quòd lex ordinetur in bonum commune, differt à præcepto; atqui bonum secutum ex adimpletione esse commune conuenit etiam præcepto: vt si Princeps malefactori imperet exilium, certè eius obseruatio in bonum cedit communitatis; & tamen mandatum illud non est lex; ergo *tò in bonũ commune*, quod est differentia legis à præcepto, solùm denotat, quòd debeat omnibus imponi.

12. *Lex vtilitatem communem exigit; præceptum secùs.*

Ego sanè, cùm simus in quæstione de voce, & tam diuersa sint hæc duo verba, *Præcipio omnibus*, &, *Præcipio in bonum omnium*, miror, ea duo in vnum à Patre Vasquez confundi: ad rationẽ ipsius respondeo in eâ particulâ etiam differre legem à præcepto, quia lex necessariò exigit vtilitatem illam communem, præceptum verò non exigit. Secundò respondeo, non esse necessum, vt omnes illæ particulæ sint loco differentiæ, cùm ad id vna sufficiat; ea autem est, *Quòd lex debeat communitati imponi*; quo differt à præcepto: quod autem ordinetur ad bonum commune, erit illi essentiale, vt diximus, etiamsi conueniat præcepto alicui particulari. Iam ergo eius conditionis vero sensu explicato, dico cum communi, necessariò legem ordinari in eam vtilitatem: ita enim omnes ferè accipiunt vocem *illã lex*. Vide Patrem Suarez, c. 7. vbi eâ de re fusè agit, & multa citat auctorum testimonia; plura apud Patrem Salas sect 8.

Quid sit in bonum commune legem ordinari fusiùs excutitur.

Obseruo tamen Primò, multa ex illis esse parũ efficacia; nam in pleriſq; solùm dicitur cõmunitatem benè dirigi per leges; aliud autem est, communitatem benè dirigi per leges, aliud, leges solã cõmunitatem respicere; perinde ac aliud est dicere, *Petrus benè docetur à suo Professore*; aliud verò dicere, *Professor docet solum Petrum*. Secundò obseruo, in ipsâ explicatione boni communis talem iterùm fieri quæstionem de nomine, vt nec in dubium quidem vocari possit, an lex debeat respicere bonũ commune; etenim laxissimè illud bonum cõmune accipitur; ac sanè adeò, vt quidquid in bonum vnius sit, dicatur esse in bonum commune: quo sensu sine dubio gratis disputatur, vtrùm lex sit in bonum commune. Ostendo id clarè; nam si bonum sit commune omnibus ciuibus, iam ibi clarè constat esse cõmune; si verò sit proprium ipsius Regis, tunc dicitur etiam commune, quatenus Rex est persona communis, & dirigit communitatem: si sit speciale vnius ciuis, tunc etiam à Patre Suario & alijs dicitur bonum commune, quatenus bonum vnius membri est bonum totius hominis, seu totius communitatis; vel quatenus ex fauore vni familiæ ob merita specialiter facto, alij animantur ad eiusmodi facinora aggredienda. Vides, iuxta acceptionẽ nihil aliud esse ordinari in bonum commune, quàm ordinari in bonum alicuius è ciuibus; quia inde denominatiuè & remotè dicitur in bonum communitatis ordinari.

14. *Lex tendit in bonum commune, eo ipso quo est honesta & iusta.*

Vnde, vt, vitatis modis loquendi, rem ipsam clariùs explicemus, dico, eam conditionem includi formalissimè in hoc, quòd lex sit honesta seu iusta; nam præcedenti Tomo agentes de primâ radice bonitatis & malitiæ moralis ostendimus eam desumi ex conformitate aut contrarietate cum naturâ rationali; hæc autem conformitas est (vt sic dicam) vtilitas, quam obiectum affert naturæ rationali; contrarietas verò est è contrario damnum, quod affert: ergo legem esse in vtilitatem, seu de obiecto vtili naturæ rationali, idem omnino est, ac debere esse de obiecto honesto. Rursus autem ibidem dixi, eam vtilitatem non considerari respectu vnius tantùm personæ, sed absolutè, seu quasi omnibus pensatis. quòd hoc modo declaro: Natura rationalis re ipsâ nihil aliud est quàm Petrus, Paulus, ergo, &c. nec debemus aliquid abstractum ab omnibus considerare: si ergo cõsideremus furtum vt in hoc indiuiduo, sicut est in damnum Petri, cui res aufertur, ideóq; dicitur esse contra naturam rationalem; ita è cõtrario est in bonum Ioannis furantis: qui cùm non minùs sit naturâ rationalis quàm Petrus, nõ minùs videtur facere dum furatur in bonum naturæ rationalis, quàm è contrario in malum naturæ; cur ergo dicimus illud furtum esse contra naturam rationalem? aut quâ, quęso, agnoscimus, naturam à Petro & Paulo distinctam, cui magis sit contrarium quàm fauorabile? In hoc & similibus casibus ac alijs omnibus materijs diximus non ponderandum ad eam rationem honestatis vnum vel alterum casum, sed quæ alia damna contra eosdem homines afferre illa obiecta possint: quia ergo furari rem alienam & rixatum & odiorum causa per se est, & turbationem incredibilem in Rempublicam afferre potest, diximus illam esse per se malam etiam physicè, id est malorum physicorum causatricem esto respectu Ioannis furantis, & Petri, à quo ea res hîc & nunc accipitur, æquale sit & damnum & vtilitas; hanc diximus ibi esse genuinam eius conformitatis & oppositionis declarationem, per quam res ad prima principia lumine naturæ nota reducitur.

Idem est in lege vtile quod honestum.

Cur furtum dicatur esse contra naturam rationalem:

cur sit per se malum.

15. *Lex communitati imposita, eo ipso quòd iusta sit, bonum eius respicit.*

Ex hac ergo explicatione eodem omnino modo in præsenti discurrendum censeo, dicóque legem communitati impositam, eo ipso quòd iusta sit, necessariò, respicere commune bonum: nam hoc nihil aliud est, iuxta explicationem & reductionem Suarez & aliorum, de quibus suprà, quàm quòd, omnibus pensatis, plus afferat Reipublicæ vtilitatis & boni quàm damni: nam si ciuis aliquis, cæteris nõ læsis, dicatur, honoratur, manifestum est, plus vtilitatis id afferre quàm damni; imò damnum nullum est: hoc autem formalissimè in meâ sententiâ est, esse honestum obiectum: & hoc vocat Suarez ordinari in totius communitatis bonum; & quidem meritò. Vides ergo ea duo esse idem. Hinc etiam prouenit, vt ipsum punire reum, soluere vectigalia, &c. dicat esse in vtilitatem communem; quia affert, omnibus pensatis, Reipublicæ maius bonum, & non debet vnius aut alterius malum præualere.

Verùm

Digitized by Google

16. *An liceat innocentè spoliare vel occidere in bonum commune.*

Verùm dices, Ergo licebit directè per legem vnum innocentem spoliare suis diuitijs, vt omnes ditentur; qu iatunc maius sit commodum quàm damnum: multi enim ditantur, vnus verò tantùm depauperatur: imò licebit illum directè occidere, si aliorum salus inde pendeat; hoc autem videtur absurdum, ergo. Respondeo Primò obiectionem hanc non esse ad rem, quatenus agimus de lege: nam neque per legem, neque alio modo licitum est illud obiectum. Secundò respondeo negando consequentiam; nam licet in eo casu particulari fortè sit maius illud commodum, iam dixi paulò antè non esse attendendum solùm particularem casum, sed id quod per se natum est inde oriri; quia ergo grauissima inde mala per se sequi possunt, eadem ferè quæ ex furto, ex nece verò adhuc graviora; vt quòd passim conspirarent contra innocentem duo vel tres, diceréntq; *Nisi illum occidatis, inferemus vobis grauia damna*, &c. ideò absolutè ea, de quibus in obiectione, illicita sunt. Quæ ratio eodem modo applicari potest ad defensionem propriæ vitæ contra iniustum aggressorem. de quo alibi. Constet ergo, legem semper debere esse in bonum commune, quatenus omne honestum debet esse ex se bonum commune.

Qui lex debeat esse in bonum commune.

17.

Dices: Si Rex Galliæ vellet benè facere alicui sibi non subdito, nec apud se existenti, haberet pro obiecto rem honestam; quia benefacere etiã hosti honestissimum est; & tamen in illud bonum non potest ferri lex; ergo legem esse de obiecto iusto, & esse in bonum commune, non est idem. Respondeo, me iam supponere, legem debere esse in bonum alicuius ex eâ communitate cui lex imponitur; propterea enim dixi suprà ita ab auctoribus explicari illud bonum commune, vt idé sit ac bonum cuiuslibet ex ciuibus; quòd autem

Cur ob bonũ externum præcisè nequeat ferri lex.

ob solum externum bonum non possit ferri lex, prouenit ex defectu quasi iurisdictionis; quia ad id nullam accepit Princeps à suis subditis: & siue Deus immediatè dederit Regi iurisdictionem, siue eam acceperit ab ipsâ communitate, certum est, eam non ordinari nisi ad bonum subditorum: Deus enim constituens aliquem vt Regem huius tantùm populi & non alterius, non dat illi iurisdictionem nisi ad ea quæ ad hunc populum spectant: certius autem id est, & faciliùs intelligitur, quando ipsa communitas eligit, non enim præsumitur illa dare iurisdictionem pro re aliquâ, quæ nullo modo ad ipsam spectat.

Lex non nisi ad bonũ subditorum ordinatur.

18.

Dices, Esto lex non sit vtilis, dummodò non sit nociua Reipublicæ, debet seruari, vt sentiunt nonnulli; ergo non requiritur ea communis vtilitas. Confirmatur: Si hæc requireretur, posset subditus, cessante omnino vtilitate, non seruare legem, esto nondum esset reuocata; hoc autem videtur absurdum, ergo. Respondet benè Pater Salas suprà cum communi ad obiectionem, legem de re indifferenti non esse verè legem, quia iniusta est: iniustum enim est grauare subditos legibus ob rem quæ caret vtilitate. Video hîc replicam difficilem, de quâ infrà disputatione sequenti sectione 1. quia magis propriè illuc spectat. Ad confirmationem dico, Si subdito clarè de eâ vniuersali vtilitatis carentiâ constet, & scandalum non sit, posse ei legi non obedire. in quo nullum absurdum est. Dixi, *vniuersali carentiâ*; nam, vtrùm sufficiat in casu particulari cessare vtilitatem, vt propterea cesset obligatio, dicetur fusè inferiùs.

Cur lex de re indifferenti non sit verè lex.

SECTIO III.

Aliqua dubia ex dictis orta explicantur.

PRimum est, quid si, quando Rex legem imponit, ea est inutilis, & antequam reuocetur, iam ea materia est facta vtilis, an tunc obligare incipiat vi prioris institutionis. Menchaca apud Patrem Salas num. 51. docet, incipiente vtilitate incipere valere. Ipse verò Salas docet, eam legem valuisse ab initio, pro futuro tamen tempore. In quo mihi non videtur Salas re ipsâ à Menchacâ differre; nam idem omnino est dicere, Lex heri obligauit pro actione hodie exercendâ, ac dicere, Lex heri lata hodie obligat ad actionem hodiernam: cùm enim heri nullam obligationem induxerit de præsenti, non aliter potuit heri dici obligans pro hodiernâ die quàm ex denominatione extrinsecâ obligationis hodiernæ, quę heri denominabatur futura: hanc autem denominationem non negat Menchaca; nihil ergo contrarium illi docet Salas, vt ipse purat eo loco. Ego in hac quæstione putarem necessariam esse distinctionem: vel enim Rex aduertit vtilitatem futuri temporis; vel iudicauit tam de præsenti quàm de futuro se respicere materiam inutilem: si primum, crediderim ab initio legem illam fuisse validam, non tamen obligasse pro tempore præcedente, sed perinde se habuisse, ac si hodie ferret Rex legem de re faciendâ post vnum aut duos annos: quod enim illi legi apposuerit partem inutilem, non reddidit eam ex integro inualidam, sed præcisè quoad illud punctum. Quòd si Rex iudicauit materiam illam esse inutilem, & posteà per accidens reddita est vtilis, putarem ab initio eam legem fuisse inualidam, ideóque, nisi de nouo feratur, non obligare etiam posteà aduenientе vtilitate. Ratio est, quia ea lex tunc fuit per se iniusta; quia, quantum tunc poterat iudicari; de futuro etiam credebatur inutilis; quòd verò posteà per accidens facta sit ea materia vtilis, videtur planè per accidens ad tempus præcedens. Id patet hoc exemplo, Si Legislator habens alium altiorem se, & aduertens aliquid esse ab eo altiori Legislatore prohibitum, ac putans eam prohibitionem duraturam, vellet ferre legẽ, quâ obligaret ad amplectendum illud obiectum prohibitum; nemo diceret; hanc legẽ esse ab initio validam; esto post annum, & præter spem, & præter huius intentionẽ, puro casu, Legislator supremus auferret eã prohibitionem, & consequẽter iã materia legis esset capax obligationis; ergo idẽ erit in nostro casu dicendũ, quia planè est eadẽ ratio, vt ex terminis patet: quod enim ibi dico de iniustitiâ præsenti, hîc dico de carentiâ vtilitatis, quæ, vt dixi, etiam arguit in lege iniustitiã.

An lex primùm inutilis, posteà facta vtilis, obliget vi prioris institutionis.

19.

Resoluitur dubium distinguendo.

20. *Probatio.*

Confirmatur.

Dices: Intentio Legislatoris non facit ad rem, dummodò id quod mandatur sit in se iustum; vnde si ipso credente rem esse inutilẽ, esset de præsenti vtilis, verè obligaret; ergo quòd ipse iudicauerit fortè rem inutilem, non magis facit inualidam legem, quàm si præuidisset vtilitatem futuram: malè ergo nos diuersimodè in vno & altero casu discurrimus. Respondeo, Licet intentio sola non impediat, quando de præsenti materia legis est in se capax, & incipit obligare; tamen quando de præsenti materia est incapax, & putatur etiam futura incapax, tunc lex esto promulgetur, nõ acceptatur moraliter tamquam omnino iudicata iniusta; ideóque necessum est, vt posteà, quando præter opinionem

Obiectio.

21. *Solutio.*

Digitized by Google

materia transit in iustam de nouo ea lex feratur: quòd si ab initio agnoscatur futura eius vtilitas successu temporis, agnoscitur tamquam vera lex saltem ex eo capite; ideóque de præsenti acceptatur, & postea suo tempore incipit obligare sine nouâ repetitione.

An, & quomodo siue per legem, siue per præceptū possit mandari communitati, quod nō cedat nisi in bonū vnius.

Ex dictis verò soluitur alterum dubium quod suprà dixi fortè esse de re ipsâ, vtrùm scilicet per legem aut per præceptum possit mandari aliquid communitati, quod tamen non cedat nisi in bonum vnius tantùm. Deciditur, inquâ, ea quæstio, nam si ille vnus pertineat ad communitatem ipsâ, iam ostendi eo ipso, reductiuè saltem, quod est in bonum illius dici in bonum totius cōmunitatis; si verò ille vnus sit extra communitatē, & ad illam moraliter non pertineat, dixi non posse nec legem nec præceptum imponi ex defectu iurisdictionis. Difficilem obiectionem contra hanc doctrinam tangam disputatione sequenti sect. 1.

22. Tertium dubium desumitur ex instantijs quæ fieri solent ad probandum, non omnem legem ordinari in bonum commune; nam & lex de dādâ eleëmosynâ, & illæ aliæ quæ respiciunt cultū Dei, videntur ordinari in priuatum bonum Dei, & pauperis. Respondet huic difficultati Pater Suarez, per legem omnem Deum intendere etiā nostram æternam salutem, & bonum quod ex obseruatione eius legis resultat; ego tamen, licet id de facto vt omnino certum supponam, per se loquendo non iudico necessarium; nam potest Deus ob solam suam gloriam, non attendendo nostrum bonum, ferre leges saltem diuinitus: & esto per impossibile nullum haberet præmium, quod nobis daret, teneremur tamen ei obedire: denique per hoc non respondetur legi de eleëmosyna, quatenus fertur in solum bonum pauperis. Crediderim faciliùs posse responderi, si dicamus, etiam tunc temporis eas materias esse in actu exercito bonum maximum nostrum: nam opera virtutis independenter ab alio præmio maximè nos perficiunt; lex autem non requirit vt Legislator intendat vtilitatem directè; sufficit enim, si sciēs esse subditis vtilem legem eam imponat, licet motiuū formale sit propria vtilitas. Quam doctrinam benè tradit Suarez ibi num. 6. ex Augustino lib. 1. de Libero arbitrio cap. 5. Addit, etiamsi malo animo lex sit lata, dummodò sit de re in se bonâ, esse veram legem; potest enim illi subditus obedire sine eo malo intento; multò ergo meliùs habebit locum quando honestissimus finis est, esto ille non sit in bonum subditi; si tamen simul bonum illius in eâ materiâ reperitur. Tertiò posset responderi, Esto Deo, qui, simul habet verum & rigorosum ius dominij in nos, possit concedi potestas ferendi legem sine nostrâ vtilitate, ita vt licet nullo modo, nec quidem in actu exercito, res illa esset bonum nostrum, posset ad eam nos legibus obligare; in alijs tamen Legislatoribus, qui carent eo iure, non esse eam vim admittendam. Ratio est clara, quia dominus quà talis non tenetur bonum subditi intendere, sed vtitur re suâ prout vult; in hac enim potestate consistit dominium; at Legislator purus solùm ad politicam gubernationem ciuium ius habet, ergo non potest ea facere quæ non sunt in bonum ciuium.

Deus potest ob solam suā gloriam ferre leges.

Lex etiam malo animo lata dummodò sit de re in se bonā, vera est.

Legislatores alij non possunt ferre legem nisi in bonū subditorum.

Lex de eleëmosynâ quomodo in commune bonum ordinetur.

Hæc quoad leges Dei; quoad illam verò de eleëmosynâ dicimus mediatè ordinari in bonum commune; vt scilicet; si ipse, qui nūc dat eleëmosynas, casu postea indigeat, quod frequenter contingit, etiam subleuetur. Deinde respectu eius legis naturalis omnes reputantur vt vnam Rempublicam constituentes; & consequenter bonum vnius reputatur alterius, vt suprà dixi de membro respectu totius corporis.

24. Quartum dubium, an qui est Rex duorū Regnorum inter se disparatorum, vt v. g. Hispanus, qui & Hispaniam & Americam habet, possit vni ex illis Regnis leges imponere in fauorem præcisè alterius? Respondetur communiter non posse, quia cùm ea duo Regna inter se non faciant vnum corpus, sed per accidens quodammodò se habeant, non potest censeri dedisse iurisdictionē ob vnum Regnum contra se in fauorē alterius; limitandam tamen censeo hanc resolutionem, vel certè explicandam eam particulam, *Præcisè in bonum alterius*; nam sæpè bonum huius Regni pendet à potentiâ Regis; huius verò potentia pēdet etiam ab altero disparato Regno; vt si v. g. America defēdatur ab hostibus, inde Rex Hispaniæ magnos accipit prouentus; & communiter vectigalia in Hispaniâ ipsâ minuere poterit, vel minus de nouo exigere ad sui splendorem: in hoc casu, quia bonum Americæ indirectè in bonum Hispaniæ ordinatur, benè poterit tunc grauari Hispania in bonum Americæ: difficilius videtur, an id possit fieri, quando ex altero Regno nullum aliud emolumentū prouenit, quàm quòd potentior sit Rex; si v. g. Hispanis ipsis nullum planè commodum oriretur ex Americâ, an tunc iustè possent Hispani grauari, ne Rex amitteret Americam. Et ratio dubitandi est, quia tunc temporis solùm videtur illud grauamē respicere priuatum commodum; quòd scilicet Rex sit gloriosior & potentior. Quòd si respondeatur potentiā maiorem Regis etiam redundare in bonum Regni; Contrà, quia si hoc semel admittatur, impertinenter videtur caueri, ne Rex ob proprium solum commodum leges condat: etenim repugnat tale proprium præcisè commodum; nam eo ipso quòd sit cōmodum Regis, erit, iuxta explicationem datam, commodum totius Regni, & consequenter sufficiens ad cohonestandam legem. Respondeo, obiectionem esse satis difficilem; & re benè perpensâ, satis probabile videri, non posse eas leges ferri. Quid enim ad Hispanum ciuem, quòd Rex ipsius dicatur Rex Americæ, si, præter hanc puram denominationem, nullum aliud inde commodum accipit; neque magis ideò tutus, magis diues euadere potest? Confirmatur, quia ex contrariâ doctrinâ sequeretur (supponamus alioquin posse alia Regna licitè inuadi) quòd vt Rex ille occuparet semper noua & noua Regna sine aliâ necessitate, solo eo animo, vt ipse gloriosior esset, posset nouis legibus, tributis, &c. grauare suum antiquum Regnum. id quod videtur planè absurdum. Ratione à priori posset idem confirmari; nam si à Republicâ accepit potestatem eam legislatiuam, non potest hæc dici voluisse contra se pro prædictis casibus auctoritatem concedere; & idem est, si illam accepit à Deo: non enim eam illi dedit Deus in destructionem subditorum, sed in ædificationem. Et sanè ex communi sensu idem vrgetur; nam in prædicto casu planè videtur esse purum putum commodum proprium Regis, nullo verò modo Regni: ob priuatum verò solùm omnes censent non licere Regibus leges ferre. éstque expressè ex mente Isidori, Augustini & aliorum Patrum apud Salas & Suarez suprà. Aduerto tamen me dixisse, si nullum inde aliud bonum pro ciuibus oriatur quàm maior

An, & quando Rex disparatorum inter se Regnorū possit vni leges imponere ob fauorē alterius.

25.

Tales leges à tali Rege ferri nequeūt si solus Rex commoda inde ferat.

26. *Ratio huius à priori.*

ob priuatum commodum Rex leges ferre nequit.

Digitized by Google

maior ea gloria Regis. Nam si inde sequatur, quòd vel Catholica vel Christiana religio magna accipiat incrementa, non possunt rationabiliter censeri inuiti subditi; nam Deus, à quo prouenit omnis iurisdictio, censetur in eo casu id maximè approbare. Sed de iure belli alibi fusiùs agitur; satis hæc in communi.

Sectio IV.

An sit de ratione legis prodire ab auctoritate publicâ.

27. DE hac conditione fusè Suarez cap. 18. & Salas sect. 9. mihi tamen, suppositis his quę diximus, nulla videtur esse difficultas: cùm enim lex debeat esse communis, id est obligans communitatem, nemo autem obligare communitatẽ possit, nisi qui habet auctoritatem publicam, seu iurisdictionem suprà eam communitatem, certũ videtur, legem debere à tali auctoritate prodire. Et quidem in legibus, quæ à Deo prodeũt, res est extra controuersiam; nam Deus supremâ in omnes habet iurisdictionẽ. In Regibus verò & alijs capitibus creatis etiam idẽ cernitur; habent enim iurisdictionem cõmunem, ratione cuius obligare & pręcipere possunt. Nemo enim alteri pręcipere potest, nisi aliquâ in illũ habeat iurisdictionem: sibi enim nemo præcipit, nec item æquali, multò autem minùs superiori.

Nemo cõmunitatem obligare potest, niß supra eã iurisdictionẽ habeat.

An sufficiat titulus dominij ad obligãdum.

Dices: Videtur sufficere ad præcipiendum titulus dominij; quale habet quis in mancipium; aut titulus parentis in filios, vel mariti in vxorẽ, vel patrisfamilias in totam domum. P. Suarez eo citato capite à n. 5. differentias aliquas inter has potestates, & iurisdictionem, de quâ agimus, assignat. Vna est, quòd potestas iurisdictionis ponit rem præceptam vt necessariam ad virtutem, in quâ est ea materia; si v.g. mandat ieiunium, cõstituit illud vt necessarium ad virtutem abstinẽtię; at potestas dominatiua solùm potest mãdare ex virtute obedientiæ, aut ex iustitiâ vel pietate; per quas non constituitur res præcepta vt necessaria ad eam virtutem.

28. *Differentia inter potestatem iurisdictionis & dominatiuã à Suarez data displicet.*

Hæc differentia à me reiecta est fusè Tomo 3. ostendi enim in hoc puncto nullum esse discrimen inter legem cæteráſque obligationes, neque posse vllam solidam reddi rationem, cur Religiosus ex Ordine sancti Francisci de Paulâ non peccet contra temperantiam comedendo carnes, à quibus ex voto tenetur abstinere, peccet verò quilibet alius qui easdẽ comedit die Sabbati, eò quòd tunc per legẽ prohibeatur; ergo differentia hæc nulla planè est, sed de hoc (vt dixi) alibi fusiùs. Altera differẽtia melior est, videtúrq; esse ad rem nostram; nam potestas dominatiua regulariter est priuata in vnam aut alteram personã; ergo non est sufficiens ad ferendas leges. Ex hac tamen doctrinâ sic argumentaretur quispiam: Ea potestas, licet regulariter sit priuata, vt in mancipium bello captum; potest tamen aliquando esse communis; vt si bello capiatur tota ciuitas: cur ergo eo tempore ius illud dominij non erit sufficiens ad ferẽdas leges? Certè & præcipere potest omnibus eo titulo; & potest, si velit, in bonũ totius communitatis rem præceptã ordinare, ergo & veras leges instituere. Respõdeo, in eo casu illum hominem & titulum habere dominij & iurisdictionis; est enim iam Rex illorum; ideóque quà talis potest illis leges ferre. Replicabis; Cur etiam non poterit quà dominus? Respondeo, fortè id ad quæstionem de voce reducendum esse, an quæ sub eo titulo domini imperat toti communitati & in bonum illius, sint dicenda oriri à lege: in quâ quæstione potest satis probabiliter dici, dominum vt dominum solùm in bonũ proprium vti posse; quæ verò facit in bonum serui, magis esse titulo iurisdictionis quàm domini. Quoad titulum verò, quẽ parens habet in filios, paterfamilias in totã domum, maior est difficultas, quia est titulus magis accedẽs ad iurisdictionem; videtur enim esse non solùm in bonum parentis, sed familiæ totius, filiorũ, vxoris, &c. vnde etiam illis potest præcepta imponere. Dicendum tamen est, etiamsi videatur multũ hîc de nomine misceri, non posse tamẽ eos leges proprias ferre, tum quia non habent sufficientem communitatẽ cui imperent, vt suprà diximus; tum quia ea iurisdictio est longè minor, nec castigare ita potest, nec ad obseruationem præcepti cogere, vt benè docuit Aristoteles lib. 10. Ethicorum cap. vltimo: *Patris præceptio vires non habet neque necessitatem, neque vnius omnino viri, nisi Rex aut aliquis talis; lex autem habet vim cogentem.* Ratio huius est, quia cùm commune bonum & cõmunitatis administratio longè maius sit quam priuata vnius domus, aut filij, aut vxoris, expediẽs valdè fuit, vt in Reipublicæ capite iurisdictio & potestas non solùm esset extensiuè maior, sed etiam intensiuè fortior: hæc autem sola est quæ sufficit ad leges. Dixi etiam quæstionẽ esse de nomine; nam licet sit re ipsâ maior & fortior ea potestas in capite communitatis quàm in capite domus priuatæ, vtrùm tamen propterea vnius præcepta dicenda sint leges, alterius verò non, quis nõ videat ad solam vocem pertinere? ideóque ex communiori sensu decidendam esse quæstionem potiùs quàm ob alias rationes intrinsecas?

29.

Dominus vt dominus solùm in bonũ proprium videtur tẽdere posse.

Cur dominus, parens, maritus & paterfamilias leges proprias ferre non possint.

30.

Respublica capita habẽt iurisdictionẽ & extensiuè maiorem & intẽsiuè fortiorem.

Obiectio.

Obijcies Primò, suprà num. 8. & 9. à nobis dictum, Vni soli domui posse à Legislatore imponi legem; ergo vna domus habet sufficientẽ multitudinem, vt sit capax legis etiã à proprio capite. Quod enim lex ab hoc aut ab illo feratur pro hac domo, non facit illam esse in se maiorẽ aut minorem communitatem; malè ergo ex eo capite dicimus nõ esse capacem legis. Respondeo, Licet physicè loquendo non sit maior ea communitas (vt benè in obiectione ostenditur) moraliter tamen longè maiorem esse; tum quia quando comparatur cum solo domino domus vt tali, cõsideratur ea domus vt membrum separatum; & vt sic non facit communitatem; quando verò consideratur respectu Principis, consideratur vt pars actu componens communitatem; & vt sic censetur moraliter instar cõmunitatis; tum quia dominus domus non obligat nisi has numero personas, & nec in perpetuum, sed ad tempus; lex autem est perpetua, vt suprà diximus; & fusiùs infrà. Hinc fit, vt, mortuo domino, omnino cessent omnia eius præcepta circa filios, vxorem, non verò mortuo Legislatore.

Occurritur obiectioni

31. *Cur vna domus respectu Principis sit communitas, non autem respectu patrisfamilias.*

Replicabis: Potest aliquis habens magna bona ea donare hæredibus cum obligatione in perpetuum faciendi hoc aut illud; ea autem obligatio potest dici lex; & verò ita frequenter solemus dicere, Hæ sunt huius maioratus leges. Respondeo impropriè eas obligationes vocari leges: potiùs enim sunt onera donationis quàm vera præcepta aut leges.

Leges maioratus impropriè sunt leges.

Secundò obijcitur: Lex naturalis est dictamen rationis cuislibet proprium; hoc autem non

Digitized by Google

est ab habente iurisdictionem; ergo non benè dicitur omnem legem debere esse ab eâ iurisdictione. Respondet Pater Suarez & alij communiter, illud dictamen esse à Deo; qui sine dubio est superior homine. Hæc tamen solutio mihi non placet. Primò, quia (vt suprà ostendimus) etiam ipse Deus habet simile dictamen, ratione cuius illi repugnat mentiri v. g. quódque potest etiam vocari lex, vt suprà diximus ex Patre Salas & alijs; & tamen Deus non est sibi ipsi superior; ergo ea lex naturalis, vt includit totum genus substantiæ spiritualis liberæ, non est ab aliquo propriè Superiore. Secundò, quia licet de facto homo producatur à Deo, & eo sensu illud dictamen dici queat esse à Deo, per se tamen loquendo, ex conceptu formali id non requiritur. Nam esto per impossibile non esset Deus, sed solus homo & Angelus; esset tamen lex æterna prohibens mendacium, periurium, iniustitiam, &c. & tamen eo casu dato, lex illa non esset ab vllo Superiore; ergo non est de formali conceptu legis æternæ, vt sit à Superiore seu à Deo. Iudicarem, obiectionem pertinere ad quæstionem de nomine, vtrùm scilicet debeat vocari natura rationalis superior sibi ipsi quoad illud dictamen. Fortasse probabiliter diceretur, quodammodò prodire dictamen illud à totâ Republicâ, seu à communitate naturali, in cuius bonum illud ordinatur; totam autem Rempublicam dici quodammodò superiorem respectu cuiuslibet indiuidui particularis. Quòd si hic modus dicendi non arridet, dicas in eo puncto legem æternam carere vnâ conditione quæ alijs legibus solet conuenire.

Obiectio, legem naturæ non oriri ab habente iurisdictionem.

Improbatur solutio Suarez.

32.

Responsio. auctoris.

33. Circa hanc quæstionem illud adhuc occurrit disquirendum, vtrùm scilicet omnis potestatem habens iurisdictionis possit eo ipso leges ferre: quod si id negetur, quæritur quanta debeat esse & qualis ea iurisdictio, quæ leges ferre valeat. Respondeo, iurisdictionem duplicem esse; vnam supremam in suo genere, & nulli subordinatam; qualem Deus habet in omnes creaturas rationales: inter homines verò, in Ecclesiasticis Pontifex; in temporalibus Rex, Imperator, & qui in Rebuspublicis omnino liberis suprema sunt capita; alij verò sunt subordinati, vt Episcopi, Proreges, Prætores, &c. His suppositis vno verbo dicimus, potestatem ferendi leges per se solùm esse in eis capitibus supremis: si enim in aliquibus debet esse, maximè in his, in alijs verò eis subiectis non esse, nisi specialiter ipsis id à superiori Principe committatur; hæc autem commissio tota pendet ex Superioris voluntate, ideò nihil amplius de puncto potest hîc in particulari dici: infrà enim in particulari disputabimus ex professo, quæ personæ habeant de facto vim condendi leges.

Duplex est iurisdictio, suprema & subordinata.

Potestas ferendi leges est per se penes suprema capita.

DISPVTATIO IV.

De alijs conditionibus legis in communi.

1. VÆRIMVS, an obiectum legis debeat esse tale, vt iustè possit subditus illud exequi; præterea tale, vt in eius obligatione non fiat subdito iniuria: quę duo distincta sunt: fieri enim potest, vt subditus iustè possit abdicare se v. g. suis bonis & eleëmosynis se alere; at si sine vllâ culpâ ad id obligaretur à Principe, magna ei fieret iniuria, vt ex terminis patet: ergo nõ est idem, rem præceptam esse in se iustam, seu iustè executioni mandabilem & iustè mandari: ergo de vtraque hac iusticiâ hîc quærimus, an sit de essentiâ legis.

Rem in se esse iustam, & iustè eamdẽ mandari, non est idem.

SVBSECTIO I.

Lex debet esse de materiâ non malâ moraliter.

VEritas hæc omnino est certa & verò ex terminis nota; nam cùm omnis lex quà talis habeat vim obligandi, & nemo obligari possit moraliter ad faciendum malum morale, manifestum est, debere omnino legem esse de re non iniustâ. In Deo quidem ratio etiam aliunde est euidens; quia cùm sit summa bonitas, non potest iniusta præcipere; esset enim sibi contrarius. quod repugnat. In hominibus verò, qui ex nequitiâ suâ possunt mandare malum, habet locum ratio prima; quod scilicet tunc nullam obligationem inducant. Ratio verò à priori est facilis, quia cùm Princeps iurisdictionem habeat (vt diximus suprà) vel à Deo, qui non dedit illi auctoritatem in malum; vel à Republicâ, quæ etiam nõ dedit potestatem suprà se in malum morale. non potest validè legem ferre de re iniustâ, neque in hoc puncto diutiùs est hærendum.

Nemo ad malum morale faciendum obligari potest.

Cur lex nequeat validè ferri de re iniustâ.

Obijcies tamen, Sæpè per leges permittuntur in Republicâ aliqua mala; ergo non omnes leges habent pro materiâ rem iustam. Respondet Pater Suarez, obiectum illius legis non esse opus ipsum malum, sed permissionem illius, permissionem autem sæpè bonam esse; vt patet in Deo, qui quæcumque fiunt peccata permittit. Respondet Secundò, Si quis vrgere velit, vt dicat ipsum actum malum esse materiam legis, dicendum, tunc illum sub duplici ratione posse considerari; vel vt operabilem, & vt sic omnino negãdum esse materiam legis; vel vt permissibilem, & in hoc sensu admittit illum esse capacem materiam legis.

2. *Obiectio: Per leges permittitur aliquod malum.*

Duplex responsio Suarez.

In his solutionibus duas inuenio difficultates vnam in primâ, alteram in secundâ: in primâ, quòd Deus tantùm præcisè dicitur permittere peccatum in quantum non dat auxilium, quo præuidebat vitandum, quia non tenetur dare nobis omnia auxilia fortiora; propriè autem non potest admiti velle permissionem quà talem, secundùm totum quod hæc formaliter dicit; quia vt sic includit peccatum ipsum, quod Deus velle non potest; ergo instantia à Deo non soluit præsentem obiectionem.

Vtraque impugnatur.

Deus nequit velle permissionem peccati quà talis est.

Secunda difficultas contra alteram solutionem est, quia peccatum vt permissibile fortasse denominatur ab ipsâ lege vt illud permittente; ergo dicere illud vt permissibile esse materiam legis, nihil est aliud formaliter quàm dicere, illud vt potest à lege respici esse obiectum legis; per quod nihil penitus declaratur; nec posset facilè explicari obiectum eius volitionis; non enim possumus sicut in lege mandante id explicare per positiuum affectum erga executionem illius rei: permittere enim aliquod malum non est formaliter illud optare, nec quidem inefficaciter: quomodo ergo explicabitur ea lex permissiua per ordinem ad solum ipsum actum malum?

3.

Iudico,

Digitized by Google

Legis permissiua peccati obiectum est agere punibile eius obiectum non tamen malum sed iustum.

Iudico, obiectionem suprà positam vno verbo sic explicari, vt obiectum eius legis permissiuæ nihil aliud sit quàm negatio punitionis illius peccati, negatio autem punitionis non est intrinsecè mala, imò sæpè omnino bona & necessaria; vnde Deus potest pœnam remittere etiam non remissâ culpâ; inter homines autem sæpè id est summè vtile: nam si omnia minuta punirentur, daretur occasio grauissimis aliis malis: legem verò illam non habere aliud obiectum facilè constat ex communi hominum sensu; quia nihil aliud homines apprehendunt per eam permissionem, quàm quod impunè possit committi illud peccatum; impunè autem committi, & Iudicem non posse illud punire, idem omnino sunt, vt ex terminis patet. Et hæc circa mali carentiam ex parte materiæ legis.

Subsectio II.

Materia legis non debet esse subdito iniuriosa, sed ex se positiuè bona.

4. Circa iustitiam ex parte quasi modi ferendi legem dicendum, ob eamdem ferè rationem, quâ præcedenti subsectione vsi sumus, debere legem non esse iniustam ex parte modi: non enim Deus dedit vlli iurisdictionem vt faciat iniuriam; neque Respublica suprà se ad similes iniurias; esto ex parte subditi, si rem mandatam exequererur, nullum esset peccatum: vt in exemplo suprà posito de abdicatione bonorum constat.

An sufficiat materiam legis non esse iniustam. Affirmat Suarez.

Maior difficultas est, an debeat materia legis positiuè esse iusta, an sufficiat non esse iniustam. Pater Suarez num. 5. supponit non requiri eam positiuam iustitiam: quod vel inde probat, quia si materia legis ex se non est mala, per ipsum præceptum accipit rationem honestatis; redditur enim materia obedientiæ; ergo poterit esse obiectum legis: & tales iudicat esse leges non ferendi arma & similes; vnde concludit, semper legem esse erga bonum, quia vel illud supponit, vel illud facit.

5. *Sed refutatur triplici ratione.*

Ego tamen iudico magnam esse in hoc puncto difficultatẽ. Primò ratione à priori; quia cùm materia legis quà talis præsupponatur ante ipsâ legem, iam debemus in ipsâ materiâ inuenire ante legem rationem honestatis, ob quam possit à lege amari; sicut voluntas non potest amare obiectum, quod ante ipsum amorem non cognoscit bonum. Secundò idem ostendo; nam (vt supponimus ex dictis suprà) lex debet esse in bonum commune, seu de re quæ in bonum commune ordinetur; ergo ante ipsam legem debet esse in eâ materia talis ordinatio; nec potest dici eam in hoc præcisè consistere, quòd subditi obediendo legi faciant opus morale quod bonum sit; in hoc enim sensu esset quodammodò ridiculum quærere, vtrùm lex omnis debeat respicere bonum commune; quandoquidem id nihil esset aliud quàm quòd, obedire legi, esset bonum commune; & propterea suprà dixi fieri posse difficilem replicam contra doctrinam communem, quòd scilicet materia legis debeat esse vtilis communitati; hîc enim iam supponit auctores sufficere eam vtilitatem, quæ in exercitio obedientiæ reperitur; quæ sine dubio non est ea quæ suprà requirebatur ab auctoribus. Obiectioni huic nos facilè respondebimus per nostram sententiam; datâ autem doctrinâ, quam Pater Suarez hîc statuit, difficulter ei potest satisfieri ob dicta.

Materia legis non sit bona à subdito illi obedientibus.

Tertiò argumentor à posteriori, quia omnes supponunt multas materias esse quæ non sunt propriè capaces legis; vt v. g. fricare barbam, &c. eo præcisè quòd sint planè inutiles. Id quod in lege humanâ est valdè certum; nam iurisdictio data Regibus vel à communitate olim, vel per electionem, non est nisi in ordine ad bonum subditorum; illud autem bonum supponitur esse distinctum ab ipsâ decentiâ morali, quæ in obediendo consistit; ergo non habet potestatem ad ferendas leges, nisi circa materiam ex se bonam.

Quædam materia nõ sunt propriè capaces legis.

6. *Cur obiectũ legis non solùm debeat esse physicè vtile, sed & moraliter honestum.*

Fortè respondebis, materiam legis debere quidem esse physicè proficuam & vtilem communitati, non tamen ideò debere esse honestam moraliter: nam habere diuitias est vtile cuilibet; non tamen ideò est obiectum honestum; ergo etiam si lex debeat supponere in obiecto suo aliquam vtilitatem physicam, non tamen est necessum vt etiam supponat honestatem moralem. Sed contrà, quia per se loquendo (vt suppono ex 3. Tomo, vbi egi de radice honestatis moralis) ipsa physica bonitas respectu naturæ rationalis est fundamentum primum honestatis: quare enim eleëmosyna est honesta, nisi quia est in bonum physicum pauperis? quare homicidium est malum, nisi quia est in damnum physicum? quomodo autem fornicatio, pollutio, mendacium, &c. sint etiam physicè mala naturæ rationali, ostendi ibi breuiter. Ratio verò, quare ex eâ bonitate & contrarietate physicâ sit desumenda honestas aut bonitas moralis, ea est, quia moralitas omnis necessariò pro proximo fundamento debet habere aliquod physicum; non enim dantur entia media inter physica seu realia (Deum enim, Angelos, &c. in præsenti voco ens physicum) & inter entia rationis ficta; quæ sine dubio non constituunt moralitatem; ergo hæc tota quasi vltimò reducitur in bonitatem & malitiam physicam: quo sensu & laudare Deũ, & religionis actus, &c. sunt bona physica Deò extrinseca, eique gratissima, ideóque sunt digna homine, qui vt creatura & seruus Dei suum Dominum colere debet, &c. Iam hinc dico, omne obiectum, quod absolutè, &, omnibus pensatis, commodum est Reipublicæ, dici posse, & verò esse honestum obiectiuè, v. g. eleëmosynam, sustentationem vitæ, &c.

Cur ex bonitate physicâ desumatur honestas & bonitas moralis.

7. *Omne obiectum Reipublica absolutè commodum est honestum.*

Pro quo aduerte, aliud esse obiectum illud in se habere honestatem; aliud autem, quemcumq; amorem illius esse formaliter honestum. Etenim comedere temperatè & quantum præcisè necessum est ad vitam, obiectum honestum est in se; si tamen quis id ipsum faciat non tam ob eam honestatem quàm ob delectabilitatem, non erit actus honestus; quia, vt suo loco dictum est, vt actus sit honestus, debet ferri non solùm in rem honestam, sed quà talem, ita vt ratio motiua sit ipsa honestas.

Obiecta legum honesta sint oportet, non tamen semper eorum amor.

Hinc ad præsentem materiam dico: Cùm obiecta legis debeant esse commoda & bona naturæ humanæ, & quidem quatenus constituunt Rempublicam rationalem (vt sic enim cadunt sub leges) necessum est vt ea obiecta sint ex se honesta; etiamsi, quatenus possunt ob diuersas rationes formaliter amari, non semper amor illorum sit formaliter honestus. Quod verò obiiciebatur de diuitiis, quæ sunt bonæ physicè, licet non moraliter, non eneruat vim argumenti nostri; nam diuitiæ non sunt immediatè bonæ, nec quidem physicè naturæ rationali, sed per modum

8.

Digitized by Google

Qui diuitiæ fiat honesta.

dum medii, vnde debet considerari finis ad quem ordinantur. Cùm autem à Legislatore illæ augentur in Republicâ, aut procurantur per se ab aliquo, si ordinantur ad satisfaciendum necessitatibus humanis, obiectum sunt honestissimum; ergo semper est verum quod paulò antè obseruaui, obiectum legis, quandoquidem ex se debet esse in bonum Reipublicæ, debere etiam eo ipso ante legem de illo habere honestatem & consequenter legem prærequirere, non verò primò dare honestatem moralem obiecto mandato. Propter hæc putarem omnino regulariter & per se id esse necessarium: quod videtur sufficienter probatum rationibus immediatè factis: neque exemplum quod Pater Suarez affert de portandis armis vrget: etenim arma portare in se amari non potest, nisi in ordine ad aliquem finem; v. g. vt possit statim ad defensionem ciuitatis accurri; vel vt nemo audeat alterum iniuriâ afficere, sed timeat iustam alterius defensionem. Hic autem finis, ad quem ea armorum gestatio ordinatur, non conuenit illi ex ipsâ lege; sed ante legem ex se habet eam vtilitatem; & in ordine ad eum finem honesta est gestatio: idem de similibus obiectis proportione seruatâ dicendum est: tunc autem honestas non consistit in honestate reflexâ, quæ ex obedientiâ legis desumitur, & quam haberet obedientia esto non esset in materiâ vtili ad aliquid aliud. Est ergo (vt dixi) ea honestas quid omnino antecedens & motiuum ad legem ferendam; ergo non datur à Patre Suarez materia legis, quæ non habeat in se antecedenter honestatem aliquam.

Lex prærequirit honestatem obiecti sui.

Armorũ gestatio cur honesta sit.

9.

Mandari potest aliquid subdito, tum ad ostendendum huius obedientiam, tum mandantis iurisdictionem.

Dixi tamen in conclusione, *id solùm videri necessarium regulariter*; nam libenter admitto, & maximè respectu Dei, aliquando posse mandari aliquid eo solùm animo, vt ostendatur in subdito obedientia, & in mandante iurisdictio; quâ ratione diximus in secundo Tomo agentes de opere sex dierum, præceptum impositum Adamo de non gustando ligno vetito, non habuisse pro motiuo aliam honestatem quàm, vt id faceret Adamus ex titulo obiedientiæ: quod confirmaui auctoritate D. Augustini & D. Thomæ; hoc eodem modo ad probandum animum cuiusdam iuuenis legitur, sanctum Franciscum imperasse illi volenti ingredi Religionem, vt lactucam inuerso ordine plantaret. etiam simile quid passim Magistri Nouitiorum solent efficere vt Nouitij assuescant proprium iudicium corrigere, & in omnibus promptè obedire. hoc autem in fixis & stabilibus legibus pro Republicâ fortasse non habet locum; satis enim est si obedientes sint ciues in rebus per se honestis, & aliam vtilitatem habentibus.

10.

Respondetur replicæ ad id facta.

Adhuc tamen difficultas, quam suprà tetigi, videtur impugnare limitationem positam, ac probare, in nullo casu posse esse præceptum aut legem de re, quæ in se antecedenter honesta non sit. Ei tamen respondeo, in vno aut altero casu ideò non vrgere, quia tunc ob eam circumstantiam ostendendi aut iurisdictionem Legislatoris, aut tentandi subditum, vt tentauit Deus Abrahamum ei imperando mortem filij, sufficiens apprehenditur bonitas in eo obiecto, vt imperari possit; etiamsi hoc motiuum non sufficiat ad onus graue commune & perpetuum, quale à lege stabili & perpetuâ imponitur. Circa hanc honestatem materiæ legis solet inquiri, an illa debeat esse Religioni congruens: ita enim docet Isidorus eo libro 5. Etymol. cap. 21. vbi definit ex proposito legem. Respondetur tamen non requiri vt propriè pertineat ad actum Religionis, sed sufficere, si per se sit de obiecto honesto & bono; quod eo ipso capax est, vt Deo placeat, & etiam implicitè ad Religionem ordinatur.

Honestas legis implicitè ad Religionem ordinatur.

SVBSECTIO III.

Quid si materia legis dubiè sit honesta.

11. QVærimus an casu quo dubium sit circa honestatem materiæ legis, mihi lominùs lex valida sit, & subditi teneantur ei obedire, nec ne. Quæstio hæc directè pertinet ad materiam de conscientiâ, de quâ Tomo 3. vbi disput. 20. sect. 5. aliquid dixi eâ de re; nunc aliqua breuiter insinuabo quæ ibi desiderantur. Pater Vasq. disp. 151. in fine duplex dubium distinguit; an Legislator veram habeat iurisdictionem; & ex hoc capite, an sit iustum eius præceptum: alterum, esto constet, illum esse verum Legislatorem, an iusta præcipiat. In primo dubio dicit non teneri subditum ei obedire; quia subditus est in possessione suæ libertatis; & in dubiis melior est conditio possidentis; si verò dubium solùm sit de honestate rei præceptæ, tunc obediendum legi, quia tunc lex est in possessione. Non placet hæc doctrina Patri Salas eâ disput. 1. sect. 1. num. 58. eò quòd disparitas assignata nulla videatur. Etenim etiam ille, qui est in possessione v. g. Regni, non habet possessionem imperandi nisi circa rem iustam; ergo si non constat de iustitiâ non constat de possessione imperandi; ergo non habet maiorem in vno casu quàm in altero possessionem. Non caret vi hæc impugnatio; alia tamen mihi clarior occurrit; nam si Rex est in actuali possessione imperandi, ego licet dubium sit, an validè id possideat, debebit tamen ei fauere possessio: non enim magis fauebit possessio vt præsumatur iusta mandare, quando dubium est de iustitiâ materiæ, quàm quando dubium est, an verè habeat ius in Regnum: ergo ex hoc capite æqualiter in vtroque casu habebit ius obligandi subditum. Aduerto autem Patrem Vasquez citato loco remittere se ad Tractatum de Conscientiâ, vbi se de hac difficultate fusiùs egisse dicit; ibi tamen nihil amplius eâ de re agit, vt videre est disput. 66. cap. 9. vbi eam quæstionem tractat: & verò planè mihi certum est, debere iuxta illius principia in vtroque casu idem omnino dici; ibi enim vniuersaliter docuit, in omni dubio iuris tenendam esse tutiorem partem. Atqui, quando dubitatur, an Rex iusta imperans sit verus Rex, est dubium iuris; ergo in eo debemus sequi tutiorem partem. Id quod confirmatur argumento, quod eo loco de Conscientiâ reputatur omnino conueniens ab eodem auctore; quia in dubio facti & iuris ideò debemus sequi tutiorem partem, ne exponamur periculo faciendi aliquid quod sit peccatum. Ex hac ratione, quam ille approbat, sic argumentor: Qui in dubio de potestate Regis vel Prælati ei non obedit, exponit se periculo faciendi contra obedientiam; obediendo verò, nulli se exponit periculo; suppono enim rem imperatam esse licitam; ergo ex mente Patris Vasq. tunc maximè tenebitur. Vnde adderem ego potiùs, quando est dubium, vtrùm res mandata sit licita nec ne, minùs teneri subditum; quia tunc obediendo exponit se periculo faciendi rem non licitam: ideò, iuxta

Duplex dubium hac in materiâ assignat Vasq.

12. *Impugnatur sententia Vasquez.*

Vrgetur magis ad hominem.

13.

principia

Digitized by Google

principia Patris Vasquez, deberet tunc attendi, an obediendo facere posset rem in se grauiùs alioquin prohibitam, quàm faceret in ipsâ non-obedientiâ, quòd si grauius sit malum, cui obediendo exponitur, non debere obedire. Hæc circa Patrem Vasquez & consequentiam doctrinæ.

Vtrùm sit vel non.

Si dubitetur vtrùm lex ex modo imperandi iusta sit, obligat.

Quidquid verò sit de paritate rationis vtriusque casus, Primò videtur omnino dicendum in hac materiâ, si dubium sit, vtrùm lex in se seu ex modo imperandi iusta sit, an iniusta, hoc est, vtrùm, licet materiam alioquin licitè factibilem imperet, habeat tamen ius ad illam præcipiendam; si, inquam, dubium sit tale, subditum teneri ad obediendum. Quæ videtur esse communis decisio; & facilè probatur, quia in obedientiâ illâ nullum est periculum. Rex autem est in possessione suæ iurisdictionis, ergo debet ei subditus obedire; eodem omnino modo, quo, quando emissum est votum, & dubitatur, an ei satisfactum sit, tenetur quis illud explere.

14. *Si dubitetur an possit subditus iustè ad eam obligari, obligat.*

Secundò dicendum est, Etiamsi dubium sit, an materia præcepta iusta sit; vel, esto constet in se esse iustè factibilem, dubium tamen sit, an possit iustè subditus ad eam obligari; nihilominùs legem esse validam, & subditum ad eius obseruationem obligari. Hæc non est ita certa quàm præcedens, ob difficultates speciales contra illam vrgentes, ac paulò pòst soluendas; probatur tamen, quia etiam tunc Princeps est in possessione imperandi, seu in possessione iurisdictionis ad imperandum; ergo melior est ipsius conditio; ergo debet contra subditum præualere; & consequenter hic tenebitur ad obediendum. Hæc conclusio magis & declarabitur & roborabitur solutione eorum quæ contrà obiici possunt.

Dices ergo Primò, Quando est dubium de valore legis, non teneor ei obedire (vt dixi Tomo 3. disp. 25. sect. 2. & agentes de conscientiâ communiter tradunt Doctores:) atqui dubitare, vtrùm materia legis sit iusta, vel vtrùm iustè præcipiatur, est dubitare de valore legis; ergo non tenebitur quis eo tempore parere. Confirmatur ex ibidem dictis. *In dubio iuris melior est conditio possidentis*; sed dubium de materiæ iustitiâ est dubium iuris; ergo tunc melior erit conditio subditi possidentis suam libertatem; ergo hic non tenebitur obedire.

Difficilis obiectio proponitur nixa illo principio, In dubio iuris melior est conditio possidentis.

15.

Fortè respondebis, illud dubium, de quo loco citato, magis esse, vtrùm lex lata sit, aut, vtrùm sit in hoc aut illo sensu accipienda, quàm, vtrùm sit de materiâ iustâ, an verò de iniustâ. Sed contrà, quia licet eo loco specialiter posuerimus exemplum in eis duobus dubiis, ratio tamè ibi data generalis est & comprehendit casum præsentem; quia ibidem diximus idem esse moraliter, dubitare an lex valida lata sit, ac dubitare, an lex quæ lata est, sit valida: semper enim dubitatur de valore, qui essentialiter requiritur ad vim obligandi; ergo cùm dubitare de materiæ iustitiâ sit dubitare de valore legis, vt dictum est, non obligabimur dato eo dubio ad illi obediendum.

Valor legis essentialiter requiritur ad vim obligandi.

Angetur difficultas.

Difficilis hæc obiectio, quæ maiores inde vires habet, si dubium de iustitiâ materiæ imperatæ oriatur, cùm primum lex fertur; tunc enim numquam potest lex dici fuisse in possessione, vt inde disturbari non possit per dubium sequens. Nihilominùs dico, responsionem proximè datam optimam esse; ad replicam verò nego, rationem à nobis factam eo tertio Tomo vniuersalem esse, eo sensu quo in replicâ dicitur; nego item per eam comprehendi præsentem casum: etenim quando Rex est in possessione imperandi, subditus non est in possessione libertatis contra illum, sed potiùs in contrariâ, scilicet in possessione subiectionis; vnde, quando constat euidenter Regem mandare, non potest spoliari possessione & iure per dubium subortum de materiâ iustâ. Et hinc apparet diuersitas inter nostrum casum & alterum de dubio, an sit lex lata, & an habeat hunc vel illum sensum: quibus casibus diximus non obligare: nam dubitare, an ille de facto hoc mandauerit, nequaquâ est dubium de iurisdictione illius, quam possidet: siue enim actu mandet, siue non, eamdè habet iurisdictionem: solùm ergo dubito tunc de actuali vsu illius iurisdictionis: non erat autem Princeps in possessione vsus. Idem est, quando dubito, an hoc voluerit vel illud; nam neque tunc est in vllâ possessione, quòd hoc aut illud velit; quid ergo mirum, si tunc non possit ei fauere possessio contra me; quia nihil ego contra illum tunc euincere intendo. At quando ille mandauit, idque certò constat, ego verò volo probare mandatum esse in iustum, vel ex defectu iurisdictionis, vel quòd non præcipiat iusta, directè pugno contra illum, nempe contra iurisdictionem in ordine ad hanc materiam mandandam: nisi enim iurisdictio ad eam materiam cesset, imperium validù est; ergo, cùm alioquin ille sit in possessione, non potero illum ab eâ deturbare per dubium de valore iurisdictionis aut honestatis materiæ: sicut quando ego habeo ius comedendi carnes, non deturbor ab eâ possessione per dubiam malitiam illius comestionis, iuxta dicta citato loco; vnde potiùs hæc doctrina est omnino conformis his quæ eo tertio Tomo diximus quàm vllo modo contraria.

Soluitur obiectio.

16. *Datur disparitas eorum casuum inter se.*

Hinc in formâ ad obiectionem suprà positam dico, *Dubitare de valore legis, est dubitare de existentiâ legis vt validæ.* Concedo antecedens; nego tamen inde inferri, eam nó obligare, quia nos non diximus Tomo tertio dubium de existentiâ legis vt validæ excusare ab obligatione obediendi, sed dubium de existentiâ legis secundùm se, quia tunc non præscribit possessio, ob differentiam proximè assignatam; quæ valdè clara est. Id quod etiam est verum, licet dubium de valore legis oriatur dum ipsa fertur; quia etiam tunc supponitur Legislator in potestate absolutè mandâdi; non potest autem à certâ possessione impediri per solum dubium de materiæ honestate.

17. *Respondetur obiectioni in formâ. Combinantur dicta Tomi tertij cum hu.*

Replicabis; & sit secunda obiectio; Potestas Regis non fuit nisi ad mandanda iusta, ergo non fuit in possessione mandandi hoc in particulari: quandoquidem non fuit in possessione, quòd hoc in particulari esset iustum. Respondeo Primò, posse hoc argumentum retorqueri contra alios casus, in quibus omnes fatentur possessionem fauere, nam & in exemplo paulò antè posito de esu carnium dicam ego, Non sum ego in possessione iuris ad comedendum carnes nisi non prohibitas; ergo, si non constat has non esse prohibitas, non sum ego in possessione iuris ad has; ergo, eo ipso quòd dubium sit, an sint prohibitæ, tenebor non comedere; & sic vniuersaliter in omni iure dici potest, quia semper illud ius est sub hac conditione, *Nisi aliunde malum sit illud obiectum.* Est ergo difficultas communis.

Secunda obiectio.

18. *Retorquetur.*

Absolutè respondendum est ex doctrinâ generali, quam tradidi eo tertio Tomo disp. 25. in fine,

Digitized by Google

fine, ad agnoscendum, quando possessio sit pro homine, quando verò contra illum in fauorem legis. Dixi enim, quando dubium est de exceptione à lege aut à iurisdictione, tunc standum pro lege aut iurisdictione; quando verò dubium est de ipsâ lege aut iurisdictione, standum contra. V.g. præceptum naturale dicit. *Non accedas ad feminas*, exceptio est, *nisi sit tua vxor*; si dubitem an sit mea vxor, & non fuerim priùs in possessione bonæ fidei matrimonij, non possum ad illam accedere; quia de lege vniuersali constat, de exceptione verò ab illâ non constat: è contrario est circa comedendas carnes; nam ibi licentia generalis est, *Comedas carnes*, est autem limitatio, seu exceptio, *nisi aliunde prohibeantur*: vnde si dubitatur, an sint prohibitæ, dubitatur non de licentiâ, sed de coarctatione illius; ideò tunc in fauorem licentiæ iudicandum est. Similiter in nostro casu iurisdictio Regis est, posse mandare omnia quæ velit; exceptio tamen est, *nisi sint iniusta*. Ecce iniustitia materiæ est limitatio seu exceptio à regulâ generali; ergo si dubitatur de eâ iniustitiâ, dubitatur de exceptione & consequenter standum erit pro regulâ, quia exceptio dubia non infringit generalem regulã.

Ostenditur, quando standum sit pro lege aut iurisdictione, & quando contra illam.

19. Dices fortè, Iurisdictio Regis non debet eo modo explicari, *Est ad omnia, nisi sint iniusta*, sed sic, *Est ad omnia, si sint iusta*, seu, *Est ad omnia iusta*; ergo non debet ea iniustitia reputari per modum exceptionis. Respondeo, eodem modo dici posse in aliis exemplis. V. g. prohibitio accedendi ad feminas non est nisi hoc modo, *Non accedas ad non tuam*; vnde posset dici, illud præceptum non esse in possessione, nisi constet illam non esse meam; quod tamen est contra omnes. Idem dicere possum de aliis præceptis. Absolutè igitur respondeo, siue explicetur eo modo, *Do tibi iurisdictionem ad omnia iusta*, siue alio, certum esse, re ipsâ æquiualere huic propositioni, *Do tibi ad omnia nisi fuerint iniusta*; vnde iniustitia est exceptio à regulâ; & locum habet responsio à me data.

Quî sit explicanda Regis iurisdictio.

20. Quòd si volueris relictis modis loquendi meliorem solutionem; dico, ipsum obiectum esse in possessione bonitatis, quando non ostenditur esse malum, ratione verò illius etiam Iudicem esse in possessione, quòd possit illud præcipere; quod vel inde patet, quia ipsemet subditus potest illud obiectum facere, esto dubium sit, an aliquo iure sit prohibitum: sicut ergo possessio seu præsumptio bonitatis fauet subdito, vt possit amplecti tale obiectum, fauebit etiam iudici ad imperandum: cur enim magis præsumetur pro bonitate obiecti in fauorem subditi quàm in fauorem Principis?

Melior solutio. Obiectum est in possessione bonitatis, dũ malum esse nõ ostenditur; & ratione huius Iudex.

Tertiò respondeo: Esto quoad hoc punctum possessio aliqua stet pro subdito, tamen negari non potest, quin etiam aliqua pro Legislatore; & certantibus duobus, Legislatore scilicet & subdito, æquius est vt præualeat ille qui caput est, & supponitur habere maiorem intelligentiam, iudicium, &c. Deinde, sequerentur grauissima incommoda, si ex eo dubio subditus liberaretur ab obligatione: passim enim prætenderentur rationes, quæ dubium aliquod causare possent, & excusarent; & sic in innumeris legibus essent frequenter deceptiones. Ratio à priori optima est, quia Superior non tenetur subdito manifestare rationes, cur hoc aut illud præcipiat; eis autem ignoratis sæpè dubius est subditus de honestate materiæ: si autem tunc non teneretur obedire, quis non videat in magnum Reipublicæ detrimentum id vergere posse?

Ratio à priori, cur in dubio possessio potiùs stet à parte Legislatoris quàm subditi.

SECTIO. II.

Quo sensu lex debeat esse possibilis.

21. Circa quam aduerto Primò, accipi posse tò *possibilis* tam ex parte ipsius legis, quòd ipsa sit possibilis seu non repugnans, quàm ex parte obiecti illius. Primò sensu res est ex terminis nota; quia lex, quæ non potest esse, non est lex sed chimæra. In secundo verò sensu, si loquamur de possibilitate absolutâ materiæ imperatæ, etiã res est ex terminis nota: quis enim mandare poterit id quod omnino est impossibile? aut, quomodo concipi potest, quòd aliquis mandet seriò mihi vt sim Deus per essentiam, aut vt creem Angelos nouos, teneárque ei præcepto obedire? vnde plus quàm delirasse videntur illi hæretici, qui dicunt, Deum præcipere ea quæ omnino nobis impossibilia sunt, sed de hoc alibi.

Duplex est possibilitas, legis & materiæ circa quam hæc versatur. Vtroq; sensu sumpta quæstio per se nota est.

Aduerte Secundò, multa, quæ nobis naturaliter sunt impossibilia, reddi possibilia per auxilium gratiæ diuinæ, quod nobis præstò adest; ideò non dubium, talia, supposito eo auxilio, benè posse à Deo nobis præcipi. de quo fusiùs in materiâ de gratiâ.

Multa naturaliter impossibilia accedente gratiâ fiunt nobis possibilia.

Aduerte Tertiò, & magis ad rem præsentem, præter possibilitatem physicam, aliam esse moralem, vt non solùm res sit possibilis simpliciter, sed etiam sine maximâ difficultate; ea enim quæ summè difficilia sunt solemus vocare moraliter impossibilia. & de hac possibilitate maximè in præsenti agimus.

Quid possibilitas physica & moralis.

22. Conclusio ergo communis & certa sit, Lex debet esse de materiâ moraliter possibili. In hoc sensu intelligendus est Isidorus suprà, dum inter alias conditiones eam possibilitatem in lege requirit. Ratio verò huius ea est, quòd cùm Legislatores agant cum subditis non vt cum mancipiis, neque vt cum bestiis, non debent illos intolerabiliter grauare: vel enim auctoritas Principis emanauit ab ipsâ communitate; & tunc clarissimè id cernitur; non enim præsumitur communitas dedisse auctoritatem in se in ordine ad grauissima onera: vel emanauit ea iurisdictio à Deo; & tunc etiam idem clarè cernitur: nam Deus cum omnibus suauissimè agit, iuxta illud, *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Matth. 11. Confirmatur: Lex ordinatur in bonum ciuium; at si præcipiantur moraliter impossibilia, potiùs ordinaretur in malum; quia non seruaretur vmquam, essétque occasio turbationum & grauium peccatorum. Vnde dico, si casu aliquis Legislator rem præcipiat eo modo manifestè impossibilem, non obligari subditos ad eius adimpletionem. Quæ doctrina etiam ad alia præcepta, quæ leges non sunt applicanda est. Illud tamen obseruandum, fortasse in aliquo casu, vehementissimâ vrgente necessitate, posse aliquid valdè difficile imperari; quia tunc ob circumstantias eius, maximè vtilitatis, oportet vt subditus etiam superet eas graues difficultates: vnde faciliùs præcepta particularia, quæ circumstantias similes respiciunt, & non sunt perpetua, eiusmodi materiam adeò difficilem præcipere possunt quàm leges; quæ cùm & perpetuæ sint, & ad omnes personas extendantur, non possunt habere tam vrgentia motiua, vt res adeò difficiles mandent: ex termi-

Legislatores agant cum subditis non vt cum mancipiis, neque vt cum bestiis, non debent illos intolerabiliter grauare & quare.

Legislator præcipiens rẽ manifestè impossibilem non obligat.

23.

Cur præcepta particularia etiam de rebus valdè difficilibus obligent non verò leges.

Digitized by Google

terminis etiam constat, longè tolerabilius esse, semel aliquam grauem difficultatem superare, quàm semper ad eam obligari.

Obiiciuntur leges de rebus moraliter impossibilibus, & tamen obligant.

Obiicies: Lex antiqua fuit eo modo impossibilis, teste Iacobo Apostolo in concilio primo Apostolico Act. 15. *Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Secundò obiicies: Vitare omnia venialia est moraliter impossibile; & tamen lex ad id obligat. Tertiò: In statu puræ naturæ resistere grauissimæ tentationi est moraliter impossibile sine gratiâ, vt docent communiter Theologi; & tamen etiam sine gratiâ est obligatio seu lex de eâ resistentiâ: si enim illi homo non resistat, peccat contra legem: ergo dantur multæ leges de re moraliter impossibili.

24. *Lex vetans absolutè sed respectiuè ad nostram, intolerabilis dici debet, vti nec imperfecta.*

Respondeo ad primum, legem veterem non fuisse moraliter impossibilem, neque id à Iacobo tradi; sed respectiuè ad legē gratiæ dici quasi intolerabilem; quia lex gratiæ longè suauior est. Vbi aduerto, aliquos obiectioni huic minùs cautè videri respondisse, dum fatentur fuisse eam legem grauissimam, & inde magnam habuisse imperfectionem. Quæ verba licet bonum sensum contineant, dura tamen valdè sunt; quia legi à Deo ipso immediatè datæ nō debemus attribuere magnam imperfectionem; & multò minùs id quod in malum de Scribis & Pharisæis Christus dixit, *Alligant enim onera grauia & importabilia*, &c. non debet ergo ea lex dici, nisi respectiuè ad nostram, longè minùs perfecta, & longè grauior, licet absolutè in se perfecta fuerit, & moraliter etiā factibilis. Verum quidem est, vt ponderauit Tertullianus lib. 2, Aduersus Marcionem, & ex eo Ambrosius in Epist. ad Titum, Deū, quia ille populus duræ erat ceruicis, & ad idolorum cultum vehementer propensus, aliquātulùm duriora dedisse præcepta: erant enim necessaria ad continendum illum in cultu Dei: quia tamen ipse Deus tūc prodigiosa opera pro populo patrauit, & extraordinarias gratias in temporalibus eis præstitit, meritò in gratiarum actionem potuit exigere, vt eam legem etiam cum aliquo labore & difficultate corporali pro Deo obseruaret. sed de eâ infrà fusè.

Math 23.

25. *Omnia venialia moraliter vitari possunt, non collectiuè, sed diuisiuè.*

Iam ad secundam obiectionem de peccatis venialibus respondeo, obligationem seu legem non habere pro obiecto ea omnia collectiuè, sed in particulari, seu diuisiuè vnam legem vnum peccatum; alteram alterum; vt sic autem posse omnia moraliter diuisiuè vitari. Ad tertiam dixi paulò antè, posse aliquando in vnō aut altero casu præceptum obligare cum aliquā difficultate, maximè quando præceptum est naturale; quia tunc habet pro obiecto prohibito rem essentialiter malam, quæ non potest in vllā occasione fieri bona: vnde etiamsi aliquando contingat, difficultatem aliquam grauem eius obseruationi annexam esse, debet tamen seruari. Ideò potest aliter responderi, illam legem ferri ad rem ex se facilem; quòd autem per accidens ex tentatione aut aliunde reddatur dura, est extra intentum legis. Dixi *in lege naturali*, quia positiuæ leges, cùm non habeant pro obiecto res in se intrinsecè & essentialiter malas, non habent tantam causam obligandi cum magnā difficultate; imò, quando ea difficultas accedit materiæ, quæ priùs erat leuis, & ideò sub obligatione, præsumitur iam Legislator non velle ad eam amplius obligare.

Lex iubens etiam grauissima tentationi resistere per accidens tam est difficilis. Leges positiuæ in materiā difficiliori desinunt obligare.

Sectio III.

De perpetuitate legis.

HAc de re fusè Pater Suarez cap. 10. & Pater Salas sect. 9. num. 60. quia verò res est de solâ voce duobus verbis expedietur. Dico ergo de re ipsâ illud apud omnes debere esse certum, esse posse aliqua præcepta, quæ solùm sint ad vnam diem, vel ad vnam horam, alia ad hebdomadam; alia ad menses, annos, alia æterna tam à parte antè quàm à parte pòst; vt sunt præcepta naturalia, quæ pro omni tempore obligant, si in omni tempore homo existat; & saltem Deum semper obligent eo modo quo suprà diximus; alia verò, quæ solùm sint æterna à parte post, alia ad vitam præcipientis, alia etiam post eiusdem mortem; & sic, iuxta maiorem vel minorem temporis longitudinem, excogitari posse diuersissima præcepta hac de re ab omnibus admittenda. Quo posito, illud erit de nomine, quod ex his præceptis dicendum sit lex, seu, quàm longum tempus significet vox *lex*; ideò eâ de re non est valdè laborandum. Pater Suarez cùm duas extremè positas sententias retulisset; vnam, quæ dicit legem ex se debere esse æternā, nisi reuocetur, quam perpetuitatem vocat negatiuam; al teram verò negantem, vllam ad legem perpetuitatem requiri; ipse concludit, fortè vtramque opinionem posse sic conciliari, vt perfectæ & ordinariæ leges eam perpetuitatem requirant, neque id negetur ab hac secundâ sententiâ; aliquæ verò imperfectæ, & secundùm quid, seu extraordinariæ leges, esse possint sine eâ perpetuitate. Hæc resolutio in quæstione de nomine, nec magni momenti, mihi sufficientissima videtur; quia reuerà omnes leges ordinariæ talem habent durationem, vt nisi reuocentur, vel omnino cesset finis illarum, ipsæ perpetuæ sint, & habeant vim obligandi non solùm præsentes tunc temporis in eâ Republicâ, quando lex traditur, sed omnes futuros, ab eo tempore quo fuerint membra eius Reipublicæ: hinc fit, vt communiter in eo dignoscatur, an præceptum detur cum vi semper durandi, an verò ad tempus: si scilicet detur per modum legis & statuti, censetur perpetuum; è contrario verò, si tantùm per modum solius puri præcepti, censetur solùm ad tempus.

26. *Possibilia sūt præcepta & parū & multum, imò in æternum durantia.*

An, & qua lex in sententiā Suarez sit perpetua.

27. *Statutum est perpetuum; præceptum verò purum solùm ad tempus.*

Illud obserue Primò, quod & suprà notaui contra Patrem Vasquez, malè ipsum disput. 151. cap. 3. dixisse, præceptum particulare non oriri à Principe vt persona est publica; malè item ipsum inde deduxisse, præceptum datum toti communitati, eò quòd oriatur à iurisdictione publicâ, & quasi nomine totius Reipublicæ, esse in se perpetuum, quia communitas illud imponens est perpetua: ostendi enim eo loci & Regem quà talem non solùm toti communitati, sed huic & illi in particulari mandare, item, vni soli posse mandari, etiam vt post mortem mandantis duret præceptum. quod benè notauit hic Pater Suarez contra eumdem Vasquez. Rationem à priori ego suprà reddidi; quia sicut durat communitas post mortem Legislatoris, ita potest durare vnum individuum illius: ergo, sicut ex eâ perseuerantiâ infertur communitatem se obligasse post mortem Legislatoris; ita eodem modo dicere possumus, illud individuum particulare durans post mortem Legislatoris se etiam obligasse.

Legislator nō solùm communitati, sed & cuiuis in particulari mandare potest.

28.

Digitized by Google

gasse. Deniq; cùm toti communitati passim imponantur præcepta, quæ vel ad vnam diem tantùm durant, vt de aliquo ieiunio, de aliquo manuali opere, &c. malè intulit Pater Vasq. ideò legem esse perpetuam, quia imponitur communitati; cùm etiam præceptum, quod ex se non est perpetuum, imponatur sæpè communitati.

Lex non est ideò perpetua quia imponitur communitati Præceptum magis minúsue durat ex solo imperantis arbitrio.

Secundò obseruo, differentiam eius præcepti non durantis & alterius durantis non debere ex ratione aliquâ intrinsecâ in eis repertâ desumi, sed ex voluntate ipsius imperantis, qui potest eam durationem magis minúsue pro libitu extendere: quòd verò præceptum minùs extensum non dicatur lex, alterum verò dicatur, formaliter prouenit ex acceptione eius vocis *lex*, vt dictum est suprà.

29. Tertiò obserno, cùm benè à Patre Suarez doceatur posse Principem supremũ imponere præceptum toti communitati ad certum tempus, v.g. ad annum, aut ad vitam suam, minùs tamen benè ab eodem addi, posse eiusmodi Principem tali præcepto temporali addere in cæteris rebus valorem legis: obseruo, inquam, hoc vltimum minùs benè addi, quia cùm differentia propria legis à cæteris præceptis solùm sit in perpetuitate; nam in aliis punctis obligandi, &c. omnino conueniunt; planè non video in quo consistat ea alia efficacia legis, quam, non obstante defectu perpetuitatis, ei addere possit Princeps: sed hoc parui est momenti. Et de hac quæstione de voce satis.

SECTIO IV.

Quomodo promulgatio ad legem pertineat.

Cur nemo teneatur ad legem ante illius promulgationem.

CIrca hanc conditionem aliqua certa, aliqua de nomine, aliqua dubia de re ipsâ esse possunt. Primum ergo certum est, non posse legem actu obligare vllum, nisi lex ita promulgetur, vt subditus noscat voluntatem ipsius Legislatoris: nemo enim tenetur, quando non scit se teneri. In hoc puncto, suppositis his, quæ de cognitione ad peccandum necessaria dicta sunt præcedenti Tomo, & ab omnibus supponuntur, nihil est quod immoremur: & in hoc sensu etiam legi æternæ conuenit ea ratio promulgationis, quia ipsum iudicium, quo homo agnoscit aliquod obiectum esse malum, est lex æterna (vt superiùs insinuauimus:) neque ad probandam hanc veritatem necessum est recurrere cum D. Thom. aut aliis ad hoc, quòd lex sit regula, sit mensura, &c. sine his enim metaphoris, ex ipsis terminis apparet neminem teneri ad faciendum aliquid, nisi noscat se ad id teneri.

30. *Quibus modis lex posita nobis possit innotescere.*

Secundò de re certum est, legem positiuam seu humanam, cùm procedat à solâ voluntate Legislatoris, eaque voluntas nobis non sit ex se nota, debere eam aliquo modo nobis manifestari vel per signa exteriora, vel, si diuinitus Deus vellet, infundendo nobis cognitionem intrinsecam certam eius volitionis: vtroque enim modo Deus potest in me excitare cognitionem alicuius veritatis. Quando dico *infundere*, non ago in eo sensu, vt velim à solo Deo produci eam cognitionem; nam licet id in meâ sententiâ possibile sit, abstraho tamen nunc ab eâ opinione: non enim debemus quæstiones planè disparatas vni singulari opinioni adstringere: *infundere* ergo dico producere eam cognitionem, siue id solus præstet, siue cum meo intellectu; sine vllo tamen signo externo instrumẽtali prævio, quod cognoscatur, & in quo, vt in medio, debeat agnosci ea volitio.

Manifestatio naturaliter & per se fit per signa exteriora.

Tertiò certum est, per se loquendo, & naturaliter non fieri eam manifestationem nisi hoc secundo modo mediatè & per signa aliqua, quia ille prior est miraculosus; & propterea numquam locum in Legislatore creato potest habere; an autem ex parte ipsius iurisdictionis repugnet sine externâ locutione obligare de facto, dicam paulò pòst. Hinc de nomine in dubium verti 31. potest, an voluntas obligandi existens in Legislatore dicenda sit lex antequam subdito manifestetur, an verò ipsa manifestatio sit dicenda intrinseca pars legis? Hanc tamen quæstionem decidi superiùs, dixíque posse illam voluntatem interiorem dici legem, & in actu primo obligatiuam, non verò in actu secundo obligantem; addidíque, non esse multum certandum cum his qui promulgationem dicunt partem legis. Secundum dubium esse potest, de re tamen, vtrùm ad hoc, vt lex obliget actu, requiratur publica aliqua promulgatio; & qualis illa debeat esse; an verò sola priuata sufficiat, vt scilicet, quomodocumque homo intelligat voluntatem Legislatoris, eo ipso teneatur illi obedire; & hoc maximè proprium dubium est huius loci: circa quod, quia varij sunt Legislatores, & variæ eorum potestates, oportet vti distinctione; in primis autem iam constat, non agere nos de lege æternâ & naturali, sed de positiuâ tam diuinâ quàm humanâ: ergo, quod ad diuinam attinet, omnino certum debet esse, Deum habere vim vt possit nos obligare, si velit, eo ipso quòd quomodocumque sciamus eius voluntatem; cùm enim sit Dominus non solùm externarum actionum, sed etiam internarum, dubitare nemo debet, illum posse præcipere nobis quæ velit, independenter ab vllâ externâ promulgatione, dummodò interiùs nobis manifestet suam voluntatem. Secundò, quoad Legislatores alios à Deo distinctos maior est difficultas; nam cùm illi habeant communiter eam vim legislatiuam ab alio, siue à Deo, siue ab ipsâ Republicâ, pendet tota eorũ potestatis efficacia ex donatione Dei, aut Reipublicæ; cùm autem dixerimus Deum posse nos eo modo obligare, non dubium etiam quin potuerit Petro v.g. dare talem iurisdictionem in me, vt eo ipso, quòd ego quocumque modo intelligerem voluntatem Petri, tenerer illi obedire: non dubium etiam, quin potuerit è contrario dare eam iurisdictionem cum tali limitatione, 32. vt non possit obligare, nisi exteriùs manifestet suam volitionem cum hac aut illâ solemnitate, apponendo etiam alias quascumque conditiones ad obligationem actualem legis necessarias. Quòd si potestatem accepit Legislator ab ipsâ Republicâ, etiam videtur dicendum eam pendere à modo quo ei fuit communicata; non enim potest negari, Rempublicam potuisse dare talem iurisdictionem, vt, si vellet, obligaret subditos, cùm primum eis constaret de volitione ipsius, etiam sine solemniori promulgatione, potuisse etiam magis limitatam eam iurisdictionem conferre. Ergo ex actuali concessione pendet scire, qualis ea iurisdictio sit de facto; quia tamen de 33. eiusmodi circumstantiâ nihil constat, sub quâ formâ de facto fuerit concessa, crediderim non aliam de facto esse, per se loquendo, necessariam promul

Lex non obligat in actu secundo, nisi sit promulgata.

Lex diuina positiua cur actu nos obligare possit quomodocumq; sit promulgata.

Disquiritur an etiam in aliis Legislatoribus quacumque promulgatio sufficiat.

Talis promulgatio

Digitized by Google

Lex per se requiritur, quæ voluntatem Principis subditis sufficienter intimet.

promulgationem, quàm quæ ex naturâ rei requiritur, vt scilicet sufficienter subditis intimetur volitio Principis, siue id fiat interueniente solemni promulgatione, siue sine illâ. Dixi *per se non requiri aliam*; nam, vtrùm ex determinatione ipsorum Principum maior requiratur, & quæ illa, dicetur fusiùs infrà.

Pro quo aduertendum, etiamsi Legislator creatus habeat vim obligandi sine publicâ manifestatione, adhuc tamen in eius esse potestate ita suas leges statuere, vt nolit eas obligare, nisi sub hac aut sub illâ solemnitate promulgentur; quia non tenetur Legislator obligare subditos omni modo quo potest, sed liberum ei est apponere hanc aut illam conditionem, sine quâ nolit eos obligare. In quo puncto nulla potest esse difficultas; & hinc fit, vt ex ipsorum Legislatorum voluntate de facto non obligent leges humanæ tam canonicæ quàm ciuiles, nisi datâ solemni aliquâ promulgatione: quæ autem illa debeat esse, magis in particulari declarabitur agendo de eis legibus in particulari; vbi etiam dicetur, an de facto lex debeat scripto promulgari. Dico *de facto*; nam ex naturâ rei, ipsam materialem legis scriptionem necessariam non esse, videtur extra controuersiam: vt enim in præceptis particularibus non requiritur (de facto enim nos obligant sine vllâ scriptione) ita nec in legibus; quia hæ à præcepto non differunt, nisi in eo, quòd non ad vnam personam, sed ad communitatem referantur, vel quòd sint stabiles. Quæ differentiæ per accidens se habent ad necessitatem promulgationis per scripturam. Denique licet in mundo nulla esset scriptura, possent tamen esse leges.

Cur leges de facto non obligent nisi solemniter promulgatæ.

34. *Lex non est opus scripto promulgari.*

An Pontifex aliis; Legislatores obligare possint sine exteriori promulgatione.

Tertiò illud in dubium verti potest, an de facto Pontifex habeat à Deo concessam facultatem obligandi independenter etiam ab omni exteriore promulgatione, vt si ille diceret, *Volo quantum possum te obligare ad tale Officium diuinum v. g. recitandum*, ego verò diuinitus id intelligerem ante vllam ipsius externam promulgationem, tenerer eo ipso illud dicere. Eadem difficultas suo modo moueri potest in Superioribus Religionis, an scil. vi voti in eos transtulerimus potestatem nos obligandi; quomodocumque constet nobis, etiam sine exteriore mandato, de eorum voluntate: habet etiam locum in ordine ad alios Superiores & Legislatores, an Respublica in eos transtulerit potestatem adeò amplam: habet etiam difficultas hæc locum in ordine ad alia præcepta quæ leges non sunt; nam illa à legibus non differunt nisi in eo, quod lex respiciat communitatem, & requirat aliquam stabilitatem; præceptum verò possit vnam solam personam respicere: pro quo impertinens est ea vis obligandi sine externâ promulgatione; vt & paulò antè notaui circa promulgationem per scripturâ. Deniq; difficultas hæc habet maiorem locum in illis Regibus qui armis iustè subiugarunt aliquod Regnum: hi enim non acceperunt à communitate iurisdictionem; vnde non videtur intelligi limitata fuisse potestas ab ipsis subditis: ideò enim dixi suprà, in Legislatoribus creatis communiter eam iurisdictionem à Deo aut ab ipsâ communitate prouenire, vt exciperem casum in quo iam vltimò sumus; in quo videtur quæstio omnino independens à concessione aliorum; & consequenter quasi ex principiis intrinsecis ipsius iurisdictionis secundùm se erit decidenda: nam licet superiùs dixerim, de facto necessariam esse aliquam externam promulgationem, dixi tamen non tam id prouenire ex parte ipsius iurisdictionis, quàm, eò quòd sine externis signis non possumus nos aliorũ voluntates noscere: vnde adhuc locus est præsenti quæstioni, scilicet, *an si diuinitus sine externis signis illam nosceremus, sequeretur in nobis obligatio parendi.*

35.

Posset hîc locum habere sententia Patris Vasquez, qui promulgationem externam putat esse imperium Superioris, ideò eam dicit omnino necessariam: verùm hanc reieci suprà disput. 1. vbi ostendi, etiamsi admittatur actus intellectus, qui sit imperium, non tamen posse vllo modo dici ipsam externam locutionem esse formale imperium, sed summùm esse illius signum: hac ergo opinione reiectâ, putarem, per se loquendo, Legislatores omnes habere eam vim; nam in præceptis particularibus, si priuatim dicant, *Hoc* v. g. *volo*, eo ipso obligant; ea autem materialis locutio ideò præcisè videtur requiri, vt subdito innotescat voluntas illius; nec enim sonus ille habet vllâ ex se vim obligandi; ergo si independenter ab eo sono mihi innotescat ea obligatiua voluntas, non minùs tenebor parere, quàm si innotuisset per loquelam. Ratio à priori est meo iudicio manifesta, quia ea quæ non requiruntur propter se formaliter, sed vt medium ad aliquem finem, non possunt esse necessaria, casu quo per aliud medium finis ille obtineatur: atqui exterior manifestatio solùm requiritur, vt in subdito causet cognitionem eius volitionis Legislatoris; ergo si hæc cognitio per aliam viam causetur, non erit necessaria altera manifestatio.

36.

Decidituꝛ quæstio affirmando.

Ratio conclusionis à priori.

Dixi *per se id non requiri*, quia per hoc non nego, posse ex liberâ voluntate transferentis iurisdictionem id requiri: etenim (vt suprà insinuaui) in potestate ipsius est apponere hanc aut illam conditionem, etiamsi ex naturâ rei ea non sit necessaria. Hinc tamen ad propositum nostrum dico, cùm hæc conditio non sit ex naturâ rei necessaria, non debemus, nisi quando expressè est apposita, eam requirere. Id quod in omnibus contractibus & rebus moralibus intelligendum est; non enim debent requiri cõditiones plures quàm illæ, quæ ex naturâ rei sunt necessariæ, nisi clarè constet aliunde à Principe esse nouas conditiones appositas vt essentiales. Cùm ergo votum obedientiæ Religiosæ non adhibeat eam exceptionem; neq; item in potestate à Deo concessâ suo Vicario ea reperiatur limitatio, & sic in aliis, non debemus nos eam dicere esse necessariam. Hæc resolutio solùm est probabilior; nã qui diceret præsumi debere datam eam potestatem solùm ad obligandum more humano, id est, interueniente externâ promulgatione, non facilè posset reiici. Aduerto vltimò, quidquid inferiùs dicemus de solemnitate eius promulgationis, non ita intelligendum, quasi non possint aliter leges ferri; sed quia ipsimet Legislatores nolunt suâ potestate in omni latitudine vti, sed eam limitant ob iustas causas, de quibus infrà. Satis nunc in communi de eâ necessitate promulgationis.

37.

Cur promulgatio exterior ex naturâ rei non requiratur.

SECTIO V.

Quomodo hæ conditiones ad legem pertineant.

HVcusque solùm diximus legem debere esse circa materiam iustam, quæque sit in bonum commune, ac denique perpetuum; an verò hæc sint per modum conditionis extrinsecæ

38.

Digitized by Google

ipsi legi, necessariò tamen requisitæ; an verò sint aliquid intrinsecum & per modum partis ipsius legis, non declarauimus. Nonnulli obiter hanc quæstionem mouent circa honestatem materiæ præceptæ; est tamen communis his circumstantiis hucusque explicatis; ideò pro omnibus ego quæstionem hanc instituo. Ij auctores, qui, vt dixi, circa honestatem legis difficultatem hanc tetigêre, dicunt, eam esse conditionem purè extrinsecã: id quod posset inde probari, quòd iustitia materiæ legis est obiectum illius: atqui omne obiectũ est quid ab actu à quo respicitur distinctum; ergo & ea honestas distinguitur à lege. Confirmatur: Nemo dicet ieiunare esse legẽ, sed esse id ad quod ex lege teneor; ergo ieiunium est extra legem: quod si ieiunium non est quid legis, multò minùs ipsa honestas ieiunij erit pars legis. Multũ de nomine videtur in hac quæstione misceri; si enim semel conceditur eas circumstantias esse ita necessarias, vt sine illis lex desinat esse talis, ad vocem videtur reducendum: an illæ dicendæ sint pars, an verò conditio: quia tamen etiã de bono loquendi modo debemus esse soliciti, & relabitur hæc difficultas in connotata, ideò.

An conditiones ad legem requisitæ eam intrinsecè constituant.

Quid aliqui hac in re sentiant.

39. *Conclusio Prima Perpetuitas actualis nec est pars nec conditio essentialis legis.*

Dico Primò: Perpetuitas actualis non est de essentiâ intrinsecâ legis, imò nec conditio essentialis. Probatur manifestè. quia potest dari lex vera & propria sine actuali perpetuitate. Si enim legem heri à Principe latam cum vi manendi in perpetuum hodie ipse Princeps aut eius successor abroget ob iustas causas, sine dubio non habet de facto, neque habuit actualem perpetuitatem, & tamen fuit in omni rigore vera & propria lex; ergo hæc non requirit actualem perpetuitatem, sed summùm vim durandi in se seu perpetuitatem in actu primo: de quâ vi est eadem difficultas quæ de iustitiâ actuali materiæ præceptæ, & vtilitate illius; pro quibus.

Conclusio Secunda. Honestas vtilitas & durabilitas materiæ legis sunt partes illius essentiales.

40. Dico Secundò: Statutis principiis communibus quòd scilicet essentialiter non possit esse lex, nisi materia illius sit iusta, vtilis, & modo durabili imperetur, videtur omnino euidens, hæc omnia esse partes essentiales legis, & non quid extrinsecum. Ratio meo iudicio est manifesta ex his quæ contra connotata variis in locis dixi; nam omnis illa entitas, quâ solâ in rerum naturâ ablatâ, & omnibus cæteris manentibus, aufertur denominatio alicuius totius, est pars aut constitutiuum intrinsecum illius totius, & non quid illi extrinsecum: atqui in præsenti puncto talis est ea honestas & vtilitas materiæ legis; ergo sunt partes essentiales illius, seu aliquid illi per modum partis intrinsecum. Consequentia est euidens; maior verò ex terminis nota: quia si illa entitas ablata nihil est de formali constitutiuo seu essentia totius, ergo eâ purè ablatâ, si reliqua eò ipsâ distincta manent, manebit tota essẽtia & totum formale constitutiuum illius totius, ergo & manebit totum: patet quia hoc ne quidem ratione distinguitur ab omnibus suis partibus, seu à totâ suâ essentiâ. De veritate ergo eius maioris non debet dubitari, quam fusè multis in locis probaui; & terminis explicatis reuerà nec dubitari de illâ potest. Iam ad minorem, quæ certissima est iuxta omnium sententiam; & pono v.g. exemplum in ieiunio: esto Legislator sit idem numero, ideóque habeat eamdem in actu primo iurisdictionem; esto voluntas præcipiens mihi illud ieiunium sit omnium eadem; si intelligamus auferri ab eo ieiunio purè eius honestatem, non habet ea volitio rationem legis: ergo ea honestas pars erat illius volitionis vt legis, quia ablatâ solâ honestate, cæteris omnibus manentibus, aufertur lex.

Ablatâ præcisè honestate auferetur lex.

Respondebis, vt multi in similibus materiis respondent, eam iustitiam esse conditionem vt volitio illa habeat vim legis. Sed contrà euidenter, quia τὸ *habere vim legis*, quod de nouo concedis in illâ volitione, nihil est aliud quàm ipsa positio honestatis: si enim est positio alicuius nouæ entitatis in illâ volitione, assigna illã entitatẽ: quòd si nulla noua est entitas, ergo re ipsâ ea iustitia non est conditio ad aliam entitatem, sed pars eius totius. Sicut si quis diceret. Albedo est conditio vt ego sim albus, haud dubiè malè loqueretur; quia conditio vt talis debet esse ad aliquid à se distinctum: quod si præter id quod vocas conditionem nulla alia entitas ponitur, non erit illa conditio, sed seipsâ accedens formaliter complebit totum. Et satis de hac quæstione.

41. *Replica.* *Reijcitur.* *Conditio vt talis est ad aliquid distinctum.*

SECTIO VI.

Concluditur ex dictis definitio legis.

IN hoc puncto non est magna difficultas suppositis his quæ diximus ad legem esse necessaria, & quibus ab aliis præceptis ostendimus eam differre. Quâ de re optimè disserit Pater Suarez cap. 12. & Salas cap. 11. vbi multas variorum auctorum definitiones referunt. & meritò reiiciunt, quia sapiunt singulares opiniones circa naturam legis. D. Thom. q. 1. art. 2. ait, *legem esse dictamen rationis practicæ in Principe qui gubernat aliquam communitatem perfectam.* Quæ ideò mihi non placet, quia lex non est actus intellectus, sed potiùs voluntatis, vt suprà, diximus, Sæpè item potest Princeps habere dictamina practica, ad quæ non obliget per legem. Aliter Pater Suarez eamdem definitionem reiicit, quia nihil in eâ dicitur de promulgatione. Ego tamen, quia suprà dixi promulgationem ex cõmuni modo loquendi esse extra conceptum formalem legis, ex eo capite non reiicerem illam definitionem. Aristoteles 10. Ethic. cap. 2. definit, *legem esse sermonem ab aliquâ prudentiâ profectum.* Verùm hæc latissima est definitio; omne enim consilium, omne prudens dictum complectitur: sed derelictis his aliisue similibus, quæ ex doctrinâ traditâ facilè possunt refutari, magis videtur Diuus Thomas quæst. 90. art. 4. ad rem accedere; ait enim, *Lex est ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet promulgata.* Hanc ita Suarez explicat, vt τὸ *ordinatio rationis* non significet actum intellectus: eam etiam Pater Salas adhibitis variis explicationibus tuetur. Censeo tamen non posse verba D. Thomæ sustineri, si reiiciatur actus intellectus, in quo imperium consistat; cũmque eum actum nos reiecerimus, etiam debemus & hanc reiicere. Adde, eam totam conuenire consilio dato à Principe toti communitati. Respondebis, consilium non petere vllam iurisdictionem. Sed contrà, quia siue id petat, siue non; nihil in eâ definitione ponitur de eiusmodi exigentiâ. Nam si Rex toti communitati in bonum daret aliquod consilium, particulæ omnes eius definitionis illi conuenirent. Respondebis Secundò, τὸ *ordinatio* non conuenit consilio. Sed contrà, quia nisi aliter verba ponantur, omnino conuenit: nam consilium commune ordinatur ad bonum commune; & omnis suasio bona ordinatur ad bonum,

42. *Varia legis definitiones proponuntur, & respuuntur.* *Definitio D. Thomæ.* *Improbatur, quia lex est potiùs actus voluntatis.*

43. *Alia definitio D. Thom.* *Etiam improbatur.* *Satisfit replicis pro definitione legis à D. Thom. factâ.*

Tertiò.

Digitized by Google

Tertiò, desideratur in eâ definitione perpetuitas. Quartò, ea particula, *ab eo qui curam communitatis habet*, non conuenit legi æternæ; quia illa per se (vt diximus suprà) non pendet à Deò. Denique in eâ difficulter condistinguitur promulgatio ab ipsâ rationis ordinatione, vt etiam superiùs ostendimus.

44. *P. Suarez melioré tradit legis definitionem.*

Ego, quam ipse Pater Suarez tradidit, longè clariorem, meliorem & breuiorem iudico, *Lex est commune præceptum iustum ac stabile, sufficienter promulgatum.* Verùm, iuxta paulò antè dicta de promulgatione, fortè illa vltima particula posset omitti; sed hoc parui momenti est: posset etiam omitti *tò iustum*; non quia necessum id non sit, sed quia (vt dixi superiùs) sicut lex iniqua non est lex, ita præceptum iniquum non est verè præceptum; ergo verbum illud *præceptum* iam includit iustitiam: nihilominùs tamen omnino retinendum iudico, tum quia non facit definitionem longam, aliunde verò rem optimè declarat; tum quia licet iniquum præceptum non sit verè præceptum, quia tamen sæpè solet dici iniquum mandatum, &c. non nocet si ea particula ibi apponatur: denique, quia saltem vt distinguatur à præcepto non quidem iniquo, sed indifferenti; quod fortasse verum esse potest præceptum, non tamen constituet legem. Omnibus ergo pensatis ea definitio mihi videtur esse optima; nec occurrit in eâ aliquid, quod explicatione indigeat. Dices: Non est in eâ positum, quod debeat esse in bonum commune; quod tamen suprà diximus necessarium esse ad legem. Responderet nonnemo: Si præceptum non sit in vtilitatem communitatis, non obligare. Contrà, quia inde non sequitur eam vtilitatem esse explicatam in aliis particulis. Respondeo ergo, vel eam includi in *tò iustum*, vt suprà nos agentes de eâ vtilitate diximus; vel certè non esse necessarium aliud bonum ad omnem legem ex parte materiæ, quàm quod in ipsâ actuali eius obedientiâ consistit; quia simpliciter potest aliquid mandari eâ solùm ratione, vt in eius executione obedientia ostendatur, vt suprà fusiùs dixi.

DISPVTATIO V.

De effectibus, subiecto, mutatione & virtute productiuâ legis.

SECTIO I.

De effectibus legis in communi.

1. HVIVS eâ de re Pater Suarez agit à cap. 13. vsque ad 18. & Pater Salas disput. 3. per totam ferè eadem ordine, omnia tangit quæ Pater Suarez; meo tamen iudicio res est facilior, quàm vt tam longum exigat discussionem. Requiro totam rei substantiam complectar.

SVBSECTIO I.

Vtrùm effectus à lege intentus sit facere homines bonos.

RAtio dubitandi esse potest prima, quia lex non dat vires ad fugiendum malum, ergo non iuuat vt homines sint boni. Secunda, quia leges politicæ & ciuiles non tam videntur ordinatæ ad hoc, vt homo sit bonus, quàm vt pax & temporalis disciplina seruetur. Tertiam addo magis difficilem; nam lex, quæ prohibet aliquid alioquin ex se licitum, non potest vllo modo conducere, vt homo sit bonus: nam si eâ lege non latâ homo non vitasset eam materiam, tam bonus esset tunc, quia cõtra nullam legem egisset, quàm iam sit eamdem materiam intuitu prohibitionis vitando: ergo ea lex non potest ordinari ad faciendum hominem bonum.

2. *Conclusio affirmatiua. Lex facit bonum non effectiuè, sed directiuè.*

Conclusio tamen communis explicatis terminis certa est; finem intentum à lege esse, vt faciat homines bonos; non quidem dando vires physicas vt boni fiant; id quod libenter concedimus primæ rationi dubitandi; sed dirigendo & illuminando: vt ille, qui alteri ostendit viam, per quam sine periculo incedere possit, procul dubio valdè illum iuuat ad feliciter conficiendum suum iter, esto, neque illum gestet in vlnis, neque illi det equum, currum, &c. Cùm ergo lex ostendat id quod vel vt malum debet vitari, vel vt bonum amari, ad idque homines inducat, dubitari nequit, omnem legem naturâ suâ ordinari ad faciendos homines bonos. Id quod magis declarabitur, dum fundamenta opposita conuellentur.

Quî omnis lex naturâ suâ ordinetur ad faciendos homines bonos.

Ad Primum quidem sufficienter responsum est per proximè datam distinctionem duplicis modi causandi, directiuè & effectiuè. Ad Secundum dicimus, hoc ipsum, quod est, homines in Republicâ pacem seruare, & temporalem vitam quietè transigere, esse obiectum honestum & honestissimum ex se: vnde si quà tale illud ametur, actus poterit habere magnam honestatem. Vide quæ de fundamento seu primâ radice honestatis & malitiæ moralis 3. Tomo diximus, & superiùs insinuauimus. Ad Tertium, quod difficilius est, respondeo Primò, non esse idem. *Hoc obiectum non esse malum*, &, *esse positiuè bonum*: admitto ergo ante multas leges positiuas aliqua obiecta non fuisse mala; at nego, ideò ea fuisse bona: postquam verò illa imperata sunt aut prohibita, habent saltem honestatem illam obedientiæ: ideò homo ea obiecta nunc exequens obediendo legi melior fiet, quàm anteà eadem obiecta nondum mandata amplectens: id quod sufficit vt dicatur lex intendere homines bonos efficere: sufficit enim ad hoc vt in maius bonum eos dirigat. Secundò, & melius, respondeo. Esto per se loquendo non sit honestius gestare arma v. g. postquam id præceptum est, quàm non gestare ante præceptum; nihilominùs illam legem tendere, vt faciat homines bonos aut meliores; nam ea gestatio nunc ordinatur ad præcauendum aliquod malum imminens Reipublicæ, nisi gestentur arma, aut certè ad aliquod bonum obtinendum; ideò saltem mediatè in bonum ciuitatis ordinatur. Explico, ire per hanc plateam v. g. idem est moraliter, ac ire per illam; ideò si mandaretur alicui, ne iret per hanc, sed per illam, non redderetur homo melior, si præcisè consideremus physicum motum; si tamen legislator

3. *Satisfit rationibus dubitandi.*

4. *Gestationem armorum esse meliorē post, quàm ante præceptum vsendi, & geri.*

giſlator prohiberet eam plateam huic homini, cò quòd, ſi per illam iret, eſſet graue periculum animæ, aut certè corporis incurſurus; non dubium, quin ea prohibitio in bonum illius ordinaretur, ſeu vt bonum illum faceret conſeruando illum, ne in malum ruetet. Hæc eſt ratio à priori, cur leges prohibentes aut mandantes ea quæ ex ſe antea erant libera, dicantur ordinari vt faciant homines meliores; quia ſcilicet ſemper eo animo inponuntur, vt vel eâ prohibitione vitetur periculũ ex illis imminens; vel vt è contrario aliæ res fiant, per quas acquirat homo bonum, quod neglexiſſet omittendo illas. Quòd ſi aliquando mandatur id quod nullam aliam vtilitatem habet quàm ipſius obedientiæ (quod tamen, vt ſuprà dixi, rarò contingit) ſaltem tunc intenditur bonum quod relucet in hoc, quod eſt obedire ſuo Superiori.

Cur lex tam prohibens quàm mandans etiam indifferentia cenſeatur facere homines meliores.

5. *An & quomodo ſatisfaciendo legi peccari poſſit.*

Dices adhuc Primò: Lex poteſt ſeruari etiam peccando; ergo non tendit vt faciat homines bonos. Reſpondeo Primò id eſſe præter intentionem legis; nos autem non dicimus ſemper facere meliores, ſed ad id ordinari: etenim, ſi quis non obediat legi, certè non fit melior, ſed potiùs peior: at hoc eſt præter intentionem legis. Secundò reſpondeo, in eo actu malo, quo quis obedit legi, eſſe aliquid boni ſaltem materialiter, licet aliunde vitietur: qui enim reſtituit feminæ pecuniam eo animo, vt illam alliciat ad fornicationem, licet contra caſtitatem peccet; in genere tamen iuſtitiæ operatur bonum morale, eſto abſolutè nihil mereatur.

Dices Secundò: Lex antiqua vocatur à Paulo ad Romanos 7. lex mortis: & cap. 4. dicitur operari iram; & cap. 5. ſubintraſſe, vt abundaret delictum. Reſpondeo, ideò legem à Paulo ſic vocari, quia reſpectiuè ad noſtram legem gratiæ videtur lex iræ, & perinde ac ſi eſſet mala; conſtat autem abſolutè, ipſum ad eoſdem Romanos cap. 7. dixiſſe legem ſanctam, & mandatum ſanctum, iuſtum & bonum. Ratio diuerſitatis inter antiquam & noſtram eſt, quòd antiqua præcipiebat, non tamen dabat vires ad exequenda præcepta; quas vires ſpecialiter nobis Deus dõnat in lege gratiæ ob Chriſtum eius auctorem. De quâ differentiâ fuſiùs infrà agentes in particulari de vtraque lege. Reſpondeo Secundò: ideò antiquam legem quaſi indirectè dici cauſare iram; quia cùm multa valdè præceperit, nec contulerit vires, vt diximus, fuit indirectè cauſa peccatorum pro tempore iram: id quod præter intentionem eſt legis; vt ſit in omnibus aliis: ſi enim ſubditi nolint obedire, lex indirectè cauſat iram, iuxta Paulo ante dicta: quo etiam ſenſu lex gratiæ in variis perſonis iram cauſat; ideò ſolemus dicere, *Hoc præceptum, illa lex eſt petra ſcandali*, non tamen ideò eſt mala & abroganda; habet enim alia maiora bona, quæ magis præponderat.

Quomodo lex vetus iram operata ſit.

6.

Cur lex, etſi indirectè cauſet ſcandalum non ſit abroganda.

SVBSECTIO II.

Quomodo obligatio ſit effectus legis.

Vt obligandi eſt ipſa eſſentia legis.

Dico Primò, obligationem ex ipſâ non tam eſſe effectum legis quàm eſſentiam ipſius: formaliſſimè enim in ipſâ lege includitur vis obligans, ſicut in homine vis rationalis; ſed quia ad vocem ſpectat, vtrùm dicenda ſit nec ne obligatio effectus legis, an verò pars eſſentialis illius, eo puncto omiſſo, quæritur, vtrùm ſiue per modum effectus, ſiue per modum paſſionis, ſiue per modum eſſentiæ, omni tamen legi conueniat ea vis obligans.

Pro quo dico Secundò, id videri ex terminis notum (vt ex ſuprà dictis ſatis conſtat:) nihil enim aliud intelligimus per legem quàm præceptum generale, &c. præceptum verò obligare ex terminis conſtat; ideò in hoc puncto hærendum ampliùs non cenſeo. Vide Patrem Salas eâ diſput. 3. ſect. 1. vbi pro eâ re multa congerit Scripturæ, Patrum, Philoſophorum & Iuriſtarum teſtimonia.

Obiicies: Lex permittens & pœnalis non inducunt obligationem: non enim tenetur homo ad eam pœnam quærendam, neque ad rem permiſſam. Secundò, priuilegium commune eſt lex, vt dicam infrà; & non inducit obligationem, ergo. Reſpondeo vno verbo ad Primum, legem permittentem non dici propriè legem reſpectu perſonæ, cui aliquid permittit, ſed reſpectu illorum, qui alioquin potuiſſent & forte debuiſſent id impedire. V. g. meretrix publica permittitur; lex illa non reſpicit meretricem: neque enim propterea meretrix poteſt excuſare ſuum peccatum, illúdque in legem reiicere: lex ergo illa iudicem reſpicit, ne poſſit meretricem punire. Ad Secundum de pœnâ dico illam legem eſſe vel propriè reſpectu iudicum, vt pœnam infligant; vel reſpectu reorum, vt teneantur pœnam acceptare: vnde ſicut lex non dicit vt quærant eam pœnam, ita nec ad id obligat. Ad inſtantiam è priuilegiis reſpondeo, ſi ſint communia in bonum alicuius ſtatus, vt quæ clericum eximunt à ſæculari iudicio, etiam obligare: non enim poteſt clericus ei priuilegio renuntiare. Secundò dico, illud non ſolam habere rationem priuilegij, ſed ſimul oneris: non enim ſolus tenetur clericus non comparere coram ſeculari iudice; in quo eſt ratio priuilegij, & quæ vt ſic formaliter illum ad nihil ligat; ſed ſimul etiam tenetur comparere coram Eccleſiaſtico Iudice: in quo puncto ligatur propriè, & vt ſic non eſt formaliter priuilegium. Tertiò dico, priuilegia quà talia non eſſe propriè leges, ſed potiùs exemptiones à legibus: id quod ad quæſtionem de nomine pertinet. Vel denique, vt in lege permittente notatum eſt, dici poteſt illud priuilegium obligare ſaltem alios, ne poſſint illum qui priuilegio fruitur vexare, eo quòd non ſeruet communem legem. de quo fuſiùs infrà diſputatur, à nonnullis hac occaſione, vtrùm conſilia ſint lex; ita enim ab aliquibus vocantur: & D. Thom. conſilia Euangelica ponit inter partes legis gratiæ. Reſpondeo tamen, conſilia non poſſe vllo prorſus modo dici legem; ſumus enim in quæſtione de voce, in quâ vel ab ipſis pueris ſcitur, aliud eſſe ſuadere, aliud legem ferre: quod verò aliquando impropriè dicantur lex nihil interest: ſæpiſſimè enim ſolemus per tranſlationem nomina rebus mutare. Diuus autem Thomas nomine legis gratiæ intelligit ſtatum poſt Chriſtum Dominum, quo ſenſu etiam auxilia & fauores, quos Deus nobis confert; quæ tamen nullo modo nec quidem impropriè ſunt lex de qua agimus; dicuntur tamen ad legem gratiæ pertinere.

7. *An lex permittens, pœnalis & priuilegium obligent.*

quos propriè reſpiciant hæ leges.

Quænam priuilegia obligent.

8. *Priuilegia quà talia non ſunt propriè leges.*

Conſilia nequeunt dici lex niſi impropriè.

Quæres, an ſola lex inducat obligationem. Ratio dubitandi eſt, quia votum particulare, præceptum, promiſſio, aliqui multi, quæ non ſunt lex obligant. Pater Suarez cap. 14. docet ſemper oriri nem obligationem prodire ab aliquâ lege; quia etiam hæ omnes obligationes voti, promiſſionis, &c. fundantur (vt & nos ſuprà ad aliud propo

Omnis obligatio prodit ab aliquâ lege.

Digitized by Google

propositum notauimus) in generali aliquâ lege: v.g. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere*: item, *Quidquid Superior imperauerit debet executioni mandari*: sine illâ enim vniuersali propositione hoc particulare præceptum nihil efficeret.

Eccle.5.

9. Ego primùm censeo in hoc sensu rem esse extra controuersiam, & benè à Patre Suarez dici omnem obligationem ab aliquâ lege prouenire: Secundò tamen addo, non propterea absolutè dicendum solius legis esse vim obligatiuam: etenim in eo casu sicut votum non obligaret, nisi esset lex illa generalis; ita hæc generalis lex non obligaret, nisi esset votum: vt enim obseruaui suprà, docens in omni obligatione legem aliquam naturalem interuenire, conclusio numquam sequitur ex solâ propositione vniuersali, sed æquè immediatè partialiter ex minori: vnde nó est tribuenda obligatio soli vniuersali illi legi; ergo non est solius legis obligare, esto in omni obligatione interueniat lex: quod aliud longè est.

Vis est solius legis obligare.

Probatur id ad hominem contra Suar.

Id ipsum ostendo euidenter ad hominem contra Patrem Suarez (licet quæstio hæc, vt dixi, multum habeat de nomine;) ipse enim docet, omnẽ legem verè obligare, tam positiuam quàm naturalem: atqui, si modus discurrendi illius valeret, debuisset planè dicere, solam legem naturalem esse quæ obligat; alias verò leges omnes positiuas etiam diuinas deberet comparare voto, præcepto & promissioni: id quod ipsi contrarium est. Probo verò manifestè subsumptum; nam sicut dicit ipse, ideò voti obligationem reduci ad legem, quia non essem formaliter obligatus per votum, nisi reduceretur totum ad legem illam, *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere*; & sic de cæteris obligationibus à lege distinctis: ita eodem planè modo dicam ego, nullam omnino legem positiuam obligare, nisi quia debet recurri ad legem illam naturalem, *Obediendum est Deo, vel cuicumque alij Superiori legitimè mandanti.* Vides ergo non cohærere duas ipsius conclusiones; quarum vna negat aliquid aliud à lege verè obligare; altera asserit omnem legem obligare: quo enim sensu tribuit legi positiuæ obligare, ideóque dicit non solùm legem naturalem habere vim obligandi, sed etiam omnes leges, eodem dicere modo debebit, non solius legis effectum esse obligare, sed id etiam aliis rebus distinctis conuenire.

10.

Quomodo extra præter legem naturalem dici possint obligare.

Fortè Tertiò dici posset absolutè, tamquam ex primâ radice, omnem omnino obligationem prouenire à lege, & quidem naturali; proximè verò & quasi immediatè etiam compleri eam obligationem per leges positiuas, & per alia quæ non sunt leges, vt per votum, promissionem, præceptum particulare, &c. Et satis de quæstione hac ad modum loquendi ferè pertinente; oportuit tamen etiam in hoc ipso ostendere quomodo sit consequenter loquendum.

SVBSECTIO III.

Quomodo sint effectus legis præcipere, prohibere, permittere, & punire.

11. IVdico dubium hoc esse planè nullius momenti, & ex dictis hucusque facillimè decidi posse. Pater Suarez cap.15. ait conuenire quidem omni legi obligare, non tamen id solùm, sed etiam præcipere, prohibere; ego verò aliter clariùs dico τὸ *obligare* esse rationem genericam legis, præcipere verò seu prohibere esse differentias. Etenim & lex, quæ prohibet furtum, obligat ne homo furetur: & quæ præcipit Sacrum, obligat vt illud audiam. Non ergo ea debent vt quasi disparata ab obligatione, sed vt species illius intelligi: quod etiam notauit Pater Salas lect.3. Deinde τὸ *præcipere* non benè ponitur vt effectus legis, cùm potiùs sit ipsa essentia illius. Et quidem ipsemet Pater Suarez (vt suprà vidimus) definit legem esse commune præceptum, iustum, &c. quomodo ergo iam ipsam partem essentialem definitionis ponit vt effectum illius? éstne effectus hominis animalitas & rationalitas? iis ergo relictis dico, legem diuidi in præcipientem & prohibentem; vbi non accipio τὸ *præcipere* vniuersaliter: in hoc enim sensu dixi immediatè antè esse definitionem legis in communi: accipitur ergo pro præcepto mandante aliquid fieri; & vt sic condistinguitur ab alterâ lege, quæ prohibet actionem aliquam positiuam, v.g. ne fureris: hæc lex solet dici obligare pro semper; quia nullum furtum v.g. est licitum, nullum mendaciũ; item nullo tempore. At altera lex, quæ alio nomine dici solet affirmatiua, non obligat ad omnes actus intra suam materiam multò minùs omni tempore: v.g. lex audiendi Sacrum die festo non obligat vt toto die & omnia Sacra audiam, sed ad vnum. Circa hanc diuisionem legis potiùs quàm effectus illius nihil ampliùs occurrit dicendum.

Præcipere & prohibere sũt species obligationis.

Præcipere est essentia legis.

Lex diuiditur in præcipientem & prohibentem.

Lex prohibens obligat pro semper, non autem præcipiens seu affirmatiua.

12. In lege permissiuâ quomodo detur obligatio non tam circa actum ipsum, quàm ne puniatur qui illum admittit, &c. dixi suprà; nec est operæ pretium id repetere: solùm aduerto, permissionẽ Dei, quatenus non impedit peccata, cùm posset ea impedire, non pertinere ad genus legis: accipitur ergo hîc permissio, quatenus per legem aliquam publicam tolerantur impunè in Republicâ aliquâ mala ad vitanda grauiora; vt dixi de meretricibus publicis: Iudæi etiam hoc modo in multis locis tolerantur. Permittitur etiam iure ciuili marito sine pœnâ capitis occidere vxorem in adulterio actu deprehensam. An verò ad bona opera permissio extendatur, dicam paulò post.

12.

Qua permissio Dei non pertineat ad genus legis. Quanam in Republicâ sint leges permissiuæ.

Aduerto Secundò, permissionem, quatenus nec prohibet nec præcipit actum, non esse propriè legem, sed potiùs carentiam legis: vnde vt ad legem reducatur, debet esse positiuum aliquod mandatum saltem impediens, ne ob eam actionem homines puniantur: an verò sicut est dictamen naturale dicens, *Furtum fugiendum esse*, ita etiam sit dictamen asserens, *Eleuare festucam nec esse bonum nec malum*, illúdque sit dicendum lex naturalis permissiua, pura est quæstio de voce. Certè ego vt sic non vocarem legem, quia nullam inducit obligationem.

Permissio quâ talis non est propriè lex.

Dices: Saltem obligat alios, ne ob eam rem castigare illum hominem possint. Sed contrà quia id est per accidens illi dictamini; vnde esto nullus alius esset qui posset castigare, esset idẽ dictamen, & tunc neminem obligaret. Sed nolo de voce & re nullius momenti diutiùs disputare.

Aduerto Tertiò, etiam esse quæstionem de nomine, an aliquando dicantur bona opera permitti an verò solùm id peccatis tribuatur: in quâ censeo etiam bona opera dici propriè permitti; ea scilicet ad quæ non est vlla obligatio: hoc enim modo loquimur ordinariè de omnibus operibus consilij, item de aliis, quæ licèt absolutè bona sint, sunt tamen minus bona quàm contraria; vt v.g. secundæ nuptiæ, imò & primæ, quæ minùs bonæ sunt quàm cælibatus & virginitas.

13.

Ea etiã bona opera permitti dicuntur, ad quæ non est obligatio.

Digitized by Google

Hac occasione disquiri posset cur dicat Isidorus, *Omnis lex permittit aliquid; vt est illud, Vir fortis petat præmium*; quandoquidem illa petitio præmij nullam causat obligationem. Respondet Pater Suarez, eam legem quodammodò obligare Principem, vt tali viro forti petenti præmium det illud, nisi aliæ causæ sint quæ id impediant. Fortassis ea obligatio in Principe datur; at non puto eam prouenire ex lege permittente viro forti vt petat præmium, sed quodammodò ante petitionem ad id teneri Principem; debet enim remunerare etiam eos qui non exigunt remunerationem. Ideò putarem ab Isidoro ibi non intellectam veram & rigorosam legem.

Explicatur dictū Isidori, Omnis lex permittit aliquid.

14. Quoad punitionem dixi suprà, quomodo lex pœnam causet; vel scilicet obligando Iudicem ad eam infligendam; vel reum, vt eam accepter quando imposita fuerit; vel etiam taxando aut determinando materiam in quâ debeat esse ea pœna: sæpè enim, maximè in legibus naturalibus, est omnino incertum quid homo mereatur: nam licet fur ex naturâ rei mereatur pœnam; quæ tamen illa debeat esse, determinatur prudenter per leges Reipublicæ.

Quomodo lex pœnam causet.

Quadam leges immediatè inferunt pœnam. Cur leges humanæ magis ad puniendum quàm præmiandum ferantur; diuinæ verò secus.

Aduerte tamen aliquas leges esse, quæ immediatè imponunt pœnam ipso facto incurrendam; vt in Canonicis illæ quæ annexas habent irregularitates, aut inhabilitates censuráue. sed de his infrà fusè. Illud restat explicandum, cur magis communiter tribuatur legibus punire quàm præmiare. Respondeo, quia cùm homines sint magis proni ad malum, magis necessaria est in Legislatore humano vis cogendi illos per pœnas, quàm præmiandi. Dixi, *in humano Legislatore*; nam diuinus, id est Deus, sicut punit omnia mala, ita per se loquendo præmio afficit omnia bona, nisi ipse operans aliunde se reddat eo præmio indignum.

SVBSECTIO. IV.

Duo dubia circa hos effectus expedita.

15. CIrca hos effectus, vel, vt dixi; potiùs essentiales differentias legis, duas tractat fusè Pater Suarez difficultates cap. 16. & 17. & Salas sectione 5. quas vno verbo expediemus. Prima est, vtrùm quælibet lex eos omnes habeat. Quamlibet legem intelligit, non quamlibet in specie atomâ, sed in specie subalternâ, hoc est, an lex naturalis eos habeat; item, an lex diuina, an etiam humana? Respondetur, Præcipere & prohibere in omni ordine legum reperiri; quia declinare à malo & facere bonum per se spectat ad bonam administrationem. Ideò lex naturalis præcipit cultum Dei; prohibet furtum; præcipit reuerentiam erga parentes; prohibet homicidium. Lex diuina antiqua sine dubio habuit etiam talia diuersa præcepta affirmatiua & negatiua: innumera occurrent eam legem legenti. Lex gratiæ aliqua præcipit, vt confessionem, Sacramentorum administrationem; aliqua prohibet, ne scil. tali & tali modo administrentur. Fortè etiam prohibet duas habere simul vxores. In legibus humanis idem etiam constat: multa enim prohibent, multa præcipiunt; quæ autem in particulari, non est huius loci.

An, & quomodo omnis lex præcipiat ac prohibeat.

16. Quoad tertium verò effectum permissionis, vtrùm scilicet in omni eo ordine legum permittantur aliqua mala, breuiter dico, *tò permittere malum*, vt ad legem spectat, iuxta suprà dicta, solùm consistere in eo, quòd alios obliget, ne puniant patrantes ea mala; nam dare licentiam ad licitè ea mala facienda, omnino repugnat, si illa sint intrinsecè mala: hoc posito, vno verbo respondeo, in naturali lege nullam esse talem permissionem. Ratio est manifesta, quia omne malum morale est punibile saltem à Deo.

An omnis lex permittat aliqua mala.

Nulla lex naturalis est permissio mali positiua. Obiectio.

Fortè dices, legem naturalem ea mala permittere non absolutè, sed respectiuè ad creaturas alias, ne illæ possint delinquentem punire: v. g. cogitationes malas sine dubio permittit eo sensu lex naturalis; nemo enim videtur posse naturaliter alterum punire propter ea peccata interiora; ergo datur permissio in ordine legum naturalium. Respondeo cum limitatione positâ, *Solutio.* seu secundùm quid posse id admitti. Addendum tamen id solùm indirectè verum esse, quatenus alij homines per se non habent notitiam actuum internorum; vnde fit vt eos punire non possint; ideò probabiliter puto legem naturalem nihil mali positiuè permittere, quasi obligando alios ne possint illud punire, sed potiùs in eò puncto se habere magis negatiuè, nec mandando, nec prohibendo eam punitionem.

17. De lege positiuâ diuinâ antiquâ dubitari potest, an positiuè impederit, ne aliqua peccata externa punirentur; item de lege gratiæ & Ecclesiasticâ. Quibus respondeo, nullam talem permissionem positiuam in eis inueniri; nam licet leges humanæ ciuiles id aliquàdo permittant, vt suprà diximus, in aliis tamen tribus nihil simile reperitur, vt per omnes eas leges discurrenti patebit. Non dico, in eis positiuè assignari pœnas pro quolibet peccato, sed nó prohiberi positiuè, ne Iudices Reipublicæ aliquod peccatum in particulari puniant. Aliqui tamen excipiunt in lege veteri peccatum repudij; quod videbatur ita permitti, vt non posset puniri: verùm hoc mihi valdè est dubium, & alioquin pro re nostrâ exigui est momenti: probabilius est, licitum fuisse illud repudium.

Neq; lex vetus, neq; lex gratiæ & Ecclesiastica mala positiuè possunt permittere.

Quoad punitionem dico, nullam legem naturalem in particulari determinare pœnam pro vllo delicto, sed solùm in cõmuni dicere, *Necessum esse in Republicâ punire multa delicta, maximè grauiora*: hoc enim dictamen à naturâ est, non ex lege positiuâ. De lege diuinâ antiquâ certissimè constat, assignatam fuisse pœnam multis peccatis. in quo non est ampliùs hærendum. In lege gratiæ non video iure diuino aliquam pœnam impositam determinatè pro vllo peccato; in Canonicis verò multæ sunt tum corporales, & cõtra hæreticos, &c. tum spirituales per modum suspensionis, &c. Denique à legibus humanis ciuilibus certissimum est pro variis criminibus varias pœnas assignatas. Illud tamen omnibus his legibus videtur commune, non esse pro omnibus delictis & peccatis ex obligatione iniunctas pœnas, quas Iudices teneantur infligere; sed multa eorum arbitrio & prudentiæ relinqui.

An aliquæ leges, & quænam, certas pœnas certis delictis assignarint.

Lex gratiæ lex mitis.

18. Secunda difficultas, quàm circa præcedentes effectus tractat fusè Pater Suarez cap. 17. est, an taxare pretia rerũ, determinare formas pro contractibus, irritationes illorum, constituere mediũ virtutũ, diuisionem dominiorum & fauores concedere, quæ omnia per leges fiunt, reducatur ad prohibitionem vel præceptum aut permissionem; aut punitionem; ideóque nulli alii sint effectus legis præter illos quatuor. Breuissimè respondeo, eos omnino debere reduci ad vnum ex illis; quia sùm dixerimus, legem vt sic esse

Quanam re ducantur ad effectus legis

præce-

Digitized by Google

præceptum, &c. necessum est, vt quælibet lex quà talis includat eam vim præceptiuam, quia ratio generica in omnibus speciebus debet reperiri quæ ratio in nostro modo loquendi melior est. Explico ergo difficultatem: Lex dum taxat pretia, obligat, ne frumẽtum v. g. cariùs aut ne viliùs vendatur; estque conditionata, *Si debet vendi, vendatur tali pretio, & non alio:* vel certè est permissiua; & eo sensu obligat Iudices, ne puniant vel venditorem vel emptorem, si eo pretio vendant aut ẽmant.

9. *Quid de præscriptione formarum in contractibus & irritatione.*

Idem dicendum de præscriptione formæ pro contractibus: ea enim lex obligat, vt si fiat contractus, sit tantùm sub eis formis: vnde peccant, qui aliter faciunt: vel certè etiam non valent contractus, si lex sit irritans aliter factos; de quo infrà: vel, vt abstrahamus iam à peccato propter leges aliquot humanas, saltem obligant in foro externo. In irritatione idem dicendum, quia (vt benè Pater Suarez) ea irritatio dupliciter fieri potest, vel prohibendo omnino actum, vel præscribendo modum, sine quo non sit validus: si hoc secundo modo fiat, iam reducitur ad primũ de taxatione pretij, & ad secundum de præscriptione formæ; in quibus ostendimus quo pacto reperiatur obligatio: si verò primo modo, erit obligatio prohibens: sicut enim lex dicit, *Non comedas*, ita etiam dicere potest *Nolo vt contrahas.*

Obiectio.

Dices: Sæpè irritatio non prohibet actum ipsum, sed præcisè ne sit validus, seu valorẽ, prohibere autem valorem nec est imperare vllam actionem, neque vllam prohibere; nam valor ille non est actio, ergo nullo modo id potest reduci ad vllum ex illis effectibus suprà positis. Respondet Pater Suarez, tunc saltem prohiberi actũ vt validum. Sed contrà, quia id nihil est aliud quàm prohibere valorem, qui, vt dixi, non est actio. Meliùs respondetur ex eodem Suarez, per eam legem prohiberi subditos, ne vtantur eâ re tamquam validâ. V. g. si irritatur matrimonium,

Solutio.

10. *Quid per legẽ irritantem prohibeatur.*

prohibetur, ne licitè ad se accedant, &c. sicut è contrario de lege permissiuâ diximus obligare saltem alios, ne puniant aut ne turbent illas personas, quibus ea res permittitur.

Constitutio medij virtutis nequit prouidè fieri per legem.

De constitutione medij virtutis nihil dico, quia sæpè obseruani id non fieri propriè per leges: nam esto millies sit prohibitum mihi vinũ, & ego bibam quod pro siti extinguendâ necesse est, & nullo modo capiti nocere potest: peccabo quidem contra præceptum; at non in specie peccati, quod committerem, si sine præcepto biberẽ ad ebrietatem, vel nocumentum sanitatis. Addo, tamen, si ea constitutio medij spectet ad legem, clarè ostendi, quomodo reducatur ad obligationem seu prohibitionem, quatenus mandat, ne plus minúsve fiat.

Diuisio bonorum dominiorúmque traditio à potestate ad ministratiuâ ost.

Circa diuisionem verò bonorum & traditionem dominiorum dico, formaliter non prouenire à vi legislatiuâ, sed à potestate administratiuâ & dominio alto in bona; licèt à iurisdictione postea prouenant leges, quæ eas donationes & diuisiones confirmant, cæteris imperando ne turbent possessionem eorum, quibus res illæ donatæ sunt: & idem est de priuilegijs, vt suprà ostendimus, declarando, quomodo illa pertineant ad leges.

Cur reuocatio legis non sit lex.

11. In reuocatione denique legis nulla est difficultas, quia illa vt sic ablatio legis est potiùs quàm lex; quòd si per nouam legem abrogetur, tunc necessum est, vt ea secunda lex effectum aliquem habeat alium, seu præcipiat aliquid nouũ, vel è contrario prohibeat: nam reuocare præcisè antiquam legem, non potest esse lex; sicut destruere non est formaliter species productionis, sed potiùs illi opposita. Et satis de quæstionibus his, quæ vel sunt maiori ex parte de nomine, vt notaui, vel non adeò magni momenti.

SECTIO II.

De subiecto legis, seu, an viatores omnes sint legibus subiecti.

LOquendo vniuersaliter, nulla potest esse in præsenti neque etiam cum hæreticis dissensio de re: diximus enim suprà illud dictamen rationis naturale, quo dicitur, *Furtum, iuramentum falsum, odium Dei, &c. malum esse*, esse propriè legem, ideóque Deum quodammodò legibus teneri non ab alio sibi Superiore impositis, sed quæ in ipsius sapientię & bonitatis naturâ fundantur. Neque puto vllum posse adeò esse stultum hæreticum, qui eo sensu non agnoscat multa esse naturâ suâ mala, quæ Deus facere non possit; vt falsò iurare, seipsum odio habere, esse infidelem, iniustum, &c. ergo in eo sensu necessum est, vt omnes fateamur, non solùm viatores homines, sed omnes omnino personas rationales esse subiectũ legis, seu teneri aliquibus legibus: ergo quæstio non habet vllam difficultatem absolutè & vniuersaliter loquendo, saltem ratione legum naturalium. Video hîc Patrem Suarez cap. 18. putare, hæreticos iudicare, iustos liberos esse ab omni lege simpliciter: pro quo citat verba Lutheri, quę Cardinalis Bellarminus lib. 4. de iustificatione cap. 1 ex quodam eius sermone refert, *Cauēamus à peccatis, sed multò magis à legibus & promissionibus.* Verùm, cùm ibi admittat Lutherus peccata aliqua, necessum est admittat dictamina aliqua quæ illa prohibeant; ea autem dictamina, vt diximus, sunt lex; imò ipsum debere cauere à legibus, quod Lutherus docet, sine dubio in eius sententiâ ab aliquo naturali dictamine deberet prouenire: ergo ille solùm leges positiuas humanas reiecit, fortè etiam diuinas.

Omnes personæ rationales, imò & ipse Deus naturali legi tenentur.

12. *Lutherus non omnes leges humanas & diuinas reiecit, sed solum positiuas.*

Quæstio ergo in eo solo sensu potest esse controuersa cum hæreticis, an leges positiuæ, seu diuinæ siue humanæ obligent omnes homines tam iustos quàm peccatores. In quo puncto hęretici sibi semper similes planè contradictoria loquuntur; ex vnâ enim parte docent, neminem quantumuis iustum posse legem seruare, sed potiùs peccare in omnibus; vbi eo ipso dicunt, iustos habere legem, quam transgrediantur: ex aliâ verò parte, vt libertatem Christianam extollant, dicunt iustos nullis legibus teneri: quomodo autem ea duo in eorum Calepino componantur, non multum curo, quia ex terminis apparent cõtradictoria. Catholica ergo & certissima sententia docet, omnes homines tam iustos quàm iniustos legibus esse obstrictos: & quidem tot sunt ex sacrâ Paginâ testimonia pro eâ veritate vt nec in dubium verti deberet: vbique enim Christus Dominus in Euangelio cum iustis loquens eos ad mandata diuina seruanda hortatur, maximè toto illo sermone ante vltimam cœnam Ioannis 14. & 15. *Si diligis me, mandata mea seruate. Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* item Matth. 9 *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata,* & Ioannes in suæ Epistolæ primæ cap. 2.

Hæretici hic sibi ipsis contradicunt.

13. *Omnes iustos & iniustos legi subiacere ex Scripturâ testatissimum est.*

Digitized by Google

Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. & Paulus passim eam veritatem repetit. Et quidem esto hæreticis permitteretur error stultus, quòd non sint necessaria bona opera, sed sufficiat fides; id saltem debent fateri, eius fidei præcepto illos esse subiectos, & nisi illud obseruent, ac fiduciam habeant, non posse saluari; ergo saltem illi legi, seu præcepto, seu mandato credendi, fateri debent esse subiectos etiam iustissimos: ideò addo, sicut non est credibile hæreticos dixisse, iustos non teneri ad non mentiendum, non iurandum falsò, &c. vt paulò antè notaui (quomodo enim eò stultitiæ deuenissent, vt negarent vllum planè esse opus, quod sit contra naturam rationalem, cùm id vel ab ipsis stultis videatur agnosci?) ita nunc censeo, os nec negasse absolutè præcepta omnia diuina, sed iniectos fuisse præcisè in solas leges Ecclesiasticas, ideóque eas ab ipsis negatas, ne cogerentur agnoscere supra se Pontificem vt cuput Ecclesiæ. Quâ de re fusius inferiùs agentes de eis legibus; vbi ostenndemus, quomodo per illas homines obligentur. Inuehuntur etiam hæretici sæpè in ciuiles leges ob eamdem planè causam: videbantur enim eò collimare, vt excuterent à se omnem omnino subiectionem humanam, tam ciuilem quàm Ecclesiasticam; sed de ciuilium legum vi ad obligandum infrà specialiter dicam. Vide Patrem Salas disp. 4. sectione 1. multa congerentem contra hæreticos.

Iusti ad minus præcepto fidei tenentur secùndùm hæreticos.

14.

Hæretici videntur negasse solas leges Ecclesiasticas & ciuiles.

SECTIO III.

Respondetur primo testimonio

25. ILlud est ex primâ ad Timoth. 1. *Sciens hoc quia lex iusto non est posita.* Multæ afferuntur expositiones, quas discutiunt Suarez suprà cap. 19. & Vasquez disp. 166. per totam, & Salas vbi proximè. Prima est, quod Paulus voluerit dicere, comminationes, & pœnas, quæ solent per leges statui, non tam esse pro iustis quàm pro iniustis; iustos enim operari benè, non timore pœnæ, sed virtutis amore. Obijcit Vasquez, id vniuersaliter non esse verum; quia etiamsi, qui sunt valdè perfecti, maiori ex parte operentur eo affectu, multi tamen iusti inferiorum classium ex timore operantur. Huic impugnationi respondet Suarez, Paulum locutum non de eo, quod in omnibus omnino reperitur, sed de eo quod est quasi per se, &, vt sic dicam, in sensu formali. Nam si iustus operetur ex iustitiâ, non indiget coactione, sicut dicit Ioannes 1. Epist. cap. 3. Iustus, seu, *omnis qui in eo manet, non peccat*, id est, quà iustus; nihilominùs non satisfacit hæc responsio; nam etiam iustus quà iustus indiget coactione; cùm enim actus ille, quo homo timore pœnarum inferni remouetur à peccato, sit actus iustitiæ, sine dubio procedet à iusto quà tali; & tamen sæpissimè, si tunc non esset ille timor, iustus ille peccasset; ergo etiam quà iustus indiget eâ coactione. Addiderim, longè ratiores esse, qui eo timore nó indigent, quàm qui indigent, ergo.

Primum testimonium S. Pauli 1. Tim. 1. Lex iusto non est posita.

Prima expositio, iustos operari benè non timore pœnæ, sed virtutis amore. Obycit Vasquez.

Respondet Suarez.

Non satisfacit.

Fortè sic posset ea expositio sustineri, vt timor ille pœnæ sit etiam malus; diximus enim alibi, si quis tale habeat propositum, *Facerem hoc, si non esset pœna*, eum peccare iuxta materiæ grauitatem, de quâ proponit: ergo Paulus solùm hoc vult dicere; Iustus non ita mouetur timore pœnarum à lege impositarum, vt habeat animum id faciendi, si non esset pœna.

Quomodo ea expositio sustineri posset.

Secunda expositio, quæ multis magis placet, est, legem vt comminantem non esse pro iusto, quia cùm hic seruet legem, non incurret pœnam illius, sed pro iniusto; qui cùm legem non seruat, incurrit pœnam: ac si diceretur, Non est proposita pœna pro seruantibus legem, sed pro transgressoribus illius: ideò non est cur iusti terreantur pœnâ, quia illam non incurrent. Ego tamen in hac expositione illud video difficile, quòd eo sensu Paulus tradidisset vnam doctrinam valdè claram, & infantibus ex terminis notam. Quòd enim lex dicens, qui fuerit adulter lapidetur, non comminetur eam pœnam non adultero, quis vmquam dubitauit aut dubitare potuit? Cùm ergo Paulus videatur eò loci aliquam singularem doctrinam tradere; ideò enim quasi attentum prius reddit Timotheum per ea verba, *Sciens hoc*, & quidem *hoc*; ex cuius ignorantiâ videtur Paulus insinuare prioribus verbis multos Doctores malè de lege sensisse; nullus autem potuit in eo puncto errare; mihi videtur valdè probabile non fuisse intentum Pauli, quem ea expositio ei tribuit, etiamsi Pater Vasquez eam maximè approbet eo cap. 2.

26. *Secunda expositio: Lex vt comminans non est pro iusto.*

Difficultas contra illam.

Tertia expositio est, quam P. Suarez approbat, licet non admodum consequenter ad ea quæ dixerat num. 1. vt scilicet D. Paulus ibi loquatur solùm de lege veteri, dicátque illam latam esse solùm ad retrahendos Iudæos ab idololatriâ & alijs vitijs, ad quæ erant maximè propensi; ideóq; dicatur imposita iniustis, vt eos faciat iustos, retrahendo eos ab eis peccatis. Quam expositioné ego confirmo ex Tertulliano; qui tractans, cur Deus tam minutas res tórque cæremonias imposuerit populo, respondet lib. 2. Aduersus Marcionem, id fecisse, vt se accommodaret propensioni illius populi in sacrificia erga idola; & transtulisse eos ad sacrificia erga se, ne sacrificarent idolis; concludit enim in hæc verba Tertullianus: *Populum pronum in idololatriam eiusmodi officijs religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio sæculi agebatur, vt ab eâ auocaret, sibi iubens fieri quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinqueret.*

27. *Tertia expositio: Lex est tantùm posita vt iniustos retrahat à peccatis.*

Approbatur, & confirmatur.

Illud tamen circa hanc expositionem obserúo, iuxta illam *tò lex* non tam debere intelligi de Decalogo; in hoc enim præcipiuntur quæ omnibus communia sunt, & quæ etiam nunc obligant, quia naturalia sunt præcepta; debet ergo de lege præscribente cæremonias, sacrificia, &c. ad quod propositum etiam induco Ambrosij verba in Epist. ad Titum, vbi hæc habet: *Nam si vtilia essent ea omnia quæ Deus imposuit Iudæis, tũc data essent, quando lex in tabulis data est; sed quia post tanta signa prodigiorum & legem conditam irreuerentes & ceruicosi inuenti sunt, talia ac tanta acceperunt, in quibus respirare non possent. Hinc & Petrus in Concilio, Quid imponitis iugum suprà ceruices fratrum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Hæc Ambrosius: quæ mihi maximè videntur apta tam ad hunc locum quàm ad alia, quæ ex sancto Paulo statim afferemus; ideò hanc expositionem sic confirmatam maximè approbo. Alias expositiones minoris momẽti omitto, quia hæc tertio loco allata sufficientissima est; & ex eâ nihil planè pro hæreticis.

In tertiâ expositione tò lex nõ intelligitur de Decalogo sed de lege cæremoniali.

28. Dices: Lex antiqua imposita fuit omnibus Iudæis; atqui non omnes illi fuêre iniusti, sed multi iusti & sanctissimi: ergo non potest ibi sensus esse, quasi solis iniustis sit posita. Respondeo, aliud

Digitized by Google

Solutio. *Lex vetus imposita est omnibus, sed non propter omnes.*

aliud esse eam impositam omnibus, aliud verò propter omnes. Primum admittimus, secundum negamus, dicimúsque Paulum solùm dixisse eam impositam propter peccatores, licet, quia lex generalis est, debuerit obligare omnes.

SECTIO. IV.

Explicantur alia testimonia.

29. *Secundum testimonium S. Pauli ad Galat. 5. Non estis sub lege. Explicatio P. Vasquez ex Adamo desumpta.*

SEcundum sit ex eodem Paulo ad Galatas 5. *Quòd si Spiritu ducimini, non estis sub lege.* P. Vasq. vbi suprà eamdem huic loco expositionem tradit, vt scilicet non esse sub lege idem sit, ac non debere timere legé, quia eam non transgrediuntur, ideóq; pœnam ab eâ statutam non debent timere: id quod confirmat, quia cùm in eodem capite Paulus enumerasset omnia opera spiritus, addidit, *Aduersus huiusmodi non est lex*; ac si dixisset, *Talia facientibus non nocet lex.* quæ expositionem ex Adamo desumpsit.

Refellitur.

Ego tamen non dubito, quin alius sit ibi Apostoli sensus. Etenim, cùm totâ eâ Epistolâ agat Paulus contra illos, qui Galatas ad obseruationé legis Mosaicæ rursus inducere tentauerant, & in eodem capite id clarè ostenderit; videtur manifestum, voluisse dicere, eos qui iam Spiritu sancto seu Christi aguntur, non esse sub obligatione legis Mosaicæ. Quam expositionem Pater Suarez defendit, adducit autem pro eâ aliqua testimonia Chrysostomi & aliorum Patrum, quæ tamen non multum vrgent. Ad rationem Patris Vasquez in contrarium respondeo, Paulum non eo sensu dixisse, *Aduersus huiusmodi non est lex*, hoc est, *Pœna legis non est contra hæc facientes*: vt enim obseruauj suprà, hæc veritas valdè erat omnibus per se nota; idcò non est credibile Paulum in eâ persuadendâ laborasse adeò fortiter; voluit ergo ibi dicere, ab eo, qui ea opera facit, non esse exigendum aliquid amplius, id quod elegantèr Chrysostomus, à Patre Suario & Salas suprà citatus his verbis tradidit, *Quid enim præcipiat illi, qui omnia in se habeat, etiam perfectam Philosophiæ magistram charitatem?* idipsum tradidit ad hæc vltima verba Theodoretus & Theophylactus.

Alia melior expositio Suarez.

30. *Obiectio. Per legé hic intelligit Paulus præcepta Decalogi. Efficacitèr refellitur Vasquez.*

Dices, Paulus expresè eodem capite dixit legem instaurari eo verbo, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; ergo Paulus intellexit ibi nomine legis præcepta Decalogi: ad quæ etiam nos de facto obligamur. Facilè tamen respondeo, & inde potius confirmo hanc explicationem: videtur enim ibi Apostolus dixisse, *Lex quantum ad ea quæ necessariò obseruanda sunt, in uno hoc verbo instauratur, cætera innumera, quæ includebat lex antiqua, non nos obligant.* Et ex eisdem verbis ego argumentor satis efficaciter contra Patrem Vasquez, probóq; non fuisse mentem Pauli, præcisè dicere legem non esse contra obseruatores illius, sed solùm contra transgressores: etenim ad hoc intentum malè dixisset Paulus in eo verbo, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, totam legé contineri: etenim omnia cæremonialia antiqua non instaurabantur in eo vno verbo; quia cæremonialia non includebantur in naturalibus præceptis, *Non occides, Non mœchaberis*, &c. quæ tamen instauramus eo verbo, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: deinde, esto instaurarentur, quid hoc ad propositum illud, Lex non est nisi contra transgressores à Christo fuit instaurata?

31. *Tertium testimonium S. Pauli ad Rom. 6. Non sub lege estis, sed sub gratiâ. Expositio P. Vasquez. Refellitur.*

Tertius locus est ex 6. ad Romanos: *Non sub lege estis, sed sub gratiâ.* Pater Vasquez putat hìc à Paulo nomine legis intellectum esse dominiũ peccati, quia in eo sensu sequenti capite videtur ab Apostolo vsurpari τὸ *lex*. Ego tamen, etiamsi Apostolus eo ipso capite in verbis antecedétibus satis insinuet se in eo sensu loqui, vt, *Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* &: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*: nihilominùs certum iudico, non fuisse in præsenti eum sensum à Paulo intentum; ait enim: *Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratiâ.* Ecce ad excludendũ dominium peccati Apostolus attulit pro ratione, eos nõ esse sub lege; inde infero, Ergo τὸ *non esse sub lege* non est idem ac *non esse sub dominio*; quia tunc fuisset causalis Pauli identica: *Non estis sub dominio, quia non estis sub dominio*; seu, *Peccatum non erit vester dominus, quia non erit vester dominus.* Quæ ratio indigna est Paulo. Confirmo id

32. *Ratione elusori idem confutatur.*

euidenter ex sequentibus immediatè; inde enim Paulus infert per interrogationé, *Quid ergo? peccabimus, quoniam nõ sumus sub lege, sed sub gratiâ?* Ex his sic argumentor: *Si non esse sub lege* idem esset ac *non esse in peccato*, seu *sub dominio peccati*, fuisset ea interrogatio planè indigna Paulo, & in se quasi contradictionem afferens; perinde ac si dixisset, *Ergo quia non sumus sub dominio peccati, sumus sub eo dominio*: vbi nulla species illationis probabilis. At si *sub lege* explicetur vt à nobis, id est, *vt non teneamur amplius lege antiquâ*; rectè videtur inferri, *Ergo iam possumus quæcumque facere, quia liberi sumus à lege prohibente.* Peccare enim ibi à Paulo non accipitur pro inobedientiâ formali contra legem; id enim esset dicere, *Faciamus contra legem, si non habemus legem*: vsurpatur ergo pro hoc, quod est, facere aliquid, quod in se materialiter (vt solemus dicere) malum est: sicut hæretici quodammodò inferunt, Non habemus legem, ergo omnia possumus, fornicari, inebriari, &c. & licet ea consequentia non esset omnino formalis & bona, habebat, tamen aliquam apparentiam, ratione cuius potuit Apostolus per modum dubij illam inferre.

Vera & communis explicatio.

Vera ergo explicatio eius loci est, quæ communiter traditur, scilicet, Paulum dixisse, Non estis iam sub onere illo antiquo tot cæremoniarum & obligationum, ac sine viribus ad ferendũ illud; lex enim antiqua multa præcipiebat, & penum iuuabat iam verò estis sub gratiâ, quæ pauca imperat, & magnas vires dat ad imperata exequenda; vnde non debetis dominium & regnum peccati timere, quia illud à vobis facillimè potestis repellere viribus gratiæ, sub quâ estis. Esse clarissimam eorum verborum & contextus explicationem. Quam eleganter, vt solet, expressit Chrysostomus homiliâ 11. in eam Epistolam his verbis, *Lex erat iubens tantùm, nihil tamen auxilij afferebat; gratia verò & priora peccata remittit & ad futura nos munit.* Augustinus item lib. de Corr. cap. 3. *Non sumus sub lege bonum quidem iubente, non tamen dante, sed sumus sub gratiâ; quæ id quod lex iubet* (præcepta naturalia) *faciens nos amare, quid est legis implere.* Ex qua explicatione

Lex vetus multa præcipiebat & pauca iuuabat, sed sub gratia pauca imperat & multa iuuat.

33.

pro

pro intento hæreticorum nihil infertur. Imò addiderim, Esto concederemus hæreticis, ibi Paulũ dixisse, iustos esse à lege liberos, tamen ex sequenti contextu probari manifestè, saltem indirectè eos esse subiectos. Cùm enim Paulus ibi supponat toto eo capite, posse eos, qui iam sunt in gratiâ, iterùm cadere & fieri subditos peccatis; si enim id esset impossibile, gratis tot repeteret admonitiones, ne iterùm fierent sub iugo peccati & ei subditi; oportet ex mente Pauli concedere aliqua esse præcepta, quorum transgressione peccare possint iusti; eo autem ipso admittendum est eos aliquibus legibus teneri.

Cur iusti saltem indirectè legi sint subditi.

34. *Alia Pauli loca pro Christiana libertate adferri solita nihil probãt.*

Quarto loco afferri ab hæreticis solent ea loca quibus à Paulo commendatur libertas Christiana: verùm ea omnia nullius sunt momenti pro eorum intento: solùm enim Paulus ostendit libertatem nostram ab illis innumeris cæremonijs, &c. Vide quæ ex Ambrosio & Tertulliano ad hoc propositum diximus. Adde, posse eam libertatem explicari nõ à lege, sed à seruitute peccati: quam libertatem sæpè Paulus prædicat valdè. Quo sensu etiam antiqui iusti, licèt sub obligatione legis, erant tamen liberi, non sub iugo peccati. Neque vmquam inuenietur in Paulo locus, vbi dicat, non teneri homines mandata diuina seruare, aut liberos esse ab eâ obligatione, eo ipso quòd iusti sint.

35. *Hæretici suo se gladio hic iugulant.*

Ex Iacobo Apostolo ausi etiam sunt hæretici pro se asserere testimonia; mirandũ tamen valdè, cùm enim plurimi eam negent Epistolam, eò quòd ipsorum deliria de exclusione bonorum operum manifestè reijciat, iam tamen, vt maiores adhuc errores specie tenus auctoritatis confirmẽt, eam approbant. In eâ autem Iacobus solùm dicit cap. 1. *Qui perspexerit in legem perfectam libertatis*, &c. vbi non negat omnem legem, sed antiquam; quæ erat ob grauia onera lex seruitutis, ipso Iacobo teste in eo Concilio, de quo in Actibus Apostolorum: expressè autem & ibi & hîc opera requirit Iacobus, & obseruationem mandatorum & legis: id quod fusiùs deducit cap. 2. Vnde vel hinc apparet deliros planè esse hæreticos, qui, vbi vel vnicum verbum sibi quodammodò fauens intuentur, illud arripiunt, esto locus ille totus quantus manifestè sit contra ipsos. Et satis de hac quæstione; alioquin, vt initio dixi, ex terminis notâ.

SECTIO V.

De mutatione legis: an fieri possit: & quotuplex ea sit.

36. *Vt duplex in physicis est mutatio, ita & hîc.*

DVplex in rebus physicis solet esse mutatio; accidentalis vna, altera substantialis: illa non destruit essentiam rei, sed variat tantùm aliqua accidentia; vt cùm homo ex sano in infirmum, ex indocto in doctum, &c. mutatur. Secunda verò mutatio destruit essentiam rei; vt cùm homo moritur & mutatur in cadauer, cùm lignũ in ignem, &c. Sic etiam modo possumus in legibus duas has mutationes concipere; vnam accidentalem, quâ, lege manente, mutantur aliqua illius accidentia; alteram substantialem, quâ lex quasi destruitur, & perit.

Status quæstionis.

Aduerte tamen Primò, in præsenti non tractari in particulari, quando & in quibus legibus ea mutatio reperiatur; id enim ex professo præstabimus agentes de dispensatione & abrogatione legis ac de priuilegijs illi contrarijs; solùm ergo hîc declaramus terminos significantes eas mutationes.

Quid lex ex parte Legislatoris, subiecti & materiæ requirat.

Aduerte Secundò, legem, iuxta dicta suprà, requirere ex parte ferentis volitionem ex se stabilem; ex parte verò subiecti cui imponitur exigere veram aliquam communitatem; Tertiò ex parte materiæ conditiones aliquas iustitiæ, honestatis, vtilitatis, &c. quas suprà explicuimus.

SVBSECTIO I.

Explicantur hæ mutationes; & præcipuè quæ ex parte Legislatoris proueniunt.

37. *Quibus ex capitibus lex vtroq; modo sit mutabilis.*

HInc dicendũ est, ex hoc triplici capite posse legem pati mutationem tam substantialem quàm accidentalem. Primò ex parte ferentis, si ipse eam legem, sicut liberè instituit, reuocet etiã liberè; quæ erit mutatio aut destructio substãtialis: vel, si solùm accidentaliter eam mutet, minus plúsve ex parte materiæ aut temporis requirendo quàm priùs requisierat. Secundo modo ex parte ipsius communitatis mutari potest: si enim tota communitas desinit esse; v. g. tota vna ciuitas destructa est nemine manente: iam leges illius ciuitatis propriæ desinunt esse ex defectu materiæ: quod si augeretur aut è contrario minueretur ciuitas, quodammodò augeretur aut è contrario minueretur vis obligatiua legis: ad plures enim vel ad pauciores extenderetur iam quàm in initio; licet fortè quis contenderet, hanc non esse vocandam propriam ipsius legis mutationẽ, quia semper retinet sub eisdem generalibus terminis suam vim obligandi. Tertiò denique ex parte ipsius materiæ; si enim hæc iam desinat esse vtilis & honesta, cessabit haud dubiè lex ad illã obligans: quòd si ea materia solùm reddatur in hac aut illâ circumstantiâ mala, in alijs verò maneat bona, lex suam obligationem quasi accidentaliter tantùm mutabit: vt, si ob interdictum alicui reddatur Sacri auditio mala, lex de audiendo Sacro alioquin substantialiter manẽs non imperabit hîc & nunc eam auditionem, quę est accidentalis quædam mutatio.

38. *Alia particulares mutationũ species in legibus, sed subsequentes.*

Dixi in communi quæ sint causæ aut quasi causæ harum mutationum; iam alias particulares species explicare debemus. Circa primam ergo substantialem mutationem per volitionem Principis, dicimus posse rursus eã vno ex tribus modis contingere: primo, si ipse Legislator aut eius successor illam reuocet: in hoc autem modo potest adhuc esse magna diuersitas iuxta modos varios, quibus eam reuocationem velle potest; si v. g. purè eam legem reuocet, nihil penitus loco illius imperando; vel si eam conuertat in aliam legẽ planè ex se disparatam; si v. g. dicat, Volo vt lex ieiunij cesset, illius verò loco sit lex de audiẽdo Sacro totâ Quadragesimâ. Ecce duæ hæ leges sunt disparatæ omnino, ideóq; simul poterant esse; & tamen vna est per alteram abrogata. Potest item abrogare legem prohibendo eamdem materiam quam antea mandauerat: vt si antea lex obligabat ad gestanda arma, deinceps verò non solùm tollat eam obligationem, sed potiùs prohibeat ne gestentur; & tunc fit mutatio contraria ex parte legis, cõtradictoria verò ex parte materiæ. Potest item esse ex vtroque capite contraria; vt si imperet materiam aliam positiuam contrariam primæ, seu impossibilem cum priori: v. g. lex mandauerat priùs studium, iam condita

lex

Digitized by Google

lex noua obligans pro illo tempore ad orandū; quæ actio incompossibilis est cum studio; ideóq; hóc non licet eo tempore vt impediens rem alteram præceptam.

39. *Quis inter se istæ differant.*

Vbi Primò aduerte, licet quoad punctum destructionis prioris legis re ipsâ nullum sit discrimen, siue loco materiæ prioris mandetur alia de nouo, siue non, in ordine tamen ad modum loquendi diuersis vocibus ea duo significari; nam quando nulla noua lex succedit, tunc prior dicitur abrogari, quando verò alia materia loco prioris imponitur, dicitur cómutari. Sicut in physicis quoad punctū desitionis formæ equinæ v. g. parum interest, quòd succedat alia vel nulla planè; eodem enim modo cessat in se ea forma: at quoad modum loquendi magna est diuersitas; nā si nihil succedat, dicitur annihilata; si tamen aliquid succedat, dicitur conuersa in formam aliam.

Quando dicatur lex abrogari quando immutari

Secundò nota hanc differentiam inter eā prohibitionem studij in opere contrario mādato, & in se: quod si in se prohibeatur, semper est malum illud opus efficere; at si solùm prohibeatur indirectè, quatenus mandatur aliud incompossibile, tunc eā præcisè ratione erit illicitū, quòd impediat aliud opus: vnde si ab alterius operis directè mandati obligatione liberemur, tunc licebit nobis hoc aliud efficere. Verùm hæc differentia ad punctum præsens est per accidens; nam etiam est communis legibus non reuocatorijs aliarum, sed primò latis.

Qui lex tacite abrogari possit.

Potest etiam Princeps tacitè abrogare legē, si v. g. videns eam non obseruari communiter, potēnsq; id impedire; non faciat, censetur eo ipso tacitè consentire, & consequenter abrogare legē. Dixi *potēnsque id impedire*; nam si causæ subsint graues, ob quas ille censeatur inuitè rem hanc ferre, non censetur consentire; ideóque nec abrogare legem. sed hac de re fusè, dum de consuetudine disputandum erit. Hi modi ad mutationem substantialem spectant, quæ potiùs est destructio legis, & vocari solet abrogatio seu irritatio, seu commutatio; potéstque fieri vel ab ipso Legislatore, vel à successore illius, vel ab alio habente iurisdictionem supra illum.

40. *Quando ac tualiter mutari possint leges.*

Circa accidentalem verò mutationem aduertendum, etiam posse variè à Legislatore ipso fieri, vel in eâ dispensando cum vnâ solâ personâ; vt cùm dat Pontifex alicui licentiam vt non ieiunet; aut cum totâ communitate ad aliquod tempus. Dico *ad tempus* aut *cum vnâ personâ*: si enim dispensatio esset vniuersalis ad omnes ciues, & insuper perpetua, procul dubio re ipsâ esset reuocatio.

Dispensatio ad omnes & perpetua est lege reuocatio

Obiectio.

Dices: Reuocatio seu abrogatio ex conceptu suo essentiali differt à dispensatione; ergo quomodocumque extendatur ea dispensatio, semper erit diuersa à reuocatione. Et potest differentia etiam in casu præsenti assignari; quòd si solùm fuit dispensatio, eo ipso, quòd vel idem Legislator vel eius successor diceret, *Ego tollo eam dispensationem*, iam obligaret antiqua lex sine nouis alijs cæremonijs: quòd si fuisset abrogata, tunè debuissent de nouo interuenire omnes conditiones, quæ ad ferendam legem sunt necessariæ, perinde ac si antèà nulla fuisset lex. Respondè, Si res consideretur prudenter, eam differentiam vix vllam esse; quia eo casu dicere, Ego reuoco eam dispensationem in lege ieiunij, moraliter esset idem omnino, ac constituere de nouo legem ieiunij: quod verò de cæremonijs requisitis dicitur, non est ad rem; quia præter volitionem ipsius Principis & honestatem ex parte materiæ, nihil aliud tunc requireretur ad legē nisi præcisè sufficiens promulgatio. Addo tamen, si fortè ob hanc differentiam qualem qualem velit quis eā dispensationem generalem & in perpetuum non vocare abrogationem legis, non debere id multum curari; reducetur enim tota res ad quæstionem de voce.

Soluitur. Dispensatio ad tēpus qua vocanda.

Aduerte Primò, eam dispensationem ad tempus ab aliquibus vocari suspensionem legis, quia eius obligatio videtur ad tempus suspensa; sed res est de voce & parui momenti.

Aduerte Secundò disputari à nonnullis fusè, vnde deriuetur ea vox *dispensatio*; sed pro nostro intento sufficiat scire, quid significet tam de facto, vndecumque illa accepta sit: fortè dum de eâ specialem instituerimus disputationem, aliquid de deriuatione dicetur.

41. *Quid mitigatio & aggranatio legis.*

Tertio modo Princeps potest mutationem accidentalem facere in lege aliquid de eius obligatione minuendo, aut augēdo, vt dixi suprà; hęc autem dici solet mitigatio, aut è cōtrario aggrauatio legis: quòd si in aliam similem circumstantiam vna prior mutetur, tunc neutro ex his nominibus poterit compellari, sed debebit dici pura mutatio accidentalis.

Licitia quid

Posset etiam addi quartus modus, qui dicitur licentia quâ solet Princeps obligationem legis tollere. Verùm benè obseruauit Pater Suarez, licentiam non tam esse mutationem ex parte legis, quàm positionem conditionis ex parte materiæ; sine quâ conditione materia illa licita non erat. V.g. lex religiosa dicit, *Nemo egrediatur domo sine licentiâ*; certè, quando postea Superior dat licentiam non mutat legem, sed apponit materiæ conditionem, quam lex requirebat, vt liceret ille egressus ex domo.

Svbsectio. II.

Alia duæ mutationes ex parte subiecti & materiæ declarantur.

42. *Qui fiat mutatio legum ex parte subiecti.*

Quoad secundum modū mutationis ex parte subiecti, præter ea quæ superiùs diximus, illud solùm occurrit notandum; quando scilicet, ex eo quòd desinat quis v.g. esse ciuis Pragensis, iam ipsum non obligat lex Pragensis; si tamen rursùm redeat Pragam fiátque ciuis, eo ipso obligari; nullam factam esse in lege propriam mutationem, quia hæc indefinitè omnes obligabat sub eâ conditione, *Si essent, & quando essent ciues Pragenses*: si verò tota ciuitas destructa esset, tunc penitus perijsset lex; esto posteà in eodem loco noui incolæ eiuitatem reparauerint: non enim censerentur antiquis legibus obligari, quia esset moraliter tunc distincta Respublica, nisi casu quo supremus Princeps, sub cuius iurisdictione locus ille esset, vellet ibi antiquas leges retinere suum valorem. Quæ voluntas virtualiter esset noua earum legum institutio.

43. *Qui fiant mutationes legū ex parte materiæ.*

Quomodo autem obligentur peregrini legibus ciuitatis quamdiu in eā sunt, aut è contrario ciues quando absunt, dicemus infrà suis in locis.

Circa tertiam mutationem ex parte ipsius materiæ aduerto, eam variis modis fieri posse. Primò, quia mutata est aliqua circumstantia, ob quā lex fuit lata. V.g. fertur lex, vt omnes gestent arma quamdiu hostis fuerit intra Regnum: certè cùm primùm hostis egreditur cessat lex ex mutatione circumstantiæ, sub quâ lata fuit. Vbi obiter quæri posset, an eo casu, si post aliquod tempus iterùm hostis rediret, censeretur illa antiqua lex

iterùm

Digitized by Google

iterùm sine nouâ institutione redire. Respondeo, non posse vniuersaliter dubium hoc pro aliquâ parte decidi; pendet enim à Legislatoris volũtate, quæ declaratur per formam ferendi eam legẽ: si enim vniuersalia apponantur verba; v.g. vt quãdocumq; hostis fuerit intra Regnum, &c. tunc cẽsebitur ea lex permanere quasi interrupta, donec iterùm hostis redeat; si verò verba sint magis limitata ad præsentem insultum hostilem, tunc non censebitur eius obligatio redire, licèt aggrediatur deinceps hostis Regnũ. Id quod maximè considerandum est propter leges imponentes cõtributiones in ordine ad hostem illum eijciendũ: sæpè enim causæ iustificantes eas contributiones sunt partiales, quæq; non extenduntur in omnes deinceps futuras excursiones, sed præcisè in eam, quæ de facto est: aliquando verò vel cõtributiones, vel alia quæ imperãtur per legẽ sunt in omni casu necessaria, ideóq; censentur etiã imperata in omnẽ similem euentum; sed, vt dixi, ex verbis legis id maximè dignoscendum est: quòd si verba sint dubia, tunc potiùs in fauorem populi debet iudicari quàm cõtra illum; quia est causa odiosa. Aliter potest ex parte materiç legis fieri mutatio, quatenus illa iam non est vtilis aut honesta; ideóque iam planè cessat eius obligatio, & consequenter cessat ipsa lex.

44. *Qui differãt cessationes ortæ ex mutatione materiæ, & ortæ ex abrogatione Legislatoris.*

Hanc tamen crediderim differentiam inter cessationem legis ob eam mutationẽ materiæ & cessationem per abrogationem ex parte Legislatoris: quòd si à Legislatore reuocetur, non censetur vmquam redire, nisi de nouo planè alia lex circa eamdem materiam ab eo aut aliquo alio cõdatur; at si pereat præcisè ex mutatione materiæ, satis probabile est, redeũte iterùm materiã in priorem vtilitatem & honestatem, eo ipso legem habituram suam vim, quia non videbatur tũc lex propriè in se perijsse, sed per accidens; ideóq; etiã posse per accidens redire, nisi fortè ita cessasset ea honestas, vt nulla esset tunc spes, quòd iterũ esset reditura: eo enim casu omnino videtur lex perire. Vtrùm autẽ cessante vtilitate in vno particulari, cesset obligatio respectu illius, quando mutatio materiæ solùm est quasi ex defectu vtilitatis, interim tamẽ adhuc manet licita, dicã fusè inferiùs. Solùm aduerto, in lege naturali nũquã ob similem defectum reddi materiã licitam. id quod à nobis est alijs in locis obseruatũ. V. g. mendacium est ideò prohibitum, quia ex se est contra confidentiam humanam requisitam in Republicâ politicâ; ideò tamen non redditur licitum in hoc aut illo casu, etiam vbi omnino tale periculum cessat. Dixi, si materia legis cessante eâ vtilitate adhuc maneat licita; nã si reddatur respectu huius in particulari iniusta, tunc non obligabit hunc in eo casu particulari; quia nullus vmquã obligatur ad id quod malum est hîc & nunc.

In lege naturali materia prohibita nequit vmquã fieri licita.

45. *Mutatio materiæ sæpè nõ causat mutationẽ legis.*

Aduerte, sæpè mutationem hanc materiæ non causare mutationem propriã legis. V.g. lex dicit: Omnis nõ clericus subiaceat potestati sæculari; ego antequam essem clericus subiacebam, iam non subiaceo: hęc mutatio: quòd scilicet iam ego non obliger, qui anteà obligabar, non est ex aliquâ in ipsâ lege propriâ mutatione, quia æquè vniuersalis manet ac anteà, nec in eâ dispensatur; sed quia subtrahitur conditio ei materiæ, ratione cuius continebatur anteà sub lege: quã conditionem ipsa lex ab initio petebat, vt suprà obseruani agens de licentiâ. Quando autem materia manẽs cum conditionibus in lege per se requisitis à Legislatore eximitur, tunc propriè ipsa lex limitatur ab vniuersalitate quam habuit ab initio.

46. *Obiectio.*

Dices, Etiam ab initio lex apposuit hanc cõditionem, *Obligo omnes, exceptis ijs cum quibus dispensauero deinde*; ergo, quando posteà dispẽsatur cum aliquo, & propterea cessat obligatio erga illum, non coarctatur lex; sed subtrahitur materia per ablationem eius conditionis, à quâ pendebat obligatio. Respondeo, fortè virtualiter & implicitè ita esse, quia tamen ea conditio, *Exceptis ijs cũ quibus dispensauero*, non ponitur necessariò ab initio; imò, esto tunc dicat quis, *Nolo vmquam in hac lege cum vllo dispensare*, adhuc tamen liberũ est posteà dispensare; meritò tunc dicimus legem coarctari in se, non verò materiam extrahi à continentiâ sub lege, ob mutationem cõditionis requisitæ. de quo aliquantulùm fusiùs infrà agens de mutatione in lege naturæ.

Solutio.

Quid sit ἐπιείκεια.

Præter hos mutationis modos datur alius, qui dicitur interpretatio legis; quæ etiam alio nomine dicitur ἐπιείκεια, quando scilicet ex circumstãtijs hîc & nunc occurrentibus iudicat quis prudenter, Legislatorem nõ voluisse ab initio in simili casu obligare. V. g. lex est pro Religiosis, ne exeant domo sine licentiâ: est quis ad portam Monasterij, vocatúrq; citissimè ad hominis iam iam agentis animam confessionem excipiendam; vbi si in petendâ licentiâ detineatur, euidens est periculum mortis sine confessione: tunc prudenter interpretatur ille Religiosus, non esse mentem regulæ in eo casu ipsum obligare.

47. *An, & quomodo differant interpretatio legis ac dispẽsatio.*

Dubitant hîc nõnulli, vtrùm ea interpretatio sit idem cum dispensatione nec ne? Affirmant aliqui; alij verò cum Patre Suarez suprà negant, eò quòd interpretatio non tollit obligationem legis, sed declarat eam non obligare hîc & nunc ob mutationem aliquam factam in ipsâ materia; dispensatio verò tollit ex parte obligationem legis; vnde dispensatio est fauor Legislatoris, interpretatio verò non. Placet mihi hæc resolutio; addendum tamen est, sæpè dispensationem & interpretationem coincidere: nam dispensatio etiã solet exigere causas iustas ex parte materiæ; illæ autem sæpè sunt sufficientes ad interpretationẽ; ergo in idem tunc conueniunt, nisi fortè ideò dicamus differre, quòd quando expressè tollitur obligatio ab ipso Legislatore, intuitu earum causarum dicitur dispensatio; quando verò ipse subditus iudicat, inscio Legislatore, secum alterum hîc & nunc dispensaturum, si adesset, aut non voluisse obligare, dicitur interpretatio. Et de mutationibus in communi satis; nam in particulari quæ sint ad illas necessaria, & quando locum habeant, explicandum erit infrà.

Sectio VI.

Ad quam virtutem spectet condere leges.

48. *Voluntas cõdendi leges qualem habeat honestatem.*

VOluntatem condendi leges esse ex se honestam, dubitare nemo potest; quærimus ergo ad quam virtutẽ illa spectet. Posset fortè aliquis dicere, ad nullã in particulari spectare, sed attendendum esse motiuum, quod Legislator in qualibet lege in particulari habet: si enim ferat legẽ ob vitandam fornicationẽ, pertinebit ad castitatem; si ob vitanda latrocinia, ad iustitiam; & sic non videtur habere in se vllam honestatem, nisi quæ ex particulari materiâ desumitur: si enim feratur circa materiam nullam habentem honestatem, nulla erit in eâ lege honestas; ergo hæc desumitur

Digitized by Google

desumitur ex honestate ipsius materiæ. Responderet quis, eas omnes materias conuenire in aliquâ honestate communi, ratione cuius possunt imperari; illam autem esse obiectum legis vt sic. *Nil habet sub honestate communi omnibus materijs imperabilibus.* Sed contrà: Primò, quia materiæ illæ non habent vllam aliam rationem communem honesti propriâ ipsarum, quatenus sunt à lege imperabiles, nisi rationem honesti vt sic, in quâ conuenirent, esto non imperarentur; hæc autem honestas non amatur per virtutem legislatiuam. Contrà Secundò, quia non debemus ponere vnam virtutem ad ferendâ legem vt sic & alias distinctas pro qualibet lege in particulari; id quod deberet concedi iuxta eam solutionem: nã voluntas legislatiua dum in particulari fert legem contra latrones v. g. non respicit honestatem eam communem, quæ est in cæteris materiis, sed in particulari eam, quę est in conseruandis bonis cuiuslibet, seu ne iniuria vlli fiat, hoc autem pertinet ad iustitiam: ergo hæc volitio respiciens eam specialem honestatẽ non pertinet ad virtutem legislatiuam, quàm hæc solutio ponebat, quæq; solùm versabatur circa honestatem communem etiã aliis materiis aliarum diuersarum legum.

49. *Obiectio. Actus obseruans leges & earũ ędes habet distinctã honestatem.* Dices: Sicut leges condere aliud est, quàm eas obseruare, ita specialem esse in eo actu honestatem ab eâ, quæ in obseruatione earum legum reperitur, & quidem diuersam specie; ergo debet assignari virtus particularis, quæ illam respiciat. Id quod eodem exemplo paulò antè insinuato declaro: alius enim omnino est actus, quo quis furtum fugit; alius quo mandat, vt caueatur; quia licet fortè vterq; vltimò moueatur ob honestatem iustitiæ, ex parte tamen ipsius actus longè alia requiruntur pro vno quàm pro altero; nam non furari, non requirit auctoritatem aut iurisdictionẽ; quam alter requirit; deinde, ipsum non furari non respicit nisi personam hanc particularem; quid enim alij faciant non curat; lex verò essentialiter respicit communitatem totam. Denique in mandante vt tali non potest vllum habere locum actus obedientiæ, qui in altero locum habet: ergo actus illi à diuersis virtutibus emanant.

50. *Obiectioni respondetur.* Hæ tamen rationes non videntur esse efficaces; posset enim responderi, etiam actum desiderij diuersa requirere ex parte principij ab actu gaudij; quia ad hunc supponitur obiectũ præsens, ad illud absens; & tamen non propterea hic secundus actus pertinet ad diuersam virtutem ab illo primo, si eamdem honestatem formalem habent pro obiecto: ergo si voluntas prohibens furtum respicit formalem honestatem iustitiæ, non debet dici specie diuersa ab alterâ volente non furari ob eamdem honestatem. Ratio à priori esse potest; nam differentia virtutum non desumitur nisi ex formali differentiâ obiectorum seu honestatum, quas respiciunt; & sicut alibi diximus nõ esse duas virtutes, vnam, quæ amet honestatem in non peccando repertam antequam pecces; alteram verò, quæ, postquam peccauit, eam honestatem respiciat animo auferendi maculã ex peccato relictam, esto non semper duo illi actus in eodem subiecto reperiri possint: nã qui non peccauit, certè non potest respicere honestatem cõpensationis: ita in præsenti dicendum videtur de duabus eis volitionibus mandandi honestatem iustitiæ, & eamdem exequendi. Altera item differentia suprà assignata, quòd scil. lex respiciat cõmunitatem, voluntas verò iustitiæ solùm ipsum operantem, minoris adhuc videtur momenti; *Sanctia an sint: Volitio prohibens furtum ob honestatẽ iustitiæ, & nolès furari ob eãdẽ honestatem, pertinet ad eãdẽ speciem virtutis iustitiæ.* *Reijcitur Secunda differẽtia illorũ assumpta.*

nam per eamdem virtutem castitatis, quâ ego me afficior erga eam virtutem, possum etiam optare vt alij eam seruent. Tertia deniq; differentia de actu obedientiæ non vrget, quia inde sũmùm infertur in virtute obedientiæ differre Legislatorem à non furante; at circa punctum iustitiæ nulla penitus videtur esse differentia. Adde, licet Legislator non efficiat actum obedientiæ, posse tamen habere simplicem affectum erga illum, & ex tali imperare eumdem actum: sicut affectus erga bonum castitatis, quo quis suadet alteri castitatem, potest ex eadem virtute prodire, ex quâ ipse in se castus est. *Reijcitur & Tertia.*

§. 1. *Explicatur difficultas per variæ assertiones. No repugnat habitus virtuosus productiuus actuũ, qui sit eadẽ honestatẽ & tibi & alys amet.* Difficilis est hæc controuersia, & à quâ multi ægrè se expediunt ob nescio quæ principia circa diuersitatem virtutum valdè dura, quæ diuersis locis nos reiecimus; iuxta propria verò rem totã sic decido. Dico enim PRIMÒ: Non repugnat diuinitus vnus indiuisibilisque habitus virtutis qui non solùm producat actus, quibus sibi procuret bonum eius virtutis, sed etiam pro aliis eamdem honestatem amet: in virtute enim productiuâ eorum duorum actuum nec leuissimam video difficultatem: id quod à fortiori constat ex his quæ alibi dixi, posse scil. esse vnum habitum indiuisibilem, qui eliciat actus erga omnes honestates morales quantumuis diuersas. Hinc infero, possibilem esse vnum eumdemque habitum, qui simul eliciat actus, quibus ius suum cuiq; seruet illæsũ, & simul ex affectu vt alij illud seruent imponat leges, quibus dirigantur alij ad illud seruandum, si aliunde talis persona habeat iurisdictionem ad eas leges ferendas.

§. 2. *Non repugnat alius, qui vnũ dum taxat possit.* SECVNDÒ tamen è contrario DICO, etiam non repugnare alium habitum iustitiæ v. g. magis limitatum, qui non extendatur nisi ad eliciendos actus, quibus ius alienũ seruetur ab ipso operante, non possit verò elicere actus, quibus aliis desideret aut procuret illud idẽ bonum: quo sensu diximus etiam, non repugnare vnum habitum pœnitentiæ v. g. qui eliciat dolorem & detestationẽ de propriis peccatis, nõ possit autẽ de alienis; quia neq; ex hac limitatione vlla sequuntur contradictoria. Vnde non video vllã repugnantiam in eo, quòd detur vnus habitus, qui solùm sit productiuus actuũ castitatis, non attendendo, quid alij faciant; alius item è contrario; qui solus sit productiuus actuum, quibus leges & præcepta dentur, vt cæteri eam castitatem seruent.

53. *Eadẽ honestas à diuersis virtutũ habitibus attingi potest.* Dices: Eadem honestas semper est ex parte obiecti, ergo est eadẽ amabilitas, siue seb hac siue sub illâ conditione consideretur, ergo idẽ habitus. Respondeo Primò negando consequentiã, quia licet honestas in se sit eadem, conditiones tamen illæ sæpè reddunt faciliorem, sæpè difficiliorem eius amorem: faciliùs enim quis pro se aliquando amat vnam honestatẽ, faciliùs è contrario aliquando pro altero: item eadẽ honestas in aliquibus circumstantiis magis attrahit, in aliis minùs; ratione ergo huius diuersitatis contingit, vt vnus habitus sit determinatus ad actus sub vnâ circumstantiâ, alter ad alios sub diuersâ; esto ambo respiciant idem obiectum formale. Secundò respondeo, admissâ primâ consequentiâ, negando secundam: etenim sicut circa idẽ formale obiectum, ens v. g. vt verum, possunt esse actus specie diuersi, humani v. g. & angelici; & sicuti circa eamdem omnino honestatẽ diximus alibi posse esse actus supernaturales & naturales qui à diuersis habitibus procedant: ita in præsenti dico, esto ex parte obiecti non poneretur vlla

Digitized by Google

diuersitas, nec quidē ratione conditionum, quod tamen falsum est, vt vidimus, nihilominùs actus posse esse diuersos ex modo tendendi, vt in præsenti materiâ: etenim aliud longè est, optare vt alij sint casti, aliud, pro se id velle; & sic de cæteris virtutibus.

Circa idē obiectū possunt dari actus differentes modo tēdēdi.

54. Hinc TERTIÒ DICO dubium esse, vtrùm habitus, qui de facto datur in Legislatore, tum vt leges ferat ad iustitiam seruandam in Republicâ, tùm vt ipse iustus sit; vtrùm, inquam, hi habitus sint idē inter se, an verò distincti: cùm enim eos duos actus dixerimus posse prodire & à diuersis & ab vno habitu, in se autē habitus non intueamur, difficile valdè est decidere, qualis sit ille qui de facto datur: in re tamen dubiâ consequenter ad meum ordinarium modum discurrendi dicendum putarem, non esse nisi vnicum, ne multiplicemus habitus sine necessitate.

An de facto hic habitus vnus sit dubium est.

Probabilius datur vnicus habitus ad vtrūq; actū.

Replica.

Hinc tamen replicabis, Ergo iā non ponimus aliam virtutem legislatiuam quàm aggregatum diuersarum virtutum: id quod suprà reiectum est. Respondeo, me in hoc vltimo discursu solùm procedere, casu quo virtus legislatiua non haberet aliam honestatem pro obiecto, quàm quæ in ipsâ materiâ imperatâ reperitur; vnde concludo, quod & supra dixi, rationem factam pro cōmuni conclusione non esse sufficientem, aliam ergo meliorem quærere debemus.

Soluitur.

55. Obserua igitur, honestatem, quæ reperitur in pacificâ administratione Reipublicæ, aliam esse ab honestate singularium virtutum: nam quælibet persona in se, & vt particularis est, potest exercere actus aliarū virtutum, castitatis, patientiæ, &c. nō habendo vllum actum vel cogitationem de eâ administratione: vnde fit, vt longè alia quasi principia debeat considerare Legislator ab eis, quę considerat quilibet priuatus; ea scil. quibus Reipublicæ satisfiat in rebus ad vitā necessariis: vnde tales leges debet præscribere, quibus præcaueatur, ne sit annonæ caritas: deinde, dum reliquas alias leges condit, non tā aspicit honestatem, quæ in obseruatione earū consistit, quàm quòd inde pax & concordia humana seruetur: vnde meritò possumus dicere eum habere quidē pro obiecto formali honestares aliarum virtutū, non tamen quatenus tales, sed quatenus ad politicam vitam honestè transigendā ordinantur: hæc autē honestas diuersa sine dubio est ab honestate illarum in particulari. Id quod declarari optimè potest ex his quę de obiecto formali pœnitentiæ suo loco tradidi; dixi enim, illud esse honestatem; quæ reperitur in hoc, quod est pacē habere cum Deo, seu in hoc, quod est non dare occasionem vllam displicentiæ vel offensæ: quia verò ad hunc finē sunt sæpissimè necessarij actus aliarum virtutum, vel quatenus sunt sub præcepto, ideóq; nisi efficiantur, sequetur ea inæqualitas, vel quatenus per eos potest quodammodò compensari damnum illatum obseruando eo loco, pœnitentiam esse quodammodò reflexam supra actus aliarum virtutum, quos vt ad eum finem vtiles imperat; ita in præsenti dico, virtutem legislatiuam esse quodāmodò reflexam supra actus aliarum virtutum, quia eos omnes agnoscit vt vtiles ad Reipublicæ honestam administrationem, quam habet pro obiecto formali.

Legislator condēdo leges respicit pro obiecto formali honestatē aliarum virtutū quatenus ad politicam vitam conducūt. Formale obiectū virtutis pœnitentiæ.

Virtus legislatiua est supra virtutē aliarū actus reflexiua, sed impropriè.

Dices: Legislator non habet pro obiecto actus ipsos internos subditorum, sed externos, à quibus ea administratio maximè dependet: atqui honestas eorum actuum externorum est ea ipsa, quam habent pro obiecto virtutes aliæ; ergo obiectum Legislatoris est idem cum obiecto aliarum virtutum; & cōsequenter nulla est differentia à nobis assignata. Respondeo, vim legislatiuam, si accipiatur in totâ suâ latitudine, etiam se extendere ad actus ipsos internos: vt patet in Deo, qui illos imperare potest: quòd si nolimus in eâ latitudine loqui, sed solùm de Legislatore humano, qui fortè nō extenditur ad imperandos eos actus purè internos, de quo tamen infrà, dicendum est, virtutem legislatiuam non esse propriè reflexam supra alias, sed solùm quodammodò, quatenus non sistit in eâ honestate earum actionum, vt est in se honestas quædam quasi absoluta; sed transit etiam ad hoc, quòd per eam honestatem politica vita conseruetur. Hanc virtutem vocant aliqui iustitiam legalem, non tamen explicant quale sit illius obiectum, & quomodo à cæteri distinguatur. id quod à nobis sufficienter præstitum videtur.

Vis legislatiua lacè supra cetā internos actus reflicit

DISPVTATIO VI.

De lege naturali diuinâ.

EXPLICVIMVS hucusque quæ ad legem in communi necessaria sunt, iā de particularibus legibus agendum erit; primo autem loco de æternâ diuinâ, quæ inter omnes præcipua est. Video legem diuinam esse speciem legis naturalis in communi: vnde priùs agendum videbatur de naturali vt sic, deinde de diuinâ; quia tamen, quidquid est quod in communi de vtraque dici possit, declarabitur agendo de naturali diuinâ & naturali creatâ; ideò, nullâ præmissâ disputatione de eâ lege in communi, ad species illius descendam; primo autem loco de diuinâ, vt de nobiliori & æternâ. pro quo diuisio legum saltem rudi mineruâ præmittenda erit. 1.

Ordo tractatus.

SECTIO I.

Diuisio legis in communi.

NOn est animus diuisionem legum ex parte materiæ tradere. v.g. quot sint leges ciuiles, quot canonicæ; id enim vel impertinens est, vel moraliter impossibile ob earum multitudinem, & pro diuersis communitatibus diuersitatem, solùm ergo volumus generaliores aliquos terminos, quibus diuidi aut comprehendi omnes possint, explicare. Prima ergo diuisio est in legem naturalem & positiuam. Naturalis lex est, quæ ex ipsa natura rei independenter ab omni libera voluntate Legislatoris obligat; talis est, quæ furtum, mendacium, fornicationem, &c. fugienda dictat. Positiua verò est, quæ à libera Legislatoris volitione prouenit, qua aliquid ex se non malum specialiter prohibet, aut obligat ad aliquid quod ex natura sua erat extra obligationē. Sub hac diuisione omnes omnino leges comprehenduntur: vel enim id quod prohibetur est natura sua malum; & sic pertinet ad legem naturalem: vel est malum ex libera & contingenti prohibitione; & sic spectat ad legem positiuam. 2.

Diuisio legis ex parte materiæ tradi nequit.

Quid lex naturalis?

Quid positiua.

Dices

Digitized by Google

Obiectio. Prima.

Dices Primò: Sub nullo ex his membris includitur lex diuina æterna. Respondeo negando antecedens; continetur enim sub lege naturali, vt statim dicam.

Secunda.

Secundò dices: Lex positiua potest esse etiam circa rem ex se iam priùs malam; certũ enim est, sæpissimè nouis legibus prohiberi ea quæ alioquin naturâ suâ mala erant: sic in Decalogo prohibetur furtum, fornicatio, &c. ergo malè explicata est lex positiua, esse eam quæ prohibet rẽ ex se non malam. Respondeo, me explicuisse per id quod sit ordinariè: positiuæ enim leges feruntur communiter ad res ex se non malas.

Solumtur dictiones

Rigorosa legis positiuæ definitio.

Quòd si magis rigorosè explicare velis eâ legẽ positiuam, dic, eam esse, quæ à volitione positiuâ contingente Legislatoris desumitur, non verò, quæ à dictamine naturali necessariò oritur. Adde, eam legem erga materiam naturaliter malam frequenter etiam reduci ad legem naturalem: id quod ad modum loquendi pertinet. Aliter potest lex in communi sumpta diuidi, in æternam, & tẽporalem; sub quibus membris omnes leges comprehendi, ex terminis est notum; quia quidquid est à parte rei vel incœpit ab æterno, vel in tempore: lex æterna nõ videtur posse esse alia quàm lex diuina: lex temporalis erit lex ab hominibus in tempore condita. Fateor in sententia P. Vasq. de quâ superiùs, ipsam etiam legem naturalẽ humanam dici posse æternam, quia ea solùm, consistit in natura rationali vt secundùm se non dicẽte contradictionem, seu vt possibili: possibilis autem ab æterno est: sed hanc sententiam, licet ad modũ loquendi præcisè spectet, suprà reiecimus. Quomodo autẽ ab æterno sine hominibus possit esse vera lex, dicam eas species in particulari exactè declarando.

3. Quid lex æterna: quid temporalis. Lex naturalis humana dici potest æterna secundùm Vasquez.

Lex naturalis dividitur in diuinã & creatam.

Lex naturalis potest vlteriùs subdiuidi in diuinam & creatam. Diuina est, quâ Deus v.g. prohibet ea quæ ex se sunt intrinsecè mala: creata verò est dictamẽ illud rationis, quod reperitur in homine & Angelo; & ostendit v.g. furtum esse malum & fugiendum. Vtraque autem potest rursus diuidi ratione materiarum: alia enim est, quæ prohibet furtum; alia, quæ homicidium; alia, quæ fornicationem: de hac tamen diuisione, vt paulò antè dixi, non agimus nũc, quia est infima & valdè prolixa. Fortè posset paulò generaliùs diuidi in legem naturalem respicientem Deum, & in naturalem respicientem creaturas: sub illo primo membro comprehenduntur præcepta, quæ Deũ respiciunt, vt amare, colere Deum, ei & in eum credere: sub secundo, ea quæ erga homines: quæ diuisio duabus tabulis fuit tradita; vna complectente quæ circa Deum; aliâ, quæ circa homines: & duobus verbis clauditur, *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum*, Potest eadem diuisio legis naturalis in diuinam & humanam seu creatã tradi quasi subiectiuè; vt illa sit, quâ Deus suo modo obligatur, hæc verò, quâ homo seu Angelus: v.g. hæc præcepta, *Non occides, Diliges Dominum Deum tuum, & illi soli seruies*, Deum non obligant, quia ille non tenetur in seruire sibi, aut colere se: amat quidem se, sed non vi legis, neq; vt Dominum: potest etiam occidere quem velit, &c. at, *Non est mentiendum, non iurandum falsò, non agendum contra iustitiam, standum est promissis*, &c. Deum respiciunt: non enim cõtra illa facere potest: si autem per impossibile faceret, operaretur malè moraliter.

Alia diuisio in eam quæ Deũ, & in eã quæ creaturas respicit.

4.

Lex positiua subdiuidi potest in diuinã & humanam: illa est, quæ à Deo imponitur; hæc, quæ ab hominibus: in quâ diuisione non est difficultas vlla.

Positiua subdiuiditur in diuinam & humanam.

Dices: Omnis humana potestas & iurisdictio venit à Deo; ergo omnes leges à iurisdictione humanâ impositæ erunt etiam à Deo: & consequẽter nulla erit lex humana, sed omnes diuinæ. Respondeo, fortè falsum esse antecedens; nam licet homines à Deo vt à creatore pendeant; quod tamen posteà ipsi inter se conueniant, & eligant vnum caput, à quo gubernentur, non pendet ex speciali Dei commissione: vnde, si per impossibile concipiamus hominem existere, non existente Deo, potest esse ea vis ferendi leges, sicut diximus præcedenti Tomo, datâ eâ impossibili hypothesi, etiam mendacium, furtum, &c. futurum malum moraliter, &c. ergo ea iurisdictio humana ad ferendas leges non pendet à Deo, nisi vt creante: dato tamen eo antecedente, quòd scil. penderet à Deo, etiam vt iurisdictionem specialiter conferente, adhuc negatur sequela; quia aliud est, immediatè per se ferre legem aliquam, aliud verò, constituere vnam personam cui det vim condendi posteà leges, quas ea persona iudicauerit expedientes. Primæ ergo immediatè à Deo promanantes dicuntur diuinæ: secundæ, quia solùm remotè & quasi indeterminatè ab eo oriuntur, dicuntur humanæ: estque magna inter vtramq; differentia de re ipsâ; quod primas non potest abolere nisi ipse Deus; secundas verò potest homo: quia sicut Deus dedit ei potestatem vt conderet, quas iudicaret expedire; ita etiam, vt quando vellet easdem reuocaret. Deniq; lex humana potest subdiuidi in canonicam & ciuilem: illa est, quæ prouenit ab homine ratione iurisdictionis spiritualis, specialiter illi à Deo delegatæ; ideóq; per se magis directè in bonum spiritus tendit: hæc verò prouenit à potestate laicâ quà tali; & magis per se respicit ea quæ ad corpus & exteriorem gubernationẽ spectant. Possent rursus hæ leges in alias subdiuidi ratione materiæ: verùm iam dixi me de eâ diuisione nunc nõ agere; sufficiat hæc prælibasse; quia dum in particulari eas species subalternas legis explicabimus, aliquid de infimis speciebus dicemus.

Solutio. An omnis humana iurisdictio pendeat à Deo, & quomodo.

Quæ sit differentia humanarũ & diuinarũ legũ.

5. Quid lex humana, canonica: quid ciuilis.

Sectio II.

An detur ab æterno lex aliqua diuina.

DE lege æternâ fusè admodũ P. Suarez toto lib 2. per 20. capita. & P. Salas totâ disp. 4. initio verò refert multos alios auctores eâ de re disputantes. Obseruo, malori ex parte quæstiones, quæ circa illam mouentur, esse de solo nomine, re autem ipsâ vix posse esse vllam inter Catholicos differentiã, imò nec inter hæreticos. Tangam illas succinctè, & quid rei, quid nominis, declarabo. In hac ergo sectione de existentiâ eius legis agendum erit.

6. Hæc quæstio purè est de voce: ex genuina est certa.

De hac quæstione fusè P. Suarez cap. 1. est autem meo iudicio totâ inter auctores dissensio de solâ voce. Nemo enim negat ab æterno in Deo fuisse tum dictamen rationis ipsius, quo iudicat mendacium esse malum, fugiendum, &c. tũ volitionem ipsius, quâ vult obligare homines suo tempore, ne ea obiecta mala amplectantur: item omnes Doctores sentiunt ab æterno non fuisse homines qui obligarentur eâ lege, neque item fuisse vllam promulgationem illius: nam promulgatio significat creaturam; hæc autem

Digitized by Google

ab æterno non fuit. Hæc de re omnino inter omnes certâ. Vtrùm autè ratione illius dictaminis &, volitionis æternæ in Deo dicenda sit lex æterna, an verò ex defectu hominum & promulgationis ab æterno nõ sit ea lex dicenda æterna, quis non videat purè putè esse dissensionem de solo nomine? in quâ iudico eos, qui censent promulgationem externam esse partem legis, necessariò debere dicere, legem nullam absolutè esse æternam; quia ab æterno non fuit promulgatio.

Si promulgatio externa ess pars legis, nõ datur lex æterna.

Video hîc P. Suarez multis agere, vt defendat ab æterno fuisse promulgationem aliquam; id quod D. Thomas q. 91. art. 2. ad 2. tradit, quia ab æterno productũ est Verbum diuinum, per quod facta est promulgatio: hæc enim fit per verbum seu loquelam: præterea ab æterno est liber vitæ, per quem etiam dici potest lex ab æterno promulgata quasi per scripturam. Video, inquam, hæc; quibus tamen non aduertat, hanc esse purè metaphoricam promulgationem, ac pro intento nostro nullius momenti? & in primis, cùm ipse P. Suarez censeat, legem æternam Dei esse actum liberum Dei; & alibi doceat Verbum non procedere ex cognitione liberorum, certè nec metaphoricè per Verbum promulgabitur ab æterno lex illa libera. Secundò, cùm Verbum æternum non sit id, quo Deus hominibus loquitur, sed potiùs quodámodò sibi ipsi: certè in ordine ad promulgationem pro hominibus, de quâ nunc agimus, videtur etiam loquendo allegoricè, impertinens ea productio Verbi; nõ minùs quàm si quis diceret, promulgatam esse mihi volitionẽ Superioris mei, eò quòd ille sciat se velle mandare, & produxerit apud se verbum, quo secum locutus sit de illâ lege. Quod secundo loco dicitur de libro vitæ, etiam est impertinens: nam liber vitæ allegorica vox est, & solùm applicatur prædestinatis; qui dum in cognitione Dei certò sunt, dicuntur esse scripti in libro vitæ. Constet ergo promulgationem legis non esse vllo modo ab æterno, ideóq; apud requirentes promulgationẽ vt partem essentialem legis, non posse dici dari legem æternam de facto.

Verbũ diuinũ non potest dici promulgatio legis æternæ.

Ne id dici possit de libro vitæ.

8. Fortasse respõderet Secundò quis etiam ex P. Suarez, in legibus humanis requiri vt partem promulgationem externam, eò quòd cùm voluntas hominis mutabilis sit, non censetur habere firmitatem, donec per externam promulgationẽ declaretur; at diuinam, quia immutabilis eo ipso quod existit, iam habere vim legis. Hæc tamen disparitas & reducitur ad solam vocem, vtrùm scil. ob eam immutabilitatem sine promulgatione dicenda sit lex; & videtur ea disparitas non esse pro re præsenti; nam etiam humana volitio post promulgationem potest mutari sicut antèa; vt enim antèa Legislator poterat habere volitionem, quâ priorem retractaret, ita etiam ipsam promulgationem nouâ contrariâ potest retractare. Diximus enim suprà, non esse necessum, vt lex actu sit perpetua; sed sufficere, si talis sit ex se nisi retractetur. Ergo sicut non obstante mutabilitate dicitur lex post promulgationem, ita debet dici ante promulgationẽ; ergo differentia ea desumpta ex mutabilitate nihil probat. Adde: Sicut voluntas Dei immutabilis de fugiendo furto v. g. obligat pro semper; ita mutabilis volitio hodierna creata obligat pro hodiernâ die; ergo non magis vna, vt formaliter sit lex pro suo tempore, requirit promulgationem quàm altera. Sed satis de voce.

An lex diuina potiùs quàm humana sine promulgatione possit dici lex.

Non magis lex diuina requirit promulgationẽ quàm creata

9. Aduerte tamen, hoc intelligendum tantùm de lege æternâ vt respiciente actiones hominum: nã si loquamur de eadem lege vt Deum suo modo, iuxta dicta suprà, obligante; sine dubio fuit ab æterno sufficiens promulgatio talis legis: ipsa enim diuina cognitio dictans, Deum hoc & illud facere non posse, est propria pro ipso promulgatio; vt de dictamine rationis respectu ipsorum hominum diximus aliquoties.

Lex diuina ab æterno fuit sufficiens sui promulgatio quatenus Deũ obligat.

Circa legem verò creaturas respicientem dicendũ est, in nostris principiis sine vllâ difficultate defendi, dari ab æterno veram & propriam legem, vt docet communior sententia; & propterea in quæstione de nomine tenenda. Ita enim D. Thom. hîc q. 91. art. 1. & 93. vbi ipsius discipuli communiter idem docent. Alios Scholasticos vide apud P. Suarez n. 2. & Salas sect. 1. Eamdem tradidit Augustinus lib. de Verâ religione cap. 30. & lib. de Libero arb. cap. 5. & 6. & lib. 22. Contra Faustum cap. 27. Dixi in nostris principiis rem esse claram: quia suprà ostendimus, legem adæquatè consistere in volitione Legislatoris, promulgationem verò esse solùm requisitam ad hoc, vt lex actu obliget. id quod ex communi acceptione vocis ibidem probauimus. Nam omnes videntur semper condistinguere legem à promulgatione; ideò passim quærunt, an lex non promulgata obliget. Vulgus etiam hominum dicere solet, Iam est lex, sed nondum promulgata. Ergo cùm ab æterno sit in Deo rigorosa volitio ex se in actu primo obligatiua, dabitur ab æterno vera lex. Alias rationes ex principiis intrinsecis petitas omitto, quia omnibus illis satisfit, si dicatur esse ab æterno volitionem Dei; siue ea dicatur ab æterno lex, siue non: vnde ad nullos effectus intrinsecos aut extrinsecos in tempore potest ea denominatio legis ab æterno necessaria esse; dummodo concedatur, vt conceditur, volitio Dei æterna de fugiendo v. g. furto; ergo non ex talibus effectibus, sed ex acceptatione vocis *lex* debet modo à me tradito ostendi ab æterno dari in Deo legem. Et satis de hac quæstione de voce.

Secundùm principia auctoris datur verò & propriè lex æterna.

10.

SECTIO III.

Quomodo lex æterna respiciat Deum.

DVæ sunt personæ quas respicit lex, vt dixi suprà; Deus scil. & creatura. De Deo in hac sectione; de creaturâ in sequenti. Circa Deum ergo dubium esse potest, an obligetur eâ lege: quæstio tamen tota est de modo loquendi: apud omnes enim certissimum est de re ipsâ, Deum nullum habere supra se superiorem; itẽ, habere iudicium seu dictamen rationis, quo agnoscit mẽdacium fugiendum, &c. vtrùm autem hoc dictamen quòd non sit à Superiore, non sit dicendum propriè lex, an verò è contrario, quia quodámodò obligat Deum, ne contrariũ faciat, vocandum sit lex, quæstio est de solâ voce: quã superiùs tetigi; & dixi absolutè posse vocari legẽ. Iam verò soluendæ sunt aliquæ obiectiones quæ in contrarium fieri possunt; priùs tamen circa eũ modum loquendi aliqua sunt obseruanda.

Quæstio hæc est de solâ voce.

Dictamẽ rationis in Deo est lex respectu Dei.

11. Primũ est, non intelligi nomine legis æternæ respectu ipsius Dei volitionem diuinam, sed iudicium illud ratione antecedens volitionẽ, & quo ipsa volitio quasi dirigitur. Secundò, non debere admitti eam legem in ordine ad ea quæ fiunt ad intrà per modum actionis, v. g. ad generationem Filij & productionem Spiritus sancti; quia hæ res non sunt quid morale, & procedunt physicè

Nonnulla obseruanda. Quid sit lex æterna respectu Dei. Hæc nõ est ad ea quæ fiunt ad intrà.

Digitized by Google

physicè sicut calor ab igne, vbi nulla est lex. De quâ re fusè Salas eâ disp. 4. sect. 2. Sed quia res est clarissima, non hæreo in ea diutiùs. Tertiò, neque Deum obligari vllâ lege propriâ in ordine ad producendas primò creaturas: eas enim sine vllâ obligatione summè liberè & gratiosè producit Dixi, *ad primò producendas*: nam aliquando ex productione vnius obligari potest ad productionem alterius; hoc tamen est per accidens ad punctum præsens.

Quomodo Deus obligari possit ad productionem alterius.

Quòd autem aliqui ideas rerum faciendarum vocent leges, curandum non est: lex enim, de quâ in præsenti agimus, est moralis, non artificialis: vnde sicut artificium, quod statuarius habet in suo capite, non vocatur in præsenti lex nisi impropriè; ita neq; cognitio, quam Deus habet de modo, quo producere debet creaturas, dicitur lex, nisi abusiuè. Sic aliquando solet ipsa naturalis exigentia creaturarum dici lex ordinaria: id verò quod contra eam fit, dicitur fieri contra legem naturalem seu ordinariam.

Quid sit aliquando lex ordinaria.

12. Quòd si dicas, Deus potest suo actu decernere reflexè velle creare mundum; tunc autem si id non faciat, operabitur malè moraliter, quia non erit constãs; ergo potest saltem à seipso impositã habere legem circa creaturarum productionem; respondeo, eo casu non posse Deum contrarium agere; non quia ea volitio sit lex, sed quia illa necessariò est perpetua, & non potest physicè cum contrariâ cohærere: sicut, quòd homo non possit simul Petrum v. g. amare & odio habere, aut velle efficaciter currere, & nolle efficaciter currere, minimè prouenit ab vllâ lege, sed à repugnantiâ physicâ eorum actuum. Idcò si pro declaratione maiori quæstionis datemus, Deum esse capacem mutationis physicæ, & imperfectionis quæ in eâ reperitur, tunc tamen ea non esset desumenda ex oppositione cum priori volitione liberâ, sed cum dictamine rationis necessariò dictante, *Si semel aliquid decernas facere, non debes contrarium velle.* Vnde tunc *vt decernere actu aliquid* nõ est lex, sed pura puta positio eius conditionis, sub quâ vetatur à verâ lege volitio ea secunda. Id quod euidenter ostendo primùm exemplo: nam si Legislator dicat, *Si venerit Petrus ad te, non maneas domi*; certè aduentus Petri non obligat me ad exeundum domo tamquam lex, sed tamquam conditio, sub quâ lex priùs dixerat illicitam esse eam mansionem. Ratione à priori idem Secundò probo, quia lex omnis habet pro obiecto actionem quam prohibet; dicit enim, *Hoc non est faciendum*; volitio autem Dei de creando mundo v. g. non est reflexa supra alteram contrariam non creandi; non enim reflexè dicit, *Prohibeo tibi ne habeas aliam oppositam*; ergo non est lex respectu illius, etiamsi, habitâ iam eâ volitione, non sit licita contraria; sicut dixi de omni conditione, sub quâ illicitus esse solet aliquis actus. Et licet Deus faciat aliquando contra exigentiam ignis v. g. non ideò facit contra legẽ; nam ea exigentia non est lex; non enim respicit obiecta moralia quà talia: vnde Deus etiam tunc operatur iustissimè id; quod non fieret, si faceret contra aliquam legem propriam, de quâ in præsenti.

Quare Deus non possit agere contrariũ volitioni semel posita.

13. *Quomodo vna Dei volitio alteram impediat, nec tamẽ sit eius lex.*

Obiectio Primo Patris Suarez quòd voluntas diuina non dictetur à ratione. Responsio.

Iam ad obiectiones contra præcipuam resolutionem, quòd scil. illud dictamen diuinum sit lex. Prima sit: In Deo non est distincta voluntas à ratione: ergo, sicut ratio diuina non mensuratur lege, ita neque voluntas. Ita obiicit P. Suarez suprà n. 8. Respondeo tamen hanc rationem pati manifestam instantiam contra ipsum & omnes: nemo enim negat voluntatem diuinam dirigi cognitione diuinâ saltem vt proponẽte; siue iam ea cognitio dicenda sit lex, siue non; quod, vt dixi, ad vocem pertinet; argumentor ergo sic: Intellectio & volitio sunt idem: sed intellectio non dirigitur cognitione, neque vt proponente, ergo neque volitio dirigetur cognitione vt proponente. Vides argumentum probare contra omnes; & non esse speciale contra hoc punctum legis. Respondeo ergo, identitatem realem inter cognitionem diuinam & volitionem neque impedire quò minùs intellectio proponat obiectum amandum aut fugiendum, neque quò minùs intellectio dicatur necessitatem quamdam inferre Deo, ne amet tale obiectum, quia proponitur malũ. Quia verò adhuc forma argumenti ex duabus illis contradictoriis difficilis est, respondeo: *Ratio ipsa diuina non mensuratur lege*; distinguo; *ratione nostrâ vt condistincta est à volitione*, nego minorem; *realiter, quatenus illa eadem cognitio est realiter volitio, non mensuratur cognitione*, concedo minorem. Replicabis, *Ergo idem respectu sui est mensura*. Respondeo concessâ sequelâ: in cuius consequenti non video vllum absurdum; nam sub diuersis respectibus eadem res potest esse dirigens & directum, mensura & mensuratum.

14.

Quomodo ratio diuina lege mensuretur, & non.

Obiectio. Secunda, illud dictamẽ cogere Diuinã volũtatẽ.

Obiectio Secunda sit: Illud dictamen non cogit voluntatem diuinam; hæc enim à seipsâ est rectissima: illud verò iudicium rationis non potest esse alio titulo necessarium in Deo, nisi quatenus nihil volitum quin præcognitum; ergo non habet propriam rationem legis respectu Dei. Respondeo, argumentum nimium probare; quod vt ostendam, supponamus pro præsenti quæstione, quod alibi probaui possibile, dari scilicet aliquam voluntatem creatam, quæ ex se sit incapax peccandi, & eo ipso, quòd aliquid nouerit esse malũ, non possit illud amare eo modo, quo voluntas Christi Domini, suppositâ vnione, est impeccabilis (in quâ Christi voluntate humanâ, si altera negetur possibilis, adhuc vrgebo argumentum) illa voluntas, non obstante quòd sit incapax peccati, potest legem & præceptum supra se admittere; non quidem vt per illud reddatur aliena à peccato, seu repugnans illi; id enim à se habet, vel certè per vnionem, vt in Christo, accipit; sed vt per legem vel præceptum reddatur malum tale obiectum, & tunc voluntas ratione suæ auersionis à peccato non possit illud obiectum amare. In eo enim casu duo remouent eam voluntatem ab hoc obiecto: vnum est auersio ab omni malo; alterum est illud præceptum, quod declarat seu efficit malum illud obiectum. Ergo, quòd voluntas diuina ex se sit ab omni peccato in communi aliena, non probat illud dictamen hîc & nunc non esse legem: nã non obstante eâ omni auersione, si dictamen illud non diceret, *Hoc obiectum est malum*; & hoc dicendo illud prohiberet in actu exercito, certè voluntas posset illud amplecti. Et ad hoc punctũ per accidens est, quòd illud dictamẽ nõ veniat à Superiore; quia perinde prohibet obiectũ ac si esset à Superiore: vnde, sicut si per impossiblie Deus faceret cõtra illud, operaretur malè moraliter, vt admittunt omnes, quantumuis nõ esset à Superiore; ita sufficit, vt dicatur dictamen illud obligare seu cogere & consequenter esse legem. Atque ita sẽrit D. Thom. 1. p. q. 21. art. 1. ad 2. vbi sic cõcludit, *Vnde, quod secundum suã voluntatẽ Deus facit, iustè*

Responsio. Ratio confirmatur auctoritate Diui Thomæ.

15.

Qui voluntas ex se incapax peccati possit legem admittere.

Digitized by Google

iustè facit ; sicut & nos, quod secundùm legem facimus, iustè facimus ; sed nos quidem secundùm legem alicuius Superioris; Deus autem sibi est lex.

16. *Deus sibi est lex. Replica P. Suarez.*

Neque satisfacit, quod Suarez obiicit, à D. Thomâ priùs dictum, non absolutè esse legem, sed *sicut legem*; per quam particulam *sicut* videtur coarctasse vocem ; hoc, inquam, non satisfacit: nam illa particula *sicut* non semper est diminuens, sed sæpissimè significat absolutam similitudinem. Secundò respondeo, vt *sicut* solùm denotare non esse legem, qualem nos habemus; vt ipse D. Thomas verbis à me citatis declarauit; quia non est lex Superioris : per hoc autem non negat, quòd sit lex vera ; sicut potest dici, *Equus non est animal sicut homo*, id est, non est animal discursiuum ; per quod tamen non negatur esse verum animal in aliâ specie. Constet ergo posse illud dictamen diuinum vocari propriè legem etiam respectu eorum actuum Dei, quos vi illius dictaminis omittit, v. g. volitionem mendacij; item, quos è contrario elicit vi illius, vt odium eiusdem mendacij, aliorúmque nostrorum peccatorum, &c.

Dictamē diuinū respectu quorū actuū lex propriè dici possit.

Aduerte, P. Suarez, qui dictamini intellectus diuini legis nomen negat, & aliunde in Legislatoribus omnibus non admittit actū intellectus; in quo consistat imperium, sed solùm ponit actum voluntatis, consequenter discurrere in præsenti dum ait, legem æternam Dei esse actum voluntatis diuinæ, cùm enim legem æternam Dei non admittat nisi respectu creaturarum, harum autem productio fuerit libera, etiam leges illis impositæ necessariò debebunt esse actus liberi. sed de hoc vltimo sectione sequenti.

Quid lex æterna Dei in sententiâ Suarez.

SECTIO IV.

Quomodo lex æterna respiciat creaturas.

17. *Lex æterna respectu nostrum est actus voluntatis.*

SVpponendum, etiamsi, iuxta dicta sectione præcedenti, lex æterna vt Deum ipsum obligans sit solùm dictamen rationis in intellectu diuino existens ; respectu tamen nostri, cùm non obligemur formaliter, eò quòd Deus aliquid cognoscat, sed ex eo, quòd nobis per voluntatem suam aliquid imperet, legem æternam, prout ad nos comparatur, non esse actum intellectus diuini, sed voluntatis, quo ab æterno Deus voluit, vt hoc faceremus & illud omitteremus. Fortè tamen aliquis non improbabiliter diceret, casu quo Deus nullam haberet volitionem respectu nostri, sed solùm dictamen rationis, quòd furtum v. g. sit fugiendum, tamen per illud dictamen nos obligandos, si nobis proponeretur ; quod videtur sentire P. Salas num. 14. Nihilominùs tamen longè probabilius est, tale dictamen non habere vim obligandi nos ; nam dictamina personæ Superioris, si non accedat eius volitio, non habent vim obligandi subditum. Quòd si ea considerentur vt vera sunt, obligabunt quidem, non tamen quâ parte sunt in altero, sed quâ parte ab operante iudicantur vera. Vnde eodem modo obligarent, si in Superiore non essent, dūmodò à subdito reputarentur vera. Constet ergo legem æternam respectu nostri non posse in Deo esse, nisi volitionem ipsius Dei. Quo posito.

Dictamē Superioris, ni accedat volitio, non obligat.

18. Primò quæritur, vtrùm omnia nostra opera cadant sub eam legem æternam Dei. De quæstione hac P. Salas suprà sect. 3. Respondeo breuiter, opera mala cadere, quatenus prohibentur ; bona item, quæ sunt sub obligatione : in quo puncto nulla est difficultas. Circa indifferentia verò & bona, quæ non sunt sub obligatione, sed sub consiliis, fortè aliquod erit dubium: hæc enim, eo ipso quòd non præcipiantur, non cadunt sub legem. P. Suarez num. 15. dicit etiam opera consiliorum cadere sub legem: vel quatenus homo debet esse in præparatione animi ; vt, si præcipiantur talia opera, velit ea facere : vel quatenus lex æterna præscribit modum, quo ea fieri debent, vt rectè fiant. Hæ explicationes mihi nullo modo placent: non prima, quia in præsenti non agimus de actibus illis, casu quo imperarentur: quis enim negat illos tunc futuros sub lege? agimus ergo de illis quando non sunt imperati, seu quatenus non sunt sub obligatione: tunc autem certò videntur non esse sub lege. Non item placet altera disiunctionis pars ; nam dicere, vt actus sit bonus, debet esse talis & talis, non est lex moralis de quâ agimus, sed potiùs est quasi regula physica declarans partes quibus constat actus ille: quod euidenter probo è contrario in peccato; nam eodem modo Deus nouit, *Vt homo peccet, debet tali & tali modo operari*; & tamen hæc cognitio non est vllo modo lex peccati. Ratio à priori desumitur ex his quæ superiùs diximus; nam lex est præceptum vel obligatio, quæ moraliter cogit ad aliquid faciendum; hoc autem nullo modo habet ea lex respectu talium operum, ergo. Conditionatè autem dicere, *Si vis benè operari, hoc es facturus, & tali modo*, perinde est ac dicere, *Si vis benè operari, debes benè operari :* quæ est quodammodò identica propositio ; & absolutè non magis obligat, propriè loquendo, ad operandum: quàm si nihil esset dictū. Ideò in hac quæstione, quæ de solâ voce est, putarem talia opera non posse dici cadere sub legem, nisi permittentem ; quæ indirectè obligat alios, ne ob talia opera puniant aut reprehendāt operantem : quo sensu dixi suprà permissionem posse dici legem.

Quandō opera nostra cadant sub legē æternam Dei.

Sententia P. Suarez circa opera consiliorum.

Refutatur.

19.

Opera consiliorū non cadunt nisi sub legē permittentem.

Secundò circa hoc punctum quæri posset, an omnes homines iusti & peccatores, damnati & beati obligentur hac lege, etiā an ipse Christus? De hac difficultate P. Salas suprà sect. 5. & 6. Res est facilis ; constat enim, omnes omnino teneri; quia etiam respectu omnium sunt obiecta bona & mala, vt suprà dixi agens contra hæreticos : & paulò antè de Deo idem ostendi : damnati etiam illam habent; quia neq; etiam illis licent omnia obiecta, siue ex defectu propriæ libertatis actu non peccent, siue libertatem habeant ad peccandum sufficientem.

Omnes tenentur lege æternā Dei.

Tertiò posset quæri, vtrùm etiam bruta cadant sub hanc legem. Aliqui affirmant, alij negant : lis est de voce ; in quâ mihi magis placent qui negant. Nam bruta, cùm sint rationis incapacia, etiā sunt incapacia legis moralis de quâ hîc agimus ; nec pro illis quidquam est indecens sicut est pro homine, etiā quando actu caret libertate. Fateor, accipiendo in latiori significatione legem, quatenus significat volitionem diuinā omnia disponentem & gubernantem, dici posse inanimata subiacere legi æternæ Dei. Nos tamen in præsenti non loquimur de hac lege.

An bruta teneātur legea & quali.

SECTIO

Sectio V.

Vtrùm volitio Dei, quæ est lex æterna respectu creaturarum, sit necessaria in Deo, an verò libera.

20. DIxi sectione præcedenti eam legem in volitione consistere, iã circa illam Primò quæritur, an sit actus liber, etiam suppositâ volitione creandi hominem. Dico, *etiam suppositâ eâ volitione*; nam absolutè procul dubio libera est: cùm, enim nullâ existente creaturâ, non posset esse vlla lex, & Deus potuerit nolle producere vllam creaturam rationalem, haud dubiè absolutè potuit non habere vllam talem legem. Quæstio ergo est, an, supposito quòd voluerit hominem creare, debuerit necessariò velle, ne homo mentiatur, eique imponere legem prohibentem mendacium; & sic de aliis obiectis ex se malis. Ockam, Gerson & alij apud P. Suarez cap. 6. n. 4 & 20. & Salas sect. 9. vbi plures alios refert, dicunt potuisse Deum ea obiecta non prohibere; quo casu censent hi ea non futura mala; censent enim totam rationem boni & mali in obiectis prouenire ex solâ voluntate aut prohibitione diuinâ.

Absolutè lex æterna Dei respectu creaturarũ est libera.

Explicatur quæstio.

Ockam & Gersõ dicũt, mala permissa non prohiberi lege æternâ.

Contra hanc tamen sententiam ex parte egimus Tom. 3. vbi ostendimus ex communi doctrinâ, antecedenter ad omnem prohibitionem Dei, aliqua obiecta esse mala, aliqua bona. Diximus etiã Deo non posse non displicere obiecta mala; ideò de libertate Dei circa eiusmodi displicentias iam nihil amplius dicendum censeo; solùm ergo quæro, an necessariò debuerit circa ea obiecta habere propriam eam volitionem, quæ legislatiua est, & necessariò dicit ordinem ad promulgationem.

21. In quo puncto prima sententia eam volitionẽ dicit necessariam; nam Deus ex suppositione quod velit creare mundum, non potest non habere prouidentiam illius, & quidem perfectam & consentaneam suæ bonitati & sapientiæ; hæc autem videtur esse, vt homini prohibeat mala, imperet autem bona. Confirmari id potest ex humanis; nam Princeps ille, qui nullas planè leges pro gubernatione Reipublicæ institueret, meritò iudicaretur imprudens, negligens, etiam iniquus; ergo cùm Deus sit supremus Iudex & caput totius Reipublicæ rationalis, multò magis tenebitur ad eas leges condendas. Secundò, Deus non potest non odisse malum morale, vt paulò antè diximus: hoc autem odium debet etiam esse vt à personâ publicâ; ergo debet esse lex. Quòd si obiiciatur, Deus operatur liberè ad extrà, ergo non tenebitur ad tales leges; facilè respondebitur, sæpè Deum ex suppositione vnius actus teneri ad aliud: sicut si semel promisit aliquid, tenetur postea illud dare; ita in præsenti ex suppositione volitionis creatiuæ hominis potest dici sine inconuenienti teneri ad eas leges.

Volitio dicitur mala debuisse lege necessariò prohiberi, suppositâ creatione mundi.

22. Secunda sententia negat eam necessitatẽ, quia non videntur duo contradictoria sequi ex eo, quòd illæ leges omittantur; neque enim Deus tunc diceretur aut esset imprudens: nam cùm ratio ipsa naturalis hominibus indicta dicter ea quæ sunt bona & mala, & quidem sufficienter pro politicâ administratione Reipublicæ, non videtur esse essentialiter necessarium per nouam legem ea obiecta prohibere; multò minùs sequitur necessariò debere noua alia obiecta ex se indifferentia prohiberi per nouas leges. Et hinc ad instantiam Principis creati suprà positam respondetur: si enim iam sint in Republicâ sufficientes leges ad eius administrationem, dicimus non esse necessum, nouas à Legislatore condi; in præsenti autem iam omnes necessarias supponimus. Ad Secundum de odio diuino respondetur, non esse necessum, vt illud sit per modum legis: nam esto sit à Deo vt publicâ personâ, non continuò est lex: hæc enim est volitio imperans, & ex se dicens ordinem ad promulgationem sui: quam promulgationem illud odium non respicit essentialiter.

Instantia negans id fuisse necessarium.

Pater Suarez in hoc puncto videtur subobscurè locutus eo num. 14. cap. 6 nam ex vnâ parte absolutè docet cum primâ sententiâ, necessariam esse eam legem; ita tamen rem limitat, vt nullam aliam ponat, quàm illam necessariam displicentiam Dei in obiectis malis; promulgationem verò illius nullâ etiam aliâ admittat, quàm dictamen nostrũ naturale rationis, quo cognoscimus mendacium v. g. esse malum: eo enim ipsò cognoscimus illud displicere Deo supremo Domino & gubernatori hominum. Vt verò nos in hac quæstione cum distinctione procedamus.

Mens Suarij hac super re obscura est.

23. Dicimus Primò: Propria lex & distincta ab ea displicentiâ necessariâ Dei circa mendacium v. g. quæquè dicat ordinem ad promulgationem sui diuersam à nostro dictamine rationis, non videtur ita in Deo necessaria, vt diuinitus omitti non potuerit. In hoc, vt dixi, videtur P. Suarez conuenire: & meo iudicio sufficienter id probatum est, proponendo secundam sententiam. Amplius autem id vrgeo, quia de facto vsque ad Moysem nullam Deus legem dedit; sicut autem ad illud tempus sine vllâ alia lege gubernauit sapientissimè mundum; ita & potuisset postea nullâ nouâ lege datâ.

Conclusio Prima. Volitio distincta à displicentiâ mali, & dicit ordinẽ ad promulgationẽ à nostro dictamine rationis non est in Deo necessaria.

Dices: Etiam tunc aliquibus iustis eam specialiter reuelauit. Sed contrà manifestè, quia esto aliquibus reuelauerit; non ideò simpliciter tulit legem; quia promulgatio legis debet esse communis & vniuersalis, non autem particularis vni aut alteri. Cõtrà Secundò: & argumentor absolutè: Nam etiam post promulgationẽ legis à Moyse factam eam ignorarunt, & quidem inuincibiliter, innumeræ nationes; vt eam de facto ignorat; atqui Deus non solùm habuit prouidentiam dignam se respectu Iudæorum, sed etiam respectu omnium aliorum hominum: ergo prouidentia Deo digna non dicit necessariò eam legem. Declaro id: Pro his nationibus, quæ inuincibiliter legem ignorarunt, idem omnino fuit eam latam esse, ac si penitus lata non fuisset: sicut si in vno Regno lex feratur, altero omnino inscio, tam parum iuuatur hoc per illam legem, quàm si lata nullo modo fuisset. Et de hac veritate nemo dubitare potest. Iam inde argumentor: Si in mundo non fuissent Iudæi, potuissent alij esse, vt de facto fuerunt: non enim essentialiter erat connexa Iudæorum vel Romanorũ existentia cum existentiâ Iudæorum; tunc autem illæ nationes & totus etiam mundus fuisset sine lege; ergo potuisset totus mũdus existere sine vllâ lege. Et hic habet locum quod paulò ante dicebam, Deum habuisse prouidentiam dignam se de illis Gentibus sine lege, ergo potuisse etiam de Iudæis; quia nihil penitus per hos illi iuuabantur, imò inter se independentes erant omninò.

Probatio eius assumi. Replica. Resolutio Primò Secundò.

24. Dicimus Secundò, Vtrùm illa displicentia

Prouidentia Dei nõ necessariò exigit illã legẽ æternam Dei.

Digitized by Google

Dei in obiectis ex se malis vocanda sit lex, & iudicium nostrum rationis sit dicendum promulgatio illius, quæstio est de nomine: in quâ propendeo magis, vt id negem, tum quia lex vt talis videtur plus dicere quàm dicat ea simplex displicentia; tum quia nostrum iudicium rationis non potest dici promulgatio eius volitionis: etenim per locũ intrinsecum, etiamsi Deus per impossibile non existeret, aut in eis obiectis sibi nõ displicerer, nihilominùs iudicium dictaret illud obiectũ esse malum. Deinde in his qui Deum inuincibiliter ignorant (quam ignorantiam possibilem esse alibi ostendi) est iudicium illud rationis sufficiens ad malè moraliter operandum; & tamen non est promulgatio legis diuinæ, cùm Deus ignoretur, ergo. Fortasse dices id verum esse de iudicio præcisè dictante mendacium esse malum; suppositâ tamen notitiâ Dei, necessariò videtur sequi aliud iudicium quod dicat, *Deo displicet mendacium:* quod iudicium diximus nos Tomo 3. sufficere, vt homo peccans contrahat non solùm eam malitiam quæ reperitur in oppositione cum dictamine rationis, sed in offensâ propriâ Dei: hoc ergo iudicium erit promulgatio sufficiens. Respondeo, faciliùs per hoc explicari promulgationem, si aliunde ea displicentia esset vera lex: sed quæstio est, vt dixi, de voce; de quâ.

25. *Conclusio Secunda. In Deo displicentia mali potiùs videtur non vocãda lex; nec iudicium nostrum promulgatio*

Dicimus Tertiò, illam Dei displicentiã necessariò in Deo existere: in quo displicet P. Suarez, qui semper supponit eam esse absolutè actum liberum, & solùm necessariũ suppositâ liberâ productione hominis. Porrò esse actum necessarium patet; quia illa displicentia non pendet ab eo, quòd homo actu mentiatur; est enim antecedens omne mendacium, & ad illud fugiendum obligans; ergo debet esse in mendacio vt possibili; ergo displicentia est necessaria: id quod & ipse Suarez debet fateri: nam si displicentia ea esset libera, malè ipse probaret eam dari necessariò ante omne peccatum.

Conclusio Tertia. Displicentia malorum est necessaria in Deo. Probatur.

26. *Replica Prima. Refellitur.*

Dices: Est necessaria, suppositò quòd iam homo existat, non tamen absolutè. Sed contrà, quia, per actualem existentiam hominis in eo priori naturæ, antequam hic peccet, non redditur peccatum illud possibile pejus quàm apprehendatur antequam homo existeret: ergo si, antequam homo existeret, non cogebat (vt sic dicam) Deum ad displicentiam, neque coget, postea quam homo existit.

Replica Secunda.

Refellitur Primò.

Dices Secundò: Ideo iam Deus cogitur, non quia peccatum apprehendat in se pejus, sed quia iam est periculum ne committatur; & ad terrendũ hominẽ, ne illud committat, debet habere talem displicentiam. Sed contrà Primò, quia Pater Suarez eam displicentiam in malo non ideò dicit Deo necessariò conuenire, vt retrahat hominem per illam, sed quia mundi sunt oculi Domini, & non potest non displicere ei malum. Quæ ratio etiam habet locum in possibilibus peccatis. Contrà Secundò; nam displicentia in peccato iam commisso est necessaria in Deo, & illa non est ad deterrendum à præteritione, quia iam est impossibile eam non esse: ergo solùm oritur ex turpitudine obiecti. Contrà Tertiò, quia Deus non tenetur quærere modos, vt retrahat hominem à malo; modos, inquam, distinctos ab his, quos libertas humana vt talis requirit: id quod euidenter patet; nam non tenetur auxilia, vocationes, &c. dare, quibus faciliùs vitaretur peccatum; imò sæpè relinquit etiam impossibilitatem moralem ad illud vincendum: nam vt in materiâ de gratiâ dicitur, grauis tentatio & diuturna sine gratiâ Christi vinci non potest; eam autem gratiam non semper dat, maximè Gentilibus: cùm ergo liberum arbitrium vi illius solius cognitionis naturalis de malitiâ mendacij, contra rationem naturalem sufficientem habeat libertatem, vt possit illud vitare tamquam malum, non tenetur Deus eâ præcisè ratione, vt hominem retrahat ab eo mendacio, sibi displicere in illo; sed si displicet, id facit quasi coactus, vt sic dicam, turpitudine obiecti: eadem autem deprehenditur in mendacio, antequam homo existat, & postquam extitit: ergo si post hominis existentiam cogitur Deus displicere in peccato possibili in eo homine; ita cogetur ante existentiam; eritque absolutè necessaria ea displicentia, vt nos dicimus, & non solùm ex suppositione.

Secundò.

Tertiò. Qualiter Deus teneatur hominẽ à malo retrahere.

27. *Cur Deus displiceat sibi in obiecto malo.*

Hinc concludo, cùm Deus præter hanc displicentiam (siue ea vocetur lex, siue non, quod, vt dixi, ad vocem spectat) non teneatur vllam aliam habere quâ prohibeat peccatum, nullam legem absolutè liberam, seu quæ præsupponat volitionem creandi mundum, sequi necessariò in Deo ex eâ volitione creatiuâ; addo tamen valdè connaturaliter eam sequi, vt hominibus innotescat citiùs bonitas & malitia obiecti; nam eam deprehendere per discursum & rationem naturalem est difficile. Quòd verò non omnibus immediatè eam manifestauerit, non est contra suauem eius prouidentiam: nam satis est eam ita manifestasse, vt per se fuerit hominibus nota, ac potuerit ex his ad illos deriuari; si ipsi homines voluissent illius legis sectatoribus credere.

Concluditur quæstio.

28. *Volitionem creatiuã non sequitur necessariò lex, sed sequitur valdè connaturaliter. Cur eãdẽ non omnibus sit manifestata.*

SECTIO. VI.

Aliquæ quæstiunculæ ex dictis ortæ expediuntur.

HAc occasione inquiri posset Primò, an in eâ hypothesi, *Si Deus non prohibeat mendacium v. g. nihilominùs mentiri est malum*, includatur aliqua manifesta repugnantia destruens casum, vt dici solet; sed de hoc egi Tomo tertio; nunc breuissimè dico, non defuisse qui asseuerint, ex eâ hypothesi vtrumque sequi, & mendacium non esse malum, quia omnis malitia desumitur ex oppositione cum lege diuinâ; & simul esse malum, quia iam supponitur esse malum. Et ita sentit Medina 1. 2. q. 18. art. 1 in hoc tamen manifestè fallitur: cùm etiam de facto supponatur mendacium prius naturâ, aut saltem prius ratione, quàm prohibeatur à Deo, esse contra naturam rationalem & malum; ideóq; à Deo non liberè, sed necessariò prohiberi censeat; vnde cõmuniter solẽt Theologi dicere, Quædã sunt mala, quia prohibita, quædam verò prohibita, quia mala: & August. lib. 1. de lib. arb. cap. 3. approbat quod Euodius ait, adulteriũ nõ esse malum, quia lege prohibitũ, sed è conuerso: cùm, inquam, hæc ita sint, non potest cũ vllâ probabilitate dici, si nõ sequeretur prohibitio Dei, mendaciũ non futurũ malum: retineret enim minimùm eam priorem malitiam, quam de facto habet ante prohibitionem: ergo solùm sequeretur vna pars contradictionis: ergo non est hypothesis inuoluês in se contradictionem vllam: summùm ergo sequeretur, tunc temporis illud mendacium non futurum malum eâ malitiâ, quam habet ex oppositione

Quæstio Prima. An & quomodo mendaciũ sit malũ, etsi à Deo non esset prohibitum.

29. *Adulterium non est malum.*

Digitized by Google

tione cum lege diuinâ; at simpliciter non futurũ malum, nequaquam infertur: est ergo hypothesis bona; & quam alibi sæpè tetigimus; & quid in eâ dicendum sit circa grauitatem peccati mortalis, &c. satis declarauimus.

Quæstio Secunda, an lex aeterna distinguatur à diuinâ prouidentiâ. Explicatio.

Secunda difficultas esse potest, an ea volitio Dei æterna, quæ lex est, distinguatur à prouidentiâ Dei. Hæc tamen ex proximè dictis vno verbo deciditur. Diximus enim eam legem esse vel displicentiam illam necessariam Dei in eis obiectis, vel certè aliam volitionem positiuam quâ voluerit nos obligare ad hæc vel illa facienda, aut è contrario omittenda. Hæc autem volitio licet fortè dici possit pars prouidentiæ, quia etiam est vnus modus prouidendi Reipublicæ condendo pro illâ bonas leges, distinguitur tamẽ tamquam pars à toto. Nam prouidentia dicit volitionem ordinandi, vocandi ad finem, præmiandi, puniendi. Ea item voluntas legislatiua non habet aliũ effectum propriè, quàm retrahere homines à peccato, vt diximus suprà; prouidentia verò multos alios, vt ex dictis constat.

30. *Distinguitur à prouidentiâ vt pars à toto.*

Quæstio Tertia, quomodo lex aeterna distinguatur ab ideis. Responsio

Tertiò quærunt aliqui in præsenti, quomodo ea lex ab ideis distinguatur. Verùm id etiã ex dictis deciditur: nã ideæ vel sunt ipsæ creaturæ possibiles, vel cognitio illarum, quâ Deus ad productionẽ ipsarum dirigitur, vt primo Tomo ostendimus; lex autem solùm est vel volitio, vel dictamen rationis prohibens, ne hoc aut illud fiat: ergo non potest esse idem cum ideis. Deinde, vt suprà notaui, ideæ solùm sunt pro physicâ productione, non pro legibus moralibus.

Quæstio Quarta, an lex aeterna sit vna. Responsio.

Quartò quæritur, an ea lex æterna sit vna, an plures: Quæstio de solâ voce: Respondeo, realiter vnam esse, quia in Deo non est multitudo realis; si verò ratione nostrâ comparetur cum diuersis obiectis, non dubito tam esse multas leges, quàm dicuntur multæ ideæ ex obiectorũ multitudine: nam vna lex æterna prohibet mendacium, alia prohibet furtum, tertia adulterium, &c. Ita docet Salas disp. 4. sect. 1.

31. *Replica ex D. Thoma.*

Soluitur.

Dices cum D. Thom. q. 93. art. 1. ad 1. Lex æterna omnia ordinat ad bonum commune, ergo est vna. Ecce iterùm nouam de voce quæstionem, an ob eam ordinationem omnes illæ diuersæ prohibitiones dicendæ sint vna lex. Respondeo, illud bonum commune esse quid compositum ex omnibus illis honestatibus, ideóq; non esse vnum quid omnino indiuisibile: quapropter licet ad illud omnia ordinentur, non propterea erit vna lex, sed multæ; sicut non est vnicum bonum cõmune sed multa vnũ constituentia. Dici ergo potest ea lex, etiã ratione nostrâ vna per aggregationem; sicut mare dicitur vna aqua realiter, & omnes scientiæ Dei dicuntur vna scientia: potest etiã dici multiplex accipiendo seorsim eas partes legis; quarũ quælibet, quia homogeneæ sunt, retinet etiam seorsim denominationem totius seu legis. Quare verò ideæ numquam dicantur vna, sed semper multæ, fortè ratio est, quia creaturæ vt producibiles dici non solent vna, sicut virtutes dicuntur constituere vnam iustitiam, & propterea vocari etiam solent vno nomine, id quod parui momenti est.

Etiã ratione vna dici potest per aggregationem.

32. *Quæstio Quinta, an lex aeterna sit causa omnium legum. Resolutur ex suprà dictis.*

Quinta difficultas sit, an lex æterna sit causa omniũ legum, & ratione illius cæteræ obligent. De hac Salas suprà sect. 4. Difficultas etiam hæc vix extrahitur à quæstione de voce; & superiùs aliqualiter est explicata. Diximus enim, creatam naturalem legem non pendere à diuinâ in ratione legis, sed in ratione creantis: quatenus, si Deus hominem non creasset, nulla esse posset in eo lex, at eo semel creato sequi dictamen illud, quo homines obligantur. Diximus etiam in ordine ad contrahendam illam maiorem grauitatem seu offensam Dei, quæ in peccatis reperitur, non sufficere oppositionem cum dictamine rationis, sed requiri notitiam Dei, & quòd ipse offendatur per peccatum: addidimus tamen ad eam rationem offensæ, non esse necessariam aliam legẽ in Deo præter eam displicentiam in malo. Diximus itẽ iurisdictionem humanam non pendere per se à lege diuinâ, sed ab hominibus semel existentibus posse sine vllâ speciali eis concessâ iurisdictione eligere sibi caput vnum, à quo dirigantur, & cui pareant, illud autem posset eo ipso condere leges. Cum hoc tamen stat, vt aliquando Deus singulariter concedat iurisdictionem, vt cùm elegit Saulem in Regem, item Petrum eiusque successores in caput visibile Ecclesiæ. Denique sæpè diximus, omnem legem creatam, vt sit iusta, debere eo sensu oriri à diuinâ, vt nihil mandet illi contrarium, sed potiùs id quod iustum & honestum est. Hæc omnia per se sunt certa & facilia, Iam autem, vtrùm, quatenus omnis lex humana tandem reducitur ad illud principium legis æternæ, *Obediendum est Superioribus*, & quatenus nihil debet ei legi contrarium mandare, dicendi sit à lege diuinâ emanare, ad modum loquendi spectat; in quo fortè melius aliquis diceret, illud principium, *Obediendum esse Superioribus*, non esse proprium legis diuinæ quà talis, sed legis naturalis; quæ etiam in creaturis reperitur: nam etiamsi per impossibile Deus non existeret, aut non cognosceretur, adhuc illud principium haberet vim; vt de alterò, *Mendacium est fugiendum*, &c. sæpè in hac materiâ & alibi repetiimus.

Hoc principium, Obediẽdũ est Superioribus, propriũ est legis naturalis.

Quomodo autem differant leges immediatè à Deo conditæ ab his quæ conduntur ab homine, ratione iurisdictionis ei à Deo concessæ, explicatum est sufficienter suprà.

DISPVTATIO VII.

De lege naturali creatâ.

HÆc est altera species legis naturalis in cõmuni, quam nunc explicare debemus: multa autẽ quæ de illâ dicentur, communia etiam sunt legi naturali diuinæ, de quâ præcedente disputatione; ideò ad præcedentis intelligentiam valdè hæc disputatio iuuabit.

SECTIO I.

An lex naturalis sit præceptiua.

FVsè hac de re P. Suarius cap. 6. per totum, & Salas disp. 4. sect. 4. Mihi tamen quæstio partim videtur de voce; & partim ex dictis suprà de constitutiuo legis naturalis decisam crediderim. Quæritur ergo, an lex naturalis veram inducat obligationem non faciendi id quod dicitur prohibere. Ratio dubitandi est, quia cùm ea lex non sit per se ab aliquo Superiore; nam

Sensus quæstionis.

potest

potest inducere obligationem: nemo enim sibi legem imponit.

Mens Suarij hac de re.

P. Suarez obscurè in hoc puncto loquitur; in primis enim toto eo capite semper supponit, nõ esse vllam veram legem sine præcepto, non posse autem esse præceptũ nisi à Superiore; vnde docet Deum non habere legem, licet etiam ipse dictamine rationis ducatur: docet etiã, dictamen rationis diuinæ non esse legem respectu nostri, sed eam consistere in volitione diuinâ prohibente: concludit tamen, eam legem verè inducere obligationem respectu nostri. Quæ doctrina minus videtur cohærere cum his quæ capite præcedente n. 14. dixerat, scil. se non dubitare, quin in actuali iudicio mentis propriissimè existat lex naturalis. Ecce ei iudicio non solùm propriam, sed propriissimam rationem legis tribuit, & consequenter vim obligandi; quam connexam sentit essentialiter omni legi: quod sine dubio non cohæret cum doctrinâ eius cap. 6. Sed ne in modo loquendi fortè hæreamus.

Reijcitur ad hominem.

2.

Deo etiã per impossibile nõ existente, aut invincibiliter ignorato, operari cõtra dictamen naturale esset malum moraliter.

Dico, Esto per impossibile Deus non esset, aut ignoraretur invincibiliter, nihilominùs operari contra illud dictamen esset malum moraliter. Ita fatetur ipse Suarez expresè eo cap. 6. n. 17 & nos idem fusiùs ostendimus ex Diuo Thomã & aliis Tom. 3. quia multa obiecta sunt mala ante prohibitionem Dei: imò ideò prohibentur necessariò, quia mala sunt. Quam etiam doctrinam paulò antè tradidimus; ex eâ verò sic argumentor: Omne id quod non violatur, nisi malè operando, inducit obligationem vt non violetur: ego enim nomine obligationis omittendi aliquid nihil aliud intelligo, quàm quod licitè non possit fieri: & credo id mihi ab omnibus concedendum: neq; enim leges etiã ipsæ diuinæ aliam inducunt obligationem, quàm quòd sine culpâ & peccato non violantur. Ergo cùm ipsemet Suarez meritò fateatur illud dictamẽ non posse sine peccato violari, debet fateri, illud etiam inducere obligationem, & consequenter esse & præceptiuum & obligatiuum, licet dicatur non tantam inducere obligationem, quantam inducit volitio ipsa diuina. Hinc constat, quod paulò antè dixi, quæstionem esse de solo modo loquendi, an ea obligatio à iudicio rationis proueniens dicenda sit præceptio, nec ne: constat item, non benè negari ei iudicio rationẽ legis, eò quòd lex verè obliget, illud autem iudicium non obliget: contrarium enim ostendi iam ex ratione, & ex ipso P. Suario.

Illud dictamẽ est & præceptiuũ & obligatiuum.

3.

Obiectio.

Obiicies Primò: Simile dictamen rationis intercedit, quãdo res aliqua est prohibita per positiuam legẽ v. g. in ieiunio; & tamen non dicimus illud dictamen esse legem, esto dicat; *Non tibi licet non ieiunare*: ergo neq; illud aliud naturale erit lex. Patet consequentia; nam quod vnum proponat malitiam à lege positiuâ prouenientem, aliud verò malitiam prouenientem obiecto ex naturâ rei, nullatenus probat, vnum dicendum legem, aliud verò non, ergo. Hæc obiectio non tam est contra præsentem quæstionem quàm ad probandum, malè nos suprà disp. 1. sect. 2. dixisse contra P. Vasq. legem naturalem non consistere in ipsâ malitiâ obiectiuâ, sed in dictamine rationis. In quo puncto nobiscum etiam consentit P. Suarez, qui hac vtitur obiectione; &, vt paulo antè dixi, etiam propriissimam rationem legis tribuit illi dictamini cap. 5. n. 14. Absolutè respondeo ex dictis suprà, ideò in rebus ex se nõ intrinsecè malis iudicium illud non dici legem, sed propositionẽ legis; quia ante illud est aliquid quod prohibet eam rem, nempe volitio ipsa Legislatoris; quam vocamus legem: ante dictamen autem naturale circa obiecta ex se intrinsecè mala nihil est quod prohibeat illud obiectum; nisi ipsummet iudicium; ideò hoc vocamus legem naturalem. Quæ disparitas pro quæstione de modo loquendi sufficientissima est.

Retorquetur in Suarez.

Differimũ assignatur inter dictamina legis positiua & naturalis.

Sectio. II.

An lex naturalis extendat se ad particulares materias.

4.

Hæc difficultas mouetur propter quosdam, qui dicunt per legem naturalem non prohiberi actiones particulares, sed tantùm tradi quædã generalissima principia; vt v. g. *Bonum est faciendum, Malum fugiendum*; at, mendacium, adulterium esse fugiendum, non dicere in particulari. Contrariam sententiam vt communiorem defendit P. Suarez cap. 7, & Salas disp. 5. sect. 5. vbi multos pro eâ citant auctores. Ego, vt verum fatear, non possum mihi persuadere hîc posse esse inter auctores vllam de re dissensionem sed puto esse purè de nomine: nemo enim ex his qui pro contrariâ sententiâ citantur dixit, mendaciũ solùm esse malum, quia prohibitum lege aliquâ positiuâ liberâ: idem à fortiori dico de odio Dei, blasphemia, &c. Non ago iam cũ Ockamo, qui (vt suprà vidimus) docuit, ablatâ prohibitione Dei, quam posse absolutè auferri iudicat, nullum esse obiectum malum; contra hunc enim egimus fusè Tomo 3. hi autem, cum quibus nunc agimus, supponunt re ipsâ esse aliqua obiecta particularia ex se essentialiter mala; ergo omnes hi supponunt ea esse contra dictamen naturale; atqui hoc dictamen solùm nos hucusque diximus legem: vel, ne cum P. Suario hæreamus, lex naturalis erit illa displicentia Dei necessaria in obiectis his, è quorum numero omnes fatentur esse mendacium, adulterium, blasphemiam, cæteráque obiecta quæ ex naturâ suâ sunt mala; atqui hoc re ipsâ est esse contra legem naturalem; neq; nos in re plus ponimus: ergo non potest esse vlla de re dissensio: in quo ergo ea erit in hoc, quòd generalia tantùm principia, quæ sunt in syllogismis moralibus, per modum principiorum dicere voluerunt legem naturalem. V. g. vt inferam, *Ergo mendacium est fugiendum*, debeo argumentum sic formare, *Omne malum est fugiendum, sed mendacium est malum, ergo fugiendum.* Omnes fatentur eam minorem esse naturaliter certam, & non ex solâ prohibitione Dei; ideóq; re ipsâ admittunt legem naturalem de mendacio, sed quia ea veritas non est propositio vniuersalis, non vocant eam legem. Hæc est totius quæstionis substantia & in hoc puncto ratione eius differẽtiæ aliquid singulare esse in eis principiis etiam ipse P. Suarez fatetur, dum ad aliud propositũ docet, omnes leges naturales ideò reduci ad diuinas, quia reducuntur ad illud principium commune, *Obediendum est legitimo Superiori*, vnde hoc principium ponit quasi vltimam regulã. Habuerunt ergo aduersarij fundamentũ, vt ratione eius excellentiæ, quòd scil. omnia alia ad hæc principia generalia reducantur, *Bonum amandum, Malum fugiendum*, potuerint dicere, illa esse præ aliis legem naturalẽ: per quod, vt dixi, nihil de re ipsâ negarunt. Vnde vlteriùs infero, neque necessum esse pro nobis argumenta quærere, nec de aduersariorum respõsione

Quid hac super re Suarez & Salas. De re non est difficultas.

3.

In quo ergo sito sit.

Cur ex mente Suarez omnes leges naturales reducendæ ad diuinas.

6.

Digitized by Google

positione solicitos esse: non de probatione nostræ sententiæ, quia ex his quæ 3. Tomo diximus, certò constat, multas actiones ex specie suâ esse contrarias naturæ rationali ante omnem prohibitionem diuinam; id autem nos dicimus esse, eas prohiberi lege naturæ; neq; hic est locus declarãdi, quæ illæ sint; id enim pertinet ad diuersas materias. De soluendis iterùm oppositis argumentis non debemus esse soliciti, quia illis solùm probare intendunt auctores eorum, non esse per se & immediatè notas eas conclusiones particulares, sed debere ex principiis generalibus deduci: id quod nos libenter fatemur.

Quid sit actiones aliquas prohiberi lege naturæ.

Ex sola ea principia naturalis Legis natura dici sunt.

Quòd verò inde inferant, ea sola principia generalia dicenda esse leges naturæ, pertinet ad quæstionem de nomine: in quâ facilè reiiciuntur tum auctoritate cõmuni, quæ in modis loquendi semper vnicè attenditur: tum quia siue mediatè siue immediatè ea conclusio sequatur, semper tamen infertur ex principiis naturæ lumine certis, & independentibus ab vllâ nouâ positiuâ lege, à quâ ea obiecta reddantur mala. Confirmatur hîc modus loquendi: Nam lex naturalis debet esse norma quâ dirigamur: at solis illis principiis vniuersalibus, *Bonum est amandum*, &, *Malum fugiendum*, nihil penitus de directione obtinetur, nisi accedat particulare principium; *Mendacium est malum, Obedientia est bona*, &c. ergo lex naturalis maximè debet esse de his particularibus. Ecce totam huius dissensionis substantiam distinctè propositam & expeditam.

7.

Lex naturalis maximè est de particularibus.

Solet etiã altera quæstio huic affinis moueri, vtrùm scil. omnia, quæ in lege veteri & in nouo Testamento traduntur, pertineant ad legẽ naturalẽ: ita enim videntur aliqui locuti, vt cõstat ex D. Thom. in 4. dist. 33. art 1. ad 4. Respondeo quæstionẽ esse de voce; in quâ longè meliùs loquuntur, qui sola ea, quæ sunt naturâ suâ mala, ideóq; fugienda, aut bona, quæ ex obligatione facienda sunt, dicunt spectare ad legẽ naturalem; id enim vox ipsa significat, ea scil. quæ naturâ suâ seu naturaliter prohibita aut mandata sunt. Vocare autem præceptum positiuum, eò quòd sit à Deo, legem naturalem, planè est contra acceptionem vocis legis naturalis.

Quæ leges veteris & Testamenti fuerint naturales.

8.

Denique, quomodo opera bona, quæ non sunt sub obligatione, sed solùm sub consilio, pertineãt ad legem æternam, suprà discussum est; vbi contra P. Suarez dixi; ea opera vt talia non cadere sub legem neq; quoad substantiam, neque quoad modum: nam dicere, *Si vis efficere actum bonum, debes tali & tali modo illum producere*, non spectat ad legem moralem prohibentem aut obligationem inducentem, sed potiùs ad cognitionẽ explicantem naturam operis illius: sicut qui diceret, *Si vis producere hominem, debes producere animal rationale*.

Consilia non cadit sub lege naturali quoad substantiam, neq; quoad modum.

An aliquis actus cuiuslibet virtutis sit sub obligatione Legis naturæ & non sed non frequens.

Moueri tandem posset hîc dubium, an saltem aliquando sit aliquis actus cuiuslibet virtutis sub obligatione; v.g. an teneat aliquando orare, mortificare me in rebus alioquin licitis, exercere liberalitatem cum alio, &c. Respondet P. Suarez breuiter rem tangens, & P. Salas disp. 5. sect. 5. si abstrahat ab obligatione graui & veniali, probabile esse nullam dari virtutem, quæ aliquando non obliget ad actum aliquem. Ego tamen putarem id non esse vniuersaliter verum, quia vouere v. g. paupertatem, actus est virtutis; numquam tamen homo tenetur de vllâ re facere votum: item velle perpetuam virginitatem seruare, ad virtutem aliquam spectat; non tamen homo tenetur vmquam id velle: & idem posset ostendi facilè in aliquibus aliis virtutibus. Nec satisfit P. Salas, qui, vt huic obiectioni respondeat, negat virginitatem à castitate distingui; non, inquam, satisfacit, quia contrarium videtur esse communius: & esto in virginitate solutio sit bona, ad votũ tamen non potest applicari. Ad quam enim ex virtutibus, quæ aliquando sunt sub obligatione, reducetur emissio voti? Et in aliis virtutibus facilè id ostendi posset, nisi alienum esset à præsenti difficultate; nam id ad proprias materias virtutum spectat. Hæc breuiter insinuasse sufficiat.

9.

Sectio III.

De vnitate aut multiplicatione legis naturalis.

CIrcà quod Primò quæritur, an ea lex in quolibet homine vna sit. Suprà agentes de eâ lege vt in Deo existente similem quæstionẽ mouimus: quod enim ibi de Deo, hîc de homine quæritur. Cui vno verbo respõdeo, rigorosè non esse vnã, sed multas; nam dictamen naturale, quod fortum sit malum, diuersum est à dictamine de malitiâ mẽdacij; & sic de aliis obiectis. Sicut autem suprà diximus, in Deo legem naturalem dici vnam ratione per modum aggregati cuiusdam; sicut aqua maris dicitur vna aqua; ita in præsenti addimus, eò quòd omnes illæ leges ad componendum vnam iustitiam ordinentur, dici posse constituere vnam legem in quolibet homine: id quod ad acceptationem communem reducendũ est: etenim cùm lex & dictamen hoc rationis sit idem: sub nomine legis dicuntur vna, sub nomine verò dictaminis semper plura. Numquam enim dicimus vnum dictamen rationis includendo ibi omnia dictamina, sicut dicimus vnam legem includendo omnes leges particulares.

Lex naturalis in quouis homine est multiplex.

10.

Aduerte tamen nos suprà dixisse, in Deo omnes illas leges esse realiter vnã, quia omnes actus Dei sunt realiter idem inter se; quod in homine non est semper verum; nã ea dictamina frequenter sunt per actus realiter distinctos; aliquando tamen esse poterit vnus actus, qui duas aut tres tales veritates morales simul cognoscat. Verùm hoc ad præsentem quæstionem non est magni momenti.

Cur in Deo omnes illæ leges sint realiter vnica.

Statutâ tamen pluralitate earum legum siue reali, siue rationis, quæritur è quibus capitibus possint aliquâ generalem diuersitatẽ habere: quæ difficultas locum etiam habet in eadem lege naturali vt in Deo existente. D. Thomas q. 94. art. 2. id reuocat ad tres considerationes hominis. Prima est, vt homo in se est quoddam ens indiuiduale, vt sic ordinatur ad conseruationẽ sui: iuxta quam considerationem sunt aliqua præcepta naturalia, v.g. ne se occidat, ne intẽperatè comedat, bibat, &c. Altera consideratio est, vt est ens corruptibile, & vt sic ait, illum ordinari ad propagationem speciei, habétq; diuersa præcepta à prioribus, v.g. ne alium lædat, ne occidat, ne polluatur, &c. Ego tamen in hac alterâ cõsideratione D. Thom. difficultatem aliquam inuenio; nam propagatio speciei formaliter est indepẽdens per se à mortalitate: etenim, etiamsi homo foret immortalis, haberet eam propagationem vt in statu innocentiæ, quia ex se, esto maneat antiquum indiuiduũ, est tamen magnũ naturæ bonum, quòd nouũ procreetur. Secundò difficile est quod doceat, præcepta, quæ ad alios ordinantur, pendere ab

Quas ob causas illæ leges generaliter diuersificari queant.

Sensus Diui Thomæ triplex.

11.

Aliter elidi ratio refutatur duplici ex capite.

Digitized by Google

ab eâ mortalitate; nã esto per se homines essent immortales adhuc tamẽ peccatum esset mentiri, iniuriã alterum afficere, colaphum dare, &c. ideò forte hæc secunda consideratio deberet poni independenter à mortalitate; vt scil. consideretur in ordine ad se, in ordine ad proximum, & tertiò in ordine ad Deum; secundùm quam tertiã considerationem habet præceptum religionis, amandi Deum, ei credendi, &c. circa quæ tria capita nihil habeo quod addam.

Circa vnitatẽ ergo huius legis Secundò quæritur, vtrùm ea sit vna in omnibus hominibus. Non quærimus de vnitate numericâ; nam meum dictamen non est idem cum eo quod Petrus habet: est ergo quæstio de vnitate specificâ, an scil. tot omnino, licet similia, sint dictamina in quolibet, quot in vno. Respondeo, per se omninò tot esse; nam cùm natura sit eadem specie, eadem etiam est per se in omnibus obligatio & eadẽ leges: per accidens tamẽ, quatenus aliqui fortè habent ignorantiam inuincibilem aliquorum particularium præceptorum, potest ea lex esse in vno minùs extensa quàm in altero: vnde obiter respondetur obiectioni, quæ fieri posset, scil. aliquas gentes aliquando tolerasse aliqua mala, tamquã si vere mala non essent; vt de Lacedæmonibus aliqui dicunt, eos olim non reputasse furtum esse peccatũ; quod & apud Germanos olim creditum esse affirmat Iulius Cæsar lib. 6. de Bello Gallico. Respondetur, inquam, vel eas nationes habuisse ignorantiam inuincibilem eius præcepti; vel (quod mihi probabiliusest) solùm permisisse impunè furtum, esto iudicassent illud malũ: sicut nunc permittuntur mulieres publicæ ob maiora damna vitanda.

11. *Tot sunt in vno specifica dictamina, quot in omnibus hominibus per se, non tamẽ per accidens.*

Germanos olim furta permisisse probabilius est.

An illa lex sit inuariabilis.

Tertiò ergo quæritur, an eadẽ sit illa lex omni tempore. Negant aliqui; diuersa enim sunt præcepta in statu naturæ lapsæ, quàm in naturæ integræ: alij verò affirmant semper fuisse, & esse eamdem, quia semper natura humana est eadem. Arbitror dissensionem esse de solo nomine. Pro quo aduerte, aliud esse, eam legem, naturalem præscribere præcepta diuersa pro diuersis casibus; aliud verò, ea non præscribi semper. Explico:

13. Lex obligans filios, vt parentes colant, naturalis est; ea tamen non mandat parentibus è contrario vt ipsi colant filios; propterea non dicimus eamdem legem esse absolutè respectu omnium hominum. Nam multa mandat mihi lex naturalis quando sum infirmus, quæ non habent locum quando sum sanus. Quia tamen semper ea lex dicit, *Si fueris filius, tali modo erga parentes te geras; si parens, tali modo erga filios; si infirmus, tali modo; si verò benè valueris, tali:* quæ dictamina licet non obligent pro omni tempore, existunt tamen in se semper respiciendo suum tempus. Ideò dicimus, eam legem non variari, sed semper esse eamdem, non quidem imperando eadem pro omni tempore, sed diuersa pro diuersis. Id quod puto à nemine re ipsâ negandum. Ergo auctores illi, qui vno tempore vnam esse legem naturalem, alio aliam dixerunt, nihil aliud intenderunt, quàm quòd non imperarentur eadem à lege naturali pro omni tempore. quod etiã nos fatemur. Iam verò malè inde intulerunt in modo loquendi, eas leges non esse easdem omni tempore; quia licet alia longè præscribant pro belli tempore, alia pro pace, semper tamen illa omnia præscribunt. Et idem dico de statibus illis innocentiæ & naturæ lapsæ. Præscribit enim semper lex naturæ eadem præcepta; quædã tamen pro vno tempore, quædam pro alio. Quod verò necessariò eadem præscribat semper ratio est manifesta; quia lex naturæ non præscribit ex voluntate positiuâ alicuius, sed ex eo, quod res habent ex intrinsecâ suâ naturâ vt possibiles à parte rei; hæc autem possibilitas est eadem sẽper; ergo, & lex naturalis semper eadem prohibebit.

Ostenditur qui sit semper eadem.

Leges manẽt sẽper eædem, licet nõ sẽper pro vno tẽpore omnia imperent.

Sectio IV.

An lex naturalis obliget in conscientiâ: & quomodo ad eam reducatur obligatio legis humanæ.

14. *Lex naturalis ex cõscientiã obligat.*

DE Primo, vtrùm lex naturalis obliget in conscientiâ, fusè agit P. Suarez cap. 8. Ego verò ex dictis suprà illud censeo sufficientissimè discussum; cùm enim probauerimus per illud dictamen ostendi aliquas actiones vt malas, alias verò vt necessariò exercendas, quia earum omissio apparet mala, malum autem in conscientiâ fugiendum est, certum est, eam legem obligare in conscientiâ. Illud de re posset in dubium verti, vtrùm ita obliget in conscientiâ, vt ex solâ eius transgressione homo mereatur, si in materiâ graui delinquat, pœnam æternam: de hac tamen difficultate egimus præcedenti Tomo, vbi diximus, si Deus inuincibiliter ignoretur, non futuram eam dignitatem pœnæ.

Ex solâ eius transgressione nõ incurritur pœnâ æternâ.

Aduerto P. Suarez hîc cap. 9. n. 3. contrarium insinuare, quatenus dicit solam legis naturalis transgressionem, esto nulla violetur lex supernaturalis, sufficere ad eam pœnam promerendam; idq; sentit esse de fide: nihilominùs tamen puto eum non loqui de solâ dictaminis naturalis violatione non intellectâ offensâ Dei; expressè enim superiùs dixerat, in eâ solâ violatione non esse nisi valdè leuem culpam: vnde hîc, dum legem supernaturalem opponit naturali, non intelligit per τὸ *supernaturalem* legem omnem Dei, sed eã, quæ est per specialem promulgationem; qualis facta per Moysem in monte fuit.

15. *Explicatur hic mens P. Suarez.*

Secundò circa eamdem legis obligationem quæritur, vtrùm omnis obligatio ex iure naturæ proueniens sit obligatio in conscientia. Quidam enim duplicem obligationẽ seu debitum duplex distinguunt: vnum legale, non propriè obligans in conscientiâ: vt, cùm quis beneficium accepit, dicitur obligatus ad gratias agendas; si tamen eas non agat, non propterea peccat: alterum morale, quod verè sub peccato obligat. Respondeo, quæstionem esse de modo loquendi, & in rigore eã, quæ sub peccato non obligat, non debere dici obligationem, sed quamdam quasi decentiam necessariam ad melius esse, seu ad maiorem honestatem, vt ab aliis dicitur, vel denique opus consilij. Vbi aduerte alios rursus facere eamdem distinctionem duplicis obligationis, vnius sub peccato, alterius sine illo; eò quòd reus habeat obligationem ad pœnam, non tamen ad illam teneatur sub peccato: verùm hi rem confundunt: etenim reus non habet vllam obligationem ad petendam, sed ad acceptandam pœnam impositam; quòd si violenter eam detrectet, tunc peccabit etiam in conscientia: ergo in eo non separantur illæ duæ obligationes.

An omnis obligatio ex iure naturæ orta obliget in conscientiã? Distinguuntur quidam:

sed refellun-tur.

16. Quæritur Tertiò, vtrùm obligatio legum humanarum proueniat à legibus naturalibus. Ratio dubitandi est; quia in tantum videtur obligare

An obligatio legũ humanarũ à naturalibus oriatur.

lex

lex humana, in quantum lex naturalis dicit obediendum esse Superioribus: si enim hæc lex non esset, non teneremur posteà obedire Superiori. Huic difficultati, quam suprà tetigimus explicãdo, vtrùm omnes aliæ leges à diuinâ oriantur, facilè videtur responderi posse, mediatè quidem omnes obligationes legis humanæ, imò & diuinæ positiuæ, reduci in illud principium naturale, *Obediendum est Superiori legitimè aliquid præcipienti*, immediatè verò non omnes eò reduci, sed aliquas in ipsas positiuas leges: id quod verum iudico cum multis Theologis, etiam de supernaturali lege; quæ ad ordinem gratiæ spectat. Nam licet natura quà talis non attingat ordinem supernaturalem, habet tamen extensionem quamdam, sub quâ etiam includit res supernaturales saltem implicitè: dicit enim vniuersaliter, *Deo mandanti obediendum sine vllâ exceptione*: quæ propositio etiam implicitè continet mandata supernaturalia. Neque video necessitatem recurrendi, vt Pater Suarez recurrit, ad aliam legem, quam naturalem vocat, intra ordinem tamen supernaturalem: ea enim lex, si ex parte Dei ponitur, non est propriè supernaturalis, sed naturalissima; si verò ex parte nostrâ, seu ex parte dictaminis naturalis in nobis resultantis, tunc per dictamen etiam in substantiâ naturale potest ea obligatio nasci. Etenim hæretici actu naturali cognoscunt se Deo etiam supernaturalia mandãti, quæ tamen ipsi exequi possint (qualia sola Deus semper mandat) teneri obedire: ergo non est necessaria aliqua alia lex propriè supernaturalis.

Respondetur, mediatè omnes etiam supernaturales oriri, non verò immediatè à naturali.

17. *Fallitur hîc Suarez.*

Sectio V.

Obiectio difficilis contra vltimam resolutionem.

HÆc doctrina sic explicata satis est clara; video tamen contra eam obiectionem quãdam valdè molestã. Etenim si pretium v.g. tritici sit duorum florenorum cõstitutum à lege humanâ, peccatum est immediatè contra naturam rationalem non dare pro illo nisi florenum; & tamen ibi intercedit lex humana taxans pretiũ illud: ergo obligatio legis humanæ non solùm mediatè, sed etiam immediatè reducitur ad legẽ naturalem. Respondet Pater Suarez & communiter alij, aliquando legem humanam habere alios effectus diuersos circa materias, quas respicit faciendo in eis mutationem aliquam, vt v.g. taxãdo pretia rerum, diuidendo dominia: quibus casibus ea lex non obligat, sed constituit materias capaces obligationis naturalis; nam donãdo mihi pallium v. g. nihil mandauit, fuit tamen causa vt præceptum naturale seruandi cuilibet suum ius iam obliget alios, ne mihi pallium accipiant. Et idem ad instantiam allatam in obiectione de pretio dicendum videtur. In eis ergo casibus semper obligatio est immediatè à solâ lege naturali: neque id est contra dicta suprà. At aliquando legem directè prohibere aliquid vel mãdare; vt cùm dicit, *Non comedas hodie carnes*, vel, *Audias Sacrum*, &c. In his autem casibus obligatio immediatè venit à lege positiua, licet mediatè reducenda sit in legem naturalem, *Obediendum est Superiori legitimè mandanti.*

Probatur, legem humanã etiam immediatè reduci ad naturalẽ.

18. *Solutio Suarij & communis.*

Obiectio contra communem solutionem.

Contra hanc solutionem communem, quæ alioquin videtur esse valdè bona, sic ego obijcio: Pari ratione possumus dicere, omnem omnino obligationem, etiam eam, quę à lege humanâ dicitur secundo modo prouenire, oriri propriè & per se ac immediatè à lege naturali: etenim sicut lex naturalis dicit, *Nemo tibi auferat hoc pallium, si fuerit tuum*: ideóque qui donat mihi pallium non obligat, sed ponit conditionem, sub quâ obligat lex naturalis; ita eodem modo lex naturalis dicit, *Non sunt comedenda carnes diebus prohibitis*, seu, *Si prohibita sint*: ergo lex prohibens solùm ponit conditionem in carnibus, nempe prohibitionem; quâ positâ immediatè obligat naturalis lex.

Confirmo Primò: Obligatio adimplendi votũ est obligatio naturalis, seu à lege naturali prouenies; & tamen vt hîc & nunc ego obliger, necessum est interuenire meum votum, quod est quasi quoddam vinculum, quod ego mihi impono: ergo obligatio parendi Superiori mandãti ieiunium etiam erit naturalis, licèt, vt hîc & nũc teneat ieiunare, necessaria sit volitio mandãs ieiunium. Quod enim dicitur, mutationem fieri per votum in materiâ, idem omnino videtur dicendum in lege: nam per votum fit mutatio in materiâ, quatenus iam est donata seu promissa alteri, quæ anteà non erat donata: ita etiam per legem humanam iam ille esus carnis est mutatus moraliter, quatenus iam est prohibitus, cùm anteà nõ esset: ergo in vtroq; casu fit mutatio in materiâ: & in vtroq; factâ mutatione immediatè obligabit lex naturalis.

19. *Eadem obiectio confirmatur primò ex obligatione adimplendi votum.*

Confirmo Secundò à priori: Hæc lex naturalis, *Obediendũ est Superiori legitimè mandanti*, est vniuersalis; sicq; debet explicari, *Obediendum est huic Superiori legitimè mandanti ieiunium v.g. & alteri legitimè mandanti Sacrum, & tertio legitimè mandanti recitationem Horarum*, &c. ergo obligatio obediendi huic mandanti ieiunium à lege naturali procedit immediatè, non autem à lege humanâ: ergo obligatio ieiunandi est immediatè à lege naturali. quod aperte est contra communem sensum Theologorum.

Secundò à priori.

Respondeo, multum hîc posse misceri de modo loquẽdi. Pro quo aduerte, aliud esse dicere in communi, *Obediendum est Superiori legitimè mãdanti*, aut, si vis, *etiam huic legitimè mandanti*; aliud verò, *Obediendum est hîc & nunc*: etenim prima propositio est conditionata; & habet hunc sensum, *Si legitimè mandauerit, obediendum illi erit*. Hæc obligatio est de iure naturæ etiam respectu huius & illius Superioris in particulari; altera verò propositio est absoluta, in quâ non solùm dicitur, *Est obediendum, si mandauerit*, sed absolutè, *Obediendum est huic Petro v.g.* hanc secundam dicimus non esse de iure naturæ; quia ad eam necessariò debet subsumi noua minor, nempè, *Hic est Superior, & mandat*: quæ minor cùm non sit de iure naturæ, sed potiùs sit mandatum positiuum, efficit, ne dicamus eam obligationem absolutam parendi huic esse de iure naturæ. Per quod sufficienter responsum est ad confirmationem ex ratione à priori.

20. *Soluitur obiectio. Quomodo differant hæ obligationes, in genere scilicet & particulari.*

Maius negotium facessit nobis alterum argumentum, in quo petitur ea disparitas inter votũ, furtum & ieiunium; & in illis habet locũ quod dixi, multum scilicet de nomine misceri; an scilicet obligatio non accipiendi à Petro pallium sit dicenda immediatè de iure naturæ, cùm ad eam etiam præsupponatur vna quasi minor, quæ non est de iure naturæ, scilicet, *Hoc pallium est Petri*. Ego sanè absolutè non curarẽ, in eo sensu dicerem eam non esse naturalem; sicut obligatio obediẽ. i

Quæ sit disparitas inter votum, furtum & ieiunium, vt sunt obligationes generales & particulares.

21.

Digitized by Google

huic homini Petro v. g. non dicitur de iure naturæ: quid ergo dicemus ad instantiam: furari pallium omnes dicunt esse contra præceptum naturale; & nemo dicit esse contra præceptum naturale comedere carnes die Veneris, ergo. Respondeo in vtroque casu hoc interuenire, vt pro conclusione illâ ponatur vna propositio vniuersalis de iure naturæ: in vno, *Obediendum est Superiori legitimè mandanti*; in altero, *Res aliena non debet accipi inuito domino:* ponitur etiam in vtroque casu vnam minorem, quæ non est de iure naturæ: in vno ponitur, *Sed hoc pallium est Petri*; in altero verò ponitur, *Sed hic est Superior, & mandat tibi hîc & nunc legitimè:* vnde infertur conclusio, *Ergo debes obedire illi* & ibi, *Ergo non debes illo inuito accipere pallium.* In hoc ergo paritas est in vtroque casu; est tamen aliqua disparitas in eâ minori quæ subsumitur, ratione cuius in vno dicatur conclusio de iure naturæ, in altero verò non: nam conditio, quæ ponitur in eo syllogismo de non auferendo pallio, non est lex aut præceptum mandatúmve nouum, sed dominium Petri in pallium: dominium autem illud haud dubiè non est lex, neque est obligatio, sed purè quid efficiens, vt pallium sit Petri; & pura conditio, sub qua lex naturalis præcipiebat ne auferretur pallium: ergo in eo syllogismo non est nisi vna lex naturalis, ea scilicet, quæ est in maiori; quid ergo mirum, si dicatur ea obligatio immediatè à lege naturæ? in altero verò casu de Superiore mihi mandante, ea minor, quæ ponitur, simul est præceptum, mandatum, seu lex: vnde obligatio, quæ in eo syllogismo infertur in conclusione, non tribuitur immediatè legi naturali, quæ in maiori erat proposita, sed legi, quæ in minori ponitur, ideóque vocatur obligatio positiua: & hinc etiam colligitur, quid sit dicendum ad alterum casum de voto; in quo multi censent, inter quos P. Suarez num. 12. id videtur supponere, obligationem ieiunandi, quando feci votũ, esse de iure naturæ. ego tamen video contrarium omnino esse conforme modo loquendi ordinario: quis enim dicet Monachos sancti Francisci de Paulâ, quia adstricti sunt voto ad abstinendũ à carnibus, eas comedendo peccaturos contra legem naturalem; nos verò in Quadragesimâ non peccaturos contra ius naturale? certè eodem modo solemus in vtroq; casu discurrere, ac dicere illos solùm peccaturos contra votum, nos contra præceptum. Ratio desumitur ex his quæ paulò antè diximus; nã in voto minor ea, quæ ponitur pro syllogismo conficiẽdo, est ipsum votum; hoc autem est nouum vinculum seu obligatio; sicut præceptum Superioris est nouum vinculũ: vnde sicut in præcepto tribuitur obligatio illi particulari vinculo, ita & in voto: sicut enim virtus obedientiæ inducit eam obligationem, ita & virtus iustitiæ. Et hæc videtur mihi clarissima huius rei explicatio.

Si fortè aliquis replicaret, Obligatio implẽdi votum est naturalis; ego è contrario etiam illi obijciã, Obligatio obediendi vero Superiori est naturalis: ergo est eadẽ ratio vtrobiq;. Quia verò aliquantulùm id pertinere videtur ad quæstionẽ de modo loquẽdi; si aliquis adhuc insistat, vellitq; eam obligationem ex voto dicere naturalẽ, poterit hanc assignare differentiam, quod votum ipsum non sit propriè obligatio, sed promissio rei, & quodammodò quasi constitutio illius in potestate alterius; sicut donatio pallij non est obligatio: & quod sicuti posteà ex donatione incipit iam præceptum naturale me obligare, ne accipiam inuito Petro pallium quod ei dedi; ita incipiat in voto lex naturalis me obligare, ne negem Deo id quod per votum promisi, aut quasi illi donaui: in præcepto autem Superioris id non habeat locum; quia (vt ostendi) illud est vera lex, verum mandatum; vnde præceptum naturale dicens, obediendum esse Superiori legitimè mandanti, est reflexa lex suprà legem, &, vt sic dicam, lex dans valorem legi: at lex naturalis de non furando, de seruando voto non est reflexa suprà aliam legem, sed immediatè obligans sub hac aut illâ conditione ad hanc vel illam actionem. Et satis de hac difficultate.

Primò respõdetur in quo sit paritas:

Secundò, in quo disparitas.

22.

Obligatio ieiunandi ex voto orta nõ est iuris naturæ.

23.

Cur Paulini carnes comedentes contra votum agẽt, nos in Quadragesimâ contra præceptum.

Occurritur replicæ.

24.

SECTIO VI.

An lex naturalis obliget etiam ad modum actus.

Sensus quæstionis.

DIfficultas hæc præcedenti est annexa, vtrùm scilicet lex naturalis ita obliget in conscientiâ, vt non solùm vi illius teneamur substantiam actus efficere, sed etiam modum illius, vt vndequaque actus sit bonus.

SVBSECTIO I.

Aliqua supponuntur.

Præceptum non violare & seruare distinguuntur.

ADuertendum Primò: aliud esse non violare præceptum, aliud seruare: etenim, qui nondum natus est, non violat præceptum; & tamen illud non seruat. Loquendo ergo de non violatione, certum est, ad eam non esse necessarium actum bonum; sed sufficere, si purè putè negatiuè non sit actus malus: si loquamur autem de obseruatione præcepti, ad hanc requiritur cognitio præcepti, & volũtaria obediẽtia erga illud, iuxta illius qualitatem: si negatiuum, obediẽtia omissiua, si positiuum, positiua. Consultò dixi *voluntaria*, & non posui *libera*: in quo minùs benè loquitur Pater Suarez; nam obseruatio præcepti vera & rigorosa potest esse, nõ libera: si enim quis sit incapax peccati (vt sunt Beati de facto) eo ipso, quod Deus ei mandet, vt hoc aut illud faciat, necessariò cogitur illud facere; & tamen ille verè seruat præceptum Dei: imò ad imitationem Beatorum docuit nos Christus petere, vt fiat voluntas Dei *sicut in cœlo & in terrâ*: ergo obseruatio humana & propria non requirit libertatem, sed solùm rationem voluntariæ obediẽtiæ. Quia tamen Tomo præcedenti docui, puram omissionẽ numquam posse esse voluntariam, nisi sit libera, consequenter etiam dico, non posse quemquam per putam omissionem voluntariè obedire, nisi etiam liberè. Quod ergo paulò antè notaui de obseruatione non liberâ voluntariâ tamen, debet intelligi præcisè de obseruatione per actum positiuum.

Ad non violationem non est opus actu bono.

25.

Matth. 6.

Actus absolutè bonus amat obiectũ bonum propter se.

Secundò aduertendum ex dictis Tomo præcedenti, vt actus aliquis sit bonus absolutè, non sufficere, quod habeat obiectum bonum, nisi illud amet propter se: si enim illud amat propter finem vel malum vel indifferentem, non erit actus bonus: requiritur item, ne ratione vllius circumstantiæ repugnet vlli alteri virtuti.

26.

Actus vt sit meritorius requirit libertatem, nõ tamen vt sit honestus.

Tertiò aduertendũ, licet actus, vt sit honestus, simpliciter non requirat libertatem, eam tamen requirere, vt sit meritorius: aliud enim est, actum esse honestum, aliud, esse meritorium:

vt

Digitized by Google

vt patet in amore beatifico, qui honestissimus est, ob defectum tamen libertatis nullum habet meritum. De libertate ergo nihil iam dico, quia si loquamur de obseruatione meritoriâ, certum est formalem requiri libertatem; ad absolutam tamen & honestam obseruationem paulò antè dixi, eam non esse necessariam. Solùm ergo pro præsenti quæstione debet supponi cognitio tum legis tum honestatis in obiecto amplectẽdo; aut è contrario malitiæ in eo quod fugiendum proponitur. Quærimus ergo, an lex naturalis obliget ad actum voluntarium, & vndequaque bonum.

Svbsectio II.

Deciditur quæstio.

Conclusio prima. Lex naturalis obligat, ne coactè ei satisfaciat.

PRima conclusio: Lex naturalis obligat non solùm, vt non mentiar exteriùs v.g. sed prohibet, ne coactè id omittam, hoc est, ne habeam actum, quo dicam, *Mentirer, si non esset hæc aut illa pœna imposita:* nam tunc temporis ille actus esset intrinsecè malus (de quo alibi) quia amplectitur malitiam expressè, & solùm fugit pœnam; vt si quis diceret, *Peccarem, si non esset pœna inferni.*

27. Aduerto ab aliquibus, inter quos est P. Suarez, hanc conclusionem ideò probari, quia lex naturalis mandat, vt omnino voluntariè ei obediamus; atqui tunc temporis non est ea obseruatio perfectè voluntaria, ergo non satisfacit præcepto. Ego hanc rationem non iudico sufficientem, & arbitror in eâ confundi in vnum duo, quæ valdè distincta sunt. Pro quo aduerte, volũtarium, prout absolutè requiritur ad implendum præceptum aliquod, non excludere simpliciter inuoluntariũ secundùm quid: etenim experientiâ manifestâ cõstat, sæpè in obseruatione præceptorum habere nos magnas difficultates & displicentias secundùm quid; & tamen nullum tunc est peccatum, quia non obstante eâ displicentiâ secũdùm quid, reperitur ibi absoluta & efficax voluntas seruandi, quæ ratione sui absolutè est voluntaria & libera: ergo quòd homo habens voluntatem absolutè efficacem non furãdi peccet, casu quo simul habeat aliam, quâ dicat, *Furarer tamen, si non timerem patibulum*, nõ prouenit ex eo, quòd omissio furti ei non sit voluntaria; est enim voluntaria; nam prouenit à voluntate efficaci liberâ, quæ haud dubiè voluntaria est: peccat ergo non defectu huius voluntatis, sed ratione alterius volũtarij, quod adiungit; quia, vt paulò antè dixi, ille actus secundus est ex se malus: vnde si primus maneret sine secundo, sufficientissimè fuisset præcepto satisfactum: ergo primus ille habuit in se voluntarium sufficiens, licet homo aliunde peccet: ergo ratio ab illis auctoribus allata non fuit bona. Fateor, nos in similibus casibus dicere solere, *Iste homo non facit hoc voluntariè*; quia põderamus vtrumque actum, & loquimur quasi secundus primum in se diminueret: id quod potest contingere, etiamsi alter actus voluntarium diminuens non sit malus. Sic enim qui coactus vi tempestatis proijcit merces in mare, absolutè habet volitionem efficacem & voluntariam proijciendi, & quidem fortiorem alterâ quæ dicit, *Non proijcerem, si non esset hæc tempestas:* similiter, qui dat eleëmosynam, eò quòd sciat præceptum esse, potest habere actum quo dicat, *Non darem, si non esset præceptum:* qui actus secundus, quoad punctum reddendi inuoluntariam dationem, non minùs habet quàm alter, qui diceret, *Non darem, si non timerem pœnam*; & tamen primus obseruat præceptum, secundus verò non: ergo differentia non debet sumi ex eo, quòd vni sit voluntaria datio, alteri non; sed ex eo, quòd vnus habet volitionem, quæ in se est mala, alter verò non. Ideò explicando conclusionem dixi *τὸ coactè*, quod excluditur à lege, solùm denotare, ne habeam vllam volitionem, quâ dicam, *Non facerem si non esset pœna:* quia talis actus est intrinsecè malus.

Quando voluntarium absolutè non excludat involuntarium secundùm quid.

Quando habens voluntatem absolutam non peccandi, propter aliam voluntatem aliunde habere possit.

Secunda Conclusio: Lex negatiua licet obseruari non possit propriè nisi per actum voluntarium; id tamen non debet sic intelligi, quasi lex ipsa imperet rationẽ voluntarij. Ratio est manifesta, quia legi furtũ prohibenti fit satis, dummodò homo non furetur, siue id faciat distractus, siue dormiens, siue quocumq; alio modo: ergo vi legis non obligatur ad rationes voluntarij; esto, quia nomine *obseruationis* nos intelligimus voluntariam impletionem, non possit obseruatio esse sine eâ ratione voluntarij. Vnde minùs in hoc puncto placet Pater Suarez, qui vniuersaliter sine distinctione docuit modum obseruandi voluntariè cadere sub præceptum legis naturalis.

29. *Conclusio Secunda. Lex negatiua non imperat rationẽ voluntarij.*

Tertia Conclusio: Si lex sit affirmatiua, tunc cadit sub præceptum ipsa ratio volũtarij. In hac acquiesco Patri Suario. Probo autem illam manifestè, quia lex dicit, *Honora Deum*, v.g. huic legi non satisfacio ego, nisi eliciendo actum illum honoris, & quidem voluntariè.

Conclusio Tertia. Lex affirmatiua præcipit rationẽ voluntarij.

Dices: Si per possibile vel impossibile ponatur in me actus honorationis Dei, ita vt à me non efficiatur, ego tamen satisfaciam præcepto: ergo hoc non petit formaliter & per se rationem voluntarij. Aliqui dicerent, repugnare eam hypothesim; quia non potest actus volũtatis non produci ab ipso volente. Verùm hæc solutio non satisfacit. Primò quia contrarium meo iudicio manifestè in libris de Animâ ostendi. Secundò, quia esto repugnet, non certè ratione legis, sed aliũde; ideóq; pro præsenti quæstione debet admitti: eo ergo admisso, respondeo etiam tunc temporis hominem voluntariè honoraturum Deum; quia, vt dixi alibi, etiam Deus voluntariè se amat, & tamen non producit suum amorem. Secundò respondeo, Si lex dicat, vt dicere potest, *Mando tibi vt tu producas honorem Dei*, &c. non satisfactum iri præcepto, si aliunde homini illa honoratio infunderetur, sed debere ab ipso homine eam produci.

30. *Replica.*

Quarta Conclusio: Vt quis impleat præceptũ, non est necessum, vt homo habeat pro motiuo honestatem, quæ repetitur in actu obedientiæ; sufficit enim, si sciens hoc esse præceptum, velit illud facere; etiamsi habeat pro motiuo aliam honestatem. In hac omnes conueniunt, & nulla est re ipsâ in illâ difficultas; ex illâ autem infertur, legem non imperare per se motiuum hoc obedientiæ.

31. *Conclusio Quarta. Ad impletionem præcepti sufficit, vt sciãs, præceptum velit illud facere.*

Dixi sufficere, si homo sciat id esse præceptum & velit; nam eam scientiam requiri ad implendam propriè legem videtur manifestum: qui enim ignorans præceptum aliquod, v.g. de dandâ eleëmosynâ, eam daret, etsi operaretur alioquin benè, non seruaret tamen præceptum. Dico *non seruaret*, quia fortè satisfactum esset præcepto, quatenus homo iam non ampliùs teneretur: sicut dormiens non mentitur, satisfacit quidem præcepto, non tamen propriè illud obseruat, vt dixi paulò antè.

Digitized by Google

Aliquando liberatur qui ab implectione præcepti necdum expleti.

Aduerte tamen aliquando contingere, vt, licet homo inuitus aliquam actionem præceptam faciat, & propriè non expleuerit præceptum, imò peccauerit, non teneatur tamen posteà illud præceptum quasi secundò explere: si v. g. ab inuito debitore extrahatur, quam debet, pecunia, non tenetur posteà restituere: quod non prouenit ex adimpletione præcepti, sed quia iam nihil debet alteri; perinde ac si fuisset ab eâ obligatione liberatus, si creditor ei remisisset debitum; per quam tamen remissionem non satisfecisset ipse propriè obligationi restituendi. Similiter qui ignorans quid faciat dedit pauperi extremè indigenti eleëmosynam sufficientem, non tenetur posteà nouam dare; non quia impleuerit ipse præceptum, sed quia iam alter non indiget eleëmosynâ. Vera ergo & propria ac formalis obseruatio requirit cognitionem obligationis; sicut è contrario transgressio legis etiam requirit eamdem cognitionem, vt diximus fusè Tomo 3.

32. *Conclusio Quinta. Lex naturalis non obligat ad modũ virtutis. Suarez tenet contrarium.*

Quinta conclusio: Lex naturalis non semper obligat ad actum vndequaq; honestum, & consequenter non obligat ad modum virtutis. Contrarium sentit Pater Suarez cap. 10. num. 11. Nostra autem assertio probatur Primò in præceptis negatiuis; v.g. *Non forniceris:* huic enim satisfacit homo, si per puram omissionem liberã non fornicetur; & tamẽ (vt diximus suo loco) ea omissio non est absolutè & vndequaq; honesta, ideóque non est meritoria: quæ duo cùm Pater Suarez admittat, nõ videtur satis consequẽter in præsenti dixisse, vniuersaliter legem naturalem obligare ad actum vndequaque honestum.

Ad quid præcisè præceptum non furandi obliget.

Probo iam Secundò conclusionem in præceptis affirmatiuis; nam licet omnes leges naturales collectiuè obligent, ne actus ex aliquo capite habeat aliquam circumstantiam malam, non tamen obligant, vt absolutè sit simpliciter honestus. Explico: Præceptum non furandi v. g. non obligat nisi præcisè, ne ego accipiam rem alienam, siue id faciam ob vanam gloriam, siue ob alium malum finem; at, si sumo alia præcepta naturalia, prohibent eam circumstantiam malam: quod enim ea lex non furandi permittit, seu non prohibet, prohibent aliæ; ideóque absolutè per omnes eas leges collectiuè prohibentur circumstantiæ omnes malæ. Et hoc do Patri Suario & alijs. At quia ad actum simpliciter & vndequaq; honestum non sufficit, iuxta paulò antè dicta, carere omni malâ circumstantiâ; sed etiam debet amare honestatem quà talem; cõtingere poterit, vt licet homo amet rem honestam, & non apponat illi circumstantiam vllam malam, ideóque contra nullum præceptum naturale faciat, nihilominùs non amet eam honestatem propter seipsam, sed ob finem indifferentem; ideóque actus non erit simpliciter & absolutè bonus.

Actus simpliciter bonus non est nisi ab omni malo alienus, sed & honestum quæ qualis amans est.

Dices Primò: Non potest dari actus in individuo indifferens, ergo. Respondeo, à me ostensum contrarium satis efficaciter superiori Tomo.

D. Thomas non negat posse dari actum in individuo indifferentem.

Dices Secundò. à D. Thomã contrarium doceri. Respondeo, D. Thomam potiùs stare pro nobis; nam licèt Pater Suarez dicat à sancto Doctore in hoc poni differentiam inter legem positiuam & naturalem, quòd illa non, hæc verò obliget ad modum virtutis; ego tamen in D. Thomâ id non possum inuenire: nam q. 100. vbi agit, an modus benè operandi cadat sub præceptum, non agit de lege naturali, sed de diuinâ; à quâ posse imperari modum virtutis nemo dubitat. Respondeo Secundò: Esto in eâ re D. Thomas fortè esset contrarius, quia alibi sentit, non posse dari actus indifferentes in individuo, nos tamen, qui iudicamus contrarium esse probabilius, etiam hîc contrario modo discurrimus.

Esto negaret contrahromus.

Pro nostrâ sententiâ citantur à Patre Suarez Medina od. de oratione, q. 16. de Horis canonicis recitandis, & Nauarrus Tractatu de Oratione & Horis canonicis cap. 20. num. 29. & in Summâ cap. 21. num. 7. Eam rursus probo, quia in nullo præcepto naturali potest ostendi ea obligatio habendi pro obiecto formali honestatem ipsam vt talem: nam si præceptum dicit, *Colas parentes*, ego verò id facio, nullum planè finem malum apponendo, licèt apponam indifferentem; in primis non violo præceptum colendi parẽtes, quia hoc, vt ipsemet Pater Suarez supponit, & omnes cõmuniter, impleri potest per actum etiam malum & contrarium alteri præcepto: quo casu haud dubiè non possum habere pro obiecto honestatem quà talem: deinde non violo vllum aliud præceptum, quia, vt dixi, non appono finem malum contra vllum aliud, ergo. 34.

Ostenditur iterùm modũ benè operandi nõ cadere sub legẽ naturalem.

Dices: Pecco contra præceptum quoddam vniuersale apponendi meis actionibus bonum finem. Sed contrà, quia nullâ ratione eiusmodi præceptum ostenditur sufficienter, ergo.

Soluuntur replica in nos facta.

Dices Secundò: Eo ipso, quòd lex naturalis præcipiat facere actum honestum, præcipit vt ametur honestas. Verùm in hac obiectione assumitur conclusio quam impugno; nego enim legem naturalem præcipere actum vndequaq; honestum, sed solùm illum, qui in se materialiter est honestus, seu qui versetur circa materiam honestam.

SVBSECTIO III.

Vtrùm lex naturalis obligat ad modum operandi ex dilectione Dei.

IN hac difficultate duo videntur includi: vnum, an lex naturalis, suppositâ eleuatione hominis ad gratiam, obliget ad operandum semper ex supernaturali dilectione Dei super omnia; eâ autẽ eleuatione non suppositâ obliget ad operandum ex amore naturali, siue hic requirat aliquod singulare auxilium gratiæ intra ordinem naturæ; siue non. de quo in materiâ de Gratiâ. 35. *Status quæstionis.*

Pro huius difficultatis solutione præmitto Primò, aliquam esse obligationem naturalem amandi aliquando Deum super omnia siue in hac siue in illâ occasione: de quo iam nõ agimus. Ratio est, quia cùm Deus sit obiectũ infinito amore dignum, & à quo homo quidquid habet accepit, necessum est, vt aliquando eam bonitatem amet, ita vt malit omnia alia amittere, quàm eam offendere: illud verò præceptum non statim obligare in ipso primo instanti vsus rationis, dixi Tomo præcedenti. Quæstio ergo præsens non est, an determinatum præceptum charitatis aliquando obliget ad suum actum; sed, an semper in aliorum præceptorum obseruatione teneamur operari ex dilectione Dei, quando v. g. honoramus, parentes, quando seruamus proximo ius suum, restituimus commodata, &c.

Cur sit obligatio naturalis amandi aliquando Deũ super omnia.

36. *Multa alia præter Deum per se esse diligibilia videtur certũ ex fide.*

Præmittendum Secundò contra Gregorium in 2. dist. 39. q. 1. art. 1. concluſ. 2. multa alia obiecta à Deo distincta esse honestè diligibilia propter se. Id quod videtur mihi omnino certum ex fide: etenim præmium supernaturale quà tale, seu

Digitized by Google

seu visio beata Dei, etiã vt ab ipso Deo distincta, obiectum est honestũ, & honestè diligibile propter se, vt supponit passim Tridentinum agens de actu spei, & eodem modo agens de actu attritionis, qui concipitur ex timore pœnarum: ibi enim implicitè Concilium docet, carentiam seu fugã pœnarum esse obiectum honestè amabile; etiãsi non propter Deum ametur, sed in eo fiftatur. Idẽ in Scripturâ videtur supponi de alijs actibus, oratione, eleëmosynâ, &c. nam illos esse bonos expresè traditur; in eis verò Deum non amari propter se, facilè potest probari: alioquin enim omnes essent actus ad iustificandum etiam extra Sacramentum sufficientes. quod apertè erroneũ est vel hæreticum. Præterea si ea obiecta semper amarentur, non ob honestatem ipsorum, sed ob Deum, illi actus non essent eleëmosynæ, orationis, &c. sed amoris Dei, quia non aliam honestatem amarent quàm diuinã: vnde nec illæ virtutes essent distinctæ, sed vnica habens diuersa sũmùm obiecta materialia. Ratio verò à priori cõtra Gregorium est manifesta, quia sicut Deum esse, infinitè pulchrum, bonum, sapientem, &c. non tollit vt sint in creaturis veræ aliquæ bonitates physicæ, pulchritudines, delectabilitates, &c. licèt infinitè illâ minores; & Deum esse ens infinitum, non arguit hominem, Angelum non esse verè & propriè entia: id quod, nisi abutendo terminis, nemo prudens negare poterit: ita eodem modo, quòd Deus sit obiectum moraliter infinitè bonũ, & infinitè honestum, nõ tollit esse etiam præter Deum aliqua obiecta bona honesta moraliter, etiamsi infinitè Deo minora. Neque enim ideò beata Virgo non est verè & propriè sancta & honesta moraliter, &c. quia infinitè sit inferior Deo: quòd si bonitas illa in se est honesta, ergo amabilis est honestè propter se.

37. *Ratio huius à priori.*

Omnia in se sunt amabilia propter se.

Obijci in contrarium potest Augustinus, qui varijs in locis docet peruersum esse frui aliquâ re creatâ nisi propter Deum. Respondeo, Augustinũ solùm dicere, non esse velut in vltimo fine quiescendum in creaturâ: quòd verò aliquando etiam doceat omnia bona referenda esse in Deũ, solùm loquitur de virtuali relatione; quatenus omnia opera, si sint bona, eo ipso ad Deum, cui valdè placent, & in cuius honorem cedunt, referuntur: vel solùm id dicit per modum consilij, hortando ad id quod melius & honestius est.

Qui omnia bona in Deũ referãda sint.

38. *Conclusio Prima. Non obligamur semper omnia in Deum referre per amorem actualem naturalem.*

Hinc pro præsenti difficultate dicendum Primò, intra ordinem naturalem nõ esse obligationem referendi semper omnia in Deum per amorem naturalem illius. Patet euidenter illatio Primò, quia (vt in superiori difficultate diximus) nec qui dẽ est necessum vi eius præcepti efficere opus vndequaq; honestum; multò ergo minùs erit necessum habere actum perfectissimum; qualis est amor Dei: tum etiam quia, vt immediatè antè cõtra Gregorium dictum est, potest esse honestas simpliciter & absolutè vera & propria in alijs obiectis: ergo si quis eam amet propter se, esto eã non ordinet expresè in Deum, satisfaciet perfectissimè præcepto naturali, v. g. colendi parentes, seruandi cuilibet ius suum, &c. si eos actus amet propter honestatem in eis repertam: neq; potest vllo apparente fundamento dici esse illud præceptum distinctum obligans ad eam directionem in Deum.

Conclusio Secunda. Neque in ordine gratiæ necessum esse omnia opera facere ex imperio charitatis.

Dicendum Secundò, neque in ordine gratiæ necessum esse omnia opera facere ex imperio charitatis. Hæc est contra Michaëlem Baium, qui docuit, omnem actum, qui non est ex charitate, esse ex vitiosâ cupidine; est etiam contra alios, qui videntur docere, numquam impleri vllam legem naturalem, nisi aliquando operetur quis ex charitate. Et in primis habitum ipsum charitatis non esse necessarium ad seruandam legem naturalem est expresè definitum in Tridentino sess. 6. can. 7 quarenus definit, hæresim esse dicere, omnia opera extra statum gratiæ facta esse peccatum: & quatenus cap. 6. admittit in peccatore actus bonos, quibus paulatim ad iustificationem disponitur. Et sanctus Paulus docet, Gẽtes, quæ legem non habuerunt, multò minùs habitus gratiæ & charitatis, facere tamen multa, quibus leges aliquas impleuerunt. Et in Scripturâ agnoscuntur in peccatoribus carentibus habitu gratiæ multa bona opera, quibus paulatim ad iustificationem disponuntur. Denique de hoc dubitari non potest. Quòd verò nec actus ipse amoris Dei sit necessarius ad non peccãdum, ferè suadetur ijsdem testimonijs; nam cùm aliunde supponendum sit ex Tridentino, amorẽ Dei esse sufficientem ad iustificationem; certè, si necessarius esset hic actus semper ad non peccandum, necessum esset etiam, vt homo, cùm primùm omittit liberè vnum peccatum, aut elicit vnum actum vndequaque honestum, eo ipso iustificaretur: id quòd apertè Tridentino suprà citato aduersatur. Denique sicut non existente eleuatione hominis ad supernaturalem ordinem potuisset ille colere v. g. honestè parentes non amando Deum super omnia; idem poterit facere, esto sit eleuatus: quia hæc eleuatio fortasse illum obligat ad frequentiùs aliquantulùm eliciendum similem actum: at vt in omnibus omnino momentis, in quo libertatem exercet, illum eliciat, quis potest, nisi delirando, dicere hominem esse obligatum? Neque obest, quòd Apostolus primâ ad Corinth. 10. dicat, *Omnia in gloriam Dei facite:* in quem ferè sensum loquitur cap. 16. & ad Coloss. 3. id, inquam, non obstat, quia ea verba tantùm sunt exhortatoria ad maiorem perfectionẽ; sicut ab ipso alibi dicitur, *Æmulamini autem charismata meliora.*

omnia opera facere ex imperio charitatis.

39.

Actus amoris Dei non est necessarius ad non peccandum.

40. *Apostolus ad maiora solùm hortatur, non verò ea præcipit.*

1. Cor. 12.

Obijcit etiam solet iterùm Augustinus, qui sæpè ait, quidquid non fit ex charitate fieri ex prauâ cupiditate; vt lib. 1. Retract. cap. 15. *Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas*: & lib. de Gratiâ & libero arbitrio cap. 18. *Quod fit sine dilectione, non benè fit.* Respondeo, Augustinum loqui non de dilectione propriâ & formali, sed de virtuali, reijciendo opera, quæ non sunt dilectioni conformia, aut quæ sunt quasi contra dilectionem: ac si dixisset, Quidquid est contra dilectionem est malum: vel certè per exaggerationem aliquam ibi locutus est. Cùm autem secundò eo loco dicat, voluntatem sine charitate totam esse vitiosam cupiditatem, loquitur de ipsâ potentiâ voluntatis, seu substantiâ animæ: quæ, si gratiâ careat, est in peccato: & consequenter meritò dici potest vitiosa cupiditas.

Obijcitur Augustinus.

Exponitur de virtuali dilectione.

Quo sensu voluntas sine charitate vitiosa sit Augustino.

Vltimò obijcies: Deus suis præceptis intendit nos facere sui dilectores; ergo tenemur ad eam dilectionem. Respondetur, finem remotum, quem Deus intendit per præcepta, non cadere sub obligationem in omni opere in particulari.

Finis remotus à Deo per præcepta intentus non obligat.

Digitized by Google

Sectio VII.

Quando lex naturalis irritet actus.

41. SVpponendum est, aliud esse actionem reddi illicitam, aliud nullam: etenim qui post votũ castitatis ducit vxorẽ, peccat; & tamen matrimonium validum est. Supponendum præterea, aliquando legem naturalem etiam irritare aliquos actus: etenim matrimonium initum cum parente est iure naturæ irritum. Item contractus dolo factus, si dolus versetur circa substantiam, dicitur iure naturæ irritus. His positis quærimus, quæ regula assignanda sit ad dignoscendum, quando lex naturæ solùm prohibeat, ne licitè aliquid fiat, quando verò valorem actus etiam irritet.

Lex naturalis aliquas actiones solùm illicitas, alias etiam irritas facit.

Svbsectio I.

Examinatur quorumdam doctrina.

P. Suarez modi & regula duplex.

PAter Suarez cap. 12. duas regulas tradit: quas etiam tradidit Pater Salas disput. 15. sect. 5. primam tamen solam ibi approbauit. ea est: Quando actus prohibentur iure naturæ ob defectum potestatis, tunc eo ipso esse actum irritũ; vt cùm secundum matrimonium prohibetur viuente priore vxore, quia iam homo non est dominus sui, & consequenter non habet potestatem ad se tradendum: & idem est in contractu dolo inito, quia ibi defuit consensus, qui erat necessariò requisitus. Altera regula est: Quando actus prohibetur propter indecentiã, quæ durat etiam quando durat actus ille, tunc irritari etiam actum. v. g.

42. nuptiæ filij cum matre, aut filiæ cũ parente, sunt iure naturæ prohibitæ ob indecentiam aliquam, quæ in eis reperitur: hæc autẽ indecentia semper durat durante eo matrimonio; ideò nõ solùm est illicitũ tale matrimonium, sed planè nullum: quãdo verò indecẽtia solùm est in fieri, posteà verò cessat, tunc non irritatur valor actionis, etiãsi illicitè fiat. Hanc secundam regulã sumit à simili ex Glossâ in Clementinâ 1. de iure patronatus verbo *Inhibentes.* & ex Glossâ in cap. *Vides.* dist. 10. ex Decio in cap. 2. de Test. & alijs quos refert Couarruuias in 4. Decret. 2 part. c. 6. in princ. in 6. & colligitur ex lege, *Si stipulor.* de verborum obligatione. *Quod leges*, inquit, *fieri prohibent, si perpetuam causam seruaturum est, cessat obligatio; vt si sororem sibi nupturam aliquis stipuletur.* Vbi Glossa aduertit, talem promissionem esse irritam ipso iure naturæ. Quas omnes auctoritates etiam Pater Salas adduxit pro hac secundâ regulâ. Eam tamen ibi ipse reijcit, & meritò; nam multa sunt prohibita iure naturæ propter indecentiam durantem; quæ tamen semel facta valent: tota enim indecentia quæ reperitur in contrahendo matrimonio emisso voto castitatis manet in duratione matrimonij: ea enim indecentia consistit in eo, quòd id, quod Deo promissum erat, detur alteri; at hæc indecentia semper manet durante matrimonio: semper enim manet in potestate cõiugis id quod Deo pro totâ vitâ promissũ est. Ego sanè non video maiorem indecentiam in cõtractu ipso matrimonij, quàm in eius perseuerantiâ attento voto. Idem dico in exemplo, quo vtitur Pater Salas, quando, quod alteri promisi, dono Petro: eadem enim est indecentia aut iniuria, seu quasi iniuria alterius, in eo quòd semper priuetur eâ re sibi promissâ, quàm quòd priuetur ab initio. Neque satisfacit, quod tacitè videtur respondere à Patre Suario instantiæ de voto, matrimonium scilicet habere maiorem vim quàm votum: hoc, inquam, non satisfacit; quia in eâ solutione iam supponit matrimonium esse ibi validum, de quo disputamus: ego enim probo nullum tunc fore, si bona est eius regula generalis; & consequenter, illud non posse habere maiorem vim; quia quod non est nullam habet vim. Idem vrgeo in alio exemplo quod ipse P. Suarez adduxit, & non videtur ei sufficienter respondisse; desumitur autem ex contractu iniquo, quando scilicet res venditur vltra iustum pretium: ille enim validus est, etiamsi indecẽtia semper perseueret.

Refutatur Secũda Suarẽj regula.

43.

Vrgetur alio exemplo à se dato.

Responsio.

Respondet iterùm, manere tunc obligationem restituendi id, in quo defraudatus est alter ex cõtrahentibus. Sed contrà Primò, quia ipsemet P. Suarez ibidem fatetur, cõtractum factum ex dolo graui esse iure naturæ nullum: atqui in eo posset eodem modo responderi, manere tunc obligationem restituendi id, in quo, alter ex contrahentibus deceptus est. V. g. si equum, qui valet mille, ego per dolum cum Petro permuto pro alio, quem scio intra horam moriturum, contractus est irritus iure naturæ: atqui in ordine ad punctũ perseuerantiæ eius indecentiæ eadem est ratio: quod autem damnum sit maius aut quod sit minus, per hoc non tollitur simpliciter ea indecentia. Vt enim per obligationem restarciendi damnum minus non censetur ea indecentia minor perpetua; ita per obligationem restituendi damnum maius non censebitur ea maior indecentia perpetua. Quod argumentum suo modo applicari potest ad alios casus. Contrà Secundò, quia esto ille, qui aliquantulùm defraudauit, nolit in perpetuum restituere; & consequenter, esto duret ea prima indecentia, non propterea præcedens emptio censetur iure naturæ nulla: ergo perpetuitas indecentiæ non probat eam irritationem actionis.

Reijcitur.

44.

Satisfit replicæ eiusdẽ.

Indecentia prima cõtractum aliquem durans non ideò illum irritat.

Confirmo id aliâ certioti instantiâ: Si quis decipiat feminam aliquam valdè nobilem dicẽdo se esse magnæ nobilitatis & magnarum opum, interim tamen sit pauper sutor; matrimoniũ sub hoc dolo contractum est validum, licet illicitum; & tamen dubitare nemo potest, illam indecentiã seu damnũ, quod feminæ illi ex eo matrimonio prouenit, non solùm esse pro primo instanti quo contrahitur, sed maximè pro totâ vitâ durare, & inferre per se perpetuum in eâ feminâ odiũ mariti & infamiam; ergo vniuersaliter non est vera ea generalis regula, quòd tunc sit irritatio actionum iure naturæ, quando indecentia illius est quid perpetuum toto tempore, quo valor actionis duraturus est.

45. Ad legem ibi citatam pro Patre Suario respõdeo, habere eam locum fortè in legibus positiuis, licèt nec quidẽ in eis vniuersaliter sit certa. Disparitas esse potest, quòd Legislator suâ volũtate potest apponere pro valore eam conditionem; in legibus autem naturę non habemus fundamentum vt id dicamus. Secundò, & meliùs respondeo, eam legem non esse ad rem præsentem: non enim agitur ibi de duraturâ indecentiâ actionis, sed de duraturâ re, circa quam fuit stipulatio: dicitur enim ibi, quia matrimonium inter frattem & sororem omnino repugnat in perpetuũ, ideò non potest valere stipulatio: de re enim omnino impossibili nulla potest esse obligatio: valeret autem ea stipulatio, si res de quâ fuit solùm repugnaret ad tẽpus; nam tunc licet pro eo tempore stipulatio nõ obligaret, obligaret tamen

Occurritur legi pro Suarez citata.

De re omnino impossibili nequit esse obligatio.

pro

Digitized by Google

pro sequenti; ideò valida esset, etiá quando materia repugnaret; non haberet tamé vim obligandi ad actum pro eo tempore, sed tunc pro alio, id quod non habet, quando res semper est repugnans. Hæc mihi eius legis clara videtur expositio; quam etiam tetigit Pater Salas suprà: ex eâ autem nihil infertur pro intento Patris Suarez de indecentiæ perseuerantiâ: aliud enim est loqui de indecentiâ actionis, aliud de repugnantiâ valoris illius.

46. *Impugnatur Secunda Suarij regula.* Secundò principaliter addo, in primâ regulâ, quæ reducitur ad defectum alicuius partis essentialis pro valore, etiam esse grauem difficultatem; etenim ideò in eâ dicitur, contractum per dolum substantialem extortum nullum esse iure naturæ, quia non interuenit consensus, & consequenter nec voluntarium: sine quo proculdubio nullus est contractus. Certè hæc ratio tota quanta videtur probare suo modo; etiam quando dolus non est adeò grauis, non futurum iure naturæ validum eum contractum. Pone hominem auarum decipi, vt vendat pro septingentis, quod reuerà valet mille; decipitur enim ab emptore: quis, quæso, iudicare poterit, hunc auarum verè consentire in eam amissionem trecentorum, & voluntariam illi esse talem fraudem? ergo, licet videatur habere volitionem, quia tamen ex inuoluntariâ ignorantiâ procedit, non efficiet absolutè voluntarium; & consequenter iure naturæ validus non erit talis contractus.

Fortè dices, in hoc casu inuoluntarium solùm esse circa aliquod accidens eius contractus, in primo verò de dolo substantiali esse circa rei substantiam. Sed contrà, quia ea ratio inuoluntarij circa accidens talis est, vt moraliter possimus dicere; facere absolutè inuoluntariam totam substantiam; quia ille venditor non habet voluntatem vendendi nisi iusto pretio; & videtur sub hac conditione id velle, *Quia hoc est iustum pretium*: ergo simpliciter tunc est illi inuoluntaria ea actio seu venditio: ergo etiam ea prima regula difficilis est. *Satisfit replicæ.*

SVBSECTIO II.

Quid sit in hac quæstione dicendum.

47. *Quædam censentur iure naturæ prohiberi, vt tamen ipsa minimè prohibeantur.* DIco Primò: Multa censentur prohiberi iure naturæ, quæ, nisi abutamur vocibus, propriè non prohibentur eo iure, sed ex intrinsecâ impossibilitate personæ proueniunt. V. g. nemo, loquendo propriè, dicit, iure naturæ me prohiberi, quò minùs non creem Angelum, aut quò minùs donem Petrò mundos possibiles; & eodem modo non dicor impediri me iure naturæ, quò minùs Adamum omnium parentem nunc occidam, aut quò minùs donem Paulo regnum Galliæ: non enim est necessarium vllum ius impediens id, ad quod ego non habeo vllas vires, nisi vocibus velimus abuti. Hinc censeo aliqua ex his, quæ Pater Suarez & Salas dicunt, iuræ naturæ impediri; quòd v.g. postquam semel donaui pallium Petro, non possim secundam donationem facere eiusdem: item, quòd secundum matrimonium viuente priori vxore non sit validum, non oriri aliter à lege naturæ, nisi, quatenus ego non possum dare quod non habeo; sicuti dicebam paulò ante de donatione Regni Galliæ; & quòd non possim ego validè donari alteri pallium Imperatoris vel Papæ; eo enim ipso, quòd prior donatio mei olim pallij sit valida, non magis est iam meum illud pallium, quàm non est illud, de quo antea dixi, Pontificis aut Imperatoris. *Suarez & Salas mens explicatur.*

48. *Quando conferri possit iure naturæ irrita donatio.* Nè verò faciamus vim in modo loquendi, si dicere velimus id oriri à iure naturæ, erit hoc modo res explicanda; vt quando ius dicit, me non habere dominium in aliquid, aut licet ego illud habeam, alteram tamen personam non esse eius capacem, tunc censeamus irritam esse iure naturæ donationem aut contractum illum. Id manifestè patet in exemplis antè positis, & in matrimonio filiæ cum parente: nam licet pateris sit dominus sui, ideóque se possit feminæ tradere; filia tamen capax non est dominij illius in parentem, ideóque non potest iure naturæ cum eo contrahere: iam autem in particulari determinare, quibus casibus homo non habeat illud dominium, est valdè difficile; nec potest à nobis nunc determinari.

Quid requiratur ad valorem contractus aut donationis. Secundò dico, non sufficere etiam ad valorem contractus aut donationis, quòd habeant ambo capacitatem ad illum: sed requiri, vt seruentur partes essentiales, quibus constat: v. g. vt ambo habeant veram volitionem illius. Vnde fit, vt si erretur in substantiâ materiæ, quia tunc eo ipso non est volitio vera, contractus ille non sit validus. V.g. putat quis Mariâ esse, quam vult accipere in vxorem; & cui dicit, *Ego te accipio in meam*, interim re ipsâ est Franciscâ, quæ se mentita est Mariam, non valet contractus; quia nullus est consensus in Franciscam: quando item ego vellem equum permutare pro altero determinato, qui mihi valdè placet: si mihi loco illius alius detur, tunc nullus est iure naturæ contractus. *Error in substantiâ materiæ iure naturæ contractum irritat.*

49. *Deceptio solùm in pretio non inualidat contractum.* Circa casus verò illos de enormi deceptione sic erit discurrendum; Si deceptio solùm sit in pretio, tunc contractum esse validum; teneri tamen alterum refundere pretium, siue paruum siue magnum illud sit. Ratio est manifesta, quia tunc alienatio illius rei à me, & acceptio pretij pro illâ, mihi est voluntaria; & solùm est inuoluntarium, quòd emptor non dederit tantum quantum res valet; vnde adhoc refundendum manet obligatus. At si contractus fuit equi pro equo v.g. & tunc alter me decipit dando equum, quem scit, veneno iam accepto, aut alio occulto morbo, statim moriturum, tunc non est contractus validus: nec alter satisfaciet dando mihi in pecuniâ valorem mei equi; sed verè tenebitur (si ego velim illum habere) meum equum restituere. Dico, *si velim*; nam si ego contentus sim pecuniâ, sine dubio sufficiet eum dare. disparitas inter hunc & præcedentem casum ea est, quòd in primo, si alter det quidquid abstulit ex pecuniâ, adimplenit ex integro totum meum intentum, quod fuit abalienandi à me equum, & recipiendi pecuniam ei æquiualentem: ergo manet sufficientissimè voluntarius ille contractus, ideoque & validus: at in casu permutationis, cùm meus animus non fuerit vendendi meum equum pro pecunia, non satisfacit aliter mihi dando mihi pecuniam: animus ergo meus fuit accipere alterum equum æquiualentem meo, quo ego possem vti: cùm ergo ob illum grauem errorem moraliter perinde ille equus reputetur tunc ac si nullus esset, seu ac si mortuum loco viui mihi posuisset in stabulo, próculdubio censetur ibi deesse consensus requisitus essentialiter ad talem permutationem; *Discrimen vtriusque casus.*

50. nec

Digitized by Google

nec cogi tunc ego debeo ad venditionem, sed alter ad restituendum mihi equum. Sed de iis fusiùs in materiâ de contractibus; vbi proprius est huius materiæ locus.

Idem aliis applicatur.

Quod de contractibus diximus applicandum est aliis rebus: v. g. quòd ego non possim alium ad faciendum hoc vel illud obligare, & quod illud meum mandatum sit iure naturæ irritum, oritur ex eo, quòd ego non habeam iurisdictionem ad id requisitam, sicut in contractibus diximus fieri ex defectu dominij: quod si item ille putans per errorem me esse Petrum, cui volebat aliquid præcipere, mihi illud mandet, etiam ex defectu volitionis essentialiter requisitæ, nullum est iure naturæ illud mandatum; sicut diximus de contractu & permutatione ex errore in substantiâ factis.

SECTIO VIII.

De distinctione iuris naturalis à iure Gentium & ciuili.

51. PRo complemento eorum quæ de lege naturali dicta sunt, explicanda erit eius à iure Gentium & ciuili distinctio. Quâ de re mirum est quàm fusè à nonnullis disputetur; cùm tota difficultas sit purè de voce. Qui valdè multa ac diuersa auctorum placita eâ de re videre cupit, legat Patrem Salas disput. 2. sect. 2. per totam, nos breuissimè præcipua aliquot tangemus.

SVBSECTIO I.

Referuntur aliquot sententiæ.

Prima sententia desumitur ex lege 1 § Huius studii.

NOn defuêre, qui ius naturale dixerunt illud esse præcisè, quod homini commune est cum bestiis: sic lege 1. §. *Huius studij*. dicitur, *Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit; nam ius istud non solùm humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in terrâ marique nascuntur: auium quoque commune est; vt v. g. maris & feminæ coniunctio, filiorum procreatio.* Ius verò Gentium dicunt esse illud, quod proprium est hominum. Qui auctores ius Gentium non negant esse ex naturâ rei; sed solùm ea præcepta naturalia, quæ hominem quà naturalem respiciunt, vocant ius Gentium; v.g. Deum colere, parentes honorare, &c. Meritò hic modus loquendi reiicitur cõmuniter, & quia improprius, & quia sibi contrarius: improprius; nam bruta non habent ius vllum, de quo hîc agimus; lex enim essentialiter respicit agens rationale, quod eam percipiat. Deinde, quia omnes dicunt, *Non furtum facies, Non mœchaberis*, esse de iure naturæ, non verò Gentium; & tamen ea præcepta respiciunt hominem purè quà rationalem. Tertiò, vim vi repellere dicunt hi Iuristæ esse de iure Gentium; & tamen id non est proprium hominum, sed commune bestiis: ergo non sibi constat ea explicatio. Quartò, quia in illis ipsis operibus, quæ dicuntur communia homini & brutis, multa prohibet lex naturalis in homine, quæ non prohibet in brutis; vt concubitum cum matre, sorore, &. Quintò, quia ea quæ dicuntur ab his de iure naturæ, nullo modo ab eo iure præcipiuntur: non enim obligat illud ius ad contrahendum matrimonium, ad generandos filios, &c.

§ 2. Reiicitur.

Secundò, alij dicunt, ius naturale esse illud, quod sine discursu innotescit; ius verò Gentium, quod per discursus necessariò sequitur ex primò. Non placet hic modus loquendi; namnon furari, non mœchari, non mentiri, in omnium sententiâ sunt de iure naturæ; & tamen omnia hæc non agnoscuntur mala ex ipsâ propositione terminorum, sed per discursum: è contrario multa dicuntur de iure Gentium, quæ non inferuntur per necessariam consequentiam ex iure naturali; vt diuisio dominiorum, seruitus, &c.

Secunda sententia.

Conuellitur.

§ 3. Tertia sententia.

Tertiò, alij censent, ius naturale illud esse quod obligat homines nullâ factâ suppositione societatis humanæ; illud verò, quod obligat præcisè post factam eam suppositionem, esto ex naturâ rei obliget, dici ius Gentium. Verùm neque hi placent; nam præceptum non furandi est naturale, & tamen non obligat nisi factâ diuisione bonorum: idem est de præcepto non adulterandi; quod non obligat nisi iam acceptâ vxore. Vno verbo, paucissima sunt præcepta, etiam ex maximè naturalibus, quæ non supponant aliquam societatem humanam. Ratio à priori, si in quæstione de nomine aliqua potest adduci, etiam vrget; nam ea quæ natura dictat siue pro hac, siue pro illâ circumstantiâ, dicenda sunt naturalia; quia (vt suprà fusiùs) natura debet diuersa tradere præcepta pro diuersis hominis statibus.

Displicet.

Plerique præcepta naturalia supponunt aliquâ societatem humanam.

Pater Vasquez disput. 157. cap. 3. secutus (vt ipse dicit) Franciscum Connanum, licet Salas suprà num. 18. dicat Connanum in aliâ esse sententiâ, docet, ius Gentium nihil esse aliud quàm aliquas permissiones seu concessiones licitè agendi aut non agendi aliquid, siue vllâ tamen obligatione; requirit verò Vasquez, vt hæ concessiones non sint quasi priuatæ respectu hominis vnius secundùm se considerati, sed vt conueniant homini in communitatem aliquam seu Rempublicam congregato; vt sedium occupatio, diuisio dominiorum, ius belli, &c. In hanc explicationem Pater Suarez fusè incubitur cap. 18. Primò, quia concessiones quà tales non sunt lex; ius autem in præsenti sumitur pro verâ lege, quæ inducit obligationem. Secundò, quia omnes concessiones habent secum annexum ius præceptiuum. Si enim conceditur mihi ius ædificandi domum, eo ipso cæteri prohibentur, ne me interturbent: & idem habet locum in casibus aliis quos Vasquez adducit. Quòd si ideò hic respondeat, Esto sequatur ius naturale obligans suppositâ eâ concessione; nihilominùs eâ ipsam concessionem vt talem esse de iure Gentium; vt donare alteri pallium non est de iure naturæ, tamè factâ eâ donatione ius naturæ dictat illi non esse auferendum. Contra insurgit Pater Suarez, quia ipsa concessio seu permissio est de iure naturæ; etenim natura permittit diuisionem: ergo summùm potest dici ipsa actualis diuisio de iure Gentium: at illa diuisio actualis, seu ille vsus non tam est ius & lex, quàm exercitium & actus illius, ergo. Verùm hæc secunda ratio iam reducitur ad primam; illa autem non habet magnam vim, quia expressè ipse Vasquez & Connanus, id quod pro absurdo infert Suarez, concedunt, se scilicet ius in præsenti non accipere pro verâ lege obligatoria quà tali: oportet autem ex modo communi loquendi contrarium probare; id quod non præstatur à Patre Suario. Salas tamen sect. 3. satis id ostendit, eò quòd ius, quod diuiditur communiter ab omnibus in ius naturale, Gentium

Vasq. opinio ex Francisco Connano.

§ 4. Eam persequitur Suarez.

Occurritur. replica Vasq. sed ratione debili.

Digitized by Google

tium & ciuile, est ius sumptum pro lege: pro qua veritate multos refert, etiam ipsum Patrem Vasquez: atqui lex vt talis propriè obligat, ergo & ius Gentium quà tale est obligatiuum, & non purè concessiuum, vt Vasquez iudicat.

Subsectio. II.

Quid de sententiâ Patrum Suarez & Salas.

Mens Suarij & Salas.

Pater Suarez cap. 19. & Salas sect. 3. docent, ius Gentium esse veras leges; quæ tamen non sint de iure naturæ immediatè aut mediatè; sunt tamen verè omnibus hominibus communes: ius verò ciuile esse, quod magis limitatum est ad vnum vel alterum Regnum, Prouinciam aut ciuitates; v.g. ius speciale Bohemiæ. Pro hac sententiâ citat Pater Suarez aliquos auctores, vt Sotum, Bellarminum, Couarruuiam; additque ab eâ non longè abesse aliquos Iuristas, vt Albertum Bolognetum & Pinellum. Salas verò multos textus ex iure ciuili in eius confirmationem adducit.

56. Ego quidem sententiam claram censeo; vix tamen inuenio vllam legem, nisi recurrendo ad concessiones, quas Pater Vasquez & Connanus posuêre; à Patre verò Suario & Salas impugnantur. Etenim primo loco ponit Suarez consuetudinem recipiendi Legatos sub lege immunitatis & securitatis; quam etiam Salas admittit: hæc enim lex non est de necessitate iuris naturalis: poterat enim vnaquæque communitas non habere apud se alienos Legatos; nunc tamen eos admittere est de iure Gentium, esto non sit iniustitia contra rationem naturalem eos non admittere. Quocirca, licet, supposità eorum admissione sub pacto, sit de iure naturæ seruare illis immunitatem; illud tamen pactum iure Gentium est introductum.

Satisfit exemplis vtriusq;

Quando admissio Legatorum sit de iure naturæ.

Secundum exemplum ponit Suarez in contractibus seu commerciis cum hominibus non inimicis, quæ sunt de iure Gentium: potuisset enim quælibet Respublica sola viuere; iure autè Gentium introductum est vt commercia sint libera; violarentúrque illud ius, si absque iustâ causâ prohiberentur.

Ius Gentium commercia sunt libera.

57. Tertium est ius belli, quatenus fundatur in potestate, quam vna Respublica habet ad puniendam vel reparandam iniuriam sibi ab altero illatam: nam vi solius iuris naturalis non erat necessum, vt hæc potestas esset in Republicâ; potuissent enim homines committere illam alicui tertio Principi quasi arbitro, cum potestate coactiuâ.

Ius belli non est in Republicâ vi iuris naturalis.

Quartum est seruitus; quæ non præscribitur à naturâ; potuisset enim alius pœnæ modus introduci: nunc autem tale est hoc ius, vt & rens teneatur hanc pœnam subire, & victores non possint iustè grauius punire hostes iam victos & finito bello.

Seruitutem natura non præscribit.

Quintum & vltimum est, fœdera pacis & inducierum, non quatenus seruanda sunt postquam facta fuêre; id enim ad ius naturale spectat; sed quatenus admittenda sunt, & non neganda quando debito medio & rationabiliter petuntur. Hæc ibi Pater Suarez distinctè; quæ hinc inde à Patre Salas tacta fuerant. Vt tamen verum fatear, mihi planè omnia hæc vel nó videntur esse propriè leges obligatoriæ, quatenus sunt ex iure Gentium; vel si sunt obligatoriæ, sunt leges naturales vnde non videntur esse ad propositum præsens.

Ius auctoritatem super exemplis.

Explico id breuiter per singula discurrendo. 58.
Primum est, consuetudo recipiendi Legatos: in quâ si consideremus receptionem actualem, sine dubio non est lex, sed gratia, seu concessio: si verò obligationem posteà secutam seruandi eis immunitatem, benè aduertit ipse Pater Suarez illam esse de iure naturæ: ergo solùm potest restare, quòd propriè sit ius Gentium obligatio eos recipiendi. Verùm ego non video vllam planè veram & propriam obligationem, contra quam faceret Rex quicumque, si diceret, *Ego nemini volo nocere; Volo meo Regno contentus esse; Nolo externum vllum admittere*: & sæpè ita factitari à Regibus Sinarum narrant Historiæ; neque ideò ille censendus est facere contra vllam veram legem. Explico id: Vnus Rex non fuit superior alterius, vt propterea potuerit imponere illi legem de eâ acceptatione; neque item hic ipse sibi illam imposuit: non enim est conceptibilis lex solùm obligans ipsum Legislatorem: nec deniq; tenetur ex pacto inito cum altero Rege, aut ex conuentione omnium nationum in talem consuetudinem; quia de tali pacto nullibi constat, & esto constaret, non esset lex; de conuentione item omnium nationum nullo modo constat, ergo.

Excutitur primum exemplum.

Rex Sinarum externos admittere sui Imperij prohibens non violat Legem.

Idem dico de secundo exemplo, seu de commercio cum alterâ Republicâ aut Regno: nulla enim est lex, quæ ad id cogat, non imposita sibi ipsi à Republicâ, non item imposita alteri ab alterâ; quia vna non habet ius in alteram, vt paulò antè dixi: non item ex communi vtriusque consensu, quia de eo nullo modo cõstat. Per consuetudinem verò ea admittendi non sibi Respublica abstulit potestatem ea impediendi, quando velit, ergo.

Satisfit secundo.

59. Dices: Fortè non potest ea commercia impedire, nisi ob iustas causas. Sed contrà quia in hoc sensu ea obligatio permittendi commercia potiùs est à iure naturæ: etenim supposito, quòd ego sim dominus mei frumenti, habeo ex iure naturæ potestatem vendendi illud cuicumque velim etiam extra regnum, si non adsit iusta causa ob quam me Respublica impediat: ergo obligatio permittendi ea commercia, nisi adsit iusta causa in contrarium, potiùs est à iure ipso naturali dominatiuo quàm à iure Gentium: si autem adsit causa, iam concedit Pater Suarez, ea commercia posse etiam nunc impediri; ergo nulla nunc est alia obligatio ea permittendi, quàm quæ ex iure naturali sequitur, Et certè in hoc exemplo clariùs adhuc quàm in primo locum habet nostra impugnatio.

Obiectio. Solutio.

Tertium exemplum de iure belli est longè minùs efficax, quia ius belli sequitur necessariò ex iure naturæ suppositâ diuisione rerum: etenim quòd ego, si aliter non possum defendere meum thesaurum, nisi occidendo inuasorem, possim illum occidere, ex iure naturæ prouenit, nó ex iure Gentium: quòd autem hîc est pugna particularis contra vnam priuatam personam, ibi est bellum contra alterum Regem aut Rempublicam. Quod enim dicit Pater Suarez potuisse alio modo in dubiis occurri, constituendo Iudicem arbitrum cum vi coactiuâ, videtur mihi in terminis repugnans pro præsenti quæstione. Quomodo enim cogetur alter Rex ad eos Iudices acceptandos, nisi vi & armis? hoc autem ipsum est posse illi inferre bellum: ergo potestas inferendi bellum ab ipso iure naturæ prouenit. Secundò, potestas inferendi bellum non est lex, quia non obligatur

Ius belli necessariò ex iure naturæ suppositâ rerum diuisione sequitur.

60. *Occurritur tertio.*

Digitized by Google

Ius belli concessiuum videtur, non autem obligatorium. Replica.

tur Rex ad illud inferendum; ergo potiùs spectat ad ius concessiuum (quale posuit P. Vasq.) quàm ad obligatorium.

Respondebis, sæpè Regem teneri ad bellum inferendum, ne permittat suum Regnum iniustè vastari ab alio: id quod maximè locum habet in Principe Ecclesiastico, qui non debet permittere suas Prouincias occupari ab alio iniustè. Sed contrà euidenter Primò, quia hæc obligatio non potest intelligi vllo modo venire ex lege Gentium, vt paulò antè in duobus primis exemplis diximus: & hîc habent locum maiori iure ibi dicta: etenim ea lex non potest esse imposita ab altero Rege, contra quem bellum mouetur; non enim ille contra se similem legem instituit, non item ab ipso bellante, quia sibi non imponit legem; non à prædecessoribus, quia, cùm habeat cum illis æqualem iurisdictionem, non potuêre illi directè solum successorem suum vllâ lege obligare. Nam licet, quando obligantur simul subditi, possit Princeps quasi indirectè obligari; at lex supra solum Regem cadens ab ipso Rege imposita intelligi non potest: quòd si Regnum accepit cum eâ obligatione aut conditione, iam non ex lege, sed ex conditione onerosâ in acceptatione necessitas illa proueniet. Secundò, quia esto sit tunc obligatio, ea certè prouenit præcisè ex iure naturæ, eò quòd debeat rem sibi commissam tueri optimo modo quo potest; cúmque tunc temporis alius non occurrat melior quàm bellum, iure naturæ ad illud tenebitur; sicut iure naturæ tenetur quilibet rem sibi cõmissam defendere quàm optimè potest. Denique vix video quale maius mysterium sit quoad hoc in Principe Ecclesiastico quàm in seculari.

Soluitur. Ius inferendi bellum nõ est ex lege Gentium.

61.

Quando Rex ad bellũ iure naturæ tenetur.

Eliditur quartum.

Quartum exemplum est de seruitute; quod etiam non fauet ei sententiæ: nam seruitus in eis conditionibus permittitur iure naturæ; quod autem velint homines eâ permissione vti, & eâ pœnâ punire hostes, non est lex. Declaro: Ipse captiuans nullâ lege tenetur ad ducendos homines in seruitutem; captiuus item non tenetur etiam vllâ lege Gentium, sed naturali, quâ tenetur acceptare pœnam licitam; ea autem est licita iure naturæ; ergo nulla propriè ibi interuenit lex Gentium obligans. Deinde, esto ea permissio sit iure Gentium, tunc habebit locum doctrina Patris Vasq. quòd ius Gentium sit ius permissiuum.

62.

Salas responsio.

Impugnatur.

Fortè responderet quis ex Patre Salas eâ disput. 2. sect. 5. stando iuri naturæ, nullum hominem etiam bello iusto captum esse seruum, posse quidem captorem illum cogere vt seruiret, at non teneri ad id; iure verò Gentium iam esse obligatum in conscientiâ ad eam seruitutem sustinendam. Sed cõtrà, quia qui bello iusto alterum capit, vel potuit talem vitâ priuare, vel certè bonis omnibus, vel carceri addicere, idque iure naturæ, ad satisfactionem illati sibi iniustè belli; ergo tenebatur id alter in conscientiâ acceptare.

Iure naturæ quidnis possit Rex in captos bello iusto.

Non dico eum non potuisse fugere licitè datâ commoditate, sed debuisse parere inducenti in carceres; sicut de facto latro esto possit fugere, si detur occasio, non potest tamẽ violenter resistere Iudici eum ad carceres compellenti: si ergo ille sic captus poterat his pœnis puniri, potuit à fortiori aliquâ, qualis est ea seruitus; ergo tenetur iure naturæ illam acceptare, siue posteà fugere possit licitè, siue non: de quo non ago iam, quia tangit diuersam quæstionem. Et certè, vno verbo, ego de facto non iudico aliam esse ex iure Gentium ad eam seruitutem obligationem quàm prædictam, quæ ad ius naturæ reducitur.

63.

Quid de fœderibus & inducijs.

Quintum & vltimum, quod est ex fœderibus pacis & induciarum, etiam non vrget; quia si pax, quæ offertur, est iusta, & satisfit per eam alteri parti, tenetur iure naturæ eam acceptare; si verò non est talis, sed requiratur gratia ex parte acceptantis, tunc quòd eam acceptet non prouenit ex lege vllâ, sed ex liberalitate. Quod ad inducias attinet minùs vrget; nam in eis acceptandis omnia ferè pendent ex voluntate Ducum; neque habent illi supra se vllas leges, quibus obligentur ad eam acceptationem, sed, quando sibi eas iudicant vtiles, acceptant; respuunt, quando inutiles.

SVBSECTIO III.

Quid sit tandem dicendum.

Cur iura Gentibus fere omnibus communia sint iuris naturæ.

EX his omnibus constat difficulter assignari leges aliquas, quæ sint communes omnibus Gentibus, aut ferè omnibus, & non sint de iure naturæ. Id quod ratio, quam Pater Suarez contra se obiicit, & tetigerat etiam Pater Vasquez suprà satis efficaciter, suadet; nam si leges hæ debent esse arbitrariæ pendentes à placito & iudicio hominum, moraliter quodammodò est impossibile, vt omnes in eas conuenerint: quia tot ferè sunt placita, quot sunt capita. Fortasse aliquæ inueniuntur tales; vt lex permittens meretrices ad vitanda maiora mala: quæ ferè communis est omnibus Regnis: quo autem pacto & respectu cuius lex permissiua vim habeat obligandi, diximus suprà. Idem fortè dici poterit de lege permissiua deceptionis alicuius in contractibus, dummodò ea non sit enormis. Quod non ita intelligendum, vt Respublica permittat ea licitè fieri: id enim repugnat; sed vt permittat fieri impunè, & approbet vt validos eos contractus; esto maneat obligatio naturalis in contrahente reddendi excessum in quo decepit.

64.

Quod Respublica permittit impunè fieri, non ideò licitè fit.

Suarez minùs benè vtrumq; inter distinguit naturæ & Gentium.

Aduerto tamen minùs benè in hoc puncto à Patre Suario constitui discrimen inter ius naturale & ius Gentium; quòd illud nullum malum, hoc verò Gentium aliqua permittat, vt meretrices, &c. aduerto, inquam, minùs benè dici, quia si de permissione, quæ rem faciat licitam, loquamur, nullum malum permittit ius ciuile aut Gentium; si verò de permissione, hoc est, quod impunè aliquod malum committatur, id sit intelligendum, tunc ius naturale nullum ferè malum punit, quia pro nullo vllam pœnam determinat: fortè etiam actus internos prohibet ab homine puniri; nam de punitione diuinâ hîc non agimus, quia etiam circa hanc nihil dicit ius Gentium. Et de hac digressione satis.

65.

Quid requirat ius Gentium, si veras leges constituat.

Poterunt fortè aliquæ aliæ leges inueniri omnibus ferè Gentibus communes, sed paucæ illæ: neque lubet in eis quærendis hærere: si enim sint, poterunt dici ius Gentium; & tunc erit bonus ille modus loquendi Patris Suarez & Salas: sin verò tales non inueniantur, tunc vel dicendum erit ius Gentium & ius naturale esse idem diuersis nominibus; vel certè cum Patre Vasquez & Connano hæ concessiones & consuetudines licet non habeant vim legis obligantis, dici poterunt ius Gentium.

Porrò ius hoc Gentium, veras leges à naturalibus distinctas vt cõtineat, debere habere honestatem ex parte materiæ, vt omnes aliæ leges habent

habent, est extra controuersiam. Item illud ius esse mutabile, etiam videtur per se notum; quia cùm pendeat ex voluntate hominum, & non sequatur necessariò ex iure naturali, mutari potest, sicut mutari possunt leges positiuæ; intra quatum numerum hoc ius includitur.

Qui id sit mutabile.

Rogabis tamen, quomodo ea mutatio poterit fieri, quandoquidem illud ius est commune omnibus nationibus, & omnium voluntate introductum, ideóque non possit, nisi omnibus ad id consentientibus, mutari? quis autem coniunget omnes nationes & ad consentiendum in eam destructionem inducet? Pater Suarez tractans hanc difficultatem ait saltem ex vi materiæ imperatæ, quæ non est essentialiter mala, non repugnare eam mutationem: item, si paulatim introduceretur consuetudo contraria, & præualeret, id quod cogitabile quidem dicit, moraliter tamen non esse possibile. Ego tamen vel ex hoc capite confirmor, vt iudicem, nullas esse proprias tales leges ita communes, vt teneatur hæc Respublica cum illâ alterâ eas seruare: quis enim obligare poterit Iaponas, ne dicant se nolle cum Sinis aliud seruare, quàm quod lex naturalis præcipit? idem dico de Polono respectu Germani; de Gallo respectu Hispani, &c. ergo nulla est Gentium, quæ vni ex illis det aliquod ius ad hoc vel ad illud contra alterum Regnum aut Prouinciam. Sed de hoc satis.

66.

Probabilius est, quòd nullæ leges tales pluribus Gentibus communi dentur.

Quomodo lex naturalis à ciuili distinguatur, facilè explicatur; quia leges ciuiles positiuas non naturales proprias huius aut illius Regni multas esse nemo dubitat. Et de illis inferiùs fusiùs agendum erit.

Disputatio VIII.

De mutabilitate, dispensatione & epieikiâ legis naturalis.

1. Omnia hæc tria simul comprehendo, quia in idem magnâ ex parte videntur coincidere. De eis fusè valdè & eruditè Pater Suarez à c. 13. vsq; ad 16. & Salas disp. 5. sect. 6. Meo tamen iudicio res maiori ex parte inter auctores est de solo nomine, vt manifestè monstrabo. Dico *maiori ex parte*; nã cum Ockamo & paucis aliis quæstio aliqua est de re, vt paulò inferiùs ostendam.

Sensus quæstionis.

Sectio I.

De mutatione.

Mutatio alia est per additionem, alia per diminutionem.

Mvtatio rei potest aliquando fieri per additionem, vt scilicet totâ re antiquâ integrâ permanente, addatur ei noua aliqua pars. In hoc sensu non inquirimus in præsenti, vtrùm lex naturalis capax sit mutationis; quia certum est, posse per leges positiuas addi nouam obligationem supra legem naturalem. Alia ergo mutatio est per diminutionem, vel omnimodam cessationem: & de hac quærimus, an lex naturalis aliquando vel omnino; vel saltem ex parte cessare possit; sed quia, vt suprà agentes de lege in communi, ac breuiter explicantes omnes modos mutationis diximus, aliquando mutationem fieri ratione materiæ, quia ea transit vel ex toto, vel ex parte à ratione honestæ ad rationem illicitæ; quo casu iam lex non obligat ad illam; aliquando verò materia in se immutata cessat, lex verò coarctatur ex solâ voluntate Legislatoris, ideò de vtraque mutatione agendum erit in præsenti: quia verò secunda solet vocari nomine dispensationis & relaxationis, prima verò solet retinere nomen solius mutationis, ideò priùs de hac, deinde in sequentibus sectionibus de aliis.

De vtraque hic agitur.

2. Non defuêre, qui mutationem in iure naturali aliquando fieri censuerint; quod probarunt, quia lex naturalis dicit, *Non accipies rem alienam inuito domino*: at si quis sit in extremâ necessitate, potest eam licitè accipere etiam inuito domino; ergo iam eo casu facta est mutatio in iure illo. Idem est in præcepto naturali, *Non occides*; quod tamen mutatur: si quis enim innocentem iniustè aggrediatur, potest tunc ad repellendam vim ab innocente occidi: ergo præceptum hoc mutationem accipit ex parte materiæ. Vide Patrem Salas eâ disput. 5. sect. 7. multos auctores pro hac sententiâ referentem, multas etiam pro illâ congerentem instantias; quas, quia omnino similes iis, quas nos posuimus, libenter omitto.

An lex naturalis aliquando mutetur per diminutionem.

P. Suarez negat cum communi.

In contrarium tamen stant communiter auctores, quos refert & sequitur Pater Suarez eo cap. 13. num. 2. plures inuenies apud Salas suprà. Varias affert Pater Salas rationes ad eam immutabilitatem persuadendam tum à priori, tum discurrendo in particulari per ea præcepta, & ea immutabilia esse ostendendo. Ego tamen, vt paulò ante dixi, censeo dissensionem purè esse de solo nomine: non enim Pater Suarez negat ea exempla quæ alij ponunt; neq; illi è contrario negant quæ Pater Suarez pro se affert, sed inter se differunt solùm in acceptione eius vocis *mutatio*: in quâ dissensione placet modus loquendi Suarez, Salas & aliorum, quia communior est, & magis accedit ad veram significationem nominum. Etenim mutari materiam legis ex bonâ seu honestâ in non honestam ita intelligimus, vt illa eadem, quæ verè à lege prohibebatur, & sub eisdem circumstantiis, sub quibus prohibebatur, iam desinat esse honesta, cùm anteà fuerit honesta: nam si iam non sit eadem materia, sed alia, tunc obligatio legis vt à lege non mutatur. Explico: In lege positiuâ, vt clariùs tota res intelligatur, præcipit lex, ne quis gestet arma de nocte; nemo dicet materiam legis huius mutatam esse in bonam è malâ, eò quòd gestare arma de die non sit illicitum: etenim cùm lex non prohibuerit arma simpliciter, sed sub limitatione illâ *de nocte*, nulla fit in lege mutatio aut in materiâ legis, vt materia est illius; eò quòd gestare arma de die sit licitum: ea enim sunt duo obiecta realiter distincta, vnum formaliter prohibitum, alterum verò non, hoc supposito.

3. *Acceptio vocis* mutatio *melior est penes Suarium. Quid sit mutari materiâ legis ex honestâ in non honestam. Declaratur exemplo.*

Conclvsio communis, docens, nullam fieri vmquam propriam mutationem in materiâ legis naturalis, clarè sic probatur relictis aliorum minùs efficacibus rationibus: lex naturalis, vt eam nos suprà explicuimus, nihil aliud est quàm dictamen rationis ostendens hoc aut illud obiectum esse malum: hoc supposito, vel illa ratio seu dictamen dicit vniuersaliter sine exceptione, *Hoc obiectum, v.g. mendacium, est in omni omnino occasione*

4. *Nulla sit mutatio propria in materiâ legis naturalis: quod clarè probatur.*

Digitized by Google

occasione malum, idcóque fugiendum; vel solùm dicit, *Est in hac vel in illâ occasione, in aliâ verò non:* si primum dicat, tunc certò certius est, non posse fieri mutationem ex parte materiæ; cùm enim illud dictamen extendens se ad omnia fuerit verum, necessum est vt semper sit verum; quia propositio complectens omnia, si dicat semel veritatem, semper est vera, quia non habet vnde possit in falsam transire; neq; id potest ab vllo negari: si autem semper & fuit & est vera, ergo repugnat in terminis vt aliquando mendacium reddatur honestum; quia si id fiat vel semel, ergo debuit propositio vniuersalis id negans semper esse falsa: nam propositio vniuersalis redditur falsa ex vno solo capite, iuxta principium certum Summulisticum; ergo repugnat legem illam de mendacio reddi falsam ex mutatione materiæ particularis, quia id esset eam semper asserere falsam: cuius contrarium vt primum principium supponimus.

5. *Probatur secunda pars distinctionis.* Quod si ideò dicatur, eam legem ab initio solùm prohibuisse mendacia in aliquibus casibus, in aliis verò ea permisisse, quod necessariò debent dicere, quotquot putant in aliquibus licere ea obiecta, in aliquibus verò non; ergo nullam planè inde mutationem in materiâ legis admittimus, quia in eâ circumstantiâ in quâ dicitur mendacium licitum, non fuit illud materia legis vllo vmquam tempore; sicut in exemplo non gestandi arma de nocte: hæc enim lex, quia non habet pro obiecto gestationem de die, non potest dici accipere mutationem ex parte materiæ, eò quòd, vt diximus, licita sit ea gestatio de die. Constat ergo, explicatis terminis, non posse dubitari, quin formalis & propria mutatio repugnet legi naturali vt tali ex parte materiæ: neque hoc sensu loquuntur, qui contrarium verbotenus docent, sed vocant mutationem materiæ eam quæ fit ex variis circumstantiis: v.g. præceptum naturale occidendi accipiunt sub illâ exteriori vniuersalitate, *Non occides*, ac si extenderetur tunc ad omnes omnino occisiones, & postea primò exciperetur hæc aut illa occisio à lege vniuersali; cùm tamen, vt ostendi, ea acceptio fuerit ab initio, ideóque in lege vt tali nulla omnino facta sit mutatio.

Qui eam mutationem aduersarij fumant.

6. *Communis omnium obiectionum solutio.* Hinc vno verbo respondetur ad omnes obiectiones, quæ contra doctrinam communem fieri possunt: etenim, si in hoc aut illo casu licitum est homicidium & acceptio pecuniæ, & iis similia, dicimus, eos casus ab initio exceptos à lege, seu ab initio legem non obligasse pro illis, sed præcisè pro aliis. Quæ doctrina verissima est, esto dicamus, mendacium, periurium & odium Dei licere in aliquo casu; quia tunc deberemus retroeedendo in lege ipsâ dicere, ab initio fuisse verè exceptos eos casus à lege, ideóq: in eâ numquam factam esse mutationem: vnde pro præsenti difficultate superuacaneum iudico laborare cum Patre Suarez ostendendo, cur in eis particularibus casibus liceat hoc aut illud obiectum; quod alioquin videtur esse contra ius naturæ: etenim, vt dixi, vndecumque id liceat, si tamen licet, vt aduersarij volunt, lex generalis eo ipsò debuit ab initio non comprehédisse eos casus; & consequenter nulla in eâ lege facta est mutatio, de quâ in præsenti controuertimus.

7. *Sunt aliqua præcepta naturalia in omni casu aliquod obiectum vetantia.* Illud solum posset de re hîc controuerti, vtrùm sint aliqua præcepta naturalia re ipsâ ita vniuersalia, vt affirment in nullo omnino casu licere aliquod obiectum; v.g. mendacium & periurium. Verùm hæc quæstio ad secundam pertinet; in quâ dixi suprà posse esse cum Ockamo & paucis aliis dissensionem: de eâ tamen aliquid diximus 3. Tomo, & suprà etiam, ostendentes, saltem respectu aliquorum obiectorum, non posse id negari. Nam voluntas peccandi ex suo conceptu essentialiter est contraria rationi; neque potest in aliquo casu intelligi licita: & in odio Dei ratio est manifesta, quia cùm Deus infinito amore dignus sit, & indignus omni planè odio, non potest intelligi, quo pacto licitum sit Deum odio habere.

Taliter vetatur voluntas peccandi & odij Dei.

Dices, quia Deus id mandat. Sed contrà Primò, quia non potest esse vlla ratio, cur Deus id mander. Contrà Secundò, quia si illud odium ideò haberetur, quia à Deo mandatur, iam fieret amor Dei saltem virtualis; esset enim obedientia erga mandatum diuinum; repugnat autem clarè odium Dei esse eius amorem vllo modo; ergo numquam potest esse licitum. Communiter etiam idem dicitur de mendacio; sed de hoc debet in particulari propriis in locis disputari, quia in præsenti solùm damus regulas generales; non autem discutimus de particularibus vitiis & virtutibus; alioquin deberemus hîc ex professo tractare, vtrùm simplex fornicatio, pollutio, & similia possent esse in aliquo casu licita: quæ non huc, sed ad materiam de castitate pertinent. Sufficiat explicuisse quid sit dicendum, casu quo iudicentur esse aliquando licita, quid verò, casu quo numquam.

Obiectio. Solutio.

Idem est de mendacio.

SECTIO II.

De dispensatione humanâ in lege naturæ.

EX doctrinâ traditâ & deductâ præcedenti subsectione facillimè explicatur hæc quæstio, & ostenditur, auctores, etiamsi re ipsâ videantur valdè inter se discordare, & verè se inuicem variis modis impugnent, nihil tamen re ipsâ diuersum docere.

8. *Quæstio hæc à priori dependet.*

SVBSECTIO I.

Duæ oppositæ sententiæ: & quæ sit probabilitas.

PRima sententia est Glossæ, quæ in cap. *A nobis.* de decis. verbo *Exceptos.* & alibi docet, expressè fieri posse eam dispensationem per humanam potestatem. Eamdem sententiam tenent Abbas ad prædictum caput, & cap. *Cùm tanto.* de consuetud. num. 3. & cap. *Quæ in Ecclesiarum.* de constitutione, num. 11. Angelus verbo *Papa.* num. 10. Pater Thomas Sanchez lib. 8. de Matrimonio disput. 6. num. 5. vbi alios multos refert. Hæc sententia adducit pro se varios casus; in quibus videntur multa licere ex concessione hominum, quæ alioquin iure naturæ prohibita sunt; vt diuisio rerum & dominiorum; cum tamen lege naturæ omnia sint communia. Argumentantur etiam à libertate humanâ, quâ homo donatus est à naturâ; quam tamen amittere potest, vt eam amittunt mancipia, &c. item ex dispensatione in votis, iuramentis, &c.

Quæ potestas dispensare possit in lege naturali.

Secunda sententia docet, numquam posse eiusmodi dispensationem fieri per potestatem humanam. Eam dicit Pater Suarez esse communem Theologorum: è quibus multos ipse citat cap.

9. *Contrarium tuetur Suarez, Iurista, Sala.*

Digitized by Google

cap.14.num.5. & plures cap.15. ex Iuristis etiam nonnullos refert: Salas etiam eâ sect.7. Addit verò benè Patet Suarez in fine eius num. 5. quoad aliquos articulos dissensionem esse de nomine; meliùs adhuc loquutus fuisset, si quoad omnes omnino eam quæstionem de nomine dixisset. Nos igitur ex doctrinâ datâ sectione præcedenti dicimus, licet quæstio sit purè de nomine, meliùs tamen loqui secundam sententiam, ideóque eam absolutè tenendam: vt verò eam probem, ostendamq; auctores re ipsâ conuenire inter se, obseruo idem, quod præcedenti sectione, scilicet omnes admittere eosdem casus qui adducuntur ad probandam dispensationem, ideóq; de re non differre inter se. licet aliqui auctores, perinde ac si lex naturalis esset ita vniuersalis, vt verba ipsa sonare videntur, putent posteà eos casus esse exceptiones è regulâ factas, deinde iure humano; cùm tamen ipsa regula naturalis ab initio eos exceperit; vnde in regulâ numquam fit dispensatio: vt enim suprà dixi, regula dicens in Religione,

Probabilitèr est præstare humanum in lege naturali numquam dispensare posse.

10. *Nemo exeat foras sine licentiâ Superioris*, non patitur dispensationē; quando posteà Superior dat licentiam, vt quis eat foras, eo tempore ponitur illa conditio, quam ipsa regula ab initio expetierat, vt posset quis ire foras. Auctores igitur primæ sententiæ vocant dispensationē eam concessionem licentiæ; quæ tamen re ipsâ non est dispensatio, ob rationem datam, sed positio conditionis, quâ vel materia mutatur, vel, vt dixi, impletur id quod lex exigebat. Idē formalissimè in præsenti casu contingit: ostendam id in exemplis aduersariorum; priùs tamen rationem, quam præcedenti sectione feci, applico huc, vt probē conclusionem nostram. Vel ergo lex naturalis (pono exemplū in mendacio) dicit,

Quid sit dispensatio in sententiâ auctorum Prima sententia.

11. *Mendacium tantam habet in se malitiam, vt in nullo planè casu possit esse licitum, aut licitè permitti ab vllo*; datâ autem hac vniuersalitate eius dictaminis, certum est nullum posse in eo dispensare, quia iam eo ipso redderetur illud dictamen falsum; cuius contrarium supponitur, vt in simili suprà dicebam. Vel dicitur illud dictamen apponere aliquas conditiones seu limitationes; v. g. *Mendacium est malum, nisi fiat cum licentiâ illius qui publicam habuerit iurisdictionem:* aut, *nisi tales & tales circumstantiæ concurrerint:* iam autem eo ipso vi ipsius legis, & non ratione dispensationis, erit licitum mendacium, casu quo concedat facultatem ille qui habet iurisdictionem, aut cōcurrant illæ circumstantiæ, sub quibus dicebatur licitum ab illo dictamine. Facultas autem illa (vt paulò antè probatum est) non est dispensatio, sed positio conditionis illius; sub quâ solâ permittebatur mendacium à lege ipsâ naturæ. Hæc ratio ita manifestè probat nostrum intentum, & soluit difficultatis nodum, vt vix sit operæ pretium diutiùs in hac difficultate hærere.

Rationes aliæ P. Suarij & Salæ sunt insufficaces.

Hæc ergo est vnica & efficax huius sententiæ ratio; nam aliæ, quas adfert P. Suarez, & ex parte etiam Salas, facilè possent solui, si hanc non supponimus. Prima est, quòd ius naturale quoad sua principia sit immutabile: huic tamen respōderent aduersarij esse immutabile, exceptâ dispensatione; vel certè ab initio ipsum ius dedisse locum dispensationi, ideóq; semper obligare, nisi sub eâ conditione dispensationis. Secunda est, quòd ius naturale pertineat ad proprietates hominis, quæ necessariæ sunt & immutabiles. Verùm & huic eodem modo respōderent, eas proprietates esse immutabiles, quia, hoc ipsum, quod est posse admittere dispensationem, semper illis conuenit. Tertia, quòd Deus sit Legislator naturæ, ergo non 12.
poteſt in eius lege homo dispensare; quia inferior non potest prævalere contra Superiorem. Respōderi etiam huic potest, Deum non esse propriè conditorem eius legis, sed naturam ipsam rationalem; hanc autem non esse aliam, quam naturam hominum, siue hi sint Iudices, sine non; ergo ex eo capite benè habebunt ipsi Iudices potestatem dispensandi in eo iure. Quartò, quia ius naturale est fundamentum iuris positiui; ergo non potest hoc per illud destrui, quia hoc esset destruere seipsum, destruendo suum fundamentum. Sed neq; hæc vrget. Primò, quia dispensatio non destruit legem. Secundò, quia dici posset ius naturale non secundùm omnia esse fundamentum positiui, sed secundùm aliqua principia vniuersalia: vt. v. g. *Non est peccandum, Deus non potest odio haberi:* in quibus non est vlla dispensatio, esto in aliis sit: ergo his fundamentis omissis standum est rationi nostræ suprà factæ.

Obiici tamen potest difficile argumentum 13.
contra illam; nam ex eâ sequitur, ne quidem in *Obiectio difficilis.*
ipsis legibus humanis locum habere vllam veram dispensationem. Probo id in eâ, quam concedunt omnes esse propriissimam dispensationem; si v.g. Pontifex à me auferret obligationem ieiunandi in Quadragesimâ, aut orandi Officium diuinum: etenim eodem modo ego dicam, Pontificem, qui tulit ab initio legem, esto vsus fuerit verbis vniuersalibus, v. g. *Volo vt omnes ieiunent*, semper tamen subintellexisse ibi limitationem hanc, *Nisi quis habeat facultatem non ieiunandi à me aut a Pontifice futuro:* ergo tunc ea datio facultatis non erit dispensatio; sed positio conditionis, quam ab initio requisiuit ea lex positiua, vt non obligaret; prout dicebam paulò antè de regulâ non exeundi ex Monasterio sine licentiâ: ergo vel nulla vmquam debet admitti vera dispensatio; quod manifestè absurdum est: vel certè debet etiam in lege naturali admitti.

Respondeo Primò, fortè hac ratione permo- *Variè obiectioni occurritur.*
tam esse aduersam partem ad vocandam dispensationem eam, quam nos diximus solùm esse conditionem, quam ab initio lex requisierat, ne obligaret: negari enim non potest, quin magnam illi duo casus habeant similitudinem; & nec à Patre Suario, nec ab vllo, qui nostram sententiam defendit, assignatur disparitas inter illos.

Respondeo Secundò, differentiam esse duplicem. Prima, quòd regula, vel lex dicens, *Nemo exeat foras sine licentiâ*, non intendit directè prohibere exitum è Monasterio, quem potiùs sæpè necessarium præuidebat; ideóq; solùm voluit, vt hoc modo vel illo fieret: perinde ac si esset alia lex, quæ solùm diceret, *Nemo exeat domo nisi palliatus*; non vellet directè ea lex prohibere exitū, sed modum illius sine pallio: vnde accipere pallium ad exeundū non esset dispensare in lege, sed appositio conditionis & modi requisiti à lege. At Pontifex in lege illâ, quâ dixit, *Omnes ieiunent in Quadragesimâ*, directè intendit ieiunium, siue solùm virtualiter siue expresè apposuerit conditionem illam, *Nisi qui à me vel ab alio Pontifice habuerint facultatem:* vnde præter eius intentionem, imò quodammodò contra illam est, quod aliqui obtineant facultatem, quia ex se optabar, vt nemo eam obtineret, sed potiùs vt omnes ieiunarent; ideò facultas non ieiunandi quasi præter intentionem directam Legislatoris dicitur

14. *Cur in lege naturali nequeat ab homine dispensari, in humanâ verò possit.*

Digitized by Google

dispensatio, altera verò non: & licet hæc differentia non sit adeò magna, tamen in quæstione de nomine ad vtendum diuersis vocibus in vno & in altero casu sufficiens est.

15. *Datur melius inter vtramq; dispensationem discrimen.*

Secunda differentia, & melior, magísq; connexa cum doctrinâ paulò antè datâ, est; nam in lege ieiunandi ea limitatio, *Nisi scil. à me vel ab alio obtineat quis licentiam*, non ponitur necessariò in ipsâ latione legis: imò, esto contrarium Legislator dixerit, scil. *Nolo vt vllus liberetur, etiamsi dem ego illi licentiam vel meus successor*; nihilominùs inuoluitur essentialiter in ipsâ naturâ legis, ratione mutabilitatis voluntatis in Legislatore, & ratione æqualis auctoritatis, quam successor illius habebit: ergo posteà quando dispensat, reuocat suâ voluntatem, vel sui prædecessoris; & id vocamus dispensare: at quando ipsa lex ab initio posuit eam conditionem, deinde sine reuocatione vllâ volũtatis eius generalis, sed solùm apponendo conditionem, quam priùs petierat, cessat obligatio, huius positionem, conditionis non dicimus dispensationem.

Quid sit dispensatio.

Replica.

Verùm replicabis: Quid ergo, si lex ab initio dixerit expressè, *Ieiunent omnes, exceptis ijs qui habuerint licentiam à me aut à meo successore*, eritne tunc ea licentia dispensatio? Respondeo, probabilissimè dici eo casu licentiam illam non esse dispensationem, sed habere se sicut in Religione licentiam exeundi foras. Nihilominùs tamen

Diluitur.

16. respondeo Secundò, eam conditionem esse ibi otiosam, quia, vt paulò antè notaui, esto eã omisisset, esto contrarium expressè voluisset; vi tamen æqualis potestatis, quam posteà habiturus est, habet eam vim corrigendi suam voluntatem: & hanc correctionem dicimus dispensationem: in altero verò casu conditio quæ apponitur non est mutatio voluntatis, neque pendet ab æquali iurisdictione; nam Superior, qui dat licentiam exeundi, non habet potestatem mutandi aut dispensandi in lege latâ ab altiori iurisdictione; ergo hîc est adimpletio conditionis, & ibi dispensatio.

Disparitas insufficiens.

Consulrò abstinui à necessitate iustæ causæ pro dispensatione, quæ non videtur necessaria in aliâ ad exeundum domo; ex quo capite fortè aliquis assignaret disparitatem inter vnum & alterum casum: abstinui, inquam, quia ea differentia non videtur sufficiens pro præsenti intento: etenim si illa lex de non exeundo à Collegio hoc modo lata fuisset, *Nemo exeat ex Monasterio nisi obtentâ ob iustas causas licentiâ à Superiore*; adhuc dare licentiam auditis causis, non esset propriè dispensatio in lege, sed positio conditionis, quam lex perierat ad hoc vt esset licitũ egredi ex Monasterio; & tamen tunc etiã essent necessariæ iustæ causæ sicut sunt ad obtinendam dispensationem: ergo ex parte causarũ iustarum non potest desumi disparitas inter vnum & alterum casum. Melior ergo videtur ea quæ à nobis assignata est.

Lex naturalis ab initio expressè excipit quosdã casus.

Iam oportet eam applicare ad legem naturalem. Dico ergo PRIMÒ, eam legem ab initio fecisse expressè exceptionem eorum casuũ; id quod manifestè patet: nam cùm ea exceptio fiat etiam ratione naturali; ratio naturalis dictans non licere v. g. occidere innocentem dictat, licere Iudici in pœnam grauis delicti adiudicare reum morti; & ratio naturalis dictans non licere accipere rẽ alienam inuito domino, dictat simul, id esse licitum in casu extremæ necessitatis; & sic de aliis: ergo ea lex numquam corrigitur aut coarctatur post primam sui, vt sic dicam, existentiam per auctoritatem alterius habentis similem auctoritatem vt ad dispensationem propriam requiritur; sed ipsamet lex per se ab initio fecit eam distinctionem. At in legibus positiuis aliter se res habet; nam lex illa ab initio fuit vniuersalis ex se, & ideò purè putè, quia qui illam tulit habet potestatem suam voluntatem coarctandi vel etiam mutandi posteà, fit dispensatio; idcóque vt dixi, esto qui primò legem condidit dixisset, *Nolo posteà dispensare*, adhuc tamen posteà potuisset.

Leges positiuæ ab initio ex se sunt vniuersales.

Replica.

Replicabis, id quidem verum esse in Legislatore creato, at in diuino non posse habere locum, quia Deus non potest reuocare suam voluntarẽ: vnde si ab initio voluit omnes obligare, necessum est, vt posteà id ipsum velit; & tamen capax est lex diuina veræ & propriæ dispensationis: ergo non est contra rationem dispensationis, quod ab

18. initio lex dixerit, *Hoc non erit licitum nisi sub hac conditione.* Respondeo, cùm nos dixerimus suprà, volitionem legislatiuam Dei non esse volitionẽ efficacem, sed inefficacem, quæ tamen ex parte modi in actu exercito inducit obligationem, esto concedamus illam se extendisse planè ad omnes casus, & nullum excepisse; possumus posteà admittere aliam secundam volitionem etiam inefficacem, quâ dispenset in hoc aut illo casu, non quasi id in tempore faciat, sed quia facit id posteriùs natura ad priorem volitionem: neque ideò etiam sequitur eam esse mutabilem, quia semper in eâ volitione legislatiuâ relinquit sibi potestatem dispensandi, aut etiam iustas ob causas omnino eam reuocandi: in volitionibus enim, quæ non sunt omnino efficaces, non datur ea repugnantia, quæ datur in efficacibus, vt vna non possit velle contrarium alterius. Et satis de disparitate pro quæstione de nomine.

Solutio.

Volitio legislatiua Dei est inefficax.

Qui Deus in legibus suis positiuis dispensare possit.

SVBSECTIO. II.

Respondetur obiectionibus aduersariorum.

19. IAm ad explicandos tam casus, quibus aduersarij vtuntur, quàm argumenta, quæ nobis obiiciunt, descendamus. Ratione argumentãtur, quia ea potestas dispensandi in aliquibus iuribus naturalibus est maximè necessaria ad bonum animarũ; ergo non est credendum, eam à Deo denegatam esse hominibus. Ex hoc enim capite colligitur esse in hominibus potestatem puniendi malefactores etiam pœnâ mortis, & priuandi hominem rebus suis: quando causa Reipublicæ id postulat. Respondetur ex dictis, eas omnes exceptiones, quas aduersarij vocant dispensationes, esse quidem licitas; non tamen esse dispensationes, sed exceptiones factas ab ipsâ lege, vt hucusque declaratum est.

Obiectio à ratione. Dispensatio ordinatur in bonum animarum.

Ei satisfit.

Primus quem obiiciunt casus est de diuisione dominiorum, quæ est contra ius naturale. Respondeo Primò consequenter ad doctrinam datam: Si ius Gentium potuit licitè id mutare, necessarium eo ipso esse, quòd ipsamet ratio naturalis dictauerit, *A iure Gentium id posse fieri*; ergo necessum est vt ipsamet ratio, quæ permittit hoc iuri Gentium, dicat, dum prohibet diuisionem dominiorum, *Nisi Gentes contrarium statuant*; tunc autem iam non erit dispensatio in eo iure, sed positio eius conditionis, quam ius naturale requisiuit, vt ea diuisio licita esset. Hæc est genuina ad intentum præsens responsio; & quæ eodem planè modo applicari potest ad omnes casus excogitabiles: semper enim dicam illas exceptiones. quæcumque illæ sint, permissas ipso iure naturæ, ideóque non esse dispensatio

Obiectiones à diuersis casibus.

Diuisio dominiorũ non est dispensatio iuris naturalis de communitate bonorum.

Digitized by Google

20. *Communitas bonorum solùm est permissa iure naturæ, non præcepta; vnde prohiberi potest.*

pensationes. Secundò respondeo, exemplum præsens aliundè etiam non vrgere, eò quòd communitas bonorum non est præcepta iure naturæ, sed permissa; multa autem, quæ ius naturæ permittit, possint postea per leges positiuas prohiberi. Quòd si replices, Ergo non magis erit de iure naturæ communicatio bonorum quàm diuisio, cùm vtraq; sit permissa; concedã consequentiam: neque video in consequenti vllum absurdum; non enim ideò sequitur licere furtum: etenim factâ iam diuisione, lex naturæ prohibet, ne cuilibet auferatur quod suum est. Idem dico de libertate hominis, eam scil. ei à naturâ quidem positiuè datam; non tamen iure naturæ vetitum, ne ipse possit se vendere, aut ne in pœnam possit reddi mancipium: sicut, esto vita sit ei data à Deo, potest tamen ei adimi à Republicâ in pœnam grauis alicuius delicti.

Lex naturalis solùm prohibet dissolutionem matrimonij, non sine auctoritate priuatâ.

Secundus casus est de dispensatione in matrimonio rato; quod tamen iure naturæ indissolubile est. Respondeo, legem naturalem non prohibere omnino eam dissolutionem, sed solùm ne fiat priuatâ auctoritate, & solâ ipsorum contrahentium voluntate: si enim (vt aduersarij suprà aiunt) licitum est illud dissoluere per supremam potestatem, necessum est, vt ratio naturalis dictet licitam esse eam dissolutionem, & consequenter, vt ab initio non illam vniuersaliter prohibeat, & consequenter non fiat propria ibi dispensatio, vt in præcedenti casu dixi.

21. Tertius est de residentiâ Episcoporum in suis Ecclesiis; quæ est de iure naturali; & tamen in eâ potest Pontifex dispensare. Respondent aliqui, id fieri per interpretationem, non per dispensationem. Verùm hanc solutionem meritò Pater Suarez reiicit; quia si esset vi interpretationis, liceret auctoritate priuatâ.

Non dispensatur in residentiâ Episcoporum

Melius respondetur insistendo solutioni datæ, si ea residentia licita est, Papâ concedente facultatem, necessum omnino esse, vt id ipsum ratio naturalis dictet, & consequenter vt non semper obligauerit. ac demum licentia Papæ non sit dispensatio sed positio conditionis, quàm lex naturalis exigebat, ne ea absentia esset illicita. Ratio verò, cur ea licentia sufficiat, est, quia si ex iure naturali prouenit ea necessitas residendi (quod est sub dubio; nam Tridentinum sessione 23. c. 1. de reform. solùm dixit esse de iure diuino;) si, inquam, sit de iure naturali, tunc ratio præcisa est, quia Pastor debet attendere suis ouibus, at hæc ratio non obligat, quando Pontifex, qui etiam est Pastor ouium, suscipit in se eam curam, & aliunde sufficienter ei gregi prouidere vult.

Tridentinum ait, Episcopum residentiam in suis Ecclesijs esse de iure diuino.

22. *Impedimenta matrimonij non sunt iure naturæ simpliciter irritantia quæ sunt à Papa dispensabilia, Lyrica.*

Quartus casus est de impedimentis irritantibus matrimonium iure naturæ; in quibus tamen sæpè Pontifex dispensat. Respondeo, si sint talia, in quibus Pontifex dispensare potest, tunc iure naturæ non fuisse irritantia simpliciter, sed cum limitatione, nisi supremum Reipublicæ caput permiserit: quæ permissio non est dispensatio respectu iuris naturæ, ob sæpè dicta.

Solutio. Duplex constituit lex in impedimentis matrimonij; & respectu eius in his fit dispensatio.

Replicabis tamen hîc: Semper ea licentia Pontificis vocatur dispensatio: quid enim frequentius quàm dicere, Dispensauit Pontifex, vt possint hi vel illi cõtrahere: ergo etiam respectu iuris naturæ datur dispensatio: Respondeo duas ibi interuenire leges, vnam naturalem, alteram positiuã, circa ea impedimenta: respectu naturalis non fit propriè dispensatio, sed (vt dixi) ponitur conditio requisita, vt illud matrimonium sit licitum: at respectu positiuæ fit dispensatio, quatenus ea licentia prouenit ex æquali potestate cum priori prohibente; & ratione illius reuocat ex parte eã priorem volitionem, quæ ex se fuerat vniuersalis, vt in alijs legibus positiuis suprà diximus.

Omnia ferè priuilegia sunt à lege positiuâ.

Quintus casus est de priuilegijs quæ sunt dispensatio in iure naturali. Respondetur facilè. Primò, ferè omnia priuilegia esse respectiuè ad leges tantùm positiuas; vt in exemplo, quo hîc aduersarij vtuntur, quando scil. aliqui eximuntur à contributionibus publicis, & Ecclesiastici à foro sæculari exempti traduntur laicæ potestati: etenim ius naturæ non mãdat, vt æqualiter omnes in Republicâ v. g. soluant, laborent, &c. imò per se hoc prohibet; quia præcipit vt considerentur merita & aliæ circumstantiæ, ex quibus summa oritur diuersitas. Secundò, quia eam distributionem reliquit faciendã capiti Reipub. ergo quando caput iudicat ab initio expedire, vt hic vel ille eximatur, non dispensat in iure, sed potiùs illud seruat. Similiter dico, quòd homines debeant esse alicui subiecti, dictat lumen naturæ; at quod debeãt esse sæculari determinatè aut Ecclesiastico non dictat: ergo, quæcumq; variatio in hoc puncto fiat, non est in iure naturæ. Secundò, sicut Iudex supremus potest assignare alium loco sui sine dispẽsatione vllâ, cur, quæso, Ecclesia habens iurisdictionem in Ecclesiasticum non poterit loco sui sine dispẽsatione assignare sæculare Iudicem? estne dispensatio in iure naturæ, si vnus Iudex sæcularis committat suum subditum alteri Iudici iudicandum? Respondeo Secundò: Si aliquando videatur priuilegiũ esse in re purè de iure naturæ, dicendum est, non esse per modum dispensationis, sed, iuxta suprà dicta, per modum positionis conditionis, sub quâ permittebatur ab ipso iure naturæ illius priuilegij vsus.

23. *Soluitur eadem de contributionibus.*

item de Ecclesiastico sæculari fore commisso.

Quid dicendum in priuilegio purè iuris naturæ.

24. Sextus casus est de voto & iuramento, quæ iure naturæ obligant; & tamen potest per auctoritatẽ humanam fieri in eis dispensatio. Respondeo eadem consequentiâ eam dispensationem, si fieri potest, proculdubio permitti ab ipso iure naturæ in eâ circumstantiâ, quod scil. caput Reipublicæ det licentiam ad non adimplendum illud; & consequenter iam non erit propria dispensatio in iure naturæ, vt hucusq; discurrimus. Secundò respondeo, obligationem voti non fieri per dispensationem in iure naturali, sed vel per cessionẽ alterius, cui ratione voti obligabar. V. g. vouco Deo recitare Officium diuinum, si Deus dicat, Ego remitto obligationem, tunc nulla est dispensatio: sicut quando ego promisi Petro librum, ille verò dicit, Nolo vt mihi illũ des, non dispensat in iure vllo, sed cedit suo, ex quo in me oriebatur debitum soluendi: eodem modo, qui remittit iniuriã, nullam facit dispensationem, esto cesset eo ipso in altero obligatio satisfaciendi: hoc modo Pontifex dispensat in votis tamquam Christi Vicarius; alio modo potest Respublica irritare vota tamquam moraliter in se habens voluntatem aliorum; vt potest parens irritare vota filij ante decimumquartum annum emissa, reuocando moraliter eam voluntatem perinde ac si non fuisset: vnde non efficit vt votum manens non obliget, sed moraliter efficit, ne sit votum: carentia autem voti non est contra ius naturale.

Quid de voto & iuramento hic sentiendum.

Quando detur iure, & quando dispensetur.

25. *Suarez opinio de iure naturali præceptiuo & dominatiuo.*

Aduerte, à P. Suarez eo cap. 14. n. 17. & 18. doceri, ius dominatiuum naturale posse immutari, non verò ius præceptiuum: disparitatem eam assignat, quòd præceptiuum dat regulas ac principia benè operandi, quæ continent necessariam veritatem, eò quòd fundentur in intrinsecâ bonita-

Digitized by Google

bonitate aut malitiâ obiectorum. At ius dominatiuum solùm est materia alterius iuris præceptiui; & consistit in facto quodam, seu in tali conditione: constat autem res creatas habere multas conditiones mutabiles, quæ per alias causas auferri possunt. Hæc ibi Suarez. Quæ, re benè cõsideratâ, non videntur satis cohærere: etenim, sicut in ordine ad mutationem materiæ pro iure dominatiuo dicit ipse esse multas conditiones variabiles; ita eodem modo dicent aduersarij in ordine ad honestatem vel turpitudinẽ esse multas conditiones mutabiles, ratione quarum iam hoc licitũ sit in hac occasione, iam verò in aliâ illicitũ; ergo ex hoc capite non potest desumi disparitas vlla inter ius præceptiuum & dominatiuum.

26. *Neutrum ius proprie mutari potest.*

Ideò iudico longè meliùs discurri, si dicamus: in neutro iure naturali vllam propriè fieri mutationem: etenim (sicut hucusque dictum est) quidquid ius naturale posteà permittit, permisit ab initio positâ eâ conditione, quæ posteà superuenit. Quæ doctrina vniuersalis est tam in præceptiuo quàm in dominatiuo. V.g. ius naturæ dixit, *Omnia sint communia, quamdiu non fuerit facta aliqua diuisio*; ipsum tamen ius addit, *Si verò facta sit diuisio, tunc hæc res sit illius primò* (vt sic dicam) *occupantis, & possit vti illâ suâ voluntate, siue illam retinendo, siue alteri donando, siue vendendo, siue alio quocumque modo*: vnde quando posteà, iuxta diuersas occasiones, iam eam donat, iam vendit, &c. numquam ius naturæ mutatur, sed diuersæ occurrunt circumstantiæ, iuxta quas ipsum ius naturæ præscripsit ab initio diuerso modo discurrendum esse. Vides, nullam esse necessitatem adstruenddi mutationem magis in vno quàm in altero.

SECTIO III.

Vtrùm Deus possit dispensare in iure naturæ.

SI ratio, quam in præcedentibus formauimus, benè perpendatur, nulla planè restat in præsenti difficultas; etiamsi fusissimè de hac difficultate nonnulli tractent, vt Pater Suarez cap. 25. & Salas eâ disp. 5. sect. 8. & 9. quæ longissima est: etenim ostendimus, eam, quæ vocatur ab aduersarijs dispensatio, non esse nisi positionem conditionis, sub quâ ipsum ius naturale dictauit ab initio licere talem aut talem rem. Quod enim de dispensatione humanâ dictum est, habet eodem modo locum in diuinâ sine vllâ nouâ difficultate; quia multò magis debuit ius naturale excipere casus, in quibus Deus daret licentiam faciendi hoc aut illud. Ideò contra hanc sententiã possent casus alij præcedentibus similes afferri. Sed respondendũ est omnibus illis vt respondi sectione & subsectione 2. vnde circa hoc punctum non iudico hærendum esse ampliùs.

27. *Etiam ius naturale Dei casus aliquos excipit.*

Illud de re posset hîc controuerti, an sit aliquod obiectum adeò ex se malum, vt lex naturalis dicter, in nullo planè casu licere, & cõsequenter, ad quod non possit Deus dare licentiam; vt v. g. voluntatem peccandi, odium Dei, cultum Deorum falsorum, &c. Quod sectione sequenti expediam: in hac enim agendum cum his qui dispensationem à Deo admittunt in iure naturæ.

In quo iure naturali Soti & Gabrielis mente Deus dispensare queat.

Sotus ergo in 3. dist. 37. quæst. vnicâ, & Gabriel q. 1. art. 2. distinguunt inter præcepta primæ & secundæ tabulæ. Ad primam reducuntur, quæ ad Dei cultum & honorem spectant; & hæc admittunt esse indispensabilia. Ad secundam tabulam reducunt alia, quæ magis concernunt homines; vt, *Honora patrem tuum, Non occides*, &c. In quibus cẽsent posse à Deo dispensari; quia potest mihi dare licentiam, imò & mandare, vt alterum occidam, vt mandauit Abrahamo necem filij; item vt non honorem parentem, &c. Fundamentum huius sententiæ, præter illud, quod ex variis casibus desumitur, hoc est; nam si talia obiecta essent indispensabilia, imponeretur necessitas Deo, ne posset ea amare. Secundum, quia beatitudo hominis non pendet ex aliquo actu circa creaturam; penderet autem, si ea præcepta essent indispensabilia: deberet enim homo habere omnes illos actus qui necessarij sunt ad vitandum peccatum. 28.

Fundamentum eorum.

Non desunt item alij auctores, vt Durandus in 1. dist. 47. quæst. 4. & Maior in 2. dist. 37. q. 10. qui distinguunt inter præcepta affirmatiua & negatiua naturalia; in his non admittunt posse à Deo dispensari: in illis verò concedunt, quia potest Deus cum homine nolle concurrere ad vllum actum positiuum.

Durandus & Maior aliter distinguunt.

Antequam difficultatem de re suprà tactam dissoluam, aduerto, hos auctores solo ferè modo loquendi dissentire à communi doctrinâ: etenim quidquid Scotus & Durandus vocant dispensationem, admittimus nos, & omnes communiter, re ipsâ posse à Deo fieri; negamus tamen illam esse dicendam dispensationem: non enim est nisi pura mutatio materiæ, ratione cuius iam non continetur actus ille sub iure illo naturali. V.g. præceptum honorandi parentes, eósq; iuuandi, non mandat id pro omnibus circumstantiis & occasionibus possibilibus; sed cum hac limitatione, nisi graue inde damnum Reipublicæ sequatur; aut nisi ille, qui fuerit dominus vitæ & necis tuorum parentum, id impediat: quando ergo posteà Princeps cogit aliquem, vt relicto parente succurrat Reipublicæ extremè periclitanti, non dispensat in iure illo naturali, sed potiùs vtitur licentiâ sibi à iure pro tali occasione datâ. A fortiori; quando Deus, vt dominus vitæ & necis, mandat filio, vt parenti neget cultum, neget alimoniam, imò vt occidat non dispensat in iure naturali, sed potiùs illo vritur; quatenus illud ius dicit omnia creaturæ bona esse Deo subiecta, ideóq; Deum posse illis vti pro libitu. Vides ergo dissensionem solùm esse de voce circa acceptionem eius termini dispensatio. Idem clariùs constat in lite cum Durando; nam Deum negare concursum homini ad operandũ, non est dispensare cum illo, sed reddere illum physicè incapacem operationis, & consequenter ex eo capite liberare ab obligatione: sicut, qui claudit in carcere aliquem, non dispensat cum eo in obligatione eundi ad templũ die festo. Vbi obiter noto, Durandum videri oblitum sui in hac doctrinâ: cùm enim, vt agentes de concursu Dei diximus in Physicâ, neget concursum immediatum Dei cum causis secundis, quomodo, quæso, nunc docet negare Deum concursum creaturæ? certè, quẽ præstare non potest, negare non potest; nisi forte loquatur non de concursu immediato, sed de negatione comprincipiorum requisitorum ex parte creaturæ. Quidquid verò sit, iam constat ibi non interuenire vllam dispensationem. Idem dico, si Deus homini diceret, *Nolo vt iam me ames, aut vt elicias hunc vel illum actum fidei*, &c. tunc enim non dispensat in obligatione amandi Deum, sed cedit iuri suo: sicut, qui dicit alteri: 29.

Solus loquendi modus non ab ijs distrahit.

Neque Deus in præcepto naturali dispensat.

30.

Quid sit dispensare Dei cum homine.

Deus dicens, Nolo vt iam me ames, non dispensat nec in aliis similibus actibus.

Condono

Digitized by Google

Condono tibi debitum, non dispensat in præcepto naturali reddendi cuilibet suaj; sed efficit, ne iam illa iam res sit ipsius.

Ratio Scoti ad hominem retorquetur à Suarez.

Ad rationes Scoti facilè respondetur; & quidem primam esse contra ipsum, benè ostendit Pater Suarez; nam cùm saltem aliqua præcepta admittat ipse indispensabilia, respectu illorum Deus erit necessitatus, vt nequeat non amare, aut non odisse eorũ materiam: quòd si semel respectu duorum admittitur ea necessitas, poterit admitti sine inconuenienti respectu aliorum. Id ipsum clarè ego ostendo in aliis præceptis; nam licet dicat Scotus Deũ posse tollere prohibitionem non occidendi, seu dispensare in illâ, necessariò tamen fateri debet vt Catholicus, talem actum factum sine vllâ dispensatione esse malum; & quidem, si sub eâ carentiâ dispensationis concipiatur, semper concipi necessariò malum: ergo Deus licet in occisione hominis secundùm se consideratâ non teneatur displicere, quia illam potest reddere bonam, tenetur tamen necessariò displicere in eâ vt factâ propriâ auctoritate; & eam vt sic amare non poterit: ergo iam debet Scotus fateri esse multos actus, qui saltem vt vestiti hac vel illâ circumstantiâ necessariò Deo displicent; hoc ergo solùm nos dicimus in præsenti: ergo argumentũ ipsius non est contra nos.

31. *Clariùs à nobis.*

Secunda Scoti ratio refutatur.

Ad secundum de beatitudine respondeo, per se loquendo beatitudinem hominis non petere nisi solam visionem Dei aut amorem illius: inde autem nihil infertur ad rem nostram; nam carentiam peccati grauis omnes requirimus: vnde & ipse Scotus debet fateri non posse esse beatum, qui propriâ auctoritate sine dispensatione Dei occidit, nisi agat pœnitentiam: ergo à carentiâ eius occisionis beatitudo pendet: quid autem, quæso, hinc ad punctum nostrum, vtrùm Deus possit dare licentiam; aut, si velis, propriè dispensare vt ego occidam alterum?

32. *In casibus à Durando & Maiore datis non est dispensatio, sed vel cessio iuris ex parte Dei, vel impedimenti positio ex parte hominis.*

Pro sententiâ Durandi & Maioris de dispensatione in præceptis affirmatiuis nullum affertur argumentũ quod debeat solui; sed casus soli ponuntur, in quibus est, vt ostendi, dispensatio, vel cessio iuris ex parte Dei, vel positio impedimenti ex parte hominis. Vt si Deus hominem stultum redderet, tunc sine vllâ dispensatione necessitatus esset ad non adimplendum præceptum vllum tam affirmatiuum quàm negatiuum; quia licet tunc non peccaret, non tamen propriè impleret præcepta.

SECTIO IV.

An aliqua sint obiecta, ad quæ Deus nec diuinitus dare possit licentiam.

Quæstio hic ponitur.

SEctione præcedente discussi cum illis auctoribus quęstionem quæ ad vocem spectat; iam, quod rem ipsam concernit, discutiendum est, an, si siue in primâ, siue in secundâ tabulâ sit aliquod obiectum ita malũ, vt Deus pro illo amplectendo licentiam dare non possit, vocetur ea dispensatio, vel alio quocumq; modo. Circa præcepta omnia affirmatiua nulla est difficultas, quia cùm non obligent pro semper, eo ipso eorum omissio in multis occasionibus licita est, etiam sine vllâ Dei licentiâ; an autem in omnibus possit esse licita diuinitus, in fine sectionis dicam.

Præceptorum affirmatiuorum omissio semper licita est absque vlla licentiâ.

33. *Odium Dei, idololatriam, periurium & mendacium*

Ergo ad negatiua veniamus: & quidem circa odium Dei, cultum Deorum falsorum, dixi suprà satis videri, non posse concipi, quomodo Deus det licentiam ad faciendos licitè similes actus; circa periurium idem esse dicendum ex eo constat, quòd grauis sit Dei iniuria, cum dicere testem falsum: constabit idem à fortiori ex dicendis paulò pòst de mendacio.

numquam potest dare licentiam. Quid de homicidio, furto & parentũ cultu.

Circa præcepta autem secundæ tabulæ, in aliquibus manifestè constat eam licentiam possibilem esse; vt in præcepto non occidendi: cùm enim Deus sit dominus vitæ & necis, potest immediatè quemlibet occidere, potest etiam per alterum illi mandando vt occidat: ad ablationem etiam rei alienæ potest dare mihi licentiam, donando dominium illius rei: tunc autem ea ablatio non dicetur furtum, neque propriè erit ablatio alieni. De cultu parentum paulò antè dixi.

An mendacium & fornicatio cum suis speciebus possint aliquando reddi bona.

Duo ergo restant, in quibus difficultas esse potest: vnum est mendacium, an scil. possit reddi bonum aliquando; alterum est fornicatio, maximè verò pollutio, sodomia, bestialitas. Hæ quæstiones propriè non spectant huc, sed ad materias speciales. Breuissimè tamen dico, circa mendaciũ communem esse sententiam, illud numquam posse esse licitum. Ita Augustinus lib. de Mendacio & Contra mendacium, & in Epistolâ 8. ad Hieronymum, Basilius regulâ 76. ex breuioribus, Hieronymus Apologiâ contra Ruffinum & Epistolâ 65. Eam defendunt ferè omnes Theologi cum Magistro in 3. dist. 38. & D. Thomas 2. 2. q. 110. art. 3. Id quod putat Pater Suarez suaderi ex verbis Christi Domini Ioannis 8. de dæmone, *Mendax est, & pater mendacij*; quasi ille solus sit inuentor mendacij: è contrario verò de Deo dicitur, *Perdes omnes qui loquuntur mendaciũ*. Ego verò duo hæc loca valdè debilia pro præsenti conclusione censeo: nam etiam de dæmone dixit Christus Ioannis 8. *Ille homicida erat ab initio*: per quod tamen non negat Deum posse esse homicidam. Dico ergo ad eas locutiones sufficere, quòd de facto Deus nulli planè dederit licentiam ad mentiendum: eo enim ipso rectè dæmon dicitur parens mendaciorum. Secundus locus minùs adhuc vrget, quia in eo non videtur esse sermo de mendacio: etenim vox *perdes* significat idem quod *damnabis ad inferos*; mendaciũ autem quà tale non est peccatum mortale sed veniale: non autem dicitur benè de iustis septies venialiter peccantibus, *Perdes omnes iustos venialiter peccantes*: ergo alius debet ibi sensus esse. Secundò, quia, esto ideò essent perdẽdi, solùm sequitur de facto, omne mendacium esse peccatum; at diuinitus non posse ex Dei licentiâ licitum esse non probat: quod ostendo à simili; nam etiam Scriptura dicit, fornicatores non intraturos regnum Dei: per fornicationem autem intelligit ibi Scriptura habentem copulam cum eâ, quæ non est propria vxor; & tamen D. Thom. q. 100. art. 8. docet, diuinitus Deum posse sine consensu feminæ in matrimonium dare licentiam ad vsum illius; ergo, ex eo modo loquendi nihil infertur in ordine ad potentiam absolutam.

Mendacium numquam potest esse licitum.

34. Psalm 5. *Duo illa Scriptura loca hic parum probant.*

Illa solùm probant de facto non licere, non autẽ, quod nec quidem diuinitus.

35.

Ratio à priori P. Suarez pro mendacio parum vrget.

Rationem à priori reddit Pater Suarez, quia extrinsecus finis seu vtilitas non mutat naturam actionis; ergo cùm mendacium ex se sit malum, non poterit fieri bonum per vllam vtilitatem inde secutam. Verùm hæc ratio non multum vrget, quia certum est, sæpè ob finem extrinsecum censeri moraliter actionem aliquam licitam; quæ sine eo fine illicita est: id ostendo in materiâ valdè vicinâ mendacio, id est in restrictione mentali; quæ ob iustam causam extrinsecam licita est; ea verò deficiente est illicita: item in omissione Sacri die festo, si fiat propterea, vt succur-

Restrictio mentalis, omissio Sacri aliaque similes casus quando quæ licita sint.

Digitized by Google

succurram extremè indigenti, non pecco, peccaturus, si sine vllâ causâ omisissem. idem in multis aliis casibus potest ostendi. Cur ergo, quæso, non dicemus legem naturæ sic de mendacio sentire, *Fallere alium, nisi maximum inde bonum sequatur, vt putà, quod innocentis vita conseruetur, &c. malum est?* Secundò, in præsenti non agimus de eâ vtilitate extrinsecâ, sed de licentiâ à Deo datâ. Cùm enim Deus sit dominus nostrorum actuum, possitque mihi dare ius seu licentiam vt alterum occidam, poterit dare vt eum decipiam: quod longè minus damnum illius est, maximè cùm deceptio possit esse sæpè ipsimet decepto valdè proficua; imò fortè aliquando ad saluandum eius honorem & vitam & animam necessaria.

36.

Ratio Suarez. à posteriori melior est, sed non satisfacit.

Meliùs idem Suarez argumentatur à posteriori, quia si mendacium nō esset vniuersaliter malum, sed posset Deus dare licentiam vt mentiremur, ipse posset mendacium in se admittere; eo autem ipso periret omnino tota certitudo fidei; quia semper deberemus esse dubij, an Deus vteretur pro se eâ licentiâ. Meliorem dixi hanc rationem à posteriori, censeo tamen non satisfacere; nam dici posset ob illam repugnare Deo mendacium, non verò nobis; quia in nobis non est illa magna indecentia, quæ esset in Deo; neque infertur benè, Deus potest dare mihi licentiam, vt hoc ego faciam meo nomine; ergo ipse efficere potest aliquid simile suo nomine; quia aliqui actus etiam honesti repugnant Deo ex aliis capitibus, qui non repugnant homini: & eiusmodi dicere possemus esse mendacium.

37.

A ratione vix ostendi potest, mendacium essentialiter & omni casu malum esse. Sola auctoritas id persuadet.

In hac quæstione dico stando ratione, esse summè difficile ostendere, essentialiter & in omni casu malum esse mendacium: quod enim sanctus Augustinus sæpè repetit, *Non esse facienda mala, vt eueniant bona*, non vrget, quia potiùs volumus probare, illud mendacium futurum etiam bonum eo casu; vt in exemplis positis in aliis materiis paulò antè ostendi. Secundò tamen dico, licet ratio non suppetat, quæ id persuadeat, propter auctoritatem tamen communem eam sententiam defendendam, & dicendum, aliquam latere ibi essentialem indecentiam, quam nos non videmus, Sed de hac materiâ Deo dante 5. Tomo redibit sermo.

Deus potest dare ius ad copulā etiam fortè matrimonio non contracto.

Quoad secundum dubium de sexto præcepto, quoad fornicationem attinet, res est facilis; quia ablato nomine fornicationis potest Deus dare ius in copulam illam, etiamsi fortè non contrahatur matrimonium, vt paulò antè dixi ex Diuo Thomâ. In pollutione simplici res est difficilior, eo maximè, quòd alioquin liceat dare causas, ex quibus præuidetur secutura, dummodò eo animo non detur: cur ergo Deus non poterit dare licentiam, vt directè illa intendatur? nam & damnum prolis inde secutum à Deo potest etiam directè intendi: pericula item alia, ob quæ de facto dicimus eam non esse licitam, cessant eo casu, in quo ob solam Dei licentiam permittatur: cur ergo permitti non poterit? Ego sanè in hoc puncto valdè sum dubius, & fateor me non videre rationem, cur id diuinitus repugnare asseram.

An pollutio diuinitus licita sit.

38.

Sodomia & bestialitas nullâ causâ honestari possunt.

Quoad sodomiam & bestialitatem attinet, res est facilior; quia hæc ex seipsis videntur habere grauem indecentiam; & non facilè intelligi potest causa vlla, quæ illas honestet: nam in pollutione simplici, & salus ex eâ proueniens, & quòd per se alioquin vt excrementum petat semen ex corpore eiici, potest indirectè eam reddere capacem, vt diuinitus saltem à Deo permitti queat; at in his duobus aliis actibus omnis planè cessat vel vmbra vtilitatis; & ex terminis per se summè indecens appareret longè adhuc magis quàm mendacium, ergo. Et satis nunc obiter de hac materiâ dixisse sufficiat.

Deus potest hominem vsu rationis praditum ab obligatione omnium operum boni per totam vitam faciendi liberare.

Secunda ergo difficultas de re esse potest, vtrùm Deus queat diuinitus cum homine habente vsum rationis ita in præceptis affirmatiuis se gerere, vt planè liberet illum ab obligatione faciendi totâ vitâ vllum actum bonum. Respondeo cum Patre Suario suprà (quod ipsum Pater Tannerus docet disp. 5. q. 2. num. 57.) omnino id à Deo posse fieri: si enim homo potest licitè cedere iuri suo in pallium & in alia bona, à fortiori Deus, qui multò minus indiget nostris bonis operibus, poterit suo iuri in ea cedere. id quod ego sic vlteriùs declaro: Deus potuit (saltem non creando hominem & Angelum) carere omnibus eis bonis operibus, fuissétque tunc non minùs felix quàm iam; ergo etiam, suppositâ existentiâ eorumdem hominum, poterit talibus operibus carere. Patet consequentia; nam existentia hominum non facit vt Deus magis illis operibus indigeat, quàm si non existerent, ergo. 39.

Replica.

Dices, Non poterit, suppositâ hominum existentiâ, cedere iuri, quia tunc malè operarentur ipsi homines, si ea opera non facerent. Sed contrà, quia si semel Deus cederet iuri suo, nullum esset peccatum ea opera omittere; ergo ex hoc capite non repugnat ea cessio.

Solutio.

Replica Secunda.

Dices Secundò, Ergo Deus dispensaret in eo principio naturali vniuersalissimo, Faciendum est bonum. Respondeo Primò, Deum tunc non prohibiturum ne fieret, sed solùm cedendo iuri ablaturum obligationem faciendi illa opera.

Solutio Prima.

Secunda.

Secundò respondeo, illud principium non esse eo sensu vniuersali intelligendum, sed cum addito, Facienda scil. sunt bona, nisi à supremo Legislatore aliquas ob causas eorū effectio impediatur; vnde tunc nulla omnino dispensatio esset ex parte Dei, vt in aliis casibus superiùs diximus.

Quando facienda sint bona.

Idem dicendum in aliis præceptis naturalibus extra Decalogum, quæ ad eum reduci possunt.

40.

Quæ de præceptis secundæ tabulæ, & de omnibus affirmatiuis diximus, applicanda eodē modo sunt ad alia præcepta, quæ nonnulli dicunt esse naturalia, non tamen pertinere ad Decalogum; & in quibus hi putant à Deo fieri posse dispensationem, qualia sunt depositum reddere, implere votū, non habere plures vxores, non ducere sororem: dicendum, inquam, idem quod de prioribus; nam in primis reddere depositum ad præceptum non furandi reducitur; & quodammodò etiā ad idem, licet spiritualiter, reducitur obligatio satisfaciendi voto; deinde in his non dispensatur à Deo (vt dixi paulò antè) sed remittitur nobis debitum. Secundò, Deus, quatenus supremus Dominus, transfert dominium eius depositi in eum, apud quem res seruabatur; ideóq; tamquam rem suam non tenetur eā reddere vlli. De dispensatione in matrimonio dictum est suprà, ab ipsâ lege naturali excipi eum casum, ideò per illum non fieri dispensationem in lege.

SECTIO V.

Quid de epieikiâ & interpretatione legis naturalis.

SVBSECTIO I.

Deciditur quæstio.

INterpretatio legis vniuersalior est quàm epieikia: nam interpretari solùm significat idem 41.

quod

Digitized by Google

quod explicare sensum legis: sicut interpretari sacram Scripturâ, non est vti epieikiâ circa illam, sed declarare verba quæ sunt obscura. Legem ergo naturalem esse capacem interpretationis, est per se notum explicatis terminis; nam præcepta naturalia non sunt semper ita clara, vt statim per se intelligantur; quin potiùs sæpè sunt valdè obscura, propter diuersas difficultates occurrentes in materiâ ipsius legis. V.g. lex dicens, *Non accipias rem alienam*, petit hanc explicationem, *nisi tu extremè eâ indigeas*, vel, *nisi in pœnam à Republicâ ei auferatur, tibique executio mandetur:* item in alio, *Non occides*, oportet explicare, quæ occisio non liceat, quæ verò liceat. Idem suo modo de alijs præceptis dici potest. Hæc autem interpretatio potest fieri ab ipso etiam homine, imò ordinariè ab eo solo: nam sicut homo suo lumine naturali agnoscit obiecta mala, ita oportet vt agnoscat circumstantias, quibus ea res indiget vt mala fit, & extra quas est licita. In hoc puncto nullam planè video difficultatem.

Lex natura, in est capax interpretationis.

Licet interpretatio regulariter à solo homine fieri possit.

42. Venio ad epieikiâ: ea ergo sic solet explicari, vt sit quasi quædam emendatio legis, vt scilicet ita discurramus: Legislator quidem omnes casus prohibuit sine distinctione, sed tamen, quia, si præuidisset hunc particularem, omnino illum excepisset; non enim in his occurrentibus circumstantijs obligare voluisset; ideò ego istum casum excipio, quem Legislator non excepit ob ignorantiam aut inconsiderationem: hæc est propria epieikia; & de hac quærimus, vtrùm cadere possit in legem naturalem. Communiter auctores eam admittunt: ita Caietanus 2. 2. quæst. 120. art. 1. Sotus lib. 1. de Iustitiâ quæst. 7. art. 3. ad 3. & lib. 10. q. 3. art. 4. Nauarrus consilio 4. de desponsat. impuberum, & alij quos refert & sequitur Pater Salas eâ disp. 5. sect. 10. num. 67. licet n. 68. videatur ita id limitare, vt contrarium sentiat. Huius sententiæ fundamentum est, quia ea epieikia, propter circumstantias occurrentes, est sæpè necessaria; ergo & licita. Iudico tamen cum Patre Suario, quod, vt dixi, etiam Salas vltimò docet, si significatio vocis attendatur, eam, quam hî auctores vocant epieikiâ, non esse nisi interpretationem legis in eo primo sensu: hanc probat Pater Suarez inductione, discurrendo per omnia ea præcepta, vbi aduersarij admittunt epieikiam. Ego breuiter rem declaro eâ ratione, quâ semper sum vsus totâ hac disputatione: nam si lex ipsa naturalis ab initio excepit eum casum, tunc sine vllâ epieikiâ in eo nô obligamur. V.g. lex dicit, *Omnes ieiunent, nisi faciant iter pedites.* Certè, vt faciês iter non teneatur ieiunare, nulla est necessaria epieikia propria, vt omnes debent fateri. Atqui omnes illi casus, quos aduersarij ponunt, & qui excogitari possunt, videntúrque excipi per epieikiam, sunt excepti per ipsummet ius naturale: ergo hoc numquam patitur veram epieikiam, sed ab initio distinguit inter hanc & illam occasionem; & in vnâ obligationem cognoscit, in alterâ negat. Consequentia est euidens: maior supponitur vt certa: id enim intelligimus per eam vocem: alioquin iam tota quæstio ad voces reducetur. Sola ergo restat probanda minor: ea verò ex dictis suprà est euidentissima, & ex ipsis aduersarijs probatur; nam si lumen naturæ dicit (vtor exemplo, vbi maximè Nauarrus putat esse epieikiam) *Superiori non esse parendum, quando intermenit exemptio ab eo Superiore*; ergo lumen ipsum, dum affirmauit *obediendum esse Superiori*, non dixit, *obediendum esse etiam quando quis est exemptus:* esset enim manifestè illud principium falsum, vtpote repugnans alteri principio: ergo solùm dixit cum limitatione hac, *Nisi fueris exemptus:* vtraque ergo propositio est à lumine naturæ, *Et obediendum, quando non es exemptus: Et non obediendum, quando exemptus*; vel, vt meliùs dicam, solùm est vna propositio à lumine naturæ prouenieus complexa aut hypothetica. Vides ergo, eam ipsam exceptionem esse à iure naturali: ergo hoc ius non patitur posteà emendationem aut propriam epieikiam, quia ab initio omnia distinxit: idé est in alijs casibus: ergo epieikia propria, nisi velimus significationem nominis inuertere, non cadit in ius naturale. Id quod de epieikiâ à Deo factâ eodem modo est intelligendum, ob rationem datam; quia illam ipsam exceptionem, quam Deus posset facere, fecit etiam ipsum lumen naturale dictans non obligari hominem, si Deus posteà faciat aliquam exceptionem.

An ea cadat in legem naturalem.

Epieikia non est nisi interpretatio legis.

43. *probatur id fusè.*

44.

propria non cadit in ius naturale.

Omitto prudens rationes, quibus Pater Suarius vtitur: vel enim reduci debent ad hanc nostram; vel nullam habent vim; vt prima, quòd scilicet ius naturale, cùm oriatur ex intrinsecâ naturâ & consonantiâ extremorum, non possit mutari: dixi enim suprà, illud ipsum ius seu iustũ naturale pendere sæpè ex varijs circumstantijs, ratione quarum habet locum mutatio aliqua; vt v.g. in exemplo ipso honorandi parentes. Si enim periclitetur ideò Respublica, dum eam propter parentes negligo, sine dubio teneor, omisso parente, Reipublicæ succurrere. Secunda item, quòd, quæ ex se sunt intrinsecè mala, non possunt fieri bona manente eodem obiecto & reliquis circumstantijs; ergo nó potest esse propria epieikia in illis: hæc, inquam, nó vrget, quia ad epieikiam semper est necessaria variatio aliqua; ratione cuius, quod ex se erat malum, sit hîc & nunc bonũ: hoc autem potest suo modo in præceptis naturalibus ostendi, vt in paulò antè posito, de honorandis parentibus; & in altero, de non accipiendâ re alienâ: quod tamen, si necessitatem extremã patiar, iam non ampliùs me obligat; ergo, nisi recurramus ad eam rationem, quòd scilicet hi casus fuerint omnes ab initio excepti ab ipsâ lege, negari non posset ibi vera & propria epieikia.

Rationes Suarij hic nihil vrgent.

45.

SECTIO. II.

Quî respondeatur à nonnullis obiectioni in contrarium.

IAm ad rationem ab aduersarijs insinuatam respondeo, ad illum finem non esse necessariam epieikiam, sed sufficere interpretationem aliam magis communem, quâ ego declaro, à lege hunc casum exceptum: est tamen contra hæc molesta satis replica; nam eodem modo posset quis dicere, neque in lege positiuâ esse posse epieickiam propriam; quia etiam Legislator ab initio eos casus videtur excepisse, vbi poni posset epieikia V. g. lex Religiosa prohibet, *Nemo egrediatur domo sine licentiâ:* sum casu ad portam, & voco ad infirmum iam iam animam agentem, quia lethaliter repentè ab alio vulneratus est; si quærendo Superiorem tempus tero, infirmus moritur: possum per propriam epieikiam interpretari, legem, quasi non voluerit hunc casum comprehendere: in hoc ergo, vbi, si alibi, vera est & propria epieickia, sic argumentor: Legislator Religiosus condens eam legem non prohibuit exire domo licentiâ non petitâ, nisi quando non sunt

46. *An in lege positiuâ sit, propria epieikia.*

Vrgetur obiectio.

Digitized by Google

circumstantiæ quæ illum exitum reddant non solùm bonum, sed necessarium: vnde si hostis v. g. intraret per vnam portam occisurus omnes Religiosos, non esset epieikia fugere per alteram portam, & saluare vitam, etiam non expectatâ licentiâ Superioris: non esset, inquam, epieikia, nõ ob aliam rationem, nisi quâ præsupponimus, illum Legislatorem non voluisse obligare ad eam licentiam petendam, quando in petitione esset graue periculum. Atqui hæc ratio etiam persuadet, non fuisse in priori casu veram epieikiam, quia etiam tunc censetur non voluisse Legislator obligare ob specialem, quæ in eo erat, vtilitatem aut necessitatem maioris boni.

47. *P. Suarez duplicem hic assignat differentiã inter naturale ius & positiuum.*

Vt huic obiectioni respondeat Pater Suarez, duas notat differentias inter ius naturale & inter positiuum. Prima est, quia in lege positiuâ, manente totâ materiâ actus cum omnibus circumstantijs intrinsecis eius, potest per interpretationem æquam cessare obligatio per propriam epieikiam, esto debeat mutari extrinseca circumstantia, v. g. aduenire vtilitas aliqua, quæ anteà non erat. Exemplum ponit in lege, quæ prohibet gestari arma noctu; nam si sit euidens necessitas & vrgens, interpretamur eam legem non prohibuisse in tali occasione arma: in lege verò naturali repugnat, vt, manente totâ substantiâ actus cum omnibus suis circumstantijs intrinsecis, ob solam mutationem extrinsecam mutetur è malâ in bonam (vt patet in mendacio) quod non potest reddi licitum ob vllam circumstantiam: ergo in præcepto naturali fiet quidem, vt diximus, exceptio, ab ipso tamen præcepto, non autem emẽdatio legis; ergo neque poterit ibi esse propria & rigorosa epieikia.

48. *Refutatur Prima.*

Ego hanc differentiam censeo omnino esse insufficientem. Primò, quia iam ostendi manifestè, etiam in rebus, quæ sunt de iure naturæ, posse per solam extrinsecam circumstantiam mutationem illam reperiri, quæ eam materiam transferat è malâ in bonam: nam omissio honoris parentum aut sustentationis illorum in se eadem planè est intrinsecè, siue habeat annexum damnum Reipublicæ, siue non: sicut Sacri omissio eadem est, siue infirmus periclitetur, siue non: & tamen eodem modo, sicut omissio Sacri per solam eam vtilitatem redditur bona, quia accurro ad leuandum infirmum; ita eodem modo omissio parentum, quia accurro ad Rempublicam iuuandam: ergo est paritas in vtroque casu ob extrinsecam vtilitatem. Secundò argumentor, quia in instantiâ à me allatâ de fugâ è Monasterio, quando me hostis insequitur, vt violenter occidat, nemo dicit esse epieikiam; & tamen ob solam vtilitatem extrinsecam ille exitus censetur non comprehẽsus à lege generali; ergo pari ratione, neque gestare arma nocte, vrgente graui necessitate, erit epieikia in regulâ generali mandante vt gestentur.

An fugâ è Monasterio hostẽ persequente, & gestatio armorum nocte sit epieikia?

Fortè responderet Suarez, in eo casu de honore parentum non manere easdem circumstantias etiam intrinsecas; quia ratione illius vtilitatis censeri debent parentes iuri suo cessisse, vel non esse rationabiliter inuiti; vel deniq; iam nõ esse honestum eum cultum. Sed contrà; nam totũ hoc purè purè prouenit ab eâ circũstantiâ extrinsecæ vtilitatis: quòd si hoc vocetur mutatio intrinseca res reducetur ad quæstionem de nomine: & ne in eâ laboremus, dicam ego eodem modo, in casu illo, vbi P. Suarez ponit epieikiam, etiam esse mutationem intrinsecam; quia etiam, tunc non censetur Legislator inuitus, sicuti in altero non censentur parentes; quam vocabat ille mutationem intrinsecam: item, censetur actio illa iam honesta: ergo ratione mutationis intrinsecæ nõ est diuersitas. 49.

Tacita responsio impugnatur.

Secunda differentia, quam P. Suarez affert, est, quòd in lege positiuâ, quando interuenit epieikia, non sit interpretatio circa actum prohibitũ, cùm potiùs supponatur incluſus in lege; ergo fit interpretatio circa mentem Legislatoris, quòd scilicet non fuerit eius animus includere talem actum in hac circumstantiâ: at in lege naturæ id non habet locum, quia in primis lex naturalis non prouenit à voluntate, sed fundatur in naturâ ipsius actus, qui per se malus est in hac circũstantiâ, in alterâ verò non, sed potiùs licitus: ergo tunc solùm est explicatio legis, non verò epieikia. Sed neque hæc disparitas, licet præcedente longè probabilior, satisfacit; nam videtur aliquâ includere repugnantiam, dum dicit ex vna parte casum epieikiæ fuisse incluſum in voluntate generali Legislatoris; ex aliâ verò dicit, ob circumstantias in eo occurrẽtes, non fuisse mentem Legislatoris illum includere; si enim mens non fuit includere, ergo neque incluſus est, nisi fortè specie tenus: quo sensu etiam à lege naturali specie tenus videntur incluſi casus, qui posteà excipiũtur. Quòd verò in lege positiuâ interpretemur voluntatem, in aliâ verò non, videtur per accidẽs ad punctum præsens, & fortè in sententiâ Patris Suarez falsũ: etenim ipse (vt vidimus suprà) propriam & veram obligationem, quam inducit lex naturalis, non refundit in dictamen ipsum naturale (hoc enim negat esse veram legem) sed in volitionem diuinam; quam solam dicit esse legẽ; etiam si hæc se accommodet exigentiæ ipsorum obiectorum: ergo sicut in vno casu, ob circumstantias illas quæ aliquo modo variant casum, interpretamur non voluisse Legislatorem eum comprehendere, ideóq; est vera epieikia; ita in altero, ob easdem diuersas circumstantias, interpretabimur Deum suâ illâ volitione, quæ est lex naturalis, non voluisse comprehendere hunc casum. Vides paritatem esse summam. Quod enim vna volitio sit formaliter libera, altera non, per accidens est ad præsens punctum; nam in vtraq; interpretamur exclusionem casus particularis ob speciales illius circumstantias: erg õ principium, quod in hac secundâ differẽtiâ assumit P. Suarez, non est verum in eius sententiâ; sed esto verum sit ad punctũ de epieikia, quid, quæso, facit, quod potiùs fiat interpretatio in volitione quàm in iudicio, si vtrumq; sit vniuersale, & ex se videatur complecti casus illos? debemus ergo meliorẽ quærere disparitatem, vt possimus vnam dicere interpretationem tantùm, aliam verò propriam epieikiam. 50.

Secunda differentia reijcitur.

SVBSECTIO III.

Vera responsio.

MEliùs fortè discurreret, qui diceret, epieikiam tunc solùm esse, quando casus, qui excipitur, is est, vt absolutè etiam ad illum, & cũ eis circumstantijs, potuerit obligare Legislator simpliciter & absolutè; ex quadam tamen æquitate & benignitate iudicamus, illum nõ voluisse esse tam rigidum, vt oprauerit nos hîc & nunc obligatos. Ex hac doctrinâ clarè infero, cur in lege naturali nulla sit propria epieikia; vbicumq; enim 51.

Quando sit epieikia.

Vnde in lege naturali nulla propria est.

Digitized by Google

enim est exceptio à regulâ communi; talis est, vt non sit (sic dicam) arbitraria, & vbi obligare potuerit ius naturæ; idque ex condescendentiâ aut æquitate omiserit, vt diximus ad epieikiâ requiri; sed quia necessariò debuit eos casus excipere, ita vt fuisset iniustum si eos non excepisset: ergo non intercedit hîc quidquâ de liberalitate præsumptâ, ergo nec propria epieikia. Porro eam exceptionem factam necessariò inde euidenter suadetur, quia sicut (iuxta dicta hucusq;) ex naturâ rei & necessariò furtum v. g. est malum; ita è cõtrario, quando homo est in extremâ necessitate, licitum est ex naturâ rei accipere ab altero panẽ v. g. cæteráq; quibus extremè indiget: & tam ex necessitate luminis naturæ est hæc licentia quàm illa prohibitio: vnde sicut reuerà esset iniquum ius naturæ, si furtum non prohiberet; ita etiam esset iniquum, si obligaret hominem, vt permitteret se perire, ne ab altero acciperet panem quo indigeret: ergo locum non habet in iure naturali ea liberalitas seu condescendentia.

Probatur id euidenter.

52. *Quando in lege positiuâ non sit propria epieikia.*

Hinc infero, quando casus, vbi legem positiuã nõ obligare interpretamur, talis est, vt necessaria sit omnino ea cessatio obligationis, non esse tũc veram & propriam epieikiam, sed puram putam interpretationem iuxta priorẽ sensum suprà explicatum: vnde, quòd ille, qui grauissimè infirmatur, non teneatur ieiunare, non venit ab epieikiâ, quia non ex æquitate, sed ex necessitate & obligatione infirmus ab eo onere liberatur; ita vt iniqua esset lex, si eum tunc obligaret. Idem dico in casu suprà posito, quo fugio hostem me in Collegio insequentem: iniqua enim fuisset lex, si voluisset me tunc temporis cum euidenti vitæ periculo adstringere, vt non nisi quærẽdo Superiorem & petendo priùs veniam fugerem. Imò dicã, etiam casu quo proximus extremè de salute æternâ aut temporali periclitatur, non esse epieikiam exire sine licentiâ ad eum iuuandum. Ideò obiectioni suprà positæ concedo, eamdem esse rationem de vno ac de altero casu: erit ergo epieikia, si ratio interpretandi mentem talis fuerit, vt non omnino cogat ad eam ex se, sed ex æquo & bono; ego illam possim præsumere. Ecce claram difficultatis huius solutionem.

Per est vtro-lique ratio.

53. In quâ adhuc mihi restat vnus scrupulus: fortasse enim quis diceret, malè me vsum eâ instantiâ infirmi grauiter laborantis, quem dixi sinè epieikiâ liberari ab obligatione, eò quòd non potuisset iustè ad id cogi: non enim videtur hoc absolutè verum: etenim Patres Carthusiani extremè etiam indigẽtes carnibus non possunt eas comedere: ergo potuit lex, si voluisset, nullam incurrendo iniquæ notam, obligare etiam grauiter infirmum ad ieiunium: ergo si de facto liberatur ab eâ obligatione, id fit per æquitatem quamdã; & tamen non interuenit epieikia, ergo. Respondeo tamen magnam esse inter auctores disceptationem, quo pacto ea obligatio Carthusianorum sit licita; & ideò multos iudicare (quod ego omnino verum censeo) eos in tali extremâ necessitate, si alij cibi non sint, non teneri ad abstinendum de quo vide Patrem Vasquez disp. 162. per totam. Quòd verò, etiamsi carnes sint nonnihil salubriores, non possint eas comedere, quando alij cibi sunt, prouenit ex eo, quòd nemo teneatur ad quærendos optimos modos conseruandi vitam, nec ad quærendos semper cibos saniores; imò cum laude posset quis se ieiunijs & mortificationibus exercere, etiamsi aduertat inde vitam aliquantulùm abbreuiandam: quod si quis id licitè facere potest, potest etiam suo iuri cedere ad contrarium; & ita dicendum eos cessisse dum Religionem intrarunt; per legem autem non possunt obligari, quia, vt dixi sæpè, non omnia, quæ subditus voluntariè potest licitè facere, possunt ei per legem imperari.

An Carthusiani obligentur in extremâ necessitate ad carnium abstinentiã. P. Vasquez & auctor aliqui non ineri.

Non omnia quæ à subdito voluntariè licitè fiunt, possunt ei per legem imperari.

Secundò respondeo, posse aliquando ob grauissimas causas hominem, etiam cum euidenti periculo vitæ, ad aliquid obligari, vt obligantur vigiles exercitus in maximis frigoribus; quando item moraliter est certum eos incursuros in hostem, & ab eis occidendos: eodem fortè modo posset contingere, vt aliquando tales essent causæ, vt lex obligaret etiam infirmum ad illud ieiunium; nego tamen propterea, vbi omnes hæ causæ cessant, posse tunc per legem illũ obligari ad ieiunium; ergo tunc non liberabitur per condescendentiam & æquitatem, sed quia iustè non potuit obligari; licèt fortè sit possibilis alius casus sub alijs circumstantijs, in quibus iustè obligaretur ad tale ieiunium. Hinc facilè ad instantiam à Carthusianis dico, eos obligari ad abstinendum, etiamsi infirmi sint; quia tales sunt causæ eius rigoris seruandi, vt præponderent illi periculo vitæ; vnde non sequitur in alijs etiam diuersis personis ordinariè id contingere: ideóque exceptio in illis fit ex obligatione, non ex æquitate.

54.

Cur Carthusiani obligentur ad abstinentiã, etsi sint infirmi.

55. *Cõgerit quædam contra hanc solutionem Vasquez.*

Contra hanc solutionem stare videtur Pater Vasquez, qui disp. 176. num. 4. docet, epieikiam non habere locum, nisi quãdo euidens est, ratione alicuius circumstantiæ non fuisse à Legislatore eum casum comprehendendum: atqui non potest id esse euidens, nisi tales sint circumstantiæ, vt non potuerit Legislator eum comprehẽdere; si enim potuit, quomodo euidens erit non voluisse? Probat autem subsumptum Vasquez: si enim id non obseruaretur, daretur locus fraudibus multis & epieikijs; vnde concludit, in dubio nullo modo eam esse licitam. Secundò ibidem docet, solùm eam esse licitam, quando lex ita deficit, vt eius materia non solùm non sit ampliùs bona, sed etiam sit positiuè mala: quod vocat deficere contrariè: atqui quando legis materia est mala, nõ oritur ex benignitate Legislatoris, quod ad eam non obligemur; non enim potuit etiamsi voluisset, obligare: ergo ea solutio nostra non potest habere locum. Respondeo, ad quæstionem de nomine hanc obiectionem pertinere: taliter enim vsurpat eam vocem quàm nos; eam tamen explicationem vt communi acceptioni contrariam iam reiecimus: nemo enim dixit, casu quo hostis me gladio aggrediatur vt occidat, epieikiam esse exire extra Collegium non petitâ licẽtiâ à Superiore: item si sim vbi Superior nullo modo potest adiri, ego verò siti pereo, quis dicet esse epieikiam, & non potiùs obligationem naturalem, bibere etiam non expectatâ licentiâ Superioris? Denique, quando dicitur epieikia esse ex æquo & bono, certè denotatur aliqua condescendentia ex parte Legislatoris: quæ non videtur vllo modo requirere tantam necessitatem, quantam ponit Vasquez; multò autem minùs requirit materiam legis esse positiuè malam. Hinc facilè respondetur eius argumento: Negamus enim sequi ex nostrâ sententiâ eas fraudes & multiplicationem epieikiarum: hæ enim debent prudentis iudicio fieri, non pro vniuscuiusque libidine.

56. *Retunditur.*

Absolutè ei respondetur.

Vrgebis: Epieikia est emendatio legis; ergo solùm habet locum, quando lex esset mala. Respondeo

Obiectio. Solutio.

Digitized by Google

spondeo, id intelligendum, quando esset grauis; nam etiam hoc est aliquod vitium legis, licet non tale, vt absolutè, eo non obstante, lex non posset esse simpliciter valida; neque obest, quòd tunc possit à subdito licitè obseruari: nam multa potest subditus licitè facere, ad quæ tamen prudenter non potest per legem obligari, vt & ipse Vasquez, & omnes fatentur.

17. *Alia disparitas inter naturale ius & positiuũ respectu epieikiæ.*

Secunda differentia inter ius naturale & positiuum in ordine ad epieikiâ esse potest, quòd naturale expressè excipit omnes casus, in quibus postea cessat obligatio: at positiuũ sæpè nihil dicit de eâ exceptione expressè, licet eam possimus implicitè ibi intelligere: vnde quando postea expressè excipitur aliquis casus, videtur id fieri per epieikiam. Hæc disparitas, quã P. Vasq. assignat suprà num. 4. satisfaceret, si non sequeretur ex eâ, per epieikiam solùm licere Religioso præ siti animam agenti bibere sine licentiâ; etiamsi illam non possit acquirere: item, per eamdem solùm licere fugere extra portas Monasterij hostem euaginato gladio se ad mortem insequentem; quia hi casus non fuêre excepti expressè à Legislatoribus: quæ omnia, vt paulò antè dixi, sine vllâ epieikiâ fieri fatentur omnes: ergo ea disparitas non est bona; sufficiat ergo prima; quæ planè difficultatem totam exhaurit.

DISPVTATIO IX.

De lege positiua Mosaica naturâ & existentiâ.

1. *Quid sit lex diuina.*

EXPLICATA lege in communi, eiusq; specie maximè necessariâ, qualis est lex æterna, iam ad alterã speciem, legem scilicet positiuam, veniendum est: quia verò præcipua inter leges positiuas diuina est ideò de eâ Primò agendum. Lex diuina est, quæ à Deo immediatè lata est; non dico immediatè promulgatam ab ipso; id enim fieri potuit per alium; sed quam Deus ipse per suam voluntatem immediatè determinauit: sicut lex Imperatoria est illa, quam ipse Imperator per se statuit, esto postea per aliũ eam promulgari curet. De lege diuinâ in communi nihil occurrit dicendum; nam si ea omnia, quæ de lege vt sic dicta sunt superiùs, contrahãtur per solam hanc differentiam, quòd volitio illa hoc aut illud imperãs sit diuina; eo ipso adæquatè & perfectè intelligitur, quid sit lex diuina in communi: ergo ad particulares species diuinæ legis descendamus. Primo autem loco de veteri, quia etiam prima fuit, disputandum erit: de eâ fusè Pater Salas disp. 22. & 23. & Pater Suarez lib. 9. per totũ: qui nescio quâ de causâ de hac lege post leges humanas & earum abrogationes disputarunt; cùm tamen hæc, vt diuina, præmittenda omnino videatur: scio eos secutos ordinẽ D. Thomæ; sed hoc ipsum cur sit à D. Thomâ factum non video: nullam enim eius dispositionis rationem reddit; res tamen est parui momenti, siue hîc, siue ibi tractetur. Circa hanc legem etsi multæ moueri soleant quæstiones, ferè tamen omnes faciles sunt, & parum habent de speculatione, multùm de Scripturæ interpretatione; ideò eas breuiter expediemus.

SECTIO I.

Vtrùm ante Mosaicam fuerit aliqua lex diuina.

2. *An aliqua, & quales leges antè Moysen datæ fuerint.*

QVærimus, an Deus, ante legem datam Moysi in monte, aliquam aliam dederit prioribus illis hominibus. Prima conclusio, Si nomine legis intelligatur vna aut altera lex, quæ nõ faciat collectionem cum alijs ad constituendam vnam specialem Religionem, probabilissimum videri, fuisse aliquot tales, etsi valdè paucas, ante Moysem datas; vt præceptum Adamo impositum de non comedendo de ligno vitæ: quod etsi certò non constet, probabilissimè dicitur, fuisse ex se stabile & pro omnibus hominibus durante eo statu; ideóq; vera & propria lex. Dixi *certò non constare*; nam quòd Deus in eo præcepto locutus fuerit cum Adamo, vt cum capite generis humani, non probat, illud fuisse necessariò commune cum membris, vt P. Suarez lib. 4. cap. 1. contendit: suo enim loco agentes de opere sex dierum & statu innocentiæ diximus, illis verbis præcisè denotari, in ordine ad amittendam vel conseruandam gratiam pro posteris Adamum fuisse constitutum caput; per quod tamen nihil insinuatur de obligatione transiturâ ad posteros, non comedendi de eo ligno.

3. *Talis erat lex in remedium originalis.*

Secundò, ad probandum fuisse talia præcepta, creditur extitisse post peccatũ lex aliqua de applicando remedio seu Sacramento pro remissione originalis. de quo fusiùs in materiâ de Sacramentis. Obseruat Pater Suarez. illud præceptum seu remedium non fuisse merè positiuum, sed suo modo connaturale fidei secundùm eum statum quem pro eo tempore homines habebant. Hæc obseruatio mihi non placet; non enim video, cur Deus, esto homines eleuauerit ad statũ fidei, teneatur per Sacramentum illis peccatum vllum remittere, & non possit eorum dispositionem expectare, vt per eam de congruo ad gratiam veniant: vnde nemo dicet, circumcisionis olim institutionem, aut etiam Baptismi in lege gratiæ, non esse verum & proprium positiuum præceptum.

talis erat de distinctione animalium mundorum ab immundis.

Tertio loco affertur distinctio animalium mundorum ab immundis. Verùm cõmuniter interpretes cẽsent Moysem c. 7. Geneseos per anticipationem vocasse animalia immũda ea, quæ postea in lege vt talia declaranda erant. Fortasse etiam ibi solùm insinuatur, aliqua animalia ex suâ naturâ esse inepta ad comedendum: sicut nũc sine vllâ lege id prohibente non comedimus vespertiliones, araneos, muscas, & nisi in casu extremæ necessitatis asinos, equos, canes, &c.

4. *Talis erat lex non comedendi carnem cum sanguine.*

Quarto loco affertur præceptum non comedendi sanguinem cum carne; de quo c. 9 Geneseos. Aliqui censent ibi solùm prohiberi carnes crudas; alij solùm homicidium: alij putant, & quidẽ probabilius, verum ibi contineri præceptum, & veram legem non comedendi carnem cum sanguine; idcóque ex eo loco benè probari conclusionem suprà positam.

Lex collectiua ex multis positiuis non fuit ab initio lata.

Secunda conclusio: Lex aliqua collectiua ex multis legibus positiuis, sicut lex gratiæ dicitur vna lex, & vetus etiam dicebatur vna lex, non fuit eo tempore à Deo condita: ita communiter omnes; ideóq; semper dicitur ille status lex naturæ. In Scripturâ etiam non agnoscitur alia lex quàm Mosaica & noua: non enim fuerunt tunc homines à Deo per speciales leges tam circa sacrificia quàm circa Sacramenta in vnam eccle-

siam

Digitized by Google

siam aut synagogam congregati: cuius ratio fuit, vel quia ipse Deus iudicauit non expediſſe id tunc: vel certè, ésto tam expediens fuiſſet quàm contrarium, noluit id facere; quia non tenetur ad facienda ea quæ ex parte obiecti meliora ſunt, vt ſæpè diximus. Hoc ſuppoſito.

Cur ab initio tales leges non præſcripſerit Deus

SECTIO. II.

De auctore legis Mosaicæ.

5. ILlud Primò circa auctorem eius quæri ſolet, vtrùm fuerit lata à Deo aliquo bono, an verò à malo: hoc enim vltimum Simon Magus, Marcion, Valentinus & aliqui hæretici dixêre. Certa tamen & Catholica fides docet, verum Deum eumdem, qui in lege gratiæ agnoſcitur, fuiſſe in lege veteri agnitum; quia nec eſt alius Deus niſi infinitè bonus, Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Id paſſim conſtat ex lege gratiæ, vbi Chriſtus & Apoſtoli ſemper eam legem Deo vero tribuunt. Quòd ſi Scriptura ſacra, referens quæ olim facta ſunt, eſt infallibilis veritatis, vt verè eſt, & ipſi hæretici ſupponunt, neceſſum eſt, legem fuiſſe datam à bono Deo. Id patet Primò, quia malus Deus non videtur neceſſitatus ad ſemper dicendum verum: ergo Moyſes à Deo Legiſlatore inſtructus, & ſolam veritatem narrans, bonum habuit inſtructorem, non malum. Secundò quia in hac lege paſſim Dominus Deus dicitur Iuſtus, Sanctus, Omnipotens, odio habens iniquitatem, &c. Ea ergo ſtultitia de duobus Dijs reiecta.

Simon Magus, Marcion, Valentinus & alij hæretici legē veterem à malo Deo etiam dixêre.

Lex Moſaica à vero Deo lata eſt, & bona.

Deus Iudæorum verus & bonus Deus immediatus legis auctor eſt.

Conclusio etiam Catholica eſt, non ſolùm Deum bonum & verum fuiſſe Iudæorum Deum, ſed & illum immediatè dediſſe legem: non dico immediatè eam promulgaſſe, aut immediatè locutum Moyſi, ſed ipſum immediatè eam condidiſſe; & Angelum, qui Moyſi locutus eſt, nomine Dei locutum. id paſſim ſignificat multa Scripturæ loca. Exodi 20. *Locutúſq; eſt Dominus cunctos ſermones hos: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo ſeruitutis. Non habebis Deos alienos coràm me*, &c. Et paſſim vocatur lex Domini. Et in Euangelio Marci 7. *Irritum facitis præceptum Dei*, Dixit Chriſtus Phariſæis: & Matthæi 15. *Deus dixit: Honora patrem*, &c. & ad Hebræos 9. *Hic ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus*, &c.

Angelus legem nomine Dei immediatè promulgauit.

6. Secunda concluſio: Ea lex fuit data miniſterio Angelorum, ita vt illi formauerint voces, & locuti fuerint, nomine tamen Dei; ſicut loquitur Legatus, referens quæ ei Princeps concredidit. Ita ex Paulo ad Galat. 3. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris:* & Act. 7 id ipſum ſanctus Stephanus teſtatur; de Moyſe enim ait: *Hic eſt, qui fuit in Eccleſiâ in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sinâ.*

Addendum etiam eſt huic concluſioni, ésto aliqui Patres, vt Cyprianus lib. 2. Contra Iudæos cap. 5. Tertullianus lib. Aduerſus eoſdem cap. 9. Euſebius Cæſarienſis lib. de Demonſtratione Euangelicâ cap. 5. & alibi, dicant *τὸ Angelum* ſumi pro Verbo Dei; alij verò dicant, aliquando ſumi pro Verbo, aliquando pro vero Angelo; quia etiã Chriſtus Iſaiæ 9. iuxta verſionem 70. Interpretũ dicitur *Magni conſilij Angelus*; nihilominùs tamẽ abſolutè totam legem veri Angeli miniſterio latã nam in Scripturis numquã Deus dicitur Angelus; neq; eſt ratio intelligendi impropriè eam vocem pro Verbo diuino. Quòd ſi Chriſtus vt homo dicitur eo loco Iſaię Angelus; certè additur particula extrahens à propriâ ſignificatione, nẽpè *τὸ Magni conſilij*: quæ cùm non ponatur in Exodo, neq; vllâ ratione, vt dixi, cogamur ad explicationem impropriam, non eſt vllo modo admittenda.

7. *Tota lex veteri Angeli miniſterio lata eſt.*

Angelus ipſas etiam voces, quibus lex promulgata eſt, formauit.

Intelligenda inſuper eſt ea concluſio, ita vt nõ ſolùm Angelus formauerit fulgura & tonitrua, quæ præceſſerunt legem, ſed etiã ipſas voces, quibus præcepta promulgata ſunt: quod Paulus ad Hebræos ſecundo ſatis apertè inſinuat dum ait, *Qui per Angelos dictus eſt ſermo:* & ad Galatas 3. agens de lege dixit: *Ordinata per Angelos.* Hæc autem ſignificant non ſolùm ea ſigna præuia, ſed legem ipſam fuiſſe dictam per Angelum.

Rurſus id intelligendũ etiam non de ſolâ lege cæremoniali, ſed de Decalogo ipſo: etenim eodẽ modo Scriptura loquitur, dum Deum hæc & dũ illa præcepta tradidiſſe dicit; & è contrario ſine vllâ diſtinctione abſolutè Paulus de lege dicit, eſſe per Angelum ordinatam: quâ ergo probabilitate poſſumus diſtinguere, & vnam partem Angelo, alteram Deo immediatè tribuere? ergo ſine limitatione, totam legem Deo, vtpote interiùs præſidenti, & loquendi efficaciam miniſtranti, & totam Angelo exteriùs loquenti tribuere debemus. Dubitari autem poteſt, vtrùm Verbum diuinum ſpecialiter in eam legem concurrerit. Ratio dubitandi deſumitur ex Pauli verbis ad Galatas paulò antè citatis; vbi ait, *Ordinata per Angelos in manu mediatoris:* vbi nomine mediatoris Chryſoſtomus & aliqui alij Patres intelligunt Chriſtum Dominum. Reſpondeo tamen cum P. Suario c. 2. n. 10. non eſſe rationem vllam, cur ſpecialiter Verbo lex tribuatur magis quàm alijs perſonis. Ad locum Pauli reſpondetur cum alijs Patribus, ibi ipſum Moyſem, dici mediatorem; quatenus per ipſum lex data eſt: ita enim ipſe de ſe Deuteronomij 5. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis verba eius.* Cur autẽ Paulus addat, *Mediator autem vnius non eſt; Deus autem vnus eſt*, vide apud Commentatores eius Epiſtolæ: id enim eſt à noſtro intento alienum.

8.

Lex non eſt ſpecialiter Verbo quàm alijs perſonis tribuenda.

Denique dicendum, Moyſem ſolùm fuiſſe huius legis promulgatorem; quia, vt ex Scripturâ conſtat, & ipſe Moyſes teſtatus eſt, Omnia quæ ei Deus locutus fuerat dixit; non verò ex ſuo cerebro quidquã appoſuit. Vbi aduerte, aliud eſſe, hominem condere legem aliquam ex auctoritate ſibi commiſsâ à Deo, vel ab alio; ita tamen, vt, qui commiſit, non determinauerit quæ eſſet futura lex, ſed id reliquerit arbitrio ſui delegati: aliud verò, delegantẽ immediatè per ſe determinare legem, & ſolùm dicere alteri, vt eã promulget: ſic alia eſt lex à Pontifice facta, licet ex commiſſione diuinâ; alia verò lex ab ipſo Deo data, & quæ ideò dicitur diuina; promulgata tamen eſt à Pontifice. Eſt igitur ea differentia, quòd diuina non poteſt reuocari à Pontifice promulgante; at altera, quam ipſe auctoritate ſibi datâ tulit, poteſt ab ipſo reuocari, vel in aliam mutari. Hoc ſuppoſito dicimus, Moyſem non condidiſſe auctoritate ſibi commiſsâ illam legem, neque quoad cæremonias, neque quoad Decalogum, ſed in omnibus ſe geſſiſſe vt purum interlocutorem: ita enim ipſe de ſe dicit eo 5. cap. Deuteronomij, *Vt annuntiarem vobis verba eius:* & cap. 1. Scriptura dixerat, *Locutus eſt Moyſes ad filios Iſraël omnia quæ præceperat illi Dominus vt diceret eis.*

8. *Moyſes huius legis promulgator.*

9. *Lex duobus modis condi poteſt.*

Moyſes fuit purus interlocutor tam in lege cæremoniali quàm Decalogo.

Obijcies: Lex repudij non eſt à Deo, ſed à Moyſe data: Matthæi enim 19. Chriſtus dixit: *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimitte*

Digitized by Google

dimittere vxores vestras. Respondetur, eò quòd Moyses dicatur permisisse, nihil inferri de lege ab ipso verè latâ; quia enim eam ipse promulgauit, ideò id permisisse dicitur: sicut de illo præcepto, *Honora patrem tuum*, quod tamen apud omnes constat fuisse à Deo datum, dicit Christus Marci 7. *Moyses dixit: Honora patrem tuum*; ideò notauit Chrysostomus homiliâ 63. in Matthæū; Christum defendisse eam legem, quia ab ipso vt Deo manauerat.

Obiectio. *Solutio Moyses legē reuocauit non talit, sed permisit, id est promulgauit.*

SECTIO III.

An ea lex fuerit iusta & sancta.

10. DE hac difficultate fusè Pater Salas suprà sect. 1. & Suarez à capite 3. extenditur autem tam ad finem per illam intentum quàm ad materiam imperatam. Ratio autem dubitandi desumitur ex aliquibus Scripturæ testimonijs quæ significant eam legem datam esse *vt abundaret delictum*; ita ad Romanos 5. *Propter transgressiones posita est*, ad Galat. 3. item eam occidere, vt 2. ad Corint. 3. & continuisse præcepta & iudicia non bona, vt Ezech. 20. non vacasse culpâ, vt ad Hebræos 8. quapropter auctor Operis imperfecti in Matthæum homiliâ 28. sic ait: *Vides, quia iniusta est lex, & onerosa.* & inferiùs: *Ergo lex immitis est, quia, quidquid mandauit, in irâ suâ mandauit.* Denique lex de vsurâ Deuteronomij 28. videtur esse iniusta.

SVBSECTIO I.

Ea lex fuit sancta.

11. CONclusio tamen certa & Catholica est, legem illam sanctam & sanctissimam fuisse: id significat passim Scriptura, Psalmo 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis*, &c. quæ per totum ferè eum Psalmum variè pōderantur. & Psalmo 118. *Beati immaculati in viâ: qui ambulant in lege Domini. Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.* & Psalmo 1. maxima beatitudo viri est, quòd in lege Domini sit voluntas eius. ad Romanos 7. *Lex quidem sancta, & mandatum sanctum*, &c. Superuacaneum est plura in re certâ congerere. Ratio à priori desumitur ex infinitâ Dei bonitate, à quâ illa lex emanauit, & ex ipso conceptu legis vt sic; ad quam, vt suprà diximus, necessariò requiritur, vt sit de materiâ honestâ, & ad honestum finem ordinatâ. Confirmatur: Illa lex ordinabatur ad legem gratiæ, cuius typus & figura erat, iuxta illud ad Romanos 10. *Finis legis Christus ad iustitiam omni credenti.* & ad Galatas 3. *Sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat.* Ergo ea lex ordinabatur ad sanctissimum finem: ergo ex hoc capite sancta erat. Quoad materiam verò præceptam, si consideremus præcepta Decalogi, quæ sunt de iure naturæ, dubitari non potest ea esse sancta: nam licet per se natura ipsa ea præcepta tradat, ideoque videri posset alicui ea lex quoad illam partem non necessaria; nihilominùs, vt sæpè insinuauimus, éstque doctrina communis cum D. Thomâ q. 100. necessum fuit, vt Deus eam legem magis declararet; quia per discursum humanum difficulter & non semper omnes illæ veritates deprehensæ fuissent. Quoad aliam verò materiam ideò sub obligatione, quia prohibita aut imperata à Deo, etiam facilè constat, nihil fuisse in eâ malitiæ moralis, continuisse verò è contrario magnam vtilitatem, ratione cuius imperari potuit. Triplicis enim generis præcepta in illâ continebantur: quædam cæremonialia in ordine ad Deum; quomodo scilicet Deum colere, placare, &c. deberent: & in hac materiâ non est necessum, vt præsupponatur vlla honestas moralis ex parte vllius materię secundùm se sumptæ: etenim occidere vaccam non habet ex se, si nudè consideretur, honestatem moralem; at si id fiat animo Deo sacrificandi, seu agnoscendi Dominum illius, etiamsi factum fuisset sine obligatione, fuisset actio honesta moralis: hanc ergo honestatem præsupposuit præceptum; & suprà eam materiam cadens illam reddidit sub obligationem. Vnde nihil hîc continetur contra doctrinam suprà vniuersaliter traditam, materiam scilicet legis debere ante præceptum supponi, ordinariè loquendo, cum honestate; nec sufficere eam honestatem, quæ illi, eò quòd sit mandata, prouenire potest: honestatem dico, quæ materiæ illi ex fine, ad quem ordinatur, prouenit, vt paulò antè explicui.

Lex Mosaica sanctissima.

Ratio à priori cōclusionis.

Confirmatur.

Qualis fuerit quoad materiam præceptam.

12. *Triplicis generis præcepta continebat. Cæremonialia.*

Dices: Ea ordinatio prouenit illi materiæ ex ipso præcepto; mandatum enim est, vt fieret propter talem finem; ergo ante præceptum nullam habuit honestatem neque ex se, neque ex fine. Respondeo, illam materiam ex se independenter etiam à præcepto potuisse ordinari ad illum finē; vnde illa vt concepta sic ordinabilis, in quo conceptu nihil de præcepto deprehenditur, honesta est in esse possibili, sicut in esse possibili concipitur ordinabilis; ergo iam concipitur ibi honestas, quæ imperetur vt fiat actualis: lex enim non debet supponere honestatem iam existentem in obiecto imperato; id enim esset supponere factum id, quod mandat vt fiat; hoc autem repugnat in terminis: quando ergo dicimus debere in obiecto legis aliquam honestatem reperiri, solùm loquimur de honestate possibili, quæque non desumatur reflexè ex conformitate cum lege ipsâ, sed ex alio fine, quem tamen possit ex se respicere, licet lex obliget, vt propter illum fiat. Id quod in sacrificijs & cultu Dei maximè videtur locum habere; nam ex naturâ rei vix aut ne vix vlla est actio exterior, quæ ex se determinata sit ad rationem sacrificij aut cultus Dei; debet ergo id habere ex ordinatione operantis: eligere autem hanc potiùs quàm illam etsi liberum sit homini ipsi colenti Deum, magis tamen spectare videtur ad ipsum Deum colendum; vt pro libitu suo eligat cultum, qui plus sibi placet: deinde, ne sit in re maximè necessariâ, & vnionem populi in vnam religionem significanti, vlla varietas, debuit publicâ auctoritate id fieri, vt etiam aliæ Respublicæ faciunt. Voluit autem Deus hoc officium per se immediatè subire, & Sacramenta ac sacrificia & eorum cæremonias determinare: ergo hoc modo re declaratâ, nullum dubium, quin ex parte materiæ huius legis, quatenus ad Deum ordinabatur, magna fuerit honestas, etiāsi demus tam congruenter diuersa alia sacrificia seu alias materias eligi potuisse, imò esto, etiamsi congruentiùs potuissent eligi; certum enim est ad actum honestum & honestissimum non requiri, vt in eo sit summa honestas quæ potest excogitari.

Obiectio. An materia cæremonialis habuerit ante præceptum honestatē vel ex se, vel ex fine. *Solutio.*

13. *Quo sensu in obiecto legis honestas reperiri debeat.*

Dei est potiùs quàm hominis cultum eligere.

14. *Potuit alia cæremonialia & sacrificiorum materia à Deo eligi.*

Alia præcepta erant in eâ lege iudicialia, quæ consti

Digitized by Google

Iudicialia facta erãt.

constituebant modum, quo tam subditi cum Superioribus, quàm è contrario Superiores cum subditis, item, quomodo omnes inter se, vt partes communitatis, se gerere deberent: in quibus etiam præceptis nihil erat non honestum, quia omnia illa ad maiorem pacem, vitandasque rixas, dissensiones, &c. ordinabantur, vt in omni Republicâ ordinari solent similes leges; ex quo capite sunt vtiles, honestæ ac perneccssariæ Præcepta tertij generis ordinabãtur ad modum, quo familia quælibet in se, vt sic dicam (quasi vnica foret) deberet se gerere, in quibus etiam omnia quæ præscribebantur sancta & iusta erant. Quarti generis possunt addi de modo se gerendi cum alienigenis tam hostibus quàm amicis aut hospitibus: quę determinatio maximè necessaria erat pro bonâ administratione Reipublicæ. Constet ergo, totam eam legem ex omni parte materiæ fuisse sanctam.

Vt familiarum.

15. *Legis huius fini vltimus erat beatitudo supernaturalis: immediatus finis illius tria continebat.*

Hinc constat, finem intentum à Deo per totã eam legem fuisse, vltimum quidem beatitudinem supernaturalem, ad quam omnes homines de facto à Deo eleuati sunt; immediatum autem & proximum tum bona ipsa opera, per quæ ad eum finem appropinquabant: in quo fine includitur, vt pars magna illius, ipsa politica vita eius populi quietè, pacificè & prudenter transacta: pacem enim Reipublicæ maximè causant boni mores ciuium; vel vt melius ferè dicam, in eis moribus consistit. Altera verò pars sunt bona opera erga Deum, quæ ad cultum illius spectant. Tertia pars, quæ hominẽ ipsum quasi independenter ab aliis respicit: homo enim se, proximum & Deum respicit; ideò si erga hæc tria benè dirigatur, habet quid quid ad honestatem & sanitatẽ ipsius requiri potest: vnde, quod aliqui obiiciunt, finem scil. illius legis fuisse temporalem, in vno sensu verũ est, non tamen contra præsentem diuisionem, in alio falsum: si enim de fine adæquatè intento intelligatur, falsum est; verum tamen, si de fine partiali, & in quo, vt in medio, continetur finis ipse supernaturalis, vt explicatum est.

16. *Singularia legum indiuidualium finem particularem assignare esse & prolixum & inutile.*

Fortè in particulari quæres, quisnam fuerit cuiuslibet legis antiquæ finis: nam licet ostenderimus, omnes ordinatas ad integrandam vnam honestatem seu quietam Rempublicã, non diximus, quem in particulari specialem finem habeat quælibet lex. Huius difficultatis solutio esset nimis prolixa, & nullius momenti, neque ad nos spectans: prolixa, quia eùm ferè ad octingenta præcepta seu leges à multis numerentur, longissimũ necessariò foret in omnibus immediatum finem ostendere; nullius item momenti; quia finis ille, quem possemus ibi requirere, non est distinctus sæpè à particulari honestate materiæ per eam legem præceptæ: quæ autem sit ea honestas, lex ipsa per se declarat ordinariè; neque item id esset è nostro instituto; quia in præsenti Tractatu non accipimus explicandas omnes leges indiuiduales, sed solùm ea quæ genericè vel specificè sunt eis communia, esto aliquando ratione obiectionis alicuius vnam aut alteram indiuidualem legem explicemus. Et similis quæstio moueri etiam posset de omnibus legibus Canonicis & ciuilibus. D. Thomas id præstitit de legibus Iudaicis q.102. & seqq. fusè valdè.

Qu honestas & vtilitas in ea considerari possit.

Illud obserue, in earum legum materiâ potuisse considerari honestatem particularem seu vtilitatem illius, vt v. g. in eo, quòd colatur Deus, quòd parentes honorentur, &c. hæc autẽ non est distincta ab ipsâ materiâ hoc vel illo modo sanctâ; posse etiam considerari, quòd fuerit imperata ad figurandam vel legem gratiæ, eiusque auctorẽ Christum Dominum, quia (vt dixi suprà) omnia in figurâ illis contingebant; vel aliquid spirituale interius, quod in ipsis Iudæis fiebat; vel aliquid ad gloriam æternam spectans. Vnde significationem mysticam triplicem esse dicunt interpretes Scripturæ & Scholastici: spiritualem, quando actio materialis significat aliquid, quod spiritualiter in homine contingit, vt circumcisio exterior potest denotare interiorem à vitiis circumcisionem; & in Baptismo ablutio exterior denotat interiorem à culpâ: allegoricam, quando per similitudinem aliquam repræsentatur aliquid ad legẽ gratiæ spectans: vt agnus paschalis præfigurabat Christum futurũ in Eucharistiâ: anagogicã, quãdo res significata est æterna gloria: vt ingressus in terram promissionis significat ingressum in beatitudinem.

17.

Significatio mystica triplex est, spiritualis, allegorica & anagogica.

Hac doctrinâ suppositâ, docetur communiter, præcepta naturalia quà talia non habuisse allegoricam Christi significationem: etenim ea vt talia sunt independentia à Christo venturo; ergo secundùm se non sunt figura illius: in cæremonialibus ergo & iudicialibus, quæ erant ex institutione diuinâ, maximè debere eam significationẽ mysticam quæri, quia Deus instituens eam legem, videtur etiã eam significationem intendisse: sic (vt dixi) esus agni denotauit Eucharistiam; sic hircus pro peccato denotauit mortem Christi.

Præcepta naturalia non habebant figurã Christi.

18. *Iudicialia minùs erant per se figura Christi quàm cæremonialia; & cur.*

Addit autem D. Thom. q. 104. art. 2. cæremonialia præcepta magis per se fuisse figurã Christi quàm iudicialia: quomodo autem id verum sit, disputat P. Suarez eo cap. 3. n. 12. Res meo iudicio est facilis, quia scil. in cæremoniis & sacrificiis magis est de arbitrio instituentis; nam vt (obseruani suprà) non magis hæc res quàm illa exterior est ex se cultus Dei: ibi ergo Deus faciliùs, vt sic ita, potuit eas cæremonias instituere, quæ plus haberent de allegoricâ similitudine cum Christo, quàm sit in præceptis iudicialibus; quia in illis magis attenditur ad id quòd est rationi ipsi naturali valdè conforme, & ex se vtilius ad lites componendas, ad regendam Rempublicam, &c. quæ quia ex se videntur planè independentia à Christo venturo, ideò difficiliùs potuerunt inueniri ibi quæ essent figura illius, & eã ob causam eligerentur, in quam etiam explicationẽ aliquo modo consentire videtur P. Suarez suprà, licet eam non omino distinctè tradiderit.

Svbsectio II.

Obiectiones in contrarium soluuntur.

IAm ad testimonia & rationes in contrarium. Ad Paulum respondeo, legem ideò dici datã, *vt abundaret delictum*; non quia peccatum fuisset vllo modo finis à Deo intentus: quî enim fieri posset, vt Deus, qui summè detestatur peccatum, & in ipsâ lege omnibus modis hominem à peccato reuocare conabatur minis & promissionibus, legem tamen dederit eo fine, vt peccatum existeret, seu peccato intendendo? ideò ergo solet ea dici lex peccati occidere, &c. quia per accidẽs quodammodò fuit causa peccati; tum quia præuidebantur à Deo Iudæi eam legem malè obseruaturi; tum quia, cùm multa præcepta imposuerit, & vires speciales ad ea obseruanda non addiderit, dici meritò potest indirectè causasse peccata: nec tamen propterea dicenda est mala: nam lex vt talis non tenetur dare vires ad sui obseruationem, sed ordinare quæ recta sunt.

19. *Explicatur primus D. Pauli locus vbi lex data dicitur vt abundaret delictum.*

Digitized by Google

Secundus, quomodo lex propter transgressiones posita.

Locus ille, *Propter transgressiones posita*, præter explicationem datam, quæ ei applicari potest, duas alias habet faciliores. Prima est, vt posita sit propter priores trãsgressiones, quia homines liberiùs antè peccauerant, prætendendo aliquam ignorantiam vel præceptorum naturaliũ, vel certè pœnæ peccati & præmij virtutis; ideò

20.

ad eas transgressiones cõpescendas meritò Deus legem dedit. Altera est, vt *Propter transgressiones* sit idem, ac ad vitandas transgressiones. Locus item ille, *Littera occidit*, aliam habet ab intento præsenti expositionem; hoc est, quod attendere præcisè ad sensum litteralem Scripturæ & verba, vt videntur sonare, causat sæpè graue damnum, si spiritualis sensus non attendatur.

Qui littera occidat.

Locus Ezechielis variè à Patribus explicatur.

Locus Ezechielis de præceptis non bonis variè explicatur à Patribus; quidam enim dicunt, ea præcepta vocari non bona respectiuè ad legem gratiæ; ac si diceret, non esse tam perfecta quàm nostra. Ita Ambrosius lib. 5. Epistolâ 42. & in Psalm. 118. ad illũ versum, *Oculi mei defecerunt.* Alij dicunt esse non bona, quia non faciebat bona, seu non dabat vires vt homo fieret bonus. Ita Augustin. Epistolâ 19. Alij meliùs obseruãt, ea præcepta, quæ Ezechiel dicit nõ bona, non esse præcepta legis, cùm potiùs hæc eodem capite paulò antè valdè laudata sint, sed intelligi ea mala, quæ Deus permisit in populo ob præuaricationẽ legis: dicitur enim ibi, *Irritauerunt me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea proiecerunt, quæ faciens homo viuet in eis*, post quæ subiungitur, *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona*, &c. Fauet huic expositioni Chrysostomus homiliâ 17. in Acta; Hieronymus verò eã primo loco posuit; & P. Suarez eã absolutè sequitur. Porrò Deum in pœnam peccati posse non quidem positiuè velle aut cooperari directè peccato, sed tamen illud permittere, satis constat ex dictis primo Tomo; vbi de obduratione & excæcatione disputatum est, & explicatum, quomodo ea à Deo sit. Quòd si velis scire, quæ sint ea iudicia, de quibus ibi Propheta,

21.

Psal. 105.

dico, quod *commisti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum & seruierunt sculptilibus eorum: & factum est illis in scandalum.*

Qui dicatur lex vetus non vacasse culpâ.

Quòd item dicatur ea lex non vacasse culpâ, facilè explicatur; vel quia non fuit vndiq; perfecta, ideóque habuit imperfectiones aliquas, quæ possunt aliquando dici culpæ; vel quia non dabat vires vt culpæ vitarentur: vel denique, quòd Iudæi illam non custodierunt. Hanc tamen tertiam expositionem, licet aliqui putent esse valdè bonam, ego nullo modo probare possum: cùm enim Paulus dicat ibi, si prius illud Testamentũ culpâ vacasset, non vtique secundo locus inquireretur, denotat apertè causam, cur secundum Testamentum fuerit institutum, eam esse, quòd prius non caruerit culpâ. Atqui, esto Iudæi perfectè obseruassent suam legem, non propterea non venisset Christus, & pro genere humano non mortuus fuisset, vt per se cõstat; cùm priùs sit decretus Christus venturus, quàm præuia esset inobedientia Iudæorum: ergo esto illi obseruassent suam legẽ, Christus venisset: ergo culpa, quæ intulit nouum Testamentum seu aduentum Christi, non est transgressio antiquæ legis, sed aliquid aliud in ipsâ lege existens: quod, vt in primâ expositione diximus, est defectus illius & imperfectio, quæ per legẽ Christi nobiliorem ablata est. Cõfirmo manifestè; nam quod ad obseruatores attinet, fortè etiã lex gratiæ eo sensu deberet dici nõ vacare culpâ; attendẽdo enim ad malos Christianos Catholicos, ac ad multitudinem hæreticorum, qui omnem legem Christianã non seruant, quis scit, num plures nõ sunt nunc transgressiones quàm tunc, licet simul plures sint obseruatores: quia absolutè longè plures sunt Christiani quàm tunc Iudæi, & tamen non propterea lex Christiana habebit aliam post se; ergo ea explicatio de obseruatoribus non est bona.

Causa Cur secundũ Testamẽtũ institutum sit.

22.

Plures nunc sunt transgressiones legu quàm olim. nec ideò lex nostra dicẽda est non vacare culpâ.

Auctor Operis imperfecti nil euincit.

Quod dicit auctor ille Operis imperfecti non vrget, quia auctor anonymus non facit fidem. Lex libelli repudij dupliciter potest intelligi, sicut lex de vsuris: vel permissiuè, quòd non punirentur ea peccata, sicut diximus suprà de permissione meretricum: in hoc autem sensu iam ostendimus suprà, quomodo possint ob vitãda grauiora damna permitti in hoc mundo impunita aliqua alia minora. Secundò ergo modo potest ea lex intelligi, vt daret veram licentiam repudiandi, aut vsuras petendi: & verò etiam obligaret ad id: in hoc etiam sensu negamus eam fuisse iniustam. in vsuris res est clara. Cùm enim Deus sit verus Dominus omnium bonorum temporaliũ, sicut dedit eis ius, vt spoliarent licitè Ægyptũ, & deinde in terrâ promissionis occidetẽt eius habitatores; ita à fortiori potuit dare iustum titulum, vt acciperent eas vsuras. Quoad libellum repudij eodem etiam modo dico, Deum, vt habentem supremum dominium in homines, posse dissoluere matrimonium: potuit ergo illis dare eam licentiam in certis casibus, & tunc etiã cogere ad vtendum eâ; eo autem ipso, quòd matrimonium esset dissolutum, iam illi habebant ius accipiendi nouam vxorẽ; præterquam, quòd nouam vxorem accipere etiam tunc fuit permissum sæpissimè; vt in Iacobo, Dauide & Salomone independenter à repudio prioris.

23.

Lex repudij quomodo sit bona & iusta; sitè lex ad vsuras obligans.

Odiũ inimicẽ non præcipitur in Scripturâ. sed est additamentũ Rabbinorum. Leuit. 19.

Denique, quod de odio inimicorũ dicitur non vrget; quia non habetur talis lex in Scripturâ, sed præcisè, *Diliges amicum tuum sicut teipsum*: ei autem addiderũt aliqui Iudæi antiquiores, ad quos alluſit Christus, *Et odio habebis inimicum tuum.* Respondeti fortasse Secundò potest, inimicum ibi necessariò debere intelligi hominem, qui iniustè peccando Israëlitam offendit; in hoc autem sensu licitè posse à Deo homini imponi præceptum de odio inimici quà peccatoris & mali. Vt enim Deus iustissimè odio habet impium & impietatem ipsius, & nos habere possumus odio licitè dæmones & damnatos; non est etiam, cur nõ potuerit Deus diuinitus dare nobis licentiam ad odium tale erga peccatores, non quà in naturâ formaliter nobis similes, & quà Dei sunt imago, sed quà malos, quà inimicos Dei: potuit item dare ius ad infligendum eis malum aliquod in pœnam eius peccati: quæ inflictio vocatur sæpè odium: & fortasse in eo maximè sensu loquebatur Christus; ac si dixisset, *Licet antiqui potuerint licitè suas iniurias vindicare, & repetere dentem pro dente, manum pro manu; ego tamen dico vobis, Diligite eos, benefacite his qui oderunt vos:* ergo, esto concedamus fuisse ea verba sic in lege posita, adhuc nihil inde infertur de eius legis malitia.

24.

Qui potuerit præcipi odiũ inimici.

SECTIO IV.

An lex antiqua præceperit actus etiam internos.

SVpponimus Deum habere ius & dominium, vt possit imperare actus internos: difficultas

Digitized by Google

cultas est, vtrùm de facto fuerit eâ potestate vsus in lege veteri; & in quibus præceptis. Respondeo breuiter, sine dubio sub præcepto amandi Deum ex toto corde tuo, &c. inclusisse actus internos; quid enim significat ex corde nisi tales actus? quo autem tempore obligauerit illud præceptū aliò spectat. Videtur etiam Deus præscripsisse illis decimam diem mensis septimi Leuit. 16. vt pœnitentiam agerent, & quidem internam: *Mense septimo, decimâ die mensis, affligetis animas vestras:* & addidit, *In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: coram Deo mundabimini.* Vbi pōderanda sunt duo verba, *ab omnibus peccatis vestris* & *coram Deo*: etenim cùm multa sint peccata purè interna, vt quæ in concupiscentiâ manent, mundatio ab illis non poterat esse per solam legalem cæremoniam, sed debebat esse per interiorem dolorem: id ipsum declarant alia verba *coram Deo*; non enim coram Deo, qui corda intuetur, mundatur quis, nisi per veram & interiorem pœnitentiam: ergo imperauit lex illa actus internos. Denique duo vltima præcepta Decalogi directè in actus internos feruntur, *Non concupisces*, &c. In iudicialibus autē & cæremonialibus, excepto eo de expiatione vix possumus dicere fuisse vllum, aliud quod directè imperaret actum internum. Dico *directè*; nam indirectè, quatenus prohibendò aut imperando actionem externam, prohibebat aut imperabat volitionem efficacem illius, nulla potest esse difficultas: hoc enim modo etiam leges humanæ possunt imperare actus purè internos.

Deus habet ius imperandi actus internos.

De facto eo iure vsus est.

Duo vltima Decalogi præcepta directè actus internos imperant. E iudicialibus & cæremonialibus vnicè de expiatione directè imperabat actū internum.

Obiicies contra hoc vltimum: Sæpè in Scripturâ dicitur, Beatus ille, qui custodit legem, itē, *Lex Domini immaculata conuertens animas:* si autem lex non præcepisset directè omnes actus internos, non posset habere talem effectum, ergo. Respondeo negando minorem: ad hoc enim, vt lex efficiat hominem iustum & rectum, sufficit, si indirectè præcipiat actus internos: nam lex, quæ dicit, *Non comedes carnes die Veneris* v.g. prohibet indirectè omnes actus, qui ex eo obiecto sic præcepto desumunt malitiam; cùm enim aliunde non sit materia illa mala nisi prohibitione, non potest intelligi vllus actus malus circa eam materiam, nisi qui prohibitus sit, saltem indirectè, dū materia est prohibita: ergo ex hoc capite lex illa omnia omnino prohibuit peccata; & ex hac parte causare potuit beatitudinem, quæ in declinando à malo consistit. Deinde alteram partem faciendi bonum satis imperauit, dum præcepta moralia tradidit, & dum complexa est omnem actum externum necessarium ad honestatē morum tam naturalem quàm cæremonialem: nā licet non obligauerit ad ponenda ea obiecta ex motiuo honesto, tamen per se omnes leges videntur intendere, dum aliquid præcipiunt, vt id impleatur eo fine, quem Legislator intendit, esto ad eam intentionem non obligent: hoc item sufficit, vt meritò dicatur sanctus & sanctissimus, qui de eâ lege exactè adimplendâ cogitat.

Obiectio. Psalm 18. 26.

Solutio. Lex efficit iustū, etsi indirectè solùm actus internos imperet.

27.

Omnes leges intendunt sui impletionē eo fine quo Legislator.

Obiicies Secundò è contrario, ad probandum eam legem non præcepisse vllos actus internos: nam Paulus ad Romanos 3. legem eam vocat *factorum*; facta autem significare videntur actiones externas. Respondeo P. Suarez, eam legem à potiori parte vocari legem factorum. Ego tamen responsionem hanc difficilem iudico, quia Paulus in eodem loco duas leges distinxit; vnam factorum, alteram fidei: ait enim, *Vbi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non sed per legem fidei. Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* Certum autem est, etiam in lege veteri fuisse præceptum fidei, ideóque fuisse legem de illâ; ergo legem antiquam, quam vocat factorum, & condistinguit à lege fidei, non ita vocat propter opera externa. Et ita sentit Augustinus de Spiritu & litterâ cap. 13. & sequitur Iustinianus noster ad hunc locum; & vt certum supponit Cardinalis Bellarminus Tom. 3. lib. 1. de iustificatione cap. 19. qui sentiunt, ideò vocari legem factorum; quia licet præceperit fidem & opera, non tamen dedit auxilium ad benè operandum. Lex verò gratiæ dicitur lex fidei, licet præcipiat opera & non solam fidem; quia dat simul vires ad ea omnia explenda quæ imperat: neque obsunt sequentia verba, *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis:* quibus videtur excludere omnia quę per legem veterem præcipiebantur; & consequenter ostendit non fuisse præceptum vllum de fide: hoc, inquam, non obest; nam benè, vt suprà cap. 20. Cardinalis Bellarminus ostendit, esto dicat ibi Paulus *sine operibus legis*, non solùm attendisse ad legem Mosaicam, sed ad omnem legem, voluisséque docere, hominem iustificari in vllâ lege, etiam gratiæ, per opera facta ante fidem; sed de hoc alibi fusiùs: sufficiat ostendisse, ex eo loco nihil inferri pro præsenti quæstione.

Vnde lex vetus vocetur lex factorū. 28.

Vnde lex gratiæ lex fidei dicatur.

Tertiò obiicies illum locum Christi Domini, *Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum*, Matt. 5. colligitur enim ex illo, vt insinuat D. Thomas, legem veterem non prohibuisse interiorem animum, sed solùm opus externū: id quod sentit auctor Operis imperfecti in Matthæum homiliâ 28. docens legem mandasse abstinentiam malorum, non verò opera virtutis: qualia sunt; *Non irascaris, non concupiscas*, Respondeo Primò, eis verbis Christum solùm exigere ab Apostolis maiorem obseruationem legis quàm habuerint Pharisæi, qui dicunt, & non faciunt. Diuus Thomas difficulter ibi loquitur, P. Suarez eum explicat de lege veteri vt positiua erat, non vt continebat præcepta moralia, & quæ sunt de iure naturæ: quo sensu solùm illam cōparauit cum lege gratiæ. Hæc explicatio dura est: etenim etiam lex gratiæ, vt positiua est, non præcipit specialiter eum affectum internum; ergo in hoc puncto non debuit vetus postponi nouæ. Secundò illum explicat, vt solùm voluerit dicere, meliori modo animū dirigi à lege gratiæ quàm ab antiquâ. Hæc itē explicatio non satisfacit, quia verba D. Thom, expressè sonant, per legē antiquam nō fuisse animum frænatum, sed cohibitam manū. Ego sic explico D. Thom. non quasi in eo præcepto negauerit, animū lædendi fuisse prohibitum à lege veteri: cùm enim animus fuisset peccatum, necessum est, vt ille primo loco prohibitus fuerit: docet ergo ibi D. Thom. legem antiquam cohibuisse manū, & consequenter cohibuisse volitionē inferendi vim: non enim potest manus cohiberi, nisi cohibeatur volitio efficax, vt per se notū est: cohibuit ergo lex animum malum non odio habendi; non tamen imperauit affectum positiuum amoris inimicorum: nam præcepto naturali satisfacit quis non odio habendo: non enim tenetur ad positiuum amorem: at consilio Christi Domini eo loco dato non satisfacit, qui non etiam amat.

Obiectio. Tertia. 29.

Solutio.

P. Suarez D. Thom minùs benè explicat.

Melius auctor metē D. Thoma attigit.

30.

Auctor Operis imperfecti erroru conuincitur.

Ad auctorem Operis imperfecti dico, manifestè illum errare: etenim nonum & primum præceptum expressè prohibuit concupiscentiam.

Digitized by Google

Deinde cùm auctor ille admittat, prohiberi à lege omne malum, & illæ volitiones interiores malæ sint, nescio planè quâ consequentiâ doceat, illam legem non prohibuisse concupiscentiam malorum.

Obiectio. Quarta.

Quartò dices, Ergo ea lex præcepit fidem, spē & charitatem, & consequenter iustificauit. quod falsum est. Adde, neq; sub præceptis moralibus, neque sub cæremonialibus, neque sub positiuis includi fidem, spem & charitatem. Respondeo, statim in ipso primo præcepto includi amorē Dei ex totis viribus, &c. & licet hîc fortè posset inueniri naturalis non sufficiens ad iustificationem; in homine tamen eleuato ad finem supernaturalem (vt erant Iudæi) non potuit de facto esse talis amor naturalis, nisi simul esset supernaturalis, vt alibi fusiùs ostendam: debuit etiam esse fides, quæ ibi maximè requiritur, dum ab eo populo petitur, ne habeat Deos alienos: sed solùm erga vnum Deum: vbi sine dubio præceptum est de fide in Deum. Ad spem autem manifestè illos inuitabat, promittendo illis felicitatē & temporalem & æternam, si seruarent Dei præcepta: ergo ad eos etiam actus Deus obligauit. Neque inde sequitur illam legem iustificasse; ad hoc enim non sufficiebat mandare eos actus, sed vlteriùs requirebatur, vt daret vires: id quod nullo modo præstitit. Falsò etiam dicitur, talia præcepta nec sub moralibus, nec sub cæremonialibus contenta esse, tum quia, suppositâ eleuatione hominis ad gratiam, & viribus ad eum amandū supernaturaliter, dum tenetur quis efficere amorem naturalem, tenetur etiam facere supernaturalem: id quod in meâ sententiâ maximè locum habet; non enim distinguo actus supernaturales à naturalibus ratione obiecti aut motiui, sed ex modo tangēdi illud idem obiectum. Secundò absolutè respondeo, Esto concedamus eam legem non præcepisse eos tres actus Theologicos, non continuò inferri, non præcepisse vllos internos; quia si in his tribus est specialis difficultas, ob quam id negetur, non propterea debet in aliis negari, vbi nulla est.

31. *Solutio. Lex vetus ad fidē, spem & charitatem obligabat.*

Cur lex vetus non iustificari.

SECTIO V.

De distinctione inter se præceptorum veteris legis: & an omnia fuerint sub peccato.

32. *Qui distinguātur præcepta moralia inter se & à cæremonialibus.*

CIrca primum quærimus, quomodo ea præcepta moralia distinguenda sint à cæremonialibus, & inter se. Ratio dubitandi est; nam inter præcepta Decalogi, quæ sunt moralia, ponitur præceptum de obseruatione Sabbati, quod cæremoniale est; item illud alterum de non faciendo sculptili; hoc enim non est naturale: & hinc etiam oritur difficultas circa numerum eorum moralium: nam hoc non faciendi sculptile iam est diuersum à primo; & consequenter erunt quatuor erga Deum. In hac difficultate magna est dissensio inter auctores; meo tamen iudicio, non de re, sed de modo loquendi: quidam enim ponunt quatuor erga Deum, & sex erga proximum diuidendo in duo vnū, quod videtur habere eas duas partes enumeratas; è contrario confundentes in vnum quæ videntur esse duo vltima erga proximum. Alij ipsum primum præceptum distinguunt in duo, diuerso tamen modo; nam τὸ *Ego sum Dominus Deus tuus* putant esse præceptum vnum; posteà aliud, *Non habebis deos alienos*; &, *Non facies tibi sculptile*, esse aliud: alij verò primum distinguunt in tria, *Ego sum Dominus Deus tuus*: &, *Non habebis Deos alienos*: &, *Non facies tibi sculptile*. Alij deniq; excludunt à Decalogo præceptum de obseruatione Sabbati, quia positiuum est.

Quomodo distinguant aliqui præcepta Decalogi inter se.

Exod. 20.

Dixi, re ipsâ omnes hos conuenire, & solùm differre in voce, an duæ partes vnius præcepti sint dicendæ duo præcepta, an vnum, ideò parum interest, re intellectâ, siue hoc, siue illo modo loquamur: nihilominùs loquendum est cum communi sententiâ, quam Augustinus tradidit lib. 3. de Decem chordis cap. 8. & alibi: etiam D. Thomas sequitur in præsenti & 2. 2, q. 122. & cæteri Scholastici, præcepta scilicet moralia erga Deum esse tria, erga homines septem. Prima pars facilè suadetur, quia τὸ *Ego sum Dominus Deus tuus* non est præceptum, sed declaratio diuinitatis, per quam formaliter nihil imperatur. Alterum verò, *Non facies tibi sculptile*, si de idolo, quod vt Deum colant, intelligatur, iam includitur in priori parte, *Non habebis Deos alienos*: si verò aliæ etiam imagines prohibitæ sunt, fuit præceptum cæremoniale, non morale; ideóque cessauit cū lege antiquâ.

33. *In voce solùm hic est dissensio.*

Præcepta moralia erga Deū sūt tria erga homines septem.

Vnicum ergo ibi est præceptum; secundum verò est, *Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum*; tertium verò de Sabbato. Aduertendum tamen circa hoc Primò, licet colere Deum sit de iure naturæ; & ex hoc capite illud præceptum fuerit naturale & morale; quâ parte tamen designat specialiter diem Sabbati fuisse cęremoniale: vnde in Decalogo ex parte primi & tertij præcepti fuit inclusū aliquod cæremoniale, Circa alia septē, quæ erga proximum versantur, res est clara; hoc autem obseruo, in rigore loquendo, eodē omnino iure, quo, *Non habere Deos alienos*, &, *Non facere sculptile*, reducitur ad vnum præceptum, debuisse etiam ad vnum reduci, *Non mœchaberis*, &, *Non concupisces vxorem*, &c. item ad vnum, *Non furtum facies*, &, *Non concupisces rem alienam*: quia prohibere fornicationem est idem ac prohibere concupiscentiam fornicationis, iuxta illud Christi Domini, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Quòd si in his duabus materiis multiplicantur præcepta ob actum externum & internum, potuissent etiam in aliis multiplicari; *Non occides*, &, *Non odio habebis*, aut, *Non optabis mortem illius*: vnde rursus suadetur, quod dixi suprà, dissensionem circa modum numerandi hæc præcepta non esse magni momenti, dummodò quæ sint constet; cur autem Deus specialiter eam concupiscentiam in duabus illis materiis prohibuerit, cùm in prioribus præceptis censeatur inclusa; cur item conflatile specialiter, cùm in τὸ *Non habebis Deos alienos* includatur, quâ parte idolum significat, satis est dubium; nam si ob maiorem claritatem id factum credamus, certè in quinto præcepto maior videbatur esse necessitas, nam faciliùs separatur odium internum à voluntate occidendi exteriùs, datâ etiā opportunitate occisionis, quàm separetur cōcupiscentia feminæ ab exteriori actu, data opportunitate illius: & tanta videtur necessitas declarandi non solùm mactare, sed odio prosequi, esse peccatum, quàm quod non solùm fornicatio, sed etiā concupiscentia sit peccatum. Dici tamen potest ideò id factū, quia frequentior longè est occasio concupiscentiæ quàm odiorum; & quia faciliùs subintrat

34. *Quid de alijs septem præceptis.*

Matth. 5.

Cur cōcupiscentia & uxoris & rei alienæ prohibita, & non mortis aut odij specialiter.

35.

Digitized by Google

subintrat consensus in peccatum carnis, meritò specialiter etiam fuisse declaratam. Quoad conflatile verò dico, fuisse id explicatū propter imagines; quæ in illo populo vehementer procliui ad idololatriam maximè fuissent periculosæ, & contrariæ ei primo præcepto.

Cur specialiter conflatile prohibitum.

Secunda quæstio proponitur.

Circa secundam verò partem sectionis quærimus, an omnia, quæ in eâ lege mãdata sunt, fuerint sub præcepto rigoroso. Respondeo, Si in rigore vox *lex* accipiatur difficultatem esse nullã; quia lex vt talis semper obligat, iuxta dicta suprà: vt ergo difficultas locum habere possit, quærimus. vtrùm in talibus tabulis legis, vel inter ea quæ Angelus Moysi dictauit, fuerint aliqua per modum consilij, quæ Deus optauerit ab eis fieri, non tamen obligauerit ad faciendum. Respondeo, rem esse dubiam. Probabile est fuisse aliqua; probabilius verò contrarium. Prior pars persuadetur auctoritate D. Thom. qui q. 99. art. 5. videtur distinxisse manifestè aliqua quæ sunt præcepta, alia verò quæ sunt ordinata ad meliùs exequenda præcepta; non potest autem intelligi, illa quæ sic ordinantur esse præcepta: condistinguuntur enim à D. Thomâ à præceptis, ad quorum obseruationem ordinantur. Neque ideò D. Thomas hanc opinionem retractauit, eò quòd secundam explicationem vocis *mandatum* addiderit eo corpore, vt argumentatur P. Suarez suprà cap. 4. n. 28. quasi mandatum sit præceptum impositum per alios; præceptum verò, quod impositum est immediatè à Deo ipso. Hoc, inquam, non obstat, quia immediatè subiungit D. Thomas; & concludit corpus art. *Ex quibus omnibus apparet, quòd omnia legis præcepta continentur sub moralibus, cæremonialibus & iudicialibus; alia verò non habent rationem præceptorum, sed ordinantur ad præceptorum obseruationem:* quibus vltimis verbis clarè priùs positam distinctionem confirmat; adduxerat autem in confirmatione legem illam Exodi 22. *Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei:* ergo aliqua erant in eâ lege per modum consilij. Id ipsum Suarez putat optimè suaderi ex votis quæ licebant tunc temporis; quæ tamen non erant sub obligatione. Nihilominùs, vt dixi, mihi probabilius videtur oppositum; quia cùm in lege illâ, prout à Deo Moysi traditâ (in quo præcisè sensu loquor) nulla planè fiat distinctio, quæ ostendat aliquam partem non esse sub obligatione, aliquam verò esse; imò, post datam totã legem quoad moralia & cæremonialia, eadem subiungat Moyses verba pro obseruatione totius illius: sanè non video quo fundamento possimus distinguere quoad obligationem aliqua ab aliis; maximè cùm certissimum sit, ad multa, quæ ex naturâ rei non videbantur vllius momenti, fuisse verã obligationẽ, vt ex cæremonialibus ferè omnibus constat: aut si excipere vnum possumus, cur, quæso, non duo, tria, quatuor centum? Melius ergo discurrimus in omnibus eodem modo.

Legẽ Moysi aliqua solùm constituisse, est probabile auctoritate Diui Thomæ.

36.

Probabilius est omnia fuisse sub obligatione.

37.

Ad Diuum Thom. respondeo, esto fuerit in contrariâ sententiâ, & propterea, vt dixi, illa sit probabilis, non cogi nos, quò minùs contrariam dicamus probabiliorem. Secundò respondeo fortè Diuum Thom. non dixisse ea, quæ sunt vtilia ad seruanda præcepta, fuisse in tabulis illis scripta, quod solùm nos negamus. Fatemur enim in illo statu, & consequenter in illâ lege (vt enim suprà obseruauit, status & lex solent vocari vno nomine) multa fuisse ex consilio non tradito in tabulis; sed quod ex naturâ rei ratio persuadebat: sic Iudith ieiuniis & ciliciis se continuò macerabat; quæ tamen non erant in tabulis: & idem de virginitate, quam aliqui coluerunt, dici potest. Vnde apparet, confirmationem ex voto nullius esse momenti; quia votum erat quidem licitum, non tamen de eo emittendo erat in tabulis datum consilium. Ad alterum exemplum de pignore, omnino censeo fuisse ex obligatione, ob rationem datam; licet fortè ob leuitatem materiæ non sub mortali, sed sub veniali obligauerit. quod longè aliud est.

Sat̃sit̃ D. Thomæ.

De voto nihil in lege præcepti, sic verò de pignore.

SECTIO VI.

De promulgatione & extensione eius legis; de loco item & tempore in quo data fuit.

FAcilia sunt quæ circa hunc titulum possunt verti in dubium, ideò breuiter ea expediemus. Circa promulgationem quærimus, quę & qualis illa fuerit. Respondeo, quoad præcepta Decalogi, fuisse promulgata ab Angelo toti populo immediatè; vt constat ex cap. 20. Exodi: etenim tunc non cum solo Moyse Deus loquebatur, sed vniuersaliter cũ omnibus; ideò populus territus voce Domini, quam videbat, hoc est audiebat, dixit ad Moysen, vt loqueretur ipse, non verò Deus, ne fortè morerentur. Dicebatur autem loqui Deus, licet Angelus formaret verba; quia Deus ea illi dictabat interiùs; vt fieri solet in legibus humanis. Iudice particulari dictante præconi demisse verba, quæ hic voce grandi populo nuntiat.

38.

Decalogum toti populo immediatè ab Angelo promulgatum est, vt est Exodi 20.

Vbi obiter aduerte, eò quòd legem gratiæ per nobilius instrumentum Deus intimauerit, nempe per Christum Deum & hominẽ, à Paulo ad Hebræos 1. dici legem scriptam minoris dignitatis, quia per Angelum dicta est: quod nõ intelligendum est de minori vi obligandi aut minori certitudine: ad hæc enim per accidens se habet ministri dignitas: est ergo excessus in solâ dignitate desumptâ ex eâ personâ.

Cur lex vetus minùs digna lege gratiæ.

Dices fortè: Christus vt homo secundùm humanitatem, per quam solam promulgauit legem, non erat nobilior, imò minor Angelo: ergo lex gratiæ non est per nobiliorẽ ministrum promulgata. Respondeo, Etiamsi humanitas Christi in se inferioris sit perfectionis physicæ quàm Angelus, nihilominùs tamen ex vnione ad Verbum reddi infinitè sanctã & longè superiorem Angelis. Præter promulgationem autem illam legis, quæ sufficiebat, vt statim populũ obligaret, scripsit Deus medio Angelo eam legem Decalogi in duabus tabulis lapideis: quas Moyses deinde fregit ob populi idololatriam; iussus tamen est duas tabulas prioribus similes formare, & secum in montem accipere; in quibus ipse Moyses, dictante tamen Domino per Angelum, eadem præcepta scripsit: & licet dubium sit, quomodo inter eas duas tabulas distribuerit præcepta; an mediã partem in vnã, mediam in alterã; an alio modo; probabilissimè tamen communiter docetur, in primâ posuisse ea quæ ad Deum, in secunda verò quæ ad proximum pertinent: id quod ratio honestatis videtur exigere, vt singularem tabulam Deus pro præceptis erga se designaret; vtramque autem posteà intra arcam seruauit.

39. *Obiectio.*

Solutio.

Quo ordine in duabus tabulis ea præcepta dictãte Deo per Angelum fuerint descripta.

Circa alterã partem legis, cæremonialem scil. & iudicialem, dicendum est, non fuisse primò

Digitized by Google

datam ipso populo audiente, sed soli Moysi; ideóque non obligatum populum, quousque posteà promulgata fuit ipsi à Moyse, cùm descendit è monte. Et hæc de promulgatione.

Lex ceremonialis & iudicialis primò soli Moysi, & ab hoc deinde populo est promulgata.

Circa Secundam tituli partem de extensione eius legis quærimus, an solùm fuerit pro populo Israël, an verò reliquas Nationes obligauerit. De quâ difficultate D. Thomas quæst. 98. art. 4. & 5. Vasq. ibi & Salas suprà sect. 3. Respondeo, manifestum esse ad solos Israëlitas extendi; quia semper cum limitatione in eâ dicitur, *Audi Israel*, & item in eâ lege semper ponitur conditio ingressus in terram promissionis: quæ cùm ad solos Israëlitas pertineret, solos etiam illos obligauit lex: quod idem de circumcisione dici debet.

Lex vetus solos Israëlitas obligabat, sicut & circumcisio.

Obijcies tamen: Aliæ Gentes tenebantur ad circumcisionem eâ saltem ratione, quòd sine illâ saluari non possent; & ad salutem procurandam tenerentur. Respondeo negando antecedens. Ad probationem dico, eos potuisse saluari per actũ contritionis & amoris Dei super omnia. Addo tamen; Licet Gentes non fuissent obligatæ, potuisse tamen eam legem acceptare se adiungendo populo per circumcisionem, vt expressè concedebatur in lege, & fecit Achior Moabites: quo casu, suppositâ semel circumcisione, quæ libera fuit, obligabatur deinde ex iure diuino ad leges illas seruandas; sicut, suppositâ liberâ emissione voti, tenetur homo iure naturæ ad illud seruandum.

Obiectio.

Solutio. Qui Gētes alia tunc absque circũcisione saluari potuerint.

Cur semel circũcisus ad legem tenebatur.

41. Dices, Non constat Deum voluisse obligare Gentes, etiam suppositâ circumcisione; si autem non voluit, certè iure naturæ non consequitur ea obligatio. Respondeo Primò, fortè falsum esse, non sequi iure naturæ talem obligationem: etenim cùm Gentilis, circumcisionem acceptando, reddiderit se quasi Iudæum, eo ipso incurrit eorum leges; sicut qui se ciuem facit, eo ipso subijcit se ciuitatis legibus. Secundò respondeo, expressè ipsum Deum determinasse, vt si aliquis vellet se circumcidere, eo ipso teneretur legem seruare, & reputaretur quasi vnus de populo: ita enim dicitur Exodi 12. *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, &c. circumcidetur prius omne masculinum eius, &c. erítque sicut indigna terræ:* ideò Apostolus ad Galatas 5. ait: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.*

Obiectio.

Solutio.

Exodi 12. id Deus ipse determinat; & Apostolus cõfirmat ad Galat. 5.

42. Alio modo potuerunt Nationes ad illam legem seruandam se obligare, non quia fierent ex populo Iudaico, sed quia, cognoscentes eam bonam esse, & ad Rempublicam gubernandam vtilem, eam ipsi in suâ Republicâ admittere poterunt, vel, vt meliùs dicam, pro se eam cõdere: quo casu, respectu ipsorum, solùm humanam habuisset auctoritatem, non diuinam, ideoque potuissent eam rursus abrogare: vt si legem, quam Pontifex tulit pro Ecclesiasticis, vellet aliquis Rex pro suo Regno ferre, non ideò esset ibi Canonica, sed ciuilis, ideóq; ibi posset solâ Regis voluntate abrogari.

An secluso Iudaismo Gētes potuerint eâ lege se obligare; & quomodo.

Lex vbi data.

Circa tertium punctum, de loco, in quo ea promulgata fuit, nonnulla est difficultas; nam cap. 3. & 19. Exodi & Act. 7. significatur data in monte Sinai; in Deuteronomio verò cap. 1. 5. & aliis dicitur data in Horeb: ob quam causam quidam dicunt esse duos montes vicinos, ideóq; vni tribui quod in altero factum est. Id quod inde reiicitur, quia impropria valdè esset ea locutio, ex sola propinquitate vni tribuere quod in eo factum non est. Secundò, & fortiùs, quia tunc planè relinqueretur omnino incertum, vbi fuisset data; nam ob vicinitatem mihi dicere liceret datam re ipsa in Horeb, tribui verò monti Sinai; alteri verò eadem planè ratione liceret rem inuertere: ideò alij dicunt Horeb fuisse partem Sinai instar parui montis. Sed neq; hæc expositio placet, quia lex dicitur data in summitate montis Sinai. Ita Exodi 19. *Descenditq; Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, & vocauit Moysen in cacumen eius.* Ergo loca, quæ dicunt legem in Horeb datam, non possunt de monticulo paruo, qui esset pars Sinai, intelligi, nisi recurratur ad priorem expositionẽ de vicinitate; vel certè dicatur, supra ipsum montem Sinai fuisse illum alterum monticulum, & ita Horeb fuisse solùm cacumen eius montis & partem Sinai: quod tamen inde reiicitur, quia postquam filij Israël Exodi 17. in Horeb aquam accepissent ex petra, profecti sunt, & venerunt à regione montis Sinai; ita Exodi 19. vbi data est lex: ergo Horeb non potuit significare solum cacumen montis, quandoquidem ab eo discesserunt, vt venirent ad locum legis.

An mons Horeb fuerit vel cõterminus monti Sinai, vel eius pars.

43. Communior ergo sententia est, eas duas voces significare eumdem omnino montẽ: ita Hieronymus & Iosephus apud Suarez cap. 5. n. 11 fuisse autem magnum illum montem & longas radices habuisse, vt initio illius dicatur petra fuisse, ex qua aqua educta est, & potuerit inde populus aliquam viam facere, donec veniret è regione maioris altitudinis eius montis: vnde infertur, petram Horeb non fuisse iuxta locum, vbi data est lex: licet totus mons, etiam vbi lex est data, dicatur Horeb: quod maximè significant ea verba Deuteron. & Malach. 4. Aduerte tamen, etiamsi præceptum circumcisionis ad eam legem pertineat, non tamen fuisse illud datum eodem loco: erat enim iam ante quadringentos annos & ampliùs datum Abrahamo & toti populo ex Isaac futuro; datum, inquam, in terra Chanaan: cùm verò exiissent ex Ægypto, iterùm datum est ante Mare rubrum, ob circumcisionem seruorum emptitiorum.

Horeb & Sinai idẽ significant, teste Hieronymo & Iosepho.

44. Circa tempus denique, quo lex antiqua data est, quæri posset Primò, quo anno mundi. Verùm id ad Chronologos spectat. Secundò posset, quæri, cur tamdiu distulerit id Deus. Respondeo, in hac re multas posse inueniri congruentias, non tamen tales, quæ conuincant, necessariò debuisse ita fieri: si enim Deus voluisset eam citiùs aut certè tardiùs dare, habuisset fortè tot, aut plures quàm iam habeat congruentias; dixi enim sæpè, in his rebus, quas Deus facit ex libitu suæ voluntatis, sicut illi honestissimæ occurrunt rationes pro ea re quam actu facit, occurrere illi alias è contrario, sæpè etiam fortiores; quia non tenetur ad id, quod ex parte obiecti melius est. Solet ergo afferri congruentia dilationis hæc, vt homines nosceremt suam fragilitatem, & magis agnoscerent se indigere lege, dum ex defectu illius experiebantur se in tot errores lapsos esse. Hæc tamen ratio non probat id non potuisse etiam mille annis antè aut ducentis pòst fieri. Quòd verò non vlteriùs sit dilata, ea videtur esse ratio, ne nimis damnum illud serperet; & vt ab illo populo peculiari fide Christus venturus crederetur, speraretur, & desideraretur; & vt Progenitores Christi multo tempore ante ipsum essent veri Dei cultores.

Præceptũ circũcisionis hic est datum.

Poterat Deus citiùs aut tardiùs legẽ condidisse.

Cur lex tam serò lata sit.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO VII.

De effectibus legis antiquæ.

45. *Quatuor legis effectus.*

QVatuor effectus legis in communi agnouimus suprà, obligare, permittere, punire, præmiare. Diximus autem, obligare propriè non effectum, sed essentiam legis esse; ideóq; omni legi adeóque & veteri proprium esse: nihilominùs iam de eâ obligatione ac si esset effectus agendũ erit.

SVBSECTIO I.

De obligatione & permissione veteris legis.

NOn ago, an omnia, quæ in illâ sunt tradita, fuerint per modum præcepti, an verò multa solùm per modum consilij. De hoc enim suprà dixi breuiter, probabilius esse, omnia fuisse vera præcepta: quo posito, explicandum erit, qualẽ induxerint obligationem. Primò ergo quęrimus, an ea fuerit sub mortali, an verò sub veniali. Respondeo, non posse vniuersaliter quæstionem decidi, sed dicendum, iuxta materiæ grauitatem, eam obligationem fuisse maiorem aut minorem; nam etiam lex naturalis, quæ magis necessaria est, non obligat semper sub mortali: vt patet in lege non mentiendi. Secundò quæritur, vtrùm ea lex induxerit nouam obligationem circa ipsa præcepta naturalia, an verò solùm fuerit declaratiua obligationis naturalis. P. Suarez cap. 6. n. 3. censet omnino induxisse nouam obligationem, quia fuêre vera præcepta; præceptum autem vt tale inducit obligationem: non enim possumus dicere, illam legem fuisse solùm per modum doctrinæ. Ego tamen iudico rem esse dubiam: etenim licet præceptum omne inducat obligationem, non tamen est necessum, vt nouum præceptum nouam inducat: id quod communiter doceri solet, quando sunt multa præcepta circa idem; & in particulari docetur, licet sint hodie, v. g. Sabbato Quatuor Temporum & Vigiliâ sancti Thomæ, duo præcepta ieiunandi, non tamen ideò esse duplex peccatum, non ieiunare; imò nec vnum grauius quàm heri, quando solum præceptum Quatuor Temporum vrgebat: idem est, quando in diem Dominicam incidit aliud Festum ad Sacrum audiendũ obligans: idem etiam, quando Superior secundò mãdat id quod primâ vice mandarat. Respondetur enim, illud præceptum esse verè tale, licet actu non inferat nouam obligationem; est enim ex se illatiuum eius obligationis: ideò si non inueniisset iam eam illatam, eam inferret; ergo, ex eo quòd fuerint illa vera præcepta, non infertur neçessariò nouam intulisse obligationem.

Lex vetus iuxta materiæ grauitatẽ magis aut minùs obligabat.

46.

An circa præcepta naturalia induxerit nouam obligationẽ, dubium est.

47. Ego sic rem putarem decidendam: Dixi Tomo 3. in præceptis naturalibus posse considerari oppositionem cum naturâ rationali, quæ ex conceptu formali & intrinseco non videtur esse dependens à Dei offensâ; vnde dixi, si vel per impossibile ignoraretur omnino inuincibiliter Deus, adhuc mendacium futurum malum, non tamen habiturum eam grauitatem, quam iam habet, quatenus est offensa Dei. Quam doctrinam etiam P. Suarez admittit: ex illâ ergo sic in præsenti discurro, & dico, legem eam diuinam addidisse illis obiectis eam maiorem obligationem, quæ necessaria est ad rationem peccati, Theologicè loquendo: nã eam non habebant ea obiecta vt contraria rationi naturali præcisè, sed quatenus erant contra legem Dei: ergo ea lex, quæ illa obiecta vt Deo contraria prohibuit, addidit illis eam totam grauitatem.

aliàs tamẽ maiorem; & quam.

Dices: Esto Deus ea obiecta non prohibuisset eo speciali modo; si tamen homo agnouisset Deum, & sciuisset illum offendi nostris peccatis, peccasset propriè & Theologicè, fornicando v.g. aut occidendo iniustè: vt peccarunt homines ante eam legem, & post illam etiam Gentiles, qui Dei notitiam habuerunt, esto ignorarint legem Dei: ergo ea lex, vt data eo singulari modo, nullam addidit obligationem, nec quidem, quæ pertineat ad rationem offensæ Dei. Confirmatur, quia non grauiùs ex hoc capite peccarunt posteà Iudæi, qui iniustè alium occiderunt, quàm peccasset Abraham Dei notitiam habens, si etiam alium iniustè occidisset; esto ille non habuisset positiuam illam legem diuinam de non occidendo. Respondeo, ob hanc replicam mihi esse probabile, suppositâ eâ Dei perfectâ notitiâ, nullam re ipsâ malitiam accreuisse eis peccatis: id quod instantia de Abrahamo immediatè allata manifestè probat. Absolutè tamen respondeo, Licet ea cognitio sine lege ad id sufficisset, ipsam tamen legem sic promulgatam meliùs & distinctiùs induxisse eam obligationem; vnde ratione illius, quia magis agnoscitur per eam legem voluntas Dei, & magis intimatur prohibitio, fortè aliqualis crescit inde grauitas.

Impugnatur hac soluitio, sed frustrà.

48.

Quid si lex illa reuocaretur, manerétne eadem in præceptis naturalibus obligatio.

Cæterùm, esto Deus iam reuocaret eam legem quà positiuam, quod sine dubio fieri potest, non dubitarem, tam grauiter nos peccaturos occidendo aut mentiendo, quàm iam peccemus; & vix crederem vllum in hoc vltimo puncto mihi dissensurum: vnde videant, quâ consequentiâ ea lex vt actu existens addat maiorem illam obligationem, quam ferè omnes admittunt: si enim addit, ergo, ablatâ lege illâ, auferretur: quod si sine lege eadem manet; ergo lex nullam addit.

An iudicialia solùm fuerint pœnalia; an verò etiã conscientiam obligarint.

49. Tertiò, circa eamdem vim obligatiuam dubitari potest, vtrùm etiam præcepta iudicialia obligationem in conscientiâ induxerint, an solùm fuerint pœnalia. Hoc vltimum affirmat Gerson Tractatu de Vitâ spirituali lectione 2. in Alphabeto 61. vbi addit, ea præcepta, licet à Deo data, quia tamen non ordinabantur ad faciendos homines dignos vita æterna, non esse dicenda diuina. Hic tamen auctor grauiter errat. Primò, quia ad legem diuinam non requiritur ea ordinatio, sed sufficit, si lex sit à Deo immediatè data; vnde in pura natura, homine non eleuato ad finem supernaturalem, poterant esse præcepta diuina: sicut è contrario præcepta lata ab hominibus, à Pontifice v.g. esto ordinétur ad finem supernaturalem, non tamen dicuntur diuina, quia non habent Deum pro Legislatore. Sed hac impugnatione, quæ ad vocem spectat, omissa. Secundò, quoad obligationem, reiicitur Gerson ex dictis suprà; vbi ostendi, nullum in ea lege consilium includi. Cùm enim æqualiter eisdem verbis Deus vtatur, dum vnam ac alteram tradit, non potest cum fundamento dici vnam obligare in conscientia, alteram non; maximè cùm Deus etiam directè possit in conscientia obligare, & Legislator humanus supponatur semper in suis præceptis obligare, nisi aliunde de eius mente constet.

Quid sint præcepta diuina.

Nullũ præceptum alterius conscientiã obligat.

Digitized by Google

Neque obest, quòd illæ leges ordinentur ad conuenientem Reipublicæ gubernationem; quia, vt suprà dixi, hoc ipsum obiectum, si debitè fiat, potest esse meritorium vitæ æternæ.

50. *An lex positiua Dei vrgeat in periculo vitæ, obligarit in conscientiâ.*

Quartò & vltimò quæritur, an obligauerit ea lex in conscientiâ, casu extremi periculi corporalis v.g. cum periculo vitæ. De obligatione illius legis quà naturalis est nihil dico; quia ea obligatio est immutabilis, vt suprà diximus; quæstio ergo solùm est de lege positiuâ quoad cæremonias, &c. Respondeo Primò, Deum quidem potuisse etiam cum tanto rigore obligare: est enim auctor vitæ & mortis, potestque, nullâ datâ ex parte nostrâ causâ, nos occidere: potuit ergo obligare vt seruaremus eius præcepta, etiam cum vitæ periculo. Respondeo Secundò, Esto potuerit, de facto tamen verisimile non esse ita voluisse. Et hæc est communis sententia Doctorum. Probatur autē ex lib. 1. Machabæorum cap. 2. vbi ipsi iustè interpretati sunt se non teneri die Sabbati permittere se occidi; & non dubium, quin si aliquis de vitâ ob famē periclitatus fuisset, potuisset tunc ex immundis animātibus comedere: neq; dicendi sunt peccasse Israëlitas, qui obsessi præ nimiâ fame equos, mures, canes, &c. comederunt, cùm multa ex illis essent animalia immunda iuxta legem: intelligendum ergo est pro eis casibus non fuisse in Deo voluntatem obligandi.

De facto sic nō obliganit.

51. *In contēptum legis eā trāsgredi nullo casu licuit.*

Aduerte tamen, si quis in contemptum legis coactus fuisset sub vitæ periculo eam legē transgredi; vt cùm septem illi Machabæi Martyres lib. 2. c. 7. cogebantur comedere carnes porcinas; aduerte, inquam, quia ille esus signum erat spretæ religionis & intrinsecè malus, ideò etiam cum vitæ periculo fuisse obligationem legem seruandi. Quod idem in lege gratiæ dicendum in multis rebus; quæ etsi non obligent cum vitæ periculo; si tamen in contemptum fidei cogamur eas omittere, tenemur sanguinē fundere citiùs quàm eas negligere,

An malū aliquod lex vetus permiserit,

Circa secundum legis effectum, qui permissio dicitur, quæri solet, an aliquod malum ea lex permiserit. Duplex potest esse permissio, vt suprà diximus: vna, quæ rem non facit licitam. sed impunem; sicut solent, vt sæpè insinuauimus, permitti meretrices publicæ. Alia permissio est, quæ rem alioquin sine eâ licentiâ malam reddit licitam; ad quam solet reduci dispensatio. De vtraq; ergo potest esse dubium. Circa primam dico non constare vllo modo, vllam esse talem in lege. Quoad secundam dicimus longè probabilius esse, aliquas tales interuenisse Deo vt supremo Domino ad id dante licentiam; vt in pluralitate vxorum: quam fuisse licitā ex sanctis illis Patribus Abraham, Iacob, Dauid, &c. suprà breuiter intulimus: ea autem licentia non fuit propria legis scriptæ, sed emanauit ex Patribus: similiter in libello repudij & vsuris: quia in his omnibus Deus dispensare potest, vt suprà dixi; & idde facto fecisse satis colligitur ex ipso textu Deuteronomij 24. Et multi Scholastici ita sentiunt, vt videre est apud Suarez suprà n. 11, & 12.

Distinguitur & decidituir quæstio iuxta dictā permissionem.

SVBSECTIO II.

De duobus alijs effectibus legis antiquæ.

52. Tertius effectus legis assignatur pœna: circa quam dubium est, in lege veteri fuisse imposita pœnas etiam temporales omnibus ferè delictis; vt videre est totam legem peruolenti. Illud obseruandum, ad illas pœnas non fuisse obligatum transgressorem, nisi post sententiam Iudicis; quia lex non imponebatur directè reo, sed Iudici vt reum puniret. Non loquor hîc de pœnâ, quæ erat per modum restitutionis & satisfactionis, nam ad hanc homo tenetur ex ipso iure naturæ: neq; item loquor de pœnis illis, quæ erant per modum irregularitatis, quæque ipso facto incurrebātur, vt ex contactu corporis mortui & leprâ, &c. Ad quas leges reducit P. Suarez leges irritantes contractum, vt matrimonium inter fratrem & sororem, &c. filium & matrem: ego verò, cùm naturâ suâ sint irrita, non puto ex lege positiuâ fuisse irritata. Verùm id parui est momenti.

Lex vetus imponebat pœnas etiā ēpo. rales, sed p sētētiā Iudicis subeundas vt plurimū.

Matrimonia inter fratrem & sororem naturâ suâ irrita.

Quartus denique effectus legis dici solet præmium: quia verò hoc duplex est, aliud æternum; aliud temporale & corporale; de vtroque potest in præsenti aliqua esse difficultas. Circa æternum communis sententia docet, legem illam numquam promisisse suis obseruatoribus æternam vitam aut beatitudinem supernaturalem: & verò si quis perlegat eam legem tam in Exodo quàm in Leuitico & Deuteronomio, nihil eā de re inueniet: certè ego diligenter & accuratè eam percurri, nihil tamen potui deprehendere; ideò meritò Bernardus Sermone 30. in Cantica dixit: *Graue legis iugum, & vile præmium; nam terra est in possessione.* In contrarium stant multi, quos refert P. Salas sect. 7. qui tamen indistincte loquuntur, confundunt enim in vnum legem & homines, qui eam sequebantur; vnde addendum est, etiam in eo statu, siue per traditiones, siue aliunde, fuisse notitiam æternæ beatitudinis & expectationem illius. Si enim Iob habuit etiam resurrectionis corporum fidem, quid ni Iudæi eam habuerint. Vnde liber Sapientiæ totus est in ponderando errore impiorum in inferno, & felicitate iustorum in cælo: *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum. Visi sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace.* Idem sanctus Paulus in Epistolâ ad Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt Regna,* &c. Id ipsum Machabæi Martyres elegantibus verbis lib. 2 c. 7. coram Antiocho testati sunt. Id ipsum confirmant ea verba, *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Et Isaias c. 64. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti expectātibus te.* Ea igitur lex licet ex traditione & promissionibus factis olim Patribus habuerit notitiam gratiæ & vitæ æternæ, ac ante iustificationem Iudæi debuerint habere fidem de Deo, quòd sit, & quòd remunerator sit; quia tamen vi ipsius legis eam notitiam non habuēre, dici solet non agnouisse aliud præmium quàm temporale

Vnde orta fuerit in eo statu notitia beatitudinis.

Sap 5.
Ibid. 3.

2. Mach. 12.

53. *Lex vetus nūquā beatitudinem suis obseruatoribus promisit.*

54. *Quorūdā Patrū circa hoc mēs explicatur.*

Obiicies Chrysostomum, qui in Matthæum dicit, *Legens legem, legens Prophetas, legens Psalterium, numquam Regnum cælorum audiui, nisi in Euangelio.* Id ipsum testatur Hieronymus Dialogo 1. contra Pelagianos; vbi reprehendens Pelagium, quòd dixerit Regnum cælorum in veteri Testamento repromitti, ait, *Cùm perspicuum sit Regnum cælorum primùm prædicari in Euangelio.* Respondeo, duos hos Patres videri cum aliqua exaggeratione locutos; nam in libro Sapientiæ cap. 4. castitas dicitur *in perpetuum coronata triumphare:* quod æquiualēter Regnum cælorum significat: cap. item 6. dicitur *Regnum perpe-*

Digitized by Google

perpetuum; & cap. 5 *Regnum decoris*: item vita æterna apud Deum passim auditur: *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum*: idem Machabæorum 2. cap. 7. sub nomine vitæ æternæ repetitur sæpè. Fortè locuti sunt hi Patres de Regno cælorum iam possesso; cuius nulla in eâ lege mentio fit; imò nec vmquam dicitur illâ durante possidendum,

55.

Temporalia præmia promissa in lege frequens.

Circa præmium verò temporale dicendum est, illud sæpè fuisse in illâ lege propositum, *vt sis longæuus super terram*, &c. plenissimus est liber Exodi, Leuitici, Deuteronomij; talibus promissionibus. Circa quod dubitari potest, vtrùm ea opera fuerint meritoria de condigno illius præmij. P. Suarez n. 22. putat id esse omnino certum, eò quòd illa opera fuerunt æqualis valoris cum præmio: erat item præmium eis promissum; quid ergo deesse illis poterat ad condignitatem? addit tamen ad eam requisitum fuisse illud opus esse moraliter vndequaque bonum: si enim erat malum, saltem ex vno capite, potiùs merebatur pœnam quàm præmium: Secundò etiam requirit, ne operans esset in statu peccati mortalis, & inimicus Dei; quia tunc cor habebant in temporalibus defixum, & à Deo elongatum: & nemo potest in statu mortalis mereri etiam temporalia, cùm sit illis indignus: deniq; addit ex D. Thomâ, etiamsi homo fuisset in gratia, & ea opera fecisset, non tamen propterea sæpe de facto obtinuisse eiusmodi præmia; eò quòd sæpè in maius bonum ipsi negabantur. quod sic ego explico: Si enim benè operanti esset promissa longæua vita, hæc autem prouidebatur à Deo nocitura saluti illius, non erat æquum, vt ea daretur illi in præmium boni operis, quin potiùs debuisset statim auferri; iuxta illud de Henoch: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Sap 4. Id ipsum aliter D. Thomas explicat, ideò docens negata eis aliquando temporalia, ne nimiùm eis afficerentur; & vt ex eorum defectu magis virtus cresceret.

An circa illud fuerit meritū de condigno. Suarez affirit.

56.

Suarij mens hic iustineri nequit.

Ego in totâ hac doctrinâ magnam inuenio difficultatem; in primis ea opera fuisse condigna præmio temporali non potest Pater Suarez defendere: fortè id probaret aliquis, eò quòd opus bonum morale factum ex gratiâ, quale P. Suarez in præsenti requirit, non possit habere proportionem nisi cum solo præmio supernaturali. Hæc tamen ratio semper mihi displicuit; nam meritum, quod valet mille, à fortiori valet vnũ, quod si merens vellet eo inferiori præmio esse contentus, quis poterit negare promeruisse illud de condigno? sic qui in bello tam generosè, & strenuè se gessit, vt promeritus sit fieri Princeps, à fortiori promeritus est fieri simplex nobilis. de hoc puncto non videtur mihi dubitandum. Alia ergo ratione magis desumptâ ex materia de merito intentum hoc probo: Nam totus valor, tota laudabilitas eorum operum erat occupata in merito condigno vitæ æternæ; ergo de facto non poterant simul præterea mereri de condigno præmia alia temporalia. Antecedens desumo ex communi Theologorum doctrinâ in Tridentino & Scripturâ fundata: quòd opera bona factâ in gratiâ sint meritoria de condigno augmenti gratiæ & gloriæ. Consequentia videtur euidens, quia si tota condignitas insumitur in gloriam; ergo iam est illi operi adæquatè ex iustitiâ satisfactũ; ergo nihil remanet illi pro nouo præmio; vel si remanet, debuit in priori esse aliquis defectus. Neque difficultas minuitur pro hoc.

57.

Cur obseruatio ad legē nō potuerint de condigno mereri ea præmia temporalia.

quòd præmium temporale sit inferioris ordinis, quia certum est, illud simul cum altero plus efficere, quàm si alterum solum esset; ergo maior valor in opere requiritur, vt vtrumq; quàm vt vnum solum quis promereatur; ergo non potest dari ex primo quidquid condignitati respondet, & simul ac semel restare condignitas ad secundum. Quo argumento ostendi in materia de Pœnitentia non posse hominem de facto satisfacere de condigno pro veniali: nam licet actus amoris v. g. æqualis sit remissioni venialis, quia tamen occupatur in augmento gloriæ, non manet illi condignitas, vt simul venialis remissionem obtineat. Refutaui autem ibi varias solutiones eorum, qui dicunt ex diuersitate generum ea duo non se excludere; ostendi enim, quidquid sit de modo loquendi, & de diuersitate eorum generum, lumine tamen naturæ notum esse, plus valoris requiri in aliquo opere, vt duos fauores mereatur, siue illi sint diuersi generis, siue eiusdẽ, quàm vt mereatur vnum ex illis. Eadem ergo doctrina suo modo difficultati præsenti debet applicari.

Probatur à paritate venialis; pro quo de facto satisfieri nequit de condigno.

58.

Obiectio. Prima.

Fortè dicet quis Primò, non semper opus bonum morale iusti esse supernaturale; quia non semper est ex motiuo honestatis supernaturalis; ergo non habet semper condignitatem cum gloriâ; ergo saltem tunc poterit esse meritorium de condigno illius præmij temporalis, quia tunc nõ occupatur in eo merito gloriæ. Respondeo, Si vera sit sententia, quæ ex formali motiuo distinguit opus supernaturale à naturali, posse concedi, sæpè iustos ex defectu eius motiui non efficere actus supernaturales. Ex quo capite concedi optimè posset, ex defectu actus supernaturalis in adimpletione legis relictum fuisse locum Iudæis ad ea præmia temporalia promerenda de condigno per actus bonos naturales: id quod euidenter euincit obiectio. Quia verò ego non distinguo actus supernaturales à naturalibus ex obiecto formali; nam ipsa naturalis honestas eleemosynæ reperta in subleuando paupere, etiamsi non fiat ex motiuo charitatis aut spei visionis beatæ, est obiectum sufficientissimum pro supernaturali merito, dico in præsenti, iustum numquam operari liberè circa obiectum naturale vnde quaque honestum, & cum omnibus circumstantiis honestatis, nisi efficiendo actum supernaturalem meritorium: vnde semper retinere videtur suâ vim ratio à me paulò antè facta, quòd scil. iustus ille totus fuerit occupatus in merito vitæ æternæ.

Solutio.

An super iustus efficiat actū supernaturalē meritorium.

59.

Obiectio. Secunda.

Secundò dices: Esto tunc efficiat iustus actum supernaturalem, non est negandum simul etiam efficere naturalẽ, qui secundus non occupabitur in eo condigno merito, licet alter totus quantus occupetur; ergo erit locus vtrique merito & præmio. Respondeo, à multis negando eos duos actus simul; quia verò ego probabilius iudico contrarium, concedo eo modo admitti posse meritum illud condignum vitæ æternæ. Quâ doctrinâ cùm P. Suarez non vtatur in præsenti, sed de solis actibus supernaturalibus loquatur, non video quomodo possit defendere meritum illud condignum præmio temporali; ideò suprà non dixi, non posse absolutè eam doctrinam defendi, sed à P. Suario.

Solutio. Quomodo meriri potuerint illud præmiũ de condigno.

Secundò videtur etiã mihi difficile quòd Suarez docet ex D. Thoma, sine statu gratiæ non potuisse reperiri opus illud meritorium de condigno præmij temporalis: etenim cùm Diuus Thomas,

Digitized by Google

Thomas, Suarez & omnes alij dicant, etiam in ſtatu peccati poſſe eſſe meritum congruum, & quidem vitæ æternæ, non video cur debeat negari meritum condignum præmij temporalis. Pro quo aduerte, auctores ferè omnes Scholaſticos actui ſupernaturali fidei aut eleemoſynæ v. g. quo peccata redimere iuſſus eſt Nabuchodonoſor à Daniele, ideò præcisè negare meritum condignũ vitæ æternæ; quia cenſent ex defectu gratiæ, illum actum eſſe planè improportionatum gloriæ & ipſi remiſſioni peccati: ſi enim æqualitatem inuenirent inter illud opus & præmium, eſto homo eſſet in peccato, nemo negaret condignum meritum: vnde fit, vt P. Vaſquez, qui putat actum contritionis eſſe æqualem ſatisfactionem pro peccato, conſequenter doceat illam eſſe de condigno meritoriam gratiæ aut ſatisfactoriam pro peccato, nos autẽ, qui illum reiicimus, non recurrimus ad ſtatũ peccati, ſed ad inæqualitatem operis cũ eo præmio; dicimus enim: Offenſa eſt quaſi infinita, ſeu in altiori ordine, opus autem eſt in inferiori ordine, ergo, &c. vbi ſupponere omnes videmur, ſi eſſet ille actus æqualis præmio, nullo modo negandam illi condignitatem, quidquid ſit de ſtatu perſonæ; quia hic ſolùm ſolet conſiderari in ordine ad conſtituendã æqualitatem inter rem & rem, ſeu inter meritum & præmium. id quod in humanis contingit. Nam eſto aliquis ſit inimicus alterius, ſi tamen faciat opus tale in eius gratiam, quod habeat proportionem cum aliquâ remuneratione, ſine dubio eam meretur de condigno: ideò ſi hoſtis dat mihi pretium æquale in ſe pro mercibus, ſine dubio eas emit; vt ſic dicam, de condigno.

Quando meritum ſit condignum vitæ æternæ.

60.

Actus æqualis præmio eidẽ eſt condignus.

Iam hinc vlteriùs argumẽtor: Opus vndequaque bonum moraliter, actus v. g. obedientiæ in re difficili, eſto homo alioquin ſupponatur in peccato ideóq; non habeat proportionem cum beatitudine ſupernaturali & viſione Dei, quæ eſt quodammodò infinitũ bonum, non poteſt tamẽ vllà apparente ratione dici non habere æqualitatẽ cum dilatione vitæ v. g. per vnam diem, aut cũ exiguâ pluuiâ pro vineis, maximè ſi illud opus eſſet ſupernaturale; ergo tunc cõcedere debemus meritum condignum illius præmij. Neque id impugnat ratio in contrarium adducta, quòd ſcil. ſit ille homo tunc eis omnibus bonis indignus: etenim in præſenti caſu ſupponimus, Deum non habuiſſe voluntatem eum puniendi *in* hac etiam materiâ intuitu peccati mortalis præcedẽtis; quia ſi habuiſſet, procul dubio, ſicut non ſatisfeciſſet pro peccato mortali de condigno per tale opus, etiam non extinxiſſet debitum carendi eo præmio; & conſequenter non potuiſſet illud mereri de condigno. Supponimus ergo Deum ſic dixiſſe, *Intuitu huius peccati mortalis non decerno temporalibus te priuare, ſicut nec è contrario decerno ea tibi donare, ſed volo expectare quid vlteriùs facias.* Certè in tali caſu omnino iudico opus bonum poſteà ſecutum fore condignum temporali aliquo præmio. Cæterùm determinatio in particulari, quæ opera bona naturalia ſint condigna præmio naturali, & quali, non poteſt à nobis vllo prorſus modo fieri.

61.

Vrgetur argumentum.

Præter hos quatuor effectus legis ſolet etiam peccatum aſſignari. Verùm iam ſæpè dictum eſt, peccatum ſolùm indirectè ſequi poſſe ex lege, quatenus homo ex ſuâ nequitiâ illud non vitat; non enim lex illud intendit: quo autem ſenſu vetus dicatur occidere, & lex mortis, & operari peccatum, ſuprà explicatum eſt, dum eam fuiſſe honeſtam diximus; hoc ſolùm addo, etiam eo ſenſu dici poſſe legem mortis, quòd frequentiſſimè in pœnam minabatur, & verò infligebat actu temporalem mortem. Dices, Etiam è contrario promittebat vitam; ergo debuit dici lex vitæ. Reſpondeo, vitam numquam fuiſſe per illam datam ſeu protractam; ideò magis tribuitur illi mors quàm è contrario vita. Sed hoc ad modum loquendi ſpectat.

62.

Peccatũ indirectè ſolum ex lege ſequi poteſt.

Cur lex vetus potiùs eſt dicta lex mortis quàm vitæ.

SECTIO VIII.

An lex vetus iuſtificarit: vbi, an ſit dicenda perfecta.

DE primâ parte fusè P. Suarez cap. 7. de ſecundâ cap. 8. ego vtrumque valdè facilè ex dictis hucuſque iudico, ideóque breuiſſimè me expedio. Priùs verò ſuppono non eſſe ſermonem de iuſtitiâ legali & æternâ; hæc enim ſine dubio conferebatur per cæremonias & ſacrificia legis: neque item de iuſtitiâ actuali naturali, quæ in exercitio operum bonorum naturalium conſiſtit; hæc enim legi naturali propria eſt: agimus ergo de iuſtificatione ſupernaturali tam in primo fieri quàm in eius augmento.

63.

De iuſtitiâ ſupernaturali ſolùm hic procedit quæſtio.

In quo puncto Primò certum eſt ex tertiâ parte, Sacramenta propria legis veteris non dediſſe gratiam: excipio circumciſionem; & in eo ſenſu certum erit eam legem non iuſtificaſſe.

Qui lex vetus non iuſtificabat.

Secundò, longè probabilius eſt, circumciſionẽ, quæ propriè non erat eius legis Sacramentũ, ſed in Abrahamo primò inceperat, contuliſſe remiſſionem originalis infantibus, ideóq; dediſſe gratiam non ex opere operato, ſed vt puram conditionem. Hæc ſuppono ex materia de Sacramentis; vbi explicui, in quo conſiſtat exiſtentia noſtrorum Sacramentorum quoad vim cauſatiuam gratiæ præ circumciſione.

Circũciſio ſolùm erat pura conditio ad gratiam.

Tertiò certum eſt, legem illam, quatenus imperabat ſeu præcipiebat opera bona, non dediſſe auxilia ad ea facienda: aliud enim longè eſt præcipere, aliud iuuare: ſub quâ reduplicatione etiam lex gratiæ, quatenus imperat opera, non dat auxilia; ideóq; in hoc ſenſu pares ſunt: & ſicut vna dicitur non iuſtificans, ita poteſt dici & altera.

Ea lex non dabat auxilia ad bona opera quæ præcepit.

Quartò tamen certum eſt, in vtroq; legis ſtatu data à Deo auxilia ſupernaturalia ſufficientia ad opera bona, & ad obtinendam remiſſionem peccati augendámque gratiam. Id quod euidenter oſtendunt multi & ſanctiſſimi viri, qui in ea lege fuerunt: poſſent etiam congeri multa Scripturæ teſtimonia pro eadem veritate, ſi non eſſet adeò certa & omnibus nota.

Sufficientia auxilia in vtroq; ſtatu ad bona opera ſunt data.

Hinc Quintò certum eſt, eſſe actus ſupernaturales fidei, ſpei & charitatis, quia hi (vt ex Tridentino & ex Paulo conſtat, fuſiuſque dicitur in materiâ de iuſtificatione) neceſſarij ſemper fuêre ad remiſſionem peccati in adultis; in iuſtis verò requiruntur ad augmentum gratiæ: quam ſine dubio multi olim valdè auxere: ergo, abſolutè loquendo, tam de actuum ſupernaturalium exiſtentia, quàm de auxiliis ad illos efficiendos dubitari non poteſt in præſenti.

64.

Lex illa ſupernaturaliũ actuum fuit indiga:

Hinc rurſus Sextò infertur, ſiue præceptum de habendis aliquando illis actibus ſupernaturalibus ſit dicendum ad eam legẽ pertinere, eò quòd iam ante illam inceperit, ſine non; quod ad quæſtionem de nomine pertinere poteſt; non poſſe tamen re ipſa negari, in ea lege fuiſſe verè eos actus præceptos. id quod certum crediderim de

imò ea lex eos præcipiebat.

Digitized by Google

de fide. Nam in eâ lege erant præcepta de pœnitentiâ & conuersione veraid quod Prophetæ passim prædicant, *Conuertimini ad me in toto corde vestro*, &c. & (vt superiùs notauimus) etiam fuit lex specialis positiua iniungens decimo mẽse eam pœnitentiam: ergo saltem implicitè ibi fuêre vera præcepta actuum fidei, spei; imò, quia tunc temporis non conferebatur gratia adultis: pro Sacramento necessarij fuêre actus veræ contritionis & amoris Dei super omnia. In speciali verò de præcepto amandi Deum satis constat ex ipsis verbis legis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. quod de amore supernaturali intelligendum etiam est; quia cùm ad eum habuerunt illi de facto vires, licet gratis datas, & iussi sint amare Deum ex omnibus viribus & toto corde, etiam ad amorem supernaturalem fuerunt obligati. Neque hinc sequitur, eam legem iustificasse, quia, vt dixi suprà, non dabat vires ad eiusmodi actus.

65. *maximè amorem Dei. Deut. 6.*

Ergo vtraq; lex fit æqualis.

Septimò certum etiam est, opera ipsa legis seu adimpletionem legis, si considerentur vt facta ab homine sine gratiâ, nõ esse condigna augmento gratiæ, multò minùs remissione peccati & augmento gratiæ: id quod etiam conuenit operibus nostris in lege gratiæ: si verò fuerunt vndequaque honesta & dignificata à gratiâ, eo ipso fuisse etiam meritoria, eodem planè modo quo nostra; ideóque in hoc puncto vtramque legem æqualem esse.

In vtraq; lege gratia data, ex præuisis Christi meritis.

Octauo & vltimò certum est, in vtraque lege gratiam datam esse ex meritis Christi præuisis; in illâ, vt futuris, in hac vt præteritis: de quo fusiùs in materiâ de Incarnatione. Hæc omnia certa; illud autem dubium, cur lex gratiæ dicatur iustificare, illa verò non, cùm (vt ex dictis constat) neutra lex quà præcipiens iustificauerit, & vtraq; re ipsâ habuerit auxilia gratiæ ex Christo: quòd enim respectu vnius sit præteritus (vt sic dicam) & respectu alterius futurus, per accidens est ad quæstionem præsentem; quia meritum tam benè respectu Dei potest operari, etiamsi sit tempore posterius, quam si prius, dummodò in præuisione diuina sit prius naturâ. de quo alibi. Huic difficultati, quæ multum videtur habere de nomine, respondeo, differentiam realem inter vtramque legem in eo consistere, quòd noua includat vt promulgatorem sui Christum Dominum, qui auctor est gratiæ; eam enim nobis promeritus est; lex verò antiqua habuerit Moysem promulgatorem, qui non causauit gratiam vllo modo. Secundò, quòd in nostrâ sunt Sacramenta septẽ, quæ dant gratiam ex opere operato; in veteri nihil fuit tale. Tertiò, quod etiam speciales gratiæ & maiora auxilia dentur in lege gratiæ quàm in antiquâ. Ob hæc tria dicitur nostra iustificare, illa verò non: & ad hæc reducitur tota huius difficultatis substantia.

66.

Cur lex gratiæ dicatur iustificare, vetus verò non.

De imperfectione legis quæ est de nomine. Non fuit imperfecta primitiuè, sed respectiuè.

Quoad secundam partem, an sit dicenda perfecta ea lex, an imperfecta, dico, quæstionẽ esse de solo nomine: vt enim ostendimus supra, fuit vera lex; & in hoc sensu habuit omnem perfectionẽ ad veram legẽ requisitam: neque fuit imperfecta priuatiuè, quasi caruerit perfectione aliquâ sibi debitâ & necessariâ; respectiuè tamen ad nostram legem, quæ longè nobilior est, dici potest, & verò re ipsâ est, imperfecta: sicut homo in esse hominis habens omnes perfectiones dici potest respectiuè ad Angelum, & à fortiori respectu Dei, imperfectus. Quibus autem rebus illa à nostra excederetur, facile est dicere; & verò immediatè

67.

antè assignaui tres satis magnas differentias, quòd scil. non habuerit Sacramenta causantia gratiã; quòd fuerit à puro homine promulgata, quòd non dederit tanta auxilia: quæ tres vnâ solâ voce solent explicari, quòd scilicet non dederit vires ad ea quæ imperabat: ideò D. Thomas q. 99. art. 1. censet, in eo puncto etiam esse peioris naturæ quàm ciuiles & humanas; quia hæ non præcipiunt aliquid supra vires hominis naturales, illa verò præcipiebat; & tamen eas vires non dabat. Quòd si dicas, Etiam lex ciuilis & humana non dat vires, sed supponit, sicut diuina: respondet P. Suarez pro eâ doctrinâ D. Thomæ, legem ciuilem ex naturâ suâ supponere vires ad ea quæ præcipit; quas non supponebat lex antiqua ad actus supernaturales, quos præcipiebat. Hæc solutio videtur habere aliquam æquiuocationem, nec satisfacere replicæ factæ; nam licet lex antiqua mandans actus supernaturales non supposuerit vires ex naturâ hominis, ex naturâ tamen ipsius legis eas supposuit; quia licet habere vires ad actus gratiæ sit homini præternaturale, at necessum & essentiale id est illi legi diuinæ tales actus mandanti: non enim datur lex, nec potest dari, de re impossibili: quod in diuinâ maximè verum est, quia Deus cum iustè mandet, nihil potest mandare, nisi præsupponat vires: ergo lex ea non minùs ex se supposuit vires ad id quod imperabat, quàm eas supponit lex ciuilis ex se; hac ergo comparatione, vt parum solidâ omissâ.

Qui fuerit lex illa imperfectior nostrâ.

Mẽs D. Thomæ.

Suarez pro D. Thomâ refutatur.

68.

Secunda imperfectio legis antiquæ eo, quod valdè multa præcepta continuerit: ob quam rationem dicitur Act. 15. *Iugum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus.* Quomodo autem id non fuerit ab infinita Dei bonitate alienum diximus suprà, ostendentes, necessariam quodammodò tunc fuisse tantam multitudinem præceptorum.

Imperfectio ex multitudine præceptorum.

Tertia imperfectio, quòd graues pœnas tẽporales in pœnam statuerit; & licet etiam bona tẽporalia è contrario promiserit, longè tamen fusiùs pœnæ proponuntur quàm præmia: id quod clarè apparet cap. 28. Deuteronomij; vbi pro vna columna benedictionum sunt quatuor maledictionum: & alibi idem etiam cernitur; & propterea vocatur ea lex seruitutis & timoris seu puerorum; quia quasi virgis & timore regebantur: promittebat etiam è contrario ad alliciendum res præsentes & temporales; quibus etiam paruuli solent faciliùs moueri, quia futura & aliena à sensibus non ita considerant.

Ex maiori pœnarum quàm præmiorũ propositione.

Quarta imperfectio, quòd quasi annuendo eius populi carnalis concupiscentiæ permiserit illi aliqua, quæ ex se sunt minùs decentia; vt habere duas vxores, dare libellum repudij, vsuras petere: nam licet data ea licentia nõ peccauerint in illis actibus ipsum tamen condescendere cum eis fuit aliqua imperfectio.

69.

Ex quorũdã minùs decentium permissione:

Potest etiam alia addi imperfectio, quòd non fuerit ea lex perpetua sicut lex gratiæ: rursus, quòd non propter se, sed propter nouam fuerit instituta, vt vmbra & figura nostræ: quòd non fuerit vniuersalis ad omnes Nationes, sed ad certum populum. Multa alia possunt excogitari, sed hæc sufficiant. Vide P. Vasq. disp. 183. per totam & Salas disp. 24. sect. 6.

& quibusdã aliis ex capitibus.

DISPV-

Digitized by Google

DISPVTATIO X.

De eius legis cessatione.

EXPLICATA essentiâ, causis & effectibus eius legis, de interitu illius agendum erit.

SECTIO I.

Quæ certa sunt præmittuntur.

Lex vetus vt à Deo immediatè lata ab ipso solo mutari potuit:

PRimò, legem veterem, vt à Deo immediatè latam, non potuisse nisi ab ipso solo Deo mutari, certum est ex dictis suprà: nam inferior non habet vim mutandi legem ab altiori potestate positam, imò nec in eâ dispensandi, quia id est quodammodò coarctare voluntatem Legislatoris; id quod inferior non potest facere: quòd si ipse superior dat inferiori potestatem dispensandi, tunc iam superior dispensat saltem mediatè. In lege verò antiquâ non fuisse eam potestatem concessam à Deo hominibus, suadetur argumento negatiuo; quia nullibi de eâ concessione quidquam legitur.

capax tamen erat interpretationis humanæ, etiâ priuatæ.

Secundò præmittendum, non propterea à nobis negari, potuisse in eam legem cadere interpretationem humanam: nam (vt diximus suprà) Deus numquâ voluit obligare ad illius obseruationem cum magno & euidenti periculo; vnde diximus, licuisse Machabæis pugnare die Sabbati: & Christus Dominus Matthæi 12. dixit se non violare legem die Sabbati exercendo opus misericordiæ etiam laboriosum. Ea autem interpretatio potuit fieri etiâ priuatâ auctoritate: si enim quis vidisset die Sabbato proximum de vitâ periclitantem, poterat sine dubio eum iuuare, etiâsi deberet laborare: si item fame moreretur, & non haberet alios cibos nisi immundos, poterat eos comedere, neque debebat pro interpretatione excurrere ad Doctores legis & Sacerdotes; sed ipsâ euidenti necessitate edoctus poterat eam interpretationem facere: vt de facto nos possumus in legibus Canonicis audiendi Sacrum die festo, ieiunandi, &c. Nam quoad hoc eadem est ratio de vtraque lege: etenim non minùs Deus ab initio noluit includere eiusmodi casus, quàm eos non includit Pontifex.

2.

In casibus dubijs solit Iudices legi interpretabantur.

Tertiò præmittendum, eam interpretationem in dubijs casibus debuisse fieri à Iudicibus ad id deputatis; vt Deuteronomij 17. dicitur; *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris*, &c. aut quando duæ leges concurrebant, ita vt non possent ambæ seruari, debuisse illam præualere, quæ maioris erat momenti: ideò circumcisio debebat die octauo fieri, etiamsi esset Sabbatum. Hæc de dispensatione & interpretatione: iam ad mutationem illius.

Dupliciter potest aliquid velle Deus; & quando id mutare possit.

In quo puncto præmittendum Quartò vt omnino certum, eam à Deo potuisse mutari, abrogari, &c. quia potuit ipse suam voluntatem reuocare: vt verò id intelligas, aduerte, quod sæpè tradi solet, dupliciter Deum posse aliquid velle, aut absolutè omnino & in perpetuum; vt, vult homines esse immortales de facto, & supernaturalem beatitudinem esse perpetuam: si ergo tali modo voluisset legem antiquam semper durare, non potuisset eam reuocare, quia esset sibi ipsi contrarius. Aliter ergo Deus potest velle aliquid, ita vt subintelligat conditionem aliquam, v. g. *Nisi ob alias causas ego voluero, ne amplius id fiat*; vel determinando certam durationem, *vsque ad tale & tale tempus*: in his casibus posse mutari voluntatem, dubium non est: & hoc modo legem antiquam potuisse mutari extra controuersiam est.

3.

Obiectio. Suarez solutio displicet.

Dices: Lex Dei est ipsamet volitio Dei; sed hæc semper durat, ergo & lex. Respondere videtur P. Suarez cap. 9. n. 10. legem Dei non esse volitionem ad intrà in Deo ipso existentem, sed esse ad extrà in lapidibus aut membranis scriptâ, & signum externum voluntatis Dei quod sine dubio mutari potest. Hæc solutio non satisfacit, quia superiùs diximus ex cõmuni modo loquendi promulgationem ad extrà non esse legem, sed declarationem legis; legem verò esse ipsam voluntatem obligatiuam Legislatoris: id quod Suarez ipse etiam docuit. Atqui ea voluntas Dei semper manet, ergo & lex. Meliùs ergo respondetur obiectioni, voluntatem Dei in se quidem semper manere, non tamen obligare pro semper, sed pro tempore, quod in ipsâ volitione præscribitur, ergo cùm Deus non præscripserit omne tẽpus pro eâ obligatione, potuit optimè, aduenìente eo tempore, cessare obligatio: & hoc solùm vocamus mutationem voluntatis diuinæ & cessationem legis.

Voluntas Dei in se manet super; sed obligat pro tempore.

4.

Replica.

Replicabis: Si Rex hodie ferat legem de re quæ post annum debet inchoari, verè dicitur hodie esse ea lex, & hodie obligare pro anno sequẽti, etiamsi nondum existat tempus à lege præscriptum: ergo cùm Dei volitio olim obligans verè sit hodie, licet non obliget pro hodiernâ die, verè adhuc durabit lex antiqua. Respondeo, multum hîc misceri de voce, an in casu obiectionis dicenda sit existere lex pro tempore futuro: qui vellet eo modo loquendi vti, etiâ posset dicere, hodie esse legem antiquam obligantem, non pro hoc tempore, sed pro præterito; ad eum modum, quo hodie est in Deo odium in D. Petrum vt in peccatorem, odium quidem hodie verè existens, sicut extitit, quando Petrus negando peccauit, quia actus Dei sunt æterni; non tamen est odium pro hodierno die, sed pro eo tempore pro quo peccauit. Eodem modo è contrario hodie amat Deus Iudam amore amicitiæ, eo quo illum amauit, quando fuit in gratiâ; sed tamen non amat pro hoc tempore, sed pro illo: sicut autem in ipso odio & amore, qui sine dubio sunt actus immanentes & ad intrà in Deo, non dicimus absolutè, *Hodie diuus Petrus odio habetur*, quia per hoc non tam denotamus existentiâ odij in se, quàm, quòd illud sit pro hodiernâ die; ita potiori iure in lege: licet enim immanens sit, & consequenter esto hodie duret lex antiqua, quia tamen nõ respicit hodiernum tempus, sed præteritum, non dicimus illam hodie durare: sicut neque è contrariò, antequam promulgaretur, dicebatur existere, quia non respiciebat illud tempus, sed futurum. Ad instantiam ex humanâ lege suprà positam respondeo, Si illa lex sit iam promulgata, tunc moraliter dici nunc existere pro tempore futuro; quia iam sine vllâ nouâ cæremonia aut notificatione, solo aduenìente eo tempore, erimus obligari: in quo ipso modo dicendi crediderim multum esse de voce. At si promulgatio non sit, non censetur iam esse; quia ad hoc, vt actu obliget, non solùm oportet vt tempus illud aduenìat, sed etiam ex parte quasi ipsius legis deest

Quomodo Deus amet hodie Iudam & D. Petrũ odio habeatur

Solvitur.

5.

Satisfit instantiæ ex humana lege sumptæ

Digitized by Google

deest illud extrinsecum complementum, nempe promulgatio. Cùm ergo iam promulgatio præcedens pro nobis perierit, esto maneat volitio diuina, in quâ lex consistit, non potest dici nunc lex ea existere. Vbi etiam aduerte pro re morali & modo loquendi, faciliùs longè intelligi posse, esse nunc legem obligantem in futurum quàm obligantem in præteritum: & ratio est manifesta, quia obligatio non cadit nisi supra possibilia: cùm ergo ego non dicar hodie posse heri ambulare, quia ad præteritum non est potentia; ad futura autem potentiam dicar habere, quia adhuc veniet tempus, in quo facere illam rem proximè potero; posúmq; vsque ad illud tempus durare; ideò etiam possum dici obligatus ad futurum, seu hodie obligatus ad ieiunandum cras; nemo tamen dicet, me hodie esse obligatum ad ieiunandum ante decem annos: ergo non potest vllo modo dici hodie existens lex antiqua & obligãs nos pro antiquo tempore; quia ibi includitur repugnantia in terminis. Faciliùs ergo, iuxta hanc differentiam, potuisset ea lex antequã promulgaretur dici actu existens, & actu obligans in futurum; sed tamen quia non erat promulgata, nõ potuit, vt in priore solutione ostendi, etiam tunc absolutè & propriè dici existens. Hæc circa legis ipsius possibilem destructionem.

Cur faciliùs intelligatur legem obligare in futurum quàm præteritum.

6.

Sectio. II.

Ea lex de facto destructa est.

Diximus quæ certa sunt circa possibilitatem destructionis legis antiquæ: iam quid factũ sit, explicandum erit. Error fuit Iudæorum quorumdam, etiam postquam ad fidem cõuersi sunt, & aliquorum hæreticorum, legem antiquam duraturam, quamdiu status hominum viatorum duraturus est. Fundamentum desumitur ex quibusdam Scripturæ locis, quibus dicitur ea duratura in perpetuum. Exodi 12. *Habebitis hanc diem solemnem Domino cultu sempiterno.* Geneseos 17. de circumcisione: *Erit pactum meum in carne vestrâ in fœdus æternum.* & Psalmo 104. *Statuit illud Iacob in præceptum, & Israël in testamentum æternũ.* Catholica tamen & certa veritas docet, eam esse abrogatam post Christi aduentum. Id quod ab Apostolis Act. 14. definitum est grauissimis illis verbis: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris,* &c. Idem tradit expressè Paulus sæpè: ad Romanos 6. *Non sub lege estis, sed sub gratiâ:* item cap. 7. & 8. & totâ ferè Epistolâ ad Galatas, ad Hebræos 7. & alibi.

7.

Vt hanc difficultatẽ magis declaremus, dubia quatuor circa illam mouere possumus. Primum, an Gentiles non baptizati nec credentes eâ lege teneantur nunc? Huic tamen vno verbo respondeo: Cùm superiùs dixerimus, etiam eo tempore quo vigebat, non fuisse ad eam suscipiendam Gentes obligatas, gratis quæri, an nunc obligentur. Secundum ergo dubium, an qui ex Gentibus baptizantur, teneantur eam legem acceptare: cui respondendum eodem ferè modo quo præcedẽti, non esse eâ de re rationem dubitandi: cùm enim absolutè lex illa non coëgerit Gentes ad sui obseruantiam non solùm absolutè, sed nullam apposuerit conditionem, nec dixerit, *Casu quo fiatis Christiani, tenebimini ad hanc legẽ*, ex Christo verò legem nostram instituente nulla obligatio talis possit desumi, non est vlla ratio dubij eo in puncto: positiuè verò pro hac veritate Catholicâ stat ea definitio Apostolorum, quæ maximè mota est occasione Gentium ad fidem conuersarum.

Etiamnum Gentes eâ lege non tenentur.

Nec Gentes baptizatæ tenentur eam acceptare.

Dices, Christus solùm est promissus Iudæis; ergo Gentes, si velint Christum habere, debent in Iudæorum numerum adscribi. Respondeo, antecedens esse falsum: est enim Christus vniuersaliter Gentibus promissus: *Et veniet desideratus cũctis Gentibus:* & in Cantico Simeonis: *Quod parasti ante faciem omnium populorum:* item: *Ipse erit expectatio Gentium.* Innumera talia loca afferri possunt; sed res est clara. Rationem addũt aliqui; nam ea lex ad salutem non erat necessaria, imò inefficax: neq; enim illæ cæremoniæ fuerunt de necessitate medij ad salutem, neq; de necessitate præcepti, vt probatum est, ergo. Hæc tamen ratio vel nõ est distincta ab auctoritate allatâ vel nulla est: non est distincta, quia in eâ assumitur pro probatione id quod in priori argumento ex auctoritate supponitur; quòd scilicet iã non sit præceptum vllum de illâ lege: si autem hoc non supponitur, ratio nihil penitus probat. Nam licet cæremoniæ illæ ex se nihil videãtur habere pro salute, possunt tamen esse necessariæ ex voluntate Dei, vt fuêre olim pro ipsis Iudæis; ergo non ad rationes debemus recurrere, sed ad auctoritatem. Meliùs ex congruentiâ argumentari possumus, quia esset grauissimum iugum, si Gentes vtramq; legem tenerentur seruare dum ad Christum conuertuntur; id autem & contra verba Christi, *Iugũ meum suaue est;* & contra excellentiam nostræ legis esset. Contra has duas quęstiũculas nec apparenter quidem vrgẽt testimonia suprà allata: illa enim si quid probant, certè solùm de Iudæis ipsis; de quibus sit.

8. *Obiectio. Solutio. Christus Gẽtibus promissus.* Agæi 2. Lucæ 2. Gen. 49.

9. *Cur Gentes non obligentur ad vtrãque legem.* Matth. 11.

Tertium dubium, an illi conuersi ad Christũ teneantur eâ lege. Responsio ex conclusione generali suprà positâ, Non tenentur, ita enim fuit definita ab Apostolis eo citato loco Act. & inde suadetur, quia ea lex est abrogata, cessauit, interijt ergo respectu Iudæorum; nam abrogare & cessare respectu illorũ dicitur, quos antèà obligabat: licet enim me non obligent actu leges Iaponum, nõ propterea dici potest, illas esse abrogatas pro me. Porrò eam legem veterem fuisse abrogatam, confirmant antiqui Patres, qui ex professo eâ de re disputarunt, Cyprianus Dialogo primo contra Iudæos cap. 9. & seqq. Iustinus Mart. Dialogo cum Tryphone contra Iudæos, Tertullianus contra eosdem, & alij: ex quibus lib. 11. de Arcanis à principio multa congessit Galatinus. Insinuabo vnum vel alterum locum ex veteri Testamento; nam ex nouo res est certa; ex D. Paulo ad Romanos, ad Galatas & ex loco Act. suprà citato. Ieiem. ergo 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum:* fœdus autem ibi legem significat: & subiungitur, *Dabo legem meam in visceribus eorum.* Malach. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Ieiem. 23. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum,* &c. *& non dicent vltrà: Viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terrâ Ægypti; sed, Viuit Dominus, qui eduxit & adduxit semen domus Israël de terrâ Aquilonis, & de cunctis terris.* Qui locus, etiamsi videatur denotare congregationem Iudæorum, eò

Nec Iudæi conuersi ad eam tenẽtur.

Legem abrogatã Patres docent:

10. *item Scriptura.*

Digitized by Google

quòd dicat *semen domus Israël*; non agit tamen nisi de Gentibus, quæ passim in Scripturâ spiritualiter dicuntur semen Israël. Psalmo 109. sacerdotium Christi denotatur æternum, quo antiquum significatur peritùrum: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Obiectio. Dices, Lex lata non abrogatur nisi per expressam reuocationem, vel per legem posteriorem incompossibilem priori; sed in lege nouâ Christi neque est reuocatio prioris, nec incompossibilitas cum eâ, ergo non est reuocata per legem gratiæ. P. Suarez respondet Primò negando vltimâ consequentiam, quia præter illos duos modos inuenitur alius tertius abrogandi legem, vt scilicet ipsa per se cesset mutatione temporum. Ego hanc solutionem nullo modo capio, quia cùm in antecedenti dicatur solùm esse illos duos modos abrogandi, non video, quomodo, admisso antecedente & minore, posteà negetur consequentia, & dicatur esse alius tertius modus abrogandi: per quod non tam consequentia quàm antecedens negatur. Secundò respondet, Christum Dominum, esto non addiderit expressa verba reuocantia, verè tamen reuocasse antiquam legem. quod insinuat Paulus ad Ephesios 2. *Legem mãdatorum decretis euacuans.* Addit Suarez, malè à Caietano & Erasmo additam præpositionem *in*; quasi sensus esset, legem mandatorum in decretis consistentem, quia ea esset inutilis repetitio; ac si diceret, Mandatum in mandatis consistens; &, licet relinquatur ea præpositio in mandatis, optimè referri ad Christum: sicut dicimus, *In suis constitutionibus sanctus Ignatius aut Franciscus prohibent hoc aut illud.* Quod ipsum contra Erasmum notauerat benè Pater Vasquez disp. 180. cap. 1. Hæc etiam solutio, quidquid sit de eâ explicatione τὸ *in decretis*, non sufficit. Nam solùm quasi diuinat, dum dicit implicitè reiectam: non enim ostendit, cur, & quomodo. Respondebitur fortè, quia ferè omnia cæremonialia illius legis erant præfiguratiua Christi venturi: vnde ipso iam existente per se videbantur cessare. Sed contrà, quia hæc non est ratio generalis ad totam legem.

11. *Solutio. Qui reuocari lex possit.*

An à Christo sit reuocata.

12.

Obiectio. Solutio. Locus Pauli ad Ephesios à hic parum probat.

Dices: Paulus eo citato loco testatur eam abrogationem à Christo factam. Sed contrà, quia Paulus, licet dicat factam abrogationem per legẽ fidei, non declarat quomodo, an Christus eã expressè voluerit cessare, an solùm posuerit conditionem, vsq; ad quã altera erat duratura, an verò per repugnantiã vtriusque: τὸ enim decretis non denotat ibi mandatum de reuocatione antiquæ; illud enim non fuisset nisi vnicum; denotat ergo legem nouam, quæ multa decreta & mandata cõtinet. Meliùs ergo potest ei obiectioni responderi, ex Scripturâ colligi latam ab ipso Deo eam legem solùm *donec veniret semen*, vt ait Paulus ad Galatas 3. & Lucæ 16. dicitur, *Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem*; ideò per ipsam adimpletionem eius conditionis illam cessare: quare neganda est maior obiectionis, scilicet, solùm posse legem duobus illis modis abrogari. Quam solutionem etiam tradidit ibi Suarez.

Qui reuocata sit.

13. Quartum & vltimum dubium de Iudæis non credentibus facile etiam est; dico enim, illos ex ignorantiâ crassâ (fortè etiam sæpè inuincibili in multis ex illis) procul dubio esse obligatos ad eam legem seruandam, quia putant adhuc illam vigere; re tamen ipsâ eos non teneri, quia (vt diximus) illa est abrogata in se, eò quòd venit tẽpus, vsq; ad quod præcisè erat valitura: ergo iam nullum obligabit. Deinde Iudæi obligantur re ipsâ suscipere fidem Christi, ergo non tenentur ad Iudaicam, quia non possunt simul ad duas repugnantes teneri. Hæc verò ratio non admodũ vrget; responderi enim posset, eos, quamdiu non volunt Christianam suscipere, teneri ad Iudaicam, ne maneant sine vllâ lege, ità vt, suppositâ voluntate non recipiendi Christianam, peccent, si non seruent Iudaicam. sufficiat ergo prior ratio.

Iudæi de facto non tenẽtur ad priorem, sed ad nostram legẽ.

Iam ad testimonia inoppositum inde desumpta, quòd aliquoties dicatur ea lex perpetuò duratura, &c. respondetur, in Scripturâ sæpè eas voces vsurpari pro longissimâ duratione, imò aliquando vox *æternum* pro solo sæculo: sic dicitur Exodi 15. *Dominus regnabit in æternum & vltrà*: sic etiam inter homines matrimonium dicitur perpetuum, quia durat vsque ad mortem vnius è coniugibus: & verò ipsi Iudæi debent fateri, non posse ibi in eo rigore accipi, quem præ se ferunt, verba; nam saltem in fine mundi ea lex cessabit: nihil ergo ex eo modo loquendi infertur pro ipsis. Vide Tostatum quæst. 18. in 12. cap. Exodi, & Pererium nostrum ibi, ac in cap. 13. & 17. Genesis.

Cur ea lex dicatur quandoq; in Scripturis perpetuò duratura.

SECTIO III.

Declaratur in ordine ad quæ præcepta lex cessauerit.

14. TRiplicia præcepta lex illa continebat, vt sæpè diximus, moralia, cæremonialia & iudicialia; quæri ergo potest, an respectu omnium, an verò solùm secundùm partem cessauerit: & quæ illa sit.

Triplicia veteris legis præcepta.

Lex Mosaica quà talis quoad omnia præcepta simpliciter cessauit.

Conclusio sit, Lex illa vt Mosaica, seu vt per Moysen data, cessauit simpliciter & absolutè quoad omnia etiam moralia, seu quoad præcepta naturalia; hoc est, vt iam ea promulgatio legis facta à Moyse non ampliùs nos ad vllam rem obliget, quàm si numquam fuisset.

SVBSECTIO I.

De cæremonialibus.

Probatur quoad cæremonialia cessasse.

QVod lex hæc cessauerit quoad cæremonialia, constans est omnium doctrina; & videtur maximè ex præcedentibus inferri. Nam si illa lex quoad aliqua cessauit, certè quoad cæremonialia, quia hæc maximè propria erant eius legis, & minùs videbantur necessaria ex naturâ rei. Obijci solet in contrarium obligatio soluendi decimas, quæ videtur fuisse è cæremonialibus; & tamen permanet in lege gratiæ. Respondetur, eam legem quodammodò esse naturalem, quatenus naturalis est obligatio in populis ad sustẽtandos Sacerdotes cultui Dei mancipatos, ac pro populo orantes & laborantes. Quòd autem pro eâ re sint designatæ decimæ potiùs quàm octauæ aut duodecimæ, est quidem positiuum, & manet, non quatenus Moyses obligauit, sed quatenus Ecclesia iudicauit illam esse commodam solutionem, eámque voluit fidelibus præcipere: quod vltimum dici etiam potest, licèt ea obligatio in genere sustentandi Sacerdotes non sit naturalis, sed purè positiua. Potest enim Ecclesia per imitationem legem aliquam similem instituere.

Cur lex decimarum in Ecclesiâ permaneat.

An ea cæremonialia possit Ecclesia reuocare.

Circa hoc tamen moueri difficultas posset, vtrũ ea cæremonialia sint ita iure diuino prohibita,

Digitized by Google

bita, vt Ecclesia non habeat potestatem ea iterùm reuocandi & instituendi; an verò solùm sint abrogata, non reprobata. Fortasse aliquis putaret ex illo loco Act. 15. iure diuino ablata; dicitur enim ibi, *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltrà imponere*, &c. Ergo ex Spiritus sancti reuelatione abrogata sunt. Hic tamen locus nō multum vrget, quia ibi solùm declaratum est, iam nō obligare vi prioris præceptis an autē Ecclesia posteà aliqua suâ propriâ lege Canonicâ de nouo instituere posset, non fuisse ibi prohibitū: & verò videtur de facto in multis imitata Synagogam, vt in ædificatione templorū, in Festo consecrationis templorū, quod succedit Festo tabernaculorum, in assignādis vestibus proprijs pro Sacerdotibus celebrantibus & sacrificantibus, in luminibus, in templis, in ieiunijs; licet in his omnibus non seruarit omnimodam similitudinem.

Ecclesia Synagogam in quibusdam imitatur.

16. Pro hac quæstione decidendâ suppono, siue circa mortem Christi, siue tempore illi proximo, siue paulò post promulgatum Euangelium, cæremonialia non solùm esse eo sensu abrogata, quòd iam nulla sit obligatio ea seruandi, sed etiam quòd sit peccatum graue, ea nunc vsurpare per modum cultus Dei. Dico *per modum cultus*, quia ex necessitate corporali aliqua admittere ex se licitum est. Vnde si ob sanitatem necessaria esset alicui circumcisio, haud dubiè, sicut ob eamdem sanitatem potest quis digitum, manum & brachium sibi curare abscindi, posset etiam se circūcidere; ergo sensus est de vsu per modum cultus Dei. Suppositio hæc iam à tempore Hieronymi reputabatur de fide. Vnde Hieronymus putans ab Augustino doceri contrariū ex verbis aliquibus, quæ in quadam Augustini Epistolâ legerat, ei scribens dixit Epistolâ 89. *videri sibi aliquid hæreticum in Epistolâ Augustini contineri*; Augustinus autem purgauit se limitando suam propositionē ad tempus breue post Christum: quod solum se intendisse semper protestatur Epistolâ 19. Eadem veritas ex traditione Ecclesiæ præcisè videtur credita; nam locus Scripturæ vel Concilij ante Hieronymum vbi id definiatur, non adducitur. sed de hoc fusiùs infrà.

Quando cæremonialia sub graui delicto fiunt interdicta.

Qui circumcisio de facto licita reddi potest.

17. Hinc obiter reijciendus est Caietanus 3. part. q. 73. art 1. vbi dicit, Si quis sine spiritu legis veteris velit circumcidi, vt Christo assimiletur, & non sit aliunde scandalum, posse ab omni culpâ excusari, imò cum merito id facere; & putat de facto ita fieri apud Abyssinos. Cui sententiæ fauet Medina hîc quæst. 103. art. 4. ad 5. Reijciendus, inquam, Caietanus, quia reuerà talis vsus vel est superstitiosus, vel est contra charitatem in seipsum: si enim fiat solùm animo se mortificandi, & imitandi Christum in eo dolore, erit contra charitatem in se; sicut si abscinderet sibi partem digiti, aut aliquam partē carnis in corpore propter mortificationem; non enim eiusmodi mortificationes licitæ nobis sunt; si verò faciat animo imitandi Christum in ipso etiam fine, quem Christus habuit; procul dubio, sicut Christus habuit animum seruandi legem, & suscipiendi in se illud Sacramentum, eodem modo deberet illum animum habere, si eo fine se circumcideret: hoc autem iam esset velle seruare legem, & exercere cultum Dei in eâ cæremoniâ; quod Hieronymus dicit esse hæreticum, & admittit Augustinus pro hoc tempore, licet, vt diximus, aliquot annis post Christum dicat licuisse. de quo paulò pòst.

An licita sit circumcisio, vt assimiletur Christo.

18. Supposità hac veritate, difficultas est, quæ & quanta sit ea prohibitio; nam esto aliqua lex abrogetur & declaretur perijsse, nō propterea prohiberur quis facere sine obligatione id ad quod anteà tenebatur: si ergo quis, tamquam opus non obligatorium, vellet occidere agnum in honorem Dei, ad protestandam summam illius auctoritatem in homines, cur, quæso, ille peccabit? numquid, si id factum fuisset ante legem datam, non fuisset licitum? Certè eodem modo Abel obtulit sacrificium Deo, & Cain; qui licet ob modum aliamve circumstantiam non placuerit, tamen in substantiâ sacrificij non peccauit: & gratis diceretur eos habuisse eâ de re singularem à Deo reuelationem: si ergo id ante legem licitū erat, cur non postquam lex cessauit? Quòd si priuatâ auctoritate potest id fieri, poterit Ecclesia tales cæremonias publicâ lege instituere?

Cur immolationes hostiarum sint iam illicitæ.

Subsectio. II.

Examinantur rationes pro communi doctrinâ.

Suarez mens duplex.

PAter Suarez cap. 18. duas vias videtur ingredi ad defendendam eam conclusionē: Primò enim docet, eam prohibitionem solùm esse ex iure Ecclesiastico; quia Ecclesia videns eas cæremonias non esse vtiles neque ad Iudæos alliciendos, neque ad obseruationē legis Christi, prohibuit, ne illæ fierent: vnde consequenter infert, Ecclesiam, si velit, posse in hoc puncto dispensare, & iterùm condendo præceptum eas imperare, moraliter tamen esse impossibile, quia non id permittet Spiritus sanctus: sicuti, licet prohibitio non celebrandi Pascha eodem die cum Iudæis sit præceptum positiuum Ecclesiæ, numquam tamen in eo dispensabitur, nec dispensatum est. Hæc doctrina difficultatem patitur, quā ipsemet Suarez tetigerat cap. 14. Nam D. Thomas & Theologi communiter assignant differentiam inter cæremonialia & iudicialia; quòd iudicialia possint ab Ecclesiâ vsurpari vi nouæ legis tamquam vtilia ad Rempublicam gubernandam; cæremonialia verò non possint: ergo supponunt Theologi cum D. Thomâ, non esse in potestate Ecclesiæ resumere eas cæremonias.

19.

Qui differāt cæremonialia à iudicialibus.

Fortè huic obiectioni responderi posset, differentiam in eo cōsistere, quòd cæremonialia moraliter non possint recipi, iudicialia verò possint etiam moraliter: hoc tamen mihi est difficile in hac solutione; nam si illæ cæremoniæ in se non sint malæ, & Ecclesia habet absolutè potestatem eas vsurpādi, non potest reddi bona ratio, cur repugnet moraliter ea innouatio, licet fortè numquam vlteriùs sint de facto vsurpandæ.

Refellitur prior.

Secunda via, quam P. Suarez ingreditur, est, de iure diuino esse eam prohibitionem cæremoniarum: nam eo ipso quòd trāsierit tempus, pro quo institutæ erant, desierunt esse cultus Dei, & transierunt in rationem superstitionis; tunc autem eo ipso iure naturali sunt malæ, quia omnis superstitio lege naturæ prohibetur. Id explicat in primis in sacrificijs & Sacramentis, in quibus consistebat præcipuus cultus Dei: etenim auctoritate priuatâ non potest sacrificium instituī; Ecclesia autem non habet auctoritatem instituendi sacrificia, quia id esset contra Christi institutionem; qui vnicum sacrificium loco omnium instituit. Ablatis autem hoc modo sacrificijs, necessum etiam fuit sacerdotium cessare; Sacramenta item instituere non pertinet ad Ecclesiam, nisi ex delegatione Dei, ergo. Id ipsum

20. *Altera eiusdem opinio.*

Digitized by Google

dicit in alijs cæremonijs minoris momenti, quia si prudens ratio non dictauerit eas esse necessarias ad finem præcipuum colendi Deum, tũc erunt superstitio, & consequenter iure naturali diuino prohibitæ. In hanc eamdem doctrinam videtur Pater Tannerus coincidere, dum q. 3. dubio 5. ait aliquas cæremonias adeò imperfectas & vmbratiles fuisse, vt, seclusâ peculiari institutione Dei, peculiaribúsq; rationibus, quibus olim ad eas constituendas Deus motus fuit, non videantur posse conuenienter in Dei cultum quacũque demum intentione vsurpari. Nec multum abest Pater Salas disp. 23. num. 44.

21. *Reijcitur & posterior. Ad Sacramẽta Dei requiritur institutio; ad sacrificia humana etiam priuata sufficit.*

Ego tamen, vt verum fatear, non video benè huius rationis vim; & vt certa ab incertis separemus, libenter concedo, Sacramenta quà talia non posse institui nisi ex peculiari Dei concessione, vt suo loco ostendi: & de circumcisione infrà dicam idem: at si de sacrificijs sermo sit, certum est, per se loquẽdo, ad ea non requiri Dei institutionem, imò, neq; omnino publicam: nam sæpè legimus in Genesi sacrificia ab Abrahamo, Iacob, Noë & alijs, & non videmus ibi specialem Dei institutionem, neq; publicam auctoritatem, vt in ratione dubitandi paulò antè notaui. Quod verò id dicitur esse contra sacrificium Christi Domini, in primis falsum est, quia posset quis respondere, Esto illud sit sufficientissimum, quia tamen non semper possumus illud exhibere, esse etiam pro alijs minoribus locum; sicut non est contra excellentiam actus charitatis, quòd etiam actus aliarum virtutum sint boni & meritorij & liciti. Secundò, si id verum sit, tunc non ex iure naturali diuino, sed ex voluntate Christi quodammodò volentis nullum aliud esse sacrificium debet ea ratio desumi. Quòd verò dicat Tannerus aliquas res esse tales, vt, nisi accedente Dei dispositione, non possint vsurpari, videtur planè gratis dictum; quia sicut Deus habuit in illis iusta motiua, ita homo potest similia motiua aliquot inuenire. Et certè, quod Iacob fecit fundens oleum supra lapidem, videbatur ex se valdè leue; & tamen erat in cultum Dei: nec est credibile Deum id ei specialiter reuelasse. Cõfirmo: Aliqui dum orant, assumunt pro signo reuerẽtiæ & cultus Dei, expansa tenere brachia, alij iacere, alij flectere, alij stare; cur ergo non posset quis animo protestandi se esse Dei seruum, &c. hanc aut illã cæremoniam accipere? quòd si in priuatâ personâ id non videtur illicitum, multò minùs erit in capite Reipublicæ. Vbi rationem à priori meo iudicio euidentem do (siue iam illæ cæremoniæ vocandæ sint sacrificia, siue non, quod fortè ad modum loquendi pertinet:) Etenim sicut voces, quæ sunt signa ad placitum, possunt vsurpari ad significandum id, cum quo naturâ suâ nullam penitus habent similitudinem; quam enim, quæso, habet cum infinitâ Dei bonitate & potentiâ affinitatem hæc vox *Deus*? cur, quæso, ex ipsis rebus, ad significandam Dei omnipotentiam & Maiestatem, non poterit Respublica instituere quæcumque signa, etiamsi nullam ex se habeant proportionem? semel autem datâ illis eâ vi significandi, sicut sanctè vsurpatur vox ipsa *Deus*, vt ad eum clamemus, ita etiam possent vsurpari res illæ; eo autem ipso essent cæremoniæ sacræ: non ergo sufficienter ostenditur ea intrinseca malitia in eis cęremonijs, etiamsi à Deo instituę nõ sint.

An res aliqua tales sint, quæ non nisi ex dispositione Dei vsurpari possint.

22. *Probatur fusè quod non.*

23. Ideò fortè aliquis diceret, à Christo Domino inter alia moniros Apostolos, ne eiusmodi sacrificia & cæremonias tolerarent; idq; postea ab eisdem per traditionem in hæc tempora deriuatũ. Verùm hæc solutio inde reijcitur, quòd aliquandiu Apostoli permiserint aliquos Iudaicos ritus, vt infrà dicetur.

Rationes Suarij probabiles.

De circumcisione, infrà ostendens eam, cùm primùm desijt esse sub obligatione, fuisse etiam illicitam, rationem reddã, vnde id illi proueniat; & quidem ex naturâ rei. De sacrificijs verò dici potest, esto illæ rationes Patris Suarez non omnino conuincant, esse tamen satis probabiles: &, potest sic res tota ampliùs declarari: nam licet quando non est aliquis Legislator spiritualis caput Reipublicæ, licitum fortè sit cuilibet priuato accipere in cultum Dei aliqua per modum sacrificiorum; id quod probat instantia à me allata de sanctis Patribus ante legem scriptam: at quando est talis Legislator, qui disponit ea quæ ad religionem spectant, iam non esset ex naturâ rei licitum priuatis personis aliqua instituere singularia sacrificia, quia id esset in magnam religionis turbationẽ: ex quo capite licet non legamus expressè prohibitum in lege Moysi, ne præter ea, quæ in ipsâ continebãtur, possent aliqua talia sacrificia institui, non dubium tamen, quin ei non fuerit licitum, ob rationem immediatè datam. Ergo, cùm in lege gratiæ Christus Dominus sit perfectissimus Legislator, non licebit alia vsurpare sacrificia, quàm quæ ab ipso instituta sunt; ergo antiqua, quæ (vt infrà dicemus) ipso puncto, quo noua lex cœpit obligare, amiserunt institutionẽ diuinam priorem, & à Christo nullam nouam acceperunt, probabilissimè eo ipso reddita sunt illicita; esto hanc veritatem aliquamdiu ignorauerint Apostoli, vt infrà dicemus. Vnde ea prohibitio potest modo explicato dici esse de iure diuino aut naturali; supposito, quòd Christus ea non instituerit.

Res magis declaratur. Quando sit licitum priuatis personis instituere sacrificia, quando non.

24.

Quo iure prohibita dici possint ea sacrificia.

Id confirmant Hieronymus & Augustinus, dum per traditionem Ecclesiæ dicunt constare, non esse licita eiusmodi cæremonialia: non enim dicunt ab Ecclesiâ prohibita, sed per traditionem Ecclesię cõstare de prohibitione vtiq; à Christo factâ, vel ab Apostolis ex mandato Christi. quod pro præsenti puncto idem est. Neq; enim satisfacit Suarez, qui ideò putat ab Augustino doceri eam prohibitionem non esse de iure diuino, quia aliquamdiu tolerarũt Apostoli ea cæremonialia: non, inquam, id placet, quia sicut ex voluntate Christi fuit, quòd Baptismus obligauerit, & tamen, teste ipso Patre Suarez, non statim obligauit, sed suo tempore, prout promulgabatur Euãgelium; ita potest dici ex voluntate Dei ea cæremonialia fuisse reprobata, esto aliquamdiu eam voluntatem Apostoli ignorauerint; ac propterea, vt paulò antè dixi, non possit id reduci in expressum Christi præceptum Apostolis traditũ: vnde infertur, ab Ecclesiâ nó posse denuò instituí. Cur autem ante legem latam potuerunt multa, etiam priuatâ auctoritate, vsurpari sacrificia in cultum Dei, vt probant instantiæ suprà allatæ, paulò antè dixi.

Cur cæremonialia non statim reprobata.

25.

Cæremonia nostra nõ tam sunt ex lege veteri quàm naturæ.

Quod verò dicebatur, ab Ecclesiâ de facto multa vsurpata esse ex lege antiquâ, non vrget; quia illæ sunt cæremoniæ quædam accidentales non tam ex lege veteri quàm ex naturâ suâ aliquo modo necessariæ ad decentem vsum cultus diuini: vnde etiam Gentiles similes ferè cæremonias vi solius rationis naturalis vsurparunt pro cultu eorum, quos Deos reputabant: qualia sunt ibi enumerata de templorũ ędificatione, cõsecratione, de candelis in eis accensis, de Sacerdotum

in

in sacrificijs vestitu speciali & similibus; in quibus tamen ipsis maxima est diuersitas inter Ecclesiam & Iudæos: dem & de feminarum post partum domi ad aliquot hebdomadas continentiâ, quæ ex naturali aliquâ decentiâ fieri potest; & hoc solo modo in Ecclesiâ tolerantur.

Cur ab Apostolis & diu post retenta prohibitio de suffocatis nè comedendi.

Dices, Apostoli retinuerunt, ne comederetur sanguis; & ratione huius, ne vllum animal etiam volatile comederetur, nisi, dum occidebatur, effunderetur eius sanguis: quæ prohibitio videtur durasse in Ecclesiâ ferè ad octingentos annos, vt ex Concilio Gangrensi & alijs ostendunt auctores in præsenti. Circa huius præcepti intelligentiam variæ sunt sententiæ; de quibus non lubet agere, quia magis ad interpretationē Scripturæ spectant; hoc sanè debet ex communi ferè omnium contrà paucos aliquos certum esse, illud præceptum intelligendum vt sonat, non autem allegoricè; quasi ibi solùm prohibeatur homicidium seu effusio sanguinis humani; hoc supposito dicimus, illud fuisse impositum ab Ecclesiâ instinctu Spiritus sancti, non quia esset Iudaicū, nec quia esset aliquis specialis cultus Dei, sed quia, vt multi Patres docēt, erat valdè familiare Gentibus in suorum Deorum sacrificijs sanguinē comedere: vt autem magis viderentur Christiani à Gentilismo alieni, opportuna fuit prohibitio illa, quæ putatur solùm durasse quamdiu Gentiles Imperatores durarūt: nam Augustinus lib. 32. Contra Faustum cap. 13. indicat iam suo tempore non durasse: quod verò de aliquibus Concilijs recentioribus dicebatur, non vrget; facilè enim contingere potuit, vt in aliquâ particulari Prouinciâ occurrerit specialis ratio renouandi illud præceptum. Vide Patrem Suarez eo cap. 20. à num. 8. ad 16.

26.

Svbsectio III.

Quid de iudicialibus.

27. *Præcepta iudicialibus obligari velle peccatum est.*

FAcillimè ab his nos expediemus; etenim cùm ostenderimus, legem absolutè perijsse, certum est, non obligari nos ad ea præcepta iudicialia: vnde ea velle iam exequi tamquam si essent sub obligatione, erit haud dubiè peccatum.

Obiectio.

Dices, Act. 15. (vbi videtur abrogata lex) solùm erat quæstio de circumcisione & cæremonijs; ergo iudicialia non sunt abrogata. Confirmatur? Cæremonialia ideò sunt abrogata, quia Christum venturum præfigurabant; Christo verò existente perire debebat figura; iudicialia verò non erant vmbra futurorum, ergo poterant permanere: vnde multi sancti Patres non loquūtur nisi de cæremonialibus, quando dicunt legem perijsse. Respondeo, Esto eo loco Act. occasio solùm fuerit desumpta ex cæremonijs, nihilominùs absolutè Apostolos iudicasse, nihil ampliùs oneris imponendum præter ea quæ ibi numerantur: atqui iudicialia præcepta sunt onera, & valdè grauia, distincta ab illis tribus; ergo censentur ibi ablata. Paulus item necessitatem legis seruandæ in circumcisionem refundit; vnde clarè infertur, cessante obligatione circumcisionis, perire obligationem totius legis. id quod ex subsectione 4. clariùs constabit. Quòd verò Patres aliqui non exprimant ea iudicialia, non vrget; quia non propterea affirmant mansisse; fortè etiā aliquando affirmant aliqua sensu iam explicando.

Solutio. Cur iudicialia ab Apostolis prohibita.

Addendum ergo est huic doctrinæ, iudicialia præcepta, quia continebant directè & immediatè non tam res ad religionem spectantes, quàm ad ciuilem vitam & Rempublicam humanam benè formandam; & in hoc puncto sæpè eadem præcepta sunt vel necessaria, vel valdè vtilia quæcumque in eis diuersis Rebuspublicis religio seruetur: vt patet in Regnis Ethnicorū, qui in multis rebus politicis conueniunt cum Christianis, vt & ipsi Gentiles inter se, etiamsi in religione valdè differant: certum ergo est, Ecclesiam meritò inde potuisse multa accipere, quæ pro Christianâ Republicâ iudicauit vtilia: & idem de Regibus vel Principibus temporalibus intelligendum est. Deus enim, qui probè nouit, quomodo debeāt contineri homines in Republicâ, quique in lege veteri, in assignandis pro hoc fine legibus & præceptis, non tam attendit ad figurandum Christū futurum, quàm ad extrinsecam vtilitatem rerum præceptarum, haud dubiè dedit exemplar in eis legibus, quod ab Ecclesiâ magnâ ex parte transferri ad nos potuerit. Dico *magna ex parte*, quia etiam in huiusmodi legibus ciuilibus multa specialiter ordinantur hoc vel illo modo occasione religionis, Sacerdotum, sacrificiorum, &c. talia autem sine dubio pro Ecclesiâ apta non sunt.

28. *Cur Ecclesia iudicialia quadam veteribus similia sibi potuerit vsurpare.*

Hoc tamen aduertendum, ea iudicialia non obligare nisi Ecclesia vel Princeps sæcularis suâ lege, quæ humana est, illa præcipiat; nam antiqua obligatio perijt omnino.

Quando ea iudicialia obligent.

Svbsectio IV.

Quid de præceptis moralibus sentiat Pater Vasquez.

29. *Non est dubium, nos teneri ad non furandū, &c. sed, an ex vi legis Mosaicæ Vasquez affirmat.*

PRæcepta moralia, quæ continent materiam ex naturâ suâ necessariam, maiorem nobis facessunt difficultatem; supponendum autem est, non esse sermonem, an absolutè teneamur ad nō furandum, non mentiendum, &c. extra controuersiam enim est, teneri; sed, an teneamur vi legis à Deo per Moysem datæ: quâ de re fusè P. Suarez cap. 12. & Pater Vasquez disp. 180. cap 3. vbi putat, adhuc eam legem quoad moralia omnino vigere. Fundamentum primum illius est, quod Christus Dominus Matth. 5. dixit, *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Constat autem eo capite sermonem esse de præceptis Decalogi, ergo. Ego hoc testimonium omnino iudico inefficax: etenim Christus Dominus τὸ *soluere* ibi nō vsurpat pro *tollere legem*, sed pro *non obseruare illam*: quod inde probo, quia statim addit, *Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in Regno cœlorum.*

Testimonium pro Vasquez allatum est inefficax.

Inde dupliciter argumentor. Primò, in eadem significatione debet vsurpari τὸ *soluere* in vtraq; propositione sibi immediatâ: atqui in secundâ nō potest intelligi de abrogatione, quia homo non potest abrogare præceptum Dei: nec agit Christus contra abrogantem, sed contra non facientem; cui opponit alia verba, *Qui autem fecerit, &c.*

Secundò argumentor, quia cùm dicat *de mandatis istis minimis*, manifestè includit legis propria mandata, non præcepta naturalia, quia hæc non sunt minima; illa verò propter res, quæ ex se nullius videbantur esse momenti, meritò dixit Christus minima. Aliter P. Suarez probat eo loco non esse mentē de abrogatione legis naturalis,

Secundò id refellitur.

Digitized by Google

tum quia vniuersaliter verbũ illud ponitur sine differentiâ inter legem cæremonialem & moralẽ.

Addo ego, cùm Christus dixerit, *legem & Prophetas*, Prophetæ autem non de lege naturali, sed de Christo venturo locuti sint, & consequenter de sacrificijs, cæremonijs, &c. non potest ea obseruatio ad sola moralia limitari, tum quia *τὸ iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant*, sine dubio impletionem propheiarum denotat, non autem reuocationẽ aut approbationem legis. Denique addit meritò Suarez, Esto ibi approbauerit Christus ea præcepta, non continuò ea approbasse vt à Moyse data, & vt sic duratura, sed quia ipse ea tunc instituit.

Quî Christus ea præcepta ibi approbarit.

31. Secundò argumentatur Vasquez ex cap. 13. ad Romanos, vbi Apostolus adducens vniuersa præcepta Decalogi dicit ea instaurari in hoc verbo, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; ergo sentit Apostolus adhuc durare ea præcepta. & ad Ephes. 6. *Honora patrem tuum, & matrem tuam; quod est mandatum primũ in promissione.* & Iacobus Apostolus cap. 2. *Si tamen legem perficitis regalem secundùm Scripturas: Diliges proximum tuũ sicut teipsum.* & infrà: *Quicumq; totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit, &, Non occides.* Ijs locis, quæ Pater Vasquez fortiora iudicat Suarez nihil respondet. Ego tamen dico, illis non probari quidquam de eâ perseuerantiâ; solùm enim datur doctrina generalis, quæ omnino est independens à lege Moysi: etenim, esto illa lex nullo modo existat aut extiterit, veriſſimum tamen est, omnia præcepta naturalia, *Non adulterabis, Non furaberis*, &c. in hoc verbo instaurari, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quæ expositio habet locum pro Iacobi dicto; nam qui transgreditur vnum præceptum censetur absolutè Dei inimicus, etiamsi alia non trãsgrediatur: siue id prohibitum lege naturæ, siue lege scriptâ, siue lege gratiæ. Paulus item ad Ephesios 6. quando hortatur ad honorandum parentes, non docuit, illud mandatum iam obligare vi illius prioris legis, sed perinde ac si dixisset, *Quod olim fuit à Deo mandatum in primo præcepto promissionis à te ego peto, quia etiam nunc est obligatorium*; *vndecumque ea obligatio veniat*: de quo vltimo ibi Paulus non agebat: quod verò proponat illa præmia, quæ olim in lege proponebantur, non vrget, quia ex naturâ suâ pietas est vtilis, etiam ad imperandum à Deo longiorẽ vitam: nam qui parentes vexant solent miserè perire; qui verò eos colunt etiam in hac vitâ, solent habere retributionem. Paret tamen Suarez putat promissionem hanc vt temporalẽ cessasse; & solùm eo sensu durare, quatenus significat vitâ æternam, quâ pietate erga parentes promeremur. Ego verò, iuxta solutionem paulò antè datam, etiamsi vi legis antiquæ non duret ea promissio; si enim non duret præceptum, haud dubiè nec præmium obseruationis præcepti durabit; nihilominùs censeo, Paulum ibi meritò posuisse etiã pro lege gratiæ eam promissionem non vt certã, sed vt habentem aliquam congruitatẽ; quia certum est, sæpè Deum præmia temporalia in hac vitâ ob aliqua pietatis opera largiri, sicut è contrario aliquas pœnas immittit ob aliqua peccata: per quod non relinquit ea deinceps in inferno impunita; sicut neque è contrario negat præmiũ æternum illis bonis operibus, ob quæ ex congruitate dedit aliqua temporalia in hac vitâ.

Secunda Vasquez probatio.

Respondetur testimonijs.

Qui promissio longioris vitæ ob honorem parentũ facta adhuc duret

33. Tertiò argumentatur Vasquez ex Augustino, qui lib. 10. Contra Faustum cap. 2. hæc habet: *Respondeo, seruari a Christianis etiam ex ipsis libris præcepta vitæ agenda*, hoc est moralia. Id ipsum supponere videtur D. Thomas quæst. 103. & 104. cùm cæremonialia & iudicialia dicit perijsse, nihil verò de moralibus asserit: & lect. 5. in cap. 2. ad Ephesios ait: *Dicendum quidem est, quod in veteri lege duplicia erant præcepta, moralia & cæremonialia: moralia quidem præcepta Christus non soluit, sed adimpleuit.* Item clarissimè videtur tradidisse Leo Papa Sermone 14. de Passione Domini, vbi ait: *In præceptis autem moralibus nulla prioris Testamenti decreta reprobata, sed Euangelico magisterio multa sunt aucta.* Respondeo, hæc testimonia non esse contra nos: etenim ibi sancti Patres solùm loquuntur de illis præceptis quasi materialiter; dicunt enim ad omnia, quæ per legem moralem mandabantur, nos teneri de facto; id quod libenter fatemur; non autem dicunt teneri; quia ibi sunt mandata: vnde Diuus Leo Sermone 6. de ieiunio dicit, *Translato de mandato veteri ad nouam obseruantiam*, seu ad nouum mãdatum: per quod satis insinuat cessasse illud mandatum, & successisse aliud: circa eamdem tamen rem D. Thomas videtur magis ei sententiæ fauere; adhuc tamen est capax datæ expositionis. Paludanum & Durandum & alios, quos pro se affert Vasquez, explicat Suarez probabiliſſimè in eo sensu quo Augustinum & Leonem.

Tertium Vasquez argumentum.

Explicantur Patres.

34. Ratione argumentatur Vasquez, quia ea præcepta nec cessarunt, quia Deus aut Christus ea reuocauerit; nullius enim esset vtilitatis in materiâ, quæ necessariò semper seruari debet, reuocare præceptum: quid enim diceret Deus, *Nolo vt iam amplius vllus obligetur ad eas res ob meum mandatum, sed quia ex natura rei ipsa id exigunt?* Nec item potest dici cessasse ea lex, eò quòd ab initio lata non sit, nisi vsque ad tempus Christi: cur enim rem, quæ perpetuò obligat, vt sunt præcepta naturalia, voluisset suo mandato confirmare ad tempus & non pro semper? quâ occasione docet Vasquez, à lege latâ fuisse obligatos etiam Gentiles ratione eorum præceptorũ moralium; quòd verò ante latam legem dicat Deus Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxite de terra Ægypti*; per quod videtur ostendere, se in totâ eâ lege solùm agere cum Iudæis; hoc, inquam, putat Vasquez non obesse; quia esto Deus profiteatur se Deum illius populi, non propterea significat se solùm cum illo agere, nisi præcisè in eis præceptis, quæ solùm pendent à liberâ voluntate, non verò in eis, quæ ex naturâ suâ mala sunt.

SVBSECTIO IV.

Respondetur huic rationi; & vera sententia fundetur.

35. REsolutio huius argumenti petet probationem nostræ sententiæ, in quâ ostendendum est, cur, & quomodo ea præcepta sint abrogata. Igitur nostra conclusio initio sectionis posita, vniuersalis, & prout extendit se ad præcepta etiam moralia, defenditur à Scoto lib. 2. de Iustitiâ quæst. 5. art. 4. concluſ. 2. & Victoriâ relect. de matrimonio 2. part. num. 3. & aliquibus alijs Thomistis, qui iudicant contrariam esse erroneam aut improbabilem: eamdem Suarez tradit loco citato: fusè Valentia Tomo 2. disput. 7. quæst. 7. Cardinalis Toletus ad Romanos 3. annot.

Legem etiam quoad moralia abrogatã asserunt Scotus, Victoria, Suarez, &c.

Digitized by Google

not. 15. Barradas Tomo 1. lib. 2. cap. 21. Tannerus quæst. 3. dub. 4. num. 63. & Salas disp. 23. sect. 3. vbi multos alios pro eâ refert. Probari verò posset, eò quòd dicat Paulus ad Hebræos 7. reprobationem factam prioris mandati propter infirmitatem eius: hæc tamen auctoritas non videtur facere ad rem præsentem, quia etiam deberemus dicere, præcepta ea quà naturalia fuisse reprobata; id quod nemo somniabit: ergo Paulus ibi solùm agit de præceptis cæremonialibus, quo sensu intelligendus est, dum dicit idem Apostolus ad Ephesios 2. *Legem mandatorum euacuans*, id est legem cæremonialem. Quòd si velimus aliter duo ea loca interpretari, dicamus, in eo sensu eam legem hîc dici euacuatam & reprobatam; quòd cùm prius fuisset lex mandans, & nó dans vires ad faciendum id quod mandabat, iam lex gratiæ det vires, ideóque sit lex viua, lex faciens, &c. Tertiò solet afferri alius locus ad Galatas 3. *At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo*: quis autem pædagogus, nisi lex, etiam prout ad moralia extenditur? Verùm hic locus est valdè debilis; probaret enim, neque nos teneri præceptis naturalibus; quia etiam illa sunt pædagogus. Communis ergo eius loci explicatio est, ibi solùm esse sermonem de ceremoniali lege, vel intendi à Paulo idem, quòd paulo antè obseruauit scil. legem nouam non solùm dicere quæ debeamus facere, quod præstat pædagogus, sed etiam iuuare nos, & dare vires ad id faciendum.

Euincuntur quædam loca Pauli de cæremoniali solùm lege agentia.

36. His ergo testimoniis relictis, sic argumentor Primò: Lex antiqua absolutè dicitur mortua & cessasse; non est autem vlla ratio, cur limitetur ad duo genera præceptorum, & non extendatur ad omnia tria; ergo vniuersaliter de omnibus id est asserendum. Consequentia est bona. Antecedentis prima pars secundùm se sumpta est certa. Quòd verò non sit fundamentum ad eam distinctionem patet, quia si aliquod esset, maximè, quòd materia illorum præceptorum etiam nunc obliget: atqui hæc ratio nihil penitus valet, ergo. Probo minorem, quia illa obligatio potest commodissimè retineri, eò quòd lex naturalis obliget; vel quia Deus ipse per Christum de nouo eam materiam præcepit, neque necessum est recurrere ad perseuerantiam vllam eius legis, ergo.

Probatur primò nostra sententia, quia vetus lex mortua dicitur.

37. Secundò argumentor ex eo loco Exodi 20. quem contra se Vasquez posuit, & non soluit sufficienter: etenim ea lex data fuit tota quanta soli illi populo Iudaico; ergo nos non obligamur vi illius. Consequentia est bona. Antecedens patet, quia ante eam legem præmittitur, *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. Respondet verò Vasquez, pro hoc solùm denotari, Deum loqui cum solis Iudæis in præceptis quasi ad placitum, non verò in his, quæ sunt de iure naturæ. Hanc solutionem euidenter ego sic reiicio, quia non magis requiritur auctoritas supra me v.g. in Legislatore, vt materiam ad placitum mihi imperet, quàm vt imperet materiam ex se alioqui necessariam, ita tamen, vt eius imperium quà tale in me nouam inducat obligationem; ergo cùm Deus ibi solùm præmiserit suam auctoritatem supra Iudæos, manifestè denotauit, se tunc solis illis obligationem nouam velle ponere: nam si voluisset Gentes obligare, debuisset se etiam Gentium Dominum dixisse: quòd enim materia sit necessaria vel contingens, parum facit ad rem, cùm obligatio imposita quoad vtramque sit noua, & quoad vtramque requirat iurisdictionem: neque hanc rationem debilitat, quod aliqui dicant ibi nomine Iudæorum intelligi totum populum Christianum, qui eductus est ex potestate diaboli. Hæc enim solutio est allegorica, non litteralis. Deinde, si vera est, cur non extenditur ad totam legem, vt eâ totâ nos obligemur?

Secundò probatur ex Exod. 20. c. quia lex illa data soli populo Iudaico.

Vasq. responsum reijcitur euidenter.

An, & quomodo per Iudaicum Christianus populus intelligatur.

38. Tertiò, quia saltem ad Gentiles & Ægyptios non poterat extendi; hoc autem sufficit pro me; nam inde tertium argumentum sic formo: ad hominem quidem contra Patrem Vasquez, quia ille putat, si nos obligamur eâ lege quoad moralia, etiam fuisse obligatas tunc temporis Gentes; & è contrario, si Gentes non fuêre obligatæ, nec nos obligari, quia non magis ad nos quàm ad Gentes ibi locutus est Deus. Atqui longè probabilius, si non omnino certum, est, Gentes non fuisse obligatas eâ lege, quà per Moysen lata; ergo neque nos eâ obligamur. Probo minorem, in quâ solâ est difficultas; & in primis expressè illam tradidit D. Thomas quæst. 98. art. 5. quatenus ait, Gentiles obligatos fuisse ad seruanda præcepta Decalogi, non quatenus erant de lege Moysi, sed quatenus erant de lege naturæ. Secundò, quia Apostolus ad Romanos 2. id satis insinuat, dum ait, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*. Tertiò, quia lex non obligat nisi eos quibus promulgatur; vt est apud omnes receptum. Atqui negare nemo potest, eam legem totam quantam solùm fuisse promulgatam Iudæis, ideóque semper dictum, *Audi Israel. Ego sum Deus tuus, &c. qui eduxi te de terrâ Ægypti*; neque vllum signũ ibi fuisse, quod ea promulgatio etiam esset pro Gentibus, ergo. Confirmo & explico meo iudicio rem euidenter: Licet materia in eâ lege sit naturaliter & ex se prohibita, ea tamen prohibitio, quæ ex lege positiuâ Dei illi prouenit, est contingens, & quæ potuit illi auferri (vt Vasquez & omnes fatentur:) etenim ante illam legem latam, certum est non fuisse eam obligationem; item, certum est, Deum potuisse vel differre vel omnino omittere eam promulgationem; item, potuisse per illam obligare solos Israelitas, non autem Gentes. Hoc ergo supposito, quod, quæso, vel minimum in totâ eâ lege reperitur probans, Deum loqui cum Gentibus, & partem eius ad ipsas dirigi, partem vero non? quo ergo fundamento dicere possumus, Gentes fuisse ibi comprehensas; ergo certum debet esse, eam obligationem, quæ liberè addita, solùm respexisse Iudæos.

Tertiò probatur ad hominem contra Vasquez.

D. Thomas ostendit, quomodo Gentes fuerint obligatæ ad præcepta Decalogi.

Lex eum obligat, cui promulgatur.

39. Secundò id confirmo euidenter in ipso præcepto naturali, v.g. *Honora patrem tuum*, &c. promittitur enim præmium, quod solos Iudæos respiciebat; vt scilicet *sis longæuus super terram, quã Dominus Deus tuus dabit tibi*: etenim Gentibus nõ erat promissa terra promissionis; ergo illud non ordinabatur ad Gentes, sed ad Iudæos: quomodo enim Deus in eâ primâ parte *Honora*, loquitur cum toto mundo, & statim hæc verba, *vt sis longæuus*, coarctat ad solos Iudæos, &c.

Legem Gentibus promulgatam esse ostendi nequit.

Probatur id manifestè ex quarto præcepto.

40. Quartò eamdem sententiam probo cum Patre Suarez, quia lex illa tota data erat donec veniret semen; ergo tota cessauit, maximè Christo renouante ea præcepta: non enim erat æquum, vt duæ obligationes diuinæ essent in Ecclesiâ circa eamdem materiam.

Hinc ad argumentum vltimum Patris Vasq. dico, eam legem periisse, eò quòd totam Deus ab initio

Satisfit argumẽto P. Vasq.

Digitized by Google

initio condidit ad certum tempus: nego autem fuisse vllum in eo modo condendi absurdum, imò decentiam magnam, cùm videret à Christo ea præcepta renouanda. Quod verò in replicâ dicebatur, non videri æquum, vt Deus materiam per se necessariam præciperet solùm ad tempus, hoc, inquam, & ipsum Patrem Vasquez vrget; quia fateri debet, eam legem non obligasse antequam ferretur. Iam ergo sic argumentor: Potuit Deus rem semper obligatoriam non mandare ab initio, ergo etiam potuit non mandare vsque ad finem: non enim maior est repugnantia in eo, quòd non voluerit totum tempus à parte pòst, quàm quòd non voluerit totum à parte ante maximè cùm à parte post successerit statim altera etiam diuina prohibitio, ergo.

Eius replica in ipsum retorquetur.

41. Dices tamen hinc, Vt quid igitur, si altera diuina successura erat, necessum fuit priorem reuocare, nónne fuisset melius eamdem continuare? Respondeo Primò, priorem vi suâ non extendi nisi ad populum Iudaicum, vt ostendimus: Secundò, voluisse Christum suo populo hanc gratiam præstare, vt solus esset auctor & promulgator totius legis; nec posset Moyses gloriari, quasi per ipsum data esset Christianis lex. Denique obiicies, à me suprà dictum, eam legem non induxisse nouam obligationem quoad moralia, sed tantùm declarasse Deum, sibi ea obiecta esse contraria: ergo cùm ea declaratio habeat vim quasi propositionis dicentis, *Deo hoc displicet*; & propositio Dei semper sit vera, necessum est, vt ea lex adhuc duret; propterea enim Pater Suarez hìc num. 29. docet, si defendatur opinio docens esse legem declaratiuam, necessariò debere dici, eam non periisse. Respondeo, à me suprà dictum, non fuisse solùm declaratiuam, sed inductiuam illius obligationis; quæ necessaria est, vt furtum v. g. sit peccatum contra legem æternam Dei. Imò addo contra Patrem Suarez, Esto fuisset ea lex solùm declaratiua, non continuò inferri, eam esse perpetuam; quia cùm in eâ lege Deus non declarauerit ea obiecta esse mala ex naturâ rei aut ex ipsius voluntate; item non declarauerit nisi respectu Iudæorum, necessaria fuit alia maior & magis vniuersalis declaratio, qualis à Christo facta est.

Occurritur replicæ.

Legis nostræ auctor solus Christus.

Ea lex non solùm declaratiua, sed & inductiua fuit.

SECTIO IV.

An lex antiqua cessauerit ante aduentum Spiritus sancti.

42. QVæstio hæc solùm concernit Iudæos; nam Gentes numquam obligatæ fuêre ea lege; supponendum autem est eam non cessasse ante Christum, etiamsi Iudæi essent tunc sine Rege, quia lex data erat donec veniret semen: nec voluit Deus eos relinquere posteà per aliquod tempus sine lege.

Lex non cessauit ante Christum.

SVBSECTIO I.

Non cessauit ante mortem Christi.

Variæ circa id sententiæ.

VAriæ possunt circa hanc rem excogitari opiniones: vna eorum qui dicunt, solùm vsque ad aduentum Ioannis iuxta illud, *Lex & Prophetæ vsq; ad Ioannem:* altera eorum, qui vsq; ad Christi aduentum, iuxta illud Pauli, *Donec veniret semen:* tertia est Scoti in 4. dist. 3. quæst. 4. §. *Quantum ergo*, Gabrielis dist. 1. quæst. 4. art. 3. docentium, duasse solùm vsquequò Baptismus cœpit esse vtilis ad iustitiam; quia tunc incœpit circumcisio non esse necessaria; ergo desijt esse sub præcepto: institutus autem fuit Baptismus paulò post Baptismum Christi & Ioannis. Quòd si circumcisio non obligabat, neque item alia legis præcepta, quia eius vis obligatiua in circumcisione solâ fundabatur; quod tamen intelligendum est respectu infantium: nam qui iam circumcisi erant, & obligationem legis incurrerant, non poterant ab eâ liberari per hoc, quòd non tenerentur secundò circumcidi.

Luc. 16.

Gal. 3.

43. Dicendum tamen Primò; Ante mortem Christi Domini non cessauit obligatio veteris legis, Ita communiter omnes ferè Theologi cum D. Thomâ quæst. 103. art. 3. ad 2. Bonauentura in 4. dist. 3. parte 2. art. 2. Maior quæst. 2. Richard. disput. 1. art. 6. quæst. 4. Capreol. quæst. 3. art. 3 ad 1. contra primam conclusionem Palud. quæst. 6. art 3. Durand, quæst. 3. Tannerus dub. 4. Suarez cap. 12. Salas sect. 4. alios pro eâ citans, Vasquez disput. 180. cap. 5. vbi pro eadem refert Scotum: idem etiam supponunt Hieronymus & Augustinus, vt vult Pater Suarez, eis Epistolis quibus disputant, vtrùm post aduentum Spiritus sancti licuerit legem seruare; supponunt enim ibi vt certum, anteà licuisse. Hæc tamen inductio non est sufficiens, quia potuit licuisse, etiamsi non fuisset vtilis, aut sub obligatione, vt ipse Suarez cum Augustino & aliis docet, aliquo tempore pòst mortem Christi fuisse licitam, & non obligantem. Fundamentum huius communis doctrinæ desumitur ex locis aliquibus Scripturæ, quibus Christus ostendit in actu exercito legē viguisse etiam dum ipse prædicaret, ideò Matthæi 23. dixit, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. omnia ergo quæcumq; dixerint vobis seruate, & facite: secundùm opera verò eorum nolite facere:* item Lucæ 17. leprosos misit vt se Sacerdotibus ostenderent secundùm legem: item, quando accusabatur à Pharisæis, quòd Sabbatum non seruaret, numquam respondit, eam legem iam non obligare; sed semper ostendebat à lege permitti quod ipse faciebat. Suadetur idem ex D. Paulo, qui ad Hebræos 9. satis apertè insinuat, ante mortem Christi non fuisse propalatam sanctorum viam, & priùs tabernaculum habuisse statum; nam (vt paulò pòst subiungit vtens metaphorâ testamenti) ante mortem Christi lex noua seu nouum Testamentum non valuit: *Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Cúmque, vt idem Paulus cap. 8. ait, non fuerit primum antiquatum nisi per nouum, *Dicendo nouum, veteranit prius*; manifestè infertur, non periisse obligationem legis antiquæ ante mortem Christi.

Ante mortem Christi non est abrogata lex vetus.

Fundamentū huius opinionis à Scriptura desumptum.

44. Id ipsum ostenditur, retorquendo argumentum Scoti, de Baptismo; nam circumcisio non cessauit, quousque Baptismus non fuit sub obligatione: atqui præceptum Baptismi non fuit nisi pòst resurrectionem, quando die Ascensionis dixit, *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. ergo multò minùs dicenda est cessasse obligatio circumcisionis ante mortem Christi.

Retorquetur argumentum Scoti.

Matth. 28.

Ad argumenta opposita respondeo. Ad illud testimonium, *Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem*, respondetur, ibi non esse sermonem de lege vt mandante, sed vt prædicente futura; quia Ioannes incœpit iam præsentem ostendere Christum, quem

Duo alia Scripturæ loca soluuntur.

Digitized by Google

quem lex & Prophetæ futurum prædixerant. Quod ex Paulo obiicitur, *Donec veniret semen*, non vrget, quia nó debet intelligi ita rigorosè, vt ipso puncto aduentus Christi cessauerit; est ergo moraliter id explicandũ. Quod de Baptismo dicitur, minùs vrget; quia Baptismus, etsi fuerit vtilis ante mortem Christi, non ideò fuit sub præcepto, & consequenter nec excludit circumcisionis obligationem.

SVBSECTIO LI.

Proponitur sententia docens, legem antiquam periisse ipso puncto mortis Christi.

45. *Lex vetus ipso puncto mortis Christi periit.*

LEgem antiquam periisse ipso puncto mortis Christi, etiam antequam inceperit noua promulgari die Pentecostes, multi docent: Diuus Thomas q. 103. art. 3. ad 2. & art. 4. ad 1. Valentia hic quæst. 7. puncto 7. Vasquez disp. 181. cap. 2. Tannerus quæst. 3. num. 76. vbi alios pro eâ refert: plures citat Salas sect. 5. quos & sequitur. Priùs tamen quàm vlteriùs pergam, aduerto Patrem Vasquez manifestè in hac quæstione videri contraria docuisse; etenim disput. 180. n. 41. hæc expressè habet: *Nullus tamen affirmat necessarium fuisse vsum huius Sacramenti Baptismi ante mortem & resurrectionem Christi; nam præceptũ eius traditum est Matt. 28. Euntes docete omnes Gẽtes; & Marci vltimo, Euntes ergo prædicate Euãgelium: quo posito manifestũ est non cessasse præceptũ circumcisionis quousq; aduenit præceptum Baptismi.* Hæc ibi Vasquez: quibus expressè docet, non cessasse in ipsâ morte Christi: cuius contrarium docet posteà totâ disp. 181. Sed videamus iam huius sententiæ fundamenta. Primo loco adducit Hugonem de Sancto Victore lib. 2. de Sacramentis par. 6. cap. 4. vbi ait: *Quamuis ergo in passione Christi, per quam consummata sunt omnia, veteris figuræ status finem acceperit, & noui Sacramenti constitutio exordium; tamen & priùs aliquanto tempore & noua inchoata sunt, ad consuetudinem, & vetera postmodum aliquamdiu tolerata.* & paulò post: *Sicut enim ante passionem ipsa circumcisio in statu suo ad remedium susciebatur; & tamen etiam tunc Baptismus sine periculo salutis non contemnebatur ab his quibus prædicabatur: ita post passionem Baptismus quasi in statu suo præcipiebatur ad salutem; & tamen etiam tunc circumcisio sine periculo salutis non contemnebatur ab his, quibus finis eius nondum manifestabatur.* Hunc locum Vasquez pro se putat efficacem; & opponit Hugonem Bernardo, qui Epistolâ 77. expressè nostram sententiam defendit. Ego verò vel grauissimè erro, vel ipsa clara Hugonis verba stant cõtra Patrem Vasquez: vltima attendamus: *Circumcisio post passionem non contemnebatur sine periculo salutis ab his, quibus finis eius nondum manifestabatur.* Ergo sentit Hugo illis, quibus nondum erat promulgatum Euangelium, etiam post passionem Christi fuisse necessariam ad salutem circumcisionem; quandoquidem non poterat omitti sine periculo salutis: si enim nihil ad salutem profuisset, ergo in eius omissione nullum fuisset tunc salutis periculum: cuius contrarium expressè docet Hugo; & ex eâ oppositione, quam facit Baptismi ante mortem, & circumcisionis aliquamdiu post mortem Christi, clarè idem ostenditur: sicut enim Baptismus fuit etiam vtilis ante mortem, circumcisione in suo statu manente; ita è contrario dicit, Baptismo post mortem Christi in suo statu iam existente, circumcisionem fuisse vtilem: ergo nostram sententiam defendit Hugo, non verò Patris Vasquez: primis autem verbis, quibus magis illi fauere videtur, solùm docet, statum legis veteris, vt figura erat nouæ, finẽ accepisse; per quod iuxta limitationẽ, quam ipsemet Hugo addit, non excludit aliqualẽ duratione circumcisionis. Adduci autem solent etiam Augustinus & Hieronymus; sed pro nostrâ sunt sententiâ, vt videbimus. Ex Scripturâ varia adducuntur loca, quæ diligenter examinat P. Suarez c. 19. eisque sufficienter respondet, breuiter ea tangam. Primus habetur Ioan. 19. vbi Christus ait; *Consummatum est*; cui adiungitur alter locus de *templi veli scisso*; quasi tunc cessauerit ea lex, seu consummata fuerit. Respondetur tamen *tò Consummatum est* denotare, à Christo fuisse iam tolerata omnia quæ de passione ipsius prædicta erant; item, iam oblatum esse pretium sufficiens pro redemptione nostrâ. Nec scissio denotat eodem momento legem periisse; sufficit enim si paulò pòst perituram denotet. Secundò obiicitur Paulus ad Hebræos 8. & 9. vbi nouum Testamentum morte Christi confirmatum esse dicit; ergo eodem momento antiquum periit; quia duo non poterant simul esse: vnde Apostolus addit, *Dicendo nouum, veterauit priùs. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est.* Respondet optimè P. Suarez, etiam inter homines non operari testamentum immediatè post mortem, sed cùm primum aperitur & promulgatur. Et ex verbis Pauli hæc explicatio confirmatur; nam postquam dixit *nouum*, non addidit alterum statim periisse, sed *esse prope interitum.* Quod item dicitur non debuisse duo Testamenta simul esse, distinguendum est: *Non debent esse simul respectu eorumdem*, concedo, *respectu diuersorum*, nego; quia illis, quibus iam constabat de valore legis gratiæ, non proderat antiquum; per hoc tamen non negatur profuisse aliis quibus promulgatum non erat.

46. *Fundamentum huius sententiæ ex Hugone de Sancto Victore.*

Vasq. pro se hunc locum affert; sed male.

47. *Explicatur primus Hugonis locus.*

Augustinus & Hieronymus nouum fauent: Locis Scripturæ his adamussim satisfacit Suarez.

48. *An veli scissio eodem momento legis interitum innuat.*

Oportebat tunc duo Testamenta esse, sed respectu diuersorum.

Quartò obiicitur locus ad Romanos 7. qui difficilior est; vbi vtitur Apostolus similitudine feminæ, quæ adultera est, si viuente viro iungatur alteri; cùm primùm autem moritur vir eius, liberata est à lege viri. Vnde concludit, *Itaque fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi:* ex quibus sic formatur argumentum. In momento mortis mariti soluitur matrimonium; ergo in momento mortis Christi dissolutum est matrimonium nostrum cum lege; quasi Paulus diceret, legem mortuam esse in Christi morte: nec potest responderi, Paulum non dixisse statim in puncto mortis Christi nos fuisse mortuos legi, sed mortuos per corpus Christi: quod verum est, etiamsi paulò post mortem esset id perfectũ: hoc, inquã, dici nequit: ad quid enim attulisset Paulus similitudinẽ vxoris quæ in ipso momento mortis mariti liberatur à lege viri?

49. *Locus Pauli ad Rom. 7. difficilior ab adulterâ desumptus.*

Formatur ex illo argumentum contra nos.

Varias expositiones huius loci Pater Suarez refert ac reiicit eo capite: subdit autem sexto loco vnam, quæ magis ipsi placet, vt scilicet synagoga à Paulo accommodetur viro, singuli autem de illo populo sint per modum vxoris, qui vniebantur ei corpori, pereunte autem synagogâ, cessauerit vnio Iudæorũ cum illâ, & eo ipso etiam lex; synagoga autem periisse dicatur per Corpus Christi, id est per Christum: putárque hanc exs

Explicatur à Suarez pluribus, sed violentè.

positionem-

Digitized by Google

positionem fundari in Anselmo, qui ad eum locum docet virum fuisse Moysen; quod non potest de illo Moyse in personâ intelligi, ergo de Republicâ illâ à Moyse congregatâ. Ego tamen

50. *Expositio P. Suarez impugnatur.*

expositionem hanc valdè iudico violentam: cùm enim Paulus loquatur ibi vniuersaliter cum omnibus Iudæis, quomodo, quæso, potest eos omnes distinguere à viro, seu à Republicâ, cùm hæc ab omnibus illis simul sumptis non distinguatur? vir autem à feminâ distingui debet. Respondebis fortè, communiter dici omnes Religiosos esse filios Societatis, v.g. si loquor cum Iesuitis; si cum Franciscanis, esse filios ordinis sancti Francisci, & sic de cæteris; & tamen Societas nihil aliud est quàm omnes Iesuitæ; & Ordo sancti Francisci nihil aliud quàm omnes Franciscani: non minor autem requiritur distinctio inter matrem & filios, quàm inter maritum & vxorem; ergo ex hoc capite benè possent omnes illi dici synagogæ, esto illi ipsi synagogam composuissent. Sed contrà, quia licet in Religionibus & communitatibus, imo in ipsâ synagogâ possit ille modus loquendi sustineri, non tamen pro præsenti intento Patris Suarez; quia Societas v. g. IESV, quando consideratur vt caput nostrum, consideratur moraliter ratione suarum Constitutionum, ratione Fundatoris, &c. & idem dico de aliis communitatibus & synagogâ. Hanc autem considerationem non potest hîc Pater Suarez admittere; nam synagoga quatenus vir seu sponsus debet considerari, vt distincta à legibus ipsis, vt vult Pater Suarez; quia ex morte sponsi infert mortem legis: atqui synagoga, vt distincta ab eis legibus quibus vniebatur, non erat sponsus, imò nihil erat nisi physica entitas eorum Iudæorum; quæ sine dubio non periit: ergo nihil posuit D. Paulus distinctum à lege quod esset sponsus; & ex cuius morte Iudæi à lege liberarentur, vt vult Pater Suarez, dum eodem loco agit contra quintam explicationem. Secundò displicet, quia adhuc non satisfacit difficultati præcipuæ, cur scilicet non in ipso instanti mortis Christi sit ea synagoga destructa, & consequenter cessauerit lex.

Solutio impugnationis.

Non satisfacit.

Qui Societas censeatur caput sociorum IESV.

51.

Synagoga vt distincta à suis legibus nequit dici sponsus.

Improbatur demùm.

Quinta Suarez expositio etsi ab eodē reiecta optima est.

Mihi ergo placet expositio, quam ipse P. Suarez eo quinto loco posuit & reiecit; fuit autem multorum Patrum, teste Toleto nostro annotatione quintâ; eius etiam meutionem facit noster Iustinianus, & sequitur Pereira disp. 5. scil. legem ipsam dici virum; cui Iudæi desponsati erant: & ex morte legis, eos dicit Paulus liberos ab eius obligatione. Obiicit Pater Suarez contra hanc explicationem: Vir qui moritur debet esse distinctus à lege viri, à quâ liberatur vxor per mortem ipsius viri; ergo non potest esse idem vir & lex. Respondeo negando antecedens: vt enim, quando moritur verus maritus, vxor non liberatur ab alterius dominio, nisi ab ipsius mariti mortui; ita etiam dicere possumus, mortuâ lege non liberatos Iudæos ab alterius dominio, nisi ab ipsius legis; vel, si vis, dic hoc modo: Mortuâ lege liberati sunt Iudæi ab obligatione obediendi legi, sicut mortuo marito liberatur vxor ab obligatione obediendi eidem marito. Vides clarissimam similitudinem. Iam autem oportet ostendere, cur inde nihil pro præsenti quæstione de cessatione legis in momento quo mortuus est Christus; id autem patet, quia Apostolus non dixit eâ de re vel verbum, sed solùm, quòd nos simus mortui legi per corpus Christi: quando autem id sit factum, non decidit ibi: siue enim τὸ *per corpus Christi* denotet mortem illius, siue efficaciam passionis illius, siue solùm denotet ipsum Christum per se, siue denique denotet corpus Christi mysticum, id est tunc mortificatos legi, quando sumus facti ex corpore Christi, seu membra illius, nihil de notatur de eo instanti mortis, de quo nunc agimus. Aliud enim est per mortem Christi legem periisse, aliud in ipso momento mortis.

Obiicit Pater Suarez.

52. *Satisfit illi.*

Qui lege mortuâ liberati sint Iudæi ab obligatione legis.

Locus ille Pauli nihil facit pro hac sententiâ.

Quartò potest quis argumentari, quia debet assignari certum aliquod tempus, in quo ea lex desierit; nullum autem melius intelligitur quàm ipsum punctum mortis Christi; cætera enim tempora sunt incerta, ergo. Respondeo, tempus illud esse ipsum quo cœpit obligare lex noua; hæc autem non incœpit nisi quando promulgata est, vt infrà dicetur. Replicabis tamen contra hæc; nam si ipsemet Legislator suam legem promulget, eo ipso iam obligat: neque necessaria est alia distincta promulgatio: id quod maximè locum habet in Legislatore supremo, qui potest promulgationis modum pro suo libitu disponere. Cùm ergo Christus Dominus suam legem promulgauerit; non enim loquebatur in occulto; non est cur expectemus promulgationem, quæ per Apostolos fieri cœpit in Festo Pentecostes. Hoc argumentum Pater Suarez putat esse admodum efficax; vereor tamen ne sit etiam contra ipsum: etenim Christus Dominus non in puncto mortis, sed ante illam promulgauit suam legem, vel certè post resurrectionē; ergo vel ante mortem, non in ipsâ, vel post resurrectionem cœpit obligare; Nec potest responderi, Christum, dum promulgauit suam legem, declarasse, se nolle obligare ad eam, nisi ab instanti suæ mortis; hoc, inquam, dicere non potest, quia nullum tale verbum in totâ Christi prædicatione eâ de re reperitur: dicere autem, ab ipso fuisse declaratum, omissum tamen ab Euangelistis, planè esset diuinare sine vllo fundamento ad defendendā semel conceptam opinionem; & tunc eadem probabilitate licebit dicere, ab ipso Christo fuisse determinatum tempus Pentecostes, licet Euangelistæ eâ de re mentionem non fecerint. Quis iam, quæso, facilius probabit intentum?

Aliud fundamentum.

53. *Quo tempore cœperit obligare lex noua.*

Fallitur Vasquez, putans hoc argumentum esse efficax & pro se.

54.

Dices: Christus Dominus dixit, *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet*; id est, nullum fructū affert: *Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia trahā ad me ipsum:* ergo significauit se ante mortem non velle obligare. Nego consequentiam, quia poterat obligare citiùs ad obseruationem; esto pretium redemptionis in morte completurus esset: quod solùm ibi docebat. Secundò respondeo, Esto noluerit ante mortem, non continuò sequi, Ergo voluit à morte: imò, sicut granum fructum non affert ipso momento quo moritur, sed posteà; ita idem de Christo vi eius loci & similitudinis dicere possumus. Ergo si attendamus ad solam promulgationem à Christo factam immediatè, non debemus instans mortis Christi determinare. Confirmo id ad hominem ex P. Vasq. qui, vt suprà vidimus, expressè disp. 180. n. 41. docet, præceptum Baptismi non incepisse nisi Matthæi & Marci vltimo, id est eâ die quâ ascendit in cælū: ergo lex Christi, quoad præcipuum & primum fundamentum, ex mente ipsius Patris Vasquez non incœpit in morte Christi, sed 42. diebus posteà; vnde miror, quomodo eas duas sententias coniunxerit, & hoc argumento promulgationis hîc vsus fuerit. Constet ergo nihil esse, quod nos vllo modo vrgeat ad abrogationem legis antiquæ eo die designandam.

Ioan. 12.

Obiectio obortā soluitur.

Confirmatur solutio ad hominem ex P. Vasquez.

55.

Absolu-

Digitized by Google

Absoluta responsio.

Absolutè obiectioni respondeo, potuisse quidem Christum Dominum, si voluisset, sua prædicatione immediatè promulgare legem, id tamen non constare factum; vnde possumus dicere, eam promulgationem discipulis relictam fuisse instar eius, quam cum consiliariis & aliquibus aulicis solet Princeps facere circa legem à se promulgandam: talis autem promulgatio sine dubio obligationem inducere non potest, vt communiter supponitur ab omnibus.

SVBSECTIO III.

Reiectâ alterâ opinione, concluditur quid sit dicendum.

Quid hac de re sentiam.

IAm oportet aliquantulùm cum Soto hærere, qui in 4. dist. 2. q. vnicâ, art. 2. & lib. 2. de Iustitiâ q. 5. art. 4. censet, ipso resurrectionis puncto abrogatam fuisse eam legem, eò quòd nostra redemptio primò consummata fuerit eâ die. Duo enim dicit libertas Christiana, & mori vitiis, & resurgere virtutibus: id quod completum est ipso resurrectionis puncto; ergo in resurrectione cessauit illa lex. Nihilominùs hæc sententia non est probabilis, quia & auctoritate destituitur & ratione; quam enim affert leuis est; in eo enim sensu etiã in resurrectione nõ fuit completa nostra redemptio; quia in redemptione maximè continetur gratia Spiritus S. quæ non nisi in die Pentecostes fuit discipulis data. Secundò, quia (vt statim dicemus) expectanda est promulgatio solemnis legis vt obliget, nisi aliud in contrarium obsit; at vt dicamus, die resurrectionis eam cœpisse ante promulgationem solemnem, quæ in festo Pentecostes facta est, non est vlla auctoritas, vlla ratio: ergo hæc sententia est longè minùs probabilis quàm præcedens, quia illa habet saltem auctoritatem multorum: & loca Pauli primo aspectu ei videntur fauere, quæ iam nihil iuuant Sotum. Ad eius rationem dico, Etiamsi pretium nostræ redemptionis tunc temporis, imò citiùs, in passione scilicet, fuerit persolutum, non ideò sequi, legem nouam tunc incœpisse obligare; aliud enim est, datas esse vires ad seruandam legem; aliud, iam impositam esse legem: potest enim Deus citiùs illud præstare quàm hoc.

Lex vetus nondum abrogata die resurrectionis.

56.

Die resurrectionis non est facta solemnis legis nouæ promulgatio.

Elliditur ratio Soti.

Ostendimus hucusque non esse efficacia argumenta ad probandum, legem periisse eo tempore ante Pentecosten. Iam oportet nostrã sententiam efficaciter positiuè probare; ergo dicimus in morte Christi datam fuisse causam, ex quâ legis veteris mors secutura breui erat non tamen tunc immediatè secutam; sed, vt loquitur P. Suar. n. 3. veterem legem accepisse lethale vulnus in morte Christi, ex quo paulò pòst expiratura erat. Fauet huic sententiæ Maldonatus noster in 5. Matth. v. 18. pro eâ citat Suarez, Scotum, Gabrielem & Bonauenturam; conatur verò ostendere eam esse Augustini & Hieronymi, eò quòd ille Epistolâ 8. & 87. inter Epistolas Hieronymi dicat erasse Iudæos, putantes pòst passionem & resurrectionem Christi, ac manifestato Sacramento gratiæ, adhuc antiqua Sacramenta esse necessaria: quam censuram dum Hieronymus approbat, eã in suis Epistolis non reprobando, etiam ostendit se in eadem esse sententiã, hoc est, post promulgationem Euangelij cessasse legem. Nolkem dubiis valdè auctoritatibus opinionem meam fulcire: certè, quòd Augustinus dicat fuisse errorem Iudæorum, dicere post mortem, passionem & promulgationem Euangelij, &c. non propterea denotat ea Sacramenta nõ fuisse necessaria ante promulgatum Euangelium: imò videtur potiùs contra nos esse hoc testimonium: nam si Augustinus indicasset solùm post promulgationem desiisse esse necessaria, quid fuisset illi necessum passionẽ, resurrectionem & promulgationem Euangelij nominare? etenim solùm ponendo promulgationẽ, posuisset verum terminum, à quo incœpit lex cessare; alterum verò post passionem debebat omittere, si in illo licita fuisset antiqua lex; sicut ob eamdem rationem non benè dixisset, vel saltem otiosè, si sic rem declarasset, *Post natiuitatem Christi Domini, post prædicationem*, &c. quia per hoc quodammodò ipsam natiuitatem vt terminum primum ineludere videretur. Non ergo nobis fauet hic locus; addo tamen nec esse contrarium, quia fortè ideò voluit Augustinus expresè nominare ea tempora, quia de illis poterat esse aliqua dissensio etiam inter Catholicos; ibi autem solùm voluit notare erroris id, quod manifestus erat error: stat tamen pro nostrâ sententiâ clarissimè Bernardus Epist. 77. vbi ait; *Sed ex eo tempore tantum cuiq; cœpit antiqua obseruatio non valere, ex quo præceptum Baptismi inexcusabiliter ad eius potuit peruenire notitiam.* Absurdum autem, quod contra Bernardi sententiam Vasq. infert, infrà videbitur; & soluetur. Stat pro eadem sententiâ Hugo de Sãcto Victore, vt suprà ostendi. Videtur item satis apparenter deduci ex Tridentino sessione 6. cap. 4. vbi agens de translatione ex statu peccati originalis ad statum gratiæ ait: *Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis aut eius voto fieri non potest.* Quibus verbis tacitè videtur innuere, ante promulgatum Euangelium potuisse id per circumcisionem fieri: atqui Euangelium non est promulgatum nisi à die Pentecostes, ergo, Respondet Vasq. à Concilio non intellectam eam solùm promulgationem, quæ facta est die Pentecostes, sed etiam eam, per quam auferetur ignorantia Baptismi; non vt doceret ex tempore illius tantùm cœpisse præceptum, sed vt ostenderet ab eo tempore neminem excusari à susceptione illius aut proposito, si desit copia. Hæc tamen solutio non videtur satisfacere, quia Concilium manifestè ibi non agit de obligatione suscipiendi Baptismum, ratione cuius quis peccet si illum non suscipiat; etenim eo sensu etiam de facto non obligat innumeros, omnes scil. qui inuincibiliter ignorant se teneri ad illum suscipiendum; agit ergo de necessitate medij, quod scil. sine illo non fuerit causata gratia: id quod denotant ipsamet Concilij verba, *Quæ translatio sine lauacro regenerationis aut eius voto non fit.* Cúmq; dicat id tantùm esse verum à tempore promulgationis Euangelij, necessum est non intelligi præcisè illud tempus, quo quis peccat non recipiendo illum, sed quo fuit Mundo promulgatum Euangelium; non fuit autem ante Pentecosten, ergo. Ratione idem suadetur, quia Euangelium non incœpit obligare nisi à festo Pentecostes, quando promulgatio eius incœpit, vt infrà efficaciter ostendemus agentes de lege gratiæ; ergo neq; lex vetus priùs desiit. Patet consequentia, quia non erat expediens constitui tempus aliquod intermedium, in quo nulla lex obligãret. Secundò, quia expresè Paulus, quando de abrogatione prioris tabernaculi loquitur, insinuat eam per nouum esse factam; ergo quousq; nouum incœpit, non periit antiquum.

Nostra sententia.

Mors Christi dedit causam interitus legis veteris breui secuturi.

57.

Augustini locus non est pro nobis, nec contra.

58.

D. Bernardus Epist. 77. nos tuetur.

Somnium Vasq. in Bernardi sententiã quid absurdi contineri.

Explicat Concilium Vasq. sed non satisfacit.

59.

Quando obliget susceptio Baptismi.

Quando Euangelium cœperit obligare.

Tertiò

Digitized by Google

Probat absolutè Suarez nostram sententiam

Tertiò absolutè probat eam sententiam Pater Suarez; nam etiam Iudæi, qui audierant & viderant prodigia, quæ Christus fecerat, fuerunt obligati ad credendum, illum esse verum Deum & Messiam; non tamen tenebantur credere eo ipso eam legem esse abrogatam in morte Christi: nam ipsi discipuli & Apostoli hoc videbantur ignorare ante Concilium illud, de quo Act. 15. ergo fuit ea ignorantia per se inuincibilis; ergo abrogatio legis nondum erat tunc sufficienter promulgata, ergo neque erat reipsâ facta; quia non est credibile, Deum voluisse priùs esse reipsâ abrogatam quàm promulgaretur abrogatio, vt in aliis legibus positiuis constat. Est tamen grauis contra hanc rationem obiectio; nam ex eâ videtur manifestè inferri, etiam post promulgatam Ierosolymis legem nouam, non cessasse antiquam, etiam pro illis ipsis Iudæis, qui eam promulgationem audierunt; nam etiam illi ignorarunt inuincibiliter abrogatam fuisse antiquam, vt id ignorarunt Apostoli: ex hoc autem principio suam consequentiam Pater Suarez intulit pro tempore ante Pentecosten; ergo eodem modo idem dicere debuisset vsque ad Concilium illud Apostolicum. Consultò posui in hac replicâ Iudæos, qui tunc erant Ierosolymis; nam scio Patrem Suarez sentire, respectu aliorum, qui distantes erant, non cessasse vtilitatem circumcisionis & legis, nec quidem ipso die Pentecostes: vnde in illis facilè concederet intentum replicæ; in eis tamen, qui erant Ierosolymis, & audierunt, sine dubio non potest non esse absurdum dicere, licuisse illis cum fructu posteà vti circumcisione. Fortè responderet P. Suarez, Esto illi inuincibiliter ignorassent abrogationem legis, ideóq; licitè eâ vti potuissent, non tamen sequi potuisse cum fructu, sicuti poterant absentes. Ratio disparitatis est, quia præsentes iam sciebant teneri se applicare Baptismum; eóq; ipso habebant iam medium re ipsâ sufficientissimum; vnde non fuit necessum vt simul illis esset re ipsâ vtilis circumcisio, quidquid de necessitate applicationis illius iudicarent: absentes autem, qui non habebant promulgatum Baptismum, si eo ipso priuati fuissent circumcisionis vtilitate, planè fuissent destituti remedio necessario ad salutem. quod videtur absurdum. Adhuc tamen hæc solutio non satisfacit, quia tunc sequeretur, etiam Iudæis, qui ante mortem Christi crediderant, aut saltem sufficienter audiuerant, vt possent credere, non fuisse vtilem circumcisionem, quidquid de ignorantiâ inuincibili circa abrogationem dicatur: nam etiam illi habuerunt re ipsâ remedium efficax sufficienter applicatum, ergo non fuit necessum vt illis esset circumcisio vtilis: quod tamen negat fortiter P. Suarez; ideò hoc argumentum in principiis illius non putatem esse sufficiens, in meis verò, quæ infrà proponam, quòd scilicet ipso die Pentecostes pro toto Mundo periit ea lex, satis est efficax; quia replicæ desumptæ ex eâ doctrinâ Suarez illud non debilitant.

Lex vetus nõ est abrogata ante promulgationem abrogationis.

61.

Difficilis obiectio contra Suarez.

62.

Solutio Suarez non satisfacit.

DISPVTATIO XI.

Vtrùm lex vetus, cùm primum desiit esse sub obligatione, fuerit eo ipso prohibita.

SECTIO I.

Quæ certa sunt & status controuersiæ declarantur.

SÆPE diximus, & est ex terminis notum, non esse idem, aliquod obiectum non esse mandatũ, & esse prohibitum; quærimus ergo, an aliquo tempore lex vetus nec fuerit mandata, nec tamen prohibita, sed potuerit licitè, & etiam cum fructu, saltem ex opere operantis exerceri. In quo puncto præmittendum est, eo ipso quòd non fuerit sub obligatione, non licuisse vti illâ vt obligatoriâ & vt necessariâ ad salutẽ, quia id esset dicere, eam adhuc obligare; cuius contrarium supponitur; nec item licuisse eâ vti, ponendo in eâ spem salutis: quod non ita intelligendum, quasi iustitiam ex ipsâ lege sine spiritu Christi quis posset consequi: in hoc enim sensu etiam ante Christum natum non poterat licitè quis vti eâ lege, ponendo in eâ spem salutis; neq; item eo sensu, quasi poneretur spes salutis in eâ lege ex vi fidei & gratiæ Christi vt venturi; quomodo licuit antequam veniret Christus, postquam verò venit, non licuit. In hoc enim sensu Iudæi, qui credebant iam Christum venisse, non poterant vti eâ lege; vnde de hoc modo obseruandi nulla poterat esse dissensio.

1. *An lex vetus aliquando fuerit nec mãdata, nec prohibita.*

Quando non licuerit eã vti vt obligatoriã, aut ponere in eã spem salutis.

Quærimus ergo, an licuerit lege eiusque cæremoniis vti non vt necessariis, sed vt vtilibus, aut vt operibus quasi indifferentibus, aut ex consuetudine antiquâ; an verò, cùm primùm fuerunt extra obligationẽ, fuerint illicitæ. Dico *cùm primùm*; nam post aliquod tempus redditas esse illicitas satis est suprà probatum. Ratio dubitandi ea est; nam ex vnâ parte Apostoli videntur eas cæremonias sæpè exercuisse; vt patet in Paulo, qui Act. 16. circumcidit Timotheum; & c. 21. purificauit se iuxta consuetudinem legis. Aliunde verò ipse Paulus narrat cap. 2. ad Galatas se reprehendisse Petrum, eò quòd videretur seruare aliquas cæremonias; addítque, verè fuisse reprehensibilem.

2. *An licuerit eã vti vt vtilis & indifferẽs erat.*

Dubiũ mouet Apostolus.

Occasione horum locorum grauissima fuit excitata olim disceptatio inter Augustinum & Hieronymum: hic enim dicebat eas cæremonias fuisse omnino illicitas, ab Apostolis verò vsurpatas aliquando, dispensatoriâ tamen simulatione, vt faciliùs Iudæos lucrarentur; ille verò talem simulationem vt intrinsecè malã redarguens fortissimè contendit persuadere, fuisse tunc licitum eum vsum modo suprà dicto. Hieronymus quidem eâ de re agit in Epist. ad Galatas cap. 2. & Epist. 89. ad Augustinum; hic verò Epist. 19. ad Hieronymum de eadem etiam Theologi in præsenti, & Commeniatores Scripturæ in eum locũ ad Galatas; fusissimè verò, &, vt solet, eruditissimè Suarez per magna sex capita. Rem breuiter expediam: Hieronymi sententiam minùs esse proba

Item dissensio Augustini & Hieronymi.

Hieronymi mens minùs est probabilis.

Digitized by Google

3. *Probatur opinio Augustini.*

probabilem iudicarunt ferè omnes Theologi, excepto Adriano in 4. q. 1. Vide Suarium suprà & Tannerum q. 3. dub. 5. multos pro eâ referentes. Probatur autem contraria sententia, quæ est Augustini; quia Apostoli de facto seruarunt aliquamdiu eas cæremonias; & non est credendum eos peccasse, neque item id fecisse ex ignorantiâ inuincibili; ergo absolutè fuit licitum: quod verò respondet Hieronymus de dispensatiuâ fictione, habet magnam difficultatem, & vix potest à mendacio excusari, vt ostendemus, ergo.

Duo hic distinguit auctor.

Ego in hac quæstione duo conseo distinguenda, quæ inter se sunt valdè diuersa: vnum est an ea dispensatiua simulatio, quam Hieronymus ponit, sit licita: alterum, an fuerit tunc re ipsâ licitus ille vsus cæremoniarum. Porrò duo hæc valdè esse diuersa ex terminis apparet; & licet hîc & nunc ideò videantur in vnum coincidere, quia Apostoli, cùm fuerint incapaces peccati, non potuerunt vti eis cæremoniis, nisi essent licitæ, vel nisi è contrario licita esset ea simulatio. Tamen in hac re mediũ facilè inuenire possemus dicendo ex ignorantiâ inuincibili Apostolos vsos fuisse eis cæremoniis, quæ re ipsâ iam erant mortiferæ: per quẽ modum dicendi nec recurreremus ad simulationem, quam Hieronymus ponit, nec concederemus fuisse licitas eas cæremonias, vt contendit Augustinus, conueniremus autem cum vtroq; in præcipuo vtriusq; intento: nam Hieronymus maximè intẽdit eas fuisse mortiferas cùm primùm mortuas; quod illi concederemus: Augustinus autem licet hoc neget, id tamen facit eâ maximè ratione, quod nolit simulationem vllam admittere, quæ non sit peccatum; id enim refugit Augustinus in narratione Pauli; putat enim per hoc totam veritatem Scripturæ periclitari: in quo puncto probando totus est in eâ Epistolâ. Quòd autem tunc ad aliquod tempus illæ cæremoniæ sacræ licitæ fuerint, & potuerint honestè sepeliri, ne tamquam corpora bestiarum relinqui canibus discerpenda viderentur; qui tamen vellet eas posteà reuocare, iã non sepelire honestè, sed effodere à sepulchris corpora censendus esset; hoc, inquam, docet quidem Augustinus, valdè tamen obiter; & quatenus id iudicat necessarium ad explicandum factum Pauli circumcidentis Timotheum Act. 16. & Iacobi Act. 21. suadentis eidem Paulo vt purificaret se cum Iudæis quod & executus est. Harum ergo quæstionum diuersitate statutâ, sit

Mediam hic viam suggerit auctor.

4.

Sectio II.

Prima pars nostræ sententiæ.

Simulatio à Hieronymo posita expers ẽt mendacij

DIco Primò: Simulatio illa, quam Hieronymus ponit, non includit in se necessariò mendacium vllum, vt obiiciebat illi Augustinus; ideóque ex eo capite sententia Hieronymi defendi optimè posset. Hanc conclusionem optimè probat P. Suarez eo cap. 17. à num. 5. quia ad mendacium propriè duo requiruntur: vnum est, significatio falsa; alterum, intentio fallendi: neutrum autem interuenire necessum est in eâ simulatione, quam D. Hieronymus ponit; ergo necessum non est ibi esse mendacium. Consequentia & maior sunt euidentes. Minor patet, quia illæ cæremoniæ duo poterant significare; vel excellentiam Dei, in cuius cultum fiebant: quam significationem habuêre ex solâ institutione diuinâ: sicut iam Baptismus significat ex eadem diuinâ institutione gratiã: hæc autem significatio (vt benè obseruat P. Suarez) iam non fuit in eis cæremoniis in sententiâ Hieronymi, quia iam cessauerat institutio Dei: ergo Apostoli eas cæremonias ponentes nihil significabant, esto alius ignorans eam cessationem putaret adhuc verè significare: sicut si tolleretur iam significatio huius vocis *homo*, & ego id sciens eam pro recreatione proferrem, nihil significarem; licet fortè aliquis me audiens, & ablationem significationis nesciens putaret me significare idem quod anteà. Addo ego aliam excusationem manifestam; nam illæ cæremoniæ solùm significabant ex institutione diuinâ vel excellentiam Dei, vel submissionem hominum coram ipsius excellentiâ; hæc autem à parte rei erant; quia & verè excellentia erat diuina, & verè Apostoli submissi erant Deo: ergo esto illæ cæremoniæ significassent ea duo, non significassent aliquid, quod non esset à parte rei, prout ad mendacium requiritur: sicut si currente Petro ego dicam, Petrus currit, siue prohibitum sit mihi id dicere, siue nõ; & siue ex alio capite in eâ prolatione eius propositionis peccem, siue non; certè non peccabo mentiendo: idem est, si ego, volens cursum ipsum significare, dicerem, Blyctri currit; quia ea propositio vel nihil significat, & sic non potest esse mendacium: vel significat id quod intendo, quia aliud non significat; & sic cùm res significata à parte rei sit, erit vera propositio.

Alia excusatio euidens eius simulationis.

Mendacium duo involuit, intentionem fallendi & significationẽ falsã.

5. *Quia cæremonias ab Apostolis simulari potuerunt.*

Dices Primò: Illæ cæremoniæ significabant legem adhuc vigere; quod tamen erat falsum. Respondeo Primò id non posse nec ab Augustino doceri, quia tunc iam ipse tribueret mendacium Apostolis eas vsurpantibus; nam tunc lex non vigebat. Respondeo Secundò non omnem actum virtutis denotare, esse præceptum de illo; quia multi, imò maiori ex parte, fiunt sine obligatione ex supererogatione.

6. *Cæremoniæ ab Apostolis vsurpatæ nõ significabant legem ad huc vigere.*

Dices Secundò, denotabant saltem esse sub consilio. Nego antecedens (quod Augustinus & alij negare debent, quia non erant iam propriè opus consilij.) Ratio à priori; nam, qui efficit aliquam actionem, nec significat se malè nec benè in eâ operari, licet in actu exercito fortè necessariò vnũ è duobus illi conueniat; quod tamen adhuc non est verum, quia potest esse indifferens.

nec erant opus consilij.

Dices Tertiò, Significabant, illum esse obseruatorem legis Mosaicæ; quod tamen verum non erat. Respondeo etiam hoc debere negari ab Augustino, ne Apostolos faciat mendaces; quia, esto eas actiones exercere potuerint, non tamen vt legis obseruatores. Absolutè ergo dico, eam actionem non significasse nisi ex institutione diuinâ; eâ autem institutione cessante cessauit significatio; & consequenter, qui eam actionem posuit, nõ significauit aliud quàm reuerà habuerit in mente. Secundò respondeo, summùm significasse, eum, qui illam ponebat, esse ex Gente Iudaicâ; hoc autem verum erat; ergo non fuit in eâ simulatione mendacium.

nec opus obseruatoris legis Mosaicæ.

Quid ea cæremonia in Apostolis significabant.

Dices Quartò: Quare ergo ea dicitur simulatio? Respondeo, quia opus ipsum aptum erat ad inducendum errorem in Iudæis illud videntibus; vt quando Iosue finxit fugam cum suo exercitu; ita enim cap. 8. dicitur: *Iosue verò & omnis Israël cesserunt loco, simulantes metum, & fugientes per solitudinis viam:* id quod omnes Gentes sæpè vsurpant sine vllo scrupulo mendacij. Et Christus Dominus Lucæ vltimo *finxit se longiùs ire:* vbi plus quàm certum est, non fuisse

7. *Cur earum vsurpatio dicta sit simulatio.*

Digitized by Google

mendacium. Ratio est, quia hæ actiones cùm significent ex naturâ rei, non ex impositione ad placitum, hîc & nunc non significant nisi causam à quâ procedunt, ideo verum significant: fugere v.g. potest prodire ex timore, potest ex animo nõ pugnandi, potest ex desiderio quærendi opportuniorem locum; est ergo quasi vox æquiuoca: ergo hîc & nunc non significat nisi eum animũ à quo procedit: atqui non procedit à timore, sed ab animo capiendi hostem; ergo hunc animum, qui verè datur, verè significat, esto alter putet aliud denotare, ideóq; decipiatur: quod optimè intelligitur ex voce æquiuocâ; non enim mentitur, qui dicit, *Vnus gallus est suspensus in foro*; pone fuisse suspensum gallinaceum; esto audiens putet hominem Gallum significari: vnde in materiâ de Sacramentis dixi, in vocibus æquiuocis solâ intentione loquentis determinari vocem ad hoc præ altero significandum; vel, vt abstrahamus ab opinionibus, saltem non significare in actu exercito, nisi per aliud signum magis determinaretur: vnde licet homo tunc non dicat verum, non tamen mentietur, quia re ipsâ nihil dicit. Idem ergo erit in rebus naturâ suâ æquiuocis: ergo benè potest Hieronymus eam simulationem explicare sine proprio mendacio.

Qui simulatio excusetur à mendacio ex æquiuocatione patet.

8. Dices Quintò: Habuerunt Apostoli animum decipiendi; ergo ex hoc capite non poterunt excusari à mendacio. Respondeo, non esse mendacium optare vt alter decipiatur, dummodò non decipiam ego illum falsâ significatione: etenim, qui per signum æquiuocum dicendo veritatem, iuxta ea quæ immediatè notauimus, optat vt decipiatur quis; & putet alibi esse illum, quem occidere iniustè vult, sine dubio non mentitur: & licet falso signo non possim ego alteri mentiri, seu illum decipere, at optare, vt ille erret, sæpè est licitum & sanctissimum, quatenus graue aliquod malum per illum errorẽ euitatur: ex quo capite, etiamsi hoc desiderium tribueremus Apostolis, dummodò exteriùs non dedissent signum falsum, possemus eos facilè à mendacio excusare. Secundò respondeo, non esse necessum eam intentionem eis tribuere; aliud enim est præuidere alterum decipiendum, idque permittere ob honestas causas; aliud verò, id velle & intendere: potuerunt ergo Apostoli primo modo se gerere permissiuè, non verò secundo: ergo non est necessum eis tribuere mendacium vllum.

Quando optans alterum à se decipi mẽtiatur, & quando non.

Qui optare errorẽ alterius sit licitum, imò sanctum.

Apostoli tos sunt dici præuidisse & permisisse alio vũ deceptionem, non tamen id intendisse.

Secundò dicendum, ipsum etiam Augustinum tribuere Apostolis aliquam simulationem: id quod benè obseruat P. Suarez suprà num. 10. quia licet sanctus Doctor dicat, Apostolos eas cæremonias fecisse ex vero animo cultus, non vt Hieronymus, ex alio diuerso fine, certè sentit eos id fecisse, vt quodammodò ostenderent, se verè legem seruare, & saltem permisisse id ab aliis Iudæis iudicari; hæc autẽ est simulatio, ergo. Quod enim Augustinus insinuat, id factum vt Paulus tolleret falsam de se conceptam opinionem, quasi præcedentem legem reprehenderet, etiam pro præterito tempore, non videtur esse verum: Iudæi enim conuersi ad fidem qui suam legẽ zelabant, non poterant id suspicari de Paulo vel per vmbrã: & ipse textus Act. 21. id ostendit; in eo enim dicitur: *Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Iudæorum; dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi.* Ecce nihil dicitur de vituperatione præcedentis legis, sed in futurum eam non seruandam. Accedit, quod

9. *Suarez refte, ipse Augustinus Apostolos simulasse docet.*

Cur Paulus legem simularit.

ipse Augustinus bis in eâ Epistolâ 19. satis apertè insinuat, eos seruandæ veræ legis causâ etiam tunc illas cæremonias fecisse; ait enim quartâ columnâ ante finem de Paulo: *Cùm itaque illa Testamenti veteris Sacramenta etiam sibi agenda minimè recusabat, non misericordister fallebat, sed omnino non fallens, atque hoc modo à Domino Deo illa vsque ad certi temporis dispensationem iussa esse commendans, à sacrilegis sacris Gentium distinguebat.* Vbi Augustinus videtur insinuare, etiam ad illud tempus iussa ea fuisse; nam ad protestandum, quòd priùs fuissent iussa, non erat licitum ea tunc facere; alioquin etiam nobis id nunc liceret, vt id ipsum protestaremur. Id clariùs videtur expressisse sex circiter columnis ante citatum locum, vbi eodem modo dicit Apostolos seruasse eas cæremonias, quo parentes Christi, & ipse Christus seruauit legem, & leprosos misit ad sacerdotes: atqui tunc verè seruabatur lex, ergo etiam postea: sed quid defatigamur gratis? Certè seruare legem omnino significat seruare legem actu obligantem, & quæ actu sit lex: atqui tunc propriè non erat lex, quia iam non obligabat, etiam in sententiâ Augustini; ergo non potest ea obseruatio Apostolica ab aliquâ simulatione excusari: gesserunt enim se ita ac si per legem reuerà obligarentur, cùm tamen nulla esset obligatio, Augustino teste.

10.

Quid sit seruare legem.

SECTIO III.

Altera pars nostræ sententiæ.

Cur Apostolorum simulatio defendi nequeat prout ab Hieronymo ponitur.

DIco Tertiò: Esto factum Apostolorum excusetur à ratione mendacij per simulationem, adhuc tamen ea non potest duplici ex capite defendi. Primò, quia saltem Paulus scribens ad Galatas, dicensque Petrum non rectè ambulasse, fuisséque reprehensibilem, séque in faciem illi restitisse, non excusaretur à mendacio; nam verba illa manifestè denotant, aliquem defectum fuisse ex parte Petri, & à Paulo seriò reprehensum, non verò rem fuisse compositam inter vtrumque; vt scilicet Petrus ex proposito se segregaret à Gentibus, vt daret Paulo occasionem reprehendendi se simulatè (vt Hieronymus putat:) si enim hoc esset, non debuisset Paulus dixisse, eum non rectè se gessisse, & reprehensibilem fuisse; maximè cùm in eâ Epistolâ non fuisset vlla occasio non narrandi rem clarè & distinctè. Vide Augustinum eâ Epistolâ benè vrgentem hanc rationem contra Hieronymum; vbi inter alia ait, *malle se in aliquo viro magno errorem in facto agnoscere, quàm in sacro scriptore suspicionem mendacij aut deceptionis tolerare.*

11.

Præclarum Augustini dictum.

Secunda ratio, quare non potest ea simulatio prout ab Hieronymo ponitur admitti, ea est, quia cùm sentiat, eas cæremonias vt illicitas & sacrilegas fuisse iam ab Apostolis agnitas, difficulter potuerunt illi excusari vllo titulo à peccato eas vsurpando: nam actionem externam, quæ est ex se sacrilegium, non licet, interueniente maximè scandalo, facere: sicut ob eamdem causam non licet coram Gentili vsurpare eam cæremoniam, quæ est instituta ad Deorum cultum, simulando eam adorationem, esto non fiat animo eos colendi, ergo.

Si illa cæremonia, vt ait Hieronymus, sacrilega erant, nullo titulo honestari poterant.

Confirmatur hoc à nonnullis, quia si animo lucrandi proximum honestata fuisset ea simulata obseruatio, etiã nunc, casu quo speraret quis se lucraturum Iudæum Christo, si ipse exerceret

eiusmo

Digitized by Google

eiusmodi cæremonias, esset licitum eis vti non minùs quàm tunc: id quod ipse Hieronymus absurdum iudicat. Hanc confirmationem efficacissimam reputat P. Vasq. Ego tamen contrarium sentio. Et verò Augustinus, licet eam posuerit in eâ Epistolâ 19, non tamen absolutè iudicauit esse efficacem, sed præcisè eam posuit, ad ostendendum, non esse eamdem omnino rationem de priori eò tempore ac de moderno, prout Hieronymus contra Augustinum argumentabatur, dicens: *Si tunc licuerunt, quare non etiam hodie?* contra hoc argumentum oppositum eam confirmationem Augustinus, & meritò: *Tu dicis non esse nunc licitam simulationem, & tamen admittis tunc fuisse; ergo, etiam ego possum dicere tunc fuisse ipsas cæremonias licitas, nunc verò non.* Hic est Augustini discursus. Porrò eam confirmationem absolutè non valere patet, quia tunc quodammodò per se videbatur aliquo modo ea simulatio necessaria, quia Euangelium nondum erat sufficienter promulgatum; iam verò ea vehemens necessitas cessauit; sicut ob eamdem causam Augustinus & alij dicunt tunc licuisse ipsas cæremonias, iam verò non esse licitas: quod ergo hi dicunt de cæremoniis, dicere posset Hieronymus de simulatione earum; sicut è contrario obiiciebat Augustinus, se posse dicere de cæremoniis quod Hieronymus dicebat de simulatione; ergo, eâ omissâ confirmatione, sufficiant quæ primò dicta sunt contra eam sententiam.

Hæc confirmatio nõ est efficax ex ipsi Augustini mente.

Discursus Augustini.

13. *Cur tunc illæ cæremoniæ licitæ, iam verò non.*

Sectio IV.

Vltima pars nostræ sententiæ.

Illæ cæremoniæ tunc per modũ cultus Dei factæ fuere mortiferæ.

Dico tamẽ Qvartò: Licet quoad simulationem sententia Hieronymi non placeat, valdè tamen probabile est quod asserit, illas cæremonias fuisse tunc mortiferas, si fierẽt per modum cultus Dei: & quidem P. Suarez videtur id debere fateri, cùm dicat ex naturâ rei (vt suprà vidimus) eas esse malas, eò quòd, cessante institutione diuinâ, sint pura superstitio; institutio autẽ diuina cessauit eo momento, quo cessarunt obligare: nam lex vetus non instituit eas cæremonias ad aliquod tempus sine obligatione, & ad aliquod sub obligatione, sed indiuisibiliter instituendo dedit obligationem & denominationẽ cultus Dei; ergo, cessante lege in ratione talis circa eas cæremonias, cessauit institutio; ergo ex naturâ rei fuêre superstitiosæ, ergo statim malæ. Et verò non video, quomodo Suarez & alij, qui dicunt ex naturâ rei esse nunc malas, simul defendant, tunc fuisse licitas sine obligatione: quidquid verò hi dicant, certè in circumcisione videtur res valdè clara, quia si fiebat per modum cultus, fiebat iuxta id quod Deus ad Abrahamum in ipsâ eius institutione dixerat Geneseos 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, vt sit in signum fœderis inter me & vos:* atqui, ablata hac ratione signi, & eâ necessitate, non manebat in illâ vlla ratio cultus magis, quàm si præscinderet sibi quis partẽ digiti, &c. quod verò inculcat Augustinus de sepulturâ cum honore earum cæremoniarum, includit quidem comparationẽ plausibilẽ; dubito tamen an benè applicetur: nam vti eis cæremoniis, non est eas sepelire, sed potiùs ostendere vluas: est enim eadem actio, quæ circa illas, quando viuæ erant, exercebatur, quis autem dicat, hominẽ sepeliri per eam actionem, quæ maximè eo viuo exercebatur? Confirmo: Deus non dedit licentiam pro circumcisione, nisi eam imperando; ergo, cessante imperio illius cessauit licẽtia positiua à Deo data; atqui, cessante eâ licentiâ est illicita, quia non est licitum sine licentiâ Dei, aut vrgente morbo, sibi aliquâ partem corporis abscindere; ergo, cessante eâ lege, eo ipso fuit illicita circumcisio. Quòd si de circumcisione semel probemus fuisse illicitã re ipsâ, de aliis idem ostendemus; quia ex historia Pauli circumcidentis Timotheum maximè videtur ostendi eam tunc fuisse licitam: ergo, si historia optimè explicatur sine eo, quòd circumcisio fuerit licita, poterimus idem de aliis dicere.

14. *Cæremoniæ, cessante Dei institutione, sunt superstitio.*

Probatur id ex circumcisione.

15. *Cessante lege illicita fit circumcisio.*

Præterea in sacrificiis idem cernitur, quia ea sacrificia non sunt à Deo instituta nisi per legem obligantem: non enim habuit Deus diuersas institutiones in monte: vnam, quâ sacrificia fecit licita, aliam, quâ obligatoria; quia talium diuersarum institutionum nec vestigium est in Scripturâ; ergo dicendum, eadem omnino institutione quâ obligauit etiam eâ reddidisse licita seu in ratione sacrificij instituisse: ergo cessante lege obligante amiserunt rationem cultus Dei: ergo non poterant tunc magis censeri cultus Dei, quàm nunc censẽtur: aut rogo, cur magis tunc debebat esse sacrificium mactare hircum quàm porcum? atqui hunc mactare in cultum Dei non fuisset licitum etiam tunc, ergo neque hircum; si verò dicas hoc fuisse licitũ, quia olim Deus id instituerat; contrà, quia ea institutio, vt dixi; iam cessauerat, ergo non poterat reddere melius actu vnum sacrificium quàm alterum: sicuti de facto ea præcedens institutio nõ reddit illud melius: homines autem per suam voluntatem non id efficiebant, quia ipsi non habebant aliam institutionem, nisi quatenus antiquam sequebantur; ergo re ipsâ, quidquid sit de bonâ eorũ fide, vtebantur sacrificiis malis. Vide quæ dixi suprà ostendens, vnde ea sacrificia fuerint reddita illicita; ea enim omnia probant id factum ab ipso puncto, quo lex antiqua cessauit obligare, vt ibidem ostendi.

Cessante institutione & sacrificia amittũt rationem cultus Dei.

16.

Suarez occurrit difficultati, sed inefficaciter.

P. Suarez videtur hanc difficultatem præsensisse, etiamsi eam non tangat expresè; dat enim doctrinam, ex quâ ei rẽsponderi potest, scil. legem veterem, cùm primùm fuit mortua quoad institutionẽ, fuisse etiam mortiferam & illicitam; addit tamen non eodem tempore eam fuisse mortuam quoad obligationẽ & quoad institutionẽ, quia hæc duo separari possunt. Responsio tamen hæc non satisfacit, quia meo argumento probaui, esto ex se ea duo separabilia sint, quod nemo negare potest, attamen in præsenti nullâ probabilitate dici separata; non enim habemus vllam prorsus aliam institutionem in Scriptura tam circumcisionis quàm aliorum sacrificiorum & cæremoniarum, præter vnicam in monte, & circumcisionis in Genesi: vtraque verò est per legem obligantem: & quoad circumcisionem est id manifestissimum, *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo:* de aliis verò in monte etiam id ostenditur, quia vnica est ibi institutio tota quanta veram obligationem insinuans, & non nisi per innumeras maledictiones contra non obseruantes promulgata: ex quibus manifestè apparet, non esse ibi duas institutiones, multò autem minùs inter se separabiles de facto: ergo argumentum meum adhuc vrget.

Cæremoniarũ, sacrificiorũ, & circumcisionis vnica tãtùm est institutio.

17.

Digitized by Google

Cur Apostoli templo Hierosolymitano vsi fuerint

Verùm obiicit P. Suarez : Adhuc templum illud erat sanctum, ideò in eo orabant Apostoli, adhuc vigebat summum sacerdotium; vnde Paulus Act. 23. excusauit se quòd Ananiam summum Sacerdotem irreuerenter per ignorantiam tractasset : ergo adhuc vigebat lex quoad institutionem. Respondeo Primò, quod de templo dicitur non esse ad rem, quia illud non erat per legem institutum, sed magis ex ratione naturali; cumque esset pro vero Deo colendo, potuerunt illo vti Apostoli, etiamsi cultus Iudaicus in eo fuisset illicitus : sicut sæpè in eodem templo hæretici & Catholici suas exercent cæremonias; quod non liceret facere, si templum fuisset pro idolis institutum.

Cultus Dei in synagogis ità est illicitus ob scandalum.

Replicabis, Ergo etiam nunc licebit in synagogis Deum colere. Respondeo Primò, tum propter scandalum iam omnino id esse illicitum, tum quia hæc non sunt templa propriè, sed scholæ; ideò in eis ea est licita adoratio Dei quæ licet etiam in domibus, & cubiculis. Secundò respondeo, Apostolos (vt ostendam statim) processisse bonâ conscientiâ, etiam iudicantes se teneri ad legem. Quod de Paulo dicitur circa Ananiam non vrget, quia aliqui per ironiam credunt dicta ea verba, *Nesciebam fratres.* Secundò, quia ille videbatur esse Iudex populi; Iudicem autem habere poterant licitè; & ex eo capite merebatur aliquem honorem. Tertiò, quia propter decentiam etiam prætensi magistratus honorem aliquem merebatur. Denique, quia, vt statim dicam, adhuc non sciebant Apostoli legem iam periisse. Ergo dicendum Quintò & vltimò, Apostolos reuerà iudicasse, legem adhuc esse tunc temporis non solùm licitam, sed etiam sub obligatione : vnde eos sine vllo planè animo simulandi processisse iudico. In hac conclusione video me dissentire ab Augustino, qui eâ Epistolâ semper supponit non fuisse peccatum tunc temporis vti eis cæremoniis, dummodò non tamquam necessariis. Videntur etiam Theologi id ipsum supponere. Meo tamen iudicio conclusio hæc nostra probari potest Primò ex eo cap. 21. Act. etenim ibi Iacobus, postquam iustruxit Paulum quid facere deberet addidit, *Et scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem :* ergo Iacobus supponebat legem obligare : nam custodire legem (nisi violenter id explicemus) supponit manifestè obligationem legis.

Cur Paulus se excusarit ob increpitū à se summum Sacerdotem Ananiam. Act 23. 18.

Apostoli non simulabant, quia legē non solùm licitā esse sed & obligare iudicabant.

19. Confirmo id Primò, quia omnes supponunt, Iudæos illos conuersos, qui in Paulum scandalizabantur, verè putasse legem tunc temporis obligare; id enim significant illa verba, *Vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis :* nè enim *æmulator* denotat eos sensisse esse obligatoriam : eodem enim verbo vtitur Paulus, dum narrat se olim defendisse legem contra Christianos, *Æmulator paternarum mearum traditionum :* in hoc autem puncto sentiebant sibi Paulum contrarium, & conquesti sunt apud Iacobum; qui ideò voluit, vt falsum id esse Paulus ostenderet suo facto : ergo voluit Iacobus vt Paulus obseruaret legem tamquam verè obligantem : neque enim potest dici Iacobum solùm voluisse decipere eos Iudæos, vt licet Paulus id non faceret ex obligatione, putarent tamen illi ex eâ fieri; hoc, inquam dici non potest, quia (vt benè notauit Augustinus in eâ Epistolâ) non dixisset Iacobus, *Et scient omnes*, sed, *Putabunt omnes :* vnde infert Augustinus, & quidem optimè, intentum Iacobi non fuisse illos deludere. Inde autem ego pro me efficacissimè argumentor, Ergo cùm illi verè putarent eas cæremonias esse sub obligatione, voluit etiam Iacobus, vt Paulus ex obligatione & legē custodiendo eas exerceret; ergo supponebat adhuc legem obligare.

Probatur id ex facto Iacobi & ad Pauli adhortatione.

Galat. 1.

Confirmo id Secundò euidenter; nam post ea verba, *Sed ambulas & ipse custodiens legem*, adduntur hæc, *De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, iudicantes*, &c. Hinc sic argumentor : Ea particula aduersatiua *De his autem* euidenter ostendit Iacobum circa obligationem seruandi legem aliter de Iudæis, aliter de Gentibus conuersis sensisse : si enim idem de vtrisque sensisset, non dixisset, *De his autem*, sed, *Sicut de his qui ex Gentibus :* nec puto vllum negaturum mihi, diuersum quid ibi de Gentibus ac de Iudæis denotari : atqui de Gentibus non erat dictum in eo Concilio, Non licere eos seruare legem, sed, Non cogendos ad id : ergo Iudæis ex mente Iacobi non solùm licebat, hoc enim etiam Gentibus conuersis erat licitum, seruare legem vi eius Concilij, sed verè ad id tenebantur; alioquin idē omnino de vtrisque dixisset; cuius oppositum ea diuersatiua demonstrat; ergo iudicauit illos verè teneri. Hæc doctrina ampliùs roborabitur nonnullarum obiectionum solutione.

20. *Iacobus de obligatione legis aliter circa Gentes sensit.*

Vi Concilij Apostolici tenebātur seruare legem Iudæi.

SECTIO V.

Aliquæ ex obiectionibus contra nostram sententiam soluuntur.

PRimò dices, videri durum Apostolis tribuere eam ignorantiam, quòd scil. non mouerint legis præcepta iam non esse sub obligatione. Respondeo, communem sententiam tribuere Apostolis ignorantiam inuincibilem in longè grauiori puncto, scilicet, vtrùm Gentes possent & tenerentur baptizari : id quod ad visionem illam Petri Act. 10. supponit P. Salmeron vt omnino certum; & contextus ipse ac verba Petri id videntur manifestè requirere : si enim iam Petrus sciuisset Gentes à Deo ad Euangelium admissas, vel certè admittendas breuî, quid illi fuisset necessaria ea visio? quid tam operosè ei inculcatum, *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris?* Quid posteà ipse adeò admirabundus exclamasset, *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus*, &c.

Dices : Ea visio est ei facta propter alios. Sed contrà, quia cùm ea visio fuerit occulta (facta enim in somnis & secretò) non merebatur maiorem apud alios fidem, quàm si eis Petrus dixisset, sibi Christo ante ascensionem declaratum Gentes etiam ad Baptismum admitti. Quæ rationes sine dubio potentiores sunt quàm congruentiæ desumptæ ex eò, quòd videatur in die Pentecostes id illis debuisse reuelari. Quòd autem Christus dixerit, *Docete omnes Gentes*, benè explicat Salmeron de Iudæis per omnes Nationes dispersis, id est, vt ita id intellexerint Apostoli : neque aliunde constat eis omnia fuisse statim reuelata, sed opportunis temporibus, ob rationes occultas diuinæ prouidentiæ. Scio contrarium doceri à Patre Cornelio; at ille ingenuè fatetur suam sententiam tantùm esse recentiorum quorumdam.

Matth. 28.

Hinc igitur argumentor : Si potuerunt punctum tam substantiale non statim ab initio scire, 21.

à

Digitized by Google

à fortiori potuisse ignorare, an Iudæis simul cum obligatione Baptismi maneret obligatio legis, quâ parte non erat contraria nouæ: imò, quod grauius est, etiam videbantur ignorare, vtrùm etiam Gentes tenerentur circumcidi vt fierent Christianæ; Concilium enim eâ de re coactum ostendit minimùm dubitasse eos de illo puncto: vt quid enim alias Concilium cogerent? ergo in eo primùm certò eam veritatem nouerunt illuminante eos Spiritu sancto: id quod ea verba significant, *Visum est Spiritui sancto & nobis:* per quæ valdè clarè insinuant tunc primum ab eis illud Concilium assumptum. Vnde P. Suarez hoc lib. 9. cap. 13. concedit Apostolis ignorantiam inuincibilem de cessatione legis Mosaicæ circa passionis Christi tempus; putátque eam obligationem seruandæ legis non cessasse nisi in festo Pentecostes Ierosolymis; pro aliis verò locis ferè ad 40. annos permansisse eam obligationẽ, prout successiuè promulgabatur Euangelium. ergo potuerunt etiam tunc Apostoli iudicare, cùm res esset longè minùs discussa, eam legem adhuc obligare etiam Ierosolymis: vt enim nunc quidam dicunt cessasse in passione veram obligationem, alij primò in die Pentecostes, cum limitatione tamen, pro locis scil. vbi erat promulgata, non verò pro aliis; procul dubio naturalissimè potuit Iacobus iudicare, etiam tunc obligasse; nondum enim erat sufficienter promulgata noua; & quidẽ etiam obligasse eos, quibus hæc promulgata erat; *quia nondum finis eius manifestabatur illis ipsis qui baptizati erant*, vt tradidit Hugo de Sancto Victore superiùs citatus dum ait, *Post passionem Baptismus quasi in statu suscipiebatur ad salutem; & tamen etiam tunc circumcisio sine periculo salutis non contemnebatur ab ijs, quibus finis eius nondum manifestabatur:* vbi de eisdem qui baptizabantur loqui videtur; nam opponit circumcisionem post passionem Baptismo ante passionem; de eo autem dixerat non fuisse neglectum etiam ab his qui erant circumcisi sine periculo salutis; ergo eodem modo post passionem dicet, circumcisionem non fuisse neglectam sine eodem periculo ab his qui baptizati erant, & nondum sciebant finem esse circumcisionis: ergo potuit Iacobus ignorare eum finem iam tunc fuisse.

Act. 15.

22.

Hugo de Sãcto Victore huic sententiæ adstipulatur.

Dices Secundò: Paulus sciebat, legem iam non obligare; id enim testatur totâ Epistolâ ad Galatas; non ergo potuit annuere Iacobo exigenti obseruationem legis vt obligantis; quia id esset graue peccatum, & mendacium. In hac obiectione magnam vim facit P. Coninck disp. 15. de fide n. 43. & seqq. Respondeo, ex eâ Epistolâ argumentum sumi contra omnes; nam in ea non videtur tam excludere circumcisionem vt non necessariam, quàm vt nociuam, absolutè enim dicit, *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*, Scio multos explicare eum locum, *Si circumcidamini, iudicantes vos ad id teneri.* Ego tamen hanc explicationem puto esse violentam. Primò ex regula generali; quia quando textui additur clausula, quam verba non includunt, misera est explicatio: ea autem limitatio nullo modo petitur à textu; & solùm est inuẽnta ad saluandum, quomodo ipse Paulus circumciderit Timotheum, & purificauerit se in templo: vnde si de his factis Pauli non constaret, nullus eam limitationem illi loco apposuisset: atqui aliter possunt omnia saluari, vt statim dicam; ergo non est necessum recurrere ad talem explitionem. Secundò eam efficaciùs refici: nam iuxta illam, non tam ipsa circumcisio noceret quàm iudicium de illius necessitate; quod valdè diuersum: est & sanè si quis in lege gratiæ dicat matrimonium esse necessarium ad salutem, non minùs euacuabitur à Christo, quàm qui sub ea tempora Pauli dixit, sine circumcisione non posse saluari. Quis autem, quæso, propterea absolutè dicet, *Testificor coram Deo, quoniam si vxorem ducatis, Christus nihil vobis proderit?* Certè hic modus loquendi alienus est valdè à stylo Pauli: ratio est, quia quando opus in se est licitum & honestum, non debet ipsum damnari ob errorem circa illud: debuisset ergo tunc Apostolus clarè dicere: *Dico vobis, quod si iudicetis circumcisionem esse necessariam*, &c. quod facilius fuisset & tolerabilius pro Iudæis; quorum multi fuissent contenti, si permissi fuissent circumcidi, esto scirent, se ad eam non teneri: vt quid ergo tam ambiguè Paulus, & dando occasionem errorum Galatis, locutus fuisset; Ergo dicendum est, absolutè Paulum reprobasse actum circumcisionis: id quod mihi ferè certum est: ergo ex eo loco infertur, etiam tunc nõ licuisse eas cæremonias vsurpare; quod tamen communiter negatur: est ergo difficultas communis.

Probatur id efficaciter.

24.

Paulus absolutè reprobauit circumcisionẽ ad Galatas scribẽs.

Ideò crediderim eam Epistolam scriptam esse longè post circumcisionẽ Timothei, & post purificationem eiusdem Pauli; de quâ Act. 21. quia de eâ historiâ vt iam pridem elapsâ mentionem fecit in eâ Epistolâ. Hinc dico, Paulum, post eum vsum cæremoniarum, ante datam hanc Epistolam fuisse à Deo illustratum, & agnouisse reuerà non esse necessarium Iudæis eum vsum, imò nec ampliùs licitum: vnde haud sine causâ in eâ Epistolâ inculcat, se ea quæ Galatis scribit, non accepisse ab hominibus, sed à Deo; nam (vt supra notaui) Iacobus & alij Apostoli nondum agnouerant earum cæremoniarum abolitionem respectu Iudæorum; ideò ab illis non fuit edoctus Paulus eâ de re, sed per reuelationem: cuius occasio sine dubio fuêre contentiones illæ frequentes ratione earum cæremoniarum: sicut enim, vt decideretur ab Apostolis, Gentes non obligari ad eos ritus, occasio fuit dissidium ortum ea de re inter discipulos: ita idem dico de Paulo: Deus autem primò fortè illi reuelauit id quod magis erat contra Iudæos, quia ipse erat Apostolus Gẽtium, & quodammodò minùs, vt sic dicam affectus Iudæis, & magis electus ad exterminandum Iudaismum, quem anteà maximè confirmarat. Probabile autem est, etiam sub ea tempora idem aliis Apostolis reuelatum, quia nihil habemus quod ab aliis sit factum in contrarium post eam historiam; de quâ Act. 21. quæ, vt dixi, fuit ante datam eam Epistolam.

Epistola ad Galatas multò post circũcisionẽ Timothei & purificationẽ Pauli scripta est. Paulus diuinitus de cessatione legis post edoctus est.

25.

Cur potiùs Paulo quàm aliis id reuelatum.

Dices tamen Tertiò, Etiam antequam se purificaret Paulus cum eis quatuor viris, de quibus eo capite, videtur docuisse, non fuisse obligationem legem seruandi; inde enim erant tot in Paulum accusationes; non ergo potuit tunc eas exercere, ac si essent obligatoriæ. Respondeo Primò non constare, quòd id docuerit; nam etiamsi de eâ re fuerit accusatus, Iacobus tamen omnino suppossuit falsam illam accusationem fuisse; ideò dixit, *Et scient omnes: quia quæ de te audierunt, falsa sunt:* ostendi autem suprà, eum non accusatum, quòd legem pro priori tempore dãnaret, quasi à Deo non datam; sed, quòd iam doceret nõ esse necessariam, seu non debere circumcidi: ita enim expressè Iacobus asserit, *Quia discessionem*

An Paulus sciuerit legẽ id nõ esse obligatoriam.

Difficultas hac premit omnes.

23. Gal. 5. *Locus Pauli de circũcisione ineptè à quibusdam explicatur.*

Non constat an ante sui purificationẽ Paulus docuerit legem iã nõ obligare

Digitized by Google

doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Iudæorum; dicens non debere eos circumcidere filios suos; & tamen Iacobus dicit, falsum esse id à Paulo doctum, ergo Paulus non docuerat adhuc circumcisionem esse illicitam, aut non necessariam. Respondeo Secundò, probabiliter Paulum iam tunc fuisse in eâ opinione, quòd non esset necessaria; quia tamen non erat de eâ re certus subiecit se iudicio Iacobi; & eâ occasione à Deo instantiùs petiit illuminari circa illud punctum, quod tot tragœdias passim excitabat.

26. *Probabilius illum iudicabat amplius non obligare.*

SECTIO VI.

Cæteræ obiectiones explicantur.

Cur Petrus à Paulo ob seruatā legē reprehēsus, varię sētentię.

DIces Quartò: Quomodo ergo narrat ea Epistola ad Galatas cap. 2. reprehendisse se eodem ferè tempore Petrum, quòd Iudaizaret, seruaret cæremonias legis: si enim tunc temporis Apostoli & ipse Paulus iudicabant eas obligare; ergo non poterat Petrus reprehendi, imò debebat laudari, quòd eas obseruaret. Variæ sunt sententiæ circa hunc locum: de quo fusissimè Pater Suarez cap. 20. Quidam, vt Augustinus & Gregorius aliquando etiam grauis peccati Petrum in eâ actione accusant; alij solùm venialis: alij dicunt illum nec venialiter peccasse; ob inconsiderationem autem fuisse dignum reprehensione: alij dicunt nullum fuisse defectum, nec quidem considerationis, sed solùm, quòd elegerit id quod licitum quidem erat, non tamen expediens: qui error fuit facti, & sufficiens vt reprehensione dignus iudicatus fuerit à Paulo; quia ad conuersionem Gentium longè vtilius erat, non se separare à Gentibus. Et in hanc expositionem tandem P. Suarez in fine eius capitis consentit. Alij denique, vt Petrum liberarent, nomine Cephæ ibi non Petrum, sed alium ex 70. discipulis intellectum putant: quod tamen benè & P. Vasquez reiecerat eâ disp. 182. cap. 7. & cum ipso Suarez suprà cap. 15. quia immediatè antè Paulus notarat Petrum sub nomine Cephæ inter tres columnas Ecclesiæ; & non est credibile intra paucas lineas æquiuocationem in nomine commisisse in præiudicium Petri. Quæ ratio mihi omnino videtur bona. Addo explicationem P. Suarez piam quidem esse, difficulter tamen posse aptari textui; nemo enim, qui hîc & nunc, omnibus pensatis, benè & prudenter operatur tam ex conscientiâ quàm re ipsâ, potest dici reprehensibilis, eo solùm titulo, quòd non eligat optima: alioquin omnes actus virtutum inferiorum essent dicendi reprehensibiles, quia non sunt optimi: multò etiam minùs dici possunt non rectè ambulare ad veritatem Euangelij, eò quòd optima non facerent. Paulus autem eâ Epistolâ accusat Petrum vt non rectè ambulantem, ergo. Denique, id ipsum quod fatetur P. Suarez repertum in eâ actione Petri, quod scilicet fuerit impedimentum conuersionis, sine dubio non solùm priuatiuam imperfectionem, hoc est, quòd non fuerit summè bona, sed aliquam positiuam malitiam secum afferre videtur; ideò iudicarem, siue actionem in se, siue etiam Petrum ipsum non excusari ibi ab aliquâ culpâ leui; nam grauem in Apostolis iam confirmatis in gratiâ non debemus admittere.

27. *Nomine Cephæ Petrus non aliud aliquid intelligitur.*

Explicatio loci Paulini à Suarez data pia est, sed difficilis.

28. *Petrus Iudaizans leuiter solùm deliquit.*

Ego ad solutionem eius loci, quatenus nobis contrarius videtur, dico, Petrum non fuisse ibi à Paulo reprehensum ob legis obseruationem qualemcumque, etiam vt obligantis, quemadmodum solent communiter auctores hunc locum interpretari, vt inde probent legem non obligasse; sed dico, eum fuisse reprehensum ob vnam cæremoniam, seu actionem, ad quam non solùm non obligabatur; iuxta interpretationem communem; sed si se reflexisset Petrus, debuisset aduertere, esse illicitam: nam subtrahere se à Gentibus, vt nec agere nec comedere cum illis vellet, manifestè erat excludere Gentes à fide, & contra id quod per linteum demissum è cælo fuerat ipsi significatum; si enim Apostoli & prædicatores, qui omnes erant Iudæi natione, separassent se à Gentibus, certè hæ iam excludebantur à fide: quomodo enim audirent sine prædicante? Deinde, si Gentiles & Iudæi ad vnam fidem reuocabantur, quomodo, quæso debebant segregari in conuersatione, mensâ, &c. Vnde, licet Petrus cæteríque Apostoli dubitare potuissent, vtrùm liceret baptizatis Iudæis vti cæremoniis Iudaicis, imò vtrùm ad eas tenerentur; id tamen intelligendum præcisè erat de eis cæremoniis, quæ directè non excludebant præcepta à Deo sibi iam in lege gratiæ commissa: quale erat illud de acceptandis Gentibus ad fidem, & consequenter de communicando cum eis. Hanc puto esse genuinam eius loci expositionem; ex quâ nihil infertur de aliis cæremoniis legis, etiam de circumcisione; quæ compossibiles alioquin ex se erant cum lege Christi & conuersione Gentium: de his autem cæremoniis non agimus in præsenti; & de eis hucusque dixi, mihi probabilius esse tunc temporis ab Apostolis creditas esse adhuc obligare. Petrus ergo in hoc peccauit, quòd cùm eam segregationem à Gentibus sciret esse contrariam dispositioni diuinæ, non benè se reflexerit hîc & nunc, sed timore aliquo ductus, ne scil. Iudæi conuersi & legis adhuc æmulatores ac zelatores turbarentur, putauit sibi licere adhuc se à Gentibus subtrahere, ideóque meritò eum reprehendit Paulus. Obiicit autem illi, quòd cogeret Gentes Iudaizare: in quibus verbis est noua difficultas; nam subtrahendo se à Gentibus, quomodo inducebat Gentes in Iudaismum? P. Suarez ita ea intelligit, vt cogeret Petrus suo exemplo Gentes separare se à Iudæis; sicuti Iudæi se separabant à Gentibus. Quâ datâ expositione nihil infertur contra ea quæ nos diximus. At ibi videtur esse difficultas; nam ea separatio non esset Iudaizatio, sed Gentilizatio, vt sic dicam. Fortè per imitationem dici potest Iudaizatio, quatenus ad imitationem Iudæorum fiebat; sed hoc est satis impropriè dictum. Faciliùs ego respondeo, indirectè eum coëgisse Gentes Iudaizare; quia cùm viderent, Petrum nolle agere nisi cum Iudæis, poterant sic Gentes discurrere: *Ergo, si volumus cum eo agere, & Christum ab eo discere, prius circumcidamur, & fiamus Iudæi: tunc enim licitum erit nobis cum illo agere.* Ad hoc autem inducere sine dubio malum erat, & contra ea quæ Apostoli iam decreuerant in eo Concilio, Spiritu sancto illuminati. Ecce claram & facilem totius quæstionis enodationem, nec recurrendo ad simulationem cum Hieronymo, nec ad affectus illos ex compassione & ad funeralia, ad quæ recurrit Augustinus,

Vera ratio, cur Petrus à Paulo reprehensus.

29. *Petrus & Apostoli non poterant dubitare, se non obligari cæremonijs præcepta legis gratiæ excludentibus.*

In quo Petrus peccauit.

Oboritur noua difficultas

Qui Petrus Iudaizat Suario.

Petrum indirectè coëgit Gentes Iudaizare.

Ex his concludo totam hanc quæstionem, cæremonias antiquas, cùm primùm fuêre mortuæ quoad institutionem, fuisse etiam mortiferas, vt P. Suarez docet. Secundò, cùm primùm fuêre mortuæ quoad obligationem, fuisse etiam mortuas

Cùm primùm cæremoniæ antiquæ expirauit institutio, fuêre mortiferæ.

Digitized by Google

tuas quoad institutionem;quia,vt ostendi,vnica earum institutio fuit per legem obligantem:vnde absolutè concludo cum Hieronymo,cùm primùm non obligarunt,fuisse etiam in se illicitas;

Cur Apostoli legi se obligari putarint.

Apostolos autem fortè ex locis illis Scripturæ, quibus ea lex perpetua dicebatur, ex verbis item Christi, qui dixerat, *Non veni soluere, sed adimplere*, putasse aliquamdiu eam adhuc esse verè sub obligatione; ideóque eam sub eâ consideratione seruasse, cùm in eo Concilio, de quo Act.15. solas Gentes exceperint ab obligatione, etiamsi adhuc illis liberum reliquerint,si vellent eis vti. Certum autem videtur, Apostolos tunc non iudicasse eodem modo Iudæos esse liberos ac Gentes: si enim id iudicassent, vniuersaliter

31. de omnibus decisionem dedissent: id quod ea aduersatiua,de quâ Act.21. manifestè confirmat, vt suprà dixi, *De his autem qui crediderunt ex Gentibus*, &c. ideóque non debere nos ad simulationem vllam recurrere, quia, vt benè Augustinus,vix ea à peccato excusari potest: denique, illum locum ad Galatas intelligendum cum Augustino & aliis vt sonat; reprehensum verò Petrum, non, vt communiter putatur, propterea quod cæremonias legales absolutè seruaret,

Cur reprehensus à Paulo Petrus.

etiam iudicando eas esse verè adhuc sub obligatione, sed quia inter alias eas etiam seruabat, quæ vergebant ad excludendas Gentes à fide: id quod apertè aduersabatur visioni diuinæ ipsi Petro factæ, & reuelationi de vocatione Gentium;quidquid esset de aliis cæremoniis & etiam de circumcisione;quæ nec conuersioni Gentium, nec legi Christi ex se videbantur aduersari: Petrum autem fuisse inductum in eum errorem ex timore aliquo, ne Iudæi deficerent à fide, ideóque non peccasse grauiter, iuxta communem sententiam: fortè etiam ignorantia fuit talis, vt nec venialiter; licet non propterea fuerit irreprehensibilis; quia reprehensio datur, vt in simili occasione deinceps consideret quis diligentiùs rem prout tenetur, ne etiam materialiter malè operetur.

Petrus fuit reprehẽsibilis, ast fortè tũ ne quidẽ venialiter peccauit.

SECTIO VII.

De cessatione effectuum legis veteris.

32. PRo complemento huius disputationis duo restare videntur: primum, quando cessauerit in communi lex vetus quoad suos effectus: alterum, in particulari de circumcisione,quoad originalis peccati remissionem:de vtraque hac difficultate P. Suarez agit cap. 21. & 22. otiosas tamen has quæstiones, suppositis iis quæ priùs dicta sunt, omnino iudico: non enim habet lex effectus, nisi quando existit, ergo cùm dictum iam sit, quando perierit, eo ipso explicatum manet, quando eius effectus cessauerint. Et quidem

Cessante obligatione legis, cessat & inflictio pœnæ ob eandem.

de primo,qui est obligatio, non est dubium: de secundo, qui solet dici inflictio pœnæ, eodem modo constat eo momento cessasse; nam ablatâ obligatione seruandi legem, cessat ius puniendi transgressores, si supponamus culpam non fuisse antè commissam vigente lege; tunc enim probabiliter dici posset, etiam mansisse dignitatem ad illam pœnam ablatâ lege, si manst qui aliquam iurisdictionem haberet: alioquin sicut qui peccat in Hispaniâ v. g. non potest puniri in Galliâ ab Hispano, quia ibi non habet iurisdictionem: ita, si eo ipso cessauit iurisdictio in Iudæis non potuisset reus ille puniri ob præcedentem culpam;secùs autem, si mansisset aliqua Respublica temporalis, quæ haud dubiè manere poterat etiam sine verâ religione, vt eam habent Nationes infideles.

Quoad tertium effectum,irritationem scilicet 33. contractuum,eodem modo dicendum,postquam cessauit valor legis,non fuisse irritos contractus, qui alioquin solùm vi legis irritabantur;vnde infertur, impedimenta matrimonij essentialia, si quæ erant, quæ non essent ex naturâ rei,sed iure diuino, non impediisse ab eo tempore matrimonium, sed potuisse validè contrahere eis non obstantibus. Addendum tamen est, nisi loco eius prohibitionis successisset alia etiã diuina à Christo Domino, quia per hanc eodem modo irritari poterant: & licet Iudæi non suscipiant legem Christi, quia tamen sunt ad eam suscipiendam obligati, ideò si quid Christus instituit irritans re ipsâ etiam irritauit apud illos.

Cessante lege cessauit & irritatio contractuũ; nisi Christus contrarium statuisset.

Quartus effectus est permissio, vt illis fuisset liberum dare validè libellum repudij,& sæpè accipere duas vxores: hic etiam effectus periit eo ipso quòd lex cessauit; vnde si quis Iudæus post illud tempus repudij libellum dedit, reuerà non dissoluit matrimonium, & consequenter, nec vi eius dissolutionis potuit validè accipere aliam vxorem; nec item hoc potuit retinendo primam, esto illa in eâ re optima fide processisset: vnde si posteà ad fidem conuersus fuisset, debebat secundam relinquere retentâ primâ, nisi fortè hæc nollet conuerti; quia eo ipso dissolueretur illud matrimonium:vt in Gentilibus fieri aliunde suppono.

Expirante lege periit & libellus repudij.

Obiicies:Iudæi, quamdiu non credunt Euan- 34. gelio, necessariò debent habere aliquam legem quâ obligentur,non autem aliam quàm antiquã; ergo iuxta illam debent eorum & matrimonia & contractus iudicari valida aut inualida. Ita opinatur Henriquez lib.12.de Matrimonio ca.1. vbi aliquos pro se citat, qui,vt Suarez notauit, ei non fauent. Potest verò vlteriùs hæc sententia confirmari, quia in ordine ad contractus irritandos,etiam matrimoniales, per se sufficientem habet auctoritatem supremus Princeps laicus; ergo cùm Iudæi possint habere,esto sint infideles,proprium caput sæculare propriámque Rempublicam, qualem habent de facto in multis locis, videanturque rata habere ea impedimenta, profectò debent censeri inualida matrimonia sub illis inita,esto quoad dispensationem è contrario in his quæ videntur esse de iure naturæ,vt dare libellum repudij, duas vxores habere, nullam habeant auctoritatem; quia hæc requirunt diuinam, quæ iam respectu illorum, vt diximus, cessauerat. Respondeo Primò, non esse necessarium vt quælibet Respublica habeat propriam positiuam legem à naturali distinctam, vt patet in toto orbe ante legem in monte datam; tunc enim nulla erat positiua. Secundo respondeo, 35. Iudæos teneri nunc ad Christianam, esto ipsi non credant se obligari:in quo ipsi errant.Quod de contractibus dicitur, si intelligatur ab Henriquez, quasi vi legis prioris vt datæ in monte ea sit obligatio nunc, manifestè est falsum, quia ea lex iam periit simpliciter;si verò explicetur eo modo quo nos in confirmatione diximus, ratione iurisdictionis humanæ quoad possibilitatem omnino verum est; at de facto admitti non potest, quia Iudæi non formant perfectam vnam Rempublicam, sed vagi & dispersi per Prouincias, solùm reguntur politicis aliorum populo

Qua lege nũc Iudæi tenẽtur quoad validitatem contractuum.

Iudæi nunc Christianâ lege tenẽtur.

Iudæi de facto non suis, sed aliorũ populorum legibus reguntur.

Digitized by Google

rum legibus, esto in puncto religionis suas habeant proprias; ergo non retinent ea impedimenta quæ sunt ex lege.

Cur Iudæi ciuilibus solùm impedimentis obligentur.

Rogabis, an saltem obligentur impedimentis Ecclesiasticis. Respondeo negatiuè, quia nó sunt subiecti Ecclesiæ: si verò sint impedimenta quasi ciuilia, sine dubio illis obligantur: vnde si sint mancipia, non poterunt validè contrahere matrimonium, nisi de licentiâ dominorum, &c.

36. *Circũcisio tũ delyt, cùm Baptismus sufficiẽter est promulgatus.*

Quoad circumcisionem verò & vim remittẽdi originale dicimus eam legem cessasse eo momento quo obligauit Baptismus per sufficientem promulgationem; an autem hic incœperit pro toto mundo eodem die, an verò paulatim, nunc omitto, etiamsi de eo agat P. Suarez: de quo iterùm agendum erit, dum de gratiæ lege: nec animus est eadem sæpè repetere. Vnum tamen adhuc nobis restat proprium huius loci, vtrùm scilicet iudicialia præcepta diutiùs perseuerauerint quàm cæremonialia. P. Suarez putat verisimilius esse non fuisse mortua vsque ad integram promulgationem Euangelij, quia tunc primò fuit ex integro exstincta synagoga: quamdiu verò non fuit extincta habuit statum Reipublicæ & consequenter debuit retinere suas leges iudiciales. Ego tamen non video cur sit diuerso modo discurrendum de cæremonialibus quàm de iudicialibus; nam quod vsque ad perfectam promulgationem Euangelij non fuerit omnino extincta Respublica, probat fortè, in eâ parte orbis, vbi promulgatio non erat perfecta, mansisse iudicialia; at eodem modo debet dici ibi mansisse cæremonialia. Nam P. Suarez expresè docet, etiam cæremonialia non periisse simul; ergo idem debet de vtrisque dici. V.g. in Ierusalem desiit eorum Respublica die Pentecostes, esto tunc manserit Romæ, &c. Addo, licet dicamus mansisse eam in ratione veræ Reipublicæ, non ideò dicendum mansisse priores leges iudiciales: nam Deus eas non dedit illi populo nisi vt suo specialiter, & in ordine ad religionem, quam in eo instituit: vnde necessum fuit, vt eo populo facto iam non populo Dei, sed potiùs hoste illius, & amissâ verâ religione, non manserit in eo ea gloria, quòd scilicet haberet proprias leges à Deo sibi immediatè datas. Non est ergo vlla necessitas faciendi distinctionem inter vnam & alteram legem, maximè cùm, dum ipsa lata est, nulla talis differentia agnoscatur in ordine ad maiorem vel minorem durationem vnius præ alterâ. Addo tamen, si tunc voluissent constituere Rempublicam, potuisse sibi constituere leges quas vellent, vel etiam acceptare priores; quo tamen casu iam non obligarent vt diuinæ, sed vt humanæ, vt diximus suprà, casu quo ab aliquâ aliâ Republicâ eædem iudiciales acceptarentur. Et satis de lege veteri.

Quando perierit iudicialia periere etiam cæremonialia.

37. *Iudicialia data in ordine ad religionẽ, quâ sublatâ & illa corruerunt.*

Iudæi lege sua pereunte, alias sibi vel priores assumere poterãt.

DISPVTATIO XII.

De lege diuinâ gratiæ nouâ & Christianâ.

1. *Duplex lex diuina, vetus & noua.*

DVAS tantùm leges diuinas agnoscimus, veterem & nouam; illa fuit, iam non est; noua adhuc perseuerat, & in finem mundi perseueratura est; fuitque à Christo Domino immediatè instituta: habet autem varios titulos, quibus eius excellentia declaratur: dicitur lex libertatis, lex fidei, lex gratiæ, lex amoris, &c. eam in præsenti breuiter pro intento nostro explicaturi sumus. De illâ agit P. Suarius lib. 10 & P. Salas disp. 14. vbi inuenies citatos omnes auctores qui de eâ disputant.

Quàm sit lex noua.

SECTIO I.

Quædam certiora præmittuntur.

2. *Euangelium cõtinet vera & propriè obligantia præcepta.*

PRimum est, in Euangelio contineri vera & propria præcepta obligantia ad sui obseruationem, quidquid hæretici nostri temporis reclament, eo nixi fundamento, quòd lex noua dicatur lex libertatis, lex fidei; per quod ipsi putant solam fidem esse de præcepto: suppositio autem nostra & Catholica, quatenus tangit necessitatem operum bonorum ad salutem, aliò spectat, ideò à me non est in præsenti discutienda; quatenus verò dicit absolutè esse in lege gratiæ vera præcepta, saltem quoad ipsam fidem vel ipsi hæretici fatentur. De aliis verò vniuersaliter passim constat ex Euangelio ipso, vbi Christus dicit *mandata sua*; & toto cap. 5. Matthæi reuocat, seu suo nomine imponit præcepta Decalogi: & Ioan. cap. 15. dicit, *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem*: vnde Ioannes Apostolus in suâ primâ Epistolâ cap. 2. ait, *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est.* Quòd si propterea dicant hæretici se non negare mandata illa quæ spectant ad ius naturale, sed alia distincta: in primis iam tenemus legem gratiæ continere vera mandata; & in eis patiuntur instantiam argumenta ipsorum; quòd scilicet vocetur lex libertatis, lex gratiæ, lex fidei: quæ si eo sensu, quo ab hæreticis vsurpantur, sint intelligenda, profectò omnem omnino obligationem excluderent, etiam fidei: quòd si non obstante eâ libertate admittant obligationem præceptorum moralium, cur non admittunt etiam paucorum cæremonialium, de quibus statim? Secundò reiicitur absolutè ea responsio: tum quia præceptum suscipiendi Baptismi non est morale, neque ex natura rei; & tamen hoc necessariò ipsi hæretici admittunt: tum quia præceptum Eucharistiæ sumendæ etiam ipsi admittunt, licet malè illam sumptionem explicent: tum etiam quia præceptum confessionis etiam ferè ab omnibus illis admittitur, licet etiam malè explicent confessionem. Non possunt ergo negari vera & obligantia præcepta à Christo Domino instituta.

3. *Non solùm moralia & naturalia cõtinet, sed & cæremonialia. Quænam præcepta, etsi cæremonialia, cogantur hæretici admittere.*

Ad ea quæ hæretici obiiciunt responsum est suprà ad aliud intentum; vbi ostendimus, ideò legem nouam dici suauem, quia dat vires ad portanda onera; & quia, vt Augustinus Epistola 118. cap. 1. dicit, *Iesus iugo suo nos subdidit; vnde Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit.* Dicitur etiam lex libertatis, quia ab infinitis propè veteris legis præceptis nos liberauit, à pœnis etiam, quas toties ea lex repetebat, & à seruitute peccati. Dicitur lex gratiæ, quia eam copiosè communicat lex fidei; quia fundamentum totius vitæ spiritualis à fide desumitur: quo sensu etiam lex vetus quodammodò dici poterat lex fidei: tribuitur autem magis id nostræ, quia in lege gratiæ specialiter intenditur

Cur lex noua suauis.

Cur lex libertatis.

4. *Cur lex gratiæ & fidei.*

Digitized by Google

tenditur sanctitas interna, quæ per fidem incipit; in lege veteri magis exterior ea legalis mundities, quæ non ita fidem requirebat. Ex his infertur, Christum Dominum fuisse verum & propriũ Legislatorem nostrum, iuxta illud Isaiæ 33. *Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster.* Vbi sermo est de Deo incarnato, quia præmiserat Isaias, *Domine miserere nostri: teenim expectauimus.* & infrà: *Regẽ in decore suo videbunt oculi eius: & ipse saluabit nos.* Eadẽ veritas definita est in Tridentino sessione 6. can. 21 his verbis: *Si quis dixerit, Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse vt Redemptorem, cui fidant, non etiam vt Legislatorem, cui obediant, anathema sit.* can. verò 19. definierat in lege gratiæ plura esse præcepta quàm fidei: ex eo autem, quòd Christus fuerit Rex, quòd summus Sacerdos, quòd Redemptor noster, competit illi titulus Legislatoris: vt verò in vnam religionem homines coniungeret, debuit aliqua præcepta ponere, quæ tenerentur seruare, & per quæ exteriùs coadunarentur; ideò ipse legem suam iugum dicit, licet suaue; iugum autem constringit, tenet, obligat.

Christus verus & proprius Legislator noster.

Secundò supponendum est, ea præcepta Christi Domini ordinari ad sanctificationem fideliũ, vt per eam tandem vitam æternam consequantur; vnde ipse dixit, *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* in quo puncto nulla potest esse dubitandi ratio.

Præcepta Christi ad sanctificationem fidelium ordinantur. Ioan. 10.

Tertiò supponendum est, Christum Dominum non dedisse vlla præcepta iudicialia; non quidem ciuilia, quia noluit exercere temporalem iurisdictionem, etiamsi posset: vnde dixit Pilato, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ratio fortè huius rei ea est, quia cùm fidem suam disseminare vellet per omnes orbis Nationes, Regna, Respublicas, & fuisset difficile eas omnes ad easdem politicas ac ciuiles leges cogere, aliunde autem hæ ex se sint à religione independentes, prudentissimè reliquit quamlibet Rempublicam, &c. in suis legibus, eas tantùm indirectè excludendo, quæ religioni Christianæ contrariæ essent: deinde Ecclesiasticas leges iudiciales, etsi necessariæ sint omnino ad regimen bonum religionis, iudicauit tamen conuenientius relinquere suis Vicariis vt eas conderent, quàm immediatè per se id efficere. In quo puncto sine dubio considerauit diuersissimos status, quos religio Christiana habitura erat iam sub Imperatoribus paganis, iam sub Christianis, in pace iam, iam in bellis cum hæreticis, schismaticis, &c. item diuersarum Prouinciarũ, Regnorum, &c. ad fidem conuertendorum: proquibus omnibus vix congruenter potuissent assignari eædem Ecclesiasticæ leges; quia hæ debent etiam accommodari variis circumstantiis grauissimi momenti occurrentibus; vt antè ipsemet Christus leges ferret pro omnibus his statibus, illásque relinqueret in suo Euangelio, sicut fieri ab eo omnino potuit, ita non videbatur expediens; quia & difficile intellectu redderetur eius Euangelium, & magnæ inde occasiones dissensionum & hæresum oriri possent, dũ iam hic iudicat esse tempus quo tales leges obligent, alter verò idem negat. Faciliùs verò & connaturaliùs id fieri poterat successu temporis ab ipsius Vicariis, eosdem dirigente inuincibili Spiritus sancti gratiâ & Illuminatione.

Christus nulla tulit iudicialia & cær. Ioan. 18.

Ecclesiastica verò per Vicarios suos ferri voluit.

6. *Ratio cur sic statuerit.*

SECTIO. II.

Explicatur lex moralis Euangelica prohibens.

LEgem moralem à Christo positam diximus suprà: intelligimus autem per legem moralem, iuxta sæpè dicta, eam quæ versatur circa materiam naturâ suâ bonam aut malam, vel prohibendo illam, vel mandando. Vbi aduerto, licet omnis materia naturâ suâ mala prohibeatur à lege morali, ideóque ex hoc capite lex moralis consistat quasi in indiuisibili, non tamen è contrario omnem materiam naturâ suâ bonam mandari, v. g. virginitatem, paupertatem voluntariam, cæteraque opera bona, quæ solemus dicere opera ex consilio. Hoc supposito.

Quid lex moralis.

Licet omne malũ lex moralis vetet, nõ tamẽ omne bonũ præcipit.

Certum est, Christum Dominum suâ lege morali prohibuisse omnia quæ naturâ suâ mala erant, quæ etiam fuerant prohibita in lege veteri seu in Decalogo: certum item videtur, Christum non prohibuisse plura quàm prohibuerit lex vetus. Dices: Prohibuit odium inimicorũ; quod non prohibebatur in veteri, iuxta illud Matthæi 5. *Audistis, quia dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros,* &c. Item prohibuit libellum repudij, qui non prohibebatur in lege veteri. Tertiò, cùm in Decalogo dicatur, *Non mœchaberis*, ipse addidit, *Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo:* ergo prohibuit eam visionem, quæ non fuit prohibita in Decalogo. Respondeo, hæc omnia non esse contra nos. Rogo enim, an hi actus sint naturâ suâ mali, an verò non: si sunt, ergo necessum est, eos fuisse olim prohibitos; licet fortè non ita expresse ac Christus declarauit: si verò non sunt naturâ mali, ergo adhuc stat nostra suppositio, scilicet in obiectis naturâ suâ malis non feciſse Christum vllam additionem; quia licet posſit aliqua prohibere, & eo ipso reddere mala, at non reddet illa mala ex naturâ suâ, sed solùm lege positiuâ. Absolutè autem respondeo, suprà à me explicatum quo sensu dixerit Christus dictum antiquis, vt odio haberent inimicum suum, non quia Deus mandauerit odium; præceptum enim Dei solùm dicit, *Diliges amicum tuum sicut teipsum*; de inimico nihil dixit: ea ergo additio videtur fuisse aliquorum Iudæorum; explicui tamen ibidem potuisse Deum permittere odium eo sensu, quatenus tamquam Dominus vitæ & bonorum potuit permittere Iudæis, vt se de inimicis vindicarent; potuit etiam similem actum odij, quem habet ipse Deus in peccatorem; præcipere nobis in inimicum, non quà nobis inimicum, sed quà simul inimicum, Dei & peccatorem: videtur enim ibi omnis inimicus Iudæorũ simul intelligi vt peccator. Quòd si Christus in lege gratiæ eam vindictam prohibuit, id fecit auferendo ius in bona aut vitam alterius; statim enim præceptum naturale prohibet eam vindictam: sicut si ego licentiam, quam Petro dederam, vt veteretur meo pallio, reuoco, eo ipso iam præcepto naturali redditur illi illicitus vsus pallij. Quod verò ad odiũ attinet dico, fortè tale odium sub eâ consideratione non esse prohibitum; licitum enim est displicere in peccatore quà peccator est. Quòd si daremus tale odium prohibitum, id factum esset, vt magis essemus remoti

7. *Christus omnia naturâ suâ mala nec plura prohibuit quàm lex vetus. An odiũ inimici, libelli repudij, & turpem mulieris aspectũ primus Christus prohibuerit.*

Satisfit obiectionibus.

8. *Leuit. 19. Deus nõ imperauit olim odiũ inimici, quamuis id permittere potuerit.*

Qui vindictã prohibuerit,

Digitized by Google

remoti ab odio, quod naturâ suâ est malum: probabilius autè iudico, nihil esse prohibitum, quod non esset ex se malum. Quoad tertium de visu inhonesto respondeo, illum ex naturâ rei esse malum; ideò fuerat implicitè prohibitus in Decalogo sub decimo præcepto, *Non concupisces uxorem*, &c. Christum verò ibi declarasse magis eam obligationem naturalẽ non solùm ad vxorem alienam, vt erat in Exodo, sed ad omnem feminam non suam; item explicuit non solùm illicitam concupiscentiam, sed etiam visionem ad eam per se disponentem: id quod licet ex naturâ rei esset verissimum, tamen populus ille obcæcatus & rudis ignorare facilè poterat.

Nihil à Christo prohibitum nisi ex se malum

9.

Turpis visio ideò autè fuit implicitè in Decalogo prohibita.

SECTIO III.

Explicatur lex Euangelica moralis præcipiens.

CIrca opera verò bona maior potest esse difficultas; nam cùm hæc non sint, vt diximus, sub obligatione, saltem omnia, & pro semper, potuit in eis locũ habere ampliatio legis Christi, vt scil. obligaret ad plura quàm ratio naturalis dictet: & verò videtur omnino de facto ea addidisse; nã tenemur nunc credere explicitè Trinitatem, incarnationem ac passionem, ad quæ ex naturâ rei non tenemur: item tenemur sperare remissionem peccatorum, gratiam & gloriam per Christum: tenemur item diligere Deum vt Trinum; ponunt etiam aliqui præceptum diligendi Christianos speciali amore, iuxta illud Ioannis 13. *Mandatum nouum do vobis; vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos:* hic autem specialis amor non est de iure naturæ. Denique *tò Benefacite his qui oderunt vos*, nouum est præceptum.

An plura lex moralis Christi præceperit quàm naturalis ratio dictet.

Matth. 5.

Dicendum tamen est cũ D. Thomâ 1. 2. q. 108. art. 1. & 2. in lege nouâ nulla alia opera determinari præcipiendo vel prohibendo, nisi Sacramenta & moralia præcepta, quæ de se pertinent ad rationem virtutis. Et hæc etiam est communis sententia Theologorum. Rationem addidit D. Thom. quia cùm lex noua sit lex gratiæ, solùm ea præcipere debuit vel prohibere, per quæ in gratiam introducamur, vel quæ ex necessitate pertinent ad rectum vsum gratiæ. Hæc tamen ratio non est admodũ solida, quia potiùs ex eo, quòd sit lex gratiæ, videbatur imperatura multa opera bona quæ non sũt ex necessitate, vt per illa gratiã augeremus; sicut ob eãdẽ rationẽ instituit tot Sacramẽta causantia gratiam. Ego non video aliam rationem, quàm quod Christus ita voluerit: confirmat id D. Thomas à simili ex lege veteri: quæ non posuit alia moralia præcepta, quàm quæ erant ex necessitate naturæ. Sed neq; hæc confirmatio placet, quia cùm lex vetus innumera alia statuerit iudicialia & cæremonialia præcepta, congruens valdè fuit, vt de moralibus nihil adderet. At cùm lex gratiæ iudicialia nulla, cæremonialia paucissima vt statim dicemus, imposuerit, potuisset cõgruenter in moralibus aliquid ampliùs addere. Dicendũ ergò in his rebus, quæ à voluntate Dei pendent, non esse quærendam aliam solidam rationẽ quàm ipsiusmet voluntatem: nã recurrendo ad congruentias, facillimum est in vtramque partem eas inuenire; & verò sæpè eas, quæ pro vnâ parte afferuntur, in contrariam conuertere. Potest tamẽ satis probabilis congruentia reddi ex suauitate legis gratiæ: ad id verò, quod obiecimus in contrarium, quod scil. pro augendâ gratiâ fuerit conueniens præcipere varia opera virtutum, respondemus negando id esse melius: nã vt augeatur gratia sufficit, quòd ea opera possimus elicere quando volumus, etiamsi non simus ad ea obligati; & licet fortè obligatio esset causa in multis vt ea exercerent, qui iam, eò quòd non teneantur, illa omittunt, esset etiam maius aliquantulùm meritũ, si fierent ex motiuo obedientiæ; in contrarium tamen, in multis & pluribus esset ea obligatio causa grauium peccatorum: fortè etiam deterreret Gentes ab eâ lege recipiendâ, ideóque, omnibus pensatis, hoc videtur esse congruentius.

10.

Quandũ noua præcepta à Christo lata sint.

Ratio Diui Thomæ debilis.

11.

Optima ratio est voluntas Dei.

Congruentia est suauitas

Iam ad argumentum in contrarium, desumptũ ex enumeratis in ipso præceptis, respondetur facilè, negando ea præcepta esse positiua, suppositâ enim eleuatione ad ordinem gratiæ ex naturâ rei ad ea tenemur. Et quidem in fide res est clara; illa enim naturaliter obligat ad credendum Deo in omnibus suis dictis: vnde si ille dicit se esse Trinũ & Vnum, naturaliter tenemur id credere, non minùs quàm esse Vnum; sicut etiam tenemur credere, factâ sufficienti propositione, quòd fuerit Abraham, quòd Tobiæ canis caudam mouerit, &c. Quòd autem Christus Ecclesiæ suæ distinctè reuelarit hæc mysteria nõ est propriè præceptum, sed potiùs fauor singularis; esto ex illo resultet ea obligatio credendi: sicut si Rex aliquẽ constituat Iudicem, non propterea imponit illi præcepta positiua, sed constituit illum gratiosè in eo statu, in quo incipiunt eum obligare leges, quæ annexæ sunt Iudicibus. Et hinc eodem modo dicitur ad instantiam de amore Dei Vnius & Trini; naturaliter enim tenemur Deum amare vt eum nouimus: si nouimus solùm vt Vnum, tenebimur ad amorem eius vt Vnius; vt Trinum verò si nouamus, etiam amare tenemur. Eodem etiam modo respondetur ad illud aliud præceptum spei; dicimus enim, ex suppositione quòd Deus nos eleuauerit ad ordinem gratiæ, dederitque vires ad consequendam beatitudinem, naturaliter teneri nos eam sperare, & non posse licitè eam negligere. Et verò, qui dicunt omnem actum desperationis includere errorem in fide, faciliùs ostendunt, quomodo sit naturale illud præceptum non desperandi, quia est naturale præceptũ non negandi ea quæ Deus reuelat; sed quia ego (vt ostendi in materiâ de spe) puto probabilius sine vllo errore in intellectu posse esse desperationis peccatum, si v.g in puncto mortis ex contemptu beatitudinis nollet quis se ad gratiã disponere, ex alio capite, ostendo illud peccatum esse contra naturam; quia scilicet est contra amorem erga se dum negligit voluntariè summum bonum, ad quod inuitatur.

12.

Præcepta nobis obiecta nõ sunt positiua, sed ex naturâ rei.

Christus ex fauore illa mysteria distinctè Ecclesiæ reuelauit.

Tenemur naturaliter ad amorẽ Dei & Vnius & Trini.

13.

Vnde peccatũ desperationis sit contra naturã. An præceptũ fidei sit positiuum.

Replicabis, Esto quis naturaliter obligetur, ne dissentiat rebus à Deo reuelatis, tamen non videtur esse necessarium ex naturâ rei positiuum actũ elicere: nam si quis suspenderet assensum, non quia dubitaret de veritate, sed ob aliam rationẽ, non peccaret contra rationem naturalem; ergo præceptum fidei est positiuum. Confirmatur, quia de facto fides in Deum vt Trinum est mediũ necessarium ad salutem, cùm tamen ex naturâ rei id non videatur necessarium; quia posset Deus aliter dimittere peccata, & iustificantem gratiam infundere. Quæ ratio etiam habet locum in spe, quia sine obligatione eliciendi vllum actum illius potuisset nos Deus iustificare exigendo alios actus diuersos, humilitatis, v.g aut solùm dolorem de peccatis, &c. ¡Respondebis cum P. Suario lib. 10. cap. 2. in omni lege diuinâ fuisse eam

14.

necessi-

Digitized by Google

necessitatem credendi: ergo Christus nihil addidit in hoc puncto singulare. Sed contrà, quia iá non disputamus, an Christus in lege nouâ addiderit aliquid suprà priores diuinas, sed, an aliquid supra legem naturalem; hoc autem videtur probari per replicam factam, & non vitatur per hoc, quòd id fuerit in prioribus legibus diuinis mandatum. Meliùs ergo respondetur, distinguendo duplicem obligationem naturalem; vnam purè naturalem, non supponentem in nobis vllâ eleuationem ad ordinem gratiæ; alterâ verò post eamdem eleuationé: si de primâ loquamur, fortè concedi potest quidquid argumentum intendit; licèt tamen satis dubium sit, an non etiam eo in statu, & datâ sufficienti propositione reuelationis diuinæ, teneretur homo aliquâdo positiuè illi assentiri: id enim videtur exigere ab homine infinita Dei sapientia: si enim naturalis ratio dictat, vt discipulus debeat assentiri ijs quæ manifestè ostendit ei præceptor, numquid non idem dictabit à fortiori eadem ratio naturalis erga infinitũ illum (vt sic dicam) præceptorem Deum nobiscum loquentem? Sed quidquid de hoc sit veniẽdo ad alterum statum, in quo iam supponimur à Deo eleuati ad ordinem supernaturalem, dico, clarissimum esse, teneri nos naturaliter positiuum actum fidei elicere; quia (vt ostendi) tenemur naturaliter conari ad eam beatitudinem consequendam; ergo tenemur ad media per quæ est obtinenda: non enim aliter conamur in finem nisi per media quibus obtineri potest, & quæ sunt in nostrâ potestate: cùm ergo Deus posuerit hæc media pro illo fine, iam obligabimur eo ipso ad illa. Vnde non placet quod Pater Suarez eo cap. 2. num. 10. docet, præceptum scilicet fidei & prouenire ex institutione positiuâ Christi, & esse positiuum, licèt addat esse quodammodò connaturale suppositâ institutione: non, inquam, placet; quia iam per hoc destrui videtur assertio vniuersalis, quam ipse cum D. Thomâ & Theologis posuerat, scilicet nullum morale positiuum à Christo additum. Displicet item, quia reuerà, suppositâ institutione Christi, naturale omnino debet dici tale præceptum. Id quod ego sic meo iudicio manifestè declaro, Si quis moriatur fame v.g. aut suffocetur in fluuio, sine dubio præcepto naturali tenetur comedere, si ego appono illi panem, aut porrigo illi dextram, vt extraham ex aquâ: & licèt hæc media non sint necessaria ex naturâ rei, quia loco panis potui ego illi dare gallinam vel fructus; & loco dextræ potui illi sinistram porrigere: supposito tamen, quòd ego, qui solus possum illum iuuare, non applicem alia media, in quâ non-applicatione nullũ propriè intercedit præceptum, obligatio est naturalissima ad ea accipienda: idem est, si domus arderet, clauderémque ego duas portas, tertiâ solâ apertâ relictâ, per quam quis euadere posset ignem, procul dubio tunc esset naturalis obligatio exeundi per illam tertiam. Hinc dico, quia proposito, vt diximus, eo summo bono, naturaliter tenemur illud procurare; si item vlteriùs pro illo obtinendo proponit nobis Deus solam viam fidei, spei & doloris, &c. esto, si voluisset, habuisset alia media, quibus nos promouisset ad gloriam, nos tamen, factâ eâ institutione (in quâ, iuxta dicta, non est propriè præceptum) naturaliter & naturalissimè tenemur eos actus elicere. Denique circa illud præceptum, quod à nonnullis ponitur de speciali dilectione Christianorum inter se, dicimus nihil esse ibi quod obliget præter præceptum naturale, quod inclinat nos ad amorem mutuum, quod etiam inclinat ad specialiter amandos eos, qui nobis viciniores sunt, maximè ratione eiusdem religionis: quæ tamen obligatio vix est re ipsâ vllâ; etenim non crediderim vllo modo nec venialiter peccaturum eum, qui intensissimè amaret omnes homines, eis omnia bona spiritualia exoptans ardentissimè; esto non magis intensè amaret hos quàm illos. Non est ergo fundamentum ad assignandum speciale præceptum affirmatiuum morale à Christo Domino institutum.

Obligatio naturalis duplex est.

15. *Eleuati ad ordinem supernaturalẽ tenentur ad positiuum actum fidei vti & spei.*

Displicet opinio Suarez.

Suppositâ institutione Christi, naturale est id præceptum.

16.

Speciale dilectionis Christianorum præceptum.

Sic lata obligat ex natura sua.

Sectio IV.

Obiectio quædam soluta: & ad quid aliud obliget lex Christiana.

17. *Grauis instantia obiectio.*

Occurrit tamen adhuc in hoc puncto difficultas. Diximus enim, suppositâ institutione Christi naturaliter obligari nos ad fidem, spẽ, &c. Id quod videtur valdè difficile; nam quantũuis ea institutio existat; si tamen ego eam ignorem, non potest vllam inducere obligationem, vt ex terminis constat; nec potest dici, me esse obligatum ad cognoscendam eam institutionem: si enim hoc sit verum; ergo iam imposuit Christus nouum præceptum morale, quo obligamur ad audienda mysteria Christi. Deinde, quomodo hi, qui nondum credunt in Christum, obligabuntur eo præcepto Christi ad audiendum Euangelium eíque credendum? Respondeo, difficultatem hanc communem esse omnibus legibus, quæ non obligant, nisi cùm innotescunt subditis: non tenentur autem subditi, per se loquendo, inquirere, an sit noua lex, nec ne; sed cùm primùm audierint, tunc obligantur ad eius obseruationem. Dixi *per se*, quia si incipiant ex aliquo capite dubitare eâ de re, tenebuntur tunc eos consulere, à quibus possint, quid re ipsâ sit, intelligere, quæ obligatio naturalis est; quia nemo potest dubiâ conscientiâ licitè operari, vt suo loco explicuimus. Hinc ad rem nostram dico, neminem, antequam Christianus sit, & antequam audiuerit propositionem fidei, obligari per se actu ad credendum, imò nec ad inuestigandum de nouâ fide (& hoc do obiectioni.) Dico *per se*, quia si incipiat dubitare de veritate suæ fidei, tunc iam tenetur facere diligentiam ad deprehendendum veram: hæc autem obligatio in eo casu dubij non prouenit à præcepto nouo aut positiuo Christi, sed ex naturâ rei; quia nemo potest adorare Deum, quem dubitat, an sit verus, ne idololatriam committat: & cùm aliunde omnes homines naturaliter teneantur ad suum Creatorem & Deum adorandum & colendum, tenentur eo ipso quà possunt inquirere, quis sit ille verus Deus, &c. De facto verò in Religione Christianâ obligatio alijs proponendi & explicandi mysteria fidei nostræ reperitur in Prælatis Ecclesiæ, non tamen ex præcepto positiuo, sed ex naturali, suppositâ eorum dignitate & prælatione: quod enim pastor debeat oues suas arcere à venenatis pascuis & fontibus, obligatio est naturalis, non positiua; ergo, quod Pastores Ecclesiæ teneantur detegere falsas in fide doctrinas, & veras tradere, à naturali præcepto formaliter prouenit.

Occurritur illi.

18. *Quando non Christianus teneatur ad credendum, fidẽ inuestigandum, quãdo non.*

In Prælatis Ecclesiæ naturalis est obligatio proponere & explicare suis ouibus mysteria fidei.

Replicabis: Id non potest locum habere respectu promulgationis fidei; nam ante receptam fidem Gentes non sunt oues Episcoporum; non minùs

Replica.

Digitized by Google

minùs quàm Christiani in Italiâ residentes non sunt oues Archiepiscopi Pragen sis aut Salisburgensis; ergo sicut hi non obligantur ad docendos

19. eos qui sunt in Italiâ, ita nec Episcopi, nec vllus alius tenebitur promulgare fidem Ethnicis: cúmque hi audire non possint sine prædicante, vt per se notum est, nullam habebunt obligationem credendi; imò nec erit de dilatatione fidei vlla in totâ Ecclesiâ obligatio: quod videtur absurdum: si autem aliqua est, oportet illam esse ex præcepto morali positiuo, non autem ex naturali; contra ea quæ hucusque dicta sunt.

Solutio Prima. Respondeo Primò, fortè re ipsâ nullam esse in Ecclesiâ obligationem talis dilatationis: neque enim videtur Summus Pontifex in conscientiâ obligatus ad mittendos Concionatores in terras infidelium, nisi illi eos petant, aut sibi gratum id fore ostendant. Iam enim eo ipso, quia videntur velle acceptare instructionem, obligantur Ecclesiæ Pastores ad eam dandam, & quidem naturali obligatione, quâ teneor proximo extremè indigenti & auxilium imploranti succurrere, si cómodè possum: hinc in tali casu non solùm ipsa Ecclesiæ capita, sed alij homines docti, Concionatores, &c. si ab eis petatur ea instructio, tenebuntur eam iure naturæ dare, ob rationem immediatè antè datam.

Quando teneantur Ecclesiæ Pastores & Doctores infidelet instituere.

20. *Solutio Secunda.* Secundò respondeo, probabilius videri dari aliquam talem in Ecclesiâ obligationem: iam nó decido, quanta illa sit, & in quibus casibus obliget; hoc enim non est huius loci; addo tamen eam esse ex iure naturæ, suppositâ institutione Christi; idque declaro insistendo eidem similitudini Pastoris. Dico ergo, etiamsi quoad iurisdictionem Christus Dominus noluerit subijcere Episcopis nisi eos qui iam sunt baptizati, iuxta illud Pauli, *De ijs, qui foris sunt*, &c. in ordine tamen ad dandam instructionem & ostendenda pascua vtilia constituisse Christum suum Vicarium Pastorem vniuersalem; seu, si vis, per aliam similitudinem Doctoris idem explica: constituit enim illum vt Doctorem orbis; eo autem ipso iure naturæ tenetur Papa, iuxta opportunas occasiones omnibus ea pascua ostẽdere, aut omnes ad scholam suam aduocare. Ne autem diutiùs hæreamus in re, quæ fortè multum habet de modo loquendi, dicere possumus, hoc præceptum esse speciale à Christo positum Pastoribus, iuxta illud, *Euntes ergo docete omnes Gentes*, &c. sed tamen non contrariari conclusioni nostræ vniuersali suprà positæ, quia ibi agebamus de præceptis Christi extendentibus se indifferenter ad Christianos omnes: ex his autem dicimus nullum esse morale quod non sit ex naturâ rei; vtrùm autem lex Christi circa eam materiam naturalis legis addiderit nouam obligationem, quia eadem difficultas est eum lege diuinâ veteri, de quâ suprà, hîc non disputo; hoc solùm addo, saltem propter dignitatem ipsius personæ immediatè eam ferẽtis, accidentalem aliquam obligationẽ crescere.

Quoad iurisdictionem solos baptizatos Christus Episcopis subiec. it, quoad instructionẽ vero Vicario suo totum orbem.

2. Cor. 5.

Matth. 28. *Datio huius præcepti non contradicit conclusioni nostræ.*

21. *Accidentalis obligatio creatur in lege naturali ex promulgatione immediatâ Christi.*

Obiectio. Dices, Etiam Deus ipse immediatè eas leges olim condidit; ergo tam dignæ fuerunt quàm nostræ ex parte personæ. Respondebis, legem gratiæ fuisse promulgatâ à personâ diuinâ; id quod non habuit antiqua. Sed contrà, quia etiam antiqua fuit à Deo promulgata; nam ipsemet Deus immediatè eam infudit Angelo; quæ est prima promulgatio; licèt posteà Angelus promulgauerit cæteris, sicut Christus immediatè eam dixit Apostolis, & hi postea nobis. Respondeo, locutionẽ Dei cum Angelo non fuisse promulgationem legis; quia ipse Angelus non obligabatur eâ lege: promulgatio ergo primò facta est ab ipso Angelo eis hominibus, qui lege obligandi erant: at Christus Dominus verè eam hominibus prædicauit & promulgauit: quòd autem nos debuerimus posteà ab alijs eam audire, non tulit primam & veram promulgationem factã esse à Christo, & inde maiorem esse nostræ legis excellentiam, vt debeamus maiori cum obseruatione eam colere.

Solutio.

Inde maior est legis nostra quàm veteris excellentia.

Veniamus iam ad materiam cæremonialem legis gratiæ; de quâ breuissimè dicimus, totam reduci ad septem Sacramenta: inter quæ vnum ex illis est simul sacrificium. Circa quæ in præsenti nihil occurrit speciale dicendum; nam in particulari de Sacramentis tractabitur suo loco. Hoc solùm noto, non omnem hanc materiam cæremonialem cadere sub legem obligantem; nam nec ad Sacramentum matrimonij tenemur, nec ad Ordines, neque ad extremam Vnctionem, Confirmationem; solùm ergo sunt de necessitate pro omnibus, Baptismus, Pœnitentia pro lapsis, Eucharistia verò de necessitate præcepti suo tẽpore: Sacramentum verò Ordinis in communi ita est sub obligatione. vt non permittatur Ecclesia sine Sacerdotibus: quia verò diuina Prouidentia etiam sine obligatione multos excitat ad Ordines suscipiendos; numquam vllus in particulari ad eos obligatur ratione præcepti diuini. Dico *diuini*; nam aliquãdo ob iustas causas fuisse aliquos ad id Pontificum mandato obligatos, historiæ tradunt.

22. *Septem Sacramenta sunt materia cæremonialis legis gratia cum sacrificio. Non obligamur ad omnem, neque semper.*

Solùm restat circa materiam eius legis explicare, quomodo præcipiat actus internos. Respõdeo duobus verbis, legem Christi moralem eos præcipere, sicut præcipiuntur à lege naturali: de quâ suprà. Quatenus verò ad eam legem etiam reducuntur actus fidei, spei, &c. eò quòd requisiti sint ad salutem, vt paulò antè explicuimus, clarũ est eos directè cadere sub obligationem; neque in hoc est difficultas, cùm Christus directam habuerit potestatem in actus internos: quibus autem casibus homo ad eos actus obligetur, non est huius loci. Quod ad Sacramenta attinet, iure naturæ (suppositio, quòd ea debeant suscipi vel conferri) tenetur homo omnes illos actus interiores adhibere, qui ad valorem Sacramenti necessarij sunt, ne nugari videatur cũ Deo potiùs, quàm Sacramenta velle conferri: præterea, iuxta communiorem sententiam, tenetur etiam ob eorum reuerentiam in statu gratiæ administrare, item & ea suscipere eis exceptis, quæ Sacramenta mortuorum dicuntur: ad quæ ex parte suscipientis non requiritur status gratiæ, sed alia dispositio, cum quâ Sacramentum conferat primam gratiam. de quo fusiùs agendum est Deo dante Tomo de Sacramentis tam in genere quàm in specie.

Qui lex moralis Christi præcipiat actus internos

23. *Iure naturæ tenemur omnes actus internos adhibere ad valorem Sacramenti necessarios.*

Disputari in præsenti solet, quo sensu lex nouа dicatur scripta in mentibus fidelium. Quæ difficultas moueri solet ob testimonium Ieremię 31. vbi ita habetur: *Feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum*; id quod sic declaratur, *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam*: quod testimonium bis ponderat Paulus, ad Hebræos c. 8. & 10. hac de re fusè aliqui, & inter eos Pater Suarez toto cap. 3. & Salas totâ sectione 3. Mihi videtur non posse hîc vllum esse diffidium nisi de solo nomine; pro quo dico, certum esse Primò, legem Christi debuisse venire ad nos per promulgationem externã,

Qui lex nouа in fidelium mentibus scripta sit.

siue

Digitized by Google

siue scripto siue verbo factam: quod pro præsenti difficultate est accidentarium: non enim Deus miracula facit interiùs infundendo cognitionem suæ legis, sed per signa exteriora eam manifestat. Secundò certum videtur, Christum non tradidisse scripto, sed verbo suam legem, & sic duransse aliquamdiu in Ecclesiâ, vsque dum Euangelistæ eam scripsêre, ac potuisse vi legis gratiæ etiam ad finem mundi durare sine Euangelio scripto; expediens tamen fuisse vt scriberetur, ne cuilibet liceret posteà addere, demere, mutare pro libidine. Tertiò certum est, aliqua ad legem gratiæ spectantia non esse scripta, sed per traditionem in Ecclesiâ credita; vt quod matrimonium sit Sacramentum, &c. Quartò certum est, omnem legem vt seruetur, præter externam actiuam, vt sic dicam, applicationem requirere, vt intellectus eam percipiat, & homo agnoscat se teneri ad eam seruandam: & in hoc sensu omnis lex potest dici scripta in mentibus. Quintò certum est, tam in lege antiquâ quàm in nouâ esse necessariam Dei interiorem gratiam ad eam seruandam. Sextò, in lege nouâ maiora esse auxilia ad seruandam legem; item fideles magis quodammodò affici erga eam legem quàm olim Iudæos, meliùs etiam eam retinere impressam memoriæ quàm antiqui suam: quæ cùm propè innumera contineret præcepta, vix poterat ab vllo teneri memoriâ: hæc in hoc puncto ceratiam verò, an lex gratiæ dicenda sit præ antiquâ scripta in cordibus nostris, eò quòd eam magis amamus, an verò, quia meliùs eam retinemus memoriâ, an, quia Deus dat nobis vberiora auxilia ad eam explendam, quæstio est parui momenti; & quæ ferè ad modum loquendi reuocatur. Probabilius videtur, tum ob maiorem ipsius memoriam, & frequentiorem de illâ cogitationem, ac intensiorem in eam affectum, dici scriptam in cordibus; sicut de re, quam vehementer amamus, vel quæ nostræ perpetuò obseruatur menti, solemus dicere, quòd habeamus eam impressam in imaginatione, voluntate, &c.

Poterat ea ad finê mundi durasse non scripta, prout à Christo data fuit.

Multa legis gratiæ solùm habentur traditione.

Lex vt seruetur ab intellectu percipi debet.

Virusq; legis obseruatio gratiâ opus habuit.

Lex nouæ pluribus fulcitur auxiliis, magisq; est impressa memoriæ.

25.

Vnde lex nouæ scripta dicatur in cordibus.

SECTIO V.

Quando incæpit obligare lex noua.

MIrum est, quàm fusè hac de re nonnulli disputent, cùm res sit facilior, & ferè vnâ aut alterâ congruentiâ ex vtraq; parte fulciatur.

SVBSECTIO I.

Examinantur quorumdam sententiæ.

26. CRedidere nonnulli, legem Baptismi ab eo tempore obligasse quo Christus dixit Nicodemo, *Nisi quis renatus fuerit*, &c. quia iam tunc videbatur ille esse necessarius ad salutê. Videtur in hac sententiâ omnino fuisse Hugo de Sancto Victore; cuius verba suprà citauimus disputatione præcedenti, dum de fine legis antiquæ egimus; docuit enim, etiam vigente circumcisione ante passionê Christi, non fuisse sine periculo salutis neglectum Baptismum ab his, qui de illo notitiam habuêre; ergo manifestè sentit, eos, ad quos verba Christi peruenêre, fuisse ad illum obligatos.

Quando lex Baptismi obligarit, vti & lex noua. Ioan. 3.

Mens Hugonis Vasquez & alia hæc suppone, vt dictum.

Alij verò dicunt in morte Christi antiquam legem periisse, & nouam incœpisse: quod ex D. Paulo probant, dum dicit testamentum in morte primò confirmari. Ita Vasq. Salas & alij, quos suprà agentes de lege antiquâ retulimus. Salas verò iterùm hîc sect.4. de lege nouâ probabilius putat, à puncto mortis Christi obligasse.

Alij Tertiò dicunt, in puncto resurrectionis incœpisse; quia salutis nostræ negotium videtur tunc consummatum.

Alij Quartò, inter quos est P. Suarez, censent, in die Pentecostes primò incœpisse obligare post promulgationem à Petro factam: non tamen explicant hi eodem modo eam obligationem; nam quidam dicunt, tunc solùm obligasse Iudæos existentes Ierosolymis, ad cæteros verò successiuè obligationem peruenisse iuxta successionem promulgationis; putant autem quadragesimo anno post mortem Christi, antequam Ierosolymæ subuerterentur, fuisse pro toto orbe promulgationem completam. Alij verò docent, ipso die Pentecostes incœptam & completam pro toto orbe obligationem. Alij denique dicunt, citiùs obligatos Iudæos quàm Gentiles, quia die Pentecostes solis Iudæis facta est promulgatio, Gentibus autem non nisi post visionem diui Petri & conuersionem Cornelij Centurionis. Ecce omnes hac de re sententiæ; quorum fundamenta, vt dixi, ad coniecturas aliquas reducuntur: primæ & secundæ fundamenta iam vidimus: tertiæ illud est, quòd lex non promulgata publicè non obliget: Christus autem viuens non promulgauit eam publicè, sed instruxit discipulos pro promulgatione: quæ non incœpit nisi die Pentecostes. Quòd si lex, vt obliget, requirit promulgationem; ergo, vt vniuersaliter obliget, requirit vniuersalem promulgationem: hæc autem non est facta ipso die Pentecostes, sed per 40. illos annos, donec in omnem terram exiuit sonus, id est prædicatio Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Hanc sententiam maximè vrget Pater Suarius diuersis in locis ex eo, quòd non videtur congruum diuinæ Prouidentiæ, vt tamdiu relinqueret orbem sine remedio pro paruulis: si enim die mortis Christi, vel certè ipso die Pentecostes, cessauit pro toto orbe vis circumcisionis quoad delendum originale; ergo cùm eo tempore fuerit per se impossibilis ferè toti orbi applicatio Baptismi (quia quod per se sciri non potest, per se etiam applicari non potest vtiliter) per se autem erat, vt qui distabant Ierosolymis non possint scire eodem momento quidquam de Baptismo; fuisset tunc planè totus orbis, exceptâ Ierosolymâ, per se sine remedio pro paruulis: id autem, vt dictum est, videtur contrarium suauiDei prouidentiæ, ergo, Quòd si dicas cum Patre Vasquez, non esse contra Dei prouidentiam relinquere aliquot partes orbis ad tempus sine remedio pro paruulis, dummodò absolutè in mundo in aliquo loco illius sit tale remedium: iterùm replicat Suarez; nam licet id de potentiâ absolutâ possibile sit, non tamen videtur connaturale Dei prouidentiæ, qui numquam deserit omnino homines, per se loquendo. Hæ sunt omnes in hoc puncto sententiæ & earum momenta; dixi autem ferè niti congruentiis, quia Pater Vasquez & alij nituntur ei allegoriæ de testamento in mortuis confirmato; quæ tamen, vt suprà vidimus, est etiam congruentia, & non probat de eodem momento mortis. Sotus verò, dum diem resurrectionis assignat, etiam nititur ei rationi, quòd eâ die sit salutis nostræ negotium perfectum: quæ etiam solùm est congruentia; nam aliud est, compleri solutionem

Opinio Suarez.

27. *Aduersus grauiter inter eos his dissidiũ.*

28. *Quando incœperit promulgatio legis Christi & quamdiu durarit, teste Suario.*

Vasquez aliter videtur.

29. *Replicat Suarez.*

Mens Soti.

Digitized by Google

nem pretij pro redemptione, aliud, leges nouas obligare: præterquam quòd (vt superiùs ostendi) non sunt eâ die omnia mysteria perfecta, sed die Pentecostes, quando S. S. missus est. Pater Suarez videtur niti solidiori fundamento de promulgatione, quantum ad hoc, quod ante diem Pentecostes non obligauerit: in quo sensu eum secuti sumus suprà agentes de cessatione Iudaicæ legis: nihilominùs tamen hoc ipsum pura est congruentia: nam qui vellet dicere, sufficienter à Christo Domino promulgatam iam legem toto suo vitæ tempore, quandoquidem non in secreto, sed coram omnibus loquebatur, vt ipse posteà testatus est, dū Pontifici dixit, *Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt*, Ioan. 18. qui, inquam, diceret, vt re ipsâ dicunt Pater Vasq. & alij, hanc promulgationem fuisse sufficientem, vt posset etiam tunc incipere obligare lex, si Christus voluisset, non posset facilè efficaciter impugnari. Quod item addit Suarez, non debuisse mundum manere sine remedio, ex terminis apparet sola congruentia; cui in rigore omnino satisfacit Patris Vasq. solutio: quam inde confirmo Primò, quia negare non possumus, Gentiles toto ferè tempore ante Christum Dominum tam caruisse remedio pro suis paruulis, quàm caruissent de facto, si abrogata fuisset circumcisio & remedium legis naturæ ipso die Pentecostes pro vniuerso mundo: quod ostendo manifestè; nam in primis circūcisione vti non poterant: illius enim vis non fuerat promulgata toti orbi; sicut Baptismus ipso die Pentecostes non fuit promulgatus, vt dicit P. Suarez. Deinde neque vti poterant altero remedio legis naturæ, quia valdè dubium est, an permanserit illud post institutam circumcisionem; & fortè probabilius est non mansisse: ne verò inde faciamus dependens argumentum, esto manserit, quis, quæso, eius institutionem toti orbi explicuit aut promulgauit? Certè, etiam per se loquendo, tam parum erat promulgatum hoc remedium Romanis, Scythis, Hispanis, Gallis, Indis, quàm fuerit Baptismus eis 40. annis à festo Pentecostes vsq; ad desolationem Ierusalem; quibus P. Suarez contendit non fuisse abrogatā circumcisionis vim ad delendum originale: quòd si respondeatur etiam tunc verè illos habuisse remedium, etiamsi per accidēs illud ignorauerint; eodem planè modo dicam ego, etiam eis 40. annis habuisse remedium Baptismi, etiamsi per accidens illud ignorauerint: si vlteriùs dicatur, hîc ignorantiam fuisse per se, quia non erat illis promulgatus Baptismus; vrgebo etiam vlteriùs, ibi ignorantiam fuisse per se, tum quia nemo Romanis & Americis id promulgauerat: & esto ante mille annos aliquid eâ de re sciuissent, si iam mortui erant illi, qui id sciuerunt, in ordine, quæso, ad inuincibilem posterorum ignorantiam & impossibilitatem per se id sciendi quid iuuat ea prior ante mille annos facta & statim omnino extincta promulgatio? & in ordine ad pietatē Dei & viscera misericordiæ, ne deserat sine remedio tot paruulos, nónne, si res prudenter cōsideretur, idem est, factâ promulgatione vni aut alteri, qui statim moritur, non deriuatâ ad posteros vllâ notitiâ, relinquere eos posteros sine remedio, ac si illi nō habuissent eam promulgationem? Demus hunc casum nunc quidem repugnantem, ex se tamen possibilem, quòd morerentur omnes qui religionem Christianam sciunt, & sacri libri perirent, numquid pro reliquis hominibus deinceps in mundo diu victuris tāta per se esset impossibilitas remedij per Baptismum, quàm si illi iidem qui mortui sunt nihil eâ de re sciuissent? Certè ego non video facilè in hoc vllam disparitatem pro intento nostro. Secundò hinc impugno illum auctorem; nam etiam post 40. annos quando iam ipsemet fatetur extincta ea remedia, si res benè consideretur, manſit in innumeris regionibus ea impotentia per se: nam Apostoli non penetrarunt omnia Regna: neque enim in Germaniâ sub illis quidquam auditum est de fide, neque in Poloniâ, Russiâ, non in Vngariâ. Quid iam de Americâ dicam, quid de nouâ Franciâ & aliis partibus magis Septemtrionalibus & remotis? Huic respondet hic auctor num. 24. aliud esse promulgationem Euangelij; aliud diuulgationem illius. Promulgatio ergo cum tempore sufficienti vt diuulgetur est necessaria & sufficiēs ad obligationem; quo sensu fuit facta per Apostolos promulgatio, quia in omnem terram exiuit sonus eorum. Verùm hæc solutio aut aduersatur ipsi, aut non est sufficiens. Quid enim, quæso, ille intendit per promulgationem sufficientem pro toto mundo, vt condistinctam à diuulgatione? an promulgationem immediatè factam omnibus Regnis & Prouinciis? in hoc sensu certum videtur ex locis à me assignatis non fuisse factam 40. annis. Quòd verò dicit de Apostolis, in omnem terram eorum sonum exiisse, non intelligitur de ipsis immediatione suppositi; quia non omnia Regna peragrarunt; sed de ipsis & eorum discipulis: neque scio quomodo ex eo Psalmo colligat id factum ante 40. annos; si verò dicat promulgationem completam esse eam, quæ fit in aliquo loco, vnde possit ad alia omnia diuulgari per famam, dummodò tempus detur sufficiens, vt possit fama volare, tunc malè requirit eos 40. annos; nam Ierosolymis fortè intra vnum annum potuisset ad totum orbem diuulgari: sed demus duos, tres annos; quid cum 40?

Obiicies: Christus Dominus Matth. 24. dicit, *Prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuerso orbe: & tunc veniet consummatio*: quam consummationem Hieronymus dicit esse Ierosolomytanam: idem sentit Chrysostomus homiliâ 76. in Matthæum. Respondeo eam desolationem communiter intelligi de fine mundi: & videtur planè esse sensus litteralis, ita vt mihi id videatur plus quàm certum; quia Christus respondit ibi ad interrogationem discipulorum immediatè antè factam, *Dic nobis, quando hæc erunt? & quod signū aduentus tui & consummationis seculi*: ergo, ne dicamus eam vocē *consummatio* æquiuocè vsurpatam in eodem textu, & Christum quasi decepisse discipulos in alio sensu respondendo quàm fuisset interrogatus; & quàm intelligeretur ab interrogantibus, *τὸ consummatio* non significat illam Ierosolymorum, sed *seculi*. Secundò respondeo, si de Ierosolomytanâ sit sermo, tunc *τὸ Prædicabitur in vniuerso orbe* non debere intelligi in omni omnino regione; nam, vt ipse Suarez ibidem admittit, esto potuerit ad omnes venisse, non tamen de facto deuenerat prædicatio. Christus autem non dixit, *Poterit prædicari*; sed, *Prædicabitur*: quod verbum actualem significat prædicationem: nemo autem dicet fuisse tunc verum dicere de eis Prouinciis, Iam est in eis prædicatum Euangelium: ergo ea verba ab omnibus sunt explicanda, scilicet, vt, quod maiori & præcipuæ parti orbis faciendum erat, dicatur factum in vniuerso orbe: cuius rei multa sunt alia exempla in Scripturâ, in quâ, quod à multis

& per

Suarij fundamentum solidum secundùm quid.

30.

Vasq. responsio pōdus habet & confirmatur.

31. *Incertum est, an post institutam circumcisionem aliud parvulorum remedium manserit, vel per 40. annos pro vulgari alijs Gentibus potuerit.*

Vrgetur id magis.

32.

Secundò impugnatur Suarez.

Multis Regnis Apostolorum tempore non est promulgata lex Christi, Suarez replica.

33. *Quo sensu Apostolorum sonus in omnem terram exierit.*

Quando consummatio à Christo dicta.

34.

Nota modum loquendi Scripturæ frequentem.

Digitized by Google

& per diuersas partes fit, dicitur fieri in toto orbe; etiamsi rigorosè loquēdo id non sit accipiendum. Constet ergo, illam confirmationem de defertione aliquarum Prouinciarum sine remedio pro originali vel nimiùm probare, vel nihil.

Svbsectio. II.

Quid sit in hoc puncto probabilius.

35. *Lex noua ante Pentecostē non obligauit.*

EGo in hac sententiâ iudico, quod & suprà dixi, Primò, ante diem Pentecostes non obligasse nouam legem; quia tenerà Christus non tam promulgauerat obligando ad illam de præsenti, quàm illam explicando & tradendo discipulis; quibus posteà dicturus erat, *Euntes ergo docete*, &c. neque est ratio dicendi, in puncto mortis incœpisse, si ad promulgationem antè factam attendamus, vt contra Vasquez vrsi suprà. Confirmatur, quia post resurrectionem primò Christus videtur Ecclesiam suam formasse dando illi caput visibile, & instruendo de reliquis quæ ad Ecclesiasticam Hierarchiam spectant; non est autem credibile (vt benè notat Pater Suarez) Christum priùs voluisse obligare ad suas leges quàm constituerit Rempublicam, quæ erat eas acceptura, illisque obliganda.

Christus post resurrectionē formauit Hierarchiam Ecclesiasticā.

In festo Pentecostes obligabat præsentes omnes promulgatione, absentes autem ignorantia eius inuincibilis excusabat. Multi etiam nunc eâ proximè & formaliter non obligantur.

Secundò dico. In festo Pentecostes incœpisse obligationem illius pro iis qui audierant eius promulgationem; pro cæteris verò, qui non audierant, saltem ratione ignorantiæ inuincibilis, non potuisse incipere obligationem antequam eis promulgaretur: quo sensu, etiam vsque ad hodiernam diem, multi non obligantur, quia multis nondum est promulgata: nemo autem obligatur ad faciendum id quod nemo illi dicit vt faciat. Dices, Obligatur, esto excusetur per ignorantiam. Sed contrà, quia id ego voco re ipsâ non obligari, saltem actu, proximè, & formaliter, ne in vocibus hæreamus.

36. *Quando ius remittendi originale cessarit est dubium.*

Dico Tertiò: An vis remittendi originale eo modo, quo illam circumcisio habuerat, cessauerit eo die pro toto orbe, est valdè dubium. Ego discursum P. Suarez suprà positum pium iudico, nimium tamen se extendentem; si consequenter ad doctrinam ipsius dicerem, promulgationem illam esse ex se sufficientem, quæ & facta est publicè, & habuit tempus vt deferretur ad omnes alias partes, tunc adderem fortè duos vel tres tantùm annos vltra eam diem fuisse necessarios, quia illud erat tempus sufficiens, vt per se posset vbiq; diuulgari. Dico *per se*, quia non est necessum expectare donec actu vbique diuulgetur; alioquin non solùm 40. annos, sed millenos debuisset Deus expectare, vt suprà argumentabamur.

Obligatio credendi cum doctrinâ Christi cœpit. Disparitas inter obseruationē mandatorum & actum credendi.

Dico Quartò: Esto obligatio præceptorum seruandorum non incœperit nisi in die Pentecostes, tamen obligatio credendi vera esse quæ Christus dicebat sine dubio incœpit, cùm primùm Christus suam doctrinam tradidit. Disparitas inter actum credendi & obseruationē mandatorū est manifesta; nam quę Deus dicit necessariò sunt vera; vnde, quocumq; tempore dicantur, exigunt fidem: at præcepta Dei, quia non obligant pro semper, non est necessum vt quocumq; tempore exigant obedientiam: sic hodie teneor ego credere fuisse Abrahamum, Noë, Moysen, &c. tamen hodie non teneor obedire legi à Deo olim per Moysen datæ.

37. *Suarez.*

Dico Quintò: Esto valdè probabilis sit sententia Patris Suarez, docentis die Pentecostes nō incœpisse Euangelium obligare Gentes, quia non videtur eis Petrus, sed Iudaico populo promulgasse Euangelium; tamen probabilius crediderim, etiam Gentes fuisse tunc obligatas. Id quod meo iudicio hac ratione manifestâ euinco: nam vel Gentes, quæ audiebant eam promulgationem, colebant verum Deum, vel Deos fictos & falsos; si Deos falsos clarum est, eas etiam tunc fuisse obligatas ad agnoscendum illum Deum, qui talia miracula faceret, esse verum; & consequenter tenebantur illi credere: si autem illæ Gentes Deo credebant, iam pertinebant ad eum, qui non falsos, sed Deum verum, eumdemq; quem Iudæi colebant, licet non sub eisdem cæremoniis, sed sub diuersis; hos verò obligatos fuisse, credere Christum esse verum Filium Dei, nemo probabiliter negare poterit: si autem semel tenebantur credere, illum esse Filium Dei, & eius gratiam ad omnes extendi, iuxta illud testimonium, quod diuus Petrus statim initio suæ prędicationis citauit ex Ioële Prophetâ, *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*; in quo non solùm Iudæos, sed omnes Gentes comprehendebat; necessum etiam fuit vt Gentes agnoscerent se etiam teneri colere Christum; & vt Dominum agnoscere, & esse Christiani; & verba, quæ ipse Apostolus Petrus subiungit, quando magis videtur coarctasse ad Iudæos suam prædicationem, idi psum persuadent; cùm enim dixisset, *Vobis enim est repromissio, & filijs vestris*, addidit, *& omnibus qui longè sunt*: quæ verba etiam Gentes comprehendunt. Denique hæc distinctio, quam Pater Suarez ponit inter Iudæos & Gentes, vt ipse fatetur, à nemine ex Theologis aut Patribus traditur; sed omnes videntur æqualiter loqui de Iudæis & Gentibus. Ratio verò ipsius etiam non vrget; habet autem contra se id quod paulò antè obiecimus; ergo non est defendenda. Quòd verò ea ratio non vrgeat, patet; quia Petrus vix poterat, moraliter loquendo, censere, Gentes non esse Euangelij capaces: etenim Christus ipsis distinctè & expressè dixerat, *Euntes ergo docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. ergo non potuit suam prædicationem ad solos Iudæos coarctare.

Eodem die Gētes Euangelium obligabat ad credendum.

Probatur id ex Ioële Prophetâ à Petro citato Act 2.

38. *P. Suarij distinctio inter Gentes & Iudæos nulla est.*

Matth. 28.

Cur visio immundorum animantium in linteo Petro facta.

Rogabis, Vt quid ergo ea visio facta est Petro, si iam sciebat Gentes admitti debere? Respondeo, quia Petrus videbatur iudicare non admittendas Gentes, nisi priùs circumciderentur; ideò, quando ei obiecerunt Act. 11. Iudæi fideles, quòd Cornelium baptizasset, non dixerunt, Quare introisti ad non Israëlitas, aut non Iudæos? sed præputium habentes; & licet tunc auditâ narratione Petri acquieuerint illi; posteà tamen vel ipsi vel alij, qui vel non audierunt reuelationem, vel nondum benè eam intellexerunt, iterùm mouerunt quæstionem, an saltem post Baptismum tenerentur Gentes circumcidi; quâ occasione definitum est non teneri: ergo ex eâ visione non infertur, Gentes non fuisse priùs obligatas ad fidem Christi, siue præmissâ circumcisione, vt putabant Apostoli, siue in præputio. Et vt rem hanc concludam, cùm saltem ad credendum ex integro ipsemet Pater Suarez fateatur fuisse Gentes obligatas, non video, quid illis defuit, vt obligarentur esse Christiani, nisi dicatur non fuisse obligatas vt baptizarentur; sed tamen, licet ea duo in se absolutè separari possint, non iudico Apostolos vmquam iudicasse de facto in lege gratiæ ea duo separanda, vt propterea non etiam inuitarent Gentes ad Baptismum, præmissâ, vt dixi, circumcisione.

39. *Ex eâ visione non sequitur Gentes ante eam non fuisse ad fidem Christi obligatas.*

Digitized by Google

SECTIO VI.

De efficaciâ legis gratiæ.

40. *Lex noua lex gratiæ & iustificans. Lex vt lex nõ iustificat.*

SVpponenda est communis & certa doctrina, quòd lex noua dicatur lex gratiæ, & lex per quam iustificamur, saluamur, &c. Difficultas ergo est in hac efficaciâ explicandâ; nam leges, vt leges, seu vt præcipientes, non iustificant, neque dant gratiam: sicut autem in lege nouâ datur gratia ad seruanda præcepta, ita etiam in lege antiquâ fuit data; ergo nulla est diuersitas. Respondeo breuissimè, triplicem vel fortè quadruplicem posse differentiam inter nouam & antiquam legem quoad punctum hoc excogitari. Prima est, quod lex noua habeat gratiam ratione sui auctoris, seu sui capitis, nempe Christi; quod non habuit antiqua, quæ gratiam quasi emendicabat à nostro Legislatore, vt superiùs diximus. Secunda differentia est, quòd longè copiosior & abundantior sit ea gratia in lege nouâ quàm in antiquâ. Tertia quia, sicut sub lege antiquâ includebantur etiam Sacramenta, ita etiam sub lege nouâ includuntur Sacramẽta noua, quæ sunt causatiua gratiæ ex opere operato; antiqua verò non eam causarunt, esto circumcisio fuerit in aliquo sensu conditio ad remissionem originalis; hinc fit, vt meritò nostra lex dicatur lex gratiæ, lex in suâ institutione continens gratiæ fontes. Potest denique quarta differentia assignari, quòd in lege antiquâ solùm erant promissiones temporales, in nouâ verâ Christus promisit è contrario sola præmia ad gratiam vitámque æternam pertinentia: per quod tamen non negamus, iustos in lege etiam veteri potuisse per adimpletionem honestam legum mereri gratiæ augmentum: sed quia ipsis Iudæis in lege temporalia promittebantur, occasionem præbuit lex indirectè, vt solùm obseruaretur ob motiuum temporale, ideoque persæpè non haberent Iudæi in eius obseruatione quidquid necessarium erat ad meritum vitæ æternæ. Hæc est tota substantia huius dubij de efficacitate legis. Nam posteà in particulari declarare, quomodo ea Sacramenta gratiam causent, & in quo differant à circumcisione, si, vt docet communis sententia, remittebatur in eâ originale, spectat ad Tomos vltimos de Sacramentis.

Quadruplex legis veteris & nouæ differentia. Prima est ratione auctoris gratiæ. Secunda, ob copiã gratiæ. Tertia, ob Sacramentorum vtriusq; legis differentiam.

41. *Quarta, ob promissionum dissimilitudinem.*

SECTIO VII.

An in lege gratiæ fieri possit dispensatio.

42. *Explicatur sensus quæstionis.*

SVpponendum, non disputari nunc de nostrâ lege, quatenus respicit materiam, quæ ex iure naturæ est obligatoria; nam de hac satis suprà disputatum est; neque item agi de dispensatione immediatè ab ipso Deo prouenientè; certum enim est, ipsum posse non solùm dispensare, sed abrogare suam legem. Quæstio ergo est, an in Ecclesiâ sit potestas de facto, & quidem ab ipso Christo concessa, ad dispensandum in lege Christi. Dixi *ab ipso Christo concessa*; nam inferior quâ talis non potest dispensare in lege Superioris; Christus autem supra omnes homines est, ergo hi, si habent potestatem dispensandi, debent illam habere à Christo communicatam.

Deus non solùm potest dispensare in suâ lege, sed & eam abrogare. An Ecclesia in lege Christi dispensare queat.

SVBSECTIO I.

Reiectis duabus sententijs, statuitur certa & Catholica.

43. *Quid hac in re quidam Canonistæ senserint, maximè de potestate Papæ.*

IN hac materiâ multorum Canonistarum opinio est, Papam posse dispensare in omnibus quæ sunt iuris diuini, exceptis articulis fidei. Ita Panorm. in cap. *Proposuit.* de concessione præbendarum, num. 2. vbi citat Innocentium in cap. *Cùm ad Monasterium.* de statu Monachorum. Dum enim dicit Innocentius, Papam non posse sine causâ dispensare in his quæ sunt iuris diuini, insinuare videtur, posse, si causa subsit. Felinus autem in cap. *Quæ in Ecclesiâ.* de constitutione. num. 19. & 20. magis rem declarat; ait enim Pontificem posse ex causa mutare formam Baptismi in hanc, *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*; & posse vnico verbo creare Sacerdotem dicendo, *Sis Presbyter*, sine aliâ solemnitate: & idem dicit de creatione Episcopi. Fundamentum huius sententiæ desumitur ex illis verbis Christi Matth. 16. *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælo*, &c.

44. *Quid alij Theologi.*

Alii verò Theologi hanc sententiam limitando dicunt, Pontificem non quidem in omnibus, sed tamen in aliquibus posse; ea autem censent esse illa, in quorum obseruatione potest aliquando esse impedimentum maioris boni; vt in consecratione Eucharistiæ sub vnâ specie: in quo puncto, etiamsi de iure diuino sit, vt fiat in vtraque, putant hi, Pontificem dispensare posse; & verò etiam de facto dicunt Innocentium Octauum dispensasse cum Norwegis. P. Suarez optimè ostendit, hanc secundam sententiam reipsâ non differre à primâ; quia, sicut hæc petit pro valore eius dispensationis, vt sit causa iusta, ita etiam prima eamdem causam petit: solùm ergo videntur differre, quòd primi auctores dicunt in omni lege posse aliquando reperiri eam causam, ideóq; in omni posse esse dispensationem: secundi verò dicunt, eam causam iustam non posse in omnibus subesse, ideóq; non omnia esse dispensabilia: quoad punctũ tamen licentiæ dispensandi, quando fuerit causa iusta, omnino videntur conuenire inter se. Addit etiam meritò Suarez, primam sententiam magis consequenter loqui: nam eo modo, quo secundi auctores explicant causam iustam, reperà in omni materiâ legis diuinæ reperiri potest ille titulus dispensandi. V. g. hi secundi putant, non posse Pontificem dispensare in præcepto Baptismi, confessionis, consecrationis in pane hordeaceo, in aquâ, &c. at in omnibus his casibus est eadem ratio, quæ in aliis, quos hi dicunt dispensabiles, nam si quis sit in extremo periculo vitæ, nec adsit Sacerdos, qui eum absoluat; cur, quæso, non poterit dispensare Pontifex vt laicus absoluat? aut, sicut cum Norwegis dispensauit, vt consecrent sub vnâ specie; cur è contrario, vbi non est triticum, sed hordeum, milium, &c. non poterit ob bonum publicum eius regionis dispensare, vt fiat consecratio in eis materiis? item, si infans moriatur, & non sit aqua, cur non, vt possit solis verbis prolatis validè baptizari? ergo, si semel in his casibus particularibus, attendendo ad particulare bonum, iudicatur licita dispensatio; certè in omnibus præceptis Christi inueniemus iustas causas pro dispensatione: non ergo consequenter loquitur sententia secunda.

Qui differãt hi auctores à primis.

45. *Si in vno casu possit in iure diuino dispensare Papa, cur nõ in alijs.*

In hac quæstione dicendũ est, etiamsi potuerit Christus

Digitized by Google

46. *Christus potuit suo Vicario dare plenariam potestatẽ dispensandi, de facto tamẽ nullam dedit in suis legibus.*

Christus Dominus dare suo Vicario eam potestatem dispensandi, id quod non videtur in dubium reuocari posse, quia quilibet Legislator potest delegare alteri cuicumque suas vices, vt dispenset in suis legibus; tamen de facto id nullo modo feciſſe, ideóq; Papã non habere vllo modo talem potestatem. Ita omnes ferè Theologi docent, & vt indubitatum supponut in materiâ de Sacramentis; vbi docetur, nullam penitus formã aut materiam Sacramentorum posse ab Ecclesiâ mutari, quia omnes sunt à Christo institutæ. Laborant autem ibi Theologi in explicando, quo pacto Ecclesia potuerit annullare matrimonia clandestina, non mutando materiã: si autem habuisset Ecclesia vim dispensandi in materiis Sacramentorum, &c. vana esset ea quæstio: speciatim autem hîc eamdem sententiam omnes ferè tradunt, vt videre est apud Patrem Suarez cap. 6. n. 6. & Salas disp. 24. sect. 5. plures etiam P. Sãchez refert lib. 8, disp. 6. n. 4. Fundamentum verò huius sententiæ non potest desumi à ratione, quia cùm totũ hoc ex voluntate Christi Domini suam legem instituentis pependerit; si voluisset eam concedere, potuisset; nec defuissent illi ad hoc rationes seu congruentiæ sufficientissimæ, non obstantibus omnibus rationibus quæ in contrarium possunt nunc adferri: vnicum ergo debet esse ex auctoritate, quâ nobis constat, Christum non dedisse talem potestatem: & quidem, vt dici solet, ab argumento negatiuo suadetur, quia ea vis dispensandi in lege diuinâ est aliquid valdè extraordinarium; ergo non debet admitti, de facto concessum sine vrgenti & positiuo fundamento: atqui nullũ omnino tale est, vt statim constabit, ergo. Secundò argumentor, quia in multis legibus videtur esse de fide, Pontificem non habere eam potestatem, ergo neq; in aliis. Patet consequentia, quia, vt paulò antè diximus contra secundam sententiam, eadem planè ratio est in omnibus tum ex parte institutoris, tum ex parte necessitatis in contratium. Probo antecedens Primò, quia de fide est, sine Baptismo in re vel in voto neminem posse in lege gratiæ saluari. Hoc nullus Canonista mihi negabit: ergo non potest Pontifex dispẽsare, vt in casu necessitatis infans moribundus alio remedio iuuetur loco Baptismi, siue per sola verba, siue per aliam vnctionem, &c. de fide enim est, Papam non posse tollere ex Ecclesiâ vllum Sacramentum, neq; addere vllum de nouo. Secundò, de fide est, adultum post Baptismum lapsum in mortale saluari non posse sine confessionis Sacramento in re, vel in voto; ergo non potest Pontifex efficere vt peccator, qui iam est extra se, & moritur sine vllo dolore, saluetur per dispensationem Pontificis, applicato ei iterùm Baptismo, aut alio remedio. Tertiò, de fide est, non posse Baptismum, Ordinem & Confirmationem rectè & validè collata, & de quorum collatione nullum est dubium, reiterari, nec posse in hoc puncto Ecclesiam dispensare. Idem est de consecratione Calicis in purâ aquâ aut alio liquore, excepto vino; & de consecratione panis hordeacei ex orizâ aut milio: vbi non possum non mirari eos, qui, solâ attentâ vi dispensandi & necessitate eius dispensationis, dixerunt posse Pontificem dispensare, ne fiat consecratio sub duplici specie, etiamsi vtraq; sit de iure diuino, & non admiserint ob eamdem causam posse loco vini substitui aquam puram aut alium liquorem; quia reuerà longè minor esset mutatio loco vnius liquoris ponere alterum, vt sic retineretur vtraq; consecratio & signum separationis sanguinis à corpore, & animæ à corpore, quàm planè sub vnâ specie consecrare: atqui nemo illorum audebit dicere. Papam posse validè in solâ aquâ consecrare. Videant ergo iam quâ consequentiâ distinguant, & vbi in concessione dispensationis factæ à Christo suis Vicariis legatur, *Poterit dispensare ne fiat nisi in vnâ, non tamen ne loco vini aqua ponatur?* Quòd si respondeant, inferri ex eo, quod de facto Innocentius Octauus dispensauit: Contrà Ante Innocentium, qui 140. circiter abhinc annis mortuus est, non habebatur hoc fundamentum dispariratis: quo ergo tunc in Ecclesiâ poterat vnum dici, alterum negari? semper autem in Ecclesiâ fuit extra omne dubium, non posse in aquâ, ergo tunc debuit etiam esse; nec posse in vnâ specie, si vtraque dicatur esse de iure diuino. Post illud verò tempus dicam ego, etiam venturum alium Innocentium, qui dispenset in aquâ; nam non magis (vt ostendi ex Conciliis) vnum quàm alterum infertur, ergo. Quid absolutè huic instantiæ erit respondendum statim dicam. Præterea, nemo dicet sine vllo consensu contrahentium posse Papam constituere matrimonium, ergo non habet absolutam potestatem dispensandi in iure diuino. Ratio verò congruentiæ satis efficax pro sententiâ communi & certâ est hæc; nam cùm lex Christi pauca contineat cæremonialia, scilicet institutionem septem Sacramentorum & sacrificium Missæ, eáque sint quasi distinctiuum Christianorum à cæteris aliis, non oportebat relinquere hominibus potestatem dispensandi in eis: nam per diuersas prætensas necessitates, & sæpè etiam re ipsâ veras, iam hinc hoc modo, iam ibi altero ita contingeret mutari Ecclesiæ formam & apparentiam, vt non videretur vna, sed multiplex communitas, & nullum habens vnionis vinculum.

47. *Cur Pontifici non sit data talis potestas dispensandi.*

De fide videtur esse, in quibusdam eum dispensare nõ posse.

Primò, in Baptismo in re vel voto:

48. *Secundò, in Confessione in re vel voto:*

Tertiò, in reiteratione vnius Sacramentoris; & in quibusdã alijs.

Papa nequit dispensare, vt sub vnâ specie fiat consecratio.

49. *An Innocentius VII. hâc de re dispensarit.*

In solâ aquâ non posse consecrari, nemo dubitat.

Ratio, cur Christus suis non dederit potestatem dispensandi, est maior Ecclesiæ vnio & concordia.

Svbsectio II.

Respondetur aduersariorum argumentis: vbi aliquid de epieikiâ & interpretatione.

50. HInc argumenta opposita facilè expediuntur; & simul ampliùs roboratur nostra sententia. Superiùs insinuauimus præcipuum desumptum ex illis verbis, *Quodcumq; ligaueris*, &c. Cui respondeo Primò, si velint ex illis aliquam dispensationem elicere, posse eodem modo dicere, omnes esse possibiles; quia illa verba indefinita & vniuersalia sunt, nec magis hanc quàm illam dispensationem indicant: ostendi autem, à nullo Catholico posse concedi, omnem legem Christi esse dispensabilem. Absolutè ergo dico, illis verbis nihil aliud concedi Pontifici, quàm iurisdictionem supra homines in ordine ad absolutionem, retentionem absolutionis sacramentalis, excommunicationẽ, consecrationem, &c. At supra ipsam legem Christi, vbi, quæso, innuitur potestas talis? Secundò, etiã superiùs tetigimus textum Innocentii, quo videtur innui, etiamsi sine causâ non possit dispensari, posse tamen cum causâ. Cui respondeo Primò, Pontificem statuisse certam doctrinam, quæ ibi sufficiebat, scil. sine causâ non posse Pontificem dispensare in lege diuinâ: an cum causâ possit, non dixit, quia non erat ad illius intentum. Secundò, respondeo meliùs, Pontificem potiùs ibi loqui contra Panormitanum; vnde valdè miror eum pro se citasse: etenim

Satisfit Primò.

Quid Papa per ea verba Quodcumq; ligaueris, &c. concedatur.

51. *Explicatur mens Innocentij super dispensatione.*

Digitized by Google

Etenim sic concludit illud caput Pontifex, *Quia abdicatio proprietatis, sicut & castodia castitatis, adeò est annexa regula monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere:* quæ vltima verba manifestè sunt pro nobis: & nihil ibi dicitur de dispensatione in iure diuino.

Tetigimus etiam suprà illam dispensationem Innocentij Octaui; cui maximè nititur P. Thom. Sanchez suprà; vbi eam secundam sententiam de dispensatione in aliquibus casibus defendit. Respondeo autem ex eius responsione ad aliam obiectionem, quam sibi facit, quòd scil. Pontifex dispensauerit in primo gradu consanguinitatis: respondet enim Primò id negando; Secundò, eo concesso, Pontificem secutum vt probabilem sententiam eam, quæ dicit, illud impedimentum non esse de iure diuino: eodem ergo modo ego dico Primò, non constare sufficienter de eâ dispensatione Innocentij Octaui; Secundò, esto constaret, Pontificem tamen tunc secutum sententiam probabilem multorum, qui dicunt, non esse de iure diuino, vt sub vtraque specie fiat sacrificium. de quo fusiùs suo loco.

An Papa in primo gradu consanguinitatis dispensarit. Innocentius VIII. secutus est sententiã quæ videbatur probabilis.

52. Videamus iam alias instantias & obiectiones: inter quas prima est, quia de iure diuino solus Episcopus est minister Confirmationis, & tamen potest dispensare vt conferatur à simplici Sacerdote. Sed retorqueo, cùm in potestate dispensatiuâ (quam hi dicunt concessam esse Pontifici) nihil sit de limitatione, vt scilicet possit dispensare pro Sacerdote, non verò pro Diacono, cur non hi eadem consequentiâ dicunt, etiam posse dispensare vt conferatur à Diacono, vel etiam à laico, imò & à feminâ? certè in vi dispensationis tam debet vnum dici quàm alterum. Absolutè respondeo non esse de iure diuino, vt solus Episcopus sit minister eius Sacramenti, sed solùm vt per se & primariò; ex delegatione verò Papæ etiam Sacerdos simplex.

An aliius possit confirmare quàm Episcopus de licentiâ Papæ.

Non est de iure diuino, vt solus Episcopus confirmet.

Secunda instantia est; nam residentia Episcopi est de iure diuino; & tamen Pontifex in eâ dispensare potest, ergo. Huic obiectioni respondimus suprà agentes de dispensatione in iure naturæ; diximus enim, nullam ibi esse dispensationem, sed Vicarium Christi, vt supremum Pastorem ouium, quæ ad illum Episcop, cum quo dispensatur, pertinent, posse in se suscipere earum ouium curam, & per âlios quàm per proprium Episcopum illas administrare. Dices, Quo ergo sensu ea obligatio residendi dicitur de iure diuino: Respondeo, quia verè est præceptum diuinum naturale de eâ residentiâ, quamdiu Pontifex in se non suscipit curam earum ouium.

Quomodo in residentiâ Episcopi dispensatur; & quo sensu ea sit de iure diuino.

53. Tertia instantia est ex dispensatione in voto solemni Religiosi; quòd de iure diuino impedit matrimonium; & tamen Pontifex potest, & etiam aliquando dispensauit, vt Religiosus professus posset matrimonium contrahere, ergo. Respondeo, illud impedimentum talis voti non esse nisi de iure humano, Pontifice inhabilitante personam sic vouentem ad contrahendum. de quo fusè suo loco.

Voti solemnis impedimentũ non est nisi iuris humani.

Quarta, quia potest dispensare Pontifex in votis, quæ tamen obligant ex iure diuino naturali. Respondeo, hanc instantiam non esse ad rem; nam votum non ex iure diuino propriè, sed purè naturali obligat ad sui adimpletionem; ideò hanc instantiam expediuimus suprà agentes de iure naturæ. Dixi autem, eam non esse dispensationem, licet sic vocetur frequenter, sed remissionem debiti; vt enim, qui mihi donauit pallium, quod adhuc apud se retinet, tenetur iure naturæ illud dare mihi: si autẽ ego cedo iuri (vbi tamen nulla est dispensatio) iam non ampliùs obligatur: ita in voto. Vide quæ suprà dixi.

Quo iure votum obliget.

In votis non fit dispensatio, sed debiti remissio.

54. Quarta obiectio est, quia necessaria valdè est ea vis dispensandi in lege diuinâ ob casus occurrentes, in quibus vix videtur posse honestè seruari lex Christi. Respondeo, Esto daremus Pontificem habere vim declarandi in hoc aut illo casu non obligare præceptum, id tamen non futurum per veram dispensationem, sed per interpretationem aut explicationem voluntatis Christi, qui, dum statuit eam legem, non voluit in hoc aut illo casu obligare. Respondeo Secundò absolutè non fuisse necessariã eam potestatẽ; quia licet in vno aut altero casu sine dubio esset vtilis, præponderant tamen in cõtrariũ grauia alia incõuenientia, quæ ex eâ dispensatione consurgerent: facilè enim, quando non esset re ipsâ sufficiens necessitas, reputaretur esse, fieréntque frequentes mutationes in eis materiis; cúmq; illæ sint, quibus fideles inter se quasi mutuo vinculo adunantur, subintrante eâ varietate tota periret Christianorum vnio ac distinctio ab aliis sectis, &c. Tertiò adde, Esto Christus Dominus ratione earum particularium necessitatum habuerit fundamentum, vt potuerit relinquere in Ecclesiâ, si voluisset, eam vim dispensatiuam, non tamen coactum eâ ratione ad id faciendum: quia sicut Deus non semper efficit quod melius est ex parte ipsarum rerum, vt cum D. Thom. & omnibus ferè Theologis fusè ostendi Tomo primo ad quæstionem de voluntate Dei; ita eodem modo dico de Christo: fortasse enim aliqua possent ex parte obiecti meliora excogitari, quæ potuisset instituisse; noluit tamen, quia quæ fecit fuerunt honestissima, etiamsi non ita, vt nihil melius excogitari nec de potentiâ absolutâ potuerit.

Necessitas particularis nõ sufficit vt dari debuerit potestas dispensandi in lege Christi.

Ratio huius vnica voluntas Christi.

Rogabis, an præcepta Christi, licet non sint capacia dispensationis, sint tamen capacia epieikiæ aut interpretationis; id est, an possit Pontifex declarare, in hoc casu non voluisse Christum obligare. Respondeo negatiuè; & quidem quoad materiam Sacramentorum iam est suprà efficaciter probatum, nullam posse esse variationem: quæ ratio omnem excludit siue ex dispensatione, siue aliunde ortam, quia inconueniens totum est in ipsâ mutatione, non in motiuis, vnde illa proueniret: quia verò ex legibus instituentibus oriuntur aliqua præcepta obligantia, v. g. non accedendi in peccato ad Sacramenta, specialiter autẽ de præmittendâ confessione ante Eucharistiã, si noscat quis se esse in mortali: & in his videtur locum habere interpretatio; ideò aduerte, has obligationes maiori ex parte esse semper positiuas, v. g. præceptum communicandi, præceptum paulò antè positum præmittendi confessionem ante Eucharistiam, præceptum confitendi independenter etiam à communione; in his autem, quia præcepta affirmatiua non obligãt pro semper, sed pro certo aliquo tempore & occasione, Pontificem posse declarare, quando sit illud tempus in quo obligent: id quod nec dispensatio, nec interpretatio est, sed intelligẽtia legis: sic Concilium Tridentinũ declarauit in casu grauis necessitatis non teneri Sacerdotẽ ad præmittendã confessionẽ ante Sacrum (& idem est de communicantibus) esto habeat conscientiã mortalis, sed sufficere tunc contritionem: idem est circa tempus, in quo obligat præceptũ confessionis & communionis: Pontifex enim determinauit festum Paschatis.

55. *Præcepta Christi non sunt capacia epieikiæ.*

In quibus præceptis Papa declarare possit quando obligent. & quando non.

56. Dices:

Digitized by Google

Dices: Præceptum negatiuum diuinum est semper obligans, ne Eucharistia detur indigno & furioso; & tamen potest quis per epieikiam interpretari, licere id in aliquo casu: ergo lex diuina Christi admittit interpretationem. Respondeo, eam non esse interpretationem per epieikiam. *Præceptum non dandi indigno Eucharistiam non ità epieikia capax.* Pro quo aduerte, illud præceptum non dandi indigno Eucharistiam esse virtualiter affirmatiuum dicens, Sancta sanctè seu reuerenter debere tractari. Hinc dico, non cadere supra illud vllâ interpretationem; vel enim ea datio, quam hîc & nunc dicis licere, manet irreuerens contra sanctitatē Sacramenti: vel ob circumstantias occurrentes redditur reuerens & decens: si primum, dico eam etiam hîc & nunc non fore licitam; si verò dicatur secundum; ergo non est ibi propria interpretatio, sed mutatio materiæ ratione cuius iam non comprehenditur in lege casus ille: sicut quod homo extremè indigens possit accipere à quolibet alio panem etiam violenter, non est epieikia & interpretatio propria legis naturalis non furandi, sed declaratio, quòd ibi non sit furtum, & quòd hoc excludat casum extremæ necessitatis.

57. Dices, Interpretatio & declaratio sunt idem; nam interpretari, quòd non obliget hîc & nunc lex, & declarare, quòd non obliget, idem planè videntur esse. *Quid declaratio & interpretatio hîc.* Respondeo, interpretationem in præsenti à nobis non sumi pro qualicumque declaratione non obligationis, sed pro eâ, quæ in clementiâ, vt sic dicam, Legislatoris fundatur, vt scilicet, licet casus ille ex se sit verè comprehensus sub materiâ generali legis, persuademus tamen nobis ex condescendentiâ, Legislatorem fore contentum ne id fiat hîc & nunc. Altera autem declaratio, quam admisimus, non nititur vllo modo ei clementiæ, sed potiùs declarat, casum illum esse extra terminos legis; vnde, esto in suâ lege nolit Legislator quidquam planè remitti, nihilominùs ea declaratio dicit, non teneri nos lege: hanc ergo cadere in leges etiam naturales suprà diximus, & in præsenti admittimus circa legem diuinam; priorem verò illam interpretationem per epieikiam reijcimus.

SECTIO VIII.

De duratione & perfectione nouæ legis.

58. *Lex gratiæ post diem iudicij cessabit.* TErtia difficultas, an hæc lex duratura sit ad finem mundi. Dico *ad finem mundi*; nam post diem iudicij certò cessabit. Non enim erunt vlla Sacramenta & sacrificia in cælo: & quia lex hæc vt à Deo data, à solo eo potest auferri, quærimus, an ille sit eam ante finem mundi abrogaturus? *Eadem ante finem mundi non abrogabitur.* Respondeo, certum esse inter Theologos & Catholicos non abrogandam. *Lect. Scriptura parum efficacia.* Afferuntur aliqua loca Scripturæ pro eâ veritate parum efficacia. Primus est ex Matthæi 24. *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* ac si dixisset Christus: Non cessabit Ecclesia, donec mundus absoluatur. Ita Chrysostomus homiliâ 68. Hæc tamen explicatio videtur mihi valdè violenta: nam omnia fieri non significat omnia destrui, sed potiùs contrarium. Sensus ergo Christi ibi est, Donec mandentur executioni, quæ prædicta sunt de me, non transibit vna generatio. Secundus locus est ex Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Verùm cùm nos loquamur non de destructione legis faciendæ ab hominibus, sed ab ipso Deo, non video quid iuuet locus, in quo dicitur infernus non destructurus eam legem vel Ecclesiam. Tertius sit ex Matthæi 24. *Prædicabitur hoc Euangelium Regni in vniuersò orbe, in testimonium omnibus Gentibus: & tunc veniet consummatio.* Quem locum de vltimâ consummatione mundi intelligendum esse Hieronymus docet, teste Patre Suario: miror tamen à Suario pro hac expositione eum citari; quem suprà, agens de promulgatione Euangelij dixit sensisse ad litteram ibi agi de excidio Ierosolymitano. Verè tamen Hieronymus valdè succinctè eum locum explicat; nec multum fauet vni potiùs quàm alteri parti, vt ibi notaui.

59. *Mens Suarij hîc.* Absolutè verò P. Suarez iudicat locum hunc non esse tam efficacem quàm præcedentem; eò quòd Christus non dicat, statim post Euangelij prædicationem venturam consummationem, sed priùs prædicandum Euangelium in toto mundo: ex quo non videtur sequi, non futura posteà longa tempora ante finem mundi, in quibus posset lex abrogari. *Locus posterior efficacior priori.* Ego verò è contrario crederem, locum hunc magis efficacem esse præcedenti: quem planè ad hoc propositum nullo modo facere ostendi. Hic autem vltimus longè magis est ad rem; nam particula illa *tunc* haud dubiè significat aliquam magnam vicinitatem inter ea duo: neque enim Christus eam sententiam protulit eo modo quo P. Suarez explicat: *Priùs erit prædicatio Euangelij quàm consummatio:* in hoc enim tenore sine dubio nihil suaderet: dicit ergo, *Et tunc erit consummatio.* Quis autem, quæso, loquitur hoc modo, *Oritur sol, & tunc occidet:* hoc est, debet oriri antequam occidat: similiter non benè Propheta vllus de Christo prædixisset, *Nascetur Christus, & tunc tradetur Pilato:* multò autem minùs dici potuisset, *Et tunc erit finis mundi.* Vrgeo ex ipso Patre Suarez, qui suprà putauit ex hoc testimonio suaderi, non fuisse prædicationē Euangelij completam nisi circa desolationem templi; quam ibi intellexit nomine consummationis: ergo illa particula *tunc* significat aliquam vicinitatem: alioquin cur, illo loco saluo & integro, dicere non potuissemus ipso die Pentecostes fuisse promulgationem completam, esto 40. annis posteà venerit consummatio? Constet ergo hunc locum magis fauere communi & veræ sententiæ. *Quid nomine consummationis Christus intellexerit.* Alia sunt etiam quæ æternitatem denotant, vt in verbis consecrationis, *Hic est calix noui & æterni Testamenti:* quod verbum *æterni* licet in Euangelistis non sit, Innocentium tamen in cap. *Cùm Marthæ.* de celebratione Missarum, putasse à Christo dictum, asserit Pater Suarez: ibi tamen Innocentius, licet vniuersaliter doceat multa ab Euangelistis omissa quæ Christus egit & dixit, de eo tamen verbo *æterni* nihil dicit; potiùs ad alias rationes recurrit, quòd ideò dicatur æternum, quia nouum & vltimum: ex hac tamen explicatione Innocentij conclusio suprà posita clarè probatur, siue dixerit Christus *æterni*, siue non, sed sub voce *noui* id intellexerit. *Innocentius conclusionem clarè probat.* Alia etiam Scripturæ loca, in quibus Testamentum nouum dicitur æternum, vt ad Hebræos 13. sanguinem Christi vocat sanguinem Testamenti æterni, & Apocalyps. 14. dicitur Euangelium æternum, & Psalmo 109. prædicitur Christus Sacerdos in æternum, valdè confirmant certam sententiam: & licet etiam lex vetus dicatur æterna, tamen quia simul in eâ promittebatur alius Doctor, Legislator, &c. meritò vox illa *æternum* explicatur ibi tum limitatione: in ordine autem ad Christi le- *Alia Scripturæ loca valdè eam solidant.*

Digitized by Google

61. *Cur lex Christi aeterna magis quàm Mosaica.*

gem, cùm nulla alia promittatur, debemus absolutè intelligere in eis locis eam ad finem mundi duraturam fuisse prædictam. Ratio huius veritatis ea est, quia nec est necessum nouum Redemptorem aut Legislatorem habere, cùm Christus infinitum pretium dederit, & iustissimas leges, maximéque statui gratiæ conformes tradiderit: vnde neque in eis vlla erit diminutio neque additio: quia sicut ab initio omnia perfectissimè prouidit, ita ab initio omnes necessarias leges dedit. Video, hanc vltimam rationem non esse conuincentem, quia etiam patitur instantiam in lege veteri; quæ sine dubio fuit à sapientissimo & prudentissimo infinitóque Legislatore, & tamen posteà mutata est.

In quibus lex noua veteri sit perfectior.

Circa perfectionem verò legis nouæ præ veteri sæpè in superioribus multa diximus; hinc breuiter, comparando legem nouam vt præcipientem cum antiquâ vt præcipiente, instituentem cæremonias cum instituente cæremonias, & dantem vires ad complendam legem cum antiquâ, vt eas Deo dante, dico in omnibus tribus considerationibus antiquam superari à nouâ, maximè verò in secundâ & tertiâ comparatione: in primâ, quia lex vetus præcipiebat & prohibebat innumeras actiones externas, vnde erat difficilis; noua autem lex gratiæ non præcipit nisi vel ea quæ sunt de iure naturæ, vel alia illi valdè vicina; vt de dispositione pro Sacramentis suprà diximus.

Lex Christi facilis.

62. *Obiectio.*

Dices: Lex noua prohibet odium & affectus internos malos, qui à veteri non prohibebantur; ergo ex hoc capite nostra erit minùs perfecta. Respondeo Primò, etiam in lege veteri necessariò debuisse eos omnes interiores affectus prohiberi, quia ex naturâ suâ mali sunt: & suprà diximus nihil speciale in hoc pũcto prohiberi per legem nouam, quod non fuerit per antiquam & per naturale ius. Respondeo Secundò: Esto in hoc esset differentia aliqua, illam esse in maiorẽ commendationem legis nouæ: nam licet videatur esse ibi aliquod grauamen, illud ipsum tamen est perfectio magna: nam prohibere non solùm ea quæ sunt mala, sed quæ speciem mali habent, & ad malum disponũt, magna est perfectio, maiórque quàm hæc permittere, per quæ posset aperiri via ad ea quæ sunt maiora.

Responsio Prima. Etiam vetus lex affectus internos prohibebat.

Responsio Secunda.

Obiectio Secunda. Lex Christi quâ in re sit difficilior, & tamen perfectior.

Dices Secundò: Lex noua exigit difficiliores actus fidei, quia proponit explicitè credenda mysteria Trinitatis, Incarnationis & Eucharistiæ; quæ sunt valdè difficilia: item ipse vsus Sacramentorum est difficilior, quia exigit plus de sanctitate & dispositionem longè maiorem. Respõdeo, esse quidem ex hoc capite aliquam maiorem difficultatem; quæ tamen perfectionem auget legis; quia licet difficultas sit in credendo magnus tamen est fauor mysteria tanti momenti reuelare & proponere nobis: sicut maiorem præstat gratiam Professor, qui veritates etiam abstrusas proponit & declarat discipulis, etiamsi pro intelligentiâ earum laborare debeant, quàm si illas eis non reuelet. Idem dico de dispositione pro Sacramentis; nam cùm ea Sacramenta sequatur magna copia gratiæ, magnus est fauor, exiguum laborem petendo maximum conferre beneficiũ: sicut Princeps dum dignatur diuertere in domũ alicuius priuati hominis, facturus illi deinde maxima beneficia, procul dubio magnum illi præstat fauorem; etiamsi eum ad aliquem laborem in exhibitione hospitij impendendum obliget.

63.

Replica.

Replicabis; Hoc eodem modo possumus de antiquâ lege quoad multitudinem præceptorum discurrere; quia licet in eis inueniretur difficultas aliqua, præmium tamen vitæ æternæ ei obseruationi respondens erat maximum; illos enim per adimpletionem præceptorum potuisse etiam mereri augmentum gratiæ & gloriæ suppono ex dictis alibi; ergo nõ benè ex multitudine præceptorum diximus eam cedere legi gratiæ. Respondeo, facilè Primò, eam obedientiam non habuisse valorem ad gratiam; vnde, etiamsi essent in peccato, obligabantur ad leges obseruandas: quo casu sine dubio non habuissent illud præmium: aliter se res habet in dispositione pro Sacramentis: nam si illæ seruentur, eo ipso obtinebitur gratia, & quidẽ maxima; vnde numquã potest esse otiosa & inutilis hæc obseruatio. Maiorẽ ergo ex hoc capite lex nostra perfectionem habet, vtpote quæ non obligat nisi ad ea quæ certò secum habent ingentem fructum. Secundò respondeo, in lege nouâ esse duplicem fructum, si dispositio pro Sacramentis obseruetur: vnum, qui in ipso opere operantis reperitur; alterum, qui per Sacramentum ex opere operato causatur: in lege verò veteri solùm fuisse illum qui ex opere operantis: ex quo capite est summa diuersitas inter vtramque legem.

64.

Legis nouæ duplex est fructus, seruatâ pro Sacramentis dispositione.

Lex Christi quoad cæremonialia perfectior est veteri.

In secundâ verò comparatione, quoad cæremonialia seu, quoad institutionem sine dubio est incredibiliter maior perfectio in lege nouâ; nam antiqua instituit sacrificia hircorum & taurorum, quæ solùm sistebant in protestatione dominij Dei; Sacramenta item, quæ solùm erant signa gratiæ dandæ in lege nostrâ: at Christus Dominus instituit vnum sacrificium, in quo ipsemet est hostia pro peccatis nostris; ideóque longè efficacius ad impetrãda quæcumq; beneficia, quàm antiqua sacrificia: item, nouæ legis Sacramenta sunt efficacissima signa causatiua gratiæ de præsenti; non verò purè de futuro.

Eadem est perfectior quoad collationem gratiæ.

Quoad tertiam denique comparationem, de gratiâ collatâ per ipsam legem, est etiam in nostrâ maior perfectio. Primò; nam in antiquâ dabatur longè minor gratia quàm in nouâ, vt sæpè dixi. Secundò, quia gratia in lege nouâ confertur per merita ipsius Legislatoris nouæ. Denique ex parte promulgationis est magna differentia, quia ibi fuit purus homo, in nostrâ verò est Deus homo, ergo.

65. *Lex Christi varièveterem excedit, vbi 12. excessus illius enumerãtur.*

Hinc breuiter enumerari possunt varij excessus legis nostræ respectu antiquæ; quos etiam suprà tetigimus. Primus, quòd habeat gratiam obtentam à suo Legislatore. Secundus, quòd copiosior gratia nunc detur quàm olim. Tertius, quòd nunc detur etiam ex opere operato, olim verò ex opere operantis. Vbi obiter aduerte, licet fortè ad solum nomen spectet, malè à Soto doceri, per gratiam olim datam non constitutos homines filios adoptiuos Dei; verè enim erant sancti & hæredes gloriæ: in quo ea adoptio propriè consistit. Quartus excessus, quòd lex antiqua dicatur seruorum, noua verò filiorum; quia antiqua per minas maximè inducebat Iudæos ad sui obseruationem, noua verò per amorem & præmia. Quintus excessus, quòd antiqua habuerit grauissima onera, noua verò leuia. Sextus, quòd antiqua non perducebat homines ad gloriam, sed expectabatur initium nouæ. Septimus, quòd lex noua habeat clariorem notitiam mysteriorum Dei. Octauus, quòd nostra per Deum hominem, illa per purum hominem promulgata. Nonus, quòd lex noua & scripta in cordibus, antiqua in lapidibus

Digitized by Google

dibus: vnde noua promulgata fuit per Spiritus sancti in Apostolos descensum, antiqua per signa terroris. Decimus, quòd in lege nouâ promissiones sint spirituales, in antiquâ verò temporales. Vndecimus, quòd antiqua erat limitata ad vnam Gentem, hæc extenditur ad totum orbem. Duodecimus, quòd lex noua non sit abroganda, antiqua verò per aliam meliorem abrogata est. Hæ & aliæ excellentiæ ex dictis hucusq; considerari possent; sed pro explicandâ maiori nostrâ perfectione hæc sufficiant: qui fusiorem eâ de re disputationem videre voluerit, consulat Patrem Salmeronem Tomo 5. in Euangelia Tractatu 1. super Epistolam ad Romanos cap. 3. disput. 20. Bellarminum lib. 1. de Verbo Dei cap. 15. & Sebastianum Barradam toto primo libro vsque ad 16. caput.

DISPVTATIO XIII.

De potestate humanâ legislatiuâ.

1. EXPLICATA lege in communi, & præcipuâ illius specie, nempe diuinâ, iam ad alteram speciem, nempe humanam, veniendum est: sed quia hæc species est subalterna, & habet rationem generis ad legem ciuilem & Canonicâ; de eâ in communi disputandum esset, antequam de ciuili & Canonicâ in particulari tractaretur; quia tamen valdè inter se connexæ sunt, ideò simul de vtraque dicetur: ne verò fastidium longitudine pariamus (multa enim valdè circa eam legem discuti possunt) in aliquot disputationes materiam hanc diuidemus; & quidem primo loco de potestate ipsâ legislatiuâ, quæ est causa efficiens earum legum, agendum erit.

Ordo tractatus.

SECTIO I.

Supponuntur quæ certa sunt.

2. PRimò, in hominibus posse esse potestatem ferendi leges: nam licet homo naturâ suâ sit liber, si tamen ipse semetipsum, aut Deus illum alteri subijciat, iam tenebitur illi obedire; & eo ipso ille alter poterit illi leges imponere: sic olim Deus Iudæis præfecit Iudices, deinde Saulem & Dauidem: & idem etiam ex solo naturæ lumine in alijs Nationibus visum fuit; habuerunt enim Principes, Reges, Imperatores, Consules, &c. qui gubernabant Rempublicam, poterántq; leges in bonum eius Reipublicæ ferre. Pro quo aduerte, hominem posse considerari vt animal sociabile cum cæteris hominibus, cum quibus potest conuenire in vnam Rempublicam constituendam: ad quod naturâ suâ valdè propenderet. Hominibus ergo sic in vnum conuenientibus necessariæ sunt per se leges quibus gubernentur, iuxta illud Prouerbiorum 11: *Vbi non est gubernator, populus corruet*: nam membra non bene coniunguntur in vnum corpus, nisi sub vno capite: etenim si caput non sit, quod prospiciat bono totius corporis, & sæpè cogat vnum membrum etiam cum detrimento proprio ad defendendum aliud, quod maioris est momenti, manum v. g. ad defensionem capitis, quo pereunte etiam manus periret; si item caput non prouideat de his quæ necessaria sunt toti corpori, & ad ea procuranda, omnia aut multa membra compellat; certè totum corpus periret: si enim pedes, ne defatigentur, nolunt quærere cibum pro stomacho, & pedes & stomachus perirent: ergo necessum est, vt in hominibus eodem modo in vnum corpus conuenientibus sit aliquod caput (iam non dico, an vnum solùm, an ex duobus, tribus, &c. conflatum) quod possit eius communitatis bono prospicere, & quæ pro illo sunt necessaria statuere, ad ea cogere, obligare per præcepta seu leges, &c.

Potes homini esse potestas ferendi leges.

Hominibus necessariæ leges.

Caput, ac. nulli quidem membro.

Obijci in contrarium posset libertas naturalis, cum quâ homo nascitur; sed iam dixi posse ipsum se eâ spoliare, sicut potest se facere mancipium alterius: præterquam, quod respectu Dei non nascitur liber: ergo saltem poterit esse in homine ius ferendi leges in alium ex voluntate Dei eligentis illum in Regem, vt olim Saulem & Dauidem. 3.

Respectu Dei nemo liber.

Secundò obijci potest, quòd videantur sæpè Imperia per tyrannidem incœpisse; vt Oseæ 8. dicitur: *Ipsi regnauerũt, & non ex me*: ergo ea potestas non est licita. Respondeo, argumentum esse malum, quia ex vno casu particulari infert vniuersalem. Fatemur sæpè homines violenter & iniustè vsurpare eam vim; negamus tamen non posse eam aliquando iustam esse. Oseas ergo vel loquebatur cum Regibus Israël, qui violentè occuparunt Regnum: vel, licet cum veris Regibus loqueretur, ostendit eos non vsos benè potestate sibi à Deo, aut à Republicâ concessâ.

Non omne Imperium tyrannis induxit.

Tertiò obijci possunt aliqua loca Scripturæ, in quibus dicitur solus Deus verus Rex, verus Legislator. Respondeo, in eis præcisè significari Deum per excellentiam solum esse Legislatorem à cæteris independentem; cæteros verò à Deo habere eam vim, modo infrà explicando.

Deus per excellentiam Legislator.

Vltimò obijci posset: Lex obligat in conscientiâ: atqui non est in homine vis ad alterum eo modo obligandum, ergo neque ad leges. Respondeo. Sicut homo per votum potest se in conscientiâ obligare, ita etiam, submittendo se alterius obedientiæ, posse se obligare ad parendum illi. Secundò supponendum, hanc potestatem ferendi leges esse potestatem iurisdictionis; nomine verò iurisdictionis nihil aliud intelligimus quàm auctoritatem alios dirigendi, gubernandi, non quasi mancipia; sed quasi homines rationales: hoc autem debet esse per leges & præcepta. Vbi obserua, ab aliquibus Iurisperitis dici non omnem potestatem ferendi leges esse iurisdictionem, quia mulcæ (inquiunt) communitates habent vim condendi statuta, non autem ferendi leges. Ita Felinus in cap. *Cùm omnes* de institut. num. 9 & 10. vbi alios pro se refert: videtur tamen hæc esse discordia vocum, non rerum; nã iurisdictionem diuersimodè accipiunt: potest enim aliquando significare solam potestatem decidendi causas seu lites, seu dicendi, quòd sit cuiuslibet ius in hanc aut illam rem: quæ videtur esse rigorosa eius vocis significatio, attentâ ipsius compositione, *Ius dicere*: in hoc autem sensu fatemur posse esse aliquando iurisdictionem sine potestate ferendi leges; item è contrario, posse Rempublicam constituere sibi caput vnũ, quod possit ferre leges, non tamen habeat potestatem decidendi lites; sed id ad aliud spectet. & in eo sensu non omnis potestas legislatiua includit etiam iurisdictionem: at si sumamus iurisdictionem in communi significatione pro vi gubernatiuâ & directiuâ, necessariò omnis potestas

Potestas ferendi leges est iurisdictio.

Iurisdictio diuersimodè sumitur.

vera

Digitized by Google

vera ferendi leges dicit etiam iurisdictionem. Notanter dixi, *omnis potestas verò ferendi leges:* nam si fingamus aliquam Rempublicam aut Principem dare alteri limitatam potestatem, vt concipiat quæ sint vtiles leges pro Republicâ, & eas ad se deferat approbandas, non tamen illi detvim obligandi ad earum obseruationem, & suo nomine eas promulgandi; haud dubiè talis modus ferendi leges esse poterit sine iurisdictione; hoc tamen non est propriè leges ferre, sed suggerere quæ sint leges bonæ, & eo sensu possint diuidi illæ duæ potestates.

Quando modus ferendi leges sine iurisdictione sit.

6. Notandum item, iurisdictionem etiam extendi ad particulares Superiores, in quibus non est vis leges ferendi; non quia mandare non possint multa & ad ea facienda obligare; repugnat enim iurisdictio sine hac vi præceptiuâ; sed quia illa præcepta non sint leges, eò quòd hæc vox *lex* significet (vt superiùs vidimus) præceptum commune, stabile, &c. quod imponere non possunt tales Superiores particulares.

Iurisdictio etiam penes particulares Superiores est.

Omnes æquè liberè nascuntur.

Tertiò supponendum est, hanc potestatem ex naturâ rei non esse magis in vno homine quàm in altero, quia omnes nascuntur æquè liberi: neque est maior ratio de hoc quàm de illo. Dices, eam fuisse in Adamo, tamquam in omnium parente, & ab eo in Legislatores cæteros deriuatâ; ita enim aliqui opinantur, eam à Deo alicui primò debuisse concedi, à quo ad posteros manauerit. Verùm id sine vllo fundamento dicitur, quia de tali concessione nullo modo constat, & ex se non est necessaria; quia si homines, vt dixi, inter se conuenirent ad hanc potestatem alicui concedendam, non est necessaria Dei specialis designatio. Quod de Adamo dicitur, est à me reiectum Tomo 2. de Opere sex dierum; quia aliud est iurisdictio pro totâ communitate gubernandâ; aliud, titulus parentis: hic enim respicit præcisè filium nondum emancipatum; neque habet in illum ius vitæ & necis: ideò filij sæpè sunt reges parentum, & habent iurisdictionẽ in illos. Igitur ea potestas propriè reperitur in hominibus simul sumptis & in Rempublicam vnam conuenientibus: communibus enim suffragijs habent ius, vt dixi paulò antè, eligendi sibi caput à quo gubernentur, vel immediatè leges ferendi; quibus posteà tota communitas obligetur.

Ab Adamo iurisdictio in alios non est deriuata.

Parens in filium non habet ius vitæ & necis.

7. Circa quod aduerte, non esse necessarium pro eâ iurisdictione, vt omnes omnino homines in vnum conuenjant; imò moraliter, ob magnitudinem orbis, id esse impossibile; vnde numquam creditur fuisse vnus Princeps aut Rex, qui toti orbi dominaretur, & toti eisdem leges imponeret: & ob diuersitatem regionum, morum, necessitatúmque occurrentium, &c. longè videtur magis expediens diuersas esse Respublicas aut Regna, quæ sua capita diuersa habeant, quibus gubernentur: vnde, constitutis eis diuersis communitatibus, quælibet habet vim condendi leges pro se, non verò pro alijs; cum quibus non facit vnũ corpus: ob quam rationem non scitur de aliquâ lege ciuili, quæ totum orbem obligauerit.

Nullus vnquam Regum totius orbis fuit Dominus; neque id à re fuisset.

SECTIO II.

Vtrùm potestas ferendi leges sit à Deo.

Qui potestas ferendi leges sit à Deo.

CONclusio sit: Ea potestas non aliter à Deo prouenit, quàm vt homines creat, eósque conseruat: vt enim suprà egimus de iure naturæ & obligatione illius, diximus, illud non pendere à Deo, vt Legislatore propriè, sed præcisè vt à Conditore naturæ; nam hæc semel creata ex se ita dictat, furtum, mendacium, &c. esse malum; vt si per impossibile existerent homines Deo non existente, adhuc eo iure obligarentur: ita eodem planè modo dico in præsenti, si intelligeremus homines existentes, etiamsi Deus non esset, esset tamen in hominibus potestas constituendi vnam Rempublicam & eligendi suum caput, à quo gubernarentur, quódq; pro illis cõderet leges; quia nõ minùs ratio naturalis dictat id esse possibile, quàm dictet furtum v.g. esse malum. Hanc sententiam defendit Pater Salas disp. 7. sect. 2.

8. Aduersantur Caietanus Tomo 1. Opusculorum, Tractatu 2. de Potestate Papæ, p. 2. cap. 10. ad secundam confirmationem, & aliqui alij, qui putant, banc potestatem dari immediatè à Deo: quorum sententia videtur habere fundamentum primò in Paulo ad Romanos 13. vbi ait: *Non est potestas nisi à Deo:* & : *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Secundò, quia posse licitè occidere alterũ, necessariò debet à Deo prouenire: homines enim non sunt domini vitæ & necis: vnde Augustinus de Naturâ boni cap. 32. ait: *Nocentium potestas non est nisi à Deo.* Tertiò, quia potestas obligandi in conscientiâ non est nisi à solo Deo. Huic sententiæ Pater Suarez videtur omnino consentire lib. 3. cap. 3. vbi ait hanc potestatem esse à Deo, vt à primo & principali auctore: quod confirmat ipse, quia hæc potestas est aliquid in rerum naturâ siue physicum siue morale; ergo necessariò est à Deo; quia omne creatũ à Deo est; addit tamen hanc potestatem communicari à Deo per modum proprietatis naturæ; 9. quia Deus non dat eam per specialem actionem distinctam à creatione: de illâ enim actione non constat: ergo datur à Deo per modum proprietatis consequentis naturam: id quod putat benè probari argumentis factis; quibus propterea nihil respondet. Nihilominùs reijciẽdi sunt hi omnes, quatenus videntur insinuare, necessariam esse specialem Dei concessionem, quam dico nullo modo requiri; & quia Pater Suarez non satis suam mentem explicat; ac res videtur illis terminis *proprietatis naturæ* confundi; sempérq; prout possum enitor rem detegere, & voces ab illâ separare, licet mihi res explicata sufficienter paulò antè videatur: addenda tamen censeo duo verba: igitur dico, Si auctores hi, præter actionem creatiuam ipsius hominis & volitionẽ eius actionis, opinentur esse necessariam aut nouam actionem realem, quam expresè & meritò (vt dixi) negat P. Suarez, vel etiam volitionem aliquam Dei singularem quasi condescendentis in eam potestatem, siue dicat, eam necessariò debere exteriùs reuelari, siue negent eam reuelationis necessitatem, nullo modo mihi placent; quia præcisè, vt dixi, intellectâ existentiâ hominum, dummodò Deus positiuo actu contrario nolit eis auferre illam potestatem, intelligimus eam esse in hominibus: id quod instantia à me allata de iure naturali & ratio manifestè ostendit: vnde non aliter 10. dependet vis legislatiua à Deo quàm vt à causâ efficiente, non verò vt à Legislatore. Dixi, *dummodò Deus homines nolit impedire*, quia sine dubio, si vellet impedire eam auctoritatem, posset, tamquã supremum caput omnium hominum impedire quidem non radicalem potestatem, quia hæc est identificata naturæ humanæ; ideò, hominem existere & non esse capacem saltem remotæ constituendæ

Caietanus & alij putantes hanc potestatem immediatè esse à Deo.

Suarez huius opinionis fautor.

Non est necessaria specialis Dei concessio ad eam potestatem.

Qui legislatiua vis à Deo dependeat.

Digitized by Google

tuendæ ciuilis vitæ, &c. omnino repugnat; sed proximam auferre; vnde hæc pendebit à solâ Dei permissione; aliam autem volitionem, à quâ pendeat, ego non admitto.

u solùm ß auferteſtatem rimâ fu(i. leges. licatur Pauli.

Iam hinc ad obiectiones dico. Ad primam ex Paulo respondeo, illum nihil aliud velle, quàm quòd homo sit à Deo dependens, & quòd potestas humana sit ex permissione Dei; item, quòd sit maximè conformis dictamini diuinę rationis: in secundis verò verbis nihil nec per vmbram contra nos; quia licet Deus non dederit eam potestatem, ipsius tamen sapientiæ dictamen dicit, obediendum esse cuicumq; habenti veram iurisdictionem, vndecumq; illa veniat: sicut qui transgreditur ius naturale, facit etiam contra Deum; licet illud ius quà tale non pẽdeat à Deo vt Legislatore. Ad Secundam obiectionẽ de potestate

11. puniendi respondeo: Sicut posse occidere alterũ iniustè aggredientem, quando non suppetit alia euadendi via, est iure naturæ permissum, neque pendet ab vllâ speciali Dei concessione, quantũuis ego non sim dominus vitæ & necis alterius;

Lumen naturale dictat malefactores puniendos. Augustini dictum explicatur.

ita dico, semel statutâ Republicâ, lumen rationale dictare, ad propulsanda grauissima dãna, licitum esse reum punire, etiam capite: vbi nihil de dominio illo, quo Deus pro libitu potest etiã innocentem vitâ priuare. Augustinus verò, dum dixit, *Nocentiũ potestas non est nisi à Deo*, solùm voluit eam non esse nisi Deo permittente; ideò toto eo capite ponit exempla persecutionũ, quas iusti passi sunt à malis. Quoad Tertiã, de obligatione in conscientiâ, de eâ paulò antè actum est. Quòd verò dicat Pater Suarez eam potestatem esse aliquod ens, ideóq; debere esse à Deo, probat quod diximus, Deum producentem hominẽ producere simul eam potestatem, quæ est identificata cum ipso homine; licet, vt reducatur ad actum, exigat aliquod accidentale, nempe aliorum hominum consensum ad constituendam vnam Rempublicã.

12. Dices, Saltem potestas proxima quà talis est aliquid distinctum ab ipsâ naturâ; ergo illa debet esse à Deo. Respondeo, eam potestatem proximã nihil aliud esse quàm naturam hominum capacem conueniendi in vnum, & actualem consensum ad formandam Rempublicam: his enim duobus intellectis, ex parte verò Dei, nullo posito impedimento, intelligimus actualem & proximam potestatem ferendi leges. Ad hæc autem non est necessaria vlla Dei noua volitio, nisi illa, quæ concurrit cum hominibus volentibus conuenire in vnam Rempublicam: neque hîc est quærenda aliqua alia productio per modum proprietatis aut passionis; quia reuerà, physicè loquendo, ea potestas nihil est distinctum ab ipsâ hominum conuenientium in vnum naturâ rationali, vt declaratum est.

Quid sit potestas proxima ferendi leges.

Sectio III.

Quædam ex dictis inferuntur.

13. EX his infertur contra Patrem Suarez c. 4. eodem planè modo, quo hæc potestas est de iure naturæ, etiam eius determinationem ad certum modum potestatis esse de eodem iure. Determinationem eius potestatis dico, quòd scilicet modus gubernandi Rempublicam sit per vnum caput; qui modus dicitur Monarchia, vel per Aristocratiam, per paucos & optimos; vel per Democratiam; id est, per plures & plebeios. Pro quo aduerte, à Patre Suarez, quem suppresso nomine, quia nondum Tomus illius de Legibus editus erat, refert Pater Salas suprà, doceri, de iure naturæ esse quidem aliquam potestatem, hanc tamen vel illam esse ex voluntate hominum. Ego igitur dico de iure naturæ non esse, vt actu sit aliqua potestas: possent enim homines, nullâ inter se Republicâ constitutâ, nullam etiam habere potestatem proximam; vt de facto multi Indi in Americâ viuunt; solùm ergo est de iure naturæ, quòd possint conuenire homines; & tunc possent habere vnum caput. At in eo sensu etiam est de iure naturæ, quòd possint habere quamcumq; ex illis tribus, Monarchiam, Aristocratiam, &c. itẽ, sicut actu habere hanc potiùs quàm illam, pendet ab eorum voluntate; ita, habere nullum omnino modum regiminis, pendet ab actuali volũtate eorum; ergo eadem est de vtroq; ratio absolutè & simpliciter loquendo. Dico *simpliciter & absolutè*, quia, supposito, quòd conuenerint iam in vnam communitatem, tũc necessum est illos habere aliquem modum regiminis, liberum autem eligere quem velint ex illis: & fortè P. Suarez nihil aliud intellexit quàm hoc vltimum.

Tres modi gubernandi Rempublicã.

Non est de iure naturæ, vt actu sit aliqua potestas.

14. Secundò infero, omnem potestatem proximã condendi leges (nisi quis à Deo diuinitus in Regem aut Legislatorem eligatur) prouenire mediatè vel immediatè ex libero consensu hominũ conueuiẽtium in vnam Rempublicam. Ita communiter tam Iuristæ quàm Theologi, vt videre est apud Patrem Salas sect. 2. n. 22. qui num. 24. reijcit meritò Victoriam relectione de potestate ciuili, ad initium, vbi ait, Reges à iure naturali habere potestatem, & non ab ipsâ Republicâ, Illatio nostra ex dictis suadetur, quia cùm nõ possit esse potestas, nisi hominibus in vnum conueniẽtibus liberè & voluntariè; ergo ex voluntate illorum oritur ea potestas, aut, vt meliùs dicam, est denominatio desumpta ab illorum voluntate. Dixi *mediatè vel immediatè*, quia potest semel Respublica eligere vnum, eiúsque successoribus annectere eam iurisdictionem; tunc autem pro successoribus non est necessaria immediatè noua voluntas. Quod verò Victoria dicit, nisi in bonũ sensum explicetur, vt scilicet mediatè potestas veniat à Republicâ, falsum est; nam si non accedat consensus communitatis, nulla est actu vis legislatiua: aut rogo, cur magis in hoc quàm in illo?

Explicatur mens Suarij. Vnde oriantur proximæ potestas condendi leges.

Sine consensu communitatis nulla est actu vis legislatiua.

Dices: Per bellum potest ea acquiri sine consensu alterius. Respondeo, si bellum sit iniustũ, non dare verum ius, nisi successu temporis consentiat populus; & tunc à consensu eius tacito vel expresso proueniet vera iurisdictio: si verò bellum est iustum, tunc in voluntatem etiam eorum potest reduci ea iurisdictio, quatenus iniustè pugnando aut resistendo alteri, virtualiter se exposuêre his quæ inde sequi poterant: inter quæ primum erat subiectio.

15. *Bellum iniustum non dat verum ius ad eam potestatem.*

Dices Secundò: Ergo hæc potestas semper est humana, & poterit ab hominibus auferri. Ita docere videtur Victoria relectione de potestate ciuili num. 1. vbi ait: Omnis seu publica seu priuata potestas, quâ Respublica sæcularis administratur, ita Deum auctorem habet, vt nec orbis totius consensu tollit aut abrogari possit. Respondeo, concessâ primâ parte, negando secundam; quia sicut homo habet in suâ potestate emittere aut non emittere votum; semel autem emissum non potest validè reuocare: in potestate item hominis est se vendere alteri; at cùm semel se vendidit, nõ potest pro libitu se liberare: ita dico, in potestate

16. *Potestas illa humana nequit ab hominibus semper auferri.*

multi

Digitized by Google

multitudinis se subijcientis esse, eligere caput at illud semel electum non posse deponi, nisi aliquâ grauissimâ causâ occurrente; vel nisi communitas ipsa dum elegit sibi caput hanc conditionem apposuerit, vt possit illud mutare pro libitu: nam sicut in potestate Reipublicæ fuit se nullo modo subdere, ita fuit, se cum eâ limitatione & restrictione. Quòd si caput ipsum & tota Respublica consentirent in dissolutionem eius communitatis, vt quilibet omnino libet maneret, possent sine dubio id validè præstare. Neq; obest, quod ex Victoriâ dicebatur; nam potestas radicalis (vt dixi suprà) non est distincta à naturâ humanâ, ideóq; verum est, eam non posse tolli ab ipsis hominibus: at ea neq; à Deo ipso tolli potest, semel existentibus hominibus; si verò de proximâ loquamur, certum est, eã impediri posse, si homines nullam Rempublicam constituant, sed separati more Americorum nonnullorum habitent.

Quæ potestas à Deo tolli possit.

17. *Quando trãseat in heredes iurisdictio, aut cesset.*

Tertiò infertur, conditiones, cum quibus Respublica tradit alicui iurisdictionem, per se loquẽdo, transire etiam ad hæredes illius seu successores in iurisdictione; quia à se non habent illi eam potestatem, sed mediatè ortam à Republicâ, ergo etiam subiectam eis oneribus, cum quibus Respublica illã tradidit primò. Dixi *per se*, quia sæpè contingit, vt ex mutatione temporum aut ob diuersas circumstantias ipsa Respublica censeatur liberè consentire in earum conditionum aut ex toto aut ex parte cessationem.

An Rex à communitate Legislatore factus possit alteri suam potestatem delegare. Bartolus negat.

Dubitari hîc posset, an quãdo semel communitas aliqua eligit aliquem in Principem, Regem & Legislatorem, possit talis Princeps alteri delegare suam potestatem condendi leges. Bartolus in l. *Omnis populus.* ff de iustitiâ & iure, q. 2. principal. quæst. 5. n. 20. negat posse eam delegationem fieri; solúmq; admittit, à communitate posse eam facultatem delegari. Mouetur Primò, quia delegatus non potest subdelegare: Secundò, quia communitas eligens aliquem in Principẽ voluit, vt illius Principis industriâ leges ferrentur; ergo non potest hic suam industriam subtrahere, & alijs eam vim delegare.

18. *Reijcitur à Suarez. Rex, Imperator, &c. sunt ordinarij; vnde delegatos sibi possunt substituere.*

Meritò tamen P. Suarez cap. 4. num. 11. hanc doctrinam reijcit: nam Rex, aut Imperator, &c. non est delegatus propriè, sed ordinarius: Respublica enim transtulit in illum suam iurisdictionem ordinariam, non autem constituit illum vt vices gerentem sui: sicut qui se vendit alicui, facit illum verum dominum sui, & non delegatum. Confirmatur, quia Reges, Principes possunt constituere loco sui superiores Iudices; ergo habent iurisdictionem ordinariam non delegatam: imò etiã in Religionibus licet Prouincialis designetur à Generali, & Rector adhuc sit sub Prouinciali, habet tamen ordinariam iurisdictionem; & potest loco sui constituere alium vices gerentẽ; multò ergo magis poterunt hi qui sunt supremi. Adde etiam, per se loquendo, personam delegati non esse incapacem habendi eam vim alium delegandi, sed id totum pendere à voluntate delegantis, si enim Pontifex Legato dicat, *De tibi facultatem vt possis alium loco tui designare, casu quo vel mors tibi immineat, vel grauis aliqua occupatio*, sine dubio, etiamsi sit delegatus, poterit delegare.

Etiam delegatus potest alteri suas vices delegare.

Secunda ratio de industriâ parum vrget, quia eam industriam non requirit Respublica immediatè in omnibus quæ circa Rempublicam à Principe fiũt; esset enim id moraliter impossibile Principi; nam habet sæpè tam multa, vt vix per suos etiam diligentes ministros sufficiat ad omnium dispositionem; quomodo ergo posset, si omnia immediatè per se deberet administrare? Quæ ratio etiam locum habet in ordine ad leges ferendas. Ratio à priori hæc est, quòd sæpissimè inueniantur alij longè prudentiores ipso Principe; ergo tunc committere illis legum institutionem adeò non est in præiudicium Reipublicæ, vt potiùs sit in magnam vtilitatem, & longè maiorem, quàm si ipse Rex leges eas conderet: & licet hæc ratio non tam videatur probare vtile esse, vt vim obligandi committat Princeps alijs, quàm vt dispositionem & inuentionem legum, quas posteà suo nomine Princeps publicet; tamẽ eo ipso quòd alteri credit eam institutionem, potest illi dare iurisdictionem vt ad earum obseruationem cogat, & suo nomine præcipiat.

19. *Rex potest alijs legum institutio nẽ committere.*

Condescenditur Bartolo.

Admitto libenter Bartolo, posse Rempublicã eâ conditione onerosâ aliquem constituere, suũ caput, ne illi liceat alteri committere suas vices ad imponendas leges; nam in hac conditione nulla est indecentia: qui autem donat aliquid alteri, vel se illi subijcit, potest apponere conditiones omnes quas velit; dũmodò iniquæ non sint, vel ei donationi repugnantes. Admitto item libenter, si Respublica aliqua libera, & idem est de quolibet Principe supremo & habente iurisdictionem ordinariam, constituat aliquem cui det potestatem vt condat leges, per hoc præcisè non dare illi etiam, vt possit alium loco sui substituere ad easdem ferendas; nam eo casu ille non est Iudex ordinarius, sed cum limitatione ad vnum effectum delegatus: ideóq; nisi specialiter ei potestas illa amplietur, non poterit alium loco sui delegare.

Quando non possit Rex alium delegare, & è cõtrario.

SECTIO. IV.

An sit potestas in Summo Pontifice ad ferendas leges ciuiles pro toto mundo.

20.

Quid Pontifex possit quoad leges ciuiles.

OStendimus in genere dari in hominibus potestatem legislatiuam; oportet iam in specie declarare, qui ex iure ordinario leges ferre possint. Primo autem loco occurrit Summus Põtifex; de quo in præsenti solùm quoad leges ciuiles agendum erit; nam, vtrùm possit Canonicas ferre, commodiùs dicetur infrà, dum de legibus Canonicis in particulari agemus.

Nota quorũdam hic liberalitatem.

Non defuêre aliqui, maximè Canonistæ, qui Summi Pontificis ciuilem potestatem nimio plus extollentes dixerunt, illum habere iurisdictionẽ directam à Christo concessam ad ferendas leges ciuiles pro omnibus Regnis Christianis, imò etiam pro infidelibus: id quod putant ab Ecclesiâ significari dum de Petro dicit; *Tibi tradidit Deus omnia Regna mundi.* Non est animus eâ in re diu hærere: breuissimè rem totam expediam tangendo vtriusque partis fundamenta.

21. *Pontifex non habet directã iurisdictionẽ in omnia Regna.*

Igitur CONCLVSIO PRIMA sit: Pontifex non habet talem iurisdictionem in Regna infideliũ. Hæc est certissima, & ferè de fide, ex primâ Pauli ad Corinth. 5. *Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare?* per quæ ostendit manifestè, Ecclesiam nõ habere vllam vim iudicandi eos qui extra Ecclesiam sunt. Et Innocentius III. cap. *Gaudemus.* de diuortijs, docuit, constitutiones Canonicas nõ obligare extra Ecclesiam paganos; ergo à fortiori non poterit obligare per leges ciuiles: nam ad has multò minorem potestatem habet Pontifex quàm

Digitized by Google

quam ad Canonicas. Fundamentum huius sententiæ vnicum & adæquatum à priori illud est, quòd hæc potestas non conueniat Pontifici ex naturâ rei, vt ex terminis patet; nó ex concessione ipsorum Regnorum; nam infideles de Pontifice nihil sciunt maiori ex parte; multò minùs se abdicarunt suâ potestate, eámque in ipsum transtulere: non item ex concessione Dei per Christum, quia ad talem concessionem admittendam nec leue est indicium in toto Euangelio; ergo gratis & quodammodò contra naturam rei ponitur; perinde ac si quis sine vllo fundaméto diceret, *Deus mihi donauit tuum pallium, debes mihi illud permittere.* Porrò in toto Euangelio non esse fundamentum ad eam concessionem asserendam patet; nam vbicumque Christus dedit potestatem Petro, semper ostendit eam esse spiritualem, & in oues Christi. Ioannis 22. *Pasce oues eas.* & Matthæi 16. *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiã meam.* & *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.* Quæ potestas spiritualis est, & spiritualia respicit; ergo de temporali nullum est fundamentum.

22. *Christus dedit potestatẽ Papæ tãtùm in oues suas, & quidem spiritualem.*

Neque habet eam potestatẽ temporalẽ in Regna Christianorũ; minùs enim id expediebat.

Hinc Secvnda Conclvsio: Neque eam potestatem habet in Regna Christianorum. Eodem modo hæc suadetur quo præcedens, esto aliqui hanc negent, qui priorem tenuerunt; meo tamen iudicio tam debet esse certa quàm illa; quia de potestate tẽporali tam parum est respectu Christianorum quàm respectu infidelium; & verò ausim dicere, quodammodò minùs expediens fuisse illi concedere eam potestatem in Christianos quàm in infideles: quod etsi alicui apparebit paradoxũ, est tamen ferè certum: nam si Reges, cùm primùm fierent Christiani, debuissent sua Regna amittere, summum inde impedimentum pro conuersione emersisset: quis enim Regum voluisset aut permisisset suos conuerti, si eo ipso esset Regno spoliandus? Quæ ratio, alioquin communis, persuadet mihi quod paulò antè dixi; nam hoc grauissimum inconueniens non reperiretur ex eo, quòd infideles essent Pontifici ciuiliter subiecti, imò potiùs, si scirent, se iam factos Christianos, posse pacificè retinere sua Regna, quæ anteà non poterant, vehemens fuisset pro religione Christianâ illicium: & licet fortè aliqui, eo solo motiuo ad conuersionem permoti, non viderentur seriò conuerti; attamen filij ipsorum & posteri fuissent deinde boni Christiani: simili motiuo vsus est olim Gregorius Papa, Iudæos per prẽmia ad fidem alliciens, dicens, Esto hi videantur solùm ob promissa temporalia conuerti, filij tamen eorum erunt sinceri Christiani: ergo minùs fuit expediens, eam potestatem Vicatio Christi conferre in Reges Christianos quàm in infideles: ergo tam certa debet esse hæc secunda conclusio quàm prima.

Probatur id ratione:

23. *Secundò è mẽte Gregorij Papæ.*

Ea autem secundò suadetur ex ipsâ praxi Ecclesiæ ab initio hucusque: nullus enim Pontifex sibi potestatem arrogauit in Regna Christianorum, imò neque in vllam ciuitatulam, quousque ab Imperatoribus vel aliis personis aliquæ eis fuêre donatæ: in quas libentissimè fatemur eos habere iurisdictionem directam temporalem. Argumentum contrarium nullius est momenti; quòd enim Ecclesia dicat, *Tibi tradidit Deus omnia Regna mundi*, nihil aliud denotat quàm, Tradidit quoad iurisdictionem spiritualem: at de temporali quid ibi?

24. *Pontifex quibus in locis possit leges ciuiles ferre.*

Hinc ad punctum nostrum de legibus dico; Pontificem non posse leges ciuiles condere pro locis sibi non subiectis in temporalibus; quia ad ferendas eas leges requiritur iurisdictio temporalis, quâ ille caret, vt ostensum est: per quod tamen non negamus, posse illum aliquando declarare ius naturæ dicendo, *Ad hoc aut illud tale præceptum naturale obligat*: in quo non exercet iurisdictionem, sed clauibus scientiæ vtitur, declarando quid sit peccatum, quid non. Ideò Christiani omnes, qui sciunt Pontificem non posse errare in declaratione veritatis, tenentur tunc obseruare illud præceptum prout ab ipso declaratum est: Gentiles verò, qui eum non agnoscunt vt Magistrum veritatis, non obligantur stare eius declarationi.

Declarare potest ius natura.

Declarationi eius nõ tenẽtur stare Gentiles.

In exemplum huius declarationis à multis adducitur, quòd Pontifex declarauerit, malæ fidei possessorem numquam præscribere posse; cùm tamen per leges ciuiles ei permittatur præscriptio: vbi docet P. Suarez cap. 6. eam legem, etsi Canonicam, quia tamen non respicit temporale commodum, sed spirituale. scil. impedire fraudes & furta, obligare etiam in ciuilibus. Ego in primis hanc rationem nullo modo probo, quia maiori ex parte leges ciuiles ordinantur ad vitandas fraudes & furta; vt v.g. quòd in contractibus requirantur testes: id quod clariùs cernitur in omnibus legibus pœnalibus. Ergo si ea ratio Patris Suarez valeret, extenderemus potestatem Papæ ad omnes ferè leges ciuiles: v. g. pro omnibus contractibus in rebus etiam temporalibus præscriberet formas, ne posteà essent iurgia & iniustitiæ, pro gubernatione populorum, pro taxatione pretiorum, ne plus iusto ab vllo acciperetur: quod potest ad omnes alias extendi. Secundò ergo dico, non per modum legis sed per modum declarationis iuris naturalis id à Pontifice impeditum, vt paulò antè dixi; quia reuerà contra naturam est, vt iniquus possessor ex suâ nequitiâ rem alienam faciat propriam, & transeat ab iniusto ad iustum possessorem sine donatione veri domini, qui iure semper est inuitus, etiamsi ignoret, vbi ea res detineatur. Et satis de Pontificis auctoritate in leges ciuiles: quomodo autem eam habeat in terris propriis, difficultas est communis ad omnes alios Reges & Principes respectu suorum Regnorum; in quibus eam iurisdictionem & potestatem libenter admittimus.

Suarij opinio.

25.

Qui declarauit Pontifex malæ fidei possessorẽ nũquam posse præscribere.

Sectio V.

An Imperator habeat iurisdictionem in totum orbem ad ferendas pro eo leges.

26. *Imperatoriã iurisdictionẽ nimiùm ampliat Bartolus. Imperator nõ est Dominus totius orbis.*

IAm ad Imperatorem, cui vim ferendi leges in omnem Christianitatem ita tribuit Bartolus in l. *Hostes.* ff. de captiuis, vt hæreticum reputet eum qui dixerit, Imperatorem non esse Dominum orbis. Verùm hic auctor vltra suam sphæram egressus malè & turpiter in hac censurâ erranit. Vnde dicendum est, falsum & omnino improbabile, fortè etiam erroneum esse, dicere, Imperatorem Romanum esse Dominum totius orbis: id quod eisdem rationibus, quibus in præcedentibus vsi sumus pro Summo Pontifice, suadetur; quia ex institutione Christi id nullo modo colligi potest: etenim Christus nulli, excepto suo Vicario, fecit promissionem alicuius vniuersalis potestatis. Quem enim, quæso, præter Petrum constituit temporalem Dominum? aut, vbi mentio de donatione Regnorũ tẽporalium, cùm potiùs ipsemet Christus agens cũ Pilato negauerit suum Regnum esse huius mundi? ergo ex Christi

Ratio huius conclusionis.

Digitized by Google

concessione nihil eâ de re nec per vmbram. Item iurisdictio non conuenit ex naturâ rei, vt per se constat: non ex eo, quòd omnes populi consenserint in eam: de Gentilibus enim res est clara: nã illa Regna & illorum Reges veri Reges sunt; & nihil curant Romanũ Imperatorem: non ex bello iusto, tum quia nullus vmquam, neque ipsi Romani, subiugarunt totum orbem: licet enim

27. *Quæ sensu à Cæsare Augusto totus orbis descriptus sit.* Lucæ 2. dicatur, *Exiit edictum à Cæsare*, &c. certum est, eum non fuisse Dominum Sinarum, Iaponum, multò minùs Americæ; cuius nec nomen illis erat notum: dicitur ergo vniuersus orbis à præcipuâ parte & nobis maximè notâ, quàm illi occupabant: ab eo autem tempore potiùs incœperunt amittere Regna, quàm debellare noua: & esto illi fuissent Domini orbis; numquid ideò in æternum mansuri erant Domini? Vt

Quomodo Romani Rerum Domini enim ipsi Romani extruserunt alios Reges ex suis propriis Regnis, & præscripserunt posteà; cur non eodem modo potuerunt alij rebellare contra ipsos, & adimere illis multa Regna, & posteà in eis præscribere? Quòd si dixeris, Non potuerunt alij præscribere, quia iniustè se subtraxerunt ab eorum dominio; dicam & ego, multò minùs potuisse Romanos præscribere; quia iniustè ipsi extruserunt alios è suis Regnis: faciliùs autem poterit quis præscribere contra furem, quàm fur contra verum dominum: ergo ex nullo planè capite potest cum vllâ probabilitate ea potestas concedi.

28. *Suarez triplicẽ sẽsũ cõtrarĩa sẽtẽtia assignat.* Aduerto hîc P. Suarez cap. 7. cùm optimè probasset contra Bartolum, non esse eam iurisdictionem vniuersalem in Romano Imperatore, distinxisse triplicem sensum sententiæ contrariæ. Primus est, vt ante aduentum Christi habuerint Romani Imperatores talem iurisdictionem: Secundus, vt post Christum saltem eam habuerint ex Christi institutione vel immediatâ per se, vel mediatâ per Christi Vicarium. Tertius denique, vt eã habuerit Romanus Imperator institutione Romani Pontificis; & posteà per electionem legitimam iuxta ritum ab eadem Sede præscriptũ, transiret ad successores.

Duos primos sensus dicit P. Suarez esse improbabiles, hunc verò Tertium vero similiorem; quia multa iura Canonica hoc indicant: constituunt enim Pontificem & Imperatorem vt duo

Pontifex & Imperator Soli ac Lunæ cõparantur. suprema capita: vnum in spiritualibus, alterum in temporalibus; ideóq; comparantur Soli & Lunæ.

Ego tamen (vt verum fatear) non possum capere, in quo tertius ille modus distinguatur à secundo; & quare possit esse verosimilior: etenim

29. *Improbatur illa triplex sensuũ distinctio à Suario data.* expressè ipse P. Suarez in secundo modo includit institutionem illius iurisdictionis per Pontificem: vnde n. 5. cùm secundum modum in duos subdiuisisset, primum de institutione immediatâ Christi, secundum de mediatâ per Pontificem, ait: *Altera verò pars de institutione mediatâ & per Pontificem probatur ex dictis, quia ostensum est, Christum non dedisse Pontifici potestatem directam in temporalibus; ergo nec ipse Pontifex potuit illam conferre:* ibidem autem etiam excludit potestatem indirectam: quomodo ergo n. 7. tertium modum ponit verosimiliorem per concessionem Pontificis? nónne hæc concessio & institutio formalissimè negata erat in secundo modo? Dicendum ergo absolutè, eam Bartoli sen-

Bartoli mens omnino improbabilis est. tentiam in omni sensu, quem potest habere, esse omnino improbabilem, quia sine vllo prorsus fundamento inuertit iura naturæ, & aliena dominia transfert in Imperatorem; vt deductum est & ampliùs declaratur. Primò, quia (vt suprà dixi)

30. *Rex Sinarum ab Imperatore indepẽdẽs est, vt & Iaponum, &c.* nemo dubitare potest, independenter ab Imperatore Romano, Reg é Sinarum esse verum & proprium Dominum sui Regni: quod dicitur possidere à Maioribus suis per lineam masculam à quingentis annis ante Christum natum. Idem dico de Iaponibus, &c. Ergo, esto illi conuertantur ad fidem, non debent amittere suum dominium: patet euidenter. quia id esset in præiudicium grande fidei Christianæ; & quidem longè maius, quàm si Pontifici ipsi in temporalibus deberent subiici; quia Pontifici, vtpote Christi Vicario, cui se in spiritualibus subiiciunt, faciliùs etiam subiicerent in temporalibus, quàm vni alteri purè laico: ergo, esto illi fierent Christiani, non essent ideò subiecti Imperatori: ergo neque alij iam Christiani sunt subiecti. Patet euidenter consequentia, quia si semel ostendatur, posse aliquos esse Christianos Reges, qui non sint Imperatori subiecti, cessat tota quanta machina aduersæ partis, quæ eam vniuersalitatem exigebat.

Vltimò idem probatur, quia constat, multa Regna habere supremam in temporalibus potestatem, ita pro Regno Galliæ P. Suarez cap. 6. n. 4. citat cap. *Solita.* de maioritate & obedientiâ, & cap. *Per venerabilem.* qui filij legitimi: & in cap. *Monit.* de iudiciis, supponitur Rex Galliæ supremam habere iurisdictionem temporalem. Ego tamen in primo & tertio capite nihil inuenio planè eâ de re: & primum, quod incipit *Solicita*, non *Solita*, potiùs est totum in extollendâ potestate Pontificis: in secundo tamen habetur expressè quòd superiorem nullum agnoscat in temporalibus.

31. *ità Regnum Gallia:* De Rege Hispaniæ idem est certum iure belli cõtra Saracenos gesti: vnde cùm olim Imperator, puto Henricus Primus aut Secundus, voluisset sibi subiectum esse Regnum Hispaniæ, & per Pontificem aliquid eâ de re motum fuisset, Rode-

Regnũ Hispania & iure belli & præscriptionis: ricus Cidius de Biuar, Maurorum flagellum, constanter se opposuit; & Romæ coram Pontifice protestatus est, Imperatorem, qui, dum Hispani suum sanguinem fundebant Saracenos debellando, quietus ipse in Germaniâ & sine vllâ de Hispanis solicitudine vixerat, iniquè posteà, maiori ex parte Hispaniâ liberatâ, postulasse dominium in illam; cùm, esto iuuisset Hispaniæ Regẽ, non continuò debuisset in eius Regna ius prætendere: vnde coactus fuit ab intento Imperator desistere. Habet etiam illam supremam potestatem iure præscriptionis.

32. *ad hæc Regnũ Anglia.* Et de Rege Angliæ idem ipsum cõmuni opinione tenetur. Addit etiam P. Suarez cap. *Causam* 2. qui filij legitimi: ibi tamen solùm dicitur vt restituantur Regi Angliæ omnia sua iura quæ habuit anus illius, antequam iter Ierosolymitanum aggrederetur.

Ex loco D. Lucæ nil contra nos euincitur. Iam ad solutionem obiectionum in contrariũ. Primò ergo censent, Lucam Euangelistam cap. 2. dum dixit, exiisse à Cæsare Augusto edictum, vt describeretur vniuersus orbis, innuere, Christum approbasse, quòd Imperium orbis totius esset sub vno homine. Secundò dicunt, id ostensum fuisse dum Christus mandauit, reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.

Respondeo, Primum argumentum esse planè ridiculum: Euangelista enim solùm narrat, quid factum sit: vbi autem, quæso, vel per vmbram innuitur quidquam de approbatione eâ Dei? Secundò, esto approbasset Deus tale edictum, certè Augustus non fuit totius orbis Dominus,

vt

Digitized by Google

vt diximus. Tertiò, esto fuerit, quomodo, quæso, inde infertur, voluisse Deum, ne vnquam ea Regna diuiderentur? Mirum, quòd hi auctores eodem modo non intulerint inde, Deum approbasse, vt Imperium maneret semper apud Gentiles. Certè tam apparenter hoc quàm illud ex eo facto deduci potuit.

33. *Cur Christus iusserit tributum pendi Cæsari.*

Ad secundum dico, Christum iussisse solui tributum, quod debebatur ibi; quid inde, quæso, de Imperio orbis in futurum? ac si eò quòd in Hispaniâ Deus miraculosè diceret alicui, *Solue Regi quod debes*, inferret Bartolus, Ergo Deus voluit innuere, Regnum Hispaniæ habere dominium in totum orbem? quâ consequentiâ nihil stupidius.

Quod de Sole & Luna suprà obiiciebatur, non est ad rem; quia eo cap. *Solicita.* de maioritate & obedientiâ, vnde ea similitudo accepta est, non est sermo de Imperatore, sed de Regiâ potestate in communi.

An Pontifex transtulerit aut trãsferre potuerit ius omnium Regnorum in Carolum Magnum.

Tertiò obiiciunt, Pontifex dedit Imperiũ Carolo Magno; ergo transtulit in illum ius omnium Regnorum. Respondeo, consequentiam esse planè ridiculam; ac si quis diceret: Franciscus donauit filio suo pallium, ergo donauit illi totum mundum: imò hinc argumentum desumitur pro nobis: Orientale Imperium independens ab occidentali relictum est Irenę, quæ ab ipso Pontifice & à Carolo agnita est vt vera Imperatrix, & vt à Carolo independens: ergo Romanus Imperator non habet in totum orbem iurisdictionem: ergo dominium illud Imperatoris in omnes Reges Christianos omnino est fictum.

34. *Imperator nequit ferre leges pro totâ Christianitate, sed solum pro sibi subiectis.*

Iàm hinc ad punctum nostrum de legibus dicimus Primò: Imperator non potest leges ferre pro totâ Christianitate: patet, quia non habet iurisdictionem in totam illam; sine iurisdictione autem (vt suprà diximus) non possunt leges ferri, ergo: hinc infertur, multò minùs posse ferre leges pro Gentilibus, in quos multò magis caret iurisdictione. Secundò dicimus, eum posse ferre leges in Prouincias sibi subiectas, quia supra illas habet veram iurisdictionem; sicut etiam possunt cæteri Reges in sua propria Regna. Tertiò dicimus, leges olim latas ab Imperatoribus non obligare in locis illis, quæ non sunt Imperio subiecta; vt in Hispaniâ, Gallia, Anglia, in dominio Pontificis, &c. siue illæ sint contrariæ aliis legibus propriis eorum locorum; tum enim certò non possunt ibi obligare, quia per alias proprias abrogatæ sunt: siue non sint contrariæ, quia Imperatores non habent iam ius in ea Regna; ergo non possunt mediis legibus illa obligare. Addenda tamen est duplex limitatio. Prima, nisi ipsi Reges exempti acceptauerint eas leges pro suis Regnis; tunc enim obligabunt non quà Imperiales, sed quà Regales, vt diximus in simili de legibus iudicialibus Iudaicis, casu quo aliquis Princeps Gentilis voluisset eas seruare in suo Regno: quæ autem sint acceptæ in Hispania & Gallia, & quæ non, an verò nullæ omnino sint, non spectat ad nos. Vide P. Salas ea disp. 7. sect. 8.

An veterum Imperatorum statuta obligent; & vbi.

35. *Qui leges Imperiales omnia Regna obligare possint.*

Altera limitatio est, nisi leges illæ Imperatoriæ contineant obligationem iuris naturalis; tunc enim obligabunt, non tamen quatenus imperiales, sed quatenus sunt de iure naturæ; & propterea fortasse etiam in locis, vbi non obligant ex se, vt in Gallia & Hispania; traduntur tamen in Vniuersitatibus, vt ex illis maximè noscatur ius naturale; & sæpè etiam in casibus, vbi nulla est lex propria Regni, possit Iudex se illis dirigere in ordine ad dicendam causam; dirigere, inquam non vt per præceptum, sed vt per consilium.

Sectio VI.

Concluditur in genere, in quibus personis sit potestas legislatiua.

Qui potestas ferendi leges sit in supremo Principe.

VT materiam hanc concludam, dico vniuersaliter; etiam in Principe supremo potestas ferendi leges non est aliter quàm eo modo, quo est ei collata à communitate ipsum eligente primò in Regem; dixi enim suprà, eam potestatẽ esse primò & immediatè in ipsa communitate conueniente & consentiente in vnam Rempublicam: dixi itẽ, eam posse in illius dignitatis collatione conditiones apponere, quæ ex se non sunt iniustę aut repugnantes: donator enim, sicut rem suam non tenetur à se alienare, ita potest pro libitu conditiones apponere quas velit: ergo si eligens aliquem in supremum Imperatorem suum nolit illi potestatem ferendi leges concedere, aut non nisi cum certis conditionibus, certè non aliter eam potestatem Imperator habebit. Quòd si ipse iusto bello occupasset Regnum, & non accepisset illud à subditis illis, haberet in illud totum ius, quod poterat ei communitas tribuere, vnde & supremam potestatem ferendi leges.

36.

Hinc quoad alios, qui sunt Regibus inferiores, vt Duces, Marchiones, Comites, item quoad ipsas ciuitates, maximas, mediocres; minores, oppida & pagos, de quibus in particulari disputasse posset, an gaudeant vi legislatiua, dico rem partim ex dictis, partim ex facto ipso decidendam esse, neque debere nos in ea discutienda diutius hærere. Explico: Vel Duces illi, Marchiones, &c. obtinuerunt eam dignitatem à Rege aut Imperatore, vel à Republica ipsos eligente, vel per bellum: si à Rege vel Imperatore, tunc eam potestatem habebunt ferendi leges, quam ipse Imperator aut Rex illis contulit: in particulari autem, quam huic, quam illi permiserit, non possumus nos dicere, quia id pendet ex voluntate donantis. Idem dico, si illum titulum habeant à communitate ipsa: inquirendum enim est quàm amplam aut limitatam eis dederit potestatem ea cõmunitas. In Hispania quidem nullus ex Ducibus, Marchionibus, &c. habet hanc potestatem condendi leges; sed id ad solum Regem pertinet: estque valdè rationi conforme pro maiori totius Regni quiete & vniformitate: in Germania Principes Electores aliique nõnulli possunt omnino pro suis Prouinciis; vtrùm autẽ habeant vim per suas leges abrogandi Imperiales, an verò Imperator è contrario possit per suas abrogare alias particulares, pendet à modo, quo eos Principatus acceptarunt ab Imperatoribus olim, aut permissi sunt eos retinere, si fortè iure belli eos aliquando amiserunt.

Quid Duces, Marchiones & Comites ferre possint.

37. *Solius Regis est in Hispaniâ leges condere. Quid Electores Germaniæ quoad vim legislatiuam possint:*

Denique, si ratione belli iusti eas ditiones obtinuerũt, & sunt planè supremi, nullũ agnoscẽtes caput supra se; tunc non dubium, quin habeant omnem vim legislatiuam, ob dicta suprà; quid autem & quomodo habeant omnes hi, & quo titulo eas ditiones terrásque possideant, quæstio est facti, non iuris; neque ad præsentem locum spectat.

Digitized by Google

38. *Quid ciuitates liberæ & subiectæ.*

spect. 1. Circa ciuitates item siue magnas siue paruas, oppida, &c. respondeo, si sint ciuitates liberæ, tunc sine dubio habere eam iurisdictionē: si verò sint subiectæ Principi, tunc non esse considerandum, an magnæ, an paruæ, sed qualem eis Princeps, cui subsunt, concesserit potestatem: & quoad hoc potest aliquando eam concedere vni oppido, etiam vni pago, vt ipsi per se constituant aliquas leges, & negare id ciuitatibus. Quid autem quælibet in particulari habeat, non possumus nos vllo modo determinare.

SECTIO VII.

An potestas legislatiua possit esse in feminâ.

QVærimus, an possit femina propriâ auctoritate leges ferre; & an, casu quo per hereditatem deuoluatur ad illam Regnum, vel alius Principatus, & maritum accipiat, amittat eo ipso eam regiam potestatem, eaque transeat in maritum; an verò sit in vtroque, an in sola ipsa. Breuissimè respondeo, si femina non sit maritata, nullum esse dubium; quin sicut verè est domina, & potest gratias, priuilegia concedere, ita possit & leges ferre: id apparuit in Irene olim, quam, vt dixi suprà, & Pontifex & Carolus magnus agnouerunt vt veram Imperatricem, habentem verum ius in Orientale Imperium, & consequenter potestatem coërcitiuam, punitiuam, legislatiuam, &c. id quod constabit à fortiori ex secunda conclusione.

39. *Feminam non maritatam dominâ esse & leges ferre posse experientiâ patuit.*

Vxi maritata id ius retinet.

SECVNDA CONCLVSIO: Esto ea habeat maritum retinet adhuc potestatem totam gubernatiuam & iurisdictionem; maritus autem etsi sit caput eius feminæ; id tamen intelligitur quantum ad leges coniugij, eo modo quo esset caput illius, si priuatæ essent personæ; quoad punctum verò gubernandi Regnum habebit præcisè id quod vxor. Hæc est communis sententia Iurisperitorum & Theologorum qui de ea te tractant, vt videre est apud P. Suarez cap. 9. num. 10. Fusius apud Salas ea disp. 7. sect. 11. Vasquez etiam disp. 153. cap. 3. Ratio huius est, quia per matrimonium non transfertur Regnum aut administratio illius; ergo manet adhuc in Regina. Antecedens probatur, quia neque transfertur per voluntatem ipsius vxoris: talis enim voluntas non est annexa matrimonio, neque ad eius valorem necessaria; ergo non est necessum vt illam habeat femina: neque ea translatio fit ex naturâ rei: quia quòd maritus sit caput mulieris, intelligitur, iuxta paulò antè dicta, in ordine ad onera matrimonij, non verò in ordine ad regimen Regni; quod est res valdè disparata à matrimonio: neque item per ius aliquod humanum id fit; nā de tali iure non constat: & cùm sæpè tales Reginæ soleant habere supremam temporalem iurisdictionem, non possent per ius humanum cogi: nec denique id fit per ius diuinum, quia de illo nullatenus constat, ergo. Hæc autem ratio non solùm probat feminam non amittere illud ius, sed neque in eâ manēs transire simul ad ipsum maritum; quia neque id fit ex naturâ rei, neque per se ex voluntate feminæ, &c. Aliundo autem esset graue onus ipsius Reipublicæ habere duo capita. Vnde formati potest nouum argumentum: Vel

Est communis Theologorum & ratione fulcitur.

40. *Maritus talis Regina solùm est caput in ordine ad onera matrimonij.*

Nec transit vlla eius iuris pars in maritum.

enim essent inter se independentia, & tunc posset vnum hoc, alterum illud velle, è quo grauia insurgerent incommoda, & nihil posset vnquam decidi illis inter se concertantibus: imò in rigore tunc amisisset Regina suam supremam iurisdictionem, cùm posset per alterum impediri: si verò in Reginâ esset maior & supra maritum, tunc deberet esse ex cōcessione Reginæ; de quâ nihil est ratione matrimonij. An autem aliquando id faciant, incertum est nobis. Aduerto tamen, sicut sæpè suprà dixi, hanc potestatem conferri Regibus à communitate, ideoque posse diuersas conditiones apponi in translatione; sic in præsenti addo, vt in multis Regnis ita concessum est Regum familiæ ius successionis, vt tamen excludantur feminæ (quod in Regno Galliæ cernitur) ita etiam potuisse admitti feminas ad successionem, cum eâ tamen conditione, vt, casu quo succederent & haberent maritum, hic per se immediatè gubernaret Regnum: nam in hac conditione neque vlla est indecentia, imò satis cōformis rationi: neque ipsi feminæ fieret iniuria vlla; nam si poterat citra iniuriam omnino spoliari successione, multò minùs iniuriam patietur, eò quòd talis apponatur conditio datâ ei successione. Vtrū autem aliquando ita fit factum, ego non possum dicere.

41. *Vt in quibusdam Regnis à iure successionis excludantur feminæ, ita possit excludi à iure legislatiuo.*

Videamus iam, quid possit in contrarium obiici. Primò Paulus 1. ad Timoth. 2. ait, *Docere mulieri non permitto, nec dominari in virum*: & Gen. 3. mulieri dicitur, *Sub viri potestate eris*. Respondeo, Paulum agere de doctrina fidei & de modo publicè per conciones docendi, quod propter decentiam negatur feminæ: nihil autem ibi de iurisdictione ciuili & ad ferendas leges, quod potest à femina honestissimè exerceri. Quod de subiectione illius respectu viri additur, iam explicatum est de subiectione quoad leges matrimonij. Neque inconueniens est, in vno puncto maritum subiici feminæ, hanc verò illi è contrario in altero.

Locus Pauli 1. ad Timoth. 2. explicatur.

Secundò obiicitur lex *Femina*. ff. de regulis iuris, vbi dicitur, feminas ab omnibus officiis ciuilibus & publicis remotas esse debere, nec Iudices esse posse, nec Magistratum gerere. Respondeo tamen ea lege solùm prohiberi, ne sicut ex viris etiam ordinariis assumuntur ad consilia, ad dignitates, iudicia, &c. ita assumantur ex feminis ordinariis; de eis verò, quæ ex parentibus habent iurisdictionem, non esse in ea lege sermonem: & licet de eis loqueretur, non haberet ea lex locum, vbi ius ciuile Imperatorium non obligat, iuxta dicta suprà.

42. *Lex Feminæ ff. de reg. iuris. qui sit intelligenda.*

Tertiò obiicitur, in Legibus Hispaniæ tit. 1. part. 2. dicitur dominium Regni & nomen Regis acquiri posse per matrimonium, quando priuatus accipit Reginam in vxorem: ergo sentit ea lex tunc in maritum etiam trāsferri veram iurisdictionem. Respondeo, ibi solùm dici tunc maritum habere titulum & honorem ac dignitatem Regis propter vxorem; quòd verò etiam propriè habeat iurisdictionem, nullo modo ibi insinuatur. Secundò respondeo; Esto in ea lege id decideretur, non ideò ea esset regula generalis pro aliis Regnis.

Quid Leges Hispaniæ tit. 1. par 2. hac super re ferant.

Quartò obiicitur sequi inde, maritum seu Regem fore obligatum ad parendum legibus ab vxore latis, quod videtur absurdum. Respondeo negando ibi esse vllum absurdum; nam, vt dixi, feminam esse subiectam marito in ordine ad ea

43. *Maritus potest subijci legibus ab vxore latis, extra tamē onera matrimonij.*

quæ

Digitized by Google

quæ propria sunt matrimonij, non repugnat cum obligatione mariti obediendi vxori in ordine ad ea quæ publicam gubernationem concernunt? & in legibus habet minorem difficultatem, quia communiter solet doceri, etiam legibus ab ipso Rege propriâ auctoritate latis teneri eumdem parere.

Quintò obiicitur, & sit replica contra dicta, Si femina habeat totam iurisdictionem tamquâ Regina, planè nihil relinquetur marito, in quo posset vxori imperare, nec quidem circa administrationem domus: nam ea omnia poterit Regina impedire titulo iurisdictionis: si v.g. maritus dicat; Volo hîc habitare, non ibi, volo hos habere famulos, non illos, his cibis, non illis vti, hoc modo filios educare, non illo: ad hæc enim & similia Regina dicet, Pro dignitate regiâ ego iudico expedire, vt contrario modo omnia fiant: ergo tunc planè nulla erit subiectio feminæ respectu viri. Respondeo, in eiusmodi rebus debere sæpè considerari occurrentes circumstantias; ex illis enim dignoscendum erit, vtrùm tales aut tales actiones sint aliquo modo ordinatæ ad bonum Regni, an verò è contrario tales, vt pro Regno eodem omnino modo deseruiant. Certè, quòd hi vel illi cibi apponantur in mensâ, huius aut illius coloris ephebornm vestitus sit, & similia, nullam habent cum iurisdictione regiâ connexionem; & perinde sunt ac si inter duos equites aut ciues eâ de re dissensio esset; in quâ standum foret iudicio viri prudentis.

Quibus in rebus maritus tali vxori imperare possit.

44.

Sectio VIII.

Vtrùm potestas ferendi leges humanas pendeat à fide & bonis moribus Principis.

Hæretici quidã docuêre, Legislatores immortali existentes amisisse iurisdictionem.

HAc de re fusè agit P. Salas disp. 7. sect. 15. Res tamen facilis est: etsi enim non defuerint hæretici, vt VVicleph, Hus, & alij, qui dixerunt, Principem; Regem, Episcopum, Papam, vno denique verbo, omnes Legislatores, eo ipso, quòd in mortali sint, amittere omnem suam iurisdictionem, ac neminem teneri illis parere: Certa tamen sententia tam stando rationi quàm fidei diuinæ contrarium docet, scilicet, per nullum peccatum Regis, alioquin ex se legitimi (nam de tyranno non est nunc sermo, nec item de hæretico aut rebelli Ecclesiæ, casu quo per Pontificis sententiã in pœnã contumaciæ priuatus esset iurisdictione) ab eo tolli veram iurisdictionem, & in subditis parendi obligationem.

45.

Contrariũ & Scriptura docet & ratio.

Hæc veritas ex Scripturâ innumeris posset probari testimoniis; etenim constat maiori ex parte Reges Iudæ & Israël fuisse grauissimos peccatores. & tamen adhuc fuere agniti vt veri Reges: & quidem etiam ipse Dauid, licet grauiter peccauerit, non ideò ius Regni amisit: & Nabuchodonosor, licet infidelis, dicitur tamen Daniel 2. accepisse Regnum à Deo: *Et Deus cali Regnum dedit tibi:* & Ioseph agnouit Pharaonem esse verum Regem, ideóque tributariam illi fecit terram Ægypti: & alter Pharao, qui filios Israël vexauit, vt verus Rex agnoscitur in Scripturâ, ideò ab eo petitur licentia exeundi ex Ægypto: & Dauid semper agnouit Saulem vt verum Regem, etiam quando illum grauissimè peccare sciebat. Idem suaderur testimonio Christi dicentis, *Reddite quæ sunt Cæsarũ Cæsari*; qui tamen Gentilis erat, & vitiosissimus homo: & Pilato dedit esse potestatem ex cælis, ipse Christus testatus est; & tamen grauissimus erat peccator. Denique Paulus ad Romanos 13. & 1. ad Timoth. 2. & Petrus 1. Epist. cap. 2. iubent obediendum dominis ethnicis, prout tunc erãt; *Non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* Ratio à priori est, quia etiam ille, qui est peccator & infidelis, potest iusta mandare: & aliunde peccatum nullo modo cum eâ potestate pugnat; sicut cum peccato non pugnat ius in res, seu dominium: neque item homines, dum transtulerunt suam potestatem in alterum, petierunt eam conditionem, ne scil. alter esset in peccato; id enim esset iniquum; tum quia cogeretur alter suum peccatum statim omnibus manifestare, tum quia aliis sæpè daretur occasio subterfugiendi imperium, excusando se, quod Princeps sit in peccato. Denique, neque vllum verbum est in Scriptura, aut vlla aliunde vel minima ratio, quæ his hæreticis faueat.

Contrariũ & Scriptura docet & ratio.

Suadetur ex ratione à priori

46.

Fortè obiiciunt. Oseæ 8. dictum, *Regnauerunt, & non ex me.* Respondeo tamen id planè esse impertinens ad rem præsentem; vel quia ibi solùm agitur de his qui tyrannicè occuparunt Regnum aliud; vel de his, qui, licet legitimi Reges essent, malè tamen, & non secundùm voluntatem Dei se gerebant.

Osea dictum c.8 enodatur.

Dixi suprà, excipiendum ab hac regulâ peccatum tyrannidis, non tamen quà peccatum est, sed quia tunc non supponitur verum ius in Legislatore: sicut fur non habet ius ad vtendum re alienâ, non quia peccauit præcisè furando eam, aut quia iam sit in peccato, sed quia dominio vero in illam caret, ergo quando Princeps manifestè tyrannus est, nulla est obligatio ei parendi, quia neque in illo vllum est ius imperandi.

Tyrannus manifestè nemo parere tenetur.

Circa quod breuiter quæri posset, an saltè sine obligatione vllâ liceat cuilibet illi parere: Respondeo, duplicia posse ab eo prouenire mandata: quædam, quæ sint in præiudicium veri Regis aut alterius tertij: vt si mandet aliquem puniri, vel abroget leges à vero Principe datas, aut illius bona destrui procuret; in his dicimus, non posse ei licitè obediri, quia subditus non habet tum neque à se, neque ab ipso Rege verum ius in eas res alienas, & vitam etiam nocentis; quia hic non potest puniri à quolibet, etiamsi mortem millies promereatur, sed id debet fieri per legitimum Magistratum; qualis in eo casu non supponitur; ergo tunc talia imperanti non solùm non tenemur, sed nec possumus licitè obedire.

47.

Secundò dico vniuersaliter, Quandocumque ex obedientiâ (quæcumque illa sit) potest Tyrannus accipere occasionẽ, vt in suâ tyrannide magis confirmetur, nullum posse illi licitè obedire: quia verò possunt esse alia mandata eiusdem Tyranni, quæ non concernant nisi ipsum, cui imponuntur; si v.g. obligare eos velit ad soluenda aliqua tributa, ad labores aliquos publicos, &c. ideò dico Tertiò, licitè posse subditum cedere suo iuri in eam pecuniam soluendam, aut acceptare eos labores eodem modo ac si præcepti non essent, & sic quasi materialiter obedire; semper tamen, vt dixi, id debet fieri sine periculo maioris inde in Tyranno obstinationis.

Quando quis Tyranno obedire licitè possit:

Sectio IX.

Ad quid ordinetur potestas legislativa humana.

48.

CIrca finem, ad quem ordinatur ea potestas maximè ciuilis, multus est P. Suarez cap. 11.

Luc. 20.

Digitized by Google

Arbitror, vix, niſi de ſolo nomine, poſſe eſſe in eâ diſſidium vllum. Refert ibi ſententiam Fortunij Garciæ, qui Tractatu de Vltimo fine vtriuſque Iuris, Canonici ſcilicet & ciuilis, fusè conatur probare, vtrumque ius ordinari non ſolùm ad iuſtitiam, & externam Reipublicæ pacem & quietam eiuſdem adminiſtrationem, ſed maximè ad veram & internam pacem ac beatitudinem vltimam: num. verò 2. refert idem Suarez limitationem Nauarri, qui eam ordinationem iuris ciuilis ad ſpiritualem finem non putat illi in omni ordine rerum conuenire, ſed de facto in illis Regnis, quæ ſimul Chriſtiana ſunt: quod inde Nauarrus ſuadet, quia Reges præponere ſolent ſuis legibus inuocationem Chriſti; vt, *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c. vel, *In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis*: in Codice item l. 1, de veteri iure enucleando, dicitur, quòd auctoritas legum diuinas & humanas res benè diſpoſuit, & omnem iniquitatem expulit. Ac denique confirmat, quia Imperatores expellunt per leges ciuiles hæreticos, eoſque puniunt. id quod maximè ordinatur ad ſpirituale bonum, non ad temporale. Vtramque autem ſententiam ibi optimè & fusè refutat P. Suarez.

Fortunij Garcia opinio.

Nauarri mens.

49. Dixi, in hac quæſtione vix poſſe eſſe diſſidium, niſi de ſolo nomine, quia res videtur facilis; ideò eam ſic decido. PRIMA CONCLVSIO: Ex ſuâ intrinſecâ naturâ leges ciuiles, vniuerſaliter loquendo, non ordinantur ad vltimam felicitatem vitæ æternæ. Hæc adeò videtur certa, vt contraria cadere non poſſit in vllum hominem doctum; ideò non poſſum perſuadere mihi Fortunium in eâ fuiſſe. Probatur manifeſtè, quia & Fortunius & omnes Catholici agnoſcunt felicitatem hanc vitæ æternæ non eſſe nobis debitam, ſed potiùs ſupernaturalem, ideóque potuiſſe nos à Deo creari in ſtatu naturali ſine vllâ eleuatione ad eam gloriam. Nemo item doctus negare poteſt, etiam in eo caſu poſſibiles eſſe Reſpublicas humanas, iuriſdictionem, &c. & conſequenter leges ciuiles; quæ in eo caſu ſine dubio non ordinarentur ad beatitudinem hanc ſupernaturalem, quam tunc ſupponimus non eſſe poſſibilem; ergo nemo poteſt dicere, omnes leges ciuiles in omni caſu ordinari ad viſionem beatam.

Lex ciuilis quâ talis non ordinatur ad æternam beatitudinē. Excuſatur Fortunius imò.

SECVNDÒ DICO: Neque etiam de facto in omnibus id potuit docere Fortunius; cùm enim probè nouerit maiorem, partem infidelium Principum (ſi non fortè omnes) ignorare, beatitudinem futuram noſtram in Dei viſione conſiſtere, non potuit homo doctus dicere, eos Reges & Principes in ſuis legibus intendiſſe eam beatitudinem vltimam: nemo enim intendere formaliter poteſt fidem, quam omnino ignorat.

Excuſatur ſecundò.

50. DICO TERTIÒ: Nec videtur vllo modo docuiſſe Fortunius, per leges ciuiles omnes, per ſe loquendo, intendi felicitatem naturalem alterius vitæ, aut in communi eam, quæ in eo ſtatu ſit: patet, quia nemo poteſt negare, etiam inter illos homines, ſeu in eâ Republica, quæ animæ immortalitatem non agnoſceret (vt fortè multæ barbaræ non agnouerunt; quandoquidem & Philoſophi aliqui docti de ea dubitarunt, & verò acriter illam negarunt) in ea, inquam, Republica poſſe eſſe leges ad bonam eius adminiſtrationem & vitæ conſeruationem; imò audeo dicere quoad hoc punctum magis eſſe ibi neceſſarias leges, quàm in Republica immortalitatem animæ agnoſcente: nam hæc reputat vitam hanc mortalem minoris momenti, ideóque de eius conſeruatione non eſt ita ſollicita; quia anima, quæ præcipua eſt, & quæ ſola intelligit & amat, viua manente, parum eſt, ſi corpus moriatur: at ſi nulla alia ſuperſit vita poſt hanc, certè operæ pretium valdè eſt eam diu protrahere, cum pace & quiete ac rerum abundantia tranſigere: ad quem finem maximè neceſſariæ eſſent ciuiles leges in eiuſmodi Republica. Nemo ergo poteſt dicere, de conceptu omnis legis ciuilis eſſe, vt à Legiſlatore felicitas poſt mortem intendatur.

Excuſatur. Tertiò.

Qui negant immortalitatē animæ magis egent lege ciuili quàm alij.

51. DICO QVARTÒ: Nec videtur ab vllo doceri poſſe, per leges ciuiles omnes immediatè intendi felicitatem animæ etiam in hac vita; neque crediderim contrariū à Fortunio ſentiri, quomodò enim ille perſuadere ſibi potuit intentum Regum omnium, dum condunt leges, eſſe, ne homo interiùs peccet? Explico id manifeſtè: Lex prohibens in aliquo Regno, ne quis foras argentum aut aurum exportet, non poteſt habere pro fine immediato, ne homo peccet; quia ablata lege prohibente nullum foret peccatum in ea exportatione: ergo intentum eius legis immediatum non eſt, niſi abundantia pecuniæ, auri aut argenti in Regno, quia per eam homines habere etiam poſſunt abundantiam rerum ad humanum victum neceſſariarum. Quòd autem vlteriùs ſeu vltimò ipſe Legiſlator intendat per hoc ſpirituale internam cuiuſlibet pacem & alia diuerſa peccata vitare, non puto à Fortunio iudicatum ita eſſe neceſſarium ad valorem earum legum, vt niſi talis animus fuerit in Legiſlatore, illæ leges planè ſint nullæ: quis enim vmquam ad inueſtigandum valorem legum recurrit ad examinandam eam intentionem; cur quis ſibi perſuadebit, omnes Reges & Imperatores Gentiles, qui ſæpè athei fuêre, eiuſmodi intentum habuiſſe? ergo non poteſt vllus eo ſenſu dicere, leges ciuiles ordinari in bonum ſpirituale.

Leges ciuiles non intendunt immediatè felicitatem animæ. Excuſatur Fortunius Quartò.

52. DICO QVINTÒ: Etiam è contrario nemo dubitare poteſt, quin leges etiam ciuiles, quatenus ordinantur ad quietam & pacificam vitam politicam tranſigendam, quatenus pœnam contra delicta præſcribunt, natas eſſe ex ſe ad vitanda mediatè vel certè immediatè multa peccata; ideóque in eo ſenſu dici poſſe ordinari ad bonum ſpirituale, & tandem mediatè ad beatitudinem; quæ ſolùm in nobis impeditur per peccata. Et hanc puto eſſe mentem Fortunij & Nauarri: quòd ſi aliquid plus voluêre, planè eſſe ex hucuſque dictis reiiciendos: neque enim cupio in vnius aut alterius Doctoris ſenſu inueſtigando diu hærere, niſi eadem via doctrina aliqua alicuius momenti inde eliciatur. Porrò leges omnes modo dicto ad bonum ſpiritus ſiue mediatè, ſiue immediatè vtiles eſſe manifeſtum eſt; & inductione probatur. In primis de pœnalibus, quæ ad puniendos tranſgreſſores legum naturalium feruntur, res eſt certa: timor enim pœnæ vehementer hominem retrahit à peccato.

Quo ſenſu ea ad ſpirituale bonū ordinari dici poſſint.

Omnes leges vel mediatè vel immediatè ad ſpirituale bonū ordinantur.

Dices: Tunc ſolùm ea lex retrahet, quando homo timet deprehendi, non autem in occulto. Reſpondeo, Eſto id verum ſit, adhuc tamen concluſio noſtra ſtat; nam aliud eſt impedire ſemper peccatum, aliud verò impedire frequenter: admitto ergo non impediri ſemper, nego tamen non impediri frequenter; hoc autem ſufficit ne dicatur ea lex ordinari ſeu vtilis eſſe ad bonum animæ; vt enim dicebat ſanctus Pater noſter Ignatius, Vel vnicum ſemel impedire peccatum

53.

Præclariſſimum S. P. N. Ignatij effatum.

Digitized by Google

tum & offensam grauem Dei tantum est bonum, vt putaret se totius vitæ suæ labores felicissimè impendisse, si id obtineret. Id ipsum patet in legibus ipsis maximè diuinis, quæ directè ordinantur ad finem supernaturalem; nam nec illæ omnino & semper omnia impediunt peccata, vt per se constat, ergo. Respondeo Secundò, hominem, etsi timore pœnæ fugiat peccarum, paulatim tamen affectum & animum ad illud amittere, & è contrario concipere odium illius; ideóque etiam, quando putat se non deprehendendum, vitare peccatum. Leges ergo pœnales ex se impedire peccata, nemo debet vel in dubium vocare.

Leges pœnales ex se impediunt peccata.

De aliis item non pœnalibus idem cernitur, quia multæ sunt quę prohibent aliqua, ex quibus facilè sequi peccata contra legem naturalem poterant; vt v.g. leges prohibentes nocturnas vagationes; ex quibus notum est sequi furta, homicidia, &c. item prohibentes arma, maximè occulta & valde periculosa, & sic de aliis multis. Aliæ, licet prohibeát res primo aspectu magis remotas ab occasione peccati, vt ea, quam suprà tetigimus, de non efferendo auro & argento è Regno; habent tamen hanc vtilitatem: nam qui ex Regno extrahit aurum, haud dubiè cómodum inde sentit, ob quod sæpè ad iniustè alios suos conciues defraudandos induci facilè posset: item inde depauperando Regnum, sequuntur posteà furta & querelæ, quæ in pauperioribus sæpissimè reperiuntur. Aliæ autem leges sunt taxantes pretia rerum, quæ haud dubiè impediunt iniustitiam, quæ in venditione & emptione reperiri solet. Aliæ præscribunt formas & solemnitates contractibus pro eorum valore: per quas multa impediri peccata, nemo dubitat: non enim posteà liberum est cuilibet contrahenti retrocedere, & ipiustè negare verum, aut etiam asserere falsum fuisse contractum. Quæ ratio mouit Concilium Tridentinum ad irritanda matrimonia clandestina. Aliæ item leges disponunt quæ circa pupillos, parentes, circa testamenta, &c. seruanda sint: de quibus eodem modo ostendi potest, per illas vitari graues fraudes, dolos ac peccata: neque in contrarium obest, quòd aliquando per accidens inde aliquod malum assurgat; nam id est præter intentionem. Quid enim in rerum naturâ adeò bonum reperitur, quod aliquando non sit alicuius mali occasio?

54. *Idē est de aliis legibus.*

Cur Tridentinū irritarit matrimonia clandestina. Leges aliqua peccati occasio.

55. Dico Sextò & vltimo, Principes Christianos frequentissimè in ferendis legibus non solùm ea imperare, quæ sunt ex se vtilia ad vitanda peccata, sed etiam expressè id ipsum ab eis intendi, & ex proposito eas ferre leges, quæ etiam intra genus legis ciuilis magis sunt ad eum finem vtiles: in quo sensu Nauarri opinionem intelligo: & id probat ratio ipsius. De eis autem Regibus sic se gerentibus Augustinus pulchrè dixit lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 24. *Felices eos dicimus, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum Majestati eius famulam faciunt.* Ad hunc etiam finem ordinari videtur lex illa (de quâ Nauarrus, vt suprà vidimus) quæ iubet hæreticos puniri: nam licet ea magis videatur esse Canonica, quia Imperator sæcularis non debet decidere, quæ sit hæresis, quæ non; id enim ad Ecclesiam pertinet: tamen postquam Ecclesia declarauit, hos & illos esse hæreticos, crediderim posse vi iuris ciuilis eos expelli ex Regno aut aliter puniri; nam hoc est ferè præcipuum quod Rempublicam in pace conseruat, vnitas & concordia in religione & fide; ergo Respublica, quæ in suis ciuilibus legibus eam pacem maximè considerat, iustè potest etiam, solo eo fine considerato, leges contra hæreticos ferre; sicut potest expellere Iudæos, Mahometanos, & similes.

Christiani Principes sæpè suis legibus intendūt imitationem peccatorum.

Qui possit Imperator hæreticos Regno pellere.

Disputatio XIV.

De materia, quam potest præcipere lex humana, maximè ciuilis.

1. Dictis præcedenti disputatione de causâ efficienti legum, seu de potestate legislatiuâ, iam de materiâ, circa quam versari potest, agendum erit.

Sectio I.

Materia præcepta per legem humanam non potest esse mala moraliter.

Legis humanæ materia bona sit moraliter oportet.

Conclusio sit contra errorem Machiauelli & aliorum politicorum, clariori nomine, atheorum, iurisdictionem ciuilem non extendi validè ad eam materiam; quæ cùm sit in Dei offensam & contra naturalem legem, vtilis tamen est hîc & nunc ad augendam Rempublicam. V.g. esto Rex habeat vires, vt alterum Principem longè se inferiorem detrudere possit ex possessione, & in suam coronam Principatum illum incorporare, idque in maiorem splendorem & firmitatem Regni propriè cedat, dicimus contra politicos seu atheos non esse vllo modo tali Regi licitum innocentem alterum molestare, multò minùs spoliare: sicut non licet vni priuato homini accipere vi ab altero se debiliore pallium, aliáve illius bona, esto inde secutura esset furi magna commoditas: vnde vniuersaliter dicimus, nullum Principem posse leges ferre quæ sint contra legem naturalem & contra leges diuinas aut altiores, seu à maiori potestate etiã humanâ promanãtes. Ratio huius est manifesta; nam eiusmodi potestas regnandi à Deo dicitur promanare: *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt*; Deus autem non dat potestatem, contra se, vt eius præcepta conculcentur. Quòd si eam potestatem consideremus vt ab ipsâ communitate manantem (iuxta suprà sæpè dicta) etiam non extenditur ad tales leges iniquas; nam Respublica numquam habuit animum dandi alteri suas vices, vt se obligaret ad facienda ea, quæ essent contra legem naturæ & contra Deum; quia non habuit communitas potestatem eximendi se ab eâ lege naturali, ergo multò minùs vt se validè obligaret ad id non faciendum, sed potiùs illi contrarium.

Error Machiauelli & Atheopoliticorum.

2. *Nullus Principum potest ferre leges cõtrarias naturalibus aut humanis superioribus.* Prou. 8.

Insania politicorum.

Stultissimè autem hi politici dicunt non posse Rempublicam pacificè & quietè gubernari, si in omnibus legibus honestas seruetur; cùm potiùs ipso lumine naturæ contrarium euidentissimum sit: & verè, quæ Respublica magis concors quàm

Digitized by Google

cælestis; vbi summa honestas reperitur? quæ item maior pax; quàm si nulla sint latrocinia, nulla homicidia, nullæ rixæ, nullæ ebrietates? vno verbo, si omnes ita se gerant circa alios, ac vellent, vt alij se gererent circa ipsos. Non potuêre hi magis ipsi lumini naturali contrariam propositionem accipere. Sed de his nunc satis.

Honestas legis pacis mater, nutrix & alumna.

3. *Leges quædã sunt malorũ permissiuæ solùm ad vitãd. maiora.*

Obiicjunt verò pro se aliquas leges ciuiles, quæ videntur iniusta imperare propter bonum temporale. Respondetur tamen eas leges vel fuisse tantùm permissiuas alicuius mali, ob vitandum aliud maius, vt suprà diximus disp. 1. de permissione meretricum; per quas esto puniri illæ non possint, non tamen in conscientiâ securæ sunt; vel certè illas leges tangere materiam aliquam bonorum & dominij, in quâ, quia ipse Imperator habet altum dominium, ratione cuius potest, graui vrgente causâ, ab vno ad alium aliquid transferre, potest etiam ob maius & grauius bonum per legem statuere, vt si hoc vel illo modo contrahat quis, etiamsi fortè decipiatur, alter non possit in iudicio conueniri: quod pertinet ad permissionem, vel certè, vt licitè deinde retineat rem illam; quod tamen difficulter contingere potest: vel denique dicendum eas leges fuisse iniustas neque in conscientiâ obligasse; ergo, hac veritate suppositâ,

Sectio II.

Vtrùm lex humana possit præcipere omnem materiam honestam, & solam eam; an etiam possit omnem malam prohibere.

4. *Sensus quæstionis explicatur.*

QVærimus, an lex humana & ciuilis possit omnia obiecta honesta vel diuisiuè vel etiam collectiuè præcipere; item, an omnem eam, quæ est indifferens, & è contrario, omne omnino peccatum prohibere; & quia actus tam boni, quàm mali, quàm indifferentes possunt esse purè interni: estque diuersa de vtrisque difficultas: de internis infrà agendum erit; sequentibus autem conclusionibus huius sectionis expediam quæ ad externam materiam pertinent.

Lex ciuilis non potest præcipere omnes actus bonos etiã externos seu collectiuè seu diuisiuè consideratos.

Dico Primò: Leges ciuiles non possunt esse de omnibus actibus bonis etiam externis, non solùm collectiuè, sed nec diuisiuè consideratis. In hac conueniunt omnes; estque valdè certa, quia non possunt v. g. obligare ad virginitatem, ad ingressum Religionis, ad ieiunia continua, aliáve innumera opera bona. Ratio verò à priori est, quia potestas data est à communitate, ipsâ se subiiciente Regi aut Principi: tota autem ea subiectio fuit in ordine præcisè ad administrationem pacificam Reipublicæ, eámque decentem; ad hanc autem ciusmodi opera, per se loquendo, non sunt vllo modo necessaria: imò, si vniuersalis esset obligatio ad illa, prout in lege debet esse, quæ ad omnes se extendit, maxima inde in Republicâ sequerentur incommoda. Ratio etiam alia adduci potest, quia Respublica non voluit transferre suam voluntatem, vt ad grauissima & difficillima obligaretur; atqui multa opera virtutum sunt eo modo difficillima, maximè cùm lex debeat esse vniuersalis omnes obligans: omnes autem sine discretione ad res summè difficiles cogere planè est iniquum, ergo.

5. *Lex ciuilis præter actus iustitiæ multos alios imperare potest.*

Secundò tamen dico: Non soli actus ad materiam iustitiæ spectantes possunt per leges ciuiles imperari. Hanc negarunt nonnulli, qui maximè videntur permoti, eò quòd ad pacem & gubernationem quietam Reipublicæ intentam per leges ciuiles sola materia iustitiæ, seu quæ est ad alterum, videatur esse vtilis. Conclusio tamen nostra est communis, ac per se manifesta: eam tradidit expressè Aristoteles 5. Ethicorum cap. 1. vbi ait, leges dictare de omnibus, v. g. non deserere locum in acie, non fugere, non abiicere arma, non adulterari, & non vti libidine; & illa quæ sunt materia iusti, vt non pulsare, non conuitia dicere, & in cæteris virtutibus atque vitiis alia iubens, alia vetans. Id ipsum patet manifestâ experientiâ; nam multæ leges ciuiles præcipiunt & prohibent varia in aliis materiis; vt v.g. ne quis gestet arma, aut è contrario, vt gestet; ne quis vagetur noctu per plateas; ne tali aut tali panno, materiis aureis aut sericis vtantur pro vestitu; ne fiant tali tempore publici ludi, aut è contrario, vt instituantur. In pœnalibus verò legibus id manifestiùs apparet; nam extenduntur leges designando pœnas pro omnibus ferè materiis contra luxuriosos, contra ebrios, contra irreligiosos, contra milites, qui ex timore aut somno negligunt suum locum & officium. Ratio autem à priori huius conclusionis est, quia Respublica non solâ iustitiæ virtute potest sufficienter gubernari; pendet enim ab aliis virtutibus; licet negari nequeat, præcipuè à iustitiâ dependere, quatenus tangit & bona exteriora, & famam, ac bona corporis.

Aristoteles id manifestè docet.

itè experientia:

item leges pœnales &

tandem ratio

6. *Non est opus materiã legis ciuilis antè præceptã esse lege naturali.*

Dico Tertiò: Non est necessum vt materia legis ciuilis sit iam anteà præcepta per legem naturalem. Hæc est etiam omnino certa; quia si lex ciuilis solùm præciperet, quæ iam alioquin per se erant iure naturæ præcepta, frustranea planè ea videretur; & tunc omnes leges ciuiles deberent esse in toto mundo eædem: quia naturale ius idem vbique est: quæ item hucusque diximus, ostendunt, leges ciuiles esse de materiâ alioquin ex naturâ suâ licitâ! eiusmodi enim exempla immediatè antè & superiùs sat multa posuimus.

Lex ciuilis potest præcipere materiam ex se etiam non bonestam, nec vllam virtutis.

Dico Qvartò: neque est necessum materiam legis esse ex se antequam imperetur honestam & pertinentem ad aliquam virtutem. Hæc à nobis probata est disp. 4. dum explicuimus, quo pacto omnis lex debeat esse de re honestâ: & nunc breuissimè idem declaro ex dictis paulò antè de vtilitate legum ad vitanda peccata. V.g. gestare arma ex se nec bonum nec malum est: at si Princeps intendat per gestationem armorum impedire, ne hostis repentè irruens & imparatos ciues deprehendens eos opprimat, iam habet bonitatem saltem vtilem; ratione cuius meritò præcipi potest. Item è contrario, si ea gestatio consideretur, vt illatiua cædium in ipsâ ciuitate, iam habet aliquam rationem mali, ob quam prohiberi meritò posset.

7. *Qua materia indifferẽs nec imperari nec prohiberi possit lege ciuili.*

Hinc dico Qvintò: Si materia illa indifferens talis sit, vt saltem extrinsecam vtilitatem aut malitiam non habeat, non poterit prohiberi aut præcipi; quia tunc nullo modo ordinata erit ad Reipublicæ pacem & quietam administrationem; ad quam solam legislatiua potestas ordinatur. Vtrùm autè aliquando possit aliquid imperari, vt præcisè exerceatur obedientia, dixi suprà.

Dico

Digitized by Google

Lex ciuilis potest prohibere omnia peccata externa & publica, etsi Respublica non nociua Suarez. cõtrariũ opinatur.

DICO SIXTÒ: Lex ciuilis prohibere potest omnia peccata externa, etiamsi non sint nociua communitati, neque scandalosa; si publica sint, eo modo, quo dicemus sectione sequenti. Pater Suarez hanc negat n. 12. probátque contrarium ex Augustino lib. 1. de Libero arbitrio cap. 5. quem refert & sequitur D. Thomas q. 96. art. 2. vbi hanc rationem affert, quam Suarez dicit optimam, quòd scilicet cauere omnia vitia non est omnium, imò neque multorum, sed perfectorum; lex autem ciuilis debet esse accommodata communitati humanæ secundum conditionem naturalem spectatæ. Fortasse ex illis eisdem verbis formari potest noua ratio pro eâ sententiâ: nam lex ciuilis per se ordinatur ad gubernationem communem externam & quietam Reipublicæ; ergo vitia, quæ non sunt nociua communitati neque scandalosa, non possunt per leges ciuiles prohiberi:

8. *Ratio Prima retorquetur in auctorem.*

Ego has rationes, saluo meliori iudicio, censeo non esse efficaces; & quidem primam; nam videtur in ipsâ esse contradictio; dicit enim, legẽ ciuilem debere esse accommodatam communitati secundùm naturalem statum: atqui naturalis status seu naturale ius verat omnia omnino vitia; ergo ex eâ accommodatione potiùs inferendum esset, per legem ciuilem debere prohiberi etiam omnia vitia, quæ prohibentur per legem naturalem, quàm contrarium, scilicet non posse ea omnia prohiberi. Quod item dicitur, vitare omnia vitia esse paucorum & perfectorum, verum quidem est; at inde nihil contra prohibitionem. Primò, quia, sistendo in legibus, ego hoc modo discurram: Seruare omnes omnino leges ciuiles, & nihil planè contra illas facere, paucorum & perfectorum est, non omnium, vt per se constat; & tamen non propterea inferri potest, Ergo illæ leges ciuiles non prohibent verè ea omnia, quæ pauci tamen obseruant: ergo similiter non potest inferri; Pauci vitant omnia peccata, ergo ea non possunt prohiberi per leges ciuiles.

Lex ciuilis etiam prohibet ea quæ pauci seruant.

Ipse Suarez retinet suam secundam partis.

Secunda item ratio minùs vrget, quia (vt ipse P. Suarez tradit inferiùs cap. 13. estque communis doctrina) actus externi etiam secreti, & sine vllo scandalo facti, sunt materia legis ciuilis; ergo ex eo, quòd fornicatio v.g. simplex occulta non sit scandalosa, non rectè probatur, eam non prohiberi per legem ciuilem; ergo argumentum illud secundum nullum est.

9. *Probatur positiuè nostra conclusio.*

Iam verò positiuè ostẽdo posse cadere sub legem ciuilem omnem materiam ex se malam & publicam: quod vltimum addo propter dicenda sectione sequenti: nam lex naturalis omnem eam prohibet; ergo etiam potest eam prohibere lex ciuilis, quia (vt dixi paulò antè) tunc lex ciuilis est maximè iusta, cùm se accommodat legi naturali. Secundò, quia cùm iam supponantur omnia ea vitia per legem naturalem prohibita, non videtur lex ciuilis onus aliquod addere ex eo, quòd illa eadem prohibeat: ergo ex hoc capite non debet ea iudicari difficilis, & consequenter nec repugnans. Tertiò idem probo explicando quamdam æquiuocationem, quæ reperiri videtur in primo argumento pro contrariâ sententiâ: aliud enim est quærere, an possit lex ciuilis prohibere omnia simul vitia; aliud verò, an quodcumque ex illis diuisiuè: hoc autem vltimum nunc in dubium vertitur; primum verò summùm probat ea ratio, quæ desumitur ex omnium vitiorum simul sumptorum fugâ; vnde infert posteà diuisiuè de omnibus. Qui modus inferendi malus est; sed nec de omnibus simul sumptis probare dixi paulò antè. Ad id, quod de simplici fornicatione obiicit Suarez, respondeo eam omnino posse prohiberi per legem ciuilem: & quidem id docuit Aristoteles testimonio superiùs allato, ad probandum, quòd leges vertentur circa omnes materias: ibi enim expressè posuit exemplum in libidine, *libidine non vti:* quod testimonium & P. Suarez approbauit; & cùm idem aliunde dicat, actum quantumuis secretum, si externus sit, prohiberi per legem generalem; manifestè sequitur, per legem generaliter prohibentem libidinem etiam prohiberi occultam & non scandalosam, quia hoc est illi per accidens, cùm per se sit res cadens sub sensum, maximè cùm habet complicem. Difficiliùs fortè ex peccato mollitiei obiici posset; sed tamen eodem modo ex dictis censeo & illud per se prohiberi posse.

10. *Lege ciuili fornicatio prohiberi potest, teste Aristotele, etiã occulta.*

Lex ciuilis nõ omnia vitia externa & publica de facto prohibet.

Nihilominùs DICO SEPTIMÒ: de facto non videntur omnia ea vitia prohiberi per leges ciuiles; quia non scitur de lege ciuili, quæ pollutionem prohibeat, item quæ auaritiam, quæ mendacium iocosum: & fortè aliqua alia inueniri possent non prohibita per leges ciuiles, maximè si recurramus ad peccata contra ordinem supernaturalem; v. g. non audire Sacrum, non confiteri, &c.

11. *Lege ciuili omnes actus externi ex se mali possunt prohiberi, imò & multi ex se boni.*

Hinc concludo circa actus externos, quod ad prohibitionem attinet, omnes omnino ex se malos posse esse materiam legis ciuilis: inter ipsos verò ex se bonos posse etiam sæpè ob causas iustas multos prohiberi. In quo puncto lex ciuilis non facit quidquam contra rationem naturalem; nam esto hæc dicat, illos actus ex se esse bonos, non dicit tamen in omnibus casibus debere eos fieri: potest ergo lex ciuilis in occasionibus multis eos meritò iudicare impeditiuos maioris boni, & ob eam causam prohibere; sicut hoste ciuitatem inuadente meritò prohibentur milites ne se occupent orando, aut alia opera ex se bona faciendo, sed vt occurrant ad defensionem ciuitatis: vno verbo, prohibere potest quidquid non est sub obligatione legis naturalis, & iudicatur hîc & nunc impeditiuum maioris boni in Republicâ; præcipere verò licet possit actus cuiuslibet virtutis ex his quibus maximè indiget Respublicâ, quales sunt quatuor virtutes Cardinales, fortè non potest de omnibus. Nam si virginitas sit virtus distincta ab aliis, iam diximus eam non cadere sub legem ciuilem: & idem erit de actibus liberalitatis, magnificentiæ & similium virtutum; qui maximè videntur requirere, vt fiant cum summâ libertate ab omni obligatione: est autem difficile regulam certam dare determinando in particulari quos possit, quos non; nam ad hæc ponderandæ sunt prudenter circumstantiæ, quæ faciunt vt possit iudicari, an hic, an ille actus sit futurus necessarius pro Reipublicæ externâ, pacificâ ac quietâ gubernatione.

imò quidquid non est sub obligatione legis naturalis.

An virginitas lege ciuili præcipi possit, & aliquando aliarũ virtutum actus.

Hîc solet tractari, quomodo lex humana constituit medium in materiâ virtutum: quod nonnulli ita explicant, vt ad abstinentiam v. g. seruandam licet antè non fuisset necessarium ieiunare die Veneris; at postquam per legem illud ieiunium præscribitur, iam illud sit necessarium, vt quis sit abstinens. Verùm quia de hac quæstione egi præcedenti Tomo, & ostendi, temperantiam seu abstinentiam naturalem non violari per transgressiones præcepti positiui; nam & diuersa

12. *Qui lex humana medium in materia virtutũ fiat, aut, alibi dictum.*

Notetur æquiuocatio.

Digitized by Google

uersa est obligatio virtutis naturalis ab obligatione præcepti positiui,& diuersâ intendunt honestatẽ. Virtus enim prohibens ebrietatem & excessũ hausſus, quãdo stomacho aut capiti vel sanitati nocet, non violatur per hausſũ tẽperantissimum & saniſſimũ; esto ille ob alias rationes sit à lege tam ciuili quàm etiã Canonicâ prohibitus: quia ergo id eo loco fusè ostendi,& hinc inde in toro hoc Tomo aliquoties id tango,non est animus eâ de re quidquam nunc ampliùs dicere.

SECTIO III.

Quid de actibus internis: vbi de externis occultis.

IAm ad actus internos veniamus, vbi eadem viâ dicemus de externis purè occultis.

SVBSECTIO I.

Communis sententia & grauis contra eam obiectio proponitur.

13. *Lex ciuilis per se nequit imperare vel prohibere actus purè internos.*

COnclusio communis sit:Lex ciuilis non potest, per se loquendo, imperare aut prohibere actus purè internos. Probari hæc solet ex aliquibus legibus, quæ id videntur supponere; hæc tamen probatio non est admodum bona:nã cùm agamus, quid lex possit, non debemus id ex ipsâ lege suadere, sed aliunde: est quidem illud argumentum bonum ad probandum, auctorem legis fuisse in eâ opinione,at non propterea fecit illam certam;quia in quæstione speculatiuâ,qualis est hæc reflexa de potestate ipsius Imperatoris, certè eius dictum nõn facit fidem,siue extendat suam potestatem, siue eam limitet. Meliùs ergo potest hæc sentẽtia suaderi ex principiis suprà positis,quòd scil.lex ciuilis proueniat ex potestate, quam communitas dedit Principi in ordine ad administrationem quietam & concordẽ Reipublicæ: at in ordine ad illam nihil penitus ex se conducunt actus purè interni,ac nullo modo prodeuntes in actum externũ:& hinc est quod D.Thom. 2.2.q.105.docet, hominem non subdi alteri secundùm animam, sed secundùm corpus: ergo non habet Imperator ius in actus purè internos: vnde fit, vt, nisi Deus, qui Dominus est animæ & corporis, & vtrumque perdere in gehennam potest,specialiter concedat iurisdictionẽ supra actus internos, non possit vllus homo potus alteri actum internum præcipere.

Optima ratio.

D. Thom. teste homo subditur alteri solùm secundùm corpus.

14. *Grauis obiectio de actu externo, sed occulto.*

Sed ecce grauis difficultas de actu externo,ita tamen occulto, vt à nullo alio homine, excepto ipso operante, cognosci possit; nam hic potest cadere sub legem ciuilem,vt communiter omnes docent; & tamen in ordine ad externam gubernationem Reipublicæ planè idẽ est moraliter ac si fuisset internus:ergo vel ratio facta non est bona, vel duæ hæ sententiæ non cohærent. Cõmunis solutio, quam Suarez deducit cap. 13. à n. 6. distinguit occultum per se, & occultum per accidens.Per se dicuntur occulti actus purè interni, quia ex naturâ suâ non habent quo prodantur. Per accidens occulti dicuntur externi actus, etiamsi in secreto fiant; quia per accidens est quòd nõ fuerit ibi homo,qui eos videret;si enim fuisset, connaturaliter videri potuissent:hac ergo distinctione suppositâ, dicunt, id quod est per se occultum non cadere sub legem ciuilem; secùs

Suarez hic distinguit duplex occultum.

verò,quod est ex naturâ suâ cognoscibile ab homine,esto actu à nullo cognoscatur:quod confirmatur seu declaratur magis:nam iurisdictio hæc ciuilis data est hominibus modo connaturali, & vt connaturaliter exerceri possit; ad hoc autem multum facit, quòd actus illi sint naturâ suâ cognoscibiles:vnde vlteriùs sequitur,quòd si posteà de eo actu constet per quamcumque viam,possit sæcularis potestas punire. Nec in dubium verti potest, quin si quis in occulto vẽdat triticum cariùs quàm sit per legem præscriptum,peccet contra legem, faciátque alteri iniuriam.

Quomodo iurisdictio ciuilis data sit hominibus.

Ego, vt verum fatear, magnam adhuc sentio in hac solutione communi difficultatem. Primò, quia, quidquid sit de eâ occultatione per se, aut per accidens; in ordine tamen ad externam & cõmunem administrationem Reipublicæ,ea actio omnino occulta planè se habet per accidẽs; quia illa, vt sic dicam,est actio hominis solitarij. Explico: communiter omnes dicunt hanc potestatem legislatiuam ciuilem non respicere Petrum vt priuata persona est,ideóq; nec per eam legem præscribi quæ ad ipsum,vt priuatus est,spectant. quod vel inde suadetur,quia cùm lex debeat esse in bonum subditi, non tamen est necessum vt sit in bonum Petri, quà particularis homo est, sed quà membrum communitatis: id quod expressè P. Suarez superiùs obseruauerat:potest enim Petro per legem imponi onus, quod ipsi graue est, communitati tamen vtile; vt in contributionibus & laboribus publicis manifestè cernitur: ergo lex non respicit Petrum quà priuata est persona, sed quà publica, & quasi moraliter vnum quid cum cæteris faciens.Atqui in eâ actione purè occultâ Petrus planè eodem modo se gerit ac si esset, vt dixi, solitarius, & nullo modo membrum communitatis, sed priuata & priuatissima persona:ergo ea actio non cadit sub legem ciuilem.Secundò impugno datam disparitatem,quia reuerà ea distinctio de actu occulto per se & per accidens non videtur esse bona pro intento præsenti: rogo enim, quare actus purè interni sunt nobis occulti per se? certè non aliâ ratione,quàm quòd de illis non habeamus species,per quas eos noscamus,nec habere possimus, nisi ipse operans eos nobis manifestet: atqui in hoc sensu etiam multi actus externi debent omnino dici occulti per se, nisi abutamur vocibus;nam non minùs absente luce non producit species sui color aut motus, quàm eas non producit actus internus. V. g. in tenebris ego palpebras moueo, nicto oculis,certè tunc nullæ sunt species eorum actuum, per quos cognosci valeant; ergo etiam tunc debent dici moraliter occulti.

15. *Cõmunis solutio non satisfacit.*

Lex ciuilis non est in bonũ priuati quà talis.

16. *Impugnatur Suarij disparitas de duplici occulto.*

Dices Primò: Si fuisset lex, potuissent nosci. Contrà, quia in eo sensu etiam purè interni possunt cognosci,si manifestentur ab operante:& tã potest hîc manifestatio esse naturalis, quàm ibi potuit naturaliter esse lux: de facto autem vtraque defuit,& ratione illius defuêre species.Quid ergo, quæso, re prudenter consideratâ, differentiæ est in vno casu præ altero in ordine ad gubernationem politicam externam quam leges respiciunt?

Refellitur Responsio Prima.

Dices Secundò: Per alium saltem sensum potuit ille motus tunc cognosci sine nouis speciebus.Sed contrà Primò,quia esto nullus alius sensus eum motũ potuisset noscere,adhuc ille fuisset actio externa:sicut calori negari nequit ratio accidentis externi, etiamsi solo visu percipi queat; ergo ex ratione accidentis externi non videtur

Refutatur Secunda.

Digitized by Google

sufficienter probari, esse in eo casu per se manifestum. Contrà Secundò, quia licet fortè actu possit cognosci confusè aliquis motus in oculis aut manibus, distinctè tamè & clarè, qualis ille sit, haud dubiè non potest: in ordine autem ad hoc vt sit per se notus tunc, nõ sufficit, quòd proximè potuerit nosci secundùm rationem quasi generi-cam, nisi secundùm specificam noscatur; quia hoc debet maximè nosci in ordine ad leges, quæ non prohibent actionẽ vt sic, prout abstrahit à bonâ, malâ & indifferenti; sed in particulari hanc & sæpè eodem tempore præcipiunt illi contrariam.

17. Quòd verò in eâ illatione continebatur, scil. posse Iudicẽ, si posteà aliunde ei constet de actu, reum punire, facilè à me negabitur; nam in eâ illatione iam supponitur, eum fuisse per legem prohibitum: id quod nunc est in quæstione. Exẽplum autem de vendente rem cariùs in occulto non iuuat hanc sententiam. Primò, quia ille actus iam est actu notus alteri, ei scilicet qui emit; qui potest dicere, *Non nisi tanti voluit mihi id vendere*; cùm tamen non debuisset nisi minori pretio: & licet emptor ignoraret per legem pretium esse determinatum, non ideò contractus fuit occultus propriè; sed potest ille dicere quid sit factum, licet ignoret, an benè, an malè; vnde cæteri statim agnoscent alterius vendentis culpam. Secundò, ea instantia ideò non est bona, quia eo ipso, quod pretium iam sit determinatum à lege, non habet vendens vllum ius in maius pretium: vnde siue in occulto siue in publico accipiat, facit iam contra legem naturalem, perinde ac si illi furatus fuisset palliũ in secreto; per quod non liberatur à culpâ latrocinij, vt per se constat. Aliã tertiam solutionem vide paulò pòst in solutione obiectionis nouæ. At si loquamur de actione, quæ nec sit in præiudicium tertij, nec item vllus tertius sit illius conscius, sed ex se solùm maneat in ipso operante; v.g. prohibeatur, ne quis vtatur poculis aureis ad bibendum, habet autem quis in suo cubiculo poculum, & in illud infundit aquam, ac bibit, si vis, non solùm nemine vidente, sed etiam in tenebris; quare, quæso, dicenda esset talis actio contra legem? Et licet talis lex non existat de facto, exemplorum tamen non requiritur veritas: & facilè possent similes inueniri: vt v.g. si pollutio esset prohibita per legẽ ciuilem, quis, quæso, diceret esse per se publicã eam pollutionem, si talis homo fingens somnum profundum eam haberet? certè respectu hominum, nisi ipsemet fateatur, non potest illi probari se in vigiliâ eam habuisse, non verò dormiendo.

Explũ de vẽdente rẽ cariùs nihil probat.

18. *Clariùs, id ostenditur in actione nulli tertio præiudicante.*

Subsectio II.

Quid sit probabilius in hoc dubio.

19. *Lex ciuilis non cadit super actum externũ occultũ tanquam nocium alteri.*

EGo valdè probabile iudico, legem ciuilem per se non cadere supra eiusmodi actum non nocium alteri, & ita factũ, vt nullo modo probari possit, nisi reus ipse se prodat: id quod ex hucusque dictis satis probatũ est: vnde ad argumentum suprà factum, à similitudine actus interioris occulti, respondeo, illud benè concludere de eiusmodi actu exteriori: ex quo capite magis confirmor in hac sententiâ, quia magis consequenter loquimur ad rationem datam pro actibus internis. Quod sic vltimò declaro & confirmo: Nã in rebus moralibus, qualis est lex & eius obligatio, non tam est attendenda differentiâ aliqua metaphysica quàm moralis & prudẽs: atqui si res moraliter consideretur tam in ordine ad rationẽ cõmunitatis, quàm in ordine ad probationem, nihil magis facit, quòd actus ille potuisset esse notus in aliis circumstantiis, quàm si non potuisset: atqui si in aliis non potuisset esse notus, dictus fuisset per se occultus; ergo etiam hîc & nunc moraliter est dicendus occultus; ergo non cadet sub legem.

Confirmatur hæc sẽtentia.

20. *Cur actus ille non debeat esse nocius.*

Dixi actum illum non debere esse nociũ alteri; quia si quis v.g. contra legem non exportandi aurum ex Regno illud exportet, etiamsi ita secretò, vt planè à nemine notari possit, quia v.g. illud deuorauit, vt posteà habere illud possit per secessum; idem est de gemmis: nihilominùs procul dubio legem transgreditur, quia in ordine ad dãnum, quod sit Reipublicæ, quodque maximè leges vitare intendebant, idem planè est, siue occultè siue publicè aurum illud extrahatur.

Dices Primò, Ergo non potest lex prohibere fornicationẽ secretam; cuius oppositum nos suprà docuimus. P. Suarez concederet consequens; ego tamen vel ex eodem capite suprà obseruaui, haud ita benè cohærere inter se eas duas sententias P. Suarez: nam si Respublica prohibere non potest simplicem fornicationem occultam, eò quòd non sit nociua Reipublicæ, multò minùs poterit prohibere actum illum, de quo nos agimus; quia nec nocet Reipublicæ, & magis est secretus. Igitur absolutè respondeo Primò, etiamsi concederemus sequelam, nullum inde contra nos absurdum illatum iri; quandoquidem ipsi etiam aduersarij consequens illud admittunt. Secundò respondeo negando consequentiam: eteuim ea fornicatio iam est actu clara, quia nota est alteri, scil. complici; nam feminæ est nota viri fornicario, & viro est nota fornicatio feminæ: quòd autem ambo sint complices, parum est ad punctum præsens; non aliter quàm si decem simul occidissent alium, fuisset actio per se hîc & nunc nota. Tertiò adhuc respondeo negando eamdem consequentiam, alio tamen ex capite; nam quanduo do conueniunt, iam faciunt quamdam saltẽ imperfectam communitatem in ordine, ad quam datur iurisdictio in Legislatore, ne scil. proximus proximum lædat, aut malè cum eo se gerat: non enim lex determinat, an cum vno solo, an cum duobus aliis, an cum tribus: ergo cùm illud peccatum necessariò fuerit ad alterum, eo ipso potuit sub iurisdictionem ciuilem cadere. Quæ solutio applicari potest ad instantiam, de quâ suprà, hominis in occulto rem cariori pretio, quàm sit à lege præscriptum, vendentis.

Cur fornicatio lege prohiberi possit, nõ autẽ quoduis aliud externum, sed occultum vitium.

21. *Quid de hæretico solo in cubiculo suã hæresim proferente sentiendum.*

Obiicies Secundò: Ergo si quis hæreticus solus in cubiculo suam hæresim proferat, non erit hæreticus publicus, & consequenter neq; incurret excommunicationem in hæreticos latam; neque peccatum illud erit resematum Inquisitoribus fidei; vtrumq; autem videtur esse absurdum, ergo. Sequela patet, quia Ecclesia non imposuit eas duas pœnas nisi in hæreticum externum: à me autem dictum est, talem actum esse moraliter perinde ac si omnino esset internus & per se occultus, ergo. Respondeo, fortasse à multis concedendam sequelam: & certè non ita facilè potest probari contrarium eius consequentis. Respondeo tamen Secundò negando consequentiam. Disparitas est manifesta; nam nos solùm sumus locuti de legibus ciuilibus, quæ maximè respiciunt cõmunitatem & externam pacem; & solùm supponunt in Legislatore auctoritatem concessam ab ipsamet communitate, quæ non creditur dedisse eam

Digitized by Google

eam in ordine ad talia delicta adeò occulta: at in obiectione agitur de lege Canonicâ, quæ & supponit auctoritatem ab ipso Deo, qui ius habet in actiones etiam interiores purè & per se occultas, si coarctata non fuisset. Præterea lex Canonica non solam externam pacem & cõmunitatem Reipublicæ, sed etiam priuatũ cuiuslibet bonũ spirituale respicit: ex quo capite potest respicere actiones etiã quæ nõ sunt cõmunitati nociuæ, vt P. Suarez & alij fatentur; qui simul docent, rem nullo modo communitati nociuam nõ posse per legẽ ciuilem prohiberi; ergo ex hoc capite, quidquid de ciuili sit, Canonica certè poterit ei externæ hæresi, etiãsi à nullo alio agnosci hîc & nunc valuerit, pœnã excommunicationis & reseruationẽ eius peccati annectere. Quod manifestè ostendo ex ipsis contra quos ago; nam illi dicunt, fornicationem externã occultam; Reipublicæ non nociuam, non posse prohiberi per legem ciuilem; id quod à fortiori debebunt dicere de pollutione; atqui certum est eiusmodi peccata in Religione reseruata esse Superiori; ergo ex reseruatione eius hæresis non infertur, eamdẽ potuisse per legem ciuilem prohiberi. Et hinc etiã cõstat, cur in Religione leges seu regulæ possint esse de eiusmodi actibus externis occultis, quia Religiosus se subdidit per votũ non solùm quoad actiones, quæ concernunt alios, sed multò maximè quoad illas quæ ad proprium bonum spectãt: vnde iurisdictionẽ dedit supra omnes eas quantumuis occultas hîc & nunc, ideóq; prohiberi illæ validè à Superiori possunt, licet per ciuiles, ob rationes hucusque datas, non possint.

32. *Lex Canonica, præter externã pacem Reipublicæ, primariò eius etiã bonum spirituale respicit.*

Regulæ de talibus in Religione esse possunt.

SVBSECTIO III.

An actus interni sint materia saltem indirecta legis humanæ.

23. *Lex ciuilis indirectè præcipit actus internos.*

CONclusio: Lex ciuilis indirectè potest præcipere actus internos; si enim mihi mandat vt soluam vectigal, procul dubio mandat vt habeam voluntatem soluendi, & consequenter etiã prohibet volitionem contrariam efficacem non soluendi. Dixi *efficacem*; nam inefficaces non semper esse malas, licet obiectum, circa quod versantur, malum sit, fusè ostendi præcedenti Tomo agens de delectationibus morosis: in quo puncto nihil amplius occurrit dicendum; nam si erga obiecta naturaliter mala sæpè non sunt malæ tales inefficaces volitiones, multò minùs erunt malæ circa obiecta solùm ex accidentali prohibitione mala; inter has autem non includo illam, quæ diceret, *Facerem hoc, si non timerem pœnam*, quia, vt eo loco docui, talis non excludit malitiam ex parte obiecti; ideóque absolutè mala est.

Quandò volitio inefficax mala sit.

Posset hîc quæri, an non solùm indirectè, sed etiam directè possit lex ciuilis compræcipere actũ internum, hoc modo v. g. Præcipio tibi & solutionem externam vectigalis & volitionem ipsam internam solutionis. Affirmat P. Suarez n. 11. vbi dicit actum illum internum tunc temporis esse compræceptum; quia per se præcipitur actus humanus sensibilis, in quo includitur vt pars ipsa interior volitio, quæ externum constituit per modum formæ in ratione humani, eo modo quo qui præcipit studium, præcipit etiam attentionẽ; sine quâ studium esse non potest; & qui præcipit custodire arcem, præcipit etiam cogitationes de modo, quo ea possit defendi. Ego putarem in rigore non posse dici directè imperari eiusmodi actus internos, nõ solùm solos sed nec associatos. Ratio est, quia si directè in eos non habet potestatem, ideóque præcipere eos solos non potest, ergo non aliter potest eos præcipere, quando præcipit externos, nisi quatenus ad effectionem externorum sunt necessarij: hoc autem est, eos indirectè tantùm præcipere, vt per se patet, ergo. Confirmo: Lex præcipiens solutionem vectigalis, aut taxans pretium, &c. non me aliter obligat ad volitionem internam, nisi quatenus sine eâ tales actiones non possunt fieri. Vnde si per possibile vel impossibile ego sine vllâ interiori volitione soluerem vectigal & pretium iustum pro frumento, laborarem item in extructione murorum, vt lex præscribit, negare nemo posset me omnino satisfeciisse eis legibus, nec teneri ad ponendas similes actiones cum nouo actu interiori libero. Quòd si aliquæ leges sunt, quæ impleri nullatenus possunt, nisi adsint aliqui actus interni, v. g. ea lex studendi, aut defendendi arcem, id est omnino per accidens; & solùm probat indirectè præcipi actum internum, quatenus necessarius est ad externum opus vtiliter faciendum. Et certè, nisi res ad modum loquendi deuoluatur, clara videtur resolutio à me deposita: de quâ infrà fusiùs agentes de lege Canonicâ.

24. *Lex ciuilis directè nequit præcipere actus internos, nec quidã associatos externis.*

SECTIO IV.

An materia legis ciuilis sit actus tam præsens quàm præteritus, quàm futurus.

DE hoc puncto P. Suarez fusè toto cap. 14 Res autem meo iudicio est facillima, ideò eam breuissimè decido. DICO ergo PRIMÒ: Lex prohibens aut præcipiens actum non cadit vllo modo supra iam præteritum, quia obligatio cadit supra rem possibilem; ad præteritum autem non est potentia, vt per se constat, ergo; Declaratur: Vt quis obligetur vel ad omittendum vel ad faciendum, debet id scire quando operatur; ergo obligatio, cuius notitia venit post opus factum, nulla planè est: quo sensu etiamsi lex ipsa antè diu sit lata, si tamen ignorata est inuincibiliter vsque ad opus iam factum, non potuit actualem inducere obligationem, quæ peccatum causaret in transgressione. Hinc infertur, nec puniri illum hominem posse, eò quòd fecerit id quod posteà prohibitum est; quia vbi nulla fuit culpa, nec quidem materialis, aut ex ignorantiâ vllâ, sed actio ex se omnino licita, & vt talis ab operante cognita, non potest esse vlla dignitas pœnæ, quæ essentialiter vt talis supponit aliquo modo culpam.

25. *Lex prohibens aut præcipiens non est de præteritis actibus.*

Nemo puniri potest de actibus prohibendis.

DICO SECVNDÒ: Lex punitiua potest respicere actum præteritum, si ille fuit malus, & ex se merebatur aliquam pœnam; ex quo capite non est dubium, legem posse versari circa actus præteritos, quia supponimus in Legislatore iurisdictionem ad punienda peccata, non solùm quæ sunt contra ipsius leges, sed contra omnes alias pertinentes ad bonam gubernationem Reipublicæ, siue sint leges naturales, siue positiuæ: vnde punire potest furem, homicidam, etiamsi ipse non prohibuerit specialiter ea peccata: ergo etiam ipse poterit punire actus præteritos contra eas leges factos, nisi qui eos admisit inuincibiliter ignorauerit esse prohibitos, ideóque

26. *Qui lex punitiua circa actus præteritos versetur.*

nullam

Digitized by Google

An, & quando excusatus à culpâ excusetur simul à pœnâ.

nullam culpam commiserit; propterea enim dixi, *Si ille actus fuit malus.* nam qui omnino excusatur à culpâ excusatur etiam à pœnâ, nisi ea pœna sit per modum indecentiæ aut irregularitatis: nam talis potest incurri etiam sine vllâ culpâ; vt qui inculpabiliter omnino & casu alterum occidit, incurrit aliquam irregularitatem.

Lex invalidans actum per se non est de præteritis actibus.

Dico Tertiò: Lex irritans actum aliquem quoad valorem suum non potest esse, per se loquendo, erga actus præteritos: patet, quia si iá supponitur ille actus validè factus, non potest reddi invalidus, ex eo præcisè quòd deinceps requirantur aliqua alia pro similibus contractibus. Vnde Cõcilium Tridentinum, licet potuerit irritare matrimonia clandestina in futurum, non tamen potuit quæ iam erant facta irritare. Dixi *per se*; nam si Princeps habeat vim irritandi etiam postquam res facta est validè, vt potest parens vota valida filiorum ante decimum quartum annum emissa irritare, & Superior vota suorum Religiosorum, tunc haud dubiè liberum illi erit actus præteritos validos irritare, non quidem per hoc efficiendo ne fuerint validi, aut ne obligauerint vsque ad illud tempus, sed in futurum eos cassando: vnde in rigore ea lex licet versetur circa præteritam materiam, effectum tamen non habet nisi in futurũ.

Cur Tridentinum matrimonia iam facta irritare nequierit. Qui parentes & superiores vota iuniorum valida irritare possint.

27. *Lex declaratiua versari potest circa præteritos actus.*

Dico Quartò: Lex declaratiua benè potest versari circa actus præteritos; v.g. dicẽdo, Talis actus fuit illicitus contra talem legem, aut irritus ob talem & talem defectum. In hac conclusione nulla potest esse difficultas, quia hoc non est obligare, sed explicare, cuius naturæ fuerit actus præcedens: id quod non solùm Legislator, sed homo doctus præstare potest, dum disputat, quæ sint cõditiones essentialiter requisitæ ad hunc vel illum actum; item, ad quod obliget hoc vel illud præceptum; &, an in eius transgressione fuerit peccatum.

28. *Quando lex declaratiua nullitatis actus præteriti possit talē actum validum reddere, & quando secùs in futurum.*

Dico Quintò: Lex declaratiua nullitatis actus præteriti aliquando potest eiusmodi actum validum reddere in futurum; aliquando verò nõ potest, iuxta qualitatem actus. Pro quo notandum est, aliquando defectum conditionis requisitæ ad contractum talem esse, vt possit illum supplere Legislator solâ suâ voluntate: v.g. quòd quis habeat verum ius Parochi in talem & talem Ecclesiam, aut inuestituram in talem Principatum, pẽdet ab ipsius Principis aut Pontificis solâ voluntate: potest ergo in hoc casu Pontifex simul declarare Petrum v. g. non acquisiuisse verum ius, eò quòd non fuerint seruata quæ requiruntur ad illud ius acquirendum; nihilominùs tamen velle, vt in posterum habeat tale ius, quia id potest Pontifex efficere, etiamsi nihil antèà præcessisset: idem est in inuestiturâ Principatus laici, &c. idem suo modo potest facere priuatus aliquis in donatione; nam si aliquis decepit alterum, fraudulenter ab ipso rem aliquam abstrahendo, sine dubio non fecit illam suam: potest ergo dominus rei posteà, dum fraus detegitur, dicere, *Non potuit tũc ille ius acquirere in eam rem, ego tamen ab hoc puncto eam ipsi liberaliter dono:* per quem actum suppletur defectus iuris in futurum. Aliquando è cõtrario defectus conditionis requisitæ talis est, vt per Legislatorem suppleri nequeat; quia vel ex naturâ rei, vel de iure diuino necessaria erat ea cõditio; ex cuius defectu inualidus fuit ille actus. V.g. vt valida sit consecratio Eucharistica, necessum est de iure diuino, vt qui profert verba sit Sacerdos verus, & habeat intentionem consecrandi, non autem ioco proferat: si ergo deprehenditur,

Primum demonstratur duobus exemplis.

29. *Tria exempla pro secundo membro.*

Petrum non fuisse Sacerdotem, vel ioco protulisse verba, Pontifex declarans eam consecrationem nullam, non potest solâ suâ voluntate supplere illum defectum, & dicere, *Volo vt in post erum consecrata sit hæc materia.* Idem est in matrimonio, si defuit consensus, vel fuit aliud impedimentum essentiale: imò esto illud impedimentum essentiale auferri possit solâ voluntate ipsius Pontificis; si tamen non fuit ablatum ante initum matrimonium; quia cùm hoc non constituatur nisi mutuo consensu valido & ratione impedimenti, consensus ille perinde se habuerit, ac si planè non fuisset, non potest Pontifex posterà tollendo impedimentum ponere ipso facto matrimonium; quia per hoc non ponit consensum ex parte Petri & Mariæ, licet eos sola suâ dispẽsatione reddat capaces, vt possint iam validum habere consensũ. Et idem est in professione religiosâ, si eo scil. tẽpore non habebat quis annos, ante quos ex volũtate Pontificis professio est omnino nulla, non potest Pontifex posteà, tollendo impedimentum illud, reddere hunc ligatum; quia non ligatur nisi per voluntatem suam; quæ tunc nihil valuit, iam autem non repetitur. Ergo professio manet nulla, licet iam Nouitius maneat potens ad validam habendam volitionem seu professionem emittendam.

30. *Quando lex declaratiua præteritæ obligationis aut irritationis certarum actionũ annullet eas in futurum.*

Dico Sextò & Vltimò: Si lex sit declaratiua præteritæ obligationis, aut irritationis talis aut talis actionis ex defectu huius vel illius circumstantiæ, & nihil in eâ lege sit quod denotet in futurum auferri obligationem eius circumstantiæ ponendæ, eo ipso censetur explicata in futurum nullitas similium omnino actionum, aut è contrario valor; quia lex non solet indiuidua tantùm respicere; sed vniuersaliter tangit omnes actiones eiusdem speciei.

SECTIO V.

An lex humana obliget ad materiam vndequaque honestam.

31. *Deus potest obligare ad modum virtutis. Status quæstionis exponitur.*

QVærimus, vtrùm lex humana & ciuilis obliget non solùm ad rem imperatam, sed etiam ad modũ virtuosum eam exequendi. De hac quæstione P. Suarez cap. 29. & Salas disp. 9. sect. 2. Difficultas hæc generalis est ad legem ciuilem, Canonicam & naturalem, solúmque in positiuâ diuinâ non habet locum; nam cùm Deus habeat ius in modum etiam virtutis, potest sine dubio illum imperare; ex quo etiam capite potuit eam potestatem humano Legislatori concedere: at hîc non agimus de eo casu, sed de potestate ordinariâ ciuili & Canonicâ, vt elevatâ ad leges spirituales, nullâ factâ aliâ speciali concessione.

32. *Qui præceptũ negatiuum impleri possit sine omni actu bono.*

Breuiter me ab eâ expedio, Dicóque Primò, Si præceptum sit negatiuum purè, tunc per puram omissionem posse impleri sine vllo actu bono; imò, si quis dormiens vel distractus sit, dici potest illud seruasse: qui enim numquam de motu turpi aut re inhonestâ cogitat, sine dubio nihil facit contra sextum præceptum non fornicandi, nec contra præceptum non comedendi carnes; aut bis de die quidquam faciet, qui totâ die distractus nihil comedit, & verò nec recordatur cibi: vnde improbabiliter planè Medina quæst. 100. art. 9. dixit, eum qui nihil comedit, quia nemo ei dat quidquam ad comedendum,

Aduerte improbabilem Medinæ opinionem.

Digitized by Google

incurrere censuram, si quæ sit imposita in non ieiunantem: quomodo enim dici hic potest comedisse carnes, aut bis de die? quâ ergo probabilitate dicetur incurrisse censuram impositam comedenti carnes? certè, esto dicamus, illum interiùs peccasse, quia habuit animũ comedendi carnes, at exteriùs non peccauit; ergo nec incurrit excõmunicationem quæ requirit exteriorem culpam.

33. *Quando præceptum affirmatiuum requirat actũ positiuum voluntariũ, & quando minùs.*

Dico Secundò: Si præceptum sit affirmatiuũ, aliquando requirit actum positiuum voluntariũ vt impleatur, aliquando non. Hæc secunda pars probatur; nam præceptum affirmatiuum est soluere decimas, restituere rem acceptam. Sed quia fortè in aliquo sensu dici hæc possint negatiua, ideò pono exemplum in præcepto dandi eleëmosynam, iuuandi proximum, &c. his enim sufficienter fit satis, etiamsi quis planè distractus soluat decimas, & restituat rem acceptam, det eleëmosynam iuuétq; proximum. Quòd verò aliquãdo non satisfiat præcepto nisi per actum interiorem liberum, vt dixi in alterâ parte conclusionis, patet in oratione, auditione Sacri, &c. nisi enim quis humano modo oret & audiat Sacrum, non satisfacit, etiamsi in somnis oret, aut materialiter sit in templo scribens, garriens, aliúdve faciens dum legitur Sacrum. Ratio est, quia in his actionibus indirectè præcipitur, iuxta communem sententiam, actus interior humanus, qui eam actionẽ reddat in ratione orationis, cultus Dei, &c. sed de hoc fusiùs infrà. Vbi aduerto, non esse necessariam libertatem formalem ad hanc adimpletionem; nam si quis prædeterminatus, cum verâ tamen attentione & deuotione, oraret & Sacrum audiret, non ideò minùs attentè id faceret, & perfectè satisfaceret præcepto, esto non meritoriè.

Aliquando lex positiua requirit actũ internum.

34. *Præceptum humanũ impletur actu etiam aliquo ex capite vitioso.*

Dico Tertiò: Præceptum humanum sufficienter impletur, licet ex aliquo capite actus sit vitiosus. V. g. præceptum audiendi Sacrum, etiamsi ego id faciam ob vanitatem, dum tamen simul velim satisfacere præcepto, & habeam attentionẽ requisitam, sufficientissimè adimpleo: idem est à fortiori in legibus ciuilibus, quæ cùm minùs ordinentur ad interiorem animæ perfectionem, præcipuè verò ad exteriorem Reipũblicæ pacem considerentur, faciliùs potest eis per opus externum, etiamsi admisceatur aliqua mala intentio, satisfieri.

35. *Lex humana nequit præcipere opus vndequaque perfectum.*

Dico Quartò: Probabilius est, legem humanam ne quidem posse præcipere opus vndequaq; perfectum; nam actus purè internos non potest præcipere, vt suprà diximus, ergo neque opus vndequaque perfectum: patet, quia, vt opus sit tale, debet carere omni malâ intentione, etiam illâ, quæ est ex naturâ suâ disparata cum opere; prohibere autem volitionem omnino disparatam cũ opere externo, procul dubio est opus purè internũ; quia ea intentio purè interiùs consummatur, & nihil habet, quo se foris manifestet.

Soluitur obiectio.

Dices: Tunc tẽporis solùm præciperetur actus exterior vt ab interiori manans. Sed contrà, quia ideò in argumento vsus sum eâ intentione, quæ est accidentalis operi externo; quia ab illâ non procedit propriè, licet interiùs reflexè imperet actum illum à quo procedit, v. g. voluntas, à quâ procedit per se auditio Sacri, aut elargitio eleëmosynæ, potest esse volitio audiendi attentè Sacrum, aut subleuandi miseriam pauperis: quòd verò ea omnia rursus ille ordinet ad vanitatem, hoc purè putè intrinsecum est, nec per se ab eâ intentione vanitatis procedit actio exterior; neq; hæc vt exteriùs decentissimè facta petit carentiam illius vanitatis; ergo hæc intentio non potest prohiberi ratione operis externi; ergo directè est prohibenda: atqui hoc non potest lex humana, ergo.

36. *An, & quando vi coactus audire Sacrũ satisfaciat præcepto.*

Obijcies Primò: Si quis violenter detineatur in templo, vt audiat Sacrum, non satisfacit præcepto; ergo signum est fuisse imperatum etiam ipsum actum internũ; ergo potest præcipi auditio, vt sit vndequaq; bona. Respondeo, iuxta paulò ante dicta, in aliquibus præceptis affirmatiuis etiã præcipi aliquos actus interiores, vt in oratione, auditione Sacri; de quibus tamen infrà; inde tamẽ nego consequẽtiam secundam; quia tunc ex alijs capitibus, quę prohibere non potest lex humana, reddi potest illa auditio mala. Respondeo Secundò, ad seruandam absolutè & simpliciter aliquã legem, requiri, ne homo interiùs habeat animum eam non seruandi, si posset id vllo modo subterfugere; tunc enim peccat homo interiùs contra illam eamdem legem: obligatur enim per illam ad non habendam volitionem ex se efficacem transgressionis, quæ præcisè impediatur, ne in trãsgressionem prodeat vi aliquâ externâ. At si quis voluntariè legem aliquam impleat, & cum omnibus circumstantijs ab eâ lege præscriptis, etiamsi tunc peccet contra aliam legem naturalem, apponendo malum finem vanæ gloriæ v. g. priorem tamen legem perfectè adimplet tam coram Deo quàm coram hominibus; ita vt vi eius legis nihil penitus Deus illi possit obijcere, etiamsi ratione alterius tunc violatæ punire illum possit: quòd si (vt ego probabilius, iudico) dentur actus indifferentes in indiuiduo, certè, si ille pro obiecto vltimo formali apposuisset rem ex se indifferentem, nec peccasset contra legem illam primam, iuxta dicta, nec contra vllam aliam, quia in eo fine indifferenti nulla est malitia; & tamen actus vndequaque non fuisset bonus, ergo.

Vi detentus in Sacro non debet habere voluntatem non audiẽdi.

Si nolit in Sacro manere ob finem indifferentem, nec legem Sacri, nec aliã violat.

37. *An possit actus lege humanâ præcipi, ne fiat malo fine.*

Obijcies Secundò: Potest præcipi, ne hoc vel illud fiat ex malo animo, v. g. ex odio, aut, ne dentur alteri dona, vt per ea quasi emat dignitates, &c. ergo potest præcipi actus vndequaque bonus. In primis nego id præcipi per leges positiuas, sed per naturales; licet positiuæ annectant talibus præceptis pœnas aliquas. Secundò responderi posset cum Patre Suario, in præceptis negatiuis posse faciliùs intelligi quòd prohibeatur malus finis, quàm quòd positiuè apponatur bonus. Ego verò non benè capio hanc solutionem; maximè in sententiâ eiusdem Patris, qui negat actus indifferentes in indiuiduo; nam si lex prohibet omnem malum finem, eo ipso virtualiter obligat ad bonum, quia non datur medium, ergo ad actum simpliciter bonum; hoc autem est contra ipsum. Melius ergo Secundò respondetur, in similibus casibus nõ prohiberi legẽ ciuili actum internum, nisi quatenus aliquo modo exteriùs se prodit: etenim, quòd quis Iudicem muneribus corrumpat, quòd pecuniâ emat dignitates, ex ipsis circumstantijs, in quibus pecunia datur, solet manifestè prodi; ideò actum illum internum vt coniunctum cum externo prohibet: ad quod (vt diximus) ius habet humanus Legislator, de quo fusiùs infrà.

Solutio Suarij displicet.

Quã lex ciuilis prohibeat actum internum.

SECTIO

Sectio VI.

An sit materia legis humanæ ea, cui est graue periculum annexum.

38. *Sensus quæstionis. Almainus & Siluester negant.* Quærimus, an leges humanæ obligent ad sui obseruationem cum periculo vitæ aut alio valdè graui. Negant Almainus in Moralibus Tractatu 1. cap. 3. & propendet Siluester verbo *Metus*. q. 7. Fundamentum est, quia lex humana nō potest obligare ad opera valdè difficilia, & quæ sunt ex supererogatione. Confirmant, quia conseruare vitam est de lege naturæ; ergo lex ciuilis non potest in contrarium quidquam præcipere. Addo ego hanc rationem efficacem à priori: Tota iurisdictio, quā habet humanus Legislator ciuilis, prouenit ex ipsâ communitate, quæ illum elegit (vt sæpè diximus:) atqui non potest probabiliter dici, quòd communitas dederit alteri in se iurisdictionem, vt obligetur cum periculo vitæ: ergo non poterit obligari. Extremè opposita sententia docet, legē humanam obligare sub quocumque periculo; nam quod est contra legem humanam est malū, sed malum non debet admitti ob vllum periculum vitæ, ergo. Pro hac sententiâ referuntur Caietanus 1. 2. q. 96. art. 4. & 2. 2. q. 125. art. 3. Adrianus in 4. q. 3. de Clauibus, Henricus Tractatu de Synod. Epis. post tertiam partem art. 1. Secundò hæc sententia probatur, quia bonum cōmune est præferendum priuato; sed lex est bonum commune, periculum autem illud imminēs est malum priuatum, ergo debet lex impleri etiam in eo magno periculo. Alios auctores pro hac sententiâ citat Salas disp. 11. sect. 1.

Fundamenta illorum.

Ratio à priori.

Caietanus, Adrianus & Henricus affirmant.

39. Ego (vt verum fatear) non possum mihi persuadere, hos auctores voluisse id intelligere, quod verba absolutè probata sonant: quomodo enim Caietanus aut alius dicet, hominē grauissimè infirmum teneri etiam cum manifesto vitę periculo ire ad templum vt audiat Sacrum, aut debere ieiunare etiā in grauissimo morbo, cùm Caietanus & omnes omnino Theologi, Sūmistæ, Iuristæ, &c. in similibus casibus dicant non obligari hominem ad seruandas eas leges? Idem est, si lex alioqui ciuilis obliget, vt tales & tales eant ad bellum: non enim grauiter infirmus obligatur. Caietanus quidem eo loco 1. 2. satis durè loquitur, vt etiam contrariam sententiam vocet errorem: at tam ibi quàm 2. 2. eâ quæst. 125. non loquitur in omni casu, sed expressè addit, *Quandoq;*. Fateor eum ponere aliquos actus in quibus vera non est eius sententia, vt statim videbimus; at vniuersaliter in omnibus, vt paulò antè dixi, certò certiùs non potuit loqui, maximè cùm eo loco 2. 2. ponat casum, inquo quis non obligatur; quando v. g. quis citatus nō potest tutè accedere; dicit enim illum non teneri: quia si tutènō potest, idem est ac non posse accedere: id quod ego dicam de omnibus alijs casibus; & verò in in hoc valdè deseruit consequentiam. Sed quidquid de horum mente sit.

Caietani mens explicatur.

40. *Lex humana non etiam cū periculo vitæ obligat.* Dicendum est, in multis casibus legem humanam obligare etiam cum periculo vitæ. Hæc videtur esse communis; neq; eā puto negari ab auctoribus primæ sententiæ. Vide Salas suprà num. 3. nemo enim negat, milites etiā cum euidenti vitæ periculo teneri pugnare: id quod maximè locum habet in vigilibus, tum in hyeme, ob vehemens frigus; tum quia facilè in manus hostium incidunt. Idem est tempore pestis: possunt enim aliqui obligati ad curandos infirmos; etiamsi eo ipso exponantur manifesto periculo vitæ. Pater Suarez num. 5. opinatur hanc conclusionem maximè locum habere, quando periculum per se est coniunctum operi præcepto; nā tunc periculum illud non est contrarium rei præceptæ, sed veluti de substantiâ actus moraliter consideratæ: neq; potest censeri præter scientiam & intentionem Legislatoris, sed potius eo ipso quòd præcipitur talis actus, censetur præcipi non obstante tali periculo. Ego, vt verum fatear, licet hanc limitationem optimam censeam ad dignoscendum, quādo lex ciuilis obliget sub tanto periculo; vt tamen per eam conclusio nostra reddatur probabilior aut clarior, vllóve modo probetur, nullatenus iudico esse vtilem, quia aduersa pars fortè diceret, tunc minimè obligare eas leges: quia quò magis annexum est periculū ei materiæ, eò redditur hæc difficilior, & consequenter eò minùs tenebitur subditus obedire; & Legislator non habebit iurisdictionem, vt talem præcipiat: si verò periculum nō sit ita annexum, reddet opus minùs periculosum, & faciliùs imperabitur. Ergo cōclusio debet aliter probari independēter ab eā limitatione; videtur autem sufficienter inde confirmari, quia ratio naturalis ex se dictat necessariam esse eam iurisdictionem in Republicâ mandandi in multis casibus, quando vtilitas magna est, & vergit in bonum totius communitatis, imò ipsius, qui se exponit periculo. Explico hoc in exemplis allatis de bello, peste, &c. Certè si nemo posset obligari ad pugnandum, ad vigilias agendas, &c. & Respublica tota periret, & etiam illi eidem, qui iam obligatur, fortasse certiùs immineret mors ab hoste occupante ciuitatem vi, quàm eam timeat ex pugnâ ipsâ: deinde, ipse se exponēs periculo, defendit per hoc suos cōsanguineos, patrem, matrem, bona quæ habet; facitq; id cum laude apud homines & apud Deum: si autem liberè se diripi à tyranno permitteret, ea omnia periclitarentur. Idem discursus applicari potest his qui se exponunt ad curandos pestiferos: nam si pestis permittatur grassari, destruet totā ciuitatem, & omnia etiam mobilia inficiet: debet ergo esse in Republicâ ius ad cogendum cum simili periculo; cùm autem ex naturâ rei non magis hic quàm ille obligetur, debet id decidi per aliquem habentem iurisdictionem, & qui hunc præ altero designet; ne cuilibet sit liberū, refundendo totum onus in alterū nihil efficere.

Probatio Suarij hic data non placet.

41. *Melior datur ab auctore.*

Exaggeratur ea fusiùs.

Ex naturâ rei nullius obligatur ad hoc casum.

Hinc facilè respondebitur ad rationes in oppositum allatas pro primâ sententiâ. Ad primā iam est ostensum, posse sæpè, quando vtilitas maxima est, Rempublicam obligare ad opus difficile. Quod verò ibi dicitur de supererogatione non est ad rem; nam si velint hi auctores opus ante legem positiuam iam esse sub obligatione, apertè falsum dicunt, quia tunc omnē legem ciuilem tollerent, & solùm admitterent naturales aut diuinas: si verò dicant, post legem impositā opus illud non debere manere in ratione operis ex supererogatione, libētissimè admittimus; & ad præsentem difficultatē dicimus, eo ipso quòd mandetur illud opus difficile, iam non esse supererogationis, sed obligationis.

42. *Satisfit rationibus primæ sententiæ.*

Ad confirmationem, quòd conseruare vitam sit de iure naturæ, dicimus, duplicem ibi esse posse sensum: vnum, quòd se mactare directè sit prohibitum iure naturæ; & ita fatemur; nullam legem ciuilem mandare id posse: alterum verò

43. *Qui conseruare vitam sit de iure naturæ.*

Digitized by Google

sensum, quòd etiam iure naturæ obligetur ad se non exponendum periculo alicui vitæ ob vllam causam: & in hoc sensu apertè falsa est propositio: etenim hi auctores non negant, licitum esse homini, si velit ipse, voluntariè se exponere ob grauem causam eiusmodi periculis: si ergo licitũ id est, ergo non est prohibitũ iure naturæ: quòd si non prohibitum, ergo Respublica poterit habere iustas causas, ob quas obliget ad id quod ius naturale permittit: in quo puncto non magis facit lex ciuilis contra ius naturale quàm prohibendo aut imperando alias actiones faciles, quas ius naturale permittit. Ratio à priori desumpta ex radice, vnde venit iurisdictio, videtur esse difficilior; ei tamen respondeo, eo ipso quòd se subiecerunt homines voluntariè alicui, dedisse illi iurisdictionem omnem necessariam ad iustã administrationem Reipublicæ; qualis est, de quâ hîc agimus; quia iustissimam esse talem legem & necessariam, paulò antè probatum est.

Occurritur rationi à priori.

44. Dixi in communi contra primam sententiam, in Republicâ esse eam vim obligandi in aliquibus casibus; nunc contra secundam sententiam dico, cessante graui necessitate, seu vtilitate magnâ, non esse in Republicâ potestatem ad obligandum cum periculo vitæ aut alterius grauis damni. Hæc est communis; & videtur satis probari argumentis primæ sententiæ; quæ saltem ostendunt, cessante eâ vtilitate & necessitate, cõmunitatem non dedisse iurisdictionem supra se ad ea onera adeò grauia: & verò iniusta procul dubio esset talis lex, quæ ad rem leuem cum tãto dispendio vellet hominem obligare. Neq; ab hac conclusione sic indefinitè positâ vllus re ipsâ dissentit; vt ex præceptis etiam Canonicis, ieiunandi, audiendi Sacrum, manifestè constat: & in ipsis diuinis idem cernitur. Nam licet habeat Deus iurisdictionem ad obligandum etiam cum mortis periculo, quia est Dominus vitæ & necis; non tamen voluit in suis legibus cum eo periculo indiscriminatim obligare; vt in multis & antiquis patet. Machabæi enim pugnarũt die Sabbati; in quo erat prohibitus omnis labor: Dauid. 1. Regum 21. comedit sine vllo peccato panes propositionis ob extremam necessitatem; idem etiam vlteriùs in lege Euangelicâ ostendi potest; nam licet de iure diuino sit integritas confessionis, tamen ob periculum mortis potest quis aliqua peccata reticere.

Seu humana quibus in casibus cum periculo vitæ obligare nequeat.

45. *Cur Deus vita periculo obligare possit; & quando sic non obligarit.*

Sectio. VII.

Respondetur obiectionibus in contrarium.

46. Facilè nunc ad argumenta Caietani, quatenus vniuersaliter hanc conclusionem negare videtur, responderi potest. Dixi, *videtur vniuersaliter negare*, quia re ipsâ nõ negat, vt obseruaui supra. Posset autem in contrarium Primò obijci lex Carthusianorum de non comedendis carnibus; quæ obligat etiam cum vitæ periculo. Verùm de Carthusianis aliquid suprà dictum est ex Patre Vasquez: Salas item disp. 11. sect. 2. doctè ostendit, ideò eam legem posse obligare, quia rarò ex carnibus pendet salus infirmi; quòd si contingit omnino pendere, tunc eo ipso non obligandos. Hoc ergo omisso, ad primum dicimus, in eo esse æquiuocationẽ: supponit enim, quòd non obstante graui periculo, adhuc obliget lex; & inde infert nos ad eius obligationem teneri; negamus autem tunc obligare, ideóque dicimus, non esse malum eam non seruare. Secundum argumentum minùs vrget, quia malè supponit esse bonum commune; quod aliquis tunc seruet legem cum eo periculo; imò oppositum manifestè verum est: quæ enim vtilitas, vt ieiunaret quis eâ solâ ratione, vt fiat quod Legislator mandauit, & statim moriatur ob illud ieiunium? certè inde oriri potiùs grauissima damna toti communitati possent quàm commoda.

An lex prohibens esum carnium Carthusianes eã vitæ periculo obliget.

Occurritur obiectionibus Caietani.

Replicabis Primò, Ergo licebit, ob mortis periculum comedere carnes die Veneris, etiamsi ob contemptum religionis quis ad id cogatur ab hæretico aut gentili. Nego consequentiam; & ex hoc eodem exemplo probo meam sententiã; quia saltem licet eas comedere, si grauiter sit infirmus: ergo vniuersaliter non obligat lex cum eo periculo. Ad casum ergo præsentẽ dico, ideò tunc non licere, quia fieret per hoc homo contemptor legis diuinæ: id quod ex naturâ suâ malum est: cessante verò illo graui malo excusat periculum ab obseruatione. Vbi aduerto, quæstionem esse putè putè de nomine, an tunc dicẽda sit ea obligatio naturalis à naturali præcepto non annuendi vllo modo exteriùs falsæ religioni, an verò humana à præcepto humano, cui actu obeditur, prouenions. Iudico quoad hoc eãdem planè esse difficultatem, ac de obligatione obediendi alijs legibus humanis extra casum hunc: etenim quòd legi latę tenear obedire, prouenit (vt dixi sępè) ex illâ obligatione naturali; *Obediendum est Superiori legitimè mandanti*: eodem modo in præsenti, quòd in occasione contemptus fidei tenear obedire legi humanæ, prouenit ex altero principio naturali, *Non est annuendum iniquæ religioni*: ergo sicut in primo casu peccatur contra legem humanam, ita etiam in altero.

47. *Cur ob contemptum religionis, etiã cum vitæ periculo iniunctum, non licitum sit esu carnium die Veneris, alias verò sit.*

Cur lapsi lata tenear obedire.

Dices: Quando non est contemptus religionis, non est nisi vnum peccatum contra legem ciuilem; in casu verò, quem tractamus, est etiam peccatum contra religionem; ergo est diuersitas in vno & in altero. Respondeo, toram eam diuersitatem esse per accidens quoad punctum præsens; quia non prouenit ex eo, quòd fiat aut non fiat contra legem humanã, sed ex eo, quòd in vno casu sint duæ obligationes ex duabus legibus naturalibus mediatè manantes; in altero verò vna: vtraq; autem immediatè & proximè venit ab ipsâ lege positiuâ, cui obedio: in casu enim contemptus est lex naturalis, quæ dicit, *Obediendum est Superiori iusta præcipienti*: est itẽ alia quæ dicit, *Non est exterius consentiendum falsæ doctrinæ in materiâ religionis*: extra casum verò contemptus solùm est primum præceptũ naturale, *Obediendum est Superiori legitimè mandanti*: ex hoc autem capite dici non potest esse in vno casu obligatio naturalis, & nõ in altero; nam etiam ea obligatio non conniuendi prouenit hîc & nunc proximè à lege humanâ; nam si hæc non prohibuisset eam actionem, eo ipso eã facere, non fuisset conniuere: altera etiam obligatio procedit à naturali iure obediendi in licitis & honestis humano Superiori.

48. *Obiiatur replica.*

Obijcies Secundò: Ergo licebit propter periculũ graue celebrare Sacrũ sine vestibus sacris, corporalibus, reliquisq; ex iure humano necessarijs: item propter grauem metum poterit quis cũ excommunicato publicè denuntiato agere; item contrahere matrimonium cum consobrinâ sine dispensatione: omnia autem hæc sunt absurda.

49. *An celebratio Sacri sine apparatu sacro vestium, &c. possit ob periculum graue esse licita.*

Respondeo

Digitized by Google

Respondeo ad primum exemplum, Si daretur aliquis casus, in quo esset reuerà talis celebratio vtilis ad fugiendum graue malum, & non esset id in contemptum, vel cum scandalo aliorum, posse sine dubio id licitè fieri; communiter tamè non posse, quia, nisi vrgente tyranno aut hæretico in contemptũ, vix potest ille casus contingere.

An ob idè possit cũ excõmunicato agi.

Ad secundum exemplum de communicatione cum excommunicato respondetur, secluso scandalo & contemptu iurisdictionis, licitè posse ob graue imminens periculum cum eo ciuiliter communicari.

§ 50. *Cap. Sacris, de ijs quæ vi, variæ explicationes; sed reiecta.*

Replicabis, in cap. *Sacris*, de ijs quæ vi, prohiberi communicationem eam. Respondent nonnulli agere ibi Pontificem de metu leui. Verùm id videtur esse contra textum, quia statim reddẽdo rationem dicit, *Cum nullo metu faciendum sit quod est peccatum mortale.* Respondent Secundò alij sermonem esse de communicatione in crimine criminoso. Sed neque hæc solutio stat, quia Pontifex ibi supponit, posse quem ad eam communicationem vi induci; quo casu asserit non peccare: atqui ad communicandum in crimine criminoso nemo potest ab vllo homine cogi: ergo non est ibi sermo de eâ communicatione. Tertiò respondent alij, sermonem esse de cõmunicatione, quæ cedat in contemptum clauium. Ita Salas disp. 11. sect. 1. num. 14. Hæc explicatio, etsi probabilior, meo tamen iudicio non subsistit: nam cùm ibi Pontifex opponat coactionem metui respectu eiusdem communionis, dicátque excusari illam, quæ vi, non verò quæ metu fit, profectò supponit, etiam per coactionem seu vim fieri posse eam communicationem: atqui repugnat vt per vim actio fiat à me in contemptum; nam si vi introditur mihi cibus prohibitus in os, & cogor illum deglutire, procul dubio non fiet à me in contemptum non solùm formaliter, vt sic dicam, sed nec materialiter. Quartò respondent alij, Pontificem solùm dixisse, non semper metum excusare; non tamen ideò negasse, excusare aliquando: sed nec hæc expositio satisfacit, quia cùm addat statim, *Nullo metu faciendum sit*, &c. procul dubio vniuersalem negatiuam propositionem statuit. Respondeo, fortè in primâ parte textus Pontificem loqui de metu leui non cadente in constantem virum, & cõsequenter relinquẽte illam communicationẽ in ratione malæ & peccaminosæ; in secundâ verò parte rationẽ reddere vniuersalem; ac si sic discurrisset: *Si actio semel maneat in ratione malæ, nullo metu debet homo induci vt illam efficiat; sed metus ille, in quem hic homo fuit inductus, quia leuis erat, non extraxit eam actionem à ratione malæ; ergo non debuit illo induci ad talem rem:* & in hoc sensu sustineri potest prima solutio; potest item responderi, ibi fuisse sermonem de communicatione scandalosâ: id quod sit satis probabile, quia propterea ille fuit accusatus publicè apud Pontificem: iam autem antè diximus, si subsit scandalum, non licere ob metum vllum legem violare.

Salas explicatio melior, sed insufficiens.

Explicatio auctorum.

§ 51.

Dices: Illud scandalum non esset à me intentum, ergo esset passiuum; quia ego cum tanto periculo non teneor illud vitare. Respondeo, scandalum eo casu esse tale, vt quodammodò cæteri putent id à me fieri in contemptum (esto id non ita sit:) tale autem sine dubio teneor etiam cum vitæ periculo vitare.

Quod scandalum cum periculo vitæ teneor vitare.

§ 52. *An ob periculũ vitæ tenear cum cõsobrinâ.*

Ad tertium exemplum de matrimonio cum consobrinâ respondetur, posse illum hominem simulare se contrahere matrimonium, etiamsi non habeat animum contrahendi; nam ad vitandum periculũ id solùm sufficit. Ex quo capite optimè assignatur disparitas inter leges obligantes & irritantes; cur scil. illæ cessent graui periculo vrgẽte, hæ verò non: nam ad vitandum illud periculum, necessum est vt homo eas nõ obseruet tunc: eo autem ipso cessat obligatio: at etiamsi irritatio non cesset, potest quis periculum fugere actionẽ exteriùs faciendo, etiamsi posteà periculo superato declaretur ea actio nulla; vt in legibus naturalibus contingit: si enim graui metu cogatur quis ad vendendam rem, quâ nullo modo vellet vendere, potest simulare contractum, & posteà recedente metu, probando præcedentem metum cadentem in constantem virum, rescindere externã eam formam contractus, & repetere rem coram Iudice.

sobrinâ matrimoniũ cõtrahere. Cur leges obligãtes cessẽt ingruẽte graui periculo, irritantes verò non.

Replicabis: Ergo ille poterit tunc accedere ad consobrinam. Nego consequentiam, quia cùm ea non sit vera vxor, non potest ratione præcepti naturalis accedere. Metus enim non liberat ab obligatione legis naturalis in his rebus, quæ sunt intrinsecè malæ.

Talis nõ posset accedere cõsobrinam.

Replicabis Secundò: Ergo non est sufficienter prouisum illi homini ad vitandum periculum, per hoc quod exteriùs simulet matrimonium: nã si eodem modo ad consummandum illud cogatur, quo ad contrahendum, iam non poterit euadere per simulationem: ergo vel tenebitur tunc illud discrimen subire; & consequenter potuisset id ipsum subire initio in puncto contrahendi; vel certè poterit consummare. Respondeo, periculũ illud esse moraliter impossibile; nam homines, licet soleant vim inferre ad contrahendum matrimonium, ad copulam verò non solent eo contracto: maximè enim collimant ad vinculum illud insolubile imponendum, de cætero non sunt soliciti: sed quia possibile est vt maritus, qui feminam ad matrimonium vi coëgit, etiam posteà cogat ad illius consummationem, dicendum est, nõ esse inconueniens, si alicui periculo prouenienti posteà ex lege naturali immediatè & propriè nõ sit prouisum per legis positiuæ cessationẽ quoad obligationem, vt propterea debeamus dicere illã cessare quoad omnes alios effectus. Id quod independenter planè ab hac difficultate ostendo; nã quòd ego non habeã vim validè adiudicandi Antonio agrum Petri per iudicialem sententiam v.g. prouenit saltem negatiuè ex humanâ voluntate quia scilicet me Iudicem non constituit, vel constitutum priùs iam deposuit; & tamen non propterea, si quis mihi mortem minetur, nisi adiudicẽ Ant onio eam causam, possum id facere ob vitandum periculũ; iam enim proximè & immediatè iure naturæ prohibeor id facere, esto remotè id proueniat à iure positiuo non dante mihi iurisdictionem.

§ 53.

Satisfit alteri replicæ.

Replicabis tamen adhuc, hæc quidem esse optima exempla pro eâ solutione, non verò assignari sufficientem disparitatem, cur obliget vna lex potiùs quàm altera: in vtroque enim casu incurritur certissimum periculum vitæ. P. Suarez tangit hanc obiectionem, eique respondet infrà lib. 5. cap. 22. num. 11. agens de lege irritante, ideò irritantem obligare, quia per illam ponitur inhabilitas in contrahente, neque est in potestate ipsius eam auferre; ipsâ verò manente legem naturalem obligare, ne fiat ille actus ipsi legi naturali contrarius: nam contra legem naturalem non habet vim vllam metus. Hæc solutio nullo modo satisfacit difficultati; nam id

§ 54.

Suarez ponit aliã disparitatẽ inter legẽ irritantẽ & obligantẽ, sed non satisfacit.

Digitized by Google

quod in dubium vertitur in præsenti, assumitur vt omnino certum, scilicet, non esse in potestate hominis, vt auferatur per metum ea inhabilitas: etenim sicut obligatio faciendi rem impositam per legem aufertur ratione periculi, nec, per se loquendo, potest Legislator validè eam retinere; eodem planè modo videtur etiam ratione periculi tollenda secunda inhabilitas, quia posita est etiam per legem ciuilem: sicut autem non ablatâ inhabilitate obligat lex naturalis, ita manente legis positiuæ obligatione seu valore obligat lex naturalis: ergo est eadem omnino ratio de vtraq; lege ob periculum vitandum. Addi potest ex eodem Patre Suatio alia responsio, quòd scilicet lex irritans respiciat commune bonum, ideóque non curet priuatum malum illius, cui vis infertur. Ita num. 12. circa finem.

55. *Reijcitur Secunda eiusdē responsio.*

Verùm hæc eadem ratio vrgetur in lege obligante; etenim hæc etiam respicit commune bonum, vnde non deberet attendere ad particulare detrimentum. Negare non possum, quin hæc sit grauissima obiectio, quæ tamen parum videtur considerata ab auctoribus; augetur autem inde non parum, quia si materiâ ipsam consideremus, fortè sæpè longè maioris momenti erit ea, quam omittimus licitè ob metum, quàm quæ irritatur non obstante metu. Si enim ego ob metum grauem non celebro Sacrum die festo, omitto rem vnam magni momenti; at si ob metum fieret validus aliquis contractus sine solemnitatibus à iure requisitis, nullum graue damnum fieret etiam materialiter: cur ergo hoc, non verò illud licebit?

Responsio auctorū præsenti materiæ applicatur.

Respondeo tamen hanc posse assignari disparitatem; nam si leges irritantes cessarent ob metū, id esset in graue Reipublicæ damnum; si tamen cesset lex purè obligans, nullum sequitur vllius momenti. Probo ergo primam partem in eo ipso casu matrimonij, & inde vniuersaliter; nam cùm illud matrimonium sit res naturâ suâ perpetua, grauissimum esset malum permittere nequitiæ alterius incutientis metum, vt illud onus perpetuum induceretur validè contra legem solùm ob metum illum transeuntem; ob quam causam etiam ea, quæ alioquin naturâ suâ sunt licita & valida, redduntur inualida in odium metus illius: nam qui alioquin validè poterat cum Mariâ v.g. contrahere, quia nullum impedimentum ex parte vtriusque intercedebat; si tamen metu cadente in constantem virum cogatur contrahere, non contrahit validè: si ergo in odium infligentis metum, ea, quæ valida fuissent, fiunt nulla, quantò magis, quæ ex se inualida erant, manebunt inualida? imò duobus titulis erūt inualida: idem cum proportione est in alijs contractibus. Ratio verò

56. *Ratio à priori pro casu illo matrimoniali.*

à priori vlterior hæc potest esse; nam in cessatione legis irritantis semper ille, qui metu inducit ad eam actionem, habet pro intento lucrum magnum inde sequens; & posset sic ratiocinari: *Si semel obligem alterum, etiam iniustè, actio erit in perpetuum valida; & sine vllâ restitutionis vel retrocessionis obligatione, eam licitè deinde retinebo:* hoc autem vehementer potest homines ad eiusmodi vim inferendam impellere; & consequenter grauissima secum incommoda ferret. Iam verò in lege purè obligante nullum esse inconueniens, probo facilè: nam ex eo quòd ego non efficiam, tunc actionem præceptam, nihil stabile sequitur in futurum, nec damnum vllum irreparabile: nec item ipse infligens metum lucrū habet alicuius momenti; vel certè in alterius præiudiciū non cedet. Denique, neque ideò erit illi licitum in posterum aliquid contra leges ciuiles; semper enim de nouo, si aliquid voluerit tentare contra illas, peccabit, nec secum poterit facere illum discursum periculosum, de quo paulò antè: ex hac ergo notabili differentiâ meritò inferimus, leges humanas irritantes non debere ob metum cessare, secùs purè obligantes. Et satis de tertiâ illâ instantiâ, quæ nos satis procul traxit; erit tamen doctrina hæc vtilis pro his, quæ de legibus irritantibus infrà dicturi sumus: non enim erit necesse eam ibi repetere.

Ad quæstionem ergo redeuntes, inquirimus pro eius complemento, quomodo cognosci poterit, quando homo excusetur ab eis legibus obligantibus seruandis propter metum, quando verò non. Respondeo, id non posse vniuersaliter à nobis decidi, quia pendet ex modo, quo infertur metus; si enim inferatur in contemptum legis, iam diximus non excusari ab obligatione legis: quòd si metus ob alias causas inferatur, rursus ponderandum est, an sit grauis, an leuis: nō enim eadem est de vtroque ratio. Deinde ponderanda est necessitas rei præceptæ; nam, iuxta maiorem aut minorem necessitatem, maius vel minus periculum requiritur vel sufficit ad cessandum. Id patet in exemplis suprà positis; nam quia ieiunare non est tanti momenti, facilè quis ob leuem causam excusatur; at si deberet celebrare Sacrū sine paramentis sacris, quia ea est res magni momenti, deberet sanè maximum esse discrimen, quod meretur, vt id posset licitè fieri & secluso contemptu & scandalo.

57. *Quando quis excusetur à legibus obligantibus seruandis propter metum, & quando non.*

DISPVTATIO XV.

Quas personas obliget lex humana & ciuilis.

SECTIO I.

Quæ certa sunt præmittuntur.

I. *Christiani etiam infideles legi humanæ & ciuili subiacent. Ita Scriptura & Patres aiunt.*

SVPPONO Primò, Christianos & iustos esse subiectos legibus humanis, etiam ciuilibus (de Canonicis à fortiori infrà dicetur.) Ita Ecclesia Catholica sentit; estq; veritas hæc ex Scripturis & ratione manifestissima: (de quâ fusè Pater Salas disp. 14. sect. 1.) Nam & Christus Matth. 22. docuit reddenda Cæsari quæ sunt Cæsaris: vbi sermo erat de tributis impositis per leges: eodem etiam modo Matth. 17. iussit solui tributum pro se: licet enim quà Deus non fuerit ad id obligatus, voluit tamen ostendere eam obligationem cadere in discipulos suos & Christianos omnes. Id ipsum passim Apostoli tradiderunt: Petrus Epist. 1. cap. 2. Paulus ad Colossenses 3. ad Ephesios 6. ad Titum 3. ad Romanos 13. Idem omnes Ecclesiæ Patres sentiunt; ac totius Ecclesiæ perpetuus vsus & praxis manifestè persuadet. Ratio verò euidēter ex dictis deducitur: nam fides Christi nō destruit vitam politicam & ciuilem, imò eam perficit; ergo non tollit vllo modo ex naturâ rei obligationē seruandi leges ciuiles & obediendi Principibus; neq; eā tollit ex volūtate Dei specialiter reuelatâ, cùm potiùs sit reuelatio Dei in contrarium, vt ex locis citatis constat.

Probatur à rationc.

Digitized by Google

cōstat. Vnde etiam in lege veteri, esto acceperint innumeras leges ab ipso Deo, non tamē propterea fuerunt exempti ab obligatione obediendi Saūli, Dauid, icæteríque Regibus. Vide Augustinum lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 17. vbi eleganter hanc necessitatem legum ciuilium probat ex ratione à nobis insinuatâ, scilicet, quod Christianus etiamsi primo loco spiritualia debeat considerare, quia tamen corpore cōstat, debet legibus, quæ terrenam ciuitatem concernunt, gubernari.

2. *Quisnā primus docuerit nulli creaturæ obediendum esse.*

Contra hanc veritatem steuit olim paulò ante prædicationem Christi Iudas ille (de quo Gamaliel fecit mentionem in Concilio Sacerdotum Act. 5.) hic enim, teste Hieronymo in cap. 3. ad Titum, negauit obedientiam vlli creaturæ exhiberi debere, sed soli Deo: cuius hæresis sectatores dicti sunt Galilæi; & durarunt vsq; ad Christi prædicationem, etiamsi credantur multi à Pilato morte mulctati. Lucæ enim 13. cap. dicitur Pilatus eorum sanguinem miscuisse in sacrificiis: occasione item illorum dicitur missa ad Christum ea legatio, *Licet censum dare Cæsari, an non?* quia verò Apostoli vocabantur Galilæi, dicuntur etiam adducti in suspicionem quasi eiusdem erroris sectatores. Eum Lutherus reuocauit ab infetis: pro effrænatâ enim suâ vitâ, valdè vtile sibi persuasit, nulli potestati subiacere: citat autem hæc stulta hæresis pro se locum Matt. 17. *Ergo liberi sunt filij:* item Lucæ 22. *Reges Gentium dominantur eorum: vos autem non sic:* & Matth. vlt. vbi Apostolis dixit Christus, *vt docerent Gentes mandata ipsius:* ergo excluſit leges alias. Denique, quia nos sumus liberati per Christum: vnde 1. ad Corinthos 7. dicitur, *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.*

Matth. 22. *Huius erroris restituitor Lutherus quibus pro eo Scriptura loci vsus sit.*

3. *Explicantur singula.*

Hæc tamen omnia nullatenus isti errori patrocinantur. Ad primum dicimus, Christum de se solùm locutum, licet id ex propositione vniuersali intulerit: quæ propositio non habebat locum in Christianis, quia nec sunt naturales filij Dei, nec Principum ipsorum, qui tributa imponunt. In secundo loco Christus Apostolos suos vt perfectionis sectatores remouet ab appetitu honorum; per quæ non negat, debere esse capita aliqua, quæ Rempublicam gubernent: nimium igitur affectum excluſit, non rectum vsum eius potestatis. Quòd verò Apostolis nihil dixerit eo die vltimo de obseruatione legum ciuilium: causa est, quòd id iam supponebatur hominibus traditum. Ad illud de libertate per Christum acquisitâ dixi satis disput. 12. sect. 1. Paulus etiam ibi spiritualem solùm seruitutem reiecit, id est, ne ab his, quæ Deo debemus deflectamus ob humanos respectus; aut imperatori cultum idolorum præcipienti obediamus.

Suppono Secundò, si personæ aliquæ excipiantur expresè in lege ipsâ, eas non obligari: vt si lex pro Nobilibus tantùm feratur, non tenentur ignobiles: id quod videtur notum ex terminis.

Lex excipiens personā eam non obligat.

Suppono Tertiò, si lex directè feratur in aliquam communitatem & membra illius, eo per se obligari omnia membra, nisi cum aliquo dispensetur: ad alios verò, qui extra eam communitatem sunt, non extendi legem, quia ea non est vniuersalior quàm verba sonent. Vtrùm autem qui per accidens sunt intra eam communitatem obligentur tunc, vt peregrini in alienis Regnis, dicetur infrà. His positis.

SECTIO II.

An obligetur quis proprijs legibus, dum est extra territorium.

SVBSECTIO I.

Proponitur communis, & vera sententia.

4. QVæ docet Hispanum v. g. existentem in Galliâ non obligari legibus Hispaniæ; & sic de aliis. Innumeros auctores pro eâ refert Salas disp. 14. Probatur autem ex cap. 2. de constitutionibus in 6. in quo Pontifex dicit, Episcopum excommunicationem ferentem non ligare subditum extra territorium existentem; redditque rationem vniuersalem, quia impunè non pateretur ei qui extra territorium causam dicit. Alias auctoritates pro eadem sententiâ congerit ibi Pater Salas, esto valdè in contrariam propendeat; à quâ fatetur se solùm deterreri ob citatum texrum.

Ratio quorundam pro hac opinione minùs firma.

Ratione difficulter persuadetur hæc communis sententia; ideò valdè in hoc puncto eius auctores inter se dissentiunt: quidam id reducunt in voluntatem ipsiusmet Legislatoris, qui non vult tunc tales obligare. Verùm hanc rationem expresè reiicere videntur citata verba Pontificis, qui non in defectum voluntatis ipsius Episcopi, sed quasi in naturam rei reduxit; alioquin debuisset cum distinctione respondere, Si Episcopus voluit illum ligare, ligasse, si noluit, non ligasse. Patet Suarez cum nonnullis aliis dicit rationem esse, quia iurisdictio vniuscuiusque ciuitatis non extenditur quoad leges ferendas extra ciuitatem: & sicut in physicis dicitur extra sphæram actiuitatis non sequi actionem, ita in moralibus. Hæc tamen ratio mihi videtur petere principium; nam posse Legislatorem obligare suum subditum extra territorium per leges & posse ferre leges, quæ ad illum extendantur, est omnino idem diuersis vocibus: posse enim in me ferre legem, & posse me per legem obligare, solo modo loquendi distinguuntur; ergo non debet vnum per aliud probari, sed vtrumque per principium aliquod magis notum: & idem dico de instantiâ è physicis: nam, *non posse vltra sphæram*, formalissimè idem est ac non posse vltra terminum suum summum, quod est idem per idem: vnde nisi aliquâ ratione aut experientiâ probetur quæ sit sphæra huius agentis, nihil per eos diuersos terminos poterit probari.

5. *Suarez ratio petit principium.*

Tertia ratio est, quòd non possit quis legibus obligari, nisi etiam ad eas obseruandas cogi possit: atqui extra territorium non potest cogi, quia non potest ibi puniri à Legislatore proprij territorij, aut inde violenter ad proprium territorium trahi; ergo non potest tunc obligari legibus. Verùm neque hæc ratio subsistit, quia in communi sententiâ legislator ipse tenetur seruare leges, etiamsi ad eas seruandas non possit cogi: & verò cùm posse cogi sit effectus secutus ex obligatione seruandi vt ex causâ, non rectè ex negatione eius effectus negatur causa, quia sæpè eæ, etiamsi de se sint determinatæ ad effectum aliquem, impediuntur ob aliquam circumstantiam ab illius productione; non verò propterea causæ illæ desinunt esse in rerum naturâ. Non est itaque facilis probatio huius communis sententiæ: in Canonicis legibus non est ma-

6. *Reiicitur & Tertia ratio.*

7. *E Canonicis legibus facilè defenditur hæc sententia, aliàs difficilis.*

Digitized by Google

Probatur tamen Primò.

gna difficultas, quia possemus id reducere in voluntatem ipsius Pontificis, qui Episcopis & aliis se inferioribus Legislatoribus non dedit potestatem extra territorium; hanc porrò non dedisse colligimus ex illo capite citato; sed quia animus vniuersaliter de legibus humanis, & Pontifex eo capite satis insinuat id esse ex naturâ rei, debemus id probare ratione vniuersali. Crediderim eam esse, quòd communitas humana maximè constituatur per cohabitationem in eodem loco ad eam communitatem pertinente; debent enim habere aliquod quasi vinculum commune; aliud autem non habent homines quàm communem residentiam in loco communi: ergo quando quis est extra illum, iam desinit esse pars illius communitatis pro eo tempore; ergo desinit tunc obligari eius legibus, quia Legislator non habet ius nisi in membra communitatis. Secunda ratio mihi occurrit, & melior, ex fine ipsarum legum maximè ciuilium (de quibus præcipuè agimus;) nã omnes hæ per se ordinantur ad bonum communitatis, non verò vnius aut alterius personæ, v.g. ne vendatur triticũ nisi tali pretio; ne gestentur arma noctu; ne fiant contractus sine tali aut tali cæremoniâ; in ordine autem ad finem per has leges tantum per accidens omnino est quidquid ego facio in alienâ prouinciâ: non enim turbaretur pax ciuitatum Hispaniæ, etiamsi ego Pragæ portarem noctu arma: aut non redderetur magis ibidem carum triticum, eò quòd ego hîc ad meos vsus hoc aut illo pretio illud emerem: nec impediretur ibi latrocinia per hoc, quòd ego hîc furarer: & sic discurrendo per omnes leges idem probari potest. Vnde infero, ex naturâ rei potestatem legislatiuam, quæ propter eos fines ordinata est, non extendi per se ad imperandũ extra proprium territorium. Quæ ratio ideò mihi magis placet, quia simul est vtilis ad soluenda aliqua argumenta, quæ in contrarium fieri possunt; & admittit aliquas limitationes eius sententiæ.

Melior suppeditatur ratio.

Potestas legislatiua ob finem suum non imperat extra suum territorium.

SVBSECTIO II.

Soluuntur aliquæ obiectiones.

9. IGitur Primò obiicitur: Subditus, etiamsi sit extra territorium, adhuc est verè subditus, ergo etiam obligatur legibus. Respondet Pater Suarez, subditum amittere tunc subiectionem non radicalem, sed actualem. Ego tamen dicerem, Si subditus non sit mancipium aut semimancipium, quia talium dominium non fundatur in existentiâ in loco pertinente ad dominium, sed in titulo abstrahente à loco; dicerem, inquam, per existentiam extra territorium omnino amitti subiectionem propriam, in Hispano v.g. cõmorante in Galliâ non manere aliam subiectionem respectu Regis Hispani, quàm sit in homine Gallo in Galliâ existente respectu eiusdem Regis Hispaniæ: sicut enim potest ille redire & fieri subditus; etiam similiter Gallus potest ire in Hispaniam, & ibi fieri subditus Hispani: vnde facilè constat, quomodo non obligetur eis legibus.

Existens extra territorium amittit subiectionem propriam.

10. Replicabis Primò: Potest Rex Hispaniæ reuocare suos in Hispaniam; ergo adhuc sunt subditi. Respondeo, non teneri eos redire, si nolint.

Talis etiam reuocatus à Rege non tenetur redire, nisi sit Legatus.

Replicabis Secundò, Ergo si mittat Legatum in Angliam v.g. non tenebitur is parere Regi Hispaniæ in ordine ad tractanda negotia, imò nec redire debebit, quando vocabitur. Respondeo negando consequentiam, quia tunc tenetur obedire Regi non tam titulo Legislatoris quàm ratione commissionis, quam acceptauit vt ageret vices illius: ex quo capite specialiter se adstrinxit ad ei parendum, & omnia tractanda ad nutum ipsius: id enim proprium est Vicarij & Delegati. Et hinc colligitur vna exceptio ab eâ regulâ generali, scilicet, tunc subditum extra territorium commorantem teneri obedire proprio domino, quando ratione occupationis aut officij adhuc aliquam retinet subordinationem actualem; tenebitur tamen solùm in ordine ad ea quæ ad eam legationem & commissionem spectant. Nam si in Hispaniâ v.g. non possent noctu exire cum armis, & id possit Pragæ licitè fieri, cùm hoc sit independens à puncto legationis, non tenebitur Pragæ ea non gestare. Et sic discurrendum est in similibus casibus.

Quibus in rebus talis Legatus suo Regi teneatur obedire.

11. Obiicitur Secundò cap. 1. *A nobis.* de sententiâ excommunicationis, in quo dicitur, per sententiam excommunicationis ab Episcopo latam non comprehendi nisi subditos illius; vnde infertur, non subditum, etiam existentem intra territorium, non obligari legibus alieni territorij: & hinc vltimò concluditur, Ergo debebit obligari propriis, ne sit ab omnibus liber. Mirum est in quantas difficultates hic textus multos coniecerit; & quàm diuersas solutiones pro illo auctores excogitauerint, quas Salas disp. 14. sect. 4. examinat & refutat. Vltimò, eam approbat, quæ dicit Episcopum posse per suam sententiã etiam non subditos comprehendere; id tamen non facere ordinariè, quia statutum hoc transiens non ita facilè potest à peregrinis cognosci; vnde valdè expediens fuit, ne eo ligarentur peregrini. Quæ ratio in legibus, quia stabiles & fixæ sunt, non habet locum. Quæ vltima disparitas à P. Suario tacta fuit in huius textus explicatione, dum ait, in eo non esse sermonem de lege, sed de sententiâ & præcepto. Ego tamen Primò has solutiones omnino insufficientes iudico: nam Pontifex ibi supponit ex naturâ rei, seu ex defectu potestatis in Episcopo, non comprehendi non subditos; ergo non reducit id in solam voluntatem ipsius Episcopi, vt sentit Salas. Deinde neque ea diuersitas inter præceptum & legem mihi placet pro præsenti, quia, quòd lex fixa faciliùs sciatur, quàm præceptum aut sententia, aliquid quidem iuuat, vt difficiliùs per illud quàm per legem obligentur; at, vt sit impossibile per præceptum obligari, non sufficit: nam efficere potest Iudex, vt præceptum transitorium fiat tam notum quamdiu durat, quàm ordinariæ leges.

Cap. 1. A nobis. de sent. excom. magnam difficultatem parit.

Salas explicatio.

Suarij interpretatio.

Neutra satisfacit.

12. His ergo & aliis solutionibus omissis, quæ facilè reiici possunt, dico, eum textum nullam contra conclusionem communem habere difficultatem; ideò valde miror ita impeditos auctores: in eo enim capite nihil dicitur de existentibus in altero territorio quà talibus, sed præcisè, quòd sententia excommunicationis ab Episcopo lata non obliget nisi subditos illius. Quæ doctrina, sicut verissima est, ita à præsenti difficultate aliena: nam qui dicunt obligari meis legibus aduenam existentem in meo territorio, censent illum tunc esse meum subditum: at caput illud loquitur de iis qui non fiunt vllo modo subditi, quantumuis existant in alterius territorio: nam licet religiosus exemptus sit in territorio Episcopi, aut vnus Religiosus in monasterio alterius; certum est, non esse illius subditum, nec posse ab eo

Explicatur ab auctore.

Digitized by Google

ab eo excommunicari aut obligari legibus Episcopi: ergo ad obiectionem negatur antecedens, de quo agemus adhuc in Secundâ difficultate.

13. *Quousq; Episcopus obligare possit à beneficiatis absentibus suæ Episcopatus.*

Tertiò obiicies, Ergo Episcopus non poterit obligare eos qui habent beneficium in suo Episcopatu, & sunt absentes, vt redeant & resideant; hoc autem est absurdum; ergo iurisdictio extenditur extra territorium. Vt huic obiectioni respondeamus nonnulli, dicunt; quando quis delinquit intra territorium, etiamsi absens sit, posse compelli à Legislatore, Explicat autem Pater Suarez, quomodo dicatur tunc intra delinquere; quia scilicet ibi homo delinquit, vbi peccatum consummatur: hoc autem consummatur, vbi damnum externum est, aut vbi est negatio actionis, ad quam tenebatur. V. g. si quis corpore existens extra territorium, emissâ sagittâ occidat hominem existentem intra territorium, censetur peccare in territorio: similiter, si quis tenetur residere in territorio, & absens est, peccat intra territorium; quia ibi est exterior omissio, quæ peccaminosa erat. In quam doctrinam etiam Salas supra consentit, aliósque pro eâ citat. Mihi tamen solutio non videtur vllo modo sufficiens, nam, quidquid sit de eâ denominatione potè extrinsecâ, quòd dicatur peccare intra territorium, certum est, illum esse extra: ergo tunc tamquam non subditus non poterit ab altero compelli. Explico: Si inter duos Principes inter se independentes vnus ex suo territorio noceat alteri, ita vt peccatum dicatur committi in territorio alterius; non tamen propterea potest ab altero per præceptum aut legem suam ad aliquid compelli; aut si sit inter Episcopos, excommunicari; non ob aliam rationem, nisi quia non est verè alterius subditus: ergo cùm (vt ostendimus) ille, qui est in altero territorio, verè non sit illius subditus, quidquid sit de peccato commisso, non poterit ab illo compelli.

Quid Suarez videatur intra territorium delinquere.

Suarij solutio improbatur.

14. *Confirmatur impugnatio.*

Confirmo: Si Hispanus natione habitans in Galliâ diffamet Hispanos, ideóque nocumentum censeatur esse in Hispaniâ, & consequenter ibi dicatur peccare; non ideò fiet subditus Hispani: ergo, quòd dicatur committi peccatum intra territorium vi eius denominationis, parum facit ad præsentem quæstionem. Vrgeo: Vel lex, contra quam facit ille, est humana & propria alterius territorij, à quo abest; & tunc non poterit intra illud peccare, quia nullo modo tenetur eâ lege: ergo contra illam non peccat vllo modo neque intra neque extra territorium: si verò lex sit naturalis & communis vtriq; territorio, tunc pertinebit etiam iudicium illius culpæ ad Legislatorem eius territorij, in quo est, non ad alterum, à quo abest: ergo ea disparitas non est bona.

Vrgetur.

15. *Subditus Episcopo ratione beneficij subijcitur eidem in ordine ad omnia & annexa.*

Melius ergo respondetur ex vtraque ratione nostræ conclusionis, illum, qui ratione beneficij est subditus Episcopi, etiam manere subditum in ordine ad omnia quæ sunt ei beneficio annexa: per quod ostenditur, primam rationem nostræ conclusionis nõ vrgere in hac exceptione; ea enim desumebatur ex eo, quòd ciues, qui non sunt Principis mancipia, non alio vinculo per se constituantur vt pertinentes ad eamdem Rempublicam quàm communi habitatione: id quod locum non habet in eo qui Parochus est, aut fruitur beneficio aliquo; nam ille iam habet aliud vinculum: ideò dixi cum limitatione illâ *per se*; quia hoc de beneficio est per accidens respectu Reipublicæ ciuilis. Vide exceptionem factam in solutione primæ obiectionis.

16. *An laici absentes maneant subditi. Nota discrimen inter laicos & Ecclesiasticos.*

Replicabis: Ergo etiam laici ratione bonorum poterunt manere subditi; licet absentes sint. Respondeo? Quid si nulla habeant bona? Conclusio certè nostra abstrahit ab eis rationibus; & solùm disquirit, quid sit ex solo conceptu naiuitatis in territorio, & posteà absentiæ ab illo. Respondeo Secundò, per se in bona secularia homines habere absolutum dominium; ideóque posse ea administrare per se vel per alios, prout placuerit; neque ad hoc esse necessariam præsentiam: at in Ecclesiasticis non ita, quia sicuti qui altari seruit, de altari comedit; ita oportet in contrarium, qui de altari comedit, altari seruiat; ac propterea magis sit, vt sic dicam, subditus altaris, ac consequenter eius territorij & Episcopi illius, quàm laici ratione bonorum: per quod non nego, sæpè laicos, qui fruuntur beneficio ciuium, teneri eo ipso in rebus ad ciues pertinentes comparere, si citentur, nisi renuntient priuilegio: quo potiùs confirmatur discursus noster in hac solutione factus, & in exceptione suprà posità.

17. *Cur leges extra territorium non obligent. Instantia de Parocho eo currente.*

Secundam item rationem non habere hic locum magis clarè apparet; nam leges per se ordinantur ad bonum commune: vnde, quia earum obseruatio extra territorium per se non pertinet ad bonum eius territorij, diximus suprà, extra illud non obligare. Hæc autem ratio non vrget in casu obiectionis; quia, quod ille Parochus redeat ad suam residentiam, maximè pertinet ad bonum eius territorij: ergo ad hoc benè potetit obligari etiam existens extra territorium, siue id fiat per præceptum, siue per legem, quæ obligat omnes absentes intra tale tempus redire; quia talis legis obseruatio ab absentibus per se spectat ad bonum communitatis.

SVBSECTIO. III.

Vltima obiectio soluitur: vbi de loco exempto intra alienum territorium.

OBiicies vltimò: Ergo, si intra Bohemiam v. g. sit locus exemptus à iurisdictione Regis, non poterit à Rege inde auocari subditus; & ibi non tenebitur seruare leges Regni: imò, cùm omnia loca sacra sint exempta à ciuili potestate, eo ipso, quòd actu quis sit intra Monasterium, erit liber ab omnibus legibus ciuilibus: hoc autem videtur absurdum, ergo. Respondeo, in ciuilibus rarò reperiri eiusmodi loca exempta intra territorium alterius: sed si quæ inueniantur, dicendum idem de illis, quod de aliis extra territorium diximus: ea enim existentia physica vnius territorij intra aliud est valdè materialis ad punctum præsens: in Canonicis autem maior est difficultas. Obiectionem hanc tetigit Pater Suarez Tomo 5. de Censuris disp. 5 sect. 4. vbi ait, non debere dici loca exempta pro præsenti quæstione Monasteria Religiosorum exemptorum, quæ non vocantur exempta nisi ratione personarum; ea ergo sola dici exempta, quæ sunt Parochiæ aut oppida, quæ quoad iurisdictionem Ecclesiasticam exempta sunt: vt est Conimbricæ Parochia sanctæ Crucis. Vt verò intelligas, quæ sit diuersitas inter eam exemptionem Parochiæ & Monasterij; quoad hoc obserua, etiamsi, sicut ibi exemptus est locus, ita hîc; & sicut ibi personæ, ita hîc; sicut domus & locus religiosus ideò est exemptus ab Ordinarij iurisdictione; quia

18. *An à loco exempto reuocari possit subditus.*

19. *Quanam à mente Suarij sint exempta loca.*

Digitized by Google

Cur domus locáq; Religiosorum ab Ordinarij iurisdictione sint exempta.

quia est subiectus Prouinciali aut Generali, ita Parochias, de quibus Pater Suarez, propterea esse exemptas, quia sunt subiectæ exemptæ personæ: ergo eadem est de vtrisque ratio. Vt ergo, inquam, differentiam hanc intelligas, aduerte, Patrem Suarez ita intellexisse ibi Parochiam exemptam, vt illius Prior habeat iurisdictionem

20. *Explicatur quidā Suarij*

quasi Episcopalem in omnes etiam seculares, qui ad eam Parochiam spectant, ideóque dicitur habere territorium; id quod non habent ordinariè Superiores Religiosi, etiamsi non sint subiecti Episcopo: non enim habent iurisdictionem quasi Episcopalem, nisi purè putè in eos qui sunt Religiosi, non in eos qui habitant intra locum etiam Monasterij. Ex quo capite sufficienter assignatur ea disparitas; vtrùm autem ad præsens intentum sufficiens sit, iam dico. Ego quidem in Canonicis legibus, stando rationi, nullam credo posse esse in præsenti difficultatem; nam cùm Pontifex dans iurisdictionem Episcopis, & eximens ab eis loca, habeat vniuersalem iurisdictionem supra totam Ecclesiam, proculdubio res tota pendebit ab eius voluntate & modo quo eximit Monasteria, & quo alia loca, quæ vocantur exempta: vnde in eo cap. 1. *A nobis.* de sententiâ excommunicationis, cùm dictum fuisset non ligari per excommunicationem Episcopi nisi proprios subditos, meritò addidit Pontifex extensionem, *Nisi scilicet plus fuerit illi delegatum:* per quod manifestè insinuat id, quod nos obseruauimus, scilicet, totum id purè pendere à Pontificis delegatione: ideò non deberet quoad hæc loca exempta intra territorium generalis regula tradi, sed remittendum id esset ad specialia cuiuslibet priuilegia; quia non æqualiter omnia à Pontifice exempta sunt. Secundò censeo, non esse eamdem rationem de his locis exemptis intra territorium, quæ est de aliis extra territorium: id quod videtur mihi valdè probabile: nam licet Monasteria respectu sæcularis iurisdictionis omnino sint exempta; tamen reus, qui commisit delictum, non gaudens priuilegio Ecclesiæ, potest ex Ecclesiâ & domo Religiosorum extrahi; habéque ius secularis Princeps ad intrandum illuc; eúmque quærendum: nec possunt Religiosi iustè id ei negare; At si reus sit iam extra territorium proprium, v.g. Hispanus in Galliâ, non tenetur Magistratus Galliæ permittere Hispanum Iudicem vt intret in Galliam, quærátque ibi reum, & eum extrahat: ergo vniuersaliter loquendo, non est eadem ratio de loco extra territorium, quæ de loco exempto intra territorium; sed, per se loquendo, minori exemptione Canonicâ fruitur, qui est intra territorium, etsi exemptum, quàm qui simpliciter est extra; éstque quasi duobus titulis exemptus, & ratione loci & ratione iurisdictionis. Hinc dico, etiamsi Pater Suarez cum nonnullis aliis censeat, verba illa cap. 1. *A nobis*, de sententiâ excommunicationis, *Cùm extra territorium ius dicenti non pareatur impunè*, eodem modo extendi ad locum exemptum intra territorium; probabilius tamen esse, non extendi; in primis enim verba id non denotant; nam reuerà ille locus non est extra territorium: neque ratio videtur esse eadem, quia iam ostendi ex praxi saltem, magnam esse in hoc puncto differentiam. Quòd si attendamus ad rationes congruentiæ, ob quas præsumere possumus aliquid de voluntate Pontificis, à quâ solâ tota hæc res pendet (vt dixi) valdè sunt diuersæ; nam deserere proprium territorium est ex se difficilius; & minùs frequenter contingit; ide óque non est tantum periculum in eo, quòd tunc non possit in illum proprius Episcopus iurisdictionē exercere: tunc enim saltem succedit in eam iurisdictionem Episcopus eius loci. At in locis exemptis intra territorium frequenter sine vllâ difficultate itineris possunt esse subditi Episcopi, v. g. in eis Parochiis exemptis, in locis etiam religiosis: quòd si tunc essent iam extra iurisdictionem Episcopi, haud dubiè esset magna turbatio in gubernatione Episcopatus. Accedit, quòd tunc temporis illi non subiiciantur iurisdictioni Prælati eius loci: vnde manerent tunc sine vllâ iurisdictione supra se, quod est absurdum. At si quis eat ad Episcopatum alterius, iam eo ipso fit subditus alterius Episcopi, vt infrà dicemus: ergo quòd tunc sit liber à subiectione erga suum Ordinarium, non est vllius periculi.

An Superiores omnes habeant iurisdictionē quasi Episcopalē E Canonicis legibus hîc non est difficultas.

Pendet enim à voluntate Pontificis.

Non sunt æqualiter omnia à Pontifice exempta.

21. *Diuersa est ratio de exemptis intra & extra territorium.*

Potest Iudex secularis reum quærere in Monasterio sui territorij; non verò alieni.

22. *Ad quid extendatur dictum cap. 1. A nobis de sent. excom.*

Hinc tamen replicabis: Ergo malè suprà dictum est, in ciuilibus eamdem esse rationem de loco exempto intra territorium ac de loco extra illud. Patet sequela; nam rationes allatæ pro Canonicis legibus eodem modo videntur locum habere in ciuilibus. Respondeo negando consequentiam. Ad illius probationes etiam nego eamdem esse rationem de ciuilibus, quæ est de Canonicis; tum quia eiusmodi loca ciuiliter exempta intra territorium alterius rarissimè inueniuntur, Ecclesiastica verò valdè frequenter: tum quia in ciuilibus statim fiunt subditi eius, ad quem locus exemptus pertinet; in Canonicis verò non; quia qui templum Sanctorum Petri & Pauli VVisschradense hîc Pragæ ingreditur, non fit subditus etiam tunc Præpositi eius templi, etiamsi sit exemptum. & idem est de Monasteriis. Tertiò, cùm in Canonicis res tota pendeat, vt dixi, à solâ voluntate Pontificis limitantis aut extendentis iurisdictionem Episcopi, potest facere eam differentiam inter exemptionem intra territorium & existentiam planè extra illud, ob congruentias à nobis positas: in ciuilibus autem, cùm id proueniat quasi ex naturâ rei ratione communitatis ciuilis, extra quam tam benè se ponit, qui est in loco exempto intra territorium, quàm qui est extra, debemus eodem modo discurrere, non obstante aliquâ disparitate minoris momenti.

23.

Quid de ciuili iurisdictione sentiendum & qui ea differat à Canonicâ.

Hinc ad obiectionem vltimam respondetur distinguendo consequens; si locus exemptus sit ciuilis, concedendo consequentiam; neque in præsenti vllum est absurdum; negando verò illam, si sermo sit de loco Ecclesiastico exempto, ob rationes hucusque datas.

SECTIO II.

An peregrinus obligetur legibus loci per quem transit.

24. *An existentes intra territorium per breue tempus eius legibus obligentur.*

QVærimus, vtrùm è contrario, qui sunt intra territorium, obligentur legibus eius loci, in quo sunt v. g. iter facientes, vel qui ad breue tempus morantur ibidem. Dico, *ad breue tempus*; nam si iam habeant fixum domicilium, eo ipso censentur illuc spectare; ideóque omnes auctores dicunt, illos obligari territorij legibus. In hac quæstione Prima sententia negat obligari, nisi habeant ibi quasi permanens domicilium, quatenus ad notabile tempus ibi manere cogitant; etiamsi absolutè in perpetuum nollent manere

Digitized by Google

nere. ita Paludanus in 4. dist. 15. Henriquez lib. 9. cap. 25. P. Tannerus disput. 15. quæst. 6. n. 32. vbi pro eâ refert Patrem Suarez Tomo 3. in 3. p. disput. 44. sect. 3. ibi tamen Suarez rem obiter tangens, solùm dicit eam esse probabilem: quorumcumque verò ea sit, probari inde solet, quòd peregrini non sint subditi; nam subiectio quoad morum directionem non acquiritur nisi per domicilium. Confirmatur, quia infideles non obligantur legibus Christianorum, etiamsi in eorum terris habitent: item Religiosi non tenentur legibus ciuilibus, etiamsi sint in eorum territorio: neque iidem Religiosi obligantur seruare ieiunia synodalia; alioquin valdè grauarentur tum ob propria ieiunia, tum ob hæc alia: item nec Religiosus hospes in Prouinciâ tenetur ad seruanda ieiunia eius in quâ est: & idem dicendum de festiuitatibus, &c. Denique, nec Nouitius tenetur regulis Religionis, etiamsi habitet in Monasterio, ergo. Confirmatur Secundò, quia in cap. 1. *A nobis.* de sententiâ excommunicationis, dicitur, sententiâ Episcopi non ligari forenses, sed *solos* eius subditos, ergo.

Negant Paludanus, Hériquez & Tannerus.

Eorum fundamentum.

25. Contraria tamen sententia communis vera est. Pro quâ Pater Suarez tum Tomo 1. de Religione, Tractatu 2. lib. 2. cap. 14. tum hîc cap. 33. varios auctores citat; Salas verò longè plures eâ disput. 14. sect. 4. vbi varias auctorum exceptiones & extensiones examinat. Huius sententiæ ratio desumitur ex eo, quòd lex feratur pro toto territorio; ergo obligat omnes ibi existentes. Confirmatur Primò; nam auctoritas Legislatoris debet se extendere ad omnes etiam aduenas: id enim ad conseruationẽ Reipublicæ spectat, vt illi etiam possint dirigi ab eo Iudice: ex parte verò vtilitatis legum eadem ferè est in ordine ad exteros, quæ ad incolas; v.g. in lege, *Ne quis arma noctu gestet, ob vitanda homicidia, rixas*, &c. eodem modo viget, ne peregrini ea gestent: similiter in ordine ad emptionem & venditionem rerum, vt seruetur idem ordo in omnibus; in lege etiam abstinentiæ à carnibus, ne sequantur scandala, &c. Denique peregrinus, eo ipso quòd in eam regionem intrat, iam se submittit iurisdictioni illius pro eo tempore, quo ibi vult esse: ex quo capite probatur quasi à priori esse in Legislatore talem iurisdictionem; nam licet in hunc hominem eam non acceperit à suâ communitate, quia ille aduena fuit tunc extra communitatem, accipit tamen, quando hic intrauit territorium; sicut è contrario diximus sectione præcedenti, eum, qui exiit ex territorio, se tunc abstrahere à iurisdictione illius. Contrariorum enim eadem est ratio.

Affirmatiua & vera tum tur Suarez, Salas, alij.

Basis huius sententiæ: Lex fertur pro toto territorio.

Peregrinus intrans territorium submittit hoc ipso se illius iurisdictioni, saltem ad tempus quo ibi moratur.

26. Iam facilè ad argumenta in oppositum respondetur. Ad Primum constat, quomodo peregrini fiant subditi in ordine ad leges ferendas. Ad confirmationem ex variis instantiis respondetur. Ad Primam de infidelibus negatur consequentia: nam leges, quæ propriè spectant ad religionem, non imponuntur, nisi his qui sunt ex eadem religione; & quoad hoc difficultas est independens ab hac sententiâ: vnde miror ab aduersariis hanc pro se afferri instantiam: nam etiam Iudæi, qui verè habent fixum domicilium in terris Catholicorum, non tamen ideò coguntur ad ieiunia, festiuitates, &c. Christianorum; & tamẽ adalias leges ciuiles coguntur. Ergo ex hoc capite malè intulerunt auctores aduersæ sententiæ, non teneri peregrinos ad ciuiles, eò quòd sequeretur, teneri Gentiles ad leges Christianorum: eodem planè modo dico, Etiamsi laici sint in loco religioso exempto non tenentur ad leges ipsorum Religiosorum, quia illæ ita sunt pro toto dominio, seu loco, vt non sint pro omni statu personarum in illo, sed præcisè pro Religiosis. Ratio à priori ea est; nam leges non ita sunt communes, vt omnes extendantur ad quascumque personas, etiam eiusdem territorij: aliæ enim sunt pro Nobilibus, aliæ pro ignobilibus; aliæ pro viris, aliæ pro feminis; ita aliæ sunt pro Christianis, aliæ pro Gentilibus: vnde mancipia gentilia, etsi constanter habitent inter Christianos, non ideò tenentur legibus propriè ad religionem Christianam spectantibus: neque nos volumus dicere, peregrinos teneri omnibus legibus territorij, sed iuxta qualitates, Nobiles legibus Nobilium, plebeios plebeiorum, Christianos Christianorum, & infideles infidelium legibus; quæ in eo territorio sunt.

Iudæi legibus ciuilibus Christianorum obligantur, non tamen Ecclesiasticis, ita & Gentiles.

27. *Leges territory diuersa sunt pro diuersis.*

Ad Secundam instantiam de ieiuniis synodalibus, ad quæ non tenentur Monachi, respondeo, eam non esse ad rem; quia id non pendet ab eo quòd transeant illac, aut habeãt ibi fixum domicilium, de quo solo puncto hîc agitur. Responderi ergo debet ex præcedenti solutione: aut enim illæ leges obligant Monachos ibi manentes, aut non: si non, quid mirum si nec obligent transeuntes: si verò obligant, admitto obligari etiam transeuntes, in quo nullum est absurdum. Vtrùm autem Episcopi habeant vim etiam obligandi Religiosos ad ieiunia, alibi discutiendum est.

An Religiosus teneatur ieiunijs eius territorij quod transit.

28. Ad Tertiam de Nouitiis dicimus eodem modo, non esse omnes leges easdem pro omnibus Religiosis eiusdem Monasterij, sed diuersas pro Nouitiis, & diuersas pro Professis: ad illas verò, quæ sunt communes, quæ possunt ab omnibus seruari, suo modo tenentur Nouitij: quòd si dicamus non teneri, ratio est; nam in religione non acquiritur subiectio per habitationem intra eam domum; alioquin etiam famuli ad eas leges tenerentur: acquiritur ergo ea subiectio per professionem aut votorum emissionem; ante quam solùm ex quadam voluntariâ acceptatione secundùm quid tenentur Nouitij; ideóque etiam putantur ob earum transgressionem.

Nam Nouitij teneantur legibus Professorum & quibus.

29. Ob vltimam confirmationem ex cap. 1. *A nobis.* magna mouetur difficultas, an etiam quoad vim coactiuam peregrini sint subiecti legibus; & quis sit illius textus sensus. Glossa ibi putat, forenses etiam comprehendi, quia ratione delicti facti sunt subditi. Hanc solutionem reiicit Pater Suarez & Salas, quia friuola tunc esset ea Pontificis responsio: id enim ipsum quærebatur, an forenses fierent subditi ratione delicti. Communiter ergo respondetur, ibi esse sermonem de præcepto seu sententiâ hominis generaliter latâ, non autem de lege vel statuto: assignat autem differentiam Panormitanus, quòd sententia hominis operatur cùm fertur; & ideò tantùm ligat illos, quos tunc inuenit habiles: lex verò semper ligat eos, qui de nouo efficiuntur subditi. Sed hæc non placet. Primò quia Pontifex etiam loquitur de peregrino, qui, quando fertur sententia, est intra territorium. Secundò; nam si sententia feratur per præceptò de futuro, habebit tunc vim illum comprehendendi. Dupliciter respondet P. Suarez; Primò, præceptum, quia nõ est stabile, non censeri sufficienter omnibus notum, vt obliget aduenas; ego tamen non video, si aduena est ibi eo tempore quo præceptum fertur, quare

Cap. 1. A nobis difficile.

Qui Glossa id explicet.

Communis interpretatio.

Sed displicet

30. *Duplex Suarij responsio.*

Digitized by Google

quare debeat esse illi minùs notum quàm incolæ, attentâ solùm brevitate & mutabilitate illius. Secundò respondet, legem directè ferri in territorium, & mediante illâ in personas: vnde omnes quæ sunt intra territorium obligantur; at præceptum directè ferri in personas, ideóq; præsupponere subiectionem. Verùm neque hæc solutio mihi satisfacit; quia leges dictantes v. g. Non gestes arma, non possunt directè ferri in territorium, sed in personas: non enim ea res ad territorium spectat, sed ad personas: & in hoc non est paritas interdicti, quâ ibi vtitur Suarez: nam directè templum interdicitur, quatenus in eo non licet celebrare, etiamsi in altero liceat: eo enim tempore, sic dicam, templum redditur profanum; in aliis verò legibus obligatio directè cadit in personas. Secundò eamdem solutionem reiicio, quia, esto præceptum cadat in personas, iam supponit ipsemet Pater Suarez peregrinum esse subditum, quamdiu est in territorio: ergo ex hoc capite tam benè potest præceptum illum obligare quàm alios subditos.

Reijcitur.

Quæ lex cadat directè in personas, quæ in ipsum territorium.

31. Arbitror in eo textu non esse tantam difficultatem quantâ nonnulli apprehendunt: quia non dicitur quidquam de forensibus aut aduenis, sed solùm traditur generalis doctrina independens à peregrinis, scilicet, Episcopi sententiam excommunicationis non cõprehendere omnes qui sunt in territorio illius, siue aduenæ sint, siue incolæ, nisi sint eius subditi; v. g. non comprehendere Religiosos exemptos, item alios Prælatos aut Parochias exemptas. Hinc autem nihil ponitur pro præsenti difficultate; nam circa aduenas, an reddantur subditi illius Episcopi, aliunde decidendũ Pontifex reliquit: etenim Religiosus aduena non fit Episcopi subditus, & ideò non poterit ligari censurâ: at laicus, vel Ecclesiasticus, qui non est exemptus, fiet ibi subditus, & poterit subire censuram. Hæc mihi videtur legitima eius textus declaratio, vt & suprà insinuaui. Quòd verò ibi non negetur vis excõmunicandi aduenam, mihi persuadeo ob aliũ textum, quem suprà explicuimus; in quo, vt vidimus, negatur, existentem extra territorium excommunicari posse à suo Episcopo; ergo non negauit Pontifex illum posse excommunicari ab altero Episcopo, in cuius diœcesi existit; quia non esset æquum, vt ille tunc à nullo posset excommunicari: ratio enim exigit, vt sicut liberatur ab vno, ita etiã subiiciatur alteri. Confirmo hoc idem ex ipsis verbis, quæ posteà Pontifex addidit, & ego ponderaui suprà ad aliud propositũ, *Nisi forte plus contulerit maior & largior potestas delegantis:* vnde meo iudicio infero, non benè defatigari auctores quærendo rationes, quæ ex naturâ rei probent, non posse obligari per censuram peregrinos: quandoquidem Pontifex id reduxit in limitationem potestatis, vt à delegante concessæ: quod verum non esset, si ex naturâ rei aduenæ essent incapaces. Secundò infero, non de aduenis, sed de non subditis, siue incolæ sint, siue aduenæ, ibi esse sermonem: in quibus meritò habet locum illa extensio Pontificis, quia cùm hi sint exempti per solam voluntatem Pontificis, potuit hic dare facultatem Episcopo, vt excommunicaret Religiosos v. g. etiamsi alioquin eius subditi non sint in aliis rebus.

Explicatur ab auctore dictum c. x. A nobis.

Religiosus aduena non fit Episcopi subditus, laicus verò fit.

32. Hinc ergo ad quæstionem motam occasione huius textus dico, etiam peregrinos posse puniri: & certè non sufficienter esset prouisum incommodis, quæ ex transgressione legum per eos oriri possunt, si cogi non possent per pœnam: nec debemus vim coactiuam à legislatiuâ separare, nisi graui vrgente difficultate; qualis in præsenti non cernitur.

Cur peregrini per censuram obligari nequeant.

Peregrini puniri possunt.

A doctrinâ generali hucusq; tradirâ excipiuntur personæ exemptæ, quæ non possunt puniri, etiamsi ibi delinquant; vt Episcopus ab altero Episcopo. Quæ doctrina in rigore independens omnino est à quæstione, quam iam tractamus de peregrinis; nam etiamsi ille Episcopus stabile ibi haberet domicilium, adhuc non posset puniri ab Episcopo loci: licet alioquin ad leges, ad quas hic tenetur, teneatur ille non obstante hospitalitate, iuxta superiùs dicta. Ex his infero Primò, peregrinos non solùm teneri eis legibus ratione scandali, id est, ita vt si scandalum nullum sit, non sint obligati ad eam obseruationem; sed reuerà teneri etiam secluso scandalo: nam licet vitare scandalum fuerit motiuum, cur obligentur, non propterea, cessante hîc & nunc seu per accidens eo scandalo, cessat obligatio legis; vt in aliis legibus respectu etiam incolarum sæpè dictum est: præterquam quòd, non obscandalum, sed eadem ratione quâ incolæ obliganter peregrini.

33. *Persona exempta in alieno territorio puniri nõ possunt, etsi eius legibus teneantur.*

Peregrini tenentur legibus alterius territorij, etiam secluso scandalo.

Secundò infertur, posse etiam ferri leges, quæ solùm concernant peregrinos; de modo v. g. quo se debeãt gerere: id enim maximè spectat ad bonum ciuitatis: vt enim diuersæ sunt leges pro diuersitate opificum & officiorum, ita possunt esse pro peregrinis.

43. *Quales peregrinis leges præscribi possint, ad quas teneantur.*

Tertiò infertur, peregrinos etiam teneri ad seruandas leges præscribentes formam contractibus, testamentis, &c. vnde talia non debere iudicari valida etiam posteà apud propriam patriam, nisi seruatæ fuerint omnes solemnitates requisitæ in eo loco, vbi facta sunt: & quidem in contractibus ratio est efficax; quia cùm eiusmodi solemnitates semper ideò ponantur, vt vitentur fraudes, ne quis posteà neget aut affirmet falsò se contraxisse, oportet, vt seruentur conditiones requisitæ in loco vbi fiunt contractus; quia ex eo loco debent posteà desumi probationes, si necessum fuerit. Et eadem ratio applicari facilè potest etiam testamentis; quia etiam de eorum valore debent deponere illi qui testes fuêre: illi autem debent iudicare iuxta formam sibi communem. Hinc in materiâ de matrimonio docetur communiter, peregrinos, imò eos, qui ob hanc solam causam excurrunt illuc, in loco, vbi non est receptum Concilium Tridentinum, posse validè contrahere sine solemnitatibus ab eo Concilio requisitis. Idem etiam dicendum est de iudiciis: si enim peregrinus habeat aliquam causam, de eâ decidi debet iuxta consuetudinem & leges loci vbi existit, ob easdem rationes.

Peregrini seruare debent formam contractuum & testamentorum loci in quo sunt.

35. *Cur peregrini in loco, vbi non est receptum Tridentinũ, validè contrahant matrimonium absq; solemnitatibus ab eo Concilio requisitis. Idem est de iudiciis. Item tenentur soluere tributa & vectigalia eius loci.*

Denique infertur, etiam eos teneri soluere tributa & vectigalia eius loci; quia eiusmodi maximè imposita sunt ratione rerum quæ euehuntur, inuehuntur, venduntur, aut emuntur: quod sæpè maximè respicere solet peregrinos, quia illi præcipuè inuehunt res, emunt & vendunt. Alios casus particulares facilè quilibet decidet ex duabus sectionibus præcedentibus.

SECTIO III.

An Ecclesiastici obligentur legibus ciuilibus.

36. SVpponendũ est, Ecclesiasticas personas habere immunitates multas à sæculari potestate; vt

Digitized by Google

Ecclesiastici in multis à seculari potestate sunt immunes.

vt v. g. quòd non possint ab eâ iudicari tam in causis criminalibus quàm in ciuilibus, licet in his, si agant contrà sæcularem, debeant tunc sequi forum rei: an autem aliquando ratione bonorum quorumdam possint etiam apud Iudices sæculares suptemos conueniri, alibi disputandum est: pro præsenti enim quæstione solùm comprehendo leges illas ciuiles, quæ ei immunitati, qualiscumque ea sit, aduersantur; & illis dico non obligari Ecclesiasticos, dico non obligari Ecclesiasticos, ideóque de eis hîc non esse sermonem; siue eæ leges directè sint contrariæ immunitati, siue indirectè; quia pro præsenti quæstione eadem est ratio de vtraque oppositione: ergo quæstio est de eis legibus ciuilibus, quæ non aduersantur Immunitati Ecclesiasticæ, & aliunde possunt etiam esse communes Ecclesiasticis: v.g. ne quis noctu vagetur per ciuitatem, nec gestet arma; vt tanti, & non cariùs vendatur triticum, &c.

Status propositæ quæstionis.

Svbsectio I.

Communis sententia; & aliquæ rationes pro illâ.

37. *Ciuilibus legibus Ecclesiastica libertati non aduersantibus Ecclesiastici obligantur.*

COmmunis & certa sententia docet, eiusmodi legibus etiam Ecclesiasticos obligari. Ita P. Vasq. disp. 167. c. 18. vbi Victoriam, Dominicum Sotum, Siluestrum, Panormitanum & Felinum refert: ita tamen eam sententiam ibi defendit cum Siluestro, Angelo & Panormitano, vt non ratione obedientiæ teneantur Ecclesiastici ad leges seruandas, sed ratione iustitiæ, vt cũ reliquo corpore conueniant: eamdem tenet P. Suarez cap. 34. n. 6. alios præter citatos referens aliterq; eam explicans; vt scil. verè teneantur Ecclesiastici ex obedientiâ illas seruare: eamdem etiam tuetur Salas disp. 14. sect. 8. de more multos pro se referens. Primum fundamentum huius sententiæ desumitur ex cap. 1. de noui operis nuntiatione: vbi Lucius Papa dicitur causam inter Ecclesiasticos motam circa instructionem capellæ cuiusdam post appellationem contrariæ partis debere secundùm leges ciuiles iudicari! Citatur etiam caput *Innotuit*, de arbitris. de quo Pontifex decisionem causæ ex legibus ciuilibus desumit: verùm hoc caput non videtur nobis fauere, quia litigantes ambo fuerunt laici, vt ex ipso capite constat; licet coram Ecclesiasticis conuenerint: non est autem mirum, si in causâ laicâ Ecclesiastici vtantur legibus laicis; quia ex parte Iudicis tunc tale Ecclesiastici per accidens se habet, vt in Hispaniâ sæpè contigit, Iudices causarum secularium seu auditores Regis esse Ecclesiasticos, qui tamen laicorum causas secundùm ius ciuile decidere proculdubio debent. Melius citatur cap. 1. ex distinct. 10. vbi Augustinus docet, licere etiam vti legibus ciuilibus: idem etiam insinuatur eadem distinct. cap. *Si in auditorium*. Adducitur ex eadem distinct. cap. *De capitulis*. in quo Leo Papa scribit Lothario se daturum operam vt seruentur eius leges. Hic tamen locus mihi non placet: nam ibi Pontifex non dicit, quòd debeant obseruari ab Ecclesiasticis; ideò posset explicari de obseruatione à secularibus exhibendâ: nam Ecclesia potest attendere, ne fiant peccata in Republicâ; qualia sunt, etiam quæ contra leges ciuiles committuntur: ergo ex eo textu nihil infertur.

Fundamenta horum opinionis.

Cap. Innotuit. nobis non fauet.

38. *Magis è nostrâ est cap. 1 ex dist. 10 & cap Si in auditorium. Cap De capitulis, dissimulat.*

39. Ratio huius sententiæ difficilis est: Prima potest esse, quam Vasq. ex Panormitano & aliis reddidit, vt paulò antè insinuauimus, scil. teneri Ecclesiasticos ad eas leges vi rationis naturalis dictantis, membrum seu partem debere se accommodare toti; maximè cùm tales leges ordinentur ad commune bonum; quod etiam debent Ecclesiastici considerare. Hanc rationem fusè proponit P. Salas eâ sect. 9. & antiquiores aliquos eius auctores citat: licet verò eam simpliciter non defendat, tamen conatur argumentis respondere. Hanc nos omnino cum Suario & multis aliis reiicimus; quia ratio naturalis non dictat absolutè partem debere conformari toti, sed sub hac conditione, *Nisi pars fuerit legitimè excusata, aut exempta:* id quod declaratur ex suprà dictis à nobis; quòd scil. non eædem leges sint in Republicâ pro omnibus; ergo non dictat ratio, debere conformari omnes partes inter se; deberet ergo priùs ostendi Clericos non esse exemptos: quod per hanc rationem non fit. Secundò, quia ea obligatio se conformandi non videtur esse tanta (si aliunde non sit obligatio obedientiæ) vt sufficiat ad mortale: id ostendit Suarez in eo, qui sine sufficienti causâ obtinuit dispensationem; & eâ vtendo se non accommodat toti; qui non ideò grauiter peccat. Faciliùs fortè idem posset sic ostendi: Nam esto omnes in Republicâ ex deuotione sine aliâ obligatione ieiunarent, aut certo quodâ vestitu vterentur, non propterea ego teneter sub peccato idem facere; & tamen militat ibi tota ratio se accommodandi toti, ergo. Eamdem rationem impugnat vlteriùs P. Suarez, quia sequeretur, Clericum vendentem triticum cariùs quàm præscriptum sit per leges non peccare; non enim faceret contra iustitiam: item sequeretur, contractus à Clerico factos sine solemnitatibus requisitis esse validos. Quæ omnia absurda sunt. Hæc tamen ac similia exempla non conficiunt diuersam impugnationẽ à præcedentibus; quia si semel verùm sit iure naturæ partem debere conformari toti, inde facillimè respõderetur ad omnes has instantias: sufficiant ergo quæ diximus contra primam rationem.

Ratio conclusionis à Vasquez & Panormitano sumpta refertur.

Salas eam tuetur.

Ratio naturalis non dictat absolutè partem conformandam toti.

Quanta sit obligatio se conformandi toti.

40. Ideò sit Secunda ratio Decij ad cap. *Ecclesiæ sanctæ Mariæ.* de constit. n. 27. vbi ait, ideò Clericos teneri ciuilibus legibus, quia illæ approbantur à Pontificibus; vnde non obligant quà ciuiles, sed quà Canonicæ seu Pontificiæ; per quod tamen non censet, necessariam esse post quamlibet talem legem ciuilem nouam approbationem Pontificis, sed eam iam esse antecedenter concessam, vt scil. omnes tales leges, eo ipso quòd ferantur, censeantur confirmati à Pontifice; seu, quod idem est, Pontificem dedisse Regibus facultatem, vt nomine ipsius possint per tales obligare etiam Ecclesiasticos; ita vt in eis legibus se gerant Principes vt Vicarij Pontificis: idem enim omnino est, moraliter loquendo, dicere, *Volo vt per leges quascumque ediderit iustas, & non contrarias immunitati Ecclesiasticæ, obligentur etiam Ecclesiastici*, ac dicere, *Do tibi potestatem vi meo nomine per tales leges obliges Ecclesiasticos.* Vbi obiter noto, propterea diligenter hæc à me obseruata, vt confirmem quòd dicam infra, etiam huius rationis auctores teneri respondere aliis textibus, qui neque ex iure Canonico quidquam concessum esse Principibus contra Ecclesiasticos affirmant; certum enim videtur, hanc ipsam vniuersalem potestatem, vt ligentur legibus Principum sine nouâ Pontificis auctoritate, esse aliquid supra illos; eo modo, quo delegatus Pontificis, cui ipse dicit, *Omnes quascumque leges feceris*

41. *Secunda conclusionis ratio est Decij ad cap. Ecclesiæ S. Mariæ. de constit. n. 27.*

42. *An Principes in talibus legibus ferendis sint Vicarij Pontificis.*

Quale ius Principum in Ecclesiasticos.

Digitized by Google

feceris ego approbo, haud dubiè habet, licet non nomine suo, saltem alieno, & consequenter concessam ex iure Canonico auctoritatem: vnde inferam, eos textus debere intelligi non de iis legibus, de quibus agimus.

Hanc solutionem omnium optimam censet Suarez num. 13. ego iudico illam esse probabilem; absolutè tamen non placet: & quidem n. 14. videtur eam confirmare idem auctor aliquibus textibus; qui tamen solùm insinuant conclusionem, quam defendimus, scilicet eiusmodi legibus obligari Ecclesiasticos: rationem verò Decij nullo modo insinuant, quin potiùs contrarium,

43. *Impugnatur ratio Decij duplici ex capite.*

Igitur contra hanc rationem duæ mihi occurrunt graues difficultates: vna est, quòd, antequam potuerit ab Ecclesiâ fieri ea approbatio, videtur viguisse obligatio etiam in Ecclesiasticis seruandi leges ciuiles non contrarias Ecclesiæ & immunitati ipsius: nam ipsimet Apostoli sæpè indiscriminatim agendo etiam cum Ecclesiasticis eos adhortantur ad obediendum potestati sæculari. Pro quo induco Nicolaum Primum in Epistolâ ad Michaëlem Imperatorem; & habetur distinct. 10. cap. 8. vbi hæc habet: *Quoniam Christus Iesus sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusq; decreuit propria, volès medicinali humilitate hominũ corda sursum efferri, non humanâ superbiâ rursus in inferna demergi, vt & Christiani Imperatores pro æternã vitâ Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tamummodò rerum imperialibus legibus vterentur.* Certè hic Pontifex in voluntatem ipsiusmet Christi id refert, non in voluntariam subiectionem ab ipsismet Pontificibus omninò liberè institutam; vnde cùm nullibi inueniatur ab vllo Pontifice id specialiter ordinatum, omnes tamen supponant id debere fieri: sic enim Theodoretus lib. 4. Historiæ c. 7. inducit Imperatorem loquentem de Sacerdotibus & Episcopis, *Sanctè & sincerè tum mandatum præpotentiæ Regis Dei obseruant, tum meis legibus obsequuntur.* Vbi pondero, neque à Theodoreto, neque ab Imperatore id reduci in voluntatem Pontificis: & textus ille, quo sæpè vtitur P. Suarez ex eo cap. 1. de nuntiatione, sanè non faciendo ius nouum, sed supponendo id semper fuisse, dicit, iudicandum secundùm leges ciuiles. Quòd si id non in ipsam quasi naturam rei Pontifex referret, sed in aliorum Pontificum mandata, proculdubio id ibi insinuasset, ne id tacendo concederet Regibus quod non haberent.

Nicolaus I. in Epist. ad Michaëlem Imperatorem contrarium sensisse videtur.

Item Theodoretus l. 4. Historiæ c. 7.

44. *An efficere possit Pontifex, ne vlli legi ciuili Ecclesiastici subiaceant.*

Secunda difficultas contra eam solutionem est; nam iuxta illam possent etiam nunc, si vellent, Pontifices efficere, ne vllis omninò legibus ciuilibus Ecclesiastici obligarentur: hoc autem in primis est contra omnes fere Doctores; nam etiam illi, qui iuxta primam rationem dicunt eam obligationem non esse ratione obedientiæ, supponunt vt certum esse naturalem, suppositâ earum legum existentiâ: idem à fortiori sentiunt, quos statim pro nostrâ ratione citabo. Secundò, id videtur contrarium textui Nicolai Primi à me suprà allato; nam in illo id ex voluntate Christi dicit prouenisse. Tertiò, esset in graue Reipublicæ damnum, vt paulò post ostendam.

SVBSECTIO II.

Optima eius sententia ratio proponitur.

TErtia aliorum ratio sit, quòd Clerici in hoc puncto non sint exempti à iurisdictione temporali; quia exemptio non consistit in indiuisibili. Pro hac ratione citat P. Suarez Bartolum, Angelum, Panormitanum, Siluestrum, Victoriam, Sotum, Medinam & alios modernos. Confirmari ea potest inde, quòd perfectè respondeat difficultati propositæ, nihilq; in eâ contineatur absurdi; quia nihil dicitur contra exemptionem Ecclesiasticorum; nam ea in omnibus aliis conceditur: in hoc autem puncto ipsimet Pontifices eam negant: & reuerà necessarium videtur iure naturæ, vt talis subiectio in eis sit, ergo. Multa congerit P. Salas pro hac ratione, quam absolutè omnium optimam reputat: fusè enim ex Scripturâ, Patribus, Pontificibus & Imperatoribus ostendit, Ecclesiasticos nullo iure esse exemptos à iurisdictione ciuili in his legibus, quæ non sunt contrariæ eorum statui; addit rationes non contemnendas. Prima, quia Clerici verè sunt subditi Principum sæcularium; vnde hi tenentur eos defendere, & punire illos, à quibus vexati fuerint, prouidere de rebus necessariis in ciuitate, idque ex naturâ rei: ergo Clerici sunt verè illis subditi; ergo tenentur directè iisdem obedire.

44. *Clerici hic non eximuntur à iurisdictione temporali.*

Qui hanc rationem Salas probat.

Secundò, quia Episcopi non habent directam potestatem temporalem; ergo Clerici subiacere debent ciuili in ordine ad temporalia. Patet consequentia, quia non est expediens, vt Clerici maneant sine vllâ directâ subiectione. Non placet Patri Suario hæc ratio, quia multa iura sunt quæ dicunt absolutè & sine limitatione laicis super Ecclesias & personas Ecclesiasticas nullam esse potestatem, vt in cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ.* de constit. cap. *Benè quidem.* dist. 96. &c. *Cùm laicis* de rebus Ecclesiæ non alienandis; maximè verò in Concilio Lateranensi sub Leone X. dicitur enim, *Cùm à iure tam diuino quàm humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas tributa sit.* Secundò argumentatur, quia si Rex posset suâ lege directè & ex vi suæ potestatis obligare Clericos suis legibus, posset eius transgressores punire; quia potestas directa, teste Aristotele, inefficax est sine coactiuâ; vel certè posset Legislator ciuilis obligare Ecclesiasticum Iudicem vt puniret Clericum transgressorem: hoc autem est absurdum, ergo. Tertiò, quia Principes temporales valdè affectant & extendunt iurisdictionem in Clericos; & ideò si haberent iurisdictionem eos obligandi suis legibus, facilè illam extenderent vel ad coactionem seu pœnam contra transgressores, vel ad plures leges quàm statui Clericorum conueniat.

46. *Episcopi non habent directam potestatem in suos Clericos. Dissentit Suario hac ratio ob multos textus.*

Secundò reiicit illam argumento.

Tertiò reiicitur.

Ego, vt verum fatear, non obstantibus his obiectionibus, valdè probabilem & omninò veram censeo propositam rationem, tum ob auctoritatem tantorum Doctorum, tum ob rationes suprà in eâ insinuatas: maximè autem me monet auctoritas Cardinalis Bellarmini, qui Tomo 1. lib. 1. de Clericis cap. 28. expressè eam tradidit; & licet ageret ex professo contra hæreticos & pro libertate Ecclesiasticâ, non putauit tamen se per eam solutionem vllo modo ei libertati derogare, vt timet P. Suarez; ait ergo eo loco Clericos teneri ex vi directiuâ eis legibus parere, etiam ante Pontificum approbationem; nam post hanc etiam vi coactiuâ possunt ad eas seruandas compelli; sed

47. *Rationi superiorem veram censet auctor.*

Qui teneantur Clerici eis legibus.

Digitized by Google

reddit que optimam rationem fundatam in ipsâ naturâ rationali; nam Clerici non desinunt esse ciues Reipublicæ; ergo debent in his, quæ non sunt contra Ecclesiam, etiam obedire eis legibus. Vnde obiter infero, Clericos peccantes contra eas leges, non peccare contra ius Canonicum, sed contra ciuile; sicut peccarent laici easdem leges non obseruando.

Clerici subsunt ciuibus Reipublicæ.

48. *Occurritur obiectionibus Suarij.*

Ad obiectiones verò P. Suarez puto facilè responderi posse: & quidem vltima hæc non vrget, quia si laici trahant suam iurisdictionem vltra debitum terminum, debebunt contineri; sicut è contrario sæpè contingit, vt aliqui Episcopi suam Ecclesiasticam nimiùm extendant ad causas etiam laicas; nec tamen ideò absolutè vna aut altera neganda est, sed quælibet intra proprios ac sibi debitos limites retinenda. Et verò huic obiectioni etiam tenetur respondere P. Suarez: siue enim ex concessione Summorum Pontificum (vt ipse explicat, & de quo paulò antè) siue ex hac exemptione, de quâ agimus, certum est Iudices laicos de facto obligare posse Ecclesiasticas personas suis legibus: hæc autem est tota occasio dilatandi inìq; suam iurisdictionem; nam in eo non considerant ipsi, vnde habeant vim obligandi, sed, an illam habeant. Secunda autem ratio de vi coactiuâ minùs vrget, quia suprà diximus, eas duas potestates posse separari; vt de facto ipse P. Suarez cum omnibus eas separat in Legislatore, quem dicit obligari, non tamen posse cogi; quia hoc vltimum decens non esset: idem ego dico de Ecclesiasticis, eos posse obligari, non verò cogi; quia decens non est, vt persona Ecclesiastica puniatur à seculari. Textus illi allati pro primâ obiectione maiorem habent difficultatem; arbitror tamen eos maximè loqui in ordine ad puniendas personas Ecclesiasticas, vel in ordine ad disponendum de bonis Ecclesiasticis; & verò Concilium Lateranense, aliáque capita, si de potestate legislatiuâ simpliciter intelligantur, non subsistunt, etiam iuxta rationem, quam Pater Suarez affert pro communi sententiâ; nam in eis textibus dicitur, *Nec iure diuino nec humano vllam esse tributam potestatem*: at iure saltem humano, scilicet Canonico, est tributum Regibus, vt suis legibus ciuilibus & non contrariis immunitati Ecclesiæ obligent Ecclesiasticos: ita enim explicat Suarez, Cur Clerici teneantur obedire talibus legibus: videat ergo iam, quomodo textus illi eam ipsam concessionem Pontificiam negâtes explicari debeant: ergo omnes debemus dicere, ibi solùm esse sermonem de eâ potestate, quæ libertati Ecclesiasticæ præiudicat, obedientiam autem erga leges, de quibus hîc agimus, in omnium sententiâ non præiudicare eidem libertati.

49. *Respondetur eidem Secundæ.*

Ecclesiastici possunt obligari, non tamen cogi.

Quid sibi velint Suarij textus.

50. *An obediendo legi ciuili ipso præiudicetur Ecclesiasticæ libertati.*

Replicabis fortè, Videtur esse repugnantia in terminis, vt teneantur eis legibus obedire, & id non præiudicet libertati Ecclesiasticæ: etenim ea ipsa obligatio est contra libertatem; quia maior esset libertas, si neque ad id tenerentur. Respondetur, similem quodammodò efficere hæreticos obiectionem ad probandum, Christianos & iustos non teneri vllis legibus, quia præiudicat libertati Christianæ; quibus tamen respondemus, libertatem Christianam esse debere conformem rationi, non autem cum omni extensione excogitabili siue iustâ siue iniustâ; ideò Ecclesiastici, non obstante eorum immunitate, sunt subiecti legibus naturæ non minùs quàm cæteri. Quod verò ea libertas à legibus iustis ciuilibus non esset conformis rationi patet; quia si lex v. g. ciuilis prohibet vniuersaliter, ne extrahatur frumentum e Regno, ne sequatur grauis annonæ caritas, iniquum esset, si Ecclesiastici non obligarentur eâ lege, quia illi soli possent ingentem copiam euehere, & verò etiam ad eum finem emere, fortè maius damnum in Republica causare quàm laici ipsi. Idé est de lege non gestandi arma noctu ob rixas: si enim Ecclesiasticis id liceat, nullo latenus consulitur quieti Reipublicæ: vel quia illi inter se possent rixari, vel, quod grauius est, liberiùs possent in laicos insurgere: esset autem ea exemptio iniusta, quia esset in graue detrimentum aliorum; non est ergo credibile, Christum eam voluisse concedere, maximè cùm ex illâ è contrario nulla planè sequatur vtilitas vllius momenti. Est ergo ratio conclusionis valdè probabilis, & omnino vera, vt ex dictis circa rationem Vasq. Decij, Suarij & aliorum satis constat.

Adhuc tamen vnus contra illam restat scrupulus, quod in eo cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ.* de constit. quædam ordinatio facta à sæcularibus, etiam in fauorem Clericorum, de non alienandis bonis Ecclesiæ irritatur eo solo titulo, quòd non sit facta à Pontifice. Respondeo tamen illam ordinationem fuisse in præiudicium libertatis Ecclesiasticæ, meritóq; ideò cassatam; vnde nullo modo valet argumentum ad leges de quibus hîc agimus; fuisse verò talem, inde patet, quia solùm ferebatur in Ecclesiasticos: eo autem ipso iam ostendit Legislator se in illos quà tales habere iurisdictionem, & non solùm quà conciues: nam si fertur in eos vt ab aliis distinctos, ergo fertur in eos vt Ecclesiasticos; quia per hoc solùm distinguuntur ab aliis: id autem manifestè est contra libertatem Ecclesiasticam: vnde P. Suarez suprà ex Decio bene obseruauit, tunc leges ciuiles esse iniurioſas Clero, quando solùm illum respiciunt, etsi alioquin ratione materiæ videantur illis fauorabiles. Hæc dicta sint de obligatione parendi legibus ex vi directiuâ.

51. *Cur in cap. Ecclesiæ S. Mariæ. de constit. quædam ordinatio à sæcularibus facta irritetur.*

Leges ciuiles solum Clerum respicientes eidem sunt iniuriosæ.

SVBSECTIO III.

Quid de vi coactiuâ: & duæ aliæ quæstiunculæ solutæ.

52. *Clerici in leges ciuiles peccantes à quo puniri possint.*

CIrca vim coactiuam dicimus, Primò, Clericos, quatenus peccantes in leges ciuiles, posse à suis Superioribus Ecclesiasticis puniri; quia ipsorum personæ sunt maximè illis subiectæ quoad criminalia. Dicimus Secundò, eos non posse à laicâ potestate puniri, quia sunt ipsorum personæ ab eis maximè exemptæ quoad criminalia: vbi quæri obiter potest, an si Prætor deprehendat Clericum noctu portantem arma contra legem, possit ea illi auferre. Affirmat Couarruuias apud Patrem Vasquez suprà, qui sub distinctione respondet; ait enim auferre, vt omnino eis illum priuet, non posse; quia hoc esset punire illum saltem in bonis, ad quæ non habet ius: at verò auferre, vt obseruetur lex, & ne cum eis domum redeat, posse, dummodò postea illi ea restituat. Addit deinceps Vasquez, si arma sint per legem prohibita, vt nec domi possit quis ea habere, tunc etiam posse Iudicem ea mittere extra ciuitatem, non vt puniat Clericum, sed vt faciat obseruari legem; quæ mandat, vt actu extra Regnum arma sint. Quæ solutio mihi placet; nec video quid sit addendum.

An Clerico arma noctu ferenti possit ea Prætor auferre. Affirmat Couarruuias.

Vasq. distinctio solutioqi placet.

Duo verò circa ipsam subiectionem Ecclesiasticorum adhuc restant declaranda. Primum est, 53.

Digitized by Google

An Papa obligetur legibus alieni dominij in quo est Suar. negat.

verùm ipsemet Summus Pontifex obligetur eis legibus, quando existit in alieno dominio temporali. P. Suarez censet non teneri; tum quia iuxta ipsius principia, ipse est, qui iurisdictionem dedit seculari Principi, vt eas leges institueret; ergo tamquam superior ipso Legislatore non debet per eam obligari: tum quia, etiamsi obligatio veniat, ex ratione se conformandi cum toto, non videtur ob summã eius dignitatẽ eâ ratione vrgeri. *Probabiliùs affirmatur.* Ego tamen probabiliùs puto teneri; tum quia, esto vera sit sententia P. Suarez, quod Pontifex approbando eas leges sit Legislator quodammodò earum, non propterea excusatur ab obligatione eas seruandi; quia Legislator tenetur suis legibus, vt dicemus: tum quia dignitas & eminentia personæ non obest: nam ad suas leges ciuiles & Canonicas tenetur, nõ obstante torã eâ dignitate; ergo eodem modo per se tenebitur ad Imperatorias, quando est in Imperatoris terris: tum denique, quia Nicolaus Papa Primus verbis suprà à me citatis etiam videtur includere ipsos Pontifices in ordine ad leges ciuiles, sicut includit Imperatores in ordine ad leges Canonicas. Et sanè iniquum esset, si Pontifex in alieno dominio veller suum triticum cariùs vendere quàm per leges ibi cæteris liceat: ad quod punctum per accidens est, quòd ille sit ibi tunc in personâ, aut per ministros suos mandet id fieri.

54. *Leges ciuiles vt sint iustæ, non est opus vt sint in commodum Clericorum*

Secundum, quod declarandum occurrit, est, an, vt leges ciuiles reputentur iustæ pro Clericis, debeant redundare in commodum Clericorum: ita enim videntur multi sentire. Respondeo tamen cum Patre Suario num. 21. id non esse necessarium: sufficit enim, si lex respiciat commune bonum, & ad omnes extendatur, etiamsi per accidens aliquando huic aut illi Ecclesiastico non sit commoda; vt v. g. in lege non extrahendi frumentum è Regno consideratur totius Reipublicæ vtilitas, obligantur etiam Clerici; licet hi, si magnam habent copiam frumenti, potuissent habere maius lucrum illud foras mittendo. *Ratio.* Ratio verò conclusionis est; quia leges, eò quòd vniuersale bonum respiciant, aliquando huic homini sunt proficuæ, aliquando nociuæ, secundùm diuersas occasiones; ideóque non debent dici iniustæ, ob damnum per accidens in hoc aut illo inde secutum.

SECTIO IV.

Vtrùm Legislator obligetur suis legibus.

55. *An communitas vel Senatus obligetur lege à se lata.*

DIfficultas hæc nulla est, si Legislator sit tota communitas, nam tunc, cùm præter communitatem nullus alius sit, necessum est, vt si lata sit lex obligans, obliget personas indiuiduas constituentes eam communitatem: communitas autem vt sic, quia est quid fictum, non potest habere obligationem faciendi quidquam; si verò lex feratur à Senatu, eadem erit tunc de personis illius difficultas, quæ de Principe solo per se leges ferente: etiamsi P. Salas disp. 14. sect. 2. ad initium dicat de talibus Senatoribus omnino constare, eos directè teneri legibus; & verò etiam puniri, si illas non seruent; vnde potiùs cum Legislatore, de quo disputamus, æquiparat ipsam communitatem quàm Senatores, v. g. Rempublicam Venetam, Genuensem, Lucensem, & olim Romanam.

Communitas non est eum Legislatore comparanda, sed Senatus.

Ego tamen hanc comparationem minùs bonam censeo, & in nostrâ persistendum: nam communitas, licet habeat iurisdictionem supra singulos, in ordine tamen ad liberationem ab obligatione à legibus non potest comparari cum Legislatore; quia si communitas non seruet legem, nemo esset, qui illam seruaret: nam si ipsa communitas est caput, est & totum corpus. At cùm Legislator Princeps sit à subditis distinctus, etiamsi liberetur ab obligatione seruandi leges, manere hæ vtiles poterunt pro subditis: vnde quoad hoc punctum melius ei comparantur Senatores ferentes legem, quia hi distinguuntur à plebe, & possunt intelligi liberi ab obligatione, esto plebs obligetur: denique sunt actu quasi caput eius Reipublicæ. Sed rem intellige; de modo loquendi non est curandum.

Nota quibus de legibus hic sit quæst.

Illud tamen aduerte, quæstionem esse de legibus præcipientibus materiam ab ipso Legislatore factibilem; nam leges positiuæ pro sartoribus v. g. non possunt illum obligare; & sic de aliis, quæ directè & expresè sunt positiuæ pro subditis quà talibus.

SVBSECTIO I.

Status quæstionis, & eius resolutio.

56. *Pro parte negatiuã duplex est ratio.*

RAtio dubitandi pro parte negante duplex est. Prima, quia Princeps non est sibi ipsi superior; ergo non potest se obligare legibus suis per modum legis: nam per modum promissionis, iuramenti aut voti benè potest aliquis seipsum obligare. Altera ratio est, quia in lege *Princeps*, ff. de legibus, Princeps dicitur esse solutus legibus. Dixi duas esse pro eâ sententiâ rationes dubitandi: nam licet P. Salas septem ponat eâ sect. 2. à num. 11. omnes ferè ad primam reducuntur; aliæ verò, quòd Deus non se obliget suis legibus, non sunt ad rem, quia vel sunt leges naturales, & illis Deus tenetur; vel sunt positiuæ. & hæ sunt de materiâ quæ à Deo fieri non potest

Quibus legibus Deus teneatur, & quibus non.

57. *Communis affirmat.*

Iam ad alteram oppositam partem, in quâ communis sententia Theologorum cum D. Thomâ 1. 2. quæst. 96. art. 5. ad 3. docet, eos teneri, quam etiam Iuristæ & Canonistæ defendunt; illi ad dictam leg. *Princeps*. hi ad cap. *Cùm omnes*. de constitution. in eo enim dicitur, eum qui legem statuit debere eam seruare: & in probationem adfertur dictum sapiens Catonis, *Patere legem, quam tu ipse tuleris.* Idem videtur sensisse Symmachus, vt habetur 12. quæst. 2. cap. *Non liceat Papæ*. supponit se per eam ipsam legem ligari. Ambrosius lib. 1. Epist. Epistolâ 13. ait scribens Valentiniano, *Quod cùm præscripsisti aliis, præscripsisti etiam tibi; leges enim Imperator ferit, quas primus ipse custodiat.* Multa alia congerit P. Salas eâ sect. 2.

Nota dictum Catonis.

58. *Huic adhæret auctor. Prima quorumdam ratio ridicula.*

Hæc secunda sententia omnino tenenda est propter tantam auctoritatẽ; etiamsi difficulter valdè illius ratio reddi possit. Prima quorumdam desumitur ex eo principio, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Verùm hæc ratio ridicula est; nam alioquin etiã Princeps deberet obedire suis subditis, sicut ipse vult vt sibi obediatur; & non deberet vllus Iudex velle condemnare reum, quia ipse se condemnare non potest. Illud ergo principium solùm denotat, neminem debere alteri iniuriam facere, quàm sibi fieri minimè vellet ab alio. Secunda ratio sit P. Vasq. eâ disp. 167. cap. 3. qui putat, eam ex legibus Hispaniæ deduci, vt scilicet Princeps moribus & vitâ se conformet cum

Digitized by Google

cum suo corpore: sicut enim ius naturæ præcipit, vt obediant inferiores superioribus; quia non obedire, magna esset in corpore mystico dissonantia; ita è contrario ius naturæ dictat, Principem non debere alio iure viuere quàm populum, propter eamdem conformitatem. P. Suarez cap. 35. & Salas suprà censent, hanc rationem inducere præcisè obligationem sub veniali; quia ea discordantia non videtur esse grauiter mala. Faciliùs fortè reiicietur ea ratio ex dictis à nobis suprà; nam ea concordia nec sub veniali quidem obligat, nisi aliunde ostendatur alia obligatio: vt enim dixi, si omnes mei conciues pro libitu ex deuotione ieiunent, non cogor ego sub veniali ieiunare, vt me illis conformem: & idem est à fortiori in Principe. Idem est, si omnes ex deuotione, quę non inducat obligationem, audiant singulis diebus Sacrum, non ideò alter tenetur audire; & tamen ibi est tota ea ratio de conformitate partis cum toto. Respondebis, eo casu totum non operari ex obligatione. Bene. Quid inde? Certè si conformitas est, quæ obligat, eodem modo tenebor ego operari, siue illi operentur ex obligatione, siue non; nam obligatio illorum formaliter non est mea: ratio autem cõformitatis eadem est, siue illi liberè siue ex debito faciant. Præterea, etiamsi omnes priuatim vouissent eam rem. ideóq; ex obligatione operarentur, non tenerer ego eis conformari Denique valdè displicet ratio, quia leges in Republicâ nõ semper respiciunt omnes: Nobiles enim non tenentur ob conformitatem seruare leges ignobilium; & è contrario: vnde dicere quis poterit, Principem non debere regi sicut regitur subditus: vt enim ob conformitatem non tenetur ille vestitu, pompâ, cibis, &c. vti, quibus subditi; ita idem ad alias leges transferri facilè posset.

59. *Ratio Vasq; à Suario & Salas minùs benè reiecta. Reiicitur melius.*

60. *Mens Suarij.*

Pater Suarez eo cap. 35 num. 8. censet immediatè ab ipsâ lege Principem obligari, non verò ab extrinseco, ita vt in eadem specie vitij sit transgressio Principis, in quâ aliorum subditorum; quia per legem suam præcipiendo materiam aliquam, eam constituit vt necessariam ad virtutem, ad quam per se alioquin ea materia spectabat: id autem tam habet locum respectu ipsius Legislatoris quàm subditorum: censet autem ideò illum obligari suâ lege, quia Deus, qui dedit illi eam potestatem, contulit illam sub prædictâ conditione, vt scilicet ipse etiam obligaretur eâ lege: quod verò Deus id voluerit, probat ex ipsâ necessitate communis boni, ad quod hæc potestas ordinatur: datur enim in ædificationem, & non in destructionem. Denique, quòd bonum commune id petat, probat satis auctoritas communis suprà allata.

Quâ vi legislatiua ciuilis à Deo sit.

Ego hanc rationem non censeo vllo modo efficacẽ; quia, vt sæpè docui, potestas legislatiua ciuilis non est à Deo, nisi vt à creatore hominum, non autẽ vt à Legislatore vices suas, vt sic dicam, delegante: id quod sufficientissimè declaratur per illam conditionalem, quâ sæpè vsi sumus; quod esto per impossibile Deus non esset, si tamen essent homines, possent caput Reipublicæ eligere, cui tenerentur obedire: illud autem etiam tunc obligaretur suis legibus. Quam rationem benè etiam P. Salas num. 16. vrsit contra Patrem Suarez, licet eum non nominauerit. Aliter, si vis, declarare potes vim nostri argumẽti per aliam conditionalem; quòd esto Deus nihil sciret de potestate, quam homines tribuunt suo capiti, adhuc tamen illi tenentur obedire, & illud obligaretur suis legibus; ergo ea subiectio erga proprias leges non oritur ex delegatione potestatis à Deo cum tali conditione. Quòd verò posità iam electione capitis Deus dicat, *illi esse obediendum*, est per accidens ad punctum præsens; nam id propterea Deus præcipit, quia ratio naturalis dictat id debere fieri. Deus autem vult fieri omnia quæ ratio naturalis dictat; vnde esto diceremus, eo modo à ratione naturali dictari eam subiectionem, non deberet id reduci in voluntatem Dei sic delegantis; sicuti, quòd furtum sit malum, non reducitur in voluntatem Dei, sed in naturam ipsam furti ex se contrarij rationi naturali. Quod item docet, per legem humanam constitui materiam illius vt necessariam ad eam virtutem sæpè est à me suprà reiectum.

Fortasse probabiliùs dicetur, eam obligationem se accommodandi legibus oriri ex naturâ rei. Explico id in vnâ aut alterâ lege, vt ex illis liceat discurrere ad cæteras: si v. g. feratur lex ne quis frumentum euehat extra Regnum, ne sequatur annonæ caritas; certè ratio naturalis maximè dictat; id ipsum debere à Principe seruari, quia cùm ille soleat maiorem copiam habere frumenti, maximè per ipsum sequi posset ea caritas annonæ: eadem ratio est in taxa pretij: cùm enim eiusdem sit valoris frumentum Principis, quo aliorum, nec ex eâ denominatione, quòd sit Principis, habeat in se aliquam maiorem perfectionem, iniquum esset, si ipse obligaret cæteros ad vendendum certo pretio, ipse verò vellet cariùs vendere: similiter, si lex præcipit, vt omnes pro necessitate publica ieiunent, aut orent, cùm ea necessitas fortè magis Regem ipsum concernat; quia de pluribus ipse periclitatur quàm subditus; iniquus deberet iudicari Rex, si ipse cæteros in hoc puncto suo exemplo non præcederet: eodem modo discurrendo per omnes alias leges; vix vllam inueniemus, si tamen concernat materiam alioquin per se factibilem à Principe, in quâ non habeat locũ ratio à me data vt etiam Princeps teneatur eam seruare sicut cæteri. Consultò addidi, *ex his quæ Princeps seruare potest*; nam multa lex præcipit subditis quæ non decent Principem: vt v. g. si indicatur labor aliquis pro ædificio publico, munitione, &c. item, si præcipiat, ne quis arma portet: id non decet Principem, tum quia in eo per se cessat finis legis, vitare scil. rixas; hæ enim per se non timentur à Principe; tum quia, cùm ad ipsum spectet cæteros coërcere, potiùs expedit vt gestet arma; vt si fortè deprehendat aliquos delinquentes, habeat secum quo eos coërceat, & armatos qui eos capere possint. Hinc ego dico, sicut ex eo, quòd ratio naturalis, ob inconuenientia ex illis secuta, dictat nobis, mendacium, fornicationem, &c. esse mala, benè inferimus, nos teneri sub peccato ea vitare; ita eodem modo, ob mala assignata in non obseruatione, rationem naturalem dictare, Principem debere illas leges seruare non minùs quàm cæteras.

62. *Vnde oriatur obligatio se accommodandi legibus in Principe.*

Quas leges Princeps honestè seruare nequit.

Rationem à priori sic vltimò ego formo, reducendo id in voluntatem saltem implicitam eorum qui ipsum in Legislatorem elegerunt; nam illi non se subiecerunt vt serui domino; qui tantum vtitur seruo in bonum suum, non in bonum serui; sed subiecerunt se illi in bonum totius Reipublicæ: ex quo capite diximus suprà illum non posse leges ferre, nisi quæ sint Reipublicæ vtiles: ergo non potest etiam vti eâ potestate grauando subditos, & inde suam solùm vtilitatem

63. *Ratio à priori, cur Princeps leges seruare debeat.*

Digitized by Google

eliciendo: id quod fieret, si ipse non seruaret eas leges, vt paulò antè ostendi: ergo implicitè illum obligarunt ad earum obseruationem: neq; obest, quòd expresè non sint cum illo eâ de re pacti: ex quo capite minùs placet Patri Suario hæc vltima ratio à priori; nam licet non expresè, virtualiter tamen id intelligitur, ex eo quòd dederint illi eam potestatem in bonum Reipublicæ: vnde concludimus, illum tunc obedire Reipublicæ, quæ per illas leges, quibus ipse obligat Rempublicam, voluit ipsum obligare; neque inconueniens est, eos esse quasi inuicem subiectos in ordine ad diuersa. Et hinc facilè intelligitur independenter à speciali Dei volitione in eâ delegatione dari in Principe obligationem seruandi suas leges: per quod tamen non negamus, sicut potest dispensare ob iustas causas cum aliis, non posse etiam secum; nam ad hoc non negauit illi communitas aut ratio naturalis potestatem.

Princeps est subiectus Reipublicæ, & hæc illi.

Idem potest dispensare secum.

64. *An Princeps ciuiliter obligari possit.*

Aduerte, hîc inter nonnullos Iuristas disceptari, vtrùm Princeps obligetur suis legibus ciuiliter: quidam enim negant, eò quòd obligatio ciuilis includit etiam, quòd posset per pœnam cogi ad leges seruandas; Princeps autem non obligatur ad pœnam: alij verò dicunt obligari ciuiliter, quia obligatur ad leges ciuiles. Hæc tamen dissensio tota quanta est de solis vocibus, scilicet de significatione *obligationis ciuilis*, an scil. dicat obligationem pœnæ, nec ne. Ideò explicatis terminis non potest esse ibi vlla dubitatio, nisi quatenus inquiri potest, an Princeps incurrat dignitatem pœnæ. de quo nos paulò post.

SVBSECTIO II.

Respondetur obiectionibus: & magis declaratur ea obligatio Principis.

65. *Cur Princeps suâ lege teneatur.*

EX his respondetur ad rationem dubitandi suprà positam. Dicimus enim Primò, Principem ideò teneri, quia in eo puncto subiectus est communitati, à quâ potestatem accepit. Secundò, licet non ex eo capite teneri tamen ex naturâ rei positâ lege, eò quòd eædem rationes, ob quas alios obligat, vrgent, vt ipse simul eas seruet. In quâ ratione nō recurro ad eam conformitatē partis cum toto, sed ad dāna inde secuta.

Replica.

Replicabis, Quid si iure belli & non electus à populo acquisiuit iurisdictionem, tunc non potest recurri ad voluntatem communitatis. Respondeo etiam tunc non censeri (posito quòd non velit eos habere vt mancipia) aliam acquisiuisse iurisdictionem, quàm quæ est in aliis Legislatoribus: & saltem tunc obligat ratio naturalis à me deducta ex necessitate eius obseruationis legum in Principe.

Solutio.

66. *Quid intelligenda sit L. Princeps.*

Ad secundam rationem desumpam ex lege *Princeps*, respondetur communiter, eam intelligendam de exemptione Legislatoris à vi coactiuâ, de quâ statim, non à directiuâ, de quâ hucusque. Dixi communiter ita eam legem explicari: ego, autem valdè duram censeo hanc explicationem, propter alias leges, quibus clariùs videtur insinuari ea libertas Imperatorum etiam à vi directiuâ; nam l. *Ex imperfecto*. Codice de testamentis, sic habetur, *Licet lex imperij* (id est dignitas imperij) *solemnibus Imperatorem soluit; nihil tamen tam proprium Imperatori est, quàm legibus viuere.* Certè in hac lege non potest verbum illud, *soluit solemnibus iuribus*, intelligi de libertate à vi coactiuâ; nam eo modo, quo dicitur solutus, dicitur tamen proprium illius secundùm leges viuere: atqui non vinit coactiuè secundùm leges, sed solùm directiuè: ergo à vi directiuâ solutus est. Idem vrgeo ex §. vlt. Instit. vbi sic habetur, *Secundùm hoc D. Seuerus & Antoninus sapissimè scripserunt; Licet legibus soluti simus, attamen legibus viuimus.* Quæ verba manifestè denotant eos sensisse, se obligatos non fuisse ad leges seruandas: quid enim se iactarent solutos, si non minùs quàm cæteros se obligatos censerent? & quid componerent obseruationem actualem legum ei libertati, si reuerà tenerentur? de coactione autem nihil illis verbis insinuatur: & non tam debuissent dicere, *Soluti sumus legibus* (quæ verba sunt vniuersalia, & omnes leges includunt) quàm, *Soluti sumus à pœnâ legum*: quod longè aliud est. Idem etiam constat ex lege *Ex imperfecto*. ff. de legatis 3. vbi hæc: *Ex imperfecto testamento legata vel fideicommissa Imperatorē vindicare verecundum est: decet enim tantæ Maiestati eius seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur.* Quibus vltimis verbis manifestum est sermonē esse de solutione ab obligatione: cui obligationi cōponitur decentia seruandi: ea autem decentia non est in ordine ad pœnā subeundam, sed ratione obligationis leges seruandi: ergo hanc obligationem ibi negant Imperatores. Vnde concludo, mihi valdè probabile esse, eos sensisse se esse liberos ab eâ obligatione; nihilominùs, addo, eorum testimonium in hoc puncto non esse vllius momenti, quia cùm hæc obligatio non pendeat ex eorum voluntate, neque ipsi eam possint à se excutere, non est curandum, quid ipsi dicant: in eo enim puncto loquuntur vt priuati homines, non vt habentes vim decisiuam. 67.

Videtur Imperatores etiam à vi directiuâ legum solutos esse.

Proprium est Imperatori legibus viuere.

Quantum valeant illa Imperatorum testimonia.

Illud iam in dubium verti potest Primò, an ea obligatio sit tanta, vt sufficiat ad peccandum mortaliter. Pater Salas num. 18. cum Patre Azor putat Principem non obligari nisi solùm sub veniali; quia ea obligatio solùm prouenit ex honestate & æquitate rationis, vt suo exemplo alios inuitet & alliciat: & hoc confirmat; nam leges, quæ dicunt Legislatorem teneri, vtuntur verbis decentiæ, &c. quæ omnia solùm significant obligationem sub veniali; vnde infert consequenter, non peccare Papam mortaliter, semoto scandalo, si non seruet suas leges positiuas; conatur autem ostendere, Caietanum etiam in eâ fuisse sententiâ. Ego tamen, quorumcumq; ea sit, censeo quidem probabilem esse; nihilominùs tamen longè probabilius, esse ex se grauem: quod Primò ostendo ex sententiâ communi; nam eam limitationem, quòd sit leuis, solus Azor & Salas ponunt; cæteri omnes supponunt esse iuxta materiæ qualitatem eodem ferè modo, quo in subditis, esto varient in reddendâ ratione. Secundò, Ambrosius suprà relatus non aliter insinuat Valentiniano teneri eum suis legibus, quàm teneantur cæteri: idem videtur supponere Symmachus Papa relatus suprà. Tertiò, rationes à nobis factæ simpliciter probant Principem obligari ex naturâ rei; ergo, cùm materia sit grauis, & damna ex eâ non-obseruatione secuta, vt suprà ponderauimus, eodem modo videantur in Principe quàm in aliis vrgere, consequenter dicendum est, eam obligationem esse grauem. Denique si in materiâ graui agnoscimus naturalem obligationem, debemus absolutè eam grauem dicere, nisi habeamus positiuum argumentum ad eam limitandam; quale nullum est in præsenti. 68.

Quanta sit ea Principis obligatio Salæ & Azor opinio.

69. *Probabilius est, sub graui peccato, pro materia tamen quantitate & qualitate.*

Quod

Digitized by Google

Quòd verò dicebatur de eâ decentiâ, parum vrget; etenim iam ostendi, maiorem esse obligationem illam quàm ex decentiâ. Addo, si solùm vsurpetur vox *decentia* in rigore, non inferre vllam obligationem, etiam sub veniali; quod tamen falsum esse ipse Salas fatetur; ergo ex hac voce nihil decidendum est.

70. *An Legislator obligetur legibus municipalibus Prouinciarũ sibi subditarum.*

Secundò quæri potest, an Legislator teneatur seruare leges municipales Prouinciarũ sibi subiectarum. Respondetur communiter, eum non teneri; quia talia statuta & leges sunt ab inferiori potestate & iurisdictione, ideóq; non habét vim obligandi eum qui habet superiorẽ iurisdictionem; vnde dicunt Legatum Pontificis nó teneri peculiaribus legibus Episcopatus vbi manet; imò addunt aliqui, etiamsi illa statuta aut leges sint approbatæ, aut certè etiam latæ ab ipsomet Principe pro eis Prouincijs, non tamen teneri, eò quòd nõ sint latę pro totâ Republicâ, sed pro determinato loco; neque est vlla ratio, cur caput totius Reipublicæ teneatur illa seruare. Quam extensionem limitat Pater Suarez, nisi talis locus sit quasi habitatio propria seu curia Principis; vt Roma respectu Pontificis; censet enim ad statutum pro eo loco teneri etiam Pontificem; & sic de alijs Principibus; quia ibi se habent tamquam ciues.

71. *Improbatur ratio sententiæ communis.*

Vnus mihi scrupulus in hac communi sentẽtiâ restat; nam ratio adæquata illius videtur esse omnino inefficax: illa enim desumitur (vt vidimus) ex eo, quòd leges illæ municipales sint ab inferiori iurisdictione, ideóq; non videantur habere posse vim ad obligandum Legislatorem: sanè hæc ratio, si diligenter perpendatur, etiam probat, illum non teneri legibus vniuersalibus pro toto suo Imperio, contra superiùs dicta. Probo autem sequelam; nam tales leges; licet non proueniant ab inferiori, veniunt tamen à non superiore, quia nemo sibi superior est: ad obligandum autem per leges certè non sufficit, quòd nõ sit inferior, sed requiritur, vt sit superior ille qui obligat: quòd si recurratur propterea ad aliud caput, nempe vel ad Deum dantem eã iurisdictionem (vt dixit P. Suarez) vel ad naturam rationalem, vt nos docuimus, iam hęc omnia habere etiam poterunt locum respectu legum municipalium. Deinde, quod addit P. Suarez de loco, vbi moratur ordinariè Princeps, etiam potest ad alias Prouincias, in quibus quasi in transitu manet, applicari; dictum est enim suprà peregrinos obligari perinde ac si ibi manerent; ergo etiam Princeps obligabitur non minùs in Prouinciâ suâ, vbi est per modum transitus, quàm si esset permanenter. Ostendo id meo iudicio efficaciter in Episcopo, qui pro aliquo districtu ex suo Episcopatu, vbi tamen non habet suam ordinariam residentiã, indixit Festum fori perpetuum, ob aliquam specialem rationem ibi vrgẽtem; certè si die, quo illud Festum celebratur, contingat ipsum ibi manere, non video, cur non teneatur audire ibi Sacrum, & abstinere ab opere: & tamen ille Episcopus respectu eius loci reputatur sicut Imperator respectu vnius ex Prouincijs multis ad Imperium pertinentibus. Idem fortè clariùs in alijs legibus ostendere possum: v. g. ob sterilitatem Prouinciæ alicuius cautum est lege, ne inde frumentum in aliam etiam eiusdem Regni Prouinciam euehatur, v. g. è Castellâ in Arragoniam, aut è contrario, ex Arragoniâ in Castellam: certè, si Rex Hispaniç habeat propriũ frumentum in eâ Prouinciâ, etiam obligabitur illâ lege non extrahendi illud, ob omnes rationes suprà datas; ad ostendendum quòd obligatur Legislator suis legibus; & tamen non habet ibi suam ordinariam sedem: ergo obligatur legibus municipalibus.

72. *Suarez ista ratio rejicitur.*

Vrgetur clariùs.

Respondebis, ratione frumẽti perinde se habere ac si ibi moraretur. Sed contrà, quia ratio sententiæ communis solùm desumitur ex eo, quòd illa lex non est vniuersalis; hoc autem verum est, siue ratione frumenti dicatur ibi Princeps habere sedem, siue non. Fortè, iuxta limitationem Patris Suarez, probabiliùs dari posset ea responsio; nihilominùs sic vlteriùs vrgeo, quia idem omnino dicendum est, esto illud frumentum ei esset tunc dono oblatum à subditis; deberet enim illud ibi vendere; & tamen tunc non haberet vllum proprium titulum ciuis eius Prouinciæ: secludo iam casum necessitatis, quo alibi indigeret valdè eo frumento; nam tunc sine dubio posset illud extrahere. 73.

Ob hanc rationem puto valdè probabile, etiam ad leges municipales illum teneri, quando in eis Prouincijs commoratur; etiamsi non habeat fixam sedem: propter auctoritatem tamen communem contrarium defendentem etiam absolutè ego id iudico probabilius. Vt verò difficultati propositæ fiat satis, dico, rationes, quas nos fecimus suprà, ad probandum Legislatorem obligari suis legibus, non habere per se locum in illo, quando in transitu solùm est in vnâ aut alterâ ex suis Prouincijs: quia cùm ille sit vnus casus particularis, & breui tempore durans, non possunt inde timeri ea incommoda, quæ ex cõstanti non obseruatione legum vniuersaliũ timeri possent. 74. *Probabile est eum talibus legibus teneri; sed auctoritas cõmunis contrarium persuadet. Obiiciatur rationibus suprà datis.*

Replicabis, Ergo etiam peregrinus non tenebitur seruare leges loci per quem transit; quia etiam ille est vnus extraordinarius casus, ex quo nulla timeri possunt mala. Respondeo negando consequentiam; nam peregrini alij non considerantur vt vna persona, sed vt multæ, quę frequẽter solent transire, multæq; simul conuenire; vnde iam per se ibi militat ratio vniuersalis legum; Legislator verò non est nisi vnicus, & rarò discurrens per eas Prouincias; ergo non possunt ibi timeri ea damna, ratione quorum illum diximus obligari suis legibus, quæ sunt vniuersales; & consequenter ordinariè occurrit earum materia, aut quæ obligant ipsum in loco, vbi ordinariam suam residentiam habet: ex quo assignatur disparitas inter vnum & alterum casum. 75. *Cur peregrinus teneatur legibus eius loci per quẽ transit, & non Legislator.*

Ad instantiam primam de Episcopo, qui videtur obligari ad Festa illius loci vbi actu est, etiãsi non resideat ibi ordinariè, respondeo, posse dici, secluso scandalo, illum non teneri. Ad secũdam de frumento dico, teneri Principem suum ibi frumentum iuxta pretium pro eâ Prouinciâ taxatum vendere, aut non extrahere; quia leges illæ non cadunt, vt sic dicam, supra personas, sed supra frumentum ipsum; ratione cuius vrgent omnes rationes, quæ suprà allatæ sunt, ad probandum Legislatorem, obligari: & ad hoc per accidens omnino est, quod ille in personâ alibi habitet; quia ibi censetur habitare, vbi negotiatur & agit: ergo in ordine ad eas actiones debet censeri perinde ac si ibi haberet suam curiam; vnde nullatenus sequitur illum teneri etiam legibus quæ solam personam illius respiciunt, quæque non manet constanter in eo loco. 76. *An Episcopus, secluso scandalo teneatur ad Festa illius loci, per quẽ solùm trãsit, ibique nõ residet. Princeps ibi censetur habitare, vbi negotiatur & agit.*

Digitized by Google

SVBSECTIO. III.

Quomodo Legislator subiaceat vi coactiuæ legum & legibus irritantibus.

77. *Sententia communis. An Principissa huic vi coactiuæ legis subiaceat.*

CIrca vim coactiuam legis potest quæri, an illi subsit Princeps. Communis sententia docet non subesse; & in eo sensu explicatur lex suprà aliata; Principissam verò teneri ex rigore, quia habet supra se Principem, à quo posset puniri; frequenter tamen ab eâ obligatione liberari ex benignitate Principis. Ratio primæ partis huius sententiæ (nam cætera facilia sunt) desumitur ex eo, quòd nec Princeps ipse potest sibi determinate pœnam; nec decet vt à subditis id fiat. Quod confirmant aliqui; nam pœna ex se imponitur inuito; ergo Princeps sibi ipsi eam non potest imponere, quia tunc non ageret inuitus: ex eodem autem capite patet, non posse imponi à subdito; quia ab inferiori nemo potest inuitus cogi.

An Legislator fiat dignus pœnâ.

Dices, ex his solùm probari, non esse à quo possit puniri; non verò, illum non esse dignum pœnâ; ea enim duo diuersa sunt. Respondetur, Legislatorem non esse dignum pœnâ, quia neq; à seipso ad eam obligatur; neque à Republicâ, dum ei est tradita iurisdictio, quia de eiusmodi obligatione nullum est fundamentum; neque à Deo, neque à iure naturali, quia non est vlla ratio aut auctoritas quæ id persuadeat: cúmque pœna alioquin per se perat violentiam, non fuit conueniens illi subdi Legislatorem: esset enim superflua illa obligatio, cùm non possit moraliter ad executionem perduci.

78. *Probabilius est eum posse fieri pœnâ dignum. Probatur id exemplo Suarij.*

Ego tamen, his non obstantibus, censeo, per se loquendo, etiam Legislatorem posse reddi dignum pœnâ, licet tũc temporis non sit qui violenter eam ei possit infligere: in quam doctrinã videtur Pater Salas consentire eâ sect. 2. num. 18. id quod meo iudicio probatur manifestè exemplo quodam à Patre Suario allato, & non soluto vllo modo, scilicet de Generali alicuius Religionis; qui si in Generalatu graue aliquod peccatum committat, licet tunc non puniatur, punitur tamen posteà, quando elapso tempore deponit officium: vnde argumentor, Ergo tunc temporis promeritus fuit pœnam; alioquin posteà ea illi infligi non posset. Vrgeo id instantiâ communiter certâ, Si Pontifex in hæresim incideret, ob quam posteà deponeretur ab eâ dignitate, posset iam depositus puniri pœnâ hæreticorum; & tamen quando eam hæresim commisit erat adhuc supremum caput, ergo etiam tunc contraxit debitum eius pœnæ; alioquin iniustè posteà puniretur. Idem manifestè patet in alijs etiam supremis capitibus, quæ sæpè ob crimina merentur depositionem ex dignitate; ergo ratio supremi Legislatoris non excludit eam dignitatem ad pœnam. Quod verò dicitur de vi coactinâ non vrget; tum quia non omnis pœna petit eam vim; nam qui pœnitentiam agit pro peccato, potest ipse assumere in pœnam voluntariè hoc aut illud. Vbi miror Patrem Suarium adeò vrgere hoc principium, qui tamen agens de permissione peccati optimè docuit, vnum peccatũ posse à Deo in pœnam alterius permitti; quantumuis illud idem peccatum, quod in pœnam est, sit ipsi homini voluntarium. De quo puncto nos cum eodem Patre Suario contra Patrem Vasquez fusiùs diximus Tomo primo.

Pontifex lapsus in hæresim posset post depositionem puniri.

79. Secundò verò ostendo, posse in Principe eam esse obligationem pœnæ; nam licet ad sibi vitam auferendam aut membrum aliquod abscindendum obligari non possit, neque ad eiusmodi pœnas decens fuerit, vt Respublica haberet ius in illum durante eius dignitate; cur, quæso, non poterimus dicere, esse in illo obligationem acceptandi voluntariè aliquam pœnam aut pecuniariam aut afflictionem corporalem pro delicto commisso, quam si non exequatur, peccet de nouo, & possit posteà, si dignitatem deponat, à Republicâ eam ob causam etiam puniri?

Probatur Secundò à ratione.

Dices: Nullus reus tenetur acceptare pœnam ante latam sententiam à Iudice; ergo Princeps, qui non habet Iudicem supra se, non tenebitur eam pœnam acceptare. Respondeo Primò, posse per leges aliquas pœnas ita imponi, vt obligatio eas explendi non pendeat à sententiâ Iudicis: sicut enim lex obligat ad efficiendum hoc vel illud, inexpectatâ etiam vllâ aliâ sententiâ Iudicis, cur, quæso, non poterit obligare, vt casu quo committatur hoc aut illud delictum, statim ipse reus teneatur hanc aut illam pœnitentiam agere? Certè in hoc puncto præcipiendi nec leuem ego video repugnantiam. Cur ergo hoc modo nõ poterit ipse Legislator teneri ad pœnam aliquam acceptandam? Respondeo Secundò, in subditis ordinariè expectari sententiam Iudicis, quia pœnæ solent esse tales, vt ab ipso reo nequeant infligi; vel quia supponitur non executurus eas perfectè, ideò per vim cogitur: at in Legislatore, cùm non expediat, vt per vim tunc temporis cogatur, debet id reduci in nouam obligationem eius pœnæ à seipso persoluendæ.

80. *Non omnis pœna impositio pendet à sententiâ Iudicis.*

Cur in subditis expectetur regulariter sententia Iudicis.

81. *Pœna necessitas est ob bonos mores.*

Dices, Pœna non est per se intenta, neque ordinatur ad bonos mores, sed per accidens pro delinquentibus. Respondeo, pœnam esse necessariam pro bonis moribus, quatenus eius timor sæpè causat bonos mores. Quæ ratio non minùs habere potest sæpè vim in ipso Legislatore, quàm in alijs; nam si solùm ad tempus sit supremus, tunc timere meritò potest, ne posteà depositus officio grauiter puniatur: deinde sæpè, si peccata essent talia, quæ nullius pœnæ subeundæ in hac vitâ annexam secum haberent obligationem, faciliùs fortè ea committeret, quàm dum scit se incursurum obligationem pœnæ; nec posse ab eo peccato liberari, nisi pœnâ expletâ: sicut ex eo, quòd omni furto annexa sit obligatio restituendi, nemo poterit dubitare, multos ex eo capite deterreri ne furentur, qui furati fuissent, si posteà illud peccatum remitteretur; sicut remittuntur alia, quæ non inducunt obligationem nouam.

82. *An obligetur Princeps legibus contra. Etiũ formas præscribentibus aut eos irritantibus. Videtur teneri talibus legibus.*

Vltimò, in hac materiâ verti potest in dubiũ, vtrùm etiam Princeps obligetur legibus præscribentibus formas contractuũ, aut eos irritantibus. Quidam ex his, qui censent, Principem non incurrere vllam obligationem pœnæ, dicunt etiam his legibus non teneri; iudicãt enim eas esse pœnales. Hęc tamen ratio nulla est, quia leges illæ imponuntur ante omne delictum, & non ad illud puniendum; sed potiùs præscribendo modum quo actio aliqua fiat honestissimè; vnde dicendum est, eodem modo, per se loquendo, eos ad eiusmodi leges teneri, quia videntur eædem esse rationes pro his, quæ fuêre pro alijs legibus. Dico *per se loquendo*, quia in his rebus minus periculum est, si à Principe non seruentur tales leges: quod meo iudicio clarè ostendo; nam eiusmodi solemnitates requiri maximè solent

83.

Digitized by Google

lent (vt sæpè diximus) ad vitandas lites, quæ suboriri solent, dum hic affirmat se contraxisse, alter negat, &c. tum ad impediendum, ne aliquis prodigè sua vendat. Hæ autem rationes in supremo Principe cessant; nam ipsi simpliciter asserenti se vendidisse, emisse, &c. credendum est; nec debet in eo præsumi mendosa & fallax vsurpatio alicuius rei. Præterea cùm in eo supponatur maior prudentia & consideratio, non videtur egere eis quasi impedimentis ad contractus ineundos; ergo non est adeò necessum vt eiusmodi leges seruet. Et huic opinioni fauet lex *Ex imperfecto*, Cod. de testamentis, quam suprà posuimus: in quâ dicitur Imperator liber à solemnitatibus iuris: quia tamen, etiam si hæ rationes minùs hîc vrgeant, videtur valdè congruum, vt Imperator in rebus, quæ nullam secum habent indecentiam, qualis est obseruatio harũ legum, præbeat suis subditis exemplum, & eadem regatur cum illis regulâ, dicendum est eum absolutè teneri: quòd si aliquando scienter non seruet tales solemnitates, credendus est dispensare secum; quia non est præsumendus velle facere tunc inualidum actum.

Earum non obseruantia minùs mali causat in Principe quàm subdit.

DISPVTATIO XVI.

Quæ & qualis sit legis ciuilis obligatio.

1. EXPLICATIS his quæ ad valorem legis possunt requiri tam ex parte potestatis quàm ex parte materiæ & personarum, iam ad formalem ipsius legis vim obligatiuam veniendum erit. Prius tamen aduerto, nonnullos hîc agere, vtrùm intrinseca Legislatoris sit intrinseca forma legis; &, an ratio legis sit intrinseca legi. Vtraque tamen hæc difficultas aliò planè spectat, ad legẽ scilicet in communi, aut saltem ad legem positiuam: neque habet quidquam speciale magis in ciuili quàm in Canonicâ, quàm in diuinâ: de vtraque nos suprà; vbi circa primam diximus, ipsam formalem essentiam legis positiuæ esse voluntatem Legislatoris: explicauimus item, qualis debeat esse ea volitio: circa secundam item suprà tractatum est; & probatum, eo ipso quòd lex non possit esse, nisi res præcepta sit iusta, etiam eam iustitiam ipsiusmet obiecti præcepti esse inadæquatam essentiam legis: quia si manente volitione obligandi, promulgatione, &c. auferatur sola honestas ex obiecto præcepto, iam eo ipso desinit ea volitio esse lex: ergo honestas illa pars erat legis. Patet consequentia ex argumento communi, quo sæpè vsus sum contra connotantes: nam omne illud, quo præcisè & formaliter ablato, & nullâ aliâ ab eo distinctâ entitate destructâ, destruitur denominatio totius, est pars componens illud totum; alioquin sine illo manerent omnia componentia illud totum, & consequenter maneret etiam totum; quia hoc non distinguitur, nec quidé ratione ratiocinatâ ab omni eo quod est compositiuum intrinsecum, seu quod est essentia illius vt per se patet. Non dico honestatẽ obiecti esse partem volitionis, sed partem legis; quia lex plus dicit quàm eam volitionem; nam (vt dixi) manente eâ totâ volitione, si honestas deesset re ipsâ obiecto, etiamsi Legislator putaret esse honestam, & amaret illud tamquam honestum, adhuc tamen ea volitio non esset lex, licet esset eadẽ numero volitio quę iam est: ergo illi deesset aliquid quod pertineret ad constitutionem legis; sed nihil aliud deesset, quàm honestas illius obiecti; ergo ea honestas esset partiale cõstitutiuum volitionis in ratione legis formaliter, licet non in ratione volitionis physicæ. Neque inconueniens est, vt ea duo in ordine ad constitutionem vnius denominationis conueniant, licet vnum sit obiectum alterius: sicut forma equi est effectus productus à materiâ; & tamen in ordine ad denominationem equi, seu ad essentiam equi compars est ea forma cum materiâ equi. Quod Pater Suarez benè ad aliud propositum obseruauit, etiamsi hîc contrarium sentiat respectu legis; dicit enim eam honestatem esse quid extrinsecum legi, & solùm esse obiectum illius. sed ex dictis satis id refutatum est.

Præpostero hic quidam agunt.

Iustitia legis est pars eius essentia.

2. *Honestas obiecti est pars legis.*

SECTIO I.

Vtrùm lex humana obligare possit in conscientiâ.

3. *Gersonis sententia.*

GErson in 3. part. Tractatu de Vitâ spirituali, lect. 4. Alphab. 62. docet, solum Deum posse dare præcepta obligantia sub pœnâ mortis æternę; vnde ait, quoties peccari videtur contra legem humanam, non incurri culpam ex transgressione legis humanæ, sed diuinæ, quæ ibi coniungitur; vt cùm Medicus dicit infirmo, *Non bibas vinum, quia morieris, si biberis*, infirmus bibens peccat non quidem contra mandatum Medici, sed contra præceptum naturale non comedendi aut bibẽdi ea quæ causant mortem: quod præceptum incœpit obligare, cùm primùm Medicus declarauit vinum esse nociuum. Pater Vasquez disp. 154. cap. 2. eum conatur in bonum sensum interpretari: idem etiam præstat Pater Salas disp. 10. sect. 1. vbi tamen eum inconsultè, periculosè & scandalosè locutũ esse dicit. Quidquid verò de illius mente sit quoad omnes leges humanas seu quoad ciuiles, de quibus nunc maximè agimus, Almainus videtur idem sentire lib. de Potestate Ecclesiæ cap. 12. citat etiam P. Suarez duos vel tres Iuristas, qui idem sentiunt: vbi proximè idem tribuit quibusdam recentioribus. Fundamenta huius sententiæ commodiùs post nostram proponentur & soluentur.

Vasquez eum excusat, Salas incusat.

Almainus & quidam alij idem videntur sensisse.

4. *Lex ciuilis obligare potest in conscientiâ.*

Certa ergo ac communis sententia docet, etiam leges ciuiles obligare posse in conscientiâ, siue sub mortali, siue sub veniali: de quo posteà. Ita D. Thom. hîc quæst. 46. art. 4. vbi idem sentiunt omnes eius commentatores: ita D. Antoninus, Sotus, Castro, Salmeron, Bellarminus, Turrianus, Couarruuias & alij apud Suarez cap. 21. & fusiùs apud Salas loc. cit. Fundatur autem hęc sententia in Scripturâ sacra: nam ad Romanos 13. dicitur, *Qui resistit potestati; Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt:* id quod de damnatione apud Deum intelligunt sancti Patres & commentatores ad hunc locum: & videtur inferri clarè ex prioribus verbis, *Dei ordinationi resistit:* nã ordinario Dei in conscientiâ obligat; & ei resistere sine dubio apud Deum damnationem meretur. Aduerte tñ *damnationem* non denotare ibi expresè damnationem æternã, sed solùm, quòd ille sit reus apud Deum

Explicatur locus Pauli.

Digitized by Google

Deum siue grauis culpæ, siue leuis; quia hoc ex materiâ & modo obligationis posteà decidendũ est. Addit item Paulus, *Non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam:* ergo sentit in conscientiâ nos teneri ad obediendũ. Et Petrus Epistolâ primâ c.2.dum dicit, *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deũ: siue Regi*, &c. addit, *Quia sic est voluntas Dei:* ergo si Deus vult vt simus subditi, facimus contra voluntatem Dei, dũ non obedimus illis; ergo in cõscientiâ malè agimus, quia facere contra voluntatẽ Dei sine dubio in conscientiâ malũ est, & non solùm in foro exteriori, vt sic dicam. Alia testimonia vide apud Salas num.7. Rationes variæ adferri solẽt pro hac sententiâ, quas Suarez, Salas & alij tangũt; ego verò iudico non esse admodum solidas.

5. *Rationes pro hac sententiâ debiles.*

Prima est, quia Princeps humanus est minister Dei, vt ex locis citatis constat: ergo qui illũ contemnit, cõtemnit Deum; ergo in conscientiâ malè agit. Vnde ad Samuelem, quem Israëlitæ noluerunt habere Iudicẽ, dixit ipse Deus 1. Regum.18. *Non te abiecerunt, sed me.* Hęc ratio mihi inefficax videtur: nam suprà diximus, potestatẽ humanã non esse propriè à Deo vt Legislatore, sed vt Creatore: quod ea conditionali explicui; nam si supponeremus per impossibile homines existere Deo non existente, posset eodem planè modo in Republicâ esse potestas ferendi leges & eodem modo illæ etiam tunc obligarent in conscientiâ. Confirmatio, quę ex Samuele adducitur, non vrget; quia ibi non intervenit inobedientia erga legem, de quâ hîc agimus; sed, quòd voluerint loco vnius capitis habere aliud; cùm tamen Iudices illi tunc essent à Deo constituti specialiter: ostenderunt ergo Iudæi, se non esse contentos Iudice sibi à Deo assignato, ideóque Deum implicitè contempserunt. Potest etiã hæc ratio inde ostendi minùs efficax, quia immediatè à Respublica communicat potestatẽ Legislatori; ergo non benè dicitur, quòd in eius inobediẽtiâ Deus contemnatur; potiùs deberet dici, quòd cõtemnatur Respublica ipsa, quę potestatem eã dedit. Tetigit hanc vltimam solutionem P. Suarez, quam inde impugnat; quia censet, etiamsi Respublica non concesserit de facto suo capiti potestatem obligandi in conscientiâ, tamen non inde inferri, eam non esse in Republicâ, sed præcisè sequi, retinuisse eam apud se; ideóq; quando eligit Regem cum verâ potestate suprema, etiam illi dare eam vim ad obligandum in conscientiâ: hæc tamen impugnatio non tangit solutionem meam, quia ego non dico, Rempublicam noluisse dare eam potestatẽ, cùm posset; imò suppono dedisse totam quam potest; sed dico eam non esse diuinam, ideóque in contemptu illius non contemni Deum, vt contendebat deducere ea prima ratio; quam debilem esse censeo.

Lex humana est à Deo non vt Legislatore, sed Creatore.

Confirmatio ex Samuele sumpta infirma est.

Respublica an Deum dicendus sit contemni per inobedientiã legum.

6.

Dico igitur, humanum Iudicẽ non aliter esse ministrum Dei, nisi quatenus Deo etiam placet, quod ille exerceat iurisdictionem in Rempublicam; item, quatenus lumen etiam naturale seu dictamen diuinum dicit, *Obediendum esse Superiori legitimo iusta mandanti*; vt dixi suprà agens de origine huius potestatis. Aliquando etiam ea potestas est specialiter à Deo; quia ipse singulariter constituit Superiores etiam temporales, vt olim iudices & Reges Israël. Ex hoc autem capite fateor desumi bonam rationem ad probandã eam obligationem in conscientiâ, at non, quæ innitatur ei fundamento de Vicario proprio Dei, vt dicebat prima ratio.

Qui Iudex humanus sit minister Dei.

Secunda sit, quia hæc potestas videtur necessaria ad bonam gubernationem Reipublicę humanæ; nam si non esset obligatio in conscientiâ, non posset sufficienter per leges prouideri Reipublicæ; nemo enim eas curaret: vnde etiam in minoribus communitatibus est hæc obligatio in conscientiâ obediendi suo capiti Parenti enim filius adeò tenetur obedire, vt Deut.21. censeatur dignus morte filius non obediens patri: item vxor in conscientiâ tenetur obedire marito, qui caput illius est, iuxta Paulum: *Mulieres subditæ estote viris, sicut oportet, in Domino: quoniam vir caput est mulieris:* ergo à fortiori erit obligatio obediẽdi Regi, qui potiori titulo caput est Reipublicæ. Item, in Religione est obligatio in cõscientiâ obediẽdi Superioribus. Hæc etiam ratio non videtur sufficiẽs: & quidem instantiæ, quas affert, eodem modo negabuntur ab Almaino & alijs, quia illi vniuersaliter docẽt, nullum hominem auctoritate non delegatâ à Deo posse alterum in conscientiâ obligare. Testimonia verò ex Scripturâ probabunt quidem conclusionem, nõ tamen per modum rationis, sed ab auctoritate; iam autem rationem quærimus, non auctoritatẽ. Quòd verò principaliter in eâ ratione dicitur, scilicet, sine eâ vi obligatiuâ in conscientiâ non posse esse satis prouisum Reipublicæ, magnã habet difficultatem: nam leges ciuiles ferè magis inducunt in obseruationem sui per vim coactiuam, quam habet Respublica, quàm alio modo, vt sæpè insinuat Pater Suarez: at illa vis coactiua solùm est in foro externo puniendo, & per vim, si aliter nolit, cogendo subditum vt faciat rem præceptam. Neq; obest, quòd fortè in vno aut altero casu non prouideatur sufficiẽter; quia non est de essentia legis, vt pro omnibus casibus sufficienter prouideat.

7. *Secunda ratio.*

Coloss. 3. Ephes. 5.

Enervatur & hæc.

8. *An sine obligatione in conscientiâ non sit Reipublicæ sat prouisum.*

Tertia ratio, quæ mihi magis arridet, desumitur ex eo, quòd ius ipsum naturale non minùs dicter obediendum esse legitimo Superiori iusta præcipienti, quàm dictet fornicationem esse fugiendam, & mendacium esse malum: ergo, sicut dicimus, vi illius dictaminis naturalis nos in cõscientiâ teneri ad fugiendum mendacium, fornicationem, &c. ita eodẽ modo dicere debebimus, nos teneri ad obediendum legitimis Superioribus iusta mandantibus. Confirmo id Primò à simili ex voto; sicut enim homo potest per votum ita actionem aliquam in Deum transferre, vt posteà in conscientiâ obligetur eam efficere, potest se subijciendo directioni & gubernationi alterius ita se illi obligare, vt in conscientiâ malè agat, si non obediat. Confirmo Secundò, si quis alteri donet pallium, eo ipso iam in conscientiâ peccat illud vsurpando inuito donatario; ergo cùm quis iam suas actiones quasi transtulerit in alterum, eo ipso in conscientiâ malè agit eis vtẽdo contra voluntatem alterius. Non enim est assignabilis ratio, cur posset quis à se abalienare ius vtendi licitè suo pallio, & non possit abalienare ius vtendi licitè suâ libertate: atqui, dando alteri ius imponendi sibi leges & se dirigendi, abalienat illud ius vtendi licitè suâ libertate, & transfert illud in Legislatorem; ergo posteà non obediendo Legislatori in conscientiâ malè agit.

Optima ratio.

Confirmatur ea Primò à paritate voti.

9. *Secundò à donatione.*

Sectio II.

Obiectiones contrariæ soluuntur.

VErùm videamus, quid contra hæc obijci possit pro sententiâ Almaini; & quidem Primò,

Digitized by Google

10. *An inobedientia Iudici humano posset in ius naturale.*

Primò obijcitur, hinc sequi, peccatum inobedientiæ erga Iudices humanos sæculares esse peccatum contra ius naturale; sicut peccatum accipiẽdi pallium à Petro, cui ego illud donaui, est peccatum contra ius naturale: hoc autem videtur absurdum, quia aliud est peccatum cõtra ius naturæ, aliud contra ius positiuum ciuile. Sequela autem patet, quia posito præcepto Superioris, iam ego facio contra illud naturale præceptum, *Obediendum est legitimo Superiori*, iuxta paulò antè dicta. Fortasse ob hanc rationem dixit Gerson non posse esse peccatum contra legem humanam, nisi quatenus etiam simul est contra legem naturalem: sed, quidquid de illius mẽte sit, ad argumentum dico, in eo aliquid admisceri posse de nomine, aliquid de re: de nomine quidem, an tunc temporis ea trãsgressio, quia simul est contra illud generale principium, *Obediendũ est Iudici legitimè mandanti*, etiamsi necessariò debeat interuenire mandatum positiuum, dicenda sit transgressio præcepti naturalis, nec ne: dũmodò enim concedatur ibi intercedere verum mandatum positiuum, quod violetur, & hoc habere vim obligandi, licet ratione generalis illius principij, quod solùm independenter ab hoc mandato non induceret vllam obligationem; dummodò, inquam, hæc concedatur, quæstio erit de nomine, an sit dicenda transgressio naturalis, an verò positiui præcepti. In eâ tamen quæstione de nomine ille optimè loquetur, qui dixerit, immediatè esse transgressionem positiui præcepti, & ab hac dici peccatum contra ius positiuũ, mediatè verò esse transgressionem iuris naturalis. Facit tamen mihi adhuc difficultatem ea instantia, quam attuli de furto; & non video eam ab vllo vrgeri: sicut enim post præcedentem donationem pallij, quæ fuit (vt sic dicam) positiua, illud accipere à donatario est peccatum purè contra ius naturæ; ita videtur, posito præcepto positiuo simul cum iurisdictione, iam fore contra ius naturale non obedire ei Superiori: nam etiam potest dici, quòd donatio sit quædam obligatio, ne auferam ab eo rem donatam; sicut mandatum est quædam obligatio, vt faciam rem imperatam: vtraq; autem reducitur in principia iuris naturæ obligantia. Respondeo, si rem metaphysicè consideremus, satis difficulter disparitatem inter vtrumq; assignari; potest autem moraliter ea tradi, quòd pallij donatio non sit actus iurisdictionis, sed conditio tantùm, vt pallium sit alterius: vnde ibi, qui pallium accipit non facit nisi contra præceptum naturale dicens, non esse accipiendam rem alienam inuito domino. At quando est præceptum positiuum, est aliquid quod supponit veram iurisdictionem, & quod verè mandat, aut cui verè non obeditur? vnde tunc est vera inobedientia erga præceptum positiuum; inobedientia autem est etiam culpa: in furto verò non est inobedientia contra dominum, sed contra legem naturalem, ideóq; dicitur peccatum purè contra ius naturale, quia ei soli immediatè non obedit.

Respondetur.

11. *Talis immediatè peccat in ius positiuum, mediatè verò in naturale.*

12. *Furtum rei donatæ & inobedientia legi humanæ qui differant.*

13. *An homo habeat ius etiã in alterius animam, adeoque conscientiam.*

Secundò obijcitur pro Almaino, Homo non habet potestatem nisi temporalem & externam supra corpus, non autem suprà animam; vnde diximus suprà ex communi sententiâ, quæ confirmata fuit testimonio Senecæ, non subdi hominem alteri quoad actus purè internos. Confirmatur Primò, quia ad Reipublicæ administrationem non est necessaria ea vis obligandi in conscientiâ. Secundò, quia Iudex humanus non potest imponere pœnam inferni aut Purgatorij, neq; ab eâ absoluere; ergo nec potest obligare sub eâ pœnâ: nullus enim Iudex obligat sub pœnâ, quam infligere non potest, & à quâ liberare non potest; ergo non potest obligare in conscientiâ: quia hæc obligatio dicit ordinem ad pœnam inferni aut Purgatorij. Cõfirmatur Tertiò: quia homo nihil de conscientiâ potest cognoscere, ergo non potest in eâ obligare: quomodo enim obligabit ad id quod non potest noscere? Quartò, quia, quod fit contra conscientiam, est peccatum; sed peccatum est aliquod factum vel dictum contra legem; ergo lex hominis non inducit obligationem peccari. Denique, quia ad vitam æternam sufficit seruare mandata Dei, vt Christus dixit inueni illi, de quo Matth. 19. ergo mandata hominis non obligant in conscientiâ; alioquin etiam eorum obseruatio esset necessaria ad vitam.

14.

Hoc argumentum cum omnibus suis confirmationibus ad vnicum principium reducitur, quòd homo non videatur habere iurisdictionem supra alterius conscientiam: ei autem absolutè respondeo negando suppositum: & quidem duplici ex capite negari potest. Primò, si de iurisdictione directâ agamus; Secundò, de indirectâ: quælibet autem sufficit ad inducendam obligationem in conscientiâ: de directâ quidem res est difficilior; tamen suo modo potest etiam ea suaderi: sicut enim ipse homo supra se habet eã potestatem quasi directam, vnde potest se per votũ obligare directè in conscientiâ, cur non poterit eam potestatem in alterum transferre? nõ enim magis videtur repugnare, alterum habere potestatem me obligandi in conscientiâ, concessam tamen à me, quàm quòd ego possim eã habere supra me: ideò, si res benè consideretur, omnes allatæ confirmationes possunt pati instantiã in voto: nam ego possum per votum me obligare, & tamen ego non possum mihi infligere pœnas inferni aut Purgatorij, neq; me absoluere ab illius reatu, vt etiam ego nõ sim mihi subditus in animo: item, peccatum non definitur dictum factum contra votum; neq; ad vitam consequendã dicitur necessariam seruare vota, sed mandata Dei, &c. Quòd si respondetur, in transgressione voti etiam esse implicitè transgressionẽ præcepti Dei, &c. iam nos id ipsum ostẽdimus in inobedientiâ humanâ: ergo est eadẽ vtrobiq; ratio.

Habet iurisdictionem & directam & indirectam in alterius conscientiã.

An transgressio vt. secum trahat transgressionem Dei præcepti.

Sed veniamus iam ad indirectam iurisdictionem, quam nemo prudens negare potest esse sæpè in vno homine respectu alterius. Voco *indirectam*, quando efficiẽdo aliquid aliud, sequitur in altero obligatio in conscientiâ: etenim ego possum Petrũ indirectè liberare ab obligatione conscientiæ; si v.g. debeat mihi pallium, sine dubio habebat in conscientiâ obligationem mihi illud restituendi; si verò illud ei dono, cessat obligatio. Vlteriùs, si ego concesseram illi pallium vt vteretur, quamdiu ego non repeterem, certè, quamdiu nihil illi dico, ille rutè in conscientiâ vtitur eo pallio; at cùm primum ego illud repeto, iam in conscientiâ eum obligo ad statim restituendum. Eodem modo per contractus vnus in altero indirectam causat obligationem in conscientiâ; imò aliquando per fauorem alteri factum possum obligationẽ in conscientiâ causare: nam si nihil haberet vnde solueret creditoribus, non teneretur in conscientiâ; nam ad impossibile nemo tenetur: si autem ego liberaliter dono illi æqualem summam, iam tenetur in cõscientiã

15. *Qui vnus possit in alterum habere indirectam iurisdictionẽ.*

16.

Digitized by Google

scientiâ illis soluere; ergo indirectam habeo potestatem alterum in conscientiâ obligandi aut liberandi ab obligatione. Eodem planè modo dico in ordine ad præceptum. Superior quatenus suâ lege aut mãdato obiectum prohibitum reddit malum, indirectè causat obligationem in altero: quia principium naturale est, in conscientiâ nos teneri ad declinandum à malo: quòd verò suo præcepto reddat malum illud obiectum, est etiam lumine naturæ notũ: omne enim id, quod est à vero Superiore iustè prohibitum, malum est; sicut enim malum est, quod est contra dictamen naturale, ita malum est, quod est contra legitimi Superioris voluntatem; eo autem ipso iam est malum morale.

Qui Superior causet sub lege obligationem in altero indirectè

17. *Legislator humanus indirectè solùm prohibet sub pœnâ inferni.*

Hinc ad omnia in contrarium obiecta: dicimus ergo hominem seu humanum Legislatorem non prohibere directè sub pœnâ inferni, sed indirectè; vnde necessum non est, vt ea pœna ab ipso possit infligi: id quod inter homines non recurrendo ad Deum ostendi potest: nam si Rex statuat pœnam grauem à se infligendam contra eos, qui inferiorum Iudicum mandata transgrediuntur; profectò licet inferiores illi Iudices nec eam pœnam statuerint, nec eã possint infligere, nec ab eâ absoluere, possũt tamẽ indirectè sub eâ obligare; nam eo ipso quòd imponant alicui aliquod mandatum, iam obligant indirectè sub eâ pœnâ: quam instantiam benè Pater Suarez tetigit hîc: idem ego dico è contrario de præmio. Nam si Rex proposuisset grande præmium à se concedendum ijs qui obediant specialibus mandatis inferiorum Iudicum, dum hi aliquid mandant, reddunt suos subditos proximè capaces obtinendi à Rege illud præmium: idem ergo est in Deo, qui proposuit graues pœnas contra transgressores præceptorum humanorum Iudicum, nõ quia, attentâ præcisè malitiâ quæ in transgressione legis humanæ reperitur, debeantur ei tales pœnæ; sed quatenus illa trãsgressio, eò quòd mala est moraliter, simul est offensa Dei: ex quo capite valdè eius grauitas crescit, vt tomo præcedẽti fusiùs dixi; vnde responsum est ad eam rationẽ ex definitione peccati desumptam. Constat enim quo pacto transgressio legis humanæ sit peccatum, quatenus simul est transgressio legis diuinę, mandantis etiam fieri id quod ab hominibus præcipitur: ex quo capite peccatum omne est transgressio legis diuinæ, etiamsi non sit contra specialem legem diuinam. Et hinc etiam ad id, quod obijciebatur de mandatorũ obseruatione necessariâ ad salutem, respondetur, vnum ex mãdatis diuinis esse obedire Præpositis; vel certè dicendum illis verbis, *Serua mandata*, immediatè significari omnia mandata.

18. *Cur Deus graues pœnas legum humanarum trãsgressoribus statuerit.*

Qui transgressio legis humanæ sit peccatum.

Dei esse mãdatũ obedire Præpositis.

SECTIO III.

An possit lex humana obligare in conscientiâ, non tamen sub vlla peccati.

19. *Quidam id negant.*

Difficultas hæc precedenti annexa est, ideóq; explicanda antequã in speciali de obligatione sub mortali aut veniali tractemus; aduerto autem, eam esse communem omni legi positiuæ etiam diuinæ, vt ex dicendis constabit. Multi id negant, quia de conceptu legis est verè obligare; obligatio autem vera non est, nisi in conscientiâ: licitum erit, inquiunt, Principi non ferre legem, ac ferre, & non velle obligare, videtur repugnãs; sicut vouere, & non velle obligari. Confirmant, quia si aliqua posset esse lex, quæ non obligaret in conscientiâ, maximè lex pœnalis; sed hæc etiã obligat, quia pœna non potest esse, vbi non est culpa: tunc enim solùm iusta est pœna, quando est proportionata culpæ.

20. *Asserunt fortiter alij.*

Alij verò absolutè docent, posse esse tales leges: vt patet in multis Religionibus, in quibus regulæ habent veram rationem legis; & tamen non obligant neq; sub mortali, neq; sub veniali. Pater Suarez c. 22. ob hanc secundam rationem docet, posse esse aliquam ordinationem veram, quæ ab habente iurisdictionem proueniat, & tamen non obliget in conscientiâ; ait verò esse quęstionem de nomine, vtrùm talis ordinatio dicenda sit lex: posteà tamen ita explicat eam sententiam, vt doceat, omnem legem resolui in obligationẽ in conscientiâ; nam esto non obliget ad efficiendam materiam præceptam, obligat tamẽ ad acceptandam pœnam, si quis eam legem trãsgrediatur: cùm enim tunc Superior possit licitè imponere pœnam, tenetur subditus in conscientiâ parere: quòd si nõ faciat, iam peccat; alioquin si non teneretur parere, dari posset ex vtraq; parte bellum iustum: ex parte quidem Superioris, quia potest eam pœnam imponere; ex parte subditi, quia potest eam non acceptare. hoc autẽ est absurdum. Explicat id exemplo voti pœnalis: vt cùm quis vouet se daturum eleëmosynã, si luserit; vi huius voti non tenetur vllo modo non ludere; obligatur tamen, si ludat, eam eleëmosynã dare. Hanc eamdem doctrinam tradit Salas disp. 10. sect. 5. vbi varios pro eâ refert auctores.

Suarij opinio.

Enucleat ad voto pœnali.

Salas huius mentis assecla.

Iudico tamen non satisfieri perfectè interrogationi propositæ per hanc doctrinam: id quod manifestè meo iudicio ostendo; nam aliud est, *Præcipio tibi, si biberis extra tempus, v.g. vt facias hoc vel illud opus mortificationis*, aliud verò, *Præcipio tibi ne bibas*; *non tamen in conscientiâ obligo.* In primo enim casu esto quis bibat, nullo modo transgreditur regulam, si pœnitentiam posteà impositam accepter; in secundo verò casu bibendo verè transgreditur regulã, etiamsi posteà pœnitentiam accepter; vel siue ea imponatur, siue non. Et eodem exemplo voti suprà posito idem ostendo: nam ille homo ludendo nullo prorsus modo facit contra votũ; vnde ex eo capite nullam omnino imperfectionem cõtrahit, dummodò posteà eleëmosynam illam det: si autem votũ caderet directè suprà lusum illũ, tunc necessariò deberet esse minimùm imperfectio aliqua in eâ actione. Et certè nemo diceret, in Religione illũ obseruare leges seu regulas, qui libentissimè pœnitentias sibi impositas subiret, interim tamen nihil faceret, ex his quæ in regulis continentur: ergo ea lex, vt directè præcipiens silentiũ, modestiam, antecedenter etiã ad obligationem subeundi pœnam, non desumit rationem suam legis ob eam vim imponendi posteà pœnitentiam, sed ob obligationem quamdam, quã immediatè inducit. Vnde duo infero, primum, debere ibi explicari, in quo consistat ea obligatio, quæ tamen non trãseat neq; ad mortale, neq; ad veniale: alterum, sicut illa prima obligatio est distincta à secundâ, ita in toto rigore posse à secundâ separari, & non repugnare leges, quę nullo modo inducũt obligationem in conscientiâ, sed Legislatorem posse; sicut circa directam materiã imposuit aliquam obligationem, non sufficientem ad peccatum, ita potuisse eamdem ponere circa acceptationem pœnarum, vel pœnitentiæ ob eam

Quænam enucleanda hac in quæstione.

22.

trans-

Digitized by Google

Satisfit instantiæ suprà datæ.

transgressionem;vt scil.teneatur transgressor pœnam acceptare,si garrierit v.g.intra tempus, eo modo quo tenetur non garrire:neq; hinc sequetur bellum iustũ,quia esto in conscientiâ non teneatur acceptare,absolutè tenetur; sicut quando garrit,non sequitur illum habere causam iustam garriendi, eò quòd in conscientiâ non teneatur sub vllo peccato non garrire; ergo neque habebit iustam causam non acceptandi pœnitentiam, esto in conscientiâ non teneatur sub peccato acceptare:ergo solus Superior tunc iustè,alter verò iniustè bellabunt: iniustè dico eo modo,quo iniustè garriuit,aut extra tempus bibit.

23. Porrò eam obligationem seruandi regulã explicari debere indepẽdenter ab obligatione subeundæ pœnæ,ostẽdo manifestè vlteriùs;quia obligatio subeundi pœnam est aliquid consecutum ad transgressionem regulæ vt aliquo modo malam: cur enim Religiosus spuendo non meretur pœnitentiam,meretur verò garriendo extra tempus?certè non aliam possumus rationem reddere, nisi quia spuendo nullo modo delinquit,garriendo delinquit: ergo antecedenter ad obligationẽ pœnæ debet esse iam tota differentia.Et ratio à priori est manifesta;nã dignitas pœnæ non constituit culpam,quæcumq;illa sit,sed potiùs è contrario ex culpâ promanat tamquam effectus ea dignitas ad pœnam: alioqui P. Suarez, Salas & alij debebunt totam hanc rem per vitiosum circulum explicare,dicendo illum hominem ideò in eâ actione delinquere;quia, si faciat,debebit sustinere pœnam, ideo verò debere illum sustinere pœnam,quia frangendo regulam delinquit.Quę explicatio sine dubio mala est, quia in nullâ re sistitur vltimò; sed vnum ignotum per aliud ignotum declaratur.

Obligatio subeundi pœnam est quid consecutũ ad transgressionẽ regulæ.

Culpa constituit dignitatem pœnæ, non è contrario.

24 Ergo pro solutione totius difficultatis aduerto, aliud esse quærere,an regulæ illæ obligent in cõscientiâ, aliud verò, an obligent sub mortali,vel sub veniali.Nemo enim negare mihi poterit,regulas Religionis, etiãsi nec sub veniali obligent, eo tamen modo quo obligant,in conscientiâ obligare, & non solùm in foro externo: quod (vt paulò antè dixi)intelligendũ est antecedenter & independenter ab obligatione pœnæ acceptãdæ. Iam ergo oportet declarare in quo ea obligatio consistat; & eo ipso respondebitur toti quæstioni.

Aliud est,obligare in conscientiâ,aliud sub peccato.

Qui regulæ non obligantes sub peccato, in conscientiâ tamen obligent.

25. Dico ergo, in genere moris præter peccatum mortale & veniale debere nos agnoscere imperfectionem quamdam positiuam seu indecentiam: quæ licet non mereatur vllũ odium Dei,nec quidem leue,quale respondet veniali,tamen meretur quodammodò, ne illi Deus speciales fauores cõferat; reddit enim subiectum,vt sic dicam, quasi irregulare: vt enim in ordine ad aliqua officia aut dignitates agnoscimus externas quasdam imperfectiones,ratione quarum dicimus minùs esse decens, vt ille habeat talia & talia officia:sic cocles,gibbosus,deformis dicitur esse indignus Sacerdotio, vt coram populo Sacrum celebret;esto illi defectus non solùm mortale aut veniale peccatum non sint, sed planè nec imperfectio ex parte animæ;ita in animâ ipsâ possumus agnoscere imperfectiones quasdã voluntariè contractas; quæ etsi ad veniale non accedant, possunt dici reddere eum hominem minùs dignum ad fauores & beneficia diuina: similem etiam imperfectionem agnoscimus in homine inconstanti, qui iam hoc,iã illud vult; nam licet in eâ mutatione volitionis nõ peccet nec venialiter,est tamen aliquid, quod videtur esse contra decorem, & contra id, quod in prudenti viro optari potest. Et passim in multis materiis simile quid agnoscimus. Hoc supposito, ad totam quæstionem

Præter mortale & veniale datur in animâ quædã imperfectio seu indecentia positiua, etsi nullo Dei odio digna.

Probatur id à parte corporis.

Item ab inconstantia.

Conclvsio sit: Præceptum & regulæ Superiorum semper obligant in conscientiâ respectu materiæ,quã directè præcipiunt;quia reuerà semper est aliqua indecentia, quæ aliquẽ etiam pudorem causare solet,non obedire vero Superiori; at non est necessum, vt omnis talis lex aut particulare præceptum inducat obligationem,quæ ad mortale aut veniale sufficiat: id quod ex ipsius Legislatoris voluntate prouenit:ille enim vt potuit grauem materiam sub mortali præcipere, potuit solùm sub veniali; etiam potuit sub quadam indecentiâ, quæ nec ad veniale sufficeret.

26. *An & qui præcepta regulaque Superiorũ semper obligent in conscientia.*

Legislatoris est materiam præcipere vel sub mortali, vel sub veniali; vel solùm sub quadã indecẽtia.

Obiicies, Ergo etiam qui vouet poterit se ita obligare,vt non teneatur,nec quidem sub veniali;nam eadem ratio videtur esse de Legislatore obligante alium ac de vouente qui sèipsum obligat. Fortè aliquis responderet, disparitatem esse manifestam;nã in voto Deus, qui illud acceptat, obligat;ac propterea non pendere ex parte vouẽtis,quòd hõc vel illo modo obligetur:in lege autem Legislatorem ipsum solum esse, qui ponit obligationem,ideóque posse eam pro libitu moderari,& maiorem minorémve facere. Sed contrà, quia licet Deus accepret votum,& inde oriatur obligatio, non potest tamen Deus plus acceptare quàm ei offeratur à vouente:ergo si hic nolit ei dare ius ad eam rem exigendam, sed solùm sub imperfectione,procul dubio solùm eo modo poterit deinceps eam petere. Meliùs potest responderi,si dicamus re ipsâ posse quem corã Deo proponere, velle aliquam rem facere,ita vt solùm se sub eâ imperfectione obliget; vtrùm autẽ illa promissio sit appellanda votum nec ne,quæstionem esse de nomine; & quia cõmuniter omnes nomine voti intelligunt obligationem,minimùm sub veniali,non debere talem promissionẽ dici votum. In lege verò, quia modus loquendi potiùs stat in contrarium, nam regulas Religionis dicimus cõmuniter leges etiamsi non obligẽt sub veniali, inferimus hanc vocẽ *lex* non requirere talem obligationem sub peccato:ne verò in voce hæreamus, dico, siue tales regulæ vocentur leges,siue non, obligationem tamen earum non debere desumi ab obligatione sub veniali saltem acceptandi posteà pœnam, vt communis sententia docebat,sed debere recurri ad nostram explicationem. Dixi suprà,eam obligationem esse sub imperfectione positiuâ, non quia iam contendã definire,eam consistere in priuatiuo; quia de hoc loquendum est cum proportione, eodem planè modo,quo de peccato discurrimus priori Tomo, scil. si sit contra affirmatiuum præceptum, consistere in priuatiuo,in positiuo verò, si sit contra negatiuum.Ideò ergo præcisè eã imperfectionem voco positiuam, vt illam condistinguam ab imperfectione purè negatiuâ, quatenus homo non est tam perfectus & sanctus quàm posset,etiamsi nihil vllo modo indecens faciat: in quo sensu etiam beatam Virginem, imò & humanitatem Christi Domini habuisse imperfectionem, dixi suo loco; quia potuerunt simpliciter maiores, plures & intensiores actus efficere, quàm de facto effecerunt: at non habuerunt vllam imperfectionem positiuam, de quâ loquimur in præsenti; qualemque committit Religiosus regulam non seruans, etiamsi pœnitentiam pro eâ violatione impositam deinde libenter accepter.

An quis vouere possit, sub nullo peccato sese obligando.

Quæ disparitas inter legem & votũ.

Consistátne peccatum in priuatiuo, an positiuo; ita & obligatio.

Quid hic sit imperfectio positiua.

Quo sensu B. Virgo & humanitas Christi aliquam imperfectionem habuerit.

Digitized by Google

30. Ideò verò Christus & beata Virgo non habuit talē positiuam imperfectionem, quia nihil omiserunt, ad quod fuissent vllo prorsus modo obligati in conscientiâ non solùm sub veniali, sed nec sub vllâ quasi indecentiâ. Et hinc explicatur, in quo differat obligatio regularum seu legū quas posuimus, à Consiliis Euangelicis: quod P. Suarez & Salas explicant consequenter quidē ad refutatam doctrinam, absolutè tamen minùs benè; per hoc, quòd Consilia non habent coactionem pœnæ, seu, quia licet non seruentur, non obligant in conscientiâ ad subeundam pœnam; secùs illæ regulæ. Ego tamen faciliùs id explico independenter à respectu ad pœnam, ex eo quòd Consilia non obligant, nisi sub imperfectione purè negatiuâ paulò antè explicatâ; quod scil. si non seruentur, non sit homo tam sanctus, quàm possit esse. Arper hoc non inducitur indecentia aliqua propriè loquendo, sicut eam ostendimus induci in transgressione regularum antecedentet ad pœnam.

Qui differāt tales leges à Cōsilijs Euāgelicis. Suarez & Salas hic non satisfaciunt.

31. Ad argumenta suprà posita, quòd scil. lex omnis debeat inducere obligationem, saltē sub veniali, satis responsum est hucusq; & ostensum, id non esse necessum; explicatúmque est, quomodo id pendeat ex voluntate Legislatoris; ostensum item, licet fortè sit quæstio de nomine, an talis obligatio dicenda sit lex, de re tamen debere aliquid speciale poni in regulis directè obligans ad ipsarum obseruationem, antecedenter ad obligationem subeundæ pœnæ. Ad instantiam item è voto dictum est suprà. Ad confirmationem ex lege pœnali, & quòd omnis pœna supponat culpam, respondeo, pro pœnâ, de quâ in præsenti non requiri, vt præcedat culpa, nec quidem venialis, sed sufficere, si sit aliqua indecentia positiua; qualem explicuimus: ea enim potest saltem leuissimâ aliquâ pœnâ puniri, si Legislator ita disposuit: potest etiam sæpè, si non sit adiuncta lex pœnalis, nulla ei culpæ seu imperfectioni positiuæ pœna respondere.

Respondetur argumētis & instantijs suprà allatis.

Ad hanc pœnā nō prærequiritur culpa.

SECTIO IV.

Vtrùm lex humana in præsumptione fundata obliget in conscientiâ.

32. DIfficultas hæc etiam extenditur ad leges Canonicas; est enim omni humanæ legi communis, vt ex dicendis constabit. Lex in præsumptione fundata ea dicitur, quæ imposita est ob præsumptum aliquod factum, vel certè ob præsumptum periculum alicuius mali. V. g. Superior præsumpsit Petrum transgressum esse regulam, mandat illi vi huius præsumptionis, vt agat talem aut talem pœnitentiam; interim re ipsâ ille non deliquit; quærimus, an sit tunc obligatio faciendi eam pœnitentiam; item, præsumitur periculum rixarum, si quis noctu gestet arma, ideóque illa per legem prohibentur, quærimus, an, casu quo re ipsâ nullum sit tale periculum, teneatur quis non gestare arma.

Qui lex in præsūptione fundata sit.

Status quæstionis.

SVBSECTIO I.

Quorumdam sententiæ examinantur.

33. PRo sententiâ negante eo casu obligare legem citantur Siluester verbo *Lex* quæst. 9. casu 2. Adrianus quodlibeto 6. Sotus lib. 1. de Iustitiâ q. 6. art. 4. Nauarrus in Summâ cap. 17. n. 284. Richardus in 4. dist. 28. art. 1. q. 3. & 4. Couarruuias in cap. *Cùm esses*. de testamentis. n. 9. & multi alij apud P. Salas eâ disp. 10. sect. 4. Eorum fundamentum est, quia non videtur habere Legislator intentionem obligandi, si conditio non subsistat & obligatio in conscientiâ supponit veritatem rei; nam illi innititur: potestque amplius id declarari, quia talis lex semper videtur esse conditionata, *Obligo te ad hoc, si illud sit, vt ego suppono esse*: atqui eo ipso, quòd conditio non subsistat, non possum teneri ad rem pendentem à veritate conditionis, ergo.

Sententia negantiū auctores & fundamentum.

34. P. Suarez cap. 23. vtitur distinctione duplicis præsumptionis, quam suprà tetigimus, *facti* & *periculi*, atque leges fundatas in præsumptione *facti* non obligare, si re ipsâ factum non sit: & in hoc sensu intelligit præcedentem sententiam, quæ videtur esse communis. Ratio illius est, quia quando lex fundatur hoc modo in præsumptione facti, deficiente veritate tollitur omnino fundamentum legis, ergo cessat lex: at verò quando præsumptio est de periculo, semper est fundamentum legis, vnde censet ibi obligare; quia licet actus, qui timetur, non eueniat, est tamen verum illum actum esse periculosum: vnde addit, hanc secundam legem non tam videri fundatam in præsumptione quàm in certâ scientiâ; quia certum est periculum esse, licet malum, quod timetur, non sequatur. Confirmat hoc vltimum Primò, quia potest lex ciuilis, esto in præsumptione fundetur, ferri simpliciter, ita vt obliget etiam in casibus, in quibus præsumptio non subsistit, quando in obseruatione legis nullum interuenit periculum: vt patet in lege prohibente fieri professionem ante decimum sextum annum expletum; quia ante illum non præsumitur puer doli capax: quæ tamen lex obligat, etiamsi re ipsâ aliquis puer ante eum annum sit tam prudens & doli capax quàm alius post vigesimum; & idem est de irritatione votorum ante decimum quartum annum emissorum à filiis: esto enim in hoc particulari puero fuerit perfectissimum iudiciū, nihilominùs irritari à parente possunt illius vota. Secundò idem probat, quia deficiente fine legis in particulari, non cessat obligatio legis; nam, vt D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 9. docet, leges humanæ attendunt ea quæ frequentiùs accidunt; vnde generaliter obligant, etiamsi in eo casu cesset illud motiuum. Tertiò, quia lex prohibens matrimonia clandestina fundatur in præsumptione incommodorum, quæ inde possunt suboriri; & tamen ea obligat, etiāsi in hoc aut illo homine non timeantur eā incommoda, ergo: vnde concludit, vt in aliquo casu cesset obligatio legis, non esse satis, quòd cesset incommodum quod timebatur; sed debere esse in contrarium grauia incommoda, si obseruetur. Parum ab hac sententiâ differt P. Vasquez disp. 163. cap. 3. licet sub aliâ distinctione; aut enim, aliquando Principem præsumere aliquid in omnibus omnino casibus, ideóque prohibere aliquam actionem: quo casu docet, si ea præsumptio non subsistat, legem non obligare: ad quod propositum inducit cap. *Veniens*: 2. & cap. *Qui fidem*. 11. de sponsalibus. vbi statuit Pontifex sponsalia de futuro transire in matrimonium legitimum per copulam subsecutam. Cuius ratio, inquit Vasquez, ea est, quòd supponatur ibi animus maritalis: vnde si aliquis sine eo animo habuit copulam, non potest obligari ad se gerendum vt maritum: id quod Couaruuias ab eo citatus etiam obseruauit. Aliam ergo præsumptionem agnoscit Vasquez in Principe non

Suarez duplicē præsūptionē distinguit, facti & periculi.

35. *Roborat suā opinionem.*

36.

P. Vasq. præsūptionē paulò aliter distinguit.

Digitized by Google

non pro omnibus casibus, sed vt in plurimum, aitque, etiamsi in aliquo casu particulari hæc nõ subsistat, nihilominùs legem in eâ fundatam obligare.

37. *Vasq. & Suar. in idē hic incidunt.*

Dixi hanc sententiam conuenire cum P. Suario, quia, quod Vasq. dicit de præsumptione in omnibus casibus, videtur Suarez ad præsumptionem *facti* reducere; vt etiam ipsum P. Vasq. exemplum de eo accessu ad copulam sine animo maritali ostendit. Altera verò præsumptio *vt in plurimum* est, quam Suarez dicit præsumptionem *periculi*.

Impugnatur distinctio Suarij.

Ego, vt verum fatear, non censeo hanc distinctionem omnino bonam, & verò quâ parte P. Suarez dicit illud periculũ timeri ex certâ scientiâ; quia licet certum non sit, secuturum inde incommodum, est tamen certum, posse inde sequi, seu esse periculum, quòd sequatur, seu esse certũ, actum illum esse periculosum; quatenus, inquam, hoc dicit, non videtur decisio esse ad rem nostrã, quia agimus de præsumptione non certâ, sed quæ falli potest, & verò sæpè fallatur; at præsumptio certa & vera numquam fallitur: ergo ex eo capite decisio non est pro præsenti dubio. Quòd si dicat tunc præsumptionẽ esse de futuritione ipsâ actus, in quâ potest esse error, iam ea reducetur ad priorem præsumptionem *facti* seu *faciendi*; quod idem est: & ita in eâ non erit certitudo, de quâ loquitur.

Præsumptio certa nũquã fallitur.

38. *Præsumptio etiam de ipso periculo est fallibilis.*

Hinc vlteriùs dico, Etiamsi præsumptio sit de ipso periculo, nihilominùs tamen posse in eâ esse deceptionem, ideóque non rectè dici illud iudicium esse certum & verum. Probo autem id meo iudicio clarè tum in eodem exemplo legis, de non gestandis noctu armis; tum in aliis: nam si alicui constaret ex reuelatione Dei, nullum planè alium hominem eâ nocte exiturum ex suâ domo in ciuitate, sed omnes profundo somno detinendos, certum est, non solùm non secuturum actu incommodum pugnandi, sed neque fore periculum vllum pugnæ, etiamsi vagaretur per ciuitatem cum armis; vnde ibi deciperetur illud iudicium: ne verò dicas, eum casum esse quasi miraculosum, nec debere ab eo desumi argumentũ contra casus morales, ponere possum exempla vel in ciuitatulâ parua; vbi ex variis principiis, etiam sine supernaturali reuelatione, constare mihi certò posset non occursurum mihi de facto vllum hominem in plateis. Sed ponamus exempla clara: v.g. prohibetur in Religione, ne quis per fenestras ad campos aspiciat, quia frequenter præsumuntur ibi esse feminæ, ex quarum aspectu oriri posset inhonesta cogitatio; quis dicat, rigidissima & obscurissima nocte hiemis, pluuiis ventisque grauissimis infestata, periculum esse videndi in campis feminas? ergo tunc cessat etiam periculũ. Tertiò, si ob præsumptas rixas cum inimico suo prohibeatur alicui ebrietas aut arma gestare; quis dicet, si ille, cui est prohibita ebrietas, clausus sit in cubiculo, ita vt exire inde nõ possit; aut si inimicus absit multis milliaribus, esse tunc proximum periculum, & non cessare etiam tunc fundamentum totum legis, non minùs quàm si lata fuisset, putando illos habere inter se graues inimicitias, cùm tamen interim sũmi essent amici? quo casu veritate facti cessante obligationem legis cessare, P. Suarez admittit. Idem est, si prohibeatur in Religione, ne quis Horas Canonicas in ambitibus recitet; quia præsumitur periculum distractionis propter transeuntes alios; si tamen quis solus sit domi, & claues habeat portæ, quis

39. *Reprobatur id exemplũ.*

40. *Suarij mens.*

poterit negare cessasse tunc respectu illius totum periculum? ergo etiam in eo periculo esse potest error. Aliud exemplum posui Tomo præcedenti ad aliud propositum, de prohibitione intrandi alienum cubiculum sine licentia: quod fit ob præsumptum periculum garritionis: dic etiam, si vis ne simul ibi comedant, vel bibant. Certè, si quis solus manens domi visitet omnia cubicula, totum illud periculum cessat. Eodem modo possem multò plures instantias adferre, ex quibus constat, non semper præsumptionem in periculo fundatam esse certam, sed posse etiam decipi, licet fortè non tam frequenter quàm præsumptionem facti.

41. *An in explis allatis sit præsũptio & periculi & facti.*

Fortè aliquis obiiceret, in his casibus non solùm esse præsumptionem *periculi*, sed etiam *facti*, scil. quòd feminæ sint in campis, quæ videri possunt; quòd inimicus sit vicinus, & cum eo alter, cui ebrietas prohibetur, possit rixari, &c. ideóque non esse mirum, si tunc præsumptio decipiatur. Sed contrà, quia eiusmodi leges non supponunt semper esse feminas in agro aspicientes domum religiosam; aut semper inimicum meum esse iuxta me: id enim moraliter non contingit semper: ergo non præsumunt factum, sed periculum, quod scil. possint esse; ac propterea aspectus sit periculosus: & in eis casibus non solùm factum, sed nec vllum est periculum, ergo.

42. *Rationes Suarij & Vasquez probãt idē dicendum quoad obligationē in casu vtriusq; præsumptionis.*

Hinc dico Tertiò: Si rectè ponderentur rationes P. Suarez & Vasq. planè videri idem dicendum quoad obligationem in casu vtriusque præsumptionis; nam Prima & præcipua, quòd scilicet possit lex ciuilis simpliciter ferri, ita vt obliget & habeat totum suum effectum etiam in casu, in quo præsumptio non subsistit, dummodò nihil mali inde sequatur, omnino idem probat, siue præsumptio sit *facti*, siue sit *periculi*: Secunda, quòd lex generalis obliget, etiam cessante fine legis, eodem modo vrget in præsumptione *facti*; nam, etiamsi ibi cesset finis, qui ob factum præsumptum intendebatur, debebit obligare iuxta principium generale, quod assumitur; quæ item è contrario afferebatur, quòd cessante facto cesset fundamentum, habet locum in cessatione periculi; nam etiam ea est quodammodò præsumptio *facti*, id est periculi vt facti, seu vt existentis: ergo, cessante non solùm re quæ timetur, sed periculo etiam illius, cessabit totum fundamentum eius legis: ideóque obligare non poterit. Instantia de professione ante decimum sextum annum, si diligenter ponderetur, non tam fundatur in præsumptione *periculi* quàm *facti*: præsumitur enim puer non habere de facto iudicium sufficiens; nihil verò inde præsumitur de periculo, nisi fortè, quatenus error potest esse in facto ipso, ex eo quòd non habeat re ipsa iudiciũ sufficiẽs: ergo si verè habeat iudicium, erit error præsumptionis circa factum; & tamen obligat; ergo idem erit de vtraque præsumptione. Idẽ vrgeo clariùs in alia lege; etenim, quæ declarat irritum esse contractum initum ob timorem cadentem in constantẽ virum, sine dubio fundatur in præsumptione non *periculi*, sed *facti*, quòd præsumatur tunc ille, cui timor iniectus est, non habere verum consensum, sed ortenus tantùm illum significasse, vt liberaretur: & nihilominùs esto ea præsumptio *facti* decipiatur, & ille habuerit verum consensum, contractus suus nullus, & potest ipse mutata voluntate iustè resilire: ergo lex fundata in præsumptione *facti* potest obligare non subsistente ea præsumptione. Et in hoc

43. *In quo fũdetur instantia de professione ante decimũ sextũ annũ.*

Vrgetur id aliâ lege.

Digitized by Google

exéplo magis vrget ratiò P. Suarez pro præsumptione *periculi*, quòd scil. leges attendant id quod ordinarium & frequens est; vnde obligant etiam in casu particulari, vbi ea ratio cessat. Vides ergo haud immeritò communem sententiam, quæ teuerà est grauissimorum Theologorum & Iuristarum, sine distinctione de vtroque casu locutam.

44. *Leges cur obligent in casu particulari.*

Confutatur instantia Vasquez.

Instantia verò P. Vasq. ex illis capitibus Iuris Canonici non est ad rem, quia Pontifex ibi non fert legem circa matrimonium; non enim potest efficere vt matrimonium sine consensu sit validum: quid ergo mirum, si deficiente consensu matrimonium re ipsâ deficiat? solùm ergo determinat, quid sit in foro externo iudicandum, quidquid interim sit de ipso matrimonij valore.

SVBSECTIO II.

Quid in hac quæstione sit probabilius.

45. *Aliâ distinctionê suppediat auctor.*

PRo decisione absolutâ huius difficultatis, aliâ longè diuersam distinctionem ab eâ, quâ P. Suarez vtitur, necessariam iudico; ea autem est, aliam esse legem formaliter fundatam in præsumptione, aliam verò, quæ pro motiuo extrinseco habet præsumptionem; quam tamen non explicat in obligatione, neque dependenter ab eâ obligat. Explico: Omnis omnino lex habet pro motiuo aliquam honestatem, quam positiuè intendit; aut è contrario vitare aliquod damnum; vnde in eo sensu deberent omnes dici leges fundatæ in præsumptione; ideóque impertinenter de illis vt ab aliis distinctis tractatio institueretur.

Quo sensu omnes leges fundatur in præsumptione.

Portrò omnes tales esse discurrenti patebit; nam quotquot prohibent aliquid, ideò id faciunt, quia præsumunt inde oriturum aliquod malum, & verentur, ne per talia obiecta aperiatur porta iis, quæ sunt contra naturâ rationalem per se mala; vel certè excessû aliquem præsumunt in ea actione, ideóque eam prohibent: quæ verò aliquid è contrario præcipiunt, præsumunt inde honestatê aliquam aut commodum Reipublicæ secuturum: imò in eo sensu maiori ex parte leges etiam naturales fundantur in præsumptione: quis tamen propterea dixit, præceptum non mentiendi, non furandi, non fornicandi, esse leges in præsumptione fundatas, de quibus iam agimus? fundari autê patet, quia ideò fornicatio simplex prohibetur, quia præsumitur detrimentum prolis educandæ; ideò pollutio, quia præsumitur impedimentum matrimonium; ideò etiam cogitatione turpes morosæ, quia præsumitur periculum pollutionis; ideò mendacium, quia mutuæ confidentiæ valdè nocturum præsumitur; furtum item, quia præsumitur iure futurus inuitus dominus rei, aut fortè ob aliud damnum, quod ibi timetur. Ad has leges quasi extrinsecè seu ex parte motiui fundatas in præsumptione ego refero illas, quas Pater Suarez attulit ad probandum eas obligare, etiam non subsistente præsumptione, v.g. illam, quæ prohibet professionem validè fieri ante decimum sextum annum; id enim mandatum est, quia præsumebatur aliquod periculum tum ratione Religiosorum, qui possent aliquando decipere pueros, tum ex parte puerorum, qui possent non sciendo quid facerent, Religionem ingredi, & profiteri: designauit autê Ecclesia annum decimum sextum, cùm forsasse potuisset, etiam vitando omnia ea inconuenientia, designare decimum quintum; sed quia vnus debuit esse, & ille maximè videbatur commodus, designatus est ille.

46. *imò & naturales.*

47.

Aliæ leges sunt propriè in præsumptione fundatæ, quas solùm intellexisse credo auctores suprà citatos; illæ autem sunt, quæ expressè ipsam præsumptionê in se continent: & puto maiori ex parte solùm includere præsumptionem *facti*, vt cùm imponitur pœna in eũ, qui à duobus tribúsve testibus accusatur de delicto, etiãsi ipse neget, quia præsumitur fecisse; quo casu, si re ipsâ non fecit, ille in conscientiâ, secluso scandalo, non tenetur pœnam subire. Aliquando sunt leges circa bona deserta, quorum dominus non comparet, quæ præscribunt certum tempus, vltra quod adiudicentur huic aut illi, quia præsumitur dominus verus omnino extinctus; quòd si tamen postea cõpareat, & se iustè impeditum ostendat, non amittit, dominium, quia præsumptio non subsistit. In his legibus, in quibus ipsi Legislatores ostendunt se moueri vnicè eâ præsumptione, non quia intendant vitare malum, quod timeri potest, sed quia secundùm allegata & probata iudicant, aut decernunt; probatum autem respectu hominis videtur esse id quod vehementi suspicione præsumitur existere, in his ergo docet communis sententia, si posteà deprehendantur allegata & probata fuisse nulla, non obligare leges. Et quia hæc sententia mihi probatur tum propter auctoritatem communem ferè omnium, qui vniuersaliter id docent de legibus omnibus in præsumptione fundatis, tum propter rationem factã, quia scil. præsumptio est causa quasi intrinseca legis, & quodammodò ea lex est conditionata, *Si hoc fit quod præsumimus, fiet illud aut illud*; conditionalis autem non transit in absolutam, si conditio non sit vera; iudico omnino eas leges, ordinariè loquendo, nõ obligare. Dico *ordinariè*, quia libenter concedo P. Suarez posse Legislatorem in aliquibus casibus ita statuere legem, vt velit obligare, etiamsi præsumptio non sit vera, dummodò in obiecto aliunde reperiatur honestas; quia tunc, etiamsi non esset non solùm res præsumpta, sed nec præsũptio, potuit res ea imperari, ergo à fortiori poterit existére præsumptione, etiamsi res præsumpta non existat: at illa lex non erit purè fundata in præsumptione, sed mixta: permanebit autem non quà præsumit, sed quà aliam honestatem certam inuenit. Et ex hac doctrinâ poterunt explicari aliquæ leges, quæ fortè pro sententiâ P. Suarez afferri possent, quæ videntur obligare non existente facto illo quod præsumitur, & per hoc sufficienter iudico explicetum quidquid ad præsumptiones pertinet. An autem in aliis legibus cessante fine legis, cesset obligatio, dicetur infrà, vbi explicabuntur aliqui casus suprà tacti, & complebitur quidquid in hoc puncto desiderari potest.

48. *Quæ leges propriè in præsumptione fundentur.*

49. *Qui Legislatores quando, quæ in suis legibus moueantur.*

50. *Eæ leges ordinariè non obligant. Legislator potest velle obligare etiam falsò præsumens.*

Solùm aduerto, Iasonem in Rubricâ ff. de acquirendâ hæreditate, à n. 23. docere, legem ciuilem mandantem, vt hæres, qui non confecto inuentario adit hæreditatê, cogatur soluere debita, etiã in eâ quantitate quæ superat vires hæreditaris, quia præsumitur vsurpare pinguem hæreditatem, & nolle soluere debita; docere, inquam, hanc non obligare in conscientiâ, si reuerà hæreditas minor est quàm debita, quia in eo casu cessat præsumptio; pro quâ opinione citat Baldum & Bartolum aliosque Iuristas. Ego quidem hanc legem pro nostro intento bonam indico, non tamen sic explicandam; mirorque hos Doctores sic eam intellexisse: etenim præsumptio, in quâ

51. *Nota Iasonis opinionem.*

52. *Explicatur ea lex.*

fundatur

Digitized by Google

fundatur ea lex, non est, quòd hæreditas sit maior quàm sint debita; cùm potiùs expressè dicat lex, vt soluat etiam vltra hereditatis quantitatẽ: ergo malè, hi ad probandum præsumptionem nõ fuisse veram, recurrunt ad hoc, quod hæreditas re ipsâ fuerit minor; & malè etiam ex eo capite excludunt illum ab obligatione soluendi debita, cùm, si eo casu ille excusetur, ea lex planè esset ridicula, & in nullo omnino casu habere posset effectum: non, si hæreditas sit minor; quia in eo eum excusant hi auctores: non, si sit æqualis aut maior; quia de eo casu non loquitur illa lex, præterquam, quòd in eo casu vi legis naturalis hæres teneatur soluere, quia illa hæreditas est creditorum vsque ad integram solutionem; ergo non potest hæres eam suam facere nisi solutis debitis: ad quid ergo, quæso, lex illa fertur; aut quando obligat iuxta horum Iuristarum explicationem? Præsumptio ergo, quæ tunc mouit Legislatorem, non est æqualitas hæreditatis cum debitis, vt ostendi, sed dolus ex parte adeuntis hæreditatem, quòd scil. voluerit posteà dicere esse minorem & sic subterfugere obligationem soluendi; eò quòd non subsistente præsumptio, debebit considerari, an culpabiliter ille omiserit inuentarium nec ne, si enim sine vllâ planè culpâ omisit, tunc cessat præsumptio; & non obligabitur soluere vltra hæreditatem; si verò dolosè id fecerit, quia præsumptio subsistit, etiamsi hæreditas sit minor, debebit soluere debita. Hìc est genuinus sensus eius legis: & potest esse in fauorem nostrum, quia cessante dolo præsumptio non obligat.

53. *Quid mouerit Legislatorẽ ad sãcĩendum.*

Sectio V.

An lex ciuilis obligare possit sub mortali, & quid ad hoc requiratur.

Svbsectio I.

Quæ faciliora sunt præmittuntur.

54. *Status quæstionis.*

ET si in superioribus ostenderimus legem ciuilem posse obligare in conscientiâ, & sub peccato, non tamen diximus in particulari, an sub mortali; de veniali enim supponitur: nam si obligare sub peccato potest, & veniale sit infimum in genere peccati, haud dubiè sub illo poterit: quidam ex his, qui suprà admiserunt, legem ciuilem posse sub peccato, negarunt sub mortali, eò quòd hæc sit grauissima obligatio inferensque mortem animæ; ergo non potest prouenire à ciuili potestate. Nihilominùs tamen, si benè considerentur quæ superiùs diximus de modo, quo obligare in conscientiâ potest, non relinquitur vllum dubium, quin etiã grauiter posset. Ita sentiunt communiter ferè omnes Doctores: citatur etiam D. Thom. 2.2. q. 104. art. 6. ibi tamen planè nihil de eâ re decidit; quæstione verò sequenti art. 1. in corpore id tradit apertè; & insinuat rationem, quam suprà nos posuimus declarando, cur præcepta legis ciuilis obligent in conscientiâ, quia scil. Deus vult vt obediatur Superioribus humanis: vnde potest esse etiã grauis offensa Dei, si illis non obediatur. Neque ad hoc requiritur, vt ea inobedientia sit ex contemptu: sicut, vt quis grauiter peccet contra præceptum naturale, non est necessum vt id faciat ex contemptu; sed aduertens esse prohibitam rem grauem, & grauiter, nihilominùs illam amplectatur. Neque in hoc puncto video vllam planè difficultatem, quæ ex dictis suprà non possit solui. Hoc tantùm aduertendum est, sicut suprà diximus, non esse necessariũ vt Deus specialiter homini conferat potestatẽ obligandi in conscientiâ, sed ex natura rei eam sequi, supposito quòd à Republicâ eligatur in caput; ita eodem modo non esse necessum ad obligandum sub mortali, eam potestatem singulariter tribui à Deo, sed ex natura rei sequi, posito quòd communitas elegerit aliquem pro suo capite: sicut, si ego transfero dominium pallij in Petrum, statim sequitur, quòd grauiter peccem, si illud comburo contra voluntatem Petri.

55. *Non requiritur contemptus ad peccandũ contra eam grauiter.*

Vnde sit potestas obligãdi in cõscientiâ.

Supposità ergo hac potestate, quæri vlteriùs potest, an ad obligationem sub mortali requirat lex ciuilis materiam grauem. Respondeo omnino eam requiri: id quod communiter supponitur à Doctoribus, & probatur facilè; nam lex naturalis ex parte modi præcipiendi longè grauiùs præcipit quàm illa lex ciuilis: auctoritas item mandandi maior est & notior in natura ipsa quàm in Iudice ciuili; & tamen in materia leui lex naturalis solùm obligat sub veniali; vt patet in furto leui, in mendacio, &c. ergo à fortiori lex ciuilis exiget grauem materiam. Ratio verò à priori desumitur inde, quòd communitas suam iurisdictionem transferens in Principem non censetur dedisse eam, vt hic possit in re minima & exigui momenti obligare sub tanta culpa; imò, etiamsi voluisset eo modo conferre, non potuisset: sicut nec per votum potest quis se obligare grauiter, si materia sit leuis. Vide P. Salas disp. 10. sect. 6. plurimos pro hac doctrina referentem. Neque obest, quòd nonnulli in contrarium censeant, eam grauitatem obligationis pendere ex sola voluntate Legislatoris: quod confirmari potest ex præcepto Adamo imposito, cuius materia fuit leuis; & tamen obligauit sub mortali. Respondendum enim est negando eis suppositum; nam licet data materia sufficienti & graui, possit Legislator imponere obligationem grauem; si tamen non inuenit sufficiens fundamentum, non poterit tam graue onus superimponere. Ad instantiã ex præcepto Adami respondi Tomo 2. in ea circumstantia, in qua Deus id mandauit, vt ostenderet se esse Dominũ Adami, & in gratiarum actionem pro tantis beneficiis gratem fuisse illam materiam: sæpè enim, quod ex se videtur esse materia leuis, fit graue ob circumstantias occurrentes: vt in militia, quæ leuis in se videtur esse negligentia, reputatur grauis, ob periculum imminens: in eo autem casu fatemur libenter Legislatorem posse rem illam grauiter imperare de quo multa dixi Tomo 3. agens de distinctione mortalis à veniali.

56. *Lex ciuilis requirit graue materiam ad obligationẽ sub mortali. Discrimẽ inter legẽ naturalẽ & ciuilem hic.*

Ratio à priori.

Nemo se potest voto grauiter obligare in materiâ leui.

57. *An materia à Deo præcepta fuerit grauis.*

Illud hac occasione quæri posset. Primò, vnde dignoscetur, quæ sit materia grauis, quæ leuis. Respondeo, in hoc puncto non posse à nobis assignari regulam certam pro omni materia, sed in qualibet in particulari debere considerari circũstantias, dãna inde secuta, aut è contrario vtilitatem, quæ speratur; nam ratione istorũ planè mutari solet materia: etenim percussio v. g. quæ vni homini robusto non nocet grauiter, poterit vnũ teneru infantem occidere; ideóq, hìc sine dubio erit grauissima, esto ibi leuis esset: similiter dicere de quodam homine dissoluto, & alioquin mali nominis, esse mendacem, leuis esset diffamatio: at id dicere de homine sãctissimo, & vt tali ab omnibus æstimato, quis negabit esse grauem iniuriam? eodem modo in aliis materiis dici potest, è quibus clarè infertur, non posse generaleṁ

58. *Quæ sit materia grauis & contrà. Circũstantiæ ad determinant.*

Lex ciuilis potest obligare sub mortali, & cur.

Digitized by Google

regulam pro his casibus assignari. Hoc solum
59. *Lex ciuilis extenditur etiã ad res nullius virtutis.* aduertendum, malè ab aliquibus insinuari, leges ciuiles non posse grauiter præcipere nisi materiã virtutum præcipuarum, v. g. charitatis, iustitiæ, religionis, &c. Dico hos malè loqui, quia iam ostendi suprà, quomodo leges ciuiles extendantur etiam ad res, quæ ex se non pertinent ad vllam virtutem; sunt tamen hîc & nunc vtiles & necessariæ pro bono Reipublicæ; vt non gestare arma noctu, non extrahere è Regno aurum, &c.

SVBSECTIO II.

Vnde dignoscatur legem obligare sub mortali.

60. *Qui cognoscatur, legem grauiter vel leuiter obligare.* QVærimus, quomodo ex verbis legis cognosci possit, an obliget sub mortali, an verò tantùm sub veniali. In sententiã P. Vasquez & aliquorum quæstio hæc inutilis esset, quia supponit id solùm ex ipsâ materiæ grauitate desumendum, nec esse in potestate Legislatoris rem grauem leuiter præcipere; verùm, quia hanc doctrinam paulò pòst reiiciemus, meritò præsentem quæstionem mouemus: ei respondendum, Si Legislator dicat, se velle obligare sub culpâ graui vel reatu pœnæ æternæ, non dubium, quin eo ipso satis declaret suam mentem.

61. *Suarij mens reijcitur. Qui discernant Legislatores inter veniale & mortale.* Patet Suarez censet hunc modum mandandi non pertinere ad Iudices ciuiles quia illi non discernunt mortale à veniali. Verùm hoc non videtur facere ad rem, quia cùm velle obligare grauiter aut leuiter, seu mortaliter aut venialiter, pendeat ex eorum voluntate (vt ipsemet Pater Suarez cap. 27. & ferè omnes admittunt) necessum eo ipso est, quòd ad tales Principes spectet discernere saltem in ordine ad legem inter mortale à veniali. Dico *in ordine ad legem*, quia aliud fortè erit dicere in particulari, *Hæc actio est mortalis, illa venialis*; quod ad Theologum maximè spectat; supponitur tamen aliquo modo sciri etiam à sæculari; quia sine eâ scientiâ vix potest intelligi capax peccandi venialiter & mortaliter. Aliud autem est posse dicere, *Nolo obligare sub mortali, sed sub veniali*; nam ad hoc sufficit in communi scire, esse posse obligationem sub mortali & sub veniali, siue in hoc siue in illo consistat: ergo, quòd possit Legislator ciuilis etiam commodissimè eos terminos vsurpare, nemo est dubium: tunc autem de eius intentione dubium non erit, vt paulò antè dixi.

Est ergo difficultas, casu quo se non explicet: in quo puncto duplex adhuc quæstio esse potest. Prima, an, quando dicit, *Præcipio, mando*, &c. & nihil aliud addit, conetur grauiter mandare. Suppono alioquin grauem esse materiam. Secunda est, an quando imponit pœnam temporalem grauem, velit per hoc denotare se non obligare graviter in conscientia, sed legem illam solùm esse pœnalem; an verò è contrario grauitas pœnæ inferat etiam grauitatem obligationis.

62. *Quid si Legislator se nõ explicet, duplex hinc oritur quæstio.*

Circa primam nonnulli censent, illa verba non sufficere ad obligationem sub mortali in lege ciuili, licet sufficiant in Canonicâ; disparitatem assignant, nam in iure Canonico declaratum videtur in Clementinâ *Exiui*. de verborum significationibus, & cap. *Exiit*, eodem titulo in 6. at in ciuili iure nulla est declaratio, quòd verba illa sufficiant ad grauem obligationem, ergo

63. *Circa primã auctores discrepant.* Alij verò docent, in multis legibus sufficere ea verba; nam præcipere & mandare indifferens est ex se ad leuem obligationem & ad grauem, imò & ad eam, quæ nec sub veniali imponitur, iuxta dicta suprà. Tertiò alij dicunt, ea verba ex se si considerentur, vt abstrahentia ab hac materiã & illâ, nec significare grauem nec leuem obligationem, sed ab vtraque præscindere; in materiâ autem leui significare leuem, in graui grauem; quia de se significãt obligationem; ea autem accommodatur materiæ; ergo in graui grauem, in leui leuem. Ita Pater Salas ea disp. 10. n. 49. valdè multos pro se referens: ita etiam Pater Suarez cap. 26. vbi ait, eam regulam debere esse generalem tam in ciuilibus legibus quàm in Canonicis, quia eadem vtrobique est vis verbi & capacitas materiæ; ergo debet significare eodem modo vtrobique; & ex parte fauere videtur huic additioni P. Salas, licet non videatur constanter rem declarare.

64. *An verba mando, præcipio magis in Canonicis legibus obligent quam ciuilibus.* Crediderim in hoc puncto primùm satis probabiliter Medinam, Castrum & Nauarrum apud Salas & Suarez suprà distinguere inter leges Canonicas & ciuiles; quia cùm Canonicæ per se ex naturâ suâ ad spiritualem hominis gubernationem ordinentur, magis directè obligant in conscientiã; & consequenter facilius illa verba, *mando, præcipio*, & similia denotant grauitatem obligationis, cuius capax est materia grauis: certum enim videtur, terminos quoscumque determinari ad magis minúsve rigorosè significandum, iuxta materiam eorum qui illos vsurpant: ergo, quia Canones directè circa interiorem animæ obligationem solùm versantur, magis apud illos strictam animæ obligationem significant, cæteris paribus, eadem verba quàm in lege ciuili; quæ per se & directè solam externam intuetur administrationem. Secundò crediderim valdè probabile esse, in ciuilibus legibus ea verba sola etiam in materiâ graui, & de se alioquin capaci obligationis sub mortali, non tamen obligare sub mortali; nisi tanta sit materiæ grauitas, vt inde colligamus Legislatorẽ voluisse obligare quantum potest. Id, præter tres paulò antè citatos, tenet etiam Caietanus; qui in legibus adhuc Canonicis censet illa verba non sufficere ad mortale: cui resolutioni fauet P. Salas co n. 29. circa medium: vbi multa pro eâ congerit. In hanc sententiam quoad primam partem inducor, quia verba legis non sunt in summo rigore explicanda, sed potiùs quàm suauiter possint, dummodo vera & propria eorum significatio retineatur. Hoc principium videntur omnes supponere; & continetur in illo, *Fauores sunt ampliandi, odia restringenda*. Atqui illa verba *præcipio, mando, iubeo*, &c. in materiâ graui possunt propriè & rigorosè intelligi cum sola obligatione sub veniali, vt fusè & benè ostendit Salas suprà: altera verò significatio sub mortali est rigidissima, quam possunt habere; ergo non debemus ea verba accipere in eâ summâ significatione, sed in alterâ etiam propriâ: quòd verò ea significatio etiam in materiâ graui sit propria, ferè omnes admittunt; quia etiam ad materiam grauem potest Legislator solùm sub veniali obligare, vt dicam paulò pòst: quo casu verum esset & proprium præceptum illius, sicut verum & proprium præceptum est non mentiendi, etiamsi obliget solùm sub veniali. Idem dico, si lex sub his terminis proferretur, *Obligo sub peccato*, non enim debeo dare summæ odiosam significationem

65. *Quando ea verba sola in lege ciuili possint obligare sub mortali.*

66. *Qui verba legum explicanda sint.*

67. *Quid sit dicat Legislator.* Obligo sub peccato

nem sub mortali; sed sufficit, si intelligam de proprio peccato, licet veniali. Hanc rationem nostram pulchrè tetigit Nauarrus in Manuali cap. 23. num. 49.

67. Dices Primò; Ergo ob eamdem rationem idem erit in lege Canonicâ. Respondeo; Esto vi eius acceptionis in sensu minùs odioso eadem sit ratio, absolutè tamen non esse eamdem; quia in lege ciuili & vrget ea ratio, & præterea altera superiùs insinuata, quod illud ips, sicut non ita directè respicit obligationem interiorè sub peccato, ita etiam faciliùs præsumitur non velle grauem in eo genere inducere: at in Canonicis sicut per se intenduntur in conscientiâ obligare, ita præsumuntur velle maiorem obligationem; quia magis seriò in eo puncto agunt. Secundò respondeo, fortasse etiam idem posse dici in Canonicis: neque id aduersatur primæ meæ conclusioni, quia in ea solùm dixi specialem esse aliquâ rationem in ciuilibus; per quod non dico eam sufficere, vt absolutè aliter in vno quàm in altero casu discurratur. Hinc facilè respondetur ad rationem Patris Suarez, quæ in eo fundatur, quòd verbum illud *precipio* de se sit significatiuum grauis obligationis; & materia id ipsum permittit; supponimus enim esse grauem: ergò debet significare grauem accommodando se materiæ illi graui. Huic, inquam, facilè respondetur: dico enim illud verbum sicut potest grauem obligationem, ita etiam posse leuem significare, esto materia sit grauis; non debere autem necessariò accipi in odiosissimâ quàm potest significatione, dummodò accipiatur in verâ & propriâ.

Leges Canonicæ cur maiorem velint obligationē.

Respondetur rationi Suarez.

68. Iam ad secundam partem conclusionis, in quâ limitaui priorem ad casum quo materia præcepta esset maximi momenti; tunc enim prudenter præsumimus ob eius necessitatem voluisse Legislatorem obligare quantum potuit; nam alioquin nō videretur sufficienter prouidisse rei tanti momenti, & in hoc puncto acquiesco sententiæ Patris Suarez.

Quid si materia præcepta sit maximi momenti.

Circa secundam difficultatem, vtrùm, quando in lege ciuili apponitur pœna grauis temporalis, debeamus ex eâ inferre, Legislatorem noluisse in conscientiâ obligare, sed solùm pœnalem constituisse legem, puto dicendum, eam adiectionem pœnæ potiùs esse indicium voluntatis grauiter obligantis etiam in conscientiâ. Ita P. Vasquez disp. 15. n. 22. vbi iudicat, nec posse imponi iustè adeò graues pœnas, nisi ob peccatum graue: in quo tamen minùs mihi placet ob dicenda infrà, dum de lege pœnali. Idem docet Suarez suprà cum communi, quia teuerà non videretur imponere prudenter pœnam mortis pro solo veniali peccato. Confirmo: Eam pœnam ponit, quia iudicat, rem illam esse necessariam valdè & magni momenti; vnde vult, quantum potest, ad eam homines determinare, aut è contrario auertere: atqui ad hunc finem maximè vtile est imponere eam grauem obligationem; debet ergo præsumi illam voluisse, nisi expressis verbis contrarium ostendat.

Grauis pœna adiecta ostendit legē grauiter obligare etiā in conscientiâ.

69. Obiicies, Ergo lex prohibens efferri pecuniam è Regno v.g. & adiungens pœnam amissionis totius summæ, si deprehendatur, obligabit etiam in conscientiâ sub mortali: quod tamen communiter videtur negari. Respondeo, à me non dictum, semper esse eam obligationem in omni lege pœnali; maximè enim locutus sum de pœnali in vitâ & honore: deinde, etiâsi sit in pecuniâ, dico, aliquando ex communi omnium intelligentiâ circa legem posse decidi, an etiam obliget sub mortali, an solùm sit pœnalis; denique, ex verbis, quibus fertur: nam si dicat, *Quicunque extraxerit*, &c. *amittet pecuniam*, non videtur præcipere directè, ne extrahat, sed, vt soluat, si extraxerit. Verùm de explicatione cuiuslibet legis in particulari non agimus nunc infrà, dum de lege pœnali, aliquid circa eiusmodi leges dicetur.

Nō omnis lex pœnalis grauiter obligat.

SVBSECTIO III.

An materiam grauem possit lex sub veniali præcipere.

ET si hucusque dixerimus grauitatem obligationis pendere à voluntate Legislatoris, ex quo euidenter infertur, posse Legislatorem, si velit, se solùm obligare sub veniali, etiam in materiâ graui; quia tamen hoc ipsum à Vasquez & nonnullis aliis negatur, oportet id paulò fusiùs explicare. Ergo P. Vasquez disp. 158. nu. 32. Salmeron Tom. 4. in Euangel. part. 3. Tract. 12. Bartholomæus Medina, Aragon & Driedo apud Salas sect. 7. quos etiam refert & sequitur Pater Tanner. disp. 5. q. 6. dubio 5. censent non pendere à voluntate Legislatoris obligationis grauitatem, nisi quatenus potest grauem aut leuem materiam præcipere. Id quod suadetur Primò, quia obligatio naturaliter consequitur legem ipsam: ergo non potest Legislator ferre legē & obligationem impedire. Secundò, quia non potest è contrario rem leuem grauiter prohibere, ergo neque grauem leuiter; videtur enim stultum velle, vt transgressio de re magni momenti sit leuis culpa. Tertiò, differentia venialis à mortali oritur ex naturâ rei, & non ex voluntate Legislatoris; ergo, quòd transgressio legis sit venialis vel grauis, non pendebit à Legislatore. Quartum argumentum addit Pater Suarez, quod tamen idem omnino est cum primo: potest autem loco illius aliud formari ex voto; quod si sit de materiâ graui, necessariò grauiter obligat; & non est in potestate vouentis eam obligationem temperare, ergo etiam non erit in potestate Legislatoris. Quintò ex P. Tannero sic obiicitur, Eo ipso quo quis non obedit Superiori humano, facit contra præceptum naturale seu diuinum, dictans, *obediendum esse Superiori legitimo*: atqui tale præceptum naturale in materiâ graui obligat sub peccato graui, ergo. Persistendum nihilominùs est in nostrâ sententiâ, quam tenent Nauarrus in Manuali cap. 23. num. 49. Castro, Ioannes Medina, Caietanus & alij quos Salas suprà refert & sequitur: eamdem defendit ac bene probat Pater Suarez cap. 27. quia ea obligatio legis non habet aliam causam quàm voluntatem Legislatoris; imò formaliter consistit in eâ voluntate; ergo repugnat, vt maior sit ea obligatio quàm intendat Legislator; ergo, si hic non intendit nisi sub veniali, non poterit esse sub mortali.

70. *Legislator potest se leuiter obligare in materiâ graui.*

Vasq. negat, & nonnulli alij.

Quibus rationibus nitantur.

Suarij ratio.

71. *Tanneri argumentum.*

Nauarrus Castro, &c. nostrā sententiā tuentur.

Voluntas Legislatoris vnicè causat obligationem legis.

Dices: Legislator solùm debet intendere legem; posteà enim per se orietur obligatio iuxta qualitatem materiæ. Sed contrà, quia lex est terminus communis, & non potest in communi poni: abstrahit enim à lege obligante grauiter, & à lege obligante venialiter, imò à lege obligante in conscientiâ, non tamen sub vllo peccato; vt in regulis multarum Religionum suprà ostendimus: & fatetur ipse P. Vasquez. Hoc ergo posito,

72. *Occurritur obiectioni.*

sito, quæro, quando dicit, *Solum est necessum, vt Legislator ferat legem*, de quâ lege ex illis tribus loquatur; nam lex in communi non potest realiter ferri: quidquid enim realiter existit à parte rei, est realiter determinatum: si igitur loquatur de lege, quæ non obligat, nec sub veniali, tunc malè dicitur, ex eâ sequi obligationem grauem; si verò loquatur de voluntate nolente obligare sub mortali, tunc repugnat, vt ex illâ sequatur talis obligatio, cùm sit expressè contra eam volitionem: si verò loquatur de lege, quæ dicit, *Volo vt sub mortali obliges*, fatemur libenter eam obligare; at non est ea volitio, de quâ nunc agimus; ponimus enim contrariàm, quæ dicit, *Nolo sub mortali, sed solùm sub veniali.*

73. *Secundò ei respondetur.*

Secundò idem probo, quia Legislator potest eam materiam mandare inducendo obligationẽ peccati grauis; item è contrario, non inducendo vllam sub peccato: ergo poterit inducere medium quid. Probo consequentiam, quia ex parte rei præceptæ non est repugnantia: sicut enim potest habere summam, & è contrario carere omni; ita potest habere mediam obligationem: ex parte etiam volitionis non repugnat, quia sicut potest velle summam, & velle nullam, ita potest mediam: ex parte item iurisdictionis non repugnat, quia si habet iurisdictionem ad summam, habet ad mediam; & cùm sit agens liberum, non tenetur totam exercere, sed potest partem, seu inadæquatè eâ vti.

74. *Tertiò idem occurritur.*

Tertiò idem probo, quia in Religione PP. Carmelitanorũ Discalceatorum est regula prohibens esum carnium; qui sine dubio est materia grauis, & ex se capax peccati mortalis: & ab Ecclesia in Quadragesima & vigiliis ac diebus Veneris & Sabbati sub mortali prohibetur. In ea tamen Religione, iuxta declarationem communem totius Ordinis, non obligantur nisi solùm sub veniali ad eam abstinentiam, vt ex ipsorum Superioribus intellexi; & iuxta eam explicationem regulam dicunt esse à Pontifice confirmatam, Igitur materia ex se grauis, & capax obligationis sub mortali potest imperari sub veniali tantùm. Quæ ratio mihi efficacissima est ob sensum communẽ totius eius grauissimæ Religionis, & ob confirmationem Pontificiam eius instituti sic intellecti. & fortasse simile quid in aliis Ordinibus reperitur.

Carmelitani ad abstinẽtiã carnis solùm leuiter obligantur.

SVBSECTIO IV.

Respondetur argumentis in contrarium.

75. *Obligatio faciendi imperata naturaliter ex mandato sequitur.*

HInc facilè ad argumenta opposita respondebitur. Ad primum dicimus, obligationem faciendi quod imperatum est sequi naturaliter ex mandato; iuxta qualitatem tamen illius mandati. Quod & ipse P. Vasquez fateri debet: etenim licet præceptum naturale dicat *obediendum esse Superioribus*; ibi tamen semper debet intelligi iuxta modum, quo illi volunt obligare; alioquin, cùm omnis regula in Religione sit verum mandatum Superiorum, deberemus dicere, vi præcepti naturalis teneri nos sub mortali regulas omnes seruare, si tangant materiam ex se capacem obligationis mortalis: quod plusquam erroneum esset, quia ex approbatione Summorum Pontificum constat, eas regulas in multis Religionibus nec sub veniali obligare: sicut ergo hîc debet dici, eam obligationem solùm esse iuxta modum quo à Legislatore intenditur; ita nos dicimus, eam obligationem grauem aut leuem esse iuxta modum quo Legislator vult; cúmque supponamus, eum non velle obligare sub mortali, certè non obligabit: id quod locum habet, licet non esset ea materia capax solius obligationis venialis, qnia tunc citiùs nulla ibi foret quàm grauis. Id quod benè notauit P. Suarez suprà.

Magnũ cõtra aduersarios absurdũ infertur.

Secundum argumentum, desumptum ex materiâ leui, ad quam non potest obligari sub mortali, ergo neque è contrario, non vrget vllo modo; quia ad grauem obligationem duo requiruntur, & grauitas materiæ, & grauitas obligationis; quocumque autem ex his impedito impeditur grauis obligatio; ergo illa non erit, esto materia sit grauis; ad leuem autem sufficit vnum ex illis. Ratio à priori est, quia ad rem aliquam efficiendã magnã, necessum est per se vt partes sint magnæ; vt verò non sit magna, sufficit, si vna pars sit parua. Id quod vrgeo euidenti instantia in sententia Vasquez & omnium omnino vera: nam materia grauis, & grauiter prohibita, si tamen supponat in operante semiplenam libertatem, non est nec potest esse nisi peccatum leue; & tamen non licet è contrario inde inferre, Ergo omnis plena aut summa libertas etiam cum materia leui efficiet peccatum mortale: quia enim mortale est simpliciter quid magnum, debet esse & ex parte libertatis & ex parte materiæ graue: quod autem dicunt omnes de semiplena libertate, dico ego de semipleno vsu iurisdictionis; quia non tenetur Legislator velle quàm possit grauiter obligare, seu vti tota sua potestate obligatiua. Neque stultum est velle, vt transgressio rei magnæ sit solùm veniale peccatum: nam sicut illa eadem materia potuit manere ita libera, vt nec quidem sub veniali ad eam obligaremur, sed mandaretur eo modo, quo per regulas non obligantes sub veniali; neque hoc fuisset stultum; ita à fortiori potuit mandari cum aliqua maiori obligatione, non tamen summa, id est mortali, sed veniali; vt dixi de facto in Religione Carmelitanorum Discalceatorum cerni.

76. *Quid ad grauẽ obligationem requiratur. Cur ad materiã leuẽ non possim obligari grauiter, sic verò è contrario.*

77. *Nõ est stultũ transgressionẽ rei magnæ velle esse leue peccatum.*

Ad Tertium, quòd differentia venialis à mortali sit ex natura rei, ergo non potest prouenire à voluntate Legislatoris, respondeo, immediatè quidem esse ex natura rei, & non pendere à voluntate Legislatoris; mediatè verò non esse ex natura rei, sed pendere ab ea voluntate. Id quod ego explico contra ipsum Vasquez & omnes alios hac clara instantia: non minùs differentia peccati ab opere indifferenti est ex natura rei, & non pendet à voluntate hominum, quàm differentia venialis à mortali; & tamen in potestate Legislatoris est efficere, vt opus, quod ex se erat indifferens, fiat malum illud prohibendo; & è contrario, quod erat malum, fiat bonum auferendo prohibitionem, & illud mandando; ergo eodem modo erit in veniali & mortali: quo posito, explico distinctionem in responsione datam, dicoque, suppositis iam libertate & prohibitione graui, quæ omnia præcedunt ipsum peccatum, non esse in potestate Legislatoris sola sua voluntate extrinseca, quæ materiam prohibitam non mutat, efficere, ne ego mortaliter peccem; vnde immediatè ipsius voluntas nihil efficit; at remotè immutando materiam sine dubio esse in eius potestate efficere, vt ego aut peccem, aut non peccem, prohibendo vel omnino permittendo

Differentia venialis à mortali an sit ex naturâ rei.

78. *Explicatur hoc clarâ instantiâ.*

eam

Digitized by Google

eam materiam: efficere item potest, vt peccem venialiter aut mortaliter, eam prohibendo leuiter aut grauiter; eodem modo quo ego efficere possum, vt alter non reddendo mihi florenum peccet aut non peccet omnino, vel certè solùm venialiter: si enim dico illi, *Dono tibi hunc totum florenum quem debes*; iam ille retinendo illum nõ peccabit vllo modo: si dico illi, *Nihil dono*, peccabit mortaliter: si denique dico, *Dono mediam partem*, peccabit venialiter non reddendo. Si ergo possum per eam adæquatam, inadæquatam aut nullam donationem immutare aliquid circa peccatum alterius mediatè, ita eodem modo dico de Legislatore, per prohibitionem adæquatam, inadæquatam vel nullam posse aut nullo modo obligare, aut sub graui peccato, aut certè solùm sub leui.

Qui Legislator prohibitione adæquatâ, inadæquatâ vel nullâ possit grauiter, leuiter, vel omnino non obligare.

79. Replicabis cum P. Vasquez, Obligatio non est essentia legis, sed effectus illius; lex enim consistit in intimatione voluntatis Superioris; ergo, posità eâ legè, non poterit impediri obligatio grauis. Respondeo, pro præsenti difficultate per accidens omnino esse, quòd obligatio sit effectus aut essentia legis; imò pro intento Patris Vasq. peius esse, quòd sit effectus, quàm si esset essentia legis: faciliùs enim, posità aliquâ re, impediri potest effectus illius ab eâ distinctus, quàm possit ipsa eius essentia (vt ex terminis est notum;) ergo si obligatio est effectus legis, non verò essentia, facilius erit mutare obligationem grauis in leuem manente essentiâ legis, quàm si diceremus eam obligationem esse essentiam; vnde miror à Patre Vasquez fieri magnam in eo vim, quòd obligatio non sit essentia, sed effectus. Quidquid verò de hoc sit, Secundò respondeo, Licet dicamus, eam obligationem esse effectum, addimus tamen, illam pendere ab ipsâ qualitate legis, à quâ prouenit: si enim volitio non mortalem, sed venialem tantùm obligationem cupiat inducere, repugnat, vt ex eâ maior effectus nascatur quàm obligatio venialis. Quæ doctrina locum habet, siue ipsa volitio sit identificata cum obligatione, siue sit causa illius: à quo nunc abstraho; nam suprà dixi, meliùs discurri, si ipsa obligatio in actu primo dicatur legis essentia.

Satisfit replicæ Vasquez.

Vnde obligatio pendeat.

80. Ad Quartum de voto dico, eodem etiam modo esse in potestate vouentis solùm se obligare sub culpâ leui, etiamsi materia sit grauis: quod ipsum P. Salas docet eâ sect. 7. cum aliis multis. An autem in iuramento promissorio possit esse ea obligatio leuis, aliò spectat, fortè quia ratione Dei, quem in testem adducit, non potest esse deceptio etiam in materiâ leui: inde, saltem quando iurat, debet habere serium animum dandi, alioquin mortaliter peccat: quanta verò sit postea obligatio non mutandi animum, non est huius loci.

An in iuramento promissorio possit esse obligatio leuis

Ad Quintum & vltimum, quod ex Tanner. desumptum est, respondemus, præceptum diuinũ seu naturale dictans obediendum esse Legislatori humano non obligare nisi eodem modo, quo ipse Legislator vult obligare; nam tota ea obligatio immediatè oritur ex voluntate humani Legislatoris: vnde si hic solùm sub veniali præcipit, solùm sub veniali obligabit illud præceptum naturale seu diuinum.

Obiatur rationi Tãner.

SECTIO VI.

An peccare ex contemptu contra quamcumque legem sit mortale.

81. Difficultas hæc etiam est communis omni legi, ideò commodiùs fortè tractata fuisset dum egimus de lege in communi; quia tamen maximè hic contemptus solet esse erga Legislatorem humanum, opportunè satis hic discutitur, dum de obligatione legis humanæ tractatur. Communis sententia Theologorum docet, etiam in materiâ non obligante nisi sub veniali, imò in nullo modo obligante, esse peccatum mortale, non obedire ex contemptu. Ita D. Thomas 2.2. quæst. 186. artic. 9. ad 3. Caietanus ibi, Bonaventura Tom. 1. Opusc. in Pharetrâ diuini amoris, lib. 2. cap. 44. Adrianus quodlib. 6. art. 2. & multi alij, quos P. Salas refert sect. 8. n. 39. & Suarez cap. 28.

Cõmunis opinio hæc de re

Est tamen circa hanc sententiam duplex difficultas. Prima, quòd non declaret, quid sit contemptus: Secunda, quòd non videatur contemptus omnis esse peccatum graue; nam etiam contemnere aliqualiter Superiorem non videtur esse mortale; ergo multò minùs erit mortale transgredi legem leuem ex eo contemptu: cur enim in lege non contemnendi non erit paruitas materiæ, sicut in aliis legibus?

Duplex hæc opinio nodum habet.

SVBSECTIO I.

Quid sit contemptus.

82. Circa primam difficultatem supponendum est contra aliquos, peccatum ex contemptu non esse peccatum omne factum cum perfectâ scientiâ & libertate; alioquin omne mendacium iocosum aduertenter dictum esset ex contemptu & consequenter mortale: quod est pluſquam falsum: & idem est de furto vnius cruciferi. Id quod ex dictis hucusque clarè reiicitur; quia si præceptum non obligat nisi sub veniali vel ratione materiæ leuis, vel ex eo, quòd Legislator noluit grauiter obligare; ergo, quantumuis homo habeat perfectam scientiam & libertatem, non potest agnoscere se aliam obligationem habere quàm sub veniali; ergo tunc non peccabit nisi sub veniali.

Liberè & planè aduertenter facta non fiunt hoc ipso ex contemptu.

Secundò supponendum est contra alios, peccatum ex contemptu non esse peccatum purè ex consuetudine, quasi, eo ipso quòd sæpè dicat mendacia iocosa v.g. iam eo ipso peccet ex contemptu: etenim repetitio peccatorum venialium, etiamsi in infinitum fiat, non facit vnũ mortale, vt suo loco diximus; excepto casu furandi, quia ibi ratione materiæ potest ex paruis furtis veniri ad grauem materiam & malitiam: vnde grauiter errauit Panormitanus in cap. *Nam concupiscentiam.* de constitutionibus. vbi docet, nullum esse veniale peccatum, quod ex consuetudine non fiat mortale: est enim hæc doctrina contra omnem Doctorum sensum; nam & ille, qui consuetudinem habet dicendi iocosa mendacia, à nullo prudenti damnari potest peccati mortalis:

Peccatum ex consuetudine non fit eo ipso ex contẽptu.

83. & idem est de eo qui iurat ex consuetudine; attendendo tamen semper ad veritatem. Ratio autem à priori est, quia secundum mendacium non habet distinctum motiuum à primo, & in se potuit

Ratio cur veniale ex consuetudine nõ quãd fiat mortale.

Digitized by Google

tuit fortè esse primum; neque ex parte materiæ facit vnum quid cum præcedenti; nam omnis materia mendacij simul sumpta dummodò in damnum alterius non transeat, semper est materia leuis. Idem dico; si quis haberet consuetudinẽ narrandi aliquem certum defectum leuem alterius: non enim ideò illum grauiter diffamaret: Quòd denique peccatũ ex consuetudine supponat habitum in actu primo facilitantem, non solùm non facit peccatum illud grauius, sed potiùs diminuit per se; quia quò magis inclinatur quis ad peccandum, eò peccatum leuius est: ergo ea consuetudo non facit peccatum graue seu ex contemptu; de quo auctores loquuntur, dum dicunt omnes peccatum ex contemptu esse mortale. Vtraque suppositio posita suadetur hac nouâ ratione; quia contemptus est quædam species peccati, qui differt ex conceptu suo ab omnibus aliis; at fieri ex aduertentiâ & consuetudine potest conuenire omnibus speciebus peccati furandi, luxuriandi, &c. His positis.

Consuetudo minuit peccatum.

Qui differat ab alijs peccatũ contemptus.

84. Dicendum videtur, vocem ipsam *contemnere*, si benè intelligatur, denotare quod sit illud peccatum; est enim idem ac non æstimare aliquid seu parui facere. Potest autem hic contemptus duplex esse: vnus respectiuus inter duos, sic dicimus, *Ioannem præ Antonio nihili facio:* in quo contemptu non denotatur me non æstimare Ioannem tanti, quanti debet æstimari, sed iudicatur me sentire, Antonium esse eo longè excellentiorem. In hoc contemptu potest sæpè esse meritum; nam præ Christo parui æstimare alios Sanctos, sine dubio bonum est: quo sensu dicitur, nos omnes esse quasi nihilum ante Deum, Et sanctus Gregorius dicit nostram iustitiam respectu diuinæ esse quasi pannum menstruatæ. Potest etiam esse in hoc contemptu culpa, si postponatur ille, qui meretur præponi. Alius contemptus est quasi absolutus & sistens in solâ vnâ personâ, quando scilicet ei nego debitum honorem, siue alteri dem maiorem; quia etiam iudico magis mereri; siue de nullo alio honorando tunc cogitem: & in hoc contemptu semper est malitia, quia negare alteri quod ei debetur, semper est malum. Aduerte tamen tripliciter posse hunc contemptum euenire: vel in solo intellectu, quia iudico illum reuerà non esse dignum tanto honore: vel in solâ voluntate, quia esto iudicem illum hoc mereri, non volo tamen illud ei dare, sed potiùs opere ipso ostendere, illum non esse eo dignum: vel denique in intellectu simul & voluntate, quia etiam illum iudico minùs dignum; & vt talem cupio illum haberi ab aliis, & à meipso exteriùs ita tractari. Si contemptus sit intellectualis siue purus, siue etiam transeat ad voluntatem, vt cognoscamus, an sit peccatum, debemus ponderare, an ille error sit vincibilis; & quo gradu; alioquin nullum erit peccatum. Nam actus intellectus quà talis peccatum non est, quia non est liber. Quid autem requiratur vt error aliquis sit crassus, & quando est mortale peccatum (suppono alioquin materiam esse grauem) quando verò solùm veniale, diximus Tomo 3. agentes de ignorantiâ: ergo pro præsenti quæstione solùm de eo contemptu agendum, qui propriè est in voluntate.

Duplex potest dari contemptus.

Primus & meriti & demeriti capax esse potest.

85. Hunc nonnulli dixerunt esse actum superbiæ, quo quis non vult subijci alteri, & ex eo capite non vult illi obedire. Meritò autem hanc sententiam reiicit Pater Suarez, quia inde fieret, non posse esse contemptum circa Consilia Euangelica; quia ad illa non cogimur sub obedientiâ: consequens autem est absurdum; ergo contemptus extenditur etiam ad materias non præceptas. Probabilius ergo est quod ex Caietano & Altisiodorensi docet Salas & Suarez suprà, scilicet, contemptum esse peccatum iniustitiæ prout versatur circa personam; vult enim illi negare honorem ipsi debitum. Dico, *prout versatur circa personam*; nam contemnere diuitias, honorem, sanitatem, & alia bona potest esse sæpè actus virtutis, si moderatè fiat, & propter altiorem finem, si verò immoderatè, tunc pertinebit ad diuersas species peccatorum, iuxta virtutes quæ præscribunt, quid sit in hac aut illâ materiâ faciendum: nam contemnere suam valetudinem erit contra amorem proprium, contemnere inordinatè diuitias erit prodigalitas, &c. Ergo contemptus personæ erit iniustitia, quia contra ius alterius agitur: sicut enim quilibet habet ius in sua bona, & non potest licitè eis priuari, ita habet in honorem & æstimationem sibi debitam; & non potest eâ defraudari sine iniuriâ. Aduerte tamen dupliciter posse quem alterum defraudare honore debito, vel in actu exercito, vel in actu signato; in actu exercito, quando non intendendo id, sed aliquid aliud, re ipsâ tamen alterum contemnit: sic enim omnis qui non seruat præcepta à Superioribus imposita, contemnit Superiorem in actu exercito; quia non dat illi honorem qui ei debetur: nam hoc ipsum, quod est ei obedire, est exhibere illi quamdam reuerentiam & honorem; ergo è contrario non obedire erit ei negare eam debitam reuerentiam, ergo erit contemptus in actu exercito; quia licet id non intendat, tamen re ipsâ id præstat. Alter contẽptus est formalis, qui directè fit in depressionẽ alterius aut in negationem honoris, vt alter minùs æstimetur quàm meretur. Et hic est proprius contemptus, de quo agimus in præsenti.

Secundus semper est malus: qui tripliciter modo fieri potest.

An contẽptus sit actus superbiæ.

Quid ſi versatur circa res.

Qui possit alter contemni.

Quis sit proprius contemptus.

86. Dices, Hoc ipsum, quod est alterum deprimere, debet habere aliud motiuum, ob quod fiat; nam deprimere alterum est in se formaliter malum, ergo non potest sub eo motiuo amari, ergo sub altero; tunc autem iam non erit formalis contemptus, sed in actu exercito. Huic obiectioni respondendum est eo modo quo dixi Tomo præcedenti agens de odio proximi; dupliciter scil. posse quem velle malum alteri. Primò quasi indirectè planè, quia amat id quod sibi bonum est; & quia re ipsâ hoc est coniunctum cum dãno alterius, indirectè illud vult: qui enim furatur non ex odio alterius, sed vt sibi consulat, licet alteri faciat malum, quod tamen ex se non optat, non solùm vt finem omnino vltimum, sed nec directè, sed per accidens; vnde, si posset fieri vt simul sibi prospiceret, & alteri non noceret, libentissimè id præstaret; hic, inquam, etiamsi causet malum alterius, non tamen habet propriũ odium illius; quia non fertur directè in malum quà malum illius est.

Qui quis possit alteri velle malũ. Primus modus.

87. Aliter potest quis in illud malũ ferri directè, licet non vltimò, seu vt in rationem formalem sub quâ; vt cùm quis eâ ratione illud amet, quia malum est illius vúltque directè illi nocere, quia ipsum malum illius; vt malum est illius, iudicat sibi esse bonum; vnde ideò v. g. illi aufert diuitias, non quia eas sibi censeat vtiles, sed quia malum illius censet sibi esse bonum: ideò, etiamsi potiri diuitiis illis non possit, eas tamen aufert; & vi illius actus proiiceret etiam in mare. At ille qui furatur in suum commodum tantùm,

Secundus.

si

si videat se non posse vllo modo eis frui, relinquit illas alteri,& nō vult eas destruere:hic ergo actus non est propriè odiū personæ;secùs ille,qui expresè in malo alterius quà malo inuenit rationem boni,& ex displicentiâ in personâ illud appetit.

Hinc ad punctum præsens censeo dicendum, etiamsi quis numquā possit formaliter amare depressionē alterius, prout depressio illius est præcisè,quia vt sic est formaliter mala,malum autem formaliter quà tale amari non potest, nihilominùs posse quem directè optare eam depressionem vt depressionem: hæc enim vt talis apprehenditur bona homini, vel quia ideò ipse magis æstimabitur;quo sensu prodire potest à superbiâ;vnde communiter superbi cæteros contemnunt;vel certè ab odio alterius,& ex displicentiâ in personâ;eo enim ipso debitū ei honorem negare vult.

Quando contemptus sit à superbiâ vel odio.

89. Replicabis,& sit obiectio Secunda,Ergo contēptus non ponitur vt diuersum peccatū ab odio proximi, aut certè à superbiâ; quod videtur absurdū,Quādo enim Theologi cōmuniter dicunt, nolle obedire, etiam in re minimâ,ex contēptu, esse peccatum mortale;non volunt dicere, nolle obedire ex superbiâ, aut ex odio alterius esse mortale:tum quia non omnis superbia est peccatum mortale:& idem est de odio proximi:potest enim sine dubio esse in eo odio paruitas materię, præterquam, quòd si vellent auctores eos actus intelligere, quid fuisset necessarium id occultare nouâ voce *contemptus*,sed clarè & directè dicere, *Nolle obedire ex superbiâ aut ex odio in Legislatorem semper est mortale:* ergo aliquid aliud per contemptum illi intelligunt. Respondeo,cōtemptum esse quamdam speciem odij aut superbiæ, si consideretur ex parte motiui formalis à quo oritur,seu ex parte actus imperantis;ex parte verò imperati esse iniustitiā, quia vult negare alteri honorem & æstimationem debitam ostendendo se illum nihili facere;quia verò neque odium,neque superbia ex genere suo habet semper annexam eam exiguam æstimationem & ostensionem illius,ideò contemptus non solet absolutè vocari eo nomine generali odij & superbiæ, sed habet suum proprium,per quod respondetur ad vltimā obiectionē:Prima verò petit resolutionem præcipuæ difficultatis,quomodo scil.semper ille contemptus sit peccatum mortale. Pro quo sit.

An,& quando contēptus sit species odij aut superbiæ.

Svbsectio II.

Quis contemptus sit semper peccatum graue.

90. Prima Conclvsio: Transgredi legem ex contemptu Dei Legislatoris videtur semper esse peccatum mortale. Hanc tenet P. Suarez eo ca.28.n.23.& Salas eà sect.n.43.qui putant communem sententiam in hoc saltem sensu esse certam; nam contemptus hic arguit aliquod odium Dei,in quo non potest esse paruitas materiæ Hæc tamen ratio adhuc non probat adæquatè conclusionem: cùm enim dixerimus posse esse contemptum imperatum non ab odio, sed à superbiâ,oportet etiam ostendere,quomodo non possit talis contemptus oriri à peccato veniali, licet non in genere odij Dei,saltē in genere superbiæ, Pro vniuersali ergo probatione independenter à ratione odij aut superbiæ aduerto,contemptum ex parte materiæ volitæ esse quoddam signum externum,quo quis coram aliis ostendit se minùs æstimare aut nihili facere am rem quam contēnit,siue ex odio,siue ex superbiâ id nascatur. hoc posito dico, omnem contemptum externum Dei esse peccatum mortale, quia reuerà grauissimum est, creaturam ostendere se Deum nihil facere, aut eum non timere,non curare, &c. & magna profectò irreuerentia in Deum est, ostendere de Deo indignam existimationem;quocumque tandem id signo fiat.

Transgressio legis ob cōtēptū Dei Legislatoris ideò per se est mortalis.

Quid sit cōtemptus ex parte materiæ.

Omnis cōtemptus externus Dei cur sit mortalis.

In hanc sententiam, quam sub nomine recentiorum proponit P.Salas suprà,vehemēter etiam inuehitur P.rimò,quia nemo peccat in Deum ex tali affectu, vt in aliis hominibus vilem de Deo existimationem ingerat:quam enim inde vtilitatem aut voluptatem consequitur. Tangit autem secundo & tertio loco obiectiones,quas nos subsectione primâ dissoluimus, ostendendo contra quam virtutem sit illud peccatum;ad hanc verò primam dicemus statim in solutione tertiæ. 91.

Salas frustrà nos arguit.

Dices Secundò:Omne peccatum,etiam veniale, est quoddam signū quodammodò ostendens, hominem non curare Deum; ergo erit etiam cōtemptus Dei & consequēter mortale.Respondeo negando antecedens; nam peccatum ex conceptu suo non ostendit contemptum formalem,sed illum in actu exercito, qui non habet aliam malitiam quàm obiectum ipsum externum: neque enim denotat malum iudicium de Deo ex parte operantis, aut malum affectum expressum, sed quòd hìc & nunc plus trahatur homo voluptate obiecti quàm ipso præcepto Dei: at in altero casu est signum cuiusdam vel iudicij indignissimi de Deo, vel volitionis valde deprauatæ;ideóque est ex se graue peccatum.

An omne peccatū etiā veniale sit cōtēptus quidam Dei, & qualis.

Tertiò dices:Ille contemptus,si denotet, quòd homo nihili faciat per intellectum Deum, erit peccatum hæresis, quia iudicat Deum non esse dignum omni honore;quod sine dubio est hæresis, & quidem non qualiscumque, sed quæ simul est blasphemia:si verò tale iudicium non habet, non poterit illud signo aliquo exprimere; ergo vel non erit cōtemptus de quo Theologi agunt, dum dicunt, operari ex contemptu esse mortale: non enim loquuntur de hæresi;vel non erit vllus proprius contemptus. Respondeo,Etiamsi homo interiùs benè sentiat de Deo,ideóque non peccet peccato hæresis, posse velle signo exteriori ostēdere, se nihil æstimare Deum: sic sæpè inter homines etiam illi, qui re ipsâ interiùs maximè timent Principem:solēt se iactare,ac si illum nihili facerent; & penitus non curarent. Potest autem motiuum huius esse,vt homo ostendat se nō esse pusillanimē, sed audacem, nec terreri Dei minis. In hoc ergo casu posset esse peccatum graue ex contemptu Dei;etiamsi non esset interiùs peccatum hæresis.Secundò respōdeo, Etiam non stante iudicio hæretico posse reperiri affectū deprauatum in voluntate, quo reuerà homo Deum nō curet,non timeat,& hunc animum velit aliis exprimere per talia signa. Tertiò denique ex odio Dei potest esse contemptus, & tunc habebit locum solutio P.Suarez suprà posita: & respondetur interrogationi P.Salas,quid scil.homo in tali contemptu possit intendere. 92.

Absq; hæresi potest quis cōtēnere Deū & signo exteriori & voluntate.

93. *imò & ex odio Dei.*

Secvnda Conclvsio:Contemptus Legislatoris humani, quà particularis persona est, quà Petrus, Antonius,&c. non est vllo modo ex conceptu suo peccatum mortale;imò sæpè sine scrupulo etiam venialis à viris timoratæ conscientiæ contemni solent, quando planè inepti sunt pro eo munere: solemus enim tunc dicere, *Hic homo nihil*

Cōtēptus Legislatoris humani quà particularis persona non est per se mortale, imò sæpè ne quidem veniale.

Digitized by Google

nihil boni facit in hoc officio, malè, pessimè illud administrat. Verùm, quia, si res ita se habet, hic nō est propriè contemptus de quo loquimur; tunc enim non æstimatur minùs homo ille quàm mereatur: demus, in hoc ipso aliquantulùm plus illi affingi quàm habeat, non continuò erit id peccatū mortale, quia ea tunc est leuis iniuria: vt enim in re pecuniariā nō statim est mortale auferre alteri vnum, duos, tres cruciferos; ita etiam neque erit in materiā honoris, quia etiā in hac est paruitas materiæ. Confirmo: Si Superiorem seu Legislatorem considerem quà particularem hominem, non habet ille maius ius in æstimationem ob doctrinam, prudentiam, virtutem, &c. quam habeant alij homines non Legislatores: ergo ex hoc capite non fit illis maior iniuria quàm cæteris, si minoris æstimentur: sed in aliis personis est paruitas materiæ in genere cōtemptus, ergo & in his. Scio esse etiam in hoc ipso puncto ex vno capite aliquam maiorem obligationem benè loquendi de Superioribus; ne fortè alij ex eâ minori æstimatione illorum, etiam vt priuatæ personæ sunt, inducantur ad parui faciendas eorum leges & præcepta. Verùm in hoc non semper est obligatio ad mortale sufficiens; tum quia ei periculo potest occurri, vt occurrit Christus Dominus, dum detexit vitia grauissima Scribarum & Phariſæorum; & postea addidit, *Omnia quæcumq; dixerint vobis seruate & facite; secundùm opera verò eorum nolite facere:* tum quia illud periculum non semper est graue, vel non est de contēnendo mandato graui, sed leui aliquo & parui momenti.

94. *Confirmatur conclusio.*

Cur benè loquēdū de Superioribus; & qui periculo fama eorum occurri possit.

Matth. 23.

95. *Nequidē cōtēptus Legislatoris humani quà talis ēper est mortalis. Est contra Salas & Suarez.*

TERTIA CONCLVSIO: Etiam contemptus Legislatoris humani, quà Legislator est, non videtur semper esse peccatum mortale: ita expressè Caietanus in Summâ verbo *Contemptus.* & Bartholomæus Medinà 1. 2. q. 88. art. 4. in fine: est tamen contra P. Salas n. 45. vbi contēptum in hoc constituit, quòd quis afficiatur erga libertatē à lege, seu erga non subiectionem: quem appetitum valdè turpem dicit in eo qui debet esse subiectus; indignum enim ducere, se aliis subiicere, graue est semper. Est etiam hæc nostra conclusio contra P. Suarez n. 24. qui tamen fatetur suam sentētiam non esse omnino certam: videamus quid pro se afferat, vt ex solutione sternamus viam conclusioni huic nostræ Tertiæ.

Conuincitur Salas.

Quoad P. enim Salas, suprà reiecì eam explicationem contemptus; quia etiam vbi non est lex vera, potest esse cōtēptus, vt circa Consilia Euangelica: deinde improbabile est dicere, omnem affectum carendi hac vel illā subiectione, hac vel illà lege, esse peccatum mortale: numquid dicere, *O si non essem ad hoc obligatus,* est peccatum mortale? Crediderim sæpè nec veniale.

Argumentum Suarij.

Sed ad P. Suarez: ait ergo: Prælatus vt Prælatus gerit vices Dei: ergo qui illum contemnit vt Prælatum, contemnit Deum: sed contemptus omnis Dei est mortale. ergo etiam contemptus Prælati vt talis. Confirmatur ex illo Lucæ. 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Vnde D. Bernardus lib. 10 de præceptis & dispēsatione à cap 11. sæpè repetit, contemptum mandatorum in omni specie æquè grauem esse; & siue Deus, siue homo mandatum quodcumq; tradiderit, pari ei obsequendum curā, pari reuerentiā deferendum.

96. *Occurritur argumento.*

Huic argumento respondeti potest dupliciter Primò, Legislatores ciuiles quà tales non gerere propriè vices Dei, sed cōmunitatis; diximus enim suprà, Etsi per locum intrinsecum Deus non esset, si tamen communitas esset, & eligeret sibi caput vnum, habiturum illud eamdem omnino iurisdictionem & vim legislatiuam; quam nunc; ergo contemnere vt Legislatorem humanum, solùm est contemptus communitatis: atqui communitas tota est purā creatura, erga quam possibilis est sine dubio leuis contemptus: id quod ostendo ex dictis in præcedenti conclusione, qua ostendi, vnum priuatum hominem posse contemni sine mortali; vnde infero, Ergo & poterunt omnes simul. Patet consequentia; nam, quòd simul cum Petro contemnam Antonium, aut è contrario, cum Antonio Petrum, non facio maius damnum Petro aut Antonio, quàm si seorsim eos contemnerem: vnde licet tunc sit vnum peccatum veniale æquiualens multis, non tamen est mortale: sicut qui vno actu vult dicere infinita mendacia leuia, non committet vnum mortale, sed veniale æquiualens quodammodò innumeris illis mendaciis: nam, vt suprà dixi, in materiā detractionis non fit vnū quid sicut in materiā furti, vt propterea ex venialibus circa diuersas personas fiat vna materia mortalis. Iuxta hanc ergo solutionem summùm sequitur, contemptum Superioris spiritualis, qui propriè est nomine Dei, esse semper peccatum mortale. Secundò potest respondeti vniuersaliter, Esto omnis Legislator humanus iurisdictionem acceperit à Deo, sitque eius Vicarius, non tamen ideò sequi contemptum omnem Legislatoris esse mortale peccatum: etenim, quantumuis Legatus Principis repræsentet personam illius, numquam tamen dignus est tanto honore & æstimatione, quanto ipse Princeps, etiam in eis ipsis actionibus, in quibus se vt Legatum gerit: quod principium est lumine naturæ notum: vnde è contrario contemptus aut minor æstimatio facta Legato non est tam grauis, quàm si immediatè Imperatori ipsi, cuius est Legatus, facta fuisset; vnde infero. Ergo ex eo, quòd omnis contēptus factus immediatè Deo sit mortale peccatum, non infertur benè, omnem etiam factū immediatè Vices gerenti ipsius debere esse peccatum mortale. Hinc ad confirmationē dico, verissimum esse, leges esse Dei quæ ab eius Vicario sunt constituræ, ideóque eum, qui eas seruat, seruare Dei leges, qui verò transgreditur, transgredi Dei leges, & Deo non obedire; id tamen intelligendum vt mediatè & virtualiter, nō tamen propriè & immediatè, ideóque minorem esse in vno casu quàm in altero irreuerentiam.

Legislatores ciuiles vices gerunt communitatis propriè; & non Dei.

Contemptus pluriū non est eo ipso mortalis.

97. *Respondetur eidē Secūdò. Contemptus Legislatoris & Vicarij illius sunt lēgè dispares inter se.*

Qui trāsgressus leges ciuiles censentur transgredi leges Dei.

Ad D. Bernardum respondeo, eum locutum cū aliquā exaggeratione: certum etenim est inter Theologos, grauius peccatum esse transgredi leges immediatè à Deo latas seu diuinas quàm humanas, etiam Canonicas, ob rationem à me paulò antè datam; quia grauius est non obedire Imperatori mihi mandanti immediatè quàm eius Capitaneo, etiamsi mandet ea, ad quę extenditur eiusdem iurisdictio: non ergo pari reuerentiā vnū præceptum est exequendum quàm aliud.

98. *D. Bernardus exaggeratiuè locutus ostēditur.*

Iam hinc difficile non erit nostram sententiam probare; quia licet omnis iniuria immediatè facta Deo ipsi secundùm se animo ostendendi minorem de eo æstimationem, aut ex odio ipsius crescat ita ex circumstantiā personæ, vt reputari meritō debeat ex genere suo peccatum mortale; nō tamen vlla est ratio, cur in Vicarium Christi, & vt ferentem leges, & consequenter etiam vt Legislatorem, non possit esse aliquod odium leue, aliqua minor æstimatio, quæ exterius manifestetur

Probatur nostra opinio.

Digitized by Google

Vicarius Christi vt Legislator an sit capax imprudentiæ.

sestetur aliquo signo, & consequenter quòd sit contemptus, non tamen grauis. Nam etiã ipse Vicarius Christi vt Legislator, seu in ferendâ legè validâ, potest esse capax imprudentiæ, quatenus nimis duram legem aut importuno tempore tulit, licet non ita, vt absolutè lex sit iniusta, & nulla, tamen vt simpliciter sit imprudens; ergo tunc poterit esse aliquod odium leue in illum vt Legislatorem.

99. Respondebis, illud odium seu contemptum tunc non esse nisi in ipsũ quatenus est priuata persona, & vt quà talis errat. Sed contrà, quia tunc directè est in illum vt ferentem legem hãc; id autem ego voco in illum vt Legislatorem; quia nisi vt Legislator non potest legem veram ferre nec prudenter nec imprudenter: quòd si quando dicis, non posse esse contemptum legem Legislatoris seu ministri Dei quà talis, intelligis, vt in abstracto debeat ea vis legislatiua contemni; ego è contrario dicam, id non esse ad rem nostrã quia nunc non agimus de vi legislatiuâ, quæ in eo sensu in solo Deo est, etiãsi per denominationem extrinsecam alteri conueniat, sed agimus de Legislatore in concreto; quem non video alio modo posse cõtemni nisi contemnatur quatenus hic & nunc fert legem. Cõfirmo: Non potest iudicari peccatũ secluso scandalo, hic actus, quo quis diceret, *Molestus est nobis hic Legislator cũ tot præceptis, nolo illi in hoc obedire*; hic autẽ est quidã contemptus exterior; ergo non omnis contemptus Legislatoris humani quà talis est mortale.

Obiiatur replica.

100. Conclusio Quarta: Si contẽptus talis sit, vt vel iudicet esse indignũ obedire Legislatori, vel illum non habere ius ad imperandum, ideóque non esse ei obediendum; aut certè licet interiùs id non iudicet, exteriùs tamen coram alijs ita se gerit, vt id alijs insinuet, & quasi alijs dãdo occasionẽ, vt talem contemptum formẽt de Legislatore, semper erit peccatum mortale; quia vel iudicium illud est hæreticum, vel saltem erroneum, vel certè exteriùs grauiter iniuriosum homini, & ex se natum ad ingenerandum in alijs animum vniuersalem non obediẽdi ei Legislatori, imò nec agnoscendi illum vt Legislatorẽ; & in hoc sensu ego intelligo Salas, Suarez & communem sententiam, quæ de hoc maximè contemptu videtur locuta.

Quando contemptus Legislatoris sit per se mortalis.

Salas & Suarez, quomodo intelligẽdi.

101. Hinc Quinta conclusio: Contemnere materiam ipsam imperatam nó est ex se mortale. Ita P. Suarez n. 22. quia si res præcepta parua est, & non obligat nisi sub veniali, non est nisi summùm veniale, eam vt minimã & parui momenti iudicare: nec per hoc fit grauis iniuria Legislatori, nisi quis iudicet illam rem planè esse inutilem aut indignã quæ executioni mandetur.

Contemptus materiæ imperatæ non est ex se mortalis: potest tamen esse.

Disputatio XVII.

De formâ externâ, promulgatione & acceptatione legis ciuilis.

Sectio I.

An lex debeat ex multorũ consilio ferri.

1. Ratio dubitandi est, quia lex est res grauis & magni momenti; oportet ergo vt omnes illius circumstantiæ diligẽtissimè ponderentur: id quod videtur non posse ab vno solo fieri. Respondeo tamen, per se loquendo, id non esse necessarium, sed sufficere, si ipse Legislator rem illam diligenter examinet; quia sæpè cõtingit, vt vnus solus Legislator melius rem consideret quàm alij multi simul sumpti; imò addo, etiamsi Princeps sine vllâ deliberatione præuiâ, & fortè etiam putando se rem iniustam præcipere, re ipsâ tamen rem in se honestam præcipiat, eam legem esse bonã & obligare, perinde ac si cum multorũ deliberatione facta fuisset. Ratio à priori est, quia quãdo aliquid requiritur per modum causæ extrinsecæ & dantis effectui aliquam perfectionem, si contingat eam perfectionem aliunde in eo effectu reperiri, tunc illud extrinsecum desinet esse necessarium, seu desinet requiri. Dixi, in cõclusione, *per se non requiri illud consilium multorum*; nã contingere sæpè potest, & verò de facto ita est in aliquibus communitatibus, vt non sit facta Principi potestas ferẽdi leges per se solum, nisi adhibito aliquorum ad id deputatorũ consilio: quo casu non valerent sine dubio leges, si illud consilium omitteretur. Ratio desumitur ex sæpè dictis, quòd communitas potuerit in eius potestatis concessione apponere cõditiones omnes ex se iustas: inter has autem ferè primum locum habet ea consultatio; quia (vt in ratione dubitandi dixi) maximè est cõforme naturali lumini adhibere ante legem diligentem per viros prudentes considerationem commodi & incommodi, quod ex eâ potest promanare.

Sufficit ad legem vnius Legislatoris consideratio.

Ratio à priori.

2.

Quando requiratur etiã aliorum consilium ad ferendas leges.

Quod dixi de consultatione intelligendum est eodem modo de suffragijs, scilicet, non esse necessariam nisi voluntatem illius qui iurisdictionem habet: nam casu quo sub eâ conditione fuisset translata à communitate non in solum Principem, sed in ipsum & certas aliquas personas ea vis legislatiua, deberemus fateri, Principẽ solum non habere iurisdictionem, sed illum simul cum alijs designatis, vltra illos autem nullius alterius consensus requireretur; ergo etiam in eo casu verum est, non aliam voluntatem requiri quàm eius qui habet iurisdictionẽ; qualis autem debeat esse voluntas Legislatoris, est à nobis fusè suprà explicatum: & fortè inferiùs aliquid addetur.

3.

Idem de suffragijs sto iudicium.

Sectio II.

Duæ primæ difficultates circa promulgationem legis expediuntur.

4. EX dictis suprà constat, necessariã esse extrinsecam legis promulgationem, per quam possent subditi intelligere voluntatẽ Principis circa quod Primò quæri posset, an sufficiat quæcũque declaratio; modò sit talis, vt ex eâ omnes subditi intelligant voluntatẽ Principis; an verò sit aliqua particularis & determinata, sine quâ lex nõ obliget; & quidem specialiter posset inquiri, an deberet esse scripta. Verùm de hoc dubio suprà dictũ est, dum ostendi, id non esse necessariũ; quia nec ex naturâ rei ea scriptura requiritur: licet enim ea omnino repugnaret, adhuc posset Respublica gubernari per leges: neq; item ea requiritur ex determinatione ipsius cõmunitatis; nam esto vna aut altera Respublica aliquãdo fortè id petierit, non tamen continuò omnes id requisierũt, aut requirent, ergo: neque itẽ id est necessariũ ex præcepto diuino: imò ipse Christus suã legẽ dedit non scriptã, licet postea Euangelistæ eã scripserint; quod tamen non fuit

Qualis nam legis promulgatio requiratur.

Scripta non requiritur.

Digitized by Google

ad valorē illius necessarium: vt enim obligauit illis decem aut duodecim annis, antequam scriberetur, potuisset obligare semper: & verò neq; tota fuit scripta: multa enim per solam traditionem tenentur; vt & superiùs notauimus.

Lex Christi non est tota scripto data

5.

Nota, quanam promulgatio sufficiat.

Dicendum ergo est, Etiamsi, vt magis incorrupta seruetur lex, nec possit successu temporis negari, conueniens valdè sit vt scripto feratur; nihilominùs tamen ad eam sufficere quamcumque manifestationem voluntatis Superioris, siue verbis, siue nutu; dummodò talis sit, vt clarè & determinatè inducat subditos in cognitionem volitionis Principis, seu legis. Hinc fit, vt signa externa, siue verba illa sint, siue quæcumq; alia, non debeant esse ambigua aut dubia, quia tunc liberū relinquunt subdito, ne velit se agnoscere obligatum: vnde si ponantur verba, quæ nō denotent imperium; vt, *peto, rogo, hortor, suadeo*, sine dubio non censebitur lex nec inducere obligationem; è contrario verò si dicat, *Iubeo, præcipio, mando, prohibeo, nemini hoc liceat, omnes teneātur; obligētur*, sine dubio obligabit: vbi aduerte circa verbum *mando* aliquos dubitasse, an inducat obligationem, eò quòd aliquando significet idē quod committo: at hoc non est ad rem, quia quādo Superior dicit, *Mando tibi vt hoc facias*, non potest sine dubio in eo sensu vsurpari, sed debet verum præceptum significare. Dixi, *quando Superior eo vtitur*; nam aliquando æqualis respectu æqualis vrbanitatis gratiā solet dicere, *Vestra dominatio, aut vestra reuerentia mandauit mihi vt hoc aut illud facerem*, id est petijt: in eo enim casu ex circumstantijs certum est non significare, nec posse, proprium imperium: in Superiore autem respectu subditi intelligendum est in propriā suā significatione: de enumeratis ergo verbis nulla est quæstio.

Quænam verba sint promulgatoria legū, quæ verò non.

Tò mando non semper est legis & imperij.

6.

Nona quæstio circa alia verba.

Est tamen Secunda difficultas ratione aliorum verborum, quæ non ita clarè eam obligationem aut denotant aut excludunt; vt, *Facias hoc, eas illuc, ne in tolem locum ingrediaris*: quæ nihil dicunt reflexè de obligatione aut de carētiā illius; sed immediatè versantur circa materiā ipsam legis: nonnulli affirmāt ea inducere obligationem, alij verò negāt; quia frequenter proferuntur per modum consilij. Probabiliùs puto esse obligatoria; nam ex se, vt ex ipso tempore imperatiui constat, significant imperium; nisi ex parte personæ loquentis, quæ caret vi mandādi, constet non vsurpari per modū imperij; vt cùm æqualis æquali dicit, *Veni huc, fac hoc*: at quādo in loquente supponunt eam iurisdictionem, nec aliunde coarctantur, non video, cur non debeāt propriè vsurpari: & certè non aliter, ordinariè loquendo, in particularibus præceptis Superiores loquuntur in Religione; & tamen supponuntur verè mandare, &c. ergo.

Resoluitur.

7.

Tò oportet non est promulgatorium legis.

Verbum *oportet* quidam putant sufficere, alij verò negāt; quibus assentior, quia ex se non denotat voluntatem, sed declarat conuenientiam rei faciendæ. Deniq; de hoc verbo *volo* dubiū esse potest; nam ex se *volo* est quid commune ad volitionem obligantem & non obligantem; ergo non debet accipi in sensu magis rigido; aliunde verò videntur Superiores, quando maximè cupiunt alios obligare, vsurpare illud verbum, *Ego volo vt ita fiat*. Respondeo, eam rem decidendam ex modo, quo illud verbū profertur: & sanè quando Superior absolutè illud vsurpat valdè insinuat, se vsurpare illud in eo rigido sensu, etiamsi ex se ad illum non sit determinatum, vt in ratione dubitandi pro secundā parte ostensum est: ex eā autem respondetur alteri in contrarium. Dico enim sæpè vocem genericam determinari ex modo loquendi ad vnā speciem præ aliā: sicut, licet vox *animal* significet non minùs hominem quàm brutum; quando tamen aliquis alteri in contemptum dicit, Tu es animal, idem est ac dicere, Tu es brutum.

Volo à Superiore dictū est obligatorium.

SECTIO III.

An lex feratur aliquando sub formā sententiæ.

8.

Status quæstionis.

QVærimus, vtrùm is, qui potestatem habet condendi leges, si ferat in aliquā causā inter duos litigantes sententiam, iudicandus sit legem in futurum tulisse, vt in similibus causis eodem modo debeat iudicari. Hac de re Pater Vasquez disp. 157. cap. 5. Salas disp. 2. sect. 8. & Suarez cap. 15. Sententia affirmans est communissima inter Iuristas & Canonistas, quos referunt proximè citati; habétque pro se legem vltimam Cod. de Legibus, vbi expressè dicitur, sententiam inter partes cum cognitione datā ab Imperatore in vnā causā, constituere legem in omnibus similibus causis seruandā: & in leg. 1. Cod. de Constitutionibus Principum, dicitur esse vnus modus ferendi legem, quando Imperator cognoscens decreuit, hoc est, iuxta Glossam, dando definitiuam sententiam. Hanc opinionem communem limitat Couarruuias in 4. p. 1. cap. 7. §. 4. n. 15. vt intelligenda sit, quando Princeps occasione alicuius controuersiæ inter priuatos ortæ legem aliquam, eiúsq; sensum explicat eo animo, vt interpretatio vim legis vniuersalis habeat: & in hūc sensum explicat legem vltimam pro communi sententiā citatam.

Communiter affirmatur.

9.

Suarez, etsi Couarruuiā improbat, in idem tamen impingit.

P. Suarez n. 13. censet hanc limitationē Couarruuiæ non esse necessariam, sed vniuersaliter, vt proponitur à prioribus auctoribus, tenendam esse: ita n. 14. fine; qui tamen n. 16. duas adhibet limitationes: quarum prima planè relabitur in sententiam Couarruuiæ: ea enim limitatio est, vt ex verbis sententiæ constet latam esse non solùm ex arbitrio prudēti & opinatiuo, vt ferri solet à Iudicibus inferioribus, sed etiam ex potestate & voluntate stabiliendi nouum ius: quo casu neq; Couarruuias, neq; vllus alius negare potest illā habere vim iuris, quia Legislator id potest absolutè ferre; per verba verò sententiæ ostendit clarè, se velle ferre tale nouū ius: quis ergo negabit illum re ipsā tunc ferre? Rationem eam addit P. Suarez, quæ est destructiua prioris doctrinæ; ait enim, Sententia vt sententia non cōdit ius, sed declarat, quia cadit in factum præteritum: ergo vt cōdat nouum ius, debet habere verba quę id significant. Sanè hanc declarationem non requirebat prior sententia, quæ sine limitatione loquebatur. Rem totam sic expedio breuiter & distinctè.

10.

Si ferens sententiam sit Legislator, & peritus que se velle vt ea obtineat vim legū, tunc erit.

Prima conclusio: Si ferens sententiam (vt supponimus) habeat vim cōdendi leges, & explicet in lege se habere animum eam tunc condendi, nemo potest nègare, eo ipso eam habere vim legis, & solùm deinde requiri promulgationem illius, sicut in omnibus alijs legibus. De hoc puncto dubitare nemo potest, ob rationem paulò antè datam.

11.

Quid si lata sit per modū [specialis] fauoris aut priuilegij.

Secunda conclusio: Si ea sententia sit per modum specialis fauoris aut priuilegij, in casu particulari nō potest habere vim legis: in hac etiam conueniunt

Digitized by Google

conueniunt omnes: & ratio est clara, quia concessio & gratia specialis hîc & nunc facta non se extendit ad omnes, nisi expressè id declaret Princeps; ergo non transit in legem, quæ necessariò debet respicere omnes. Et iuxta hanc conclusionem intelligenda est lex 2. ff. de legibus. vbi Imperator Theodosius docet, quæ ex relaxationibus iudicantium Procerum, &c. generalia iura non sunt: in eâ enim clarè loquitur de casu dispensationis aut gratiæ.

Quid sit intelligenda l. 2. ff. de legibus.

12. *Quid si sine speciali fauore sententia feratur.*

Tertia conclusio: Quando sine speciali fauore, & diligèter examinatis vtriusq; litigantis fundamentis, Princeps sententiam fert, esto non ponat verba significantia nouum ius, videtur tamè in legem transire; ita prior sententia, quam omnino iudico veram; in eius autem confirmationè hanc efficacem meo iudicio rationem adfero; nã lex ferens tunc eam sententiam supponitur iudicasse id quod æquum est, & prout censet debere iudicari in similibus causis: non enim debemus de eo Principe præsumere iniustitiam, nisi clarè in eâ sententiâ reperiretur: quo casu, sine dubio non posset legem constituere. Vlteriùs, Ergo Princeps tunc vel iudicat æquam suam sententiam formando se iuri ciuili iam existenti, & pro eo casu loquenti: & tunc sententia ea habebit saltem in hoc sensu vim legis, quatenus est declaratiua iuris ciuilis prioris minùs distincti, te tamen ipsà eum casum comprehendentis; iam verò post sententiam comprehendet clarè illum; & tunc etiam ipsa declaratio transibit in legem ad omnino similes: nam Princeps supremus, de quo loquimur, vim habet interpretãdi ius ciuile, & addendi illi aliquid, si desit, imò mutandi: vel certè tunc Princeps eam sententiam fert declarando ius naturale; in quo etiam casu inducit obligationem legis, ob eamdem rationem paulò antè datam: nam si ius naturale apertè loquatur in eo casu, haud dubiè saltè ex eo capite ea sententia obligabit, quatenus est eadem cum iure naturæ, licet fortè ad modum loquẽdi pertineat, an tunc propriè dicenda sit lex, dummodò concedatur in posterum ad similes omnino casus obligatura: si autem ius naturale circa eum casum dubium est, & eget explicatione, quis, quæso, meliùs eam dare potest quàm supremus Princeps? ergo etiam tunc obligabit ea sententia, quatenus declarat casum illum contineri implicitè sub iure naturæ.

13. *Quantã potestatem in legẽ habeat supremus Princeps.*

14. *Obiicitur obiectio.*

Dices: Quid si alter supremus Princeps in simili casu declaret in suo Regno in contrarium illud ius naturæ: nec enim dicere possumus ius naturale duo contraria præcipere; ergo ex vi iuris naturæ non possumus asserere eam declarationem inducere vim legis, quia fortè re ipsâ Princeps interpretatur, seu declarat illud malè: & sanè ad eam declarationem magis videtur per se conducere ingenium & doctrina, quæ in priuatis Doctoribus esse potest, quàm potestas iurisdictionis existens in supremo Principe. Respondeo: Si alius supremus Princeps in alio Regno ius naturæ aliter, etiam contrario modo declaret, ibi valituram eius declarationem, & ratione legis sortituram: per quod non impeditur, quò minùs in hoc Regno valeat altera explicatio. Neq; repugnat rationi naturali, vt contrariæ sint in diuersis Regnis leges; & verò de facto sæpè tales reperiuntur. Quod dicitur ius naturale non posse simul contraria præcipere, libenter fatemur; addimus tamen, posse illud dare occasionem, vt probabiliter discurrendo vna pars sentiat hoc, altera illud, quando ius naturæ dubium est: id quod in eo casu contingeret. Ad legis autem valorem sufficit, vt probabiliter iudicetur iustũ esse quod præcipit & conforme rationi; etiamsi fortè ex errore inuincibili contrarium sit iustũ. Denique, quod additur de declaratione iuris ad hominem ingeniosum pertinente, admittimus quidem pro declaratione speculatiuâ, at pro directione Reipublicæ negamus, quia in eâ speculatiuâ declaratione potest certari per ingenia sine fine, altero hoc, altero illud intelligente; expediens autem multò magis est pro bono Reipublicæ, vt sit aliqua certa & probabiliter iusta declaratio decisiua & obligatoria facta ab eo, qui addere potest iuri, si quid ei deest, quàm vt ingeniorum speculationibus sterat.

Nã repugnat priuati homini contraria in diuersis Regnis leges esse.

Quid ad legis valorem sufficiat.

Qualem in Republicâ esse decet declarationẽ legum.

15. *Quando vt plurimùm censetur sententia Principis vim legis obtinere.*

Denique, si Princeps decidit illum casum neque sequendo ius naturale, quia in eo comprehensus sit, neque ius ciuile, sed ex se, tunc clariùs censetur legem constituere, quia tunc determinat id quod anteà dubium erat; & non potest credi, velle dare sententiam, quam in similibus omnino casibus possint statim eius inferiores ministri reuocare cum magno ipsius Principis in bono nomine detrimẽto, & cum magno Regni scandalo, dum & vel Princeps, vel eius inferiores Iudices haberi possunt suspecti, quasi iniquè tulerint sententiam; vel certè, quasi inter se sint contrarij; vel denique, quia intentum in similibus sententijs solet esse, extinguere lites similes, dum iam sciunt litigantes apud quem sit iustitia: id autem nullo modo tunc fieret, quia semper etiam ille, qui causam omnino similem ei qui dãnatus est haberet, speraret à Iudicibus pro se contra sententiam Principis in simili adiudicandam tamen nunc causam. Constet ergo, per se loquendo, eam sententiam inducere vim legis, seu vim obligatiuam.

16. *An, & quando sententia vt sententia condat ius.*

Hinc facilè respondetur ad argumentum in contrarium desumptum, ex eo quòd sententia vt sententia non condat ius, sed decidat iuxta antiquum; ostensum enim est iam, esto id non habeat formaliter, concomitanter tamen id habere, quando à supremo Principe fertur. Dixi *à supremo Principe*, quia audiendi non sunt, qui putant id solùm habere locum in sententijs Imperatoris: etenim ea vis (vt ex discursu facto constat) non fundatur in dignitate seu titulo Imperatoris, sed in iurisdictione supremâ; quæ tanta respectu suorum subditorũ esse potest in alijs quàm in Imperatore. Dixi item debere habere supremam iurisdictionem; nam si nullam omnino habeat ad ferendas leges, vt eam non habent communiter inferiores Iudices causas decidentes, procul dubio eorum sententiæ non transibunt in legẽ; quia si nullam absolutè potest talis Iudex condere, multò minùs per sententiam poterit; si verò habet iurisdictionem ferẽdi leges, subordinatam tamen alteri, tunc eius declaratio, in quâ sequitur ius superioris sui, non habet vim legis; quia inferioris declaratio non potest in Regno superioris inducere obligationẽ ad hoc, vt tali & non alio modo intelligatur voluntas Superioris; vnde multò minùs poterit contra superiores leges sententiam ferre, & per eam nouam legẽ constituere: si verò ita habeat iurisdictionem, vt in casibus nõ contrarijs altiori iuri, aut illius declaratorijs, possit pro suo territorio legem condere, erit tunc eius sententia per modum legis; quia in ordine ad illum actũ habet quasi supremam iurisdictionem.

Inferiorum Iudicum sententia non obtinent vim legis.

Digitized by Google

17. *Quid de epistolâ Principis sentiendũ alicuius dubij resolutoria.*

Aduertendum tamen est, idem esse dicendum de epistolâ Principis ac de sententiâ; loquimur de epistolâ, quâ respondet soluendo dubium aliquod sibi propositum: nam ea epistola moraliter idem est ac sententia in simili causâ dubiâ, vt benè cum aliis docet Suarez num. 22. & Salas num. 47.

SECTIO IV.

De solemnitate promulgationis legis: & quando hæc incipiat obligare.

18. DE hoc puncto fusè P. Suarez cap. 16. 17. & 18. Salas verò totâ disp. 12. per nouem capita. Meo autem iudicio res maiori ex parte est de nomine: vbi verò aliquid est de re, non potest esse vllum inter auctores dissidium. Aduertendum Primò, vt suprà disput. 1. agentes de lege in communi diximus, promulgationem legis esse quid ab ea distinctum: id quod ex communi modo loquendi ibi persuasimus. Vnde obiter noto, quæstionem esse de nomine inter Seluam, & alios communiter, etiamsi ille dicat Tractatu de Beneficijs q. 22. num. 14. *Sine publicatione valet lex, & ligat statim, si conditor velit*; cæteri verò id omnino negent, dico esse quæstionem de voce; etenim non potest dicere Selua me v. g. antequàm Rex aliquid mihi exteriùs mandet, teneri in actu secundo ad ei obediendum: si enim non scio quid velit, non possum proximè obligari: solùm ergo intendit, ante ipsam publicationem iam posse esse legem, quæ dici potest quodammodo in actu primo actualiter obligans & ligans: qui modus loquendi, licet malus sit, re ipsâ tamen nihil absurdi continet; sed, eo omisso,

Promulgatio distinguitur à lege.

Selua in voce solùm ab alijs differt.

19. *Ità ab editione legis.*

Aduertendum Secundò, promulgationem non esse idem cum editione legis; nam lex dicitur edi, dum Rex ipse apud se eam statuit, aut in Concilio suorum eam decernit; promulgatur autem, quando posteà præconis voce, vel affixione publicâ, vel certè ipsius Principis verbis publicè intimatur: his suppositis, quærimus Primò, an sufficiat editio, si sit publica, etiam sine promulgatione. Secundò quærimus, si requiratur promulgatio, quæ debeat esse; & quantum tempus expectandum ante obligationem.

Duplex hic obuertitur dubium.

SVBSECTIO. I.

In quo sit quæstio de voce.

20. *Nemo actu & proximè vlla lege obligatur, nisi eam actu cognoscat.*

CErtum est, neminem posse actu & proximè obligari per vllam legem ciuilem, Canonicam, naturalem aut diuinam, nisi actu sit cognitio in eo eius legis: si enim inuincibiliter eam ignorat, sine dubio non est ita obligatus, vt non faciendo peccet, aut aliquam pœnam promereatur: hoc principium lumine naturæ notum est, & supponitur ex dictis præcedèri Tomo in materiâ de actibus humanis & libertate; hinc colligitur, etiamsi millies promulgata sit lex in Regno, aut in eâ ciuitate, vbi ego habito, si tamen ad me inuincibiliter ea non est delata, me nõ teneri proximè ad eam seruandam modo dicto.

21. *An tũ cẽsear esse obligatus, quæstio est de voce. Suarez contrarium opinatur.*

Hinc ad punctum præsens colligo, vtrùm ego dicendus sim obligatus tunc tẽporis eâ lege nec ne, quæstionem planè esse de nomine; etiamsi P. Suarez cap. 17. n. 13. hæc habeat, *aliquos putare quæstionem hanc esse de vocabulo, esse tamen quæstionem de re ipsâ; quia aliud est, subditum esse excusatum, quia ignorat legem; aliud verò, legem ipsam non habere necessaria ad obligandum*: addit ibi, *Quando est iam sufficiens promulgatio, legem habere id quod est sufficiens vt obliget, subditum tamen excusari ob suam ignorantiam; at quando non est promulgatio, nec legem habere vim obligãdi, & subditum excusari.* Licet ergo hæc dicat P. Suarez, adhuc ego persisto intra numerum eorum qui censent quæstionem esse de nomine; & verò miror ipsummet cap. sequenti, hoc est 18. n. 10. mouere rursus hanc quæstionem: & inquirendo, an lex, postquam sufficienter promulgata est, obliget eam inuincibiliter ignorantes; &, allatis duabus oppositis sententiis, concludere, rem esse de modo loquendi. ita n. 11. circa medium. Quomodo enim iã hic quæstio de nomine, quæ eadem anteà fuerat de re? hoc circa ipsius consequentiã: absolutè verò eam esse de solo nomine, & differentiam ab eo allatam non subsistere, inde manifestè probo, quia quòd dicat, legem ante promulgationem non habere quod necessum est ex parte suâ, vt actu obliget; hoc, inquam (si res benè consideretur) dicendum est de actuali notitiâ illius legis respectu mei, seu de actuali diuulgatione illius vsque ad meas aures, etiam post primam promulgationem: ergo sicut ob defectũ illius dicitur lex non obligare, ita etiam ob defectum secundæ non debet dici obligare, vel certè res ad quæstionem de solo nomine reducetur. Probo autem antecedens manifestè; nam promulgatio, quam P. Suarez requirit ex parte legis, non requiritur nisi præcisè propter ipsos subditos, vt illis posset constare de voluntate Legislatoris; nam si Legislator sine vllâ externâ promulgatione posset per se suam voluntatem intimare omnibus, nõ esset vllo modo necessaria illa promulgatio, vt omnes fatentur: vnde Deus potest nos obligare solùm infundendo nobis cognitionem suæ voluntatis: neque enim lex propter se, sed propter subditos requirit promulgationem. Atqui hæc ratio etiam probat legem requirere diuulgationem sui vsque ad me, vt me obliget; nam si mihi non est promulgata planè in ordine ad me, idem omnino est, ac si omnino non esset promulgata aliis: ego enim non obligor per alterius obligationem: atqui si nulli alteri fuisset promulgata, non obligarer ego, ergo etiam nõ obligor, licet alij de eâ sciant. Confirmo ex eodẽ P. Suarez, qui fatetur, & quidem benè, etiãsi hodie v. g. incipiat hîc Pragæ promulgari lex, & eo ipso possint obligari Pragenses; non tamen propterea simul & semel obligari eos, qui in locis distantibus sunt, & ad quos non potest adhuc peruenire notitia; quia distantes nõ possunt tunc scire eam legem: vnde infero, Ergo, quòd obligentur aliqui per eam promulgationem, non efficit vt omnes obligentur.

22. *In cõsequentia arguitur Suarez.*

Satisfit eius instantiæ

23. *Lex solùm propter subditos requirit promulgationem.*

Non omnes eadẽ promulgatione statim obligantur.

Dices, differentiam esse manifestam; quia quãdo iam est elapsum tempus sufficiens à promulgatione, vt possit deuenire ea notitia ad me, non stat per legem, quòd ego illam ignorem, sed solùm per me: ergo illa habet quidquid requiritur ad obligandum. Ante illud verò tempus stat propriè per legem, quòd ego illam ignorem; ergo illa mẽ non obligat. Sed contrà, quia ante elapsũ illud tempus præcisè eâ ratione stat per legem, quia ego sum distans, & non possum cognoscere, nisi aliquis mihi id scribat, aut veniat ad locum vbi ego sum; ergo etiam, si elapsum sit tempus, & nullus venit ad me, non stabit per me, sed

Occurritur replicæ.

per

per legem; quia tam ego in particulari non possum legem cognoscere, nisi mihi aliquis dicat, quàm communitas non potest eam cognoscere, nisi communitati proponatur: ergo sicut non obligat communitatem nisi post promulgationem communitati factam, nec me obligabit nisi post promulgationem mihi factã; velcertè quòd in vno casu dicatur me obligare, in alio verò non, pertinebit ad quæstionem de nomine: quia ea quæ dicitur obligatio nullum in me effectum operabitur.

24. *Obiectio Prima. soluta.*

Dices Primò: In ordine ad irritandos contractus potest multum prodesse, si dicatur iam ea lex obligare. Benè: esto ita id sit, de quo infrà; at in ordine ad me quasi impellendum vt operer, planè nihil efficiet: ergo pro hac quæstione, in quâ sumus, planè est ea dissensio de sola voce, ideóque haud digna tanto examine.

Dices Secundò: Ex hoc capite potest esse aliquid de re: nam si dicamus tunc legem obligare, sequeretur, quòd si ego absens scirem medio dæmone aut Angelo bono eam legẽ promulgatam, tenerer etiam absens eam seruare; at si tunc non obligat, non tenerer, quantũuis mihi reuelaretur etiam immediatè à Deo ea lex. Hæc autem differentia aliquid fine dubio includit de re ipsâ.

Obiectio secunda reiecta.

Sed contrà, quia licet hoc sit verum, ea tamen differẽtia in ordine ad genus moris nullius est momenti; nam ille casus de reuelatione est planè extraordinarius & miraculosus; & propter illum non debemus tamdiu inhærere in re morali. Cõtrà Secundò, in eo sensu ego non dubito, etiam

An fine aliquâ promulgatione possit Legislator ex naturâ rei obligare.

fine eâ, quâ Pater Suarez requirit, promulgatione posse Legislatorem ex naturâ rei obligare: nam si ille diceret, Ego volo obligare Petrum, cùm primùm vndecumque illi constet de hac meâ voluntate: sanè si Deus Petro etiam mille leucis distanti eam voluntatem manifestè reuelaret, planè crediderim illum obligatum fore eodem momento; quia (vt dixi paulò antè) non aliter requiritur promulgatio, quàm vt intimetur volitiò Principis: ergo si ille velit obligare cùm primùm mihi quomodocumque fuerit intimata lex, certè obligabor, si intimetur à Deo, etiam sine eâ externâ promulgatione. Et ita docet expressè P. Salas disp. 12. n. vlt. fine: ergo ratione illius casus quasi miraculosæ manifestationis non magis debet excludi diuulgatio, quam vocat P. Suarez, quàm promulgatio.

25. Hæsi aliquantulùm ostendẽdo, hanc esse quæstionem de solo nomine; quia ex hac suppositione facilè totam quæstionem breuiter decidemus: priùs tamen adhuc debeo notare mirandum esse, quòd cùm Panormitanus, Felinus & alij ca. 2. de Cõstit. Baldus in lege *Leges sacratissimæ*. Codi. de legibus, Glossa in cap. *Secundus*. de rebus Ecclesiæ non alienandis in 6. Caietanus q 30. art.

An leges promulgatæ in Metropoli illicò obligent totam Prouinciam.

4. & Castro lib. 1. de lege pœnali cap. 1. & 3. doceant, leges non obligare omnes illos qui eas inuincibiliter ignorant; ijdem tamen ferè omnes docẽt, leges, cùm primùm promulgantur in Metropoli, statim obligare totam Prouinciam. Hæ enim duæ conclusiones planè inter se repugnant; nam ex terminis est notum, eo momento, quo lex Pragæ v. g. publicatur, inuincibiliter ignorari in omnibus aliis locis extra Pragam: non enim potest in vno momento notitia ad loca distantia venire. Ergo illi omnes sunt ignorantes inuincibiliter; ergo non obligantur lege, iuxta priorem resolutionem eorum auctorum: vnde crediderim, eos in vno casu nomine obligationis solùm intelligere obligationẽ in actu primo, in alio verò in actu secundo: sic enim conciliari duæ illę sententię possunt: & hinc rursus apparet, quod antèà dixi, totum ferè id ad modum loquendi reduci; neque hos auctores quidquam dicere re ipsâ cõtrariũ P. Suarez, vt iam explico; etiamsi ille putet sibi aduersari communem sententiam. Igitur.

Explicantur hi auctores.

SVBSECTIO II.

Deciditur tota quæstio.

26. *Quando lex post promulgationem obliget.*

DICO PRIMÒ: Si lex dicat, *Nolo, vt vllus obligetur nisi à tali vel tali tempore post promulgationem in hoc aut illo loco factam*, tunc etiamsi homini citiùs constet de eâ lege, non obligabitur; quia expressè lex non intendit eâ obligationẽ citiùs inducere. In hoc puncto non video vllam planè difficultatem; neque petenda est alia ratio quàm ex voluntate Legislatoris: qui sicut potuit nullâ ferre legem, ita potuit nolle obligare, nisi à tali vel tali tempore, etiam illos, quibus de eâ lege sufficienter constaret.

Quando potest Legislator subditos obligare.

DICO SECVNDÒ: Etiamsi è contrario Legislator dicat, *Volo ex hoc puncto omnes meos subditos obligare*, non potest tamen eos re ipsâ in actu secundo obligare, antequam illis constet de eâ voluntate; vnde minùs benè loquuntur, qui dicunt, legem, eo ipso quòd promulgetur in Curiâ, eodẽ instanti obligare omnes in toto Regno, quia tunc distantes ignorant inuincibiliter legem; nemo autem inuincibiliter ignorans obligatur lege. In quo puncto acquiesco P. Suarez, qui cap. 17. n. 3. hanc conclusionem docet fusè.

Ignorantia inuincibilis quos non obliget.

Hinc tamen DICO TERTIÒ: Non solùm tunc non obligantur eâ lege distantes, sed nec ipsi existentes in eâ ciuitate, si tamen inuincibiliter eam legem ignorant. Hæc est contra P. Suarez: sed iã ostendi, ab ipso posteà cap. 18 rẽ reduci ad quæstionem de nomine, licet priùs dixerit esse de re. Probata autem est hæc à nobis sufficienter paulò antè; quia nemo obligatur dum inuincibiliter ignorat. Hinc etiam dico, nec obligantur distantes etiam elapso eo tempore, quod necessum est vt illuc feratur illius legis fama. In hac etiam dissentio à modo loquendi P. Suarez; quia re ipsâ, ob rationem sæpè datam, non potest illam negare.

27. *Tunc lex obligat, cùm quis eam inuincibiliter ignorare nequit.*

DICO ergo QVARTÒ: Tunc quilibet dicetur lege obligari, cùm primùm ad eius notitiam ea venerit sufficienter; vt non possit illam inuincibiliter ignorare.

Dices: Qui die Veneris inuincibiliter non recordatur, se teneri abstinere à carnibus, etiamsi non peccet eas comedendo, sicut non peccauit eas comedẽdo die Dominicâ; nihilominùs tamen in vno casu dicitur fuisse obligatus & per ignorantiam liberari, in alio verò non dicitur obligatus: ergo ignorantia legis non tollit obligationẽ illius, licet excuset. Respondeo Quando dicimus in simili casu talem aut talem obligatum esse, nihil aliud re ipsâ nos velle significare; quàm quòd sit de facto lex præcipiens etiam respectu huius hominis, quam si ille sciret, teneretur talem actionem, facere aut omittere; re autem ipsâ seu in actu secundo eum non dicimus teneri, sed potiùs per eam ignorantiam liberari ab obligatione, hoc est, ratione illius actu non obligari; & hoc idem nos fatemur in lege, scil eo sensu homines dici obligatos, quod si scirent legẽ, quæ iam lata est & communitati promulgata, tenerentur hoc vel illud facere.

Quid sit obligatum esse.

Digitized by Google

28. *Solidantur duæ conclusiones vltimæ.*

Confirmo autem duas has vltimas conclusiones; nam in cap. de concessione præbend. in 6. dicitur, *Lex seu constitutio, seu mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam peruenerit eorumdem, aut nisi post elapsum tempus; intrà quod ignorari minimè debuisset:* nam licet ex hac vltimâ clausulâ inferat Pater Suarez saltem obligare post illud tempus elapsum, etiamsi actu ignoretur; non tamen hoc obstat nostræ conclusioni. Nam eo ipso quòd dicatur, illum qui obligatur debuisse intra illud tempus legem eam agnoscere, iam supponit Pontifex talem habuisse ignorantiam vincibilem seu crassam; nam qui inuincibiliter ignorat, non potest dici, propriè loquêdo, debuisse id non ignorare: ergo cùm nos agamus in casu ignorantiæ inuincibilis, rectè ex eo loco inferimus, re ipsâ etiam post elapsum tempus non obligare propriè legem eos, ad quorum notitiam inuincibiliter non peruenit; cúmq; Innocentius Quartus eam sententiam sibi obijciat eo capite, tamquam principium in omni iure receptum, efficacissimè inde nostra sententia confirmatur.

Innocentius IV nobis fauet.

Aduerte autem, quæ in his duabus conclusionibus dixi intelligenda tam ex naturâ rei quàm ex ipso iure ciuili, quia iam ostendi, non posse Legislatorem, etiamsi velit, efficere vt obligetur actu aliquis antequam ad eius notitiam lex aliqua perueniat.

Dices, In primâ conclusione à me traditum, etiamsi post promulgationem notam, non obligare actu leges, si Legislator noluit statim obligare; in hac verò vltimâ affirmatum obligare cùm primùm ad notitiam veniunt subditorum: quæ duo non videntur inter se cohærere. Respõdeo, optimè cohærere; nam in vltimâ locutus sum, casu quo Legislator velit statim obligare; in primâ verò, casu quo nolit nisi à determinato tempore. quæ duo nullatenus inter se pugnant.

Combinantur duæ conclusiones ipsius auctoris.

SVBSECTIO. III.

An de facto aliquæ leges requirant certum tempus vltra promulgationem.

29. *Quando Legislator velit suas leges obligare.*

DIximus quæ sint ex se ad obligandum necessaria ex parte promulgationis; iam verò quærimus, an de facto Legislatores aliquod certum tempus determinent, ante quod nolint eas leges valere. Pro quo aduertendum est, ordinariè Principes, etiamsi suas leges omnino confecerint, & hæ ad multorum notitiam venerint, nolle tamen vt obligent, antequam aliquo modo publicentur per affixionem aut voce præconis; vnde sæpè solent iam esse etiam impressæ leges, & tamen non obligant actu: id quod non potest reduci in defectum notitiæ sufficientis, neq; in defectum capacitatis in Principe ad obligandum in tali casu ante aliam solempniorem promulgationem, quia superiùs ostendi, eum, si vellet, posse in eo casu obligare statim: ergo reducendum id est in puram voluntatem Principis, qui pro libitu non vult ante eam publicam promulgationem leges suas obligare. Hoc supposito, præcipua difficultas, quæ hîc potest moueri, occasionẽ sumit ex Authenticâ, *Vt facta noua constitutiones*; in cuius textu seu lege hæc habentur: *Sancimus igitur ex illo nostras constitutiones, quæ pro testamentis sunt, valere ex quo in communi facta sunt manifesta; in Prouincijs autem ex quo directè per metropolitas palàm facta sunt:* in quâ lege mandatur, vt in alijs Prouincijs, etiamsi constet de lege promulgatâ in Curiâ v.g. Principis, non tamen obliget, nisi postquam in cuiuslibet Prouinciç metropoli promulgata sit publicè; cùm autem limitata sit ad leges circa testaméta & post promulgationem nullum determinatum tempus requirat, videtur duo ex eâ lege inferri: Primum, alias leges non requirere eiusmodi promulgationem per metropolitas, vt in alijs Prouincijs obligent: Secundò, neque hanc neq; vllam aliam legem permittere tempus aliquod post promulgationem, in quo actu non obligent: & quidem hæc non essent difficilia, nisi in eiusdem legis Rubricâ diceretur, *Vt facta noua constitutiones post insinuationes earum post duos menses valeant.* Ecce in Rubricâ videntur quodammodò contineri duæ aliæ propositiones prioribus illis contrariæ: vna est, *Vt omnes leges id requirant, non sola illa quæ matrimonia tangunt:* Secunda, *Vt duo menses liberi relinquantur etiam post promulgationem.*

Rubrica Authentica contraire videtur.

31. *Dissidens his Theologi à Iuristi.*

Pro conciliandâ igitur Rubricâ cum lege est decidendum, quid sit absolutè in facto seruandũ. Magna est inter Iuristas & etiam Theologos, concertatio: quidam enim vniuersaliter Rubricæ sensui standum putant: cui sententiæ maior pars Iuristarum adhæret. Pater verò Vasquez disp. 156. cap. 2. dicit, malè eam extensionem fieri, quà lex coarctat Rubricam: & licet paritas rationis videatur esse in alijs legibus, non tamen licet ob solam paritatem rationis leges extendere; è contrario P. Suarez, vt eam communem Iuristarum sententiam defendat, probat fusè, Rubricas ipsas in iure ciuili esse ipsorum Legislatorum, haberéq; vim iuris, quando non dicunt contraria textui: pro quâ doctrinâ multos citat ibi Iuristas: cùm ergo lex Authenticæ licet loquatur in vno casu particulari, non tamen propterea dicat tantùm ibi debere seruari, non docet quidquam contrarium Rubricę, & consequenter eam relinquit in vigore quem verba retinent. Sicuti, si quis ex propositione vniuersali inferret consequens particulare, sine dubio nihil diceret contrarium priori propositioni, per quod respondet ad rationem dubitandi suprà propositam, quòd scilicet viderentur esse contrariæ illę leges: negatur enim ea contrarietas, quia dicere, *Volo vt omnes leges*, & posteà, *Volo vt hæc*, non sunt contraria, sed vnum illatum ex alio. Vt verò eam Authentieæ Rubricam probet habere vim legis, affert P. Suarez bonam confirmationem ex Pio IV. qui in Bullâ declarante tempus à quo debeant obseruari decreta Tridentini ait: *Iure cõmuni sancitũ est, vt constitutiones nouæ non nisi post certum tempus obtineant*, cúmq; nullibi nisi in eâ Rubricâ legatur ea prorogatio tẽporis, haud dubiè ad illam respexit Põtifex, eámq; intellexit vniuersaliter in ordine ad omnes nouas constitutiones: vnde concludit, in locis, vbi constitutiones Imperatoriæ valent, non sufficere promulgationem legis in Prouinciâ vbi Legislator residet, sed requiri, vt in alijs promulgentur, & insuper, vt duo menses elabantur à promulgatione; in locis verò exemptis, vt in Galliâ, Hispaniâ, locis Pontificis, &c. quia non obligat ea Authentica, ideò neq; eam promulgationem in distinctis eis locis requiri, nisi consuetudine introductum iam id ipsum sit vt videtur Pontifex admisisse, iuxta verba citata ex Pio Quarto: quæ de terris ipsius Pontificis intelligit; nam pro alienis ipse id non potest admittere.

Vt & Suarez ac Vasquez.

32. *Suarez probat eam Authenticam habere vim legis.*

Quantum tempus requiratur à promulgatione legis vt has obliget.

30. *Oritur difficultas ex Authentica quadam.*

Ego

Digitized by Google

33. *Assentitur auctor Suarez quoad tempus à publicatione legis pro valore eius requisitum.*

Ego in hoc discursu Patris Suarez approbo, quòd ex communi tradit de Rubricâ habente vim legis, quia, id saltem probabiliter persuadet ipse Iuristarum communis consensus; vnde libentissimè concedo, requiri duos menses à publicatione legis pro valore ipsius, quia ita ea Rubrica disponit: nihilominùs tamen videtur non benè intulisse, etiam requiri vt promulgentur leges omnes in omni metropoli Regnorum Imperij aut alterius, vbi ea Rubrica seruatur, meliúsque dixisse Patrem Vasquez, per paritatem rationis à Iuristis extensum id ad omnes leges. Pro quo aduerte duo hîc esse valdè distincta; vnum, de duobus mensibus à publicatione; alterum, de publicatione in omni metropoli, & duobus deinde mensibus in eâ Prouinciâ ad obligationem concessis: vnum continetur in Rubricâ, nempe de duobus mensibus; alterum, de omni Metropoli solùm, in lege pro testamentis: Pater autem Suarez vtrúmq; ponit ad Rubricam: quod nullo modo licet; nam, esto Rubrica sit lex, & quidem extra controuersiam valeret, nõ debet illa ampliari accepto alio termino ampliatiuo ex alterâ lege: ergo vi Rubricæ nihil de metropolitarũ publicatione, vi autem alterius legis seu textus nihil vniuersale infertur, quia illa est lex solùm cõcernens testamenta: ergo malè ea duo in vnam legem coniunxit Suarez, ponendo in lege vniuersalem solemnitatem quandam, quæ solùm reperitur in lege particulari: & quidem, confirmatio quam ex Pio Quarto adduxit, persuadet meum intentum; nam in eâ solùm dicitur esse de iure communi, vt expectetur aliquod tempus post promulgationem; vt verò promulgatio debeat fieri in omni Metropoli Regnorum Hispaniæ v.g. aut Galliæ, nihil dicit ibi Pontifex: ergo ea duo non sunt benè in vnam legem coniuncta. Vnde concludo, vi iuris Imperialis non esse necessarium seruare eam solemnitatem promulgationis in Prouinciis, etiamsi fortè sæpè seruetur; quoad tempus verò duorum mensium censeo debere ob dicta paulò antè: & sic medium quid inter Patrem Vasquez & Suarez tenendum censeo.

quoad alterum adhaeret Vasquez.

Pij IV. dictio auctori fauet.

An sit seruanda necessariò illa solemnitas promulgationis in Prouinciis vt iuris Imperialis; & quomodo.

Adde tamen, etiam in ipso Imperio id posse ab Imperatore legem ferente mutari; quia habet ius æquale præcedentibus Imperatoribus, qui eam Authenticam edidêre. Secundò addo, eam obligationem post duos menses intelligendam iuxta dicta suprà, si scilicet peruenerit ad eorum notitiam lex, aut certè fuerit vincibiliter ignorata. Vbi obserno, non defuisse Iuristas qui dixerint, illam prorogationem temporis ad duos menses solùm esse, ne intra illud tempus possint puniri ob transgressionem legis, non vero, vt licitè in conscientiâ possit quis illam transgredi; putant enim ab ipso puncto publicationis omnes obligari quotquot eam audiuerunt, quia ex tunc est lex perfecta, ergo & tunc obligat; nihilominùs tamen, cùm verba ipsa legis contrarium manifestè sonent; nam dicere, *Volumus vt non obligent nisi post duos menses*, sine dubio aliud est quàm dicere, *Volumus vt non puniatur nisi post duos menses*: verbum enim *obligo* non pœnæ inflictionem, sed propriam in conscientiâ obligationem denotat. Neque ratio aduersa vllius est ponderis; nam quantumuis lex in se sit perfecta, si tamen ipsa suspendit suum effectum vsque ad certum tempus, non potest illa de præsenti statim obligare: & (vt suprà dixi) in hac re non est quærenda ratio alia à priori quàm ipsamet voluntas Principis; qui, vt potuit legem non ferre, potuit & nolle per eam nunc obligare, sed posteà; vnde pro eo intento dici potest moraliter illam legem nondum esse completam.

Cur illa promulgatio ad duos menses facta sit.

Leuiter aduersatur ratio.

Pro complemento huius difficultatis solùm restare videbatur expedire eam partem, quam suprà dixi posse de re in hac materiâ reperiri, vtrùm scilicet lex irritans actionem aliquam, v.g. contractum matrimonij factum sine testibus & Parocho, &c. censeatur irritare ex eo momento, quo sufficienter promulgatur, etiam quoad eos qui illam ignorant: nam si hoc semel admittatur, potest quodammodò absolutè dici lex obligans etiam eos qui eam ignorant: quòd si dicatur irritare, an id intelligendum eodem momento vbique, an verò successiuè iuxta tempus necessarium ad diuulgationem illius per territorium, pro quo est lata. Verùm de his inferiùs, dum in particulari differentiam harum legum irritantium explicaturi sumus. Interim breuissimè dico consequentiam non esse bonam ab irritante ad obligantem; vnde, quidquid de illâ dixerimus inferiùs, nihil tamen inde contra dicta hîc de obligantibus deduci potest. Ratio disparitatis est, quia irritatio actus potest esse omnino insciо eo, cuius actus irritatur: vt enim actio aliqua non habeat requisita ad suum valorem, non est necessum vt qui illam facit, agnoscat eum defectum (vt ex terminis patet) ergo ex hoc capite optimè potest actus irritati per legem, antequam hæc veniat in notitiam subditi: at nemo potest in conscientiâ propriè obligari ad aliquid faciendum, nisi cognoscat quid teneatur facere: ergo obligatio non erit sine eâ notitia, quidquid sit de irritatione.

35. *Noua hic exurgens difficultas aliò transcribitur*

Ab irritante lege ad obligantem mala est consequentia.

Irritari potest actus alicuius omnino insciо de eâ irritatione.

Sectio V.

Vtrùm acceptatio populi necessaria sit ad valorem legis ciuilis.

36. FAmosissima hæc apud nonnullos quæstio est, de quâ Pater Salas disput. 13. ferè per totam, & Pater Suarez cap. 19. apud quem multos alios citatos licitum erit videre; meo tamen iudicio nec multum habet de speculatione, neque etiam aliunde grauem difficultatem. Est quidem multorum Iuristarum sententia, ita necessariam esse eam acceptationem, vt non possit ciuilis lex sine illâ obligare. Ita communiter ad cap. 1. de treug. & pace, vbi Felinus multos refert, Couarruuias lib. 1. Variarum cap. 23. num. 41. Iason in l. *Rem non nouam.* §. *Patroni.* cap. *De iudic.* Ex Theologis etiam idem tenent Maior in 4. distinct. 15. quæst. 4. Driedo lib. 1. de Libertate Christianâ cap. 9. Armilla verbo *Lex* num. 11. Angelus n. 4. in fine, Siluester ibi quæst. 6. dicto 4. In contrarium stant Cardinalis Zabarella in proœmio Clementinæ verbo *Vniuersitati.* & Turrecremata in §. *Ideò distinctè.* Eam Pater Suarez defendit cap. 19. num. 9. pro eâ alios citauerat num. 40. & Pater Salas suprà cap. 1. num. 5. Vt verò quæstionem declarem.

Iuristæ affirmant & Theologi quidam.

Negant Card. Zabarella, Turrecremata, &c.

37. *Non repugnat ex naturâ rei, acceptationem populi ad valorem legis esse necessariam.*

Aduerto Primò, ex naturâ rei non esse vllo modo repugnans, vt ea conditio requiratur. Ratio manifesta desumitur ex his quæ sæpè dicta sunt à nobis, quòd scilicèt potestas legislatiua ciuilis, cùm sit à communitate concessa Reipublicæ, non ampliùs se extendat quàm Respublica concesserit, & solùm sub eisdem conditionibus

Digitized by Google

sub quibus concessit: vnde si Respublica dans eam iurisdictionem apposuisset aut apponat conditionem hanc, vt debeat priùs à totâ communitate lex acceptari, non est dubium, quin eo casu non possent actu obligare ante acceptationem. Neque potest dici repugnare talem appositionem conditionis, eò quòd illa videatur esse iniusta, vtpote legis vtilitati repugnans: quàm enim facilè aliqui nebulones dicere possent, se nolle eas leges acceptare; ideóque semper impediretur effectus legis: non inquam, id dici potest; negatur enim, eam conditionem esse iniustam; nam licet fortè aliquando posset illud inconueniens sequi, nihil certè est tam bonum ex quo sæpè aliqua mala oriri non possint. Deinde, sicut homines potuêre omnino manere ex naturâ rei sine vllâ planè obligatione, nullo modo transferendo suam voluntatem in vllum alium, sed vel non constituendo cómunitatem propriè, vel esto eam constituerent, retinendo apud se vim gubernatiuam aut legislatiuam; ita etiam potuêre sub eâ conditione illam conferre vni personæ: quòd si ea conditio dicatur iusta: tunc valebit translatio, si verò iniusta, tunc efficiet, ne translatio ea iurisdictionis valida sit: at non ideò debebit ea valida censeri, & conditio non tenere.

Talis conditio non esset iniusta.

38. *Nec est ea acceptatio ex naturâ rei necessaria.*

Secundò aduerto, neque ex naturâ rei esse necessariam eam acceptationem populi, quia potest hic transferre suam iurisdictionem non apponendo eam conditionem; nam etiam quoad hoc habet ius: sicut ille qui vendit se alteri ita transfert in illum dominium sui, vt alter possit ei mandare hæc vel illa, nec sit necessaria acceptatio ipsius, sed potiùs teneatur acceptare altero mandante.

39. *Leges ciuiles sine acceptatione obligare nequit probari ex legibus.*

Tertiò aduerto, quòd leges ciuiles obligent sine acceptatione populi, non posse probari ex ipsismet legibus dicentibus, eam acceptationem necessariam non esse. In quo puncto minùs benè aliqui procedunt. Ratio autem est manifesta; nam ipsæmet leges, quæ id dicunt, non faciunt sibi fidem: qui enim contrarium sentit, dicet etiam ad illas necessariam esse acceptationem; vel (vt meliùs loquar) dicet non valere eam decisionem: quia inter duas partes decertantes, quæ ex illis habeat iurisdictionem, non sufficit, quòd vna pars dicat se eam habere; nam eodem modo è contrario altera dicet se eam habere: & sub eo dubio fortè citiùs foret decidendum in fauorem communitatis quam Imperatoris, quia hic à communitate debuit eam accepisse; vnde ipse positiuè debet ostendere, se illam habere; nam communitati sufficit, negare se vmquam eam alteri dedisse.

40. *Vnde decidenda sit præsens difficultas*

Quartò aduerto, rem vt in plurimum decidendam non ex principiis ex naturâ rei petitis; quia, vt in duabus primis conclusionibus, aut annotationibus dixi, ex naturâ rei vtroque modo potuit contingere; debet ergo ex ipso facto determinari: si enim possit ostendi communitatem eam conditionem non apposuisse, tunc necessaria non erit vllo modo ea acceptatio ipsius populi; si verò è contrario constet apposuisse, erit omnino necessaria.

Quid dicendum de Rege iusto bello Prouinciam occupante.

Dixi, *vt in plurimum loquendo non decidendam ex eis principijs*: nam si Rex in aliquo casu ob iustum bellum occupauit aliquam Prouinciam, sine dubio, sicut in eam non acquisiuit iurisdictionem ex consensu ipsius Reipublicæ, sed iustâ vi; ita manifestè apparet, eum ad gubernandam eam Rempublicam iustis legibus non indigere acceptatione vllâ populi: at, hoc casu excepto, decisio difficultatis præsentis desumi debet ex concessione præsumptâ ipsius communitatis, aut ex negatione illius: His ergo positis.

41. *Absolutè non requiritur de facto ea acceptatio.*

Conclusio sit: Vniuersaliter & absolutè loquendo nó requiritur de facto ea acceptatio, sed Princeps, seu Legislator siue ille vnus numero sit, vt vbi est perfecta Monarchia; siue multiplex, vt vbi est Respublica, quæ per certum numerum Senatorũ dirigitur, habet vim obligandi populum ad ipsam acceptationem. Hanc probo Primò quasi argumento negatiuo: nam quando absolutè constat datam potestatem, & de limitatione seu restrictione illius non constat, certè supponenda est data sine limitationibus; quia conuentiones & contractus non supponuntur includere conditiones alias, quàm quæ ex naturâ rei sunt illis adiunctæ, vel de quibus expressè cóstat; alioquin liberum esset posteà cuilibet contrahenti dicere, se has & illas conditiones apposuisse. Atqui, vniuersaliter loquendo, saltem in his Regnis & Prouinciis nobis notis non constat de tali exceptione: nam licet aliqua Regna habeant priuilegium, vt non possint lege aut contributione grauari, nisi in Comitiis publicis personæ, quæ ad id deputantur, consentiant, & de hac exceptione ipsâ traditione constet: nó tamen scitur de vllo, vbi posteà ipsarũ particularium personarũ subditarũ acceptatio necessaria sit; ergo non debet præsumi data iurisdictio cum ea limitatione.

Argumentũ pro conclusione negatiuum.

42. *Suadetur eadem positiue*

Secundò idem suadetur positiuo argumento desumpto ex vsu contrario; qui cùm toleretur à communitate, & non reclamet in contrarium, eo ipso ostendit saltem iam concedi ab eâ communitate potestatem illam sine eâ limitatione, esto ad initium concessa non fuerit. Porrò vsum pro nostrâ resolutione stare patet; nam cùm primùm lex est lata, & tempus pro obligatione præscriptum venit, Reges & Principes puniunt transgressores, non expectatâ eâ acceptatione.

Dixi *absolutè*, vel vt in plurimum, quia iam non decido, vtrùm sit aliqua Respublica in orbe, quæ populi acceptationem requirat pro valore legum; id enim nos non possumus certò cognoscere, quia ignoramus diuersissimas consuetudines plurimarum nationum. Ex his infertur, subditos, qui Primò incipiunt legem non seruare aduertenter, peccare, quia non habent ius ipsi eam respuendi. Quòd si Iudex eam violat onem posteà frequenter toleret, cùm posset cor odè & sine difficultate coërcere transgressores, censeri poterit eam legem paulatim abrogare, ideóque ex eo capite desinet obligare; non autem eò quòd non fuerit acceptata à populo.

A quo, & quando censeatur lex paulatim abrogari.

43. *Tres casus à nostrâ conclusione malè excepti.*

Ab hac conclusione nostrâ excipi solent duo vel tres casus; quorum primus non est ad rem, si scilicet lex sit iniusta, quia tunc non obligat ante acceptationem. Dico hunc non esse ad rem, quia lex iniusta verè non est lex. Alter casus est, si lex nimis dura sit; quia tunc potest populus eam non acceptare. Hic item casus non est ad rem, quia vel durities legis tanta est, vt verè eam extrahat à ratione iustæ legis; & tunc quid mirum, si non obliget, cùm non sit lex: vel non est tanta, vt non maneat adhuc vera & iusta lex; & tunc non excusabitur subditus à non-acceptatione. Tertius casus est, si maior pars populi non consentiat, quia tunc videtur populus præscripsisse contra legem. Verùm hic casus iam est à me paulò antè explicatus; & ad illum videtur omnino requiri etiam permissio Principis potentis,

Digitized by Google

tentis, vt dixi, coërcere transgressores, & non facientis: nam sola multorũ inobedientia non præscribit, quia ordinariè solent esse multi qui transgrediuntur leges; & non propterea cessat earum obligatio, nec illæ ideò abrogantur.

DISPVTATIO XVIII.

De potestate ad leges Canonicas ferendas.

1. IMVS immediatis disputationibus de lege humanâ & ciuili, vbi simul aliqua tetigimus ad leges Canonicas spectantia: iam agendum erit ab hac disputatione de Canonicis; Primò autem de ipsâ potestate, quæ causa illarũ est, eo ordine, quo de ciuilibus egimus. Aduerto autẽ in totâ hac materiâ multa frequenter tractari, quæ sunt purè controuersistica, & diligentissimè ac exactissimè sunt à diuersis auctoribus disputata, præcipuè à Cardinale Bellarmino & Valentiâ. Pater Suarez hic etiam aliqua tetigit lib. 4. cap. 1. 2. & 3. fusiùs verò Tomo de Fide disp. 9. 10. & 11. agens de Ecclesiâ & eius capite. Ego breuiter tantùm ea supponam, vt ad illa, quæ magis dubia sunt, ex proposito discutienda possimus accedere.

Inuestrutum.

SECTIO I.

Quædam certa supponuntur.

Quonam in Ecclesiâ potestas sit ad ferendas leges.

PRimò, esse in Ecclesiâ potestatem ad ferendas leges, quæ per se & immediatè respiciant bonum animæ, ordinemque directè ad finem supernaturalem æternum. Hæc veritas catholica probatur ex illo loco Matth. 16. *Tibi dabo claues Regni cœlorum: & quodcunque ligaueris*, &c. Ioannis 21. *Pasce oues meas*, Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit*, & aliis, tum ex actibus Apostolorum, tum ex Epistolis Pauli, in quibus varia præcepta Apostolica continentur: & licet ea non nominentur sub voce *lex*, tamen quia ea erant præcepta pro totâ communitate, & stabilia, eo ipso erant leges. Probatur Secundò; nam supremum caput, quod habet potestatem dandi præcepta, habet etiam, per se loquendo, vim ferendi leges. Quia item totius Ecclesiæ Catholicæ, omnium sanctorum Patrum ac Conciliorum consensus & praxis eam veritatem confirmat, non est in eâ probandâ hærendum ampliùs, quidquid huius temporis sectatij secuti aliquos antiquiores hæreticos, contra eam potestatem & Primatum Romanę Ecclesię importunè latrent, & obsiciant,

Quam sit ea potestas sit Christiana libertas.

libertatem Christianam, quam superiùs ostendimus, non in carentiâ omniũ legum consistere, sed in abundantiâ gratiæ tum ad vincendas tentationes, tum ad seruanda ea quæ necessaria sunt ad salutem.

2. *Quod ea potestas sit supernaturalis. Quid sit de potestate.*

Secundò supponendum est, hanc potestatem eo sensu esse supernaturalem; non quasi consistat in aliquâ entitate supernaturali: est enim ea potestas denominatio quædam moralis desumpta ex voluntate Christi eam conferentis. Ex quo capite licet homo secundùm se non habeat ius in conscientiam alterius. ex eâ tamen delegatione Christi potest illud habere: sicut suo modo potestas regia non est aliqua physica entitas inhærens extrinsecè Regi, sed denominatio ex electione aut designatione factâ à populo, aut à Deo: dicitur ergo hæc potestas supernaturalis, & quia est in ordine ad finem supernaturalem gratiæ; & quia est planè indebita naturæ humanæ secundùm se consideratæ, & supernaturaliter à Christo concessa; versatúrque circa res supernaturales, maximè circa Sacramenta, præscribendo quî sint tractanda debito modo & reuerentiâ. Vide Suarez cap. 1. Bellarminum lib. 4. in Euangel. part. 3. Tract. 12. & Salas disput. 18. sect. 1.

3. *Est à Christo immediatè data Petro:*

Tertiò supponendum est, eam potestatem datam à Christo Domino immediatè Petro; quem constituit Vicarium suum & supremum caput Ecclesiæ militantis: id probant duo priora loca suprà allata & totius Ecclesiæ Catholicæ vnanimis consensus.

imò & immediatè aliis Apostolis.

Quartò supponendum, etiamsi cæteri Apostoli non fuerint caput totius Ecclesiæ, habuisse tamen immediatè à Christo potestatem ferendi leges & statuta, quia ipse immediatè eos constituit Apostolos; ideóque dedit illis omnia necessaria, vt munus illud perfectè administrarẽt: eam se habere sæpè Paulus testatur, 1. ad Corinth. 4. 2. ad eosdem 10. & 13. & 1. ad Thessal. 4. & alibi.

4. *Differentia potestatis Petri & aliorũ Apostolorum.*

Quintò supponendum, hanc fuisse inter potestatem Apostolis concessam, & concessam Petro, differentiam, quòd hæc erat etiam suprà alios Apostolos; illi autem non suprà se, multò minùs suprà Petrum, vllam habebant, sed solùm in reliquos omnes. Secunda, quòd Petro data est, vt eam ipsius successores haberent, Apostolis verò tantùm in propriâ personâ, successoribus verò in Episcopatibus dependenter à Vicario Christi: vnde nullus eorum successor habuit eam potestatem in vniuersum mundum.

Verus & legitimus Petri successor accipit à Christo omnem eius potestatem.

Sextò supponendum est, successorem Petri, seu Summum Pontificem, accipere à Christo omnem potestatem, suppositâ eius legitimâ electione vt conditione. Ratio est manifesta ex citatis locis: nam Christus non dedit eam potestatem immediatè Ecclesiæ, vt ipsa eam communicaret cui vellẽt, sed Petro eiusque successoribus: & indè confirmatur; nam defuncto Pontifice non est in Ecclesiâ ea potestas: neque enim Cardinales habent vim relaxandi vota, dispensandi in matrimonio rato consummato: neque possunt abrogare præcedentium Pontificum leges aut decreta. Vnde infertur, vim condendi leges reliquámque totam iurisdictionem ita esse in Summo Pontifice, vt planè in vsu illius non pendeat à consilio aut suffragiis Cardinalium, aut aliorum Episcoporum, quia Christus illi soli eam concessit, nec constituit alios compastores gregis: vnde vlteriùs sequitur, Concilia esse infrà Pontificem. Prima pars doctrinæ est omnino independens ab eo, quòd dicamus Cardinales de iure diuino habere vim eligendi: nam esto Christus eam contulisset, non continuò quidquam contulit in ordine adimmediatam administrationem Ecclesiæ. Adde, Cardinalium electionem solùm esse de iure humano: vnde multis annis in Ecclesiâ non fuêre. Sed de his alibi. Hæc omnino inter Catholicos certa.

Qui sit ea potestas in Papâ.

Electio Cardinalium est solum de iure humano.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO II.

An hæc potestas Canonica sit propria legis gratiæ.

5. ILlud occasione primæ suppositionis in dubiũ verti posset, an hæc potestas condendi leges Canonicas & spirituales sit propria legis gratiæ; an verò etiam fuerit in lege naturæ, & in lege scriptâ.

SVBSECTIO I.

Quid de lege naturæ.

An potestas Canonica fuerit in lege naturæ; & quid hoc sit.

CIrca statum naturæ aduerte, dupliciter eum posse considerari: vel vt fuit de facto, quia licet in eo homines eleuati fuerint ad finẽ supernaturalẽ, & in hoc sensu fuerit status & lex supernaturalis; dicitur tamen naturæ, quatenus non agnoscuntur aliquæ speciales leges aut Sacramenta, à quibus ille status denominari queat. Aliter ergo potest considerari status naturæ vt non eleuatæ ad finem supernaturalem, sed relictæ in illis quæ ipsi sunt connaturalia.

6. *In quo naturæ statu possit & verò dicendum esse Canonica potestas.*

Ab hoc ergo statu incipiendo dicimus, per se loquendo, posse esse in illo eiusmodi quasi Ecclesiasticam potestatem; & verò, si naturale dictamen attendendum esset, debere omnino esse ita. Ratio est manifesta; nam etiam in eo statu, præter administrationem politicam Reipublicæ secundum temporalia, deberet esse cognitio naturalis Dei; ex eâ autem deberet sequi cultus specialis ipsius, & sacrificia aliqua, quibus homines protestarentur Dei in se potentiam. Et certè etiam barbaræ nationes, quantumuis ignorauerint de facto se esse ad finem supernaturalem eleuatas, nec nouerint verum Deum; erga illos tamen qualesquales, quos, vt veros Deos coluerunt & colunt, sacrificia instituerunt, erexerunt templa, & Sacerdotes aliquos designarunt ad quos per se spectarent ea quæ ad sacrificia & cultum Deorum pertinebant: his autem semper fuit potestas aliqua concessa, vt possent populo præcipere quæ circa cultum illum efficienda erant: potiori ergo iure id debuit fieri ab his qui verum Deum agnouissent. Vtrùm autem tunc Sacerdotes illi

Ponit quos tunc ea potestas esset:

solùm essent quasi executores eorum rituum, & potestas iudicandi, præscribendi, &c. esset apud Reipublicæ Principem, an verò etiam ipsi Sacerdotes eam haberent, pro præsenti instituto per accidens est, quia iam non disputamus, in quam personam ea potestas casura esset, sed, an absolutè foret: posset enim Respublica pro libitu vel eam concedere ipsi Principi, qui eo ipso haberet iurisdictionem, vt sic dicam spiritualem seu Canonicam & temporalem; vel posset eam separare; & Sacerdoti non Principi conferre: vnde de facto apud Gentes aliquando vni personæ, aliquando diuersis concessa fuere.

7. *à quo illa tale oriatur.*

Quòd si rogos, à quo manaret tunc ea potestas; dico, ab ipsâ communitate proximè, sicut manat potestas ciuilis: sicut enim ratio naturalis dictat, expedire eam iurisdictionem ciuilem ob administrationem Reipublicæ; ideóque posse homines in vnum congregatos eligere sibi vnum caput; ita eodem modo dicendum est, ipsum lumen naturale dictare, expedientem esse similem iurisdictionem in ordine ad cultum & reuerentiam Dei debitam, posséque homines non minùs erigere vnum caput, cui in hoc puncto suam obedientiam promittant, quàm possunt eligere in ordine ad alias actiones temporales.

non haberet tamẽ ea vim peccata remittendi.

Aduerte tamen Primò, non propterea illud habiturum vllam vim remittendi peccata; quia hoc ad solum Deum spectat, & ad illum cui ipse suas vices committit; vt eam in lege gratiæ committit Sacerdotibus: homines autem in ordine ad hoc non possunt vllam communicare iurisdictionem, quia nullam in se habent; in ordine tamen ad exteriorem & legalem quasi remissionem peccati possent, vt scilicet ille, qui ob aliquod delictum reputaretur quasi immundus aut excommunicatus, posset, adhibitâ in foro exteriori sufficienti satisfactione, iterùm ab eo Sacerdote aut quasi Ecclesiastico capite recipi in numerum cæterorum.

8. *Quid dicendum, si homines omnes solitarij degerent.*

Aduerte Secundò, si homines non conuenirent in vnam Rempublicam eo tempore, sed quasi per se solitarij habitarent, eo etiam ipso non fore necessum, vt in ordine ad effectus dictos aliquod caput eligerent, etiamsi verum Deum agnoscerent; quia posset tunc quilibet priuatim eum colere & pro libitu exercere aliqua per modum sacrificij; ad eum ferè modum quo adhuc in lege gratiæ Eremitæ solitariè viuentes Deum coluerunt, etiamsi actu (vt sic dicam) non vterentur directè supremi sui & vniuersalis Ecclesiæ capitis directione. Quòd si in eo statu homines Rempublicam ciuilem formarent, videtur etiam illos debuisse habere aliquid certi erga cultum Dei, quia reuerà fuisset inordinatio aliqua, non habere vniformitatem aliquam in eo puncto: nihilominùs tamen addo, id non ita esse annexum ei Reipublicæ, vt si voluissent in hoc puncto omnino manere liberi quoad modũ colendi Deum, non potuissent id simpliciter efficere etiam licitè: non enim potest ostendi ex naturâ rei sufficiens ad id obligatio: non enim omnia quæ sunt conuenientiora, sunt eo ipso sub obligatione. Imò addo, etiamsi ex naturâ rei (vt per se constat) non sit liberum hanc aut illam fidem amplecti, sed omnes teneantur ad veram fidem & cultum veri Dei, ideóq; peccent, si aliter faciant, nihilominùs non obligari homines, vt in hoc puncto ipsi constituant aliquod caput cui obediant, sed posse retinere suam libertatem, vt scil. si in eo puncto errent, solùm peccent contra ius naturæ, non contra humanum præceptum.

Non obligantur homines vt in sacris constituant sibi caput aliquod.

Quid de statu naturæ qui de facto fuit.

Iam ad statum alterum legis naturæ, qui de facto fuit homine ad finem supernaturalem eleuato. Pater Salas disp. 18 sect. 2. & Suarez cap. 2. secuti Victoriam relectione 1. de Potestate Ecclesiæ, q. 2. & 4. putant fuisse in illo potestatem aliquam supernaturalem, sacerdotalem, connaturalem tamen ipsi gratiæ; quia etiam tunc temporis fuit Ecclesia & vnum corpus mysticum distinctum formaliter à corpore politico, & ordinatum ad finem supernaturalem, ac vnitum diuerso vinculo, scil. vnitate fidei, & exercens diuersas actiones pertinentes ad cultum Dei & sanctificationem animæ; hanc autem potestatem dicunt habuisse originem à Deo, non tamen per distinctam institutionem vel reuelationem, sed mediâ infusione ipsius luminis supernaturalis, quia ex illo supernaturaliter sequitur sine aliâ positiuâ determinatione: vnde illa potestas per se primò fuit in communitate perfecta, & per illam, iuxta arbitrium & traditionem humanam, collata alicui aut aliquibus personis, per quas administraretur. Addit tamen Suarez, Ecclesiam tunc non habuisse tam perfectam vnitatem

quàm

Digitized by Google

quàm per Christum, quia non habebat vnum caput in terris pro totâ Ecclesiâ; sed in vnaquaque Republicâ poterat esse suprema potestas in eo ordine, sicut erat suprema ciuilis: quælibet enim communitas erat in hoc puncto independens ab aliâ, sicut in iurisdictione ciuili. Vnde P. Salas suprà ex Augustino lib. 5. ad Orosium docet, Abel fuisse Sacerdotem: & de Melchisedech ipsa Scriptura id testatur.

Salas opinio de Abele.

10. Arbitror in hoc puncto posse multùm misceri de nomine, & quidem fuisse tunc potestatem Ecclesiasticam eo modo quo paulò antè diximus in statu puræ naturæ non dubito; & quoad hoc totus hic discursus P. Suarez, Salas & Victoriæ mihi placet, nec nouâ indiget probatione; vtrùm autem ea potestas fuerit supernaturalis, & quo sensu, non adeò certum iudico: & ibi crediderim de nomine multùm misceri. Imò probabilius iudico, eam potestatem non fuisse vllo modo in se diuersam ab eâ quæ esset in purâ naturâ, sed solùm denominatiuè; ex eo quòd homines, supra quos cadebat, erant de facto ordinati ad finem supernaturalem: quo sensu suo etiam modo potestas ciuilis nunc dici potest supernaturalis ex parte scilicet hominum supra quos cadit; nam etiam eos retrahere intendit à peccatis: per quod fiunt capaciores finis supernaturalis, ad quem sunt destinati. Iam verò id ostendo in eâ potestate; nam esto homines tunc cognouerint per fidem supernaturalem se esse eleuatos ad visionem Dei, non propterea in eis erat potestas aliquid aliud imperandi quàm externum cultum & adorationem eius Dei, qui eos destinauit: ille autem cultus in se ipso idem omnino erat qui fuisset, etsi non essent eleuati ad visionem Dei: actus verò internos supernaturales fidei & amoris Dei quà supernaturales non potuissent tunc homines imperare; ergo ea potestas non fuisset ex eo capite supernaturalis. Patet subsumptum; nam licet fortè potuissent præscribere, vt eum cultum facerent ex fide in Deum & amore ipsius, non tamen poterant dicere, vt id esset ex fide supernaturali; quia neque in hoc statu rerum Pontifex potest eo modo præcipere actus supernaturales. Deinde, nec indirectè ad id poterant tunc obligare, nec dispensare poterant in aliquâ re per potestatem supernaturalem, nisi id specialiter Deus permisisset, eisque reuelasset: in quo ergo esset ea potestas, aut in se, aut in ordine ad rem præceptam supernaturalis?

Placet discursus Suarez, Salas & Victoria.

11. *Quid potuerint homines in illo puræ naturæ statu imperare.*

An dispensare tunc potuissent potestate supernaturali.

12. *An potuisset tunc aliquid præscribi circa Sacramentum remissionem originalis.*

Fortè dices, saltem potuisse tunc aliquid præscribere circa Sacramentum, per quod remitteretur originale. Sed contrà Primò, quia institutio talis Sacramenti non sequebatur necessariò ex vi status eleuationis ad gratiam: poterat enim Deus nolle vllum instituere, sed permittere vt infantes in eo mortui perirent: quòd si instituit liberaliter, debuit etiam specialem concessionem habere & reuelationem illius: ergo ex purâ eleuatione ad gratiam non sequitur naturaliter ea potestas, prout hi auctores docuêre. Contrà Secundò, quia esto Deus Sacramentum aliquod tale instituisset, non inde alia distincta iurisdictio infertur in eâ Republicâ, loquendo ex naturâ rei: vel enim fuisset illud Sacramentum liberum cuilibet: & tunc nemo poterat alteri quidquam præscribere: vel si à Deo determinatum fuisset, inde secuta fuisset obligatio in parentibus illud applicandi; non fuisset autem necessarium iure naturali, vt ideò esset noua in Republicâ iurisdictio supernaturalis.

Hinc concludo, loquendo præcisè de statu illo independenter ab aliâ Dei reuelatione aut institutione, non fuisse iurisdictionem supernaturalem, sed illam naturalem denominati potuisse extrinsecè supernaturalem modo suprà dicto, eò quòd homines ipsi eleuati essent ad eum finem; vtrùm autem Deus speciali concessione aliquid in eò statu constituerit de facto, nobis est omnino incertum; ideóque non debemus diuinando tempus terere.

Tunc illa iurisdictio extrinsecè à solum fuisset supernaturalis.

SVBSECTIO II.

Quid de lege scripta.

13. CIrca legem verò scriptam, in quâ ex institutione diuinâ fuit vnus summus Sacerdos pro totâ Synagogâ, dubitari meritò potest, an ille habuerit iurisdictionem præcipiendi & leges ferendi, quæ omnes obligarent, etiam secularia capita. D. Thom. lect. 2. & 3. in Epist. ad Galatas cap. 1. Bellarminus lib. 4. de Pontifice cap. 17. & Victoria suprà q. 4. num. 6. Salmeron Tomo 4. in Euangel. part. 3. Tract. 12. Suarez eo cap. 2. & Salas eâ sect. 4. affirmant fuisse eam potestatem in illo populo; vtrùm autem in Sacerdote summo, an in totâ Synagogâ, aut certè in ipso Rege, dubium: probabilius censet Salas fuisse in summo Sacerdote. Hæc sententia videtur esse omnino certa quoad primam partem ex aliquibus Scripturæ locis: nam noui dies festi, qui non erant in lege præscripti, statuti sunt in Israël tum post victoriam Iudith, tum post restaurationem templi: quam solemnitatem ipse Christus suâ præsentiâ approbauit. Deinde Paulus ad Galatas 1. supponit fuisse traditiones aliquas distinctas à legibus diuinis; quas obseruare debebant: fuit ergo ea potestas quoad tales leges in illo populo. Quoad supernaturalitatem verò ipsius nihil habeo aliud quod dicam, quàm quod paulò ante de statu puræ naturæ dictum est, scilicet, eam fuisse supernaturalem denominatiuè; an verò habuerint potestatem imperandi actum supernaturalem, dubium esse.

An summus Sacerdos Synagogæ habuerit talem potestatem vniuersalem.

Synagoga videtur eam habuisse.

An fuerit supernaturalis est controuersum.

14. Obiici in contrarium possunt aliqua loca, quibus videbantur Iudæi prohiberi, ne vllas nouas leges constituerent: vt Deut. 4. & 12. prohibetur quidquam addi aut demi de legibus illis: & Isaiæ 29. conqueritur Deus, quòd Iudæi colerent se secundùm mandata hominum. His tamen & aliis optimè respondet D. Thom. suprà, & post eum alij, ibi solùm prohiberi leges, quæ impedirent obseruationem diuinam tam addendo ex parte materiæ earum legum, quàm ex illâ demendo: quo sensu delinquebant Iudæi, contra quos Isaias conqueritur; nam illi relinquentes cæremonias à Deo præscriptas, inducebant alias pro libitu: per hoc autem non fuit illis prohibitum, quòd minùs, integrâ relictâ totâ lege, adderent ipsi in aliâ materiâ alias leges honestas & vtiles tam concernentes forum externum quàm etiam Ecclesiasticum.

D. Thom. respondet obiectioni facta.

15. Dixi, dubium esse, an ea potestas fuerit apud summum Sacerdotem, quia ex Scripturâ nihil in hoc puncto colligitur: ratio verò multò minùs id ostendit, quia duæ aliæ potestates sacrificandi, & ea quæ ad cultum Dei spectant exequendi, diuersæ sunt à iurisdictione: vt pater in lege gratiæ; nam quilibet priuatus Sacerdos habet potestatem sacrificandi; potest etiam absoluere in foro conscientiæ, sine vllâ tamen iurisdictione legislatiuâ.

Synagoga summus Sacerdos eam videtur non habuisse.

Digitized by Google

latiuâ. Id verò, quòd olim fortè fuit separatum à summo Sacerdote, in lege gratiæ coniunxit Deus specialiter in Petro eiusque successoribus, vt diximus suprà: vnde ex hoc capite longè maioris perfectionis est Sacerdotium summum legis gratiæ quàm fuerit Iudaicum: expediuit autem vt in lege gratiæ ea Sacerdoti traderetur, non sæculari Principi: nam in lege veteri tota Ecclesia continebatur intra breues terminos, & sub vno ferè capite sæculari; in lege autem gratiæ, quæ per infinitos populos & Reges distinctos temporaliter disseminanda erat, & ob maiorem conuenientiam Monarchiæ vnum debebat habere caput, non potuit conuenienter ea iurisdictio conferri sæculari alicui Principi, conuenientissimè autem summo Sacerdoti: quem vt Vicarium Christi etiam sæcularis potestas veneraretur. Si tamen in re dubiâ velis dicere, fuisse etiam olim in summo Sacerdote eam potestatem, non multum resistam; quia non est ratio, quæ id impugnet efficaciter; & satis congruum fuit vt illa esset in Sacerdote, quandoquidem erat Ecclesiastica. Vide P. Salas num. 12. eius sectionis secundæ.

Potest tamen contrarium facilè sustineri.

SECTIO III.

An Episcopi habeant potestatem ferendi leges in suis Episcopatibus; & vnde eam acceperint.

16. *Episcopi ex commissione Papæ, vt & quatenus sint plex persona, habent potestatem ferendi leges.*

SVppositum paulò antè, in Summo Pontifice potestatem esse ferendi leges, quia supremum est caput Ecclesiæ; vnde non dubitamus etiam in Episcopis eam esse posse ex speciali commissione ipsius Pontificis: quo sensu etiam potest esse in simplici qualibet personâ; quæstio ergo est, an Episcopi, eo ipso quòd tales sint, sine vllâ aliâ speciali & nouâ concessione habeant vim leges aliquas in suo Episcopatu constituendi. Dico *nouâ*, quia, vtrùm id habeant à Christo, an à Papâ, discutietur inferiùs.

Episcopi quâ tales sunt habent eam potestatem. Probatur ex pluribus Iuris Canonici capitibus.

CONCLVSIO communis & omnino certa est eos habere eiusmodi potestatem. Eam tradunt Canonistæ in Rubricâ & in cap. *Cùm omnes.* & in cap. *Cùm accessissent.* de constitutionibus, & Summistæ verbo *lex.* probatúrque ex multis capitibus Iuris Canonici, cap. 1. de consecrat. dist. 3. cap. 2. de locato, cap. 2. de maioritate & obedientiâ, cap. 2. de constitutionibus in 6. & videtur conformis ei dicto Pauli Act. 20. *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:* nam ad eam gubernationem videtur valdè vtilis talis potestas legislatiua. Confirmatur, quia Episcopi sunt pastores animarum; ergo debent habere iurisdictionem, vt eis possint præcipere, ordinare, statuerèque, quæ ab illis debeant fieri. In hac conclusione nulla est difficultas: illud verò dubium, vtrùm hæc iurisdictio sit de iure diuino, & immediatè à Christo conferatur Episcopis, posità tamquam conditione eorum electione legitimâ in Episcopos; an verò sit de iure humano. In quo puncto Scholastici nonnulli valdè inter se dissentiunt, & fusissimè disputant; vereor autem ne multum admisceatur de solo nomine in eâ disceptatione.

An hæc iurisdictio immediatè sit eis à Christo collata.

SVBSECTIO I.

Proponuntur duæ extremæ sententiæ.

PAter Vasquez disput. 152. cap. 3 referens pro se Victoriam & Castrum, multíque alij relati à P. Salas sect. 4. n. 29. quibus problematicè adhæret (etiamsi infrà sect. 14. n. 74. obiter dicat hanc sententiam Patris Vasq. esse minùs probabilem) docent Episcopos accepisse à Christo proximè omnem iurisdictionem actiuam & radicalem tam in foro conscientiæ vt absoluant à peccatis, quàm in exteriori vt iubeant, excommunicent, legésque ferant, quam putant promissam fuisse illis Matth. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Probat autem id Vasq. licet obiter, hoc argumento: Sicut Sacerdos non potest dicere, dum dat absolutionem à peccatis, *Ego te absolvo potestate ad id mihi concessâ à Summo Pontifice*; vnde infertur, potestatem absoluendi à peccatis esse de iure diuino, & immediatè concessam Sacerdotibus à Deo; ita non potest Episcopus dicere, *Ego te excommunico potestate mihi concessâ à Summo Pontifice:* id enim solùm potest dicere in casibus, in quibus vtitur potestate delegatâ, ergo eam vim excommunicandi habet immediatè à Christo. Addit autem num. 30. Papæ esse commissam applicationem & constitutionem materiæ, & ex eius potestate pendere diœcesum & parochiarum diuisionem; vnde in foro conscientiæ impedire potest eiusmodi actiuam iurisdictionem ex parte, & aliquos casus sibi reseruare, & in foro exteriori leges moderari, & de omnibus illis rebus suo ordine cognoscere. Addit secundò materiam, circa quam Episcoporum potestas versatur, non priùs fieri à Pontifice, & deinde applicari, sed simul fieri & applicari; nam materia illa sunt subditi; eo autem ipso, quòd à Pontifice fiunt subditi eius Episcopi, simul applicatur materia ipsi Episcopo: iurisdictionem ergo actiuam ait Vasquez non vocari potestatem in aliquem, quousque ille verè subiectus sit: cúmque subiectio fiat à Papâ, ideò putat, auctores, qui contrarium sentiunt, solùm de hac subiectione locutos, dum dicunt, eam iurisdictionem solùm esse de iure humano. Addit tandem num. 31. Papam, etsi possit Episcoporum leges moderari, non tamen posse illis auferre potestatem condendi leges, prout illis videbitur expediens.

17. *Vasq affirmat, Victor. &c.*

Ratio Vasq.

18. *Vrget à materiâ, circa quam versatur Episcoporum potestas.*

E contrario verò Vargas, Heruæus, Bonauentura, Bellarminus, Caietanus & alij multi, quos refert & problematicè sequitur Salas n. 28. Suarez verò absolutè cap. 4. à n. 6. fusè valdè eam sententiam oppugnant, docéntq; eam iurisdictionem legislatiuam non dari immediatè à Christo, sed per Summum Pontificem, neque esse de iure diuino, sed humano: & idem sentiunt de iurisdictione in foro conscientiæ. Vt verò eam sententiam defendat P. Suarez, distinguit in dignitate Episcopali consecrationem à iurisdictione: illam dicit esse immediatè à Christo, quia Sacramentum Ordinis à Christo immediatè institutum est; vnde eo ipso, quòd quis validè consecretur Episcopus, necessariò habet potestatem validè consecrandi Sacerdotes & alios Episcopos, etiamsi, casu quo id faciat sine licentiâ, peccet: huic ergo consecrationi seu Episcopali characteri docet non esse annexam de iure diuino iurisdictionem legislatiuam, imò nullam veram iurisdictionem; addítque non solùm non esse

19. *Negant Vargas, Heruæus, &c.*

Suarez duo distinguit in dignitate Episcopi.

An iurisdictio sit separabilis à consecratione Episcopi.

necessa

Digitized by Google

necessariò annexam, sed neque eam pendere à prædicto charactere, quia & potest esse Episcopus verus consecratus nullam omnino habens iurisdictionem; vt si Episcopus fiat Religiosus: & in iis, qui nunc vocantur titulares, idem cernitur: & è contrario Episcopus confirmatus nondum consecratus habet omnem eam iurisdictionem. Et patet id ipsum in Summo Pontifice, qui, etiâsi quando eligitur, non sit Sacerdos, omnem tamen omnino acquirit iurisdictionem, exceptâ immediatè absoluendi per se in foro confessionis; in quo tamen habet iurisdictionem reseruandi casus quos voluerit. Vnde etiam confirmat Suarez suam sententiam ex ipsis Apostolis; quia licet habuerint iurisdictionem in totum mundum, non ideò fuêre vnius alicuius Ecclesiæ particulares Episcopi: vt in Paulo & Ioanne constat: ergo ea iurisdictio aliquid est separabile à consecratione & à titulo Episcopi huius vel alterius loci. Censet præterea, Christum Dominum non determinasse per se ipsum, an hæc vel illa esset futura iurisdictio vel potestas legislatiua, sed præcisè dixisse Petro, *Constitues Episcopos, quibus conferre pro tuâ prudentiâ poteris quam velis iurisdictionem:* imò addit, etiamsi Christus determinasset, quam iurisdictionem esset Pontifex eis daturus, eo tamen ipso, quòd Pontifici commisit eorum designationem, non debere illam dici de iure diuino. Vt si Rex Hispaniæ mittens Proregem in Indiam sic ei præcipiat: *Constitue in ciuitatibus Pratores, quibus hanc & illam facultatem concedes*; nihilominùs tamen posteà illi Prætores à Prorege constituti non dicuntur esse de iure regio, sed, vt sic dicâ, proregio; quia aliud est, *Mando tibi vt tu illos designes, & talem illis conferas potestatem*: aliud verò, *Ego eos designo, & ego eis eam potestatem confero.* Hæc ibi fusè P. Suarez quæ aliis argumentis minoris momenti confirmat.

Affirmat suâ mihi Suarez.

20. *Iurisdictionē Episcoporum per se immediatè determinasse Christum negat Suarez.*

Svbsectio II.

Iudicium de his sententijs.

21. *Quid sentiēdum, si Christus ipse Petro præscripsit & determinauit iurisdictionē dandā Episcopis.*

DIxi suprà, putare me multùm de nomine in hac difficultate misceri; vnde oportet, quæ sit differentia solùm in vocibus, quæ verò re ipsâ declarare. Pro quo Dico Primò: Si P. Suarez semel admittat, Christum Dominum præscripsisse Petro, quam iurisdictionem Episcopis deberet dare, casu quo illis conferret subditos, purè putè erit de nomine dissensio inter ipsum Vasquez & Castrum: id quod meo iudicio manifestè ostendo, quia quando Vasquez & Castro docent de iure diuino esse eam iurisdictionem Episcoporum, nullatenus asserere volunt, eam vt existentem in Ambrosio esse de iure diuino: quia procul dubio Christus non statuit, vt Ambrosius & Augustinus essent Episcopi; neque id potest ab vllo prudente doceri: in quo sensu etiam in ipso Pontifice Romano idem omnino dicendum est: nam quod Mapphæus Barberinus sit Papa, non est de iure diuino; sed ex electione humanâ prouenit; licet, supposità eâ electione quòd habeat hanc iurisdictionem, prouenjat à Christo. Declaro id ipso exemplo, quo P. Suarius vtitur, de Rege mandante Proregi, vt in qualibet ciuitate constituat Prætores cum tali iurisdictione: in eo enim casu licet, quòd posteà Antonius aut Rodericus eligatur Prætor, procul dubio non sit de iure regio, sed proregio, quia Rex de eo puncto nihil statuit: at quòd absolutè sint aliqui Prætores, de iure regio est; quòd item illi habeant talem iurisdictionem, etiam est de iure regio. Vnde fit, vt in eo casu non sit in potestate Proregis non ponere Prætores, aut illis auferre iurisdictionem eam, quam Rex præscripsit: neque aliquid aliud quàm hoc voluit Pater Vasquez, Castro, aut alij quos ipse impugnat; sed neque velle potuêre. Confirmo rursus exemplo potestatis Sacerdotalis consecrandi; nam hanc esse de iure diuino omnino fatetur ipse Pater Suarez; & tamen certissimum est, quòd ego potiùs quàm meus frater eam habeam, non esse de iure diuino; quia Christus non mandauit, vt ego potiùs quàm ille fierem Sacerdos: cur ergo dicitur de iure diuino? non aliâ de causâ, quàm quòd ex institutione Christi eam habeo positâ ordinatione; vnde nullus mihi eam auferre potest. Neque ad hoc facit quidquam quòd ipse Christus immediatè non dixerit Petro; quos Episcopos esset electurus, sed illi commiserit designandos: nam quod Princeps efficit per mandatū suum, verè dicitur ipse efficere.

Explicatur mens Castro & Vasquez.

22. *Cur potestas consecrandi sit de iure diuino.*

Dico Secvndò: Si dicatur Christus solùm in communi mandasse Petro; vt Episcopos constitueret, eisque iurisdictionem conferret, quam iudicaret expedire, tunc meritò dicetur ea iurisdictio non esse de iure diuino, sed humano: & in hoc sensu videtur P. Suarez maximè eam sententiā defendere, vt rationes eius suprà allatæ ostendunt. Quòd si P. Vasq. & alij dicant, eam voluntatem Christi fuisse omnino determinatam, vt paulò antè dicebamus, iam tunc dissensio erit tota de re ipsâ; & ad hoc punctum reducetur, an dixerit Christus, *Da illis talem determinatam iurisdictionem*; an verò dixerit, *Da prout iudicaueris expedire.* Hæc ergo est tota huius quæstionis difficultas, relictis vocibus illis de iure diuino mediatè aut immediatè.

23. *Quid si Christus solùm in genere mandasset Petro Episcoporum cōstitutionē, & dandā eis iurisdictionē pro suo libitu.*

Hinc Dico Tertiò: Si attendam solam consecrationem Episcopalem seu characterem, qui per eam imprimitur, manifestum est, neque id ab vllo Catholico negari potest, illi non fuisse à Christo necessariò annexam eam iurisdictionem, neque è contrario hanc ab illo pendere: id suadetur euidenter rationibus suprà positis: nam Episcopus, qui, relicto Episcopatu, cum licentiâ Pontificis ingreditur Religionem, aut qui ob culpas graues deponitur, procul dubio totam quantam consecrationem retinet, characterem insuper; non tamen habet vllam proximam iurisdictionem: ergo ex Christi mandato non est ei consecrationi & characteri annexa vlla iurisdictio.

24. *Quid dicēdū sit absolutè spectato Episcopali charactere & consecratione.*

Dices fortè, Habet illa saltem remotam. Contrà Primò, quia hoc iam reducitur ad quæstionē de nomine, vtrùm scil. ea capacitas vocanda sit iurisdictio; in ea autem quæstione profectò abusus est vocis eam sic vocare, perinde ac si, quando sunt duo capaces vt à Rege eligantur in Prætorem, vellemus dicere, eos iam habere iurisdictionem prætorianam: aut clariùs, si, quia laicus habet capacitatem vt consecretur Sacerdos, vellet quis dicere illum habere potestatem actiuam consecrandi, certè malè loqueretur. Contrà Secundò, quia ea capacitas independens est à consecratione: nam etiam qui non habet characterem Episcopalem seu consecrationem, potest totam iurisdictionem Episcopalem accipere; ergo, re intellectâ, & ablatis vocibus, dici non potest à Christo Domino ei consecrationi seu characteri annexam necessariò non solùm determinatam & certam iurisdictionem, sed nec vllam in communi.

25. *Satisfit obiectioni.*

Declaratur exclusio ex exemplo Suarij.

Digitized by Google

26. *Quid si sumatur Episcopus pronunciam esse constitutus animarum pastor.*

DICO QVARTÒ: Si Episcopum accipiamus non solùm sub eâ consecratione, sed etiam quatenus iam est constitutus pastor animarũ, procul dubio de iure naturali & diuino est, vt habeat aliquam iurisdictionem, abstrahendo ab hac vel illâ: in hac nulla potest esse difficultas, nec negari à Suario potest, quia in ipso conceptu pastoris includitur aliqua iurisdictio, sicut in conceptu Proregis: vnde sicut repugnat aliquem constitui verè Poregem, & non habere vllam iurisdictionem; ita etiam repugnat, aliquem esse Episcopum talis diœcesis & pastorem illius, & non habere iurisdictionem: & fortasse in hoc sensu loquũtur Victoria & alij; at in eo sensu non solùm debet dici iure diuino conuenire iurisdictio Episcopo, sed etiam cuicumque alij, cui cura animarum cõmittitur: vt eam solent habere Abbates & Prælati Religionum in suos Religiosos.

27. Dixi *iurisdictionem aliquam*, quia non est necessum vt habeat totam quæ potest esse in Episcopis: sicut non est necessum, vt omnes Proreges habeant æqualem iurisdictionem: & idem est in aliis etiam Iudicibus.

Christus non determinauit Episcoporum iurisdictionẽ sed eam Petri reliquit arbitrio.

DICO QVINTÒ: Longè probabilius est Christum Dominum non determinasse, quâ deberent habere Episcopi iurisdictionem, esto sint animarum pastores, sed id relictum esse omnino liberum Petro, & maximè in ordine ad punctum ferendi leges; vnde absolutè dicendum videtur, Episcopis eam vim legislatiuam ex iure humano non ex diuino immediatè conuenire.

28. Dico *immediatè*; nam quòd eam habuerit Petrus, potuerítque illam transferre in Episcopos, procul dubio à Christo venit. Hæc conclusio est P. Suarez suprà: pro eâ induxit D. Thom. & alios antiquiores Theologos, quatenus docent, potestatem clauium & iurisdictionis ad omnes per Petrum & successores eius deriuari: hæc tamen inductio nullo modo placet; nam etiamsi Petro mandasset, vt designaret Episcopos, & præscripsisset ei determinatam iurisdictionem, quam illis daret, procul dubio diceretur ea iurisdictio per Petrum & successores in alios deriuari; & tamen (vt in conclusione primâ ostendi) tunc certissimè esset de iure diuino in Episcopis ea iurisdictio, licet, quòd Petrus in particulari esset Episcopus, & eam haberet, non esset de iure diuino, vt suprà explicatum est in ipsomet Pontifice Romano. Eodem modo non vrget alterum testimonium ipsius D. Thomæ, quod Suarez adducit ex 4. dist. 20. q. vnicâ, art. 4. quæstiunculâ 3. vbi Papam comparat Regibus, Episcopos verò aliis Magistratibus inferiotibus, non, inquâ, vrget, quia totum id verum fuisset, etiamsi Deus taxasset determinatè eam iurisdictionem, quam deberet eis Papa dare: quo casu illa esset de iure diuino. Probat item Suarez intentum ex modo loquendi Canonum; nam Gregorius in Decreto 2. q. 6. hæc habet: *Romana Ecclesiæ vices sibi ita aliis impertiuit Ecclesiis, vt in partem sint vocati solicitudinis, non in plenitudinem potestatis*: vbi ponderat vt *impertiuit*, quod denotat ab eo acceptam potestatem. & Leo Papa in cap. *Ita Dominus* 19. ait à Petro, quasi quodam capite, dona sua Christum in corpus Ecclesiæ diffudisse. Facilè his testimoniis responderi posset ex conclusione primâ, solùm illis probari, Christum eam potestatem medio suo Vicario contulisse; per quod non negatur, eam esse de iure diuino, vt ibi explicuimus: nam haud dubiè merito dici potest, per Episcopos concedere Christum Sacerdotibus potestatem consecrandi; quæ tamen est de iure diuino: & sanè Leo Papa in citato loco non solùm de iurisdictione locutus, sed de consecratione, Ordine, &c. hæc enim comprehenduntur maximè nomine *donorum*, quo vsus est Leo.

29. *Nec alterum D Thom. testimonii vim habet.*

Suarez pro se citat D Thomam, sed parum solidè.

nec Canonibus Suarez profuit.

Vnica ergo, & meo iudicio efficax probatio est, quia sine fundamento vllo vel in auctoritate vel in ratione ponitur annexa dignitati Episcopali certa aliqua & determinata iurisdictio, maximè ea, quæ ad leges ferendas spectat; ergo non debemus eam ponere. Consequentia est bona, quia in rebus ex se supernaturalibus, & quæ experientiâ non noscuntur, non debemus quidquã ponere, nisi quod vel ratio, vel auctoritas suadet. Antecedens verò quoad rationem probandum in hac subsectione: id quod facilè præstatur; nam vt Episcopi suas oues dirigant, non necessum vllo modo, vt possint leges ferre: sufficit enim, si per præcepta, etiam durantia toto tempore ipsorum, eas dirigant: sic etiam in Religione Superiores immediati possunt perfectè dirigere Religiosos, etiãsi illi non possint leges statuere; sed id solùm spectet ad Generalem Religionis: ablatâ autem hac ratione pastoris nulla planè ratio est, quæ id persuadeat.

30. *Vnica & optima ratio.*

Episcopi ad dirigẽdã suam onus non egẽt potestate leges ferendi.

Positiuè nostram sententiam probo, quia, ob maiorem subordinationẽ Episcoporum cum suo vniuersali capite, expediens fuit, vt eam iurisdictionem acciperent ab illo immediatè; possétque pro voluntate ipsius exrẽdi, coarctari, &c. si enim eam haberent immediatè à Christo, solùm posità vt conditione eorum designatione aut consecratione, esset manifestum periculum se opponendi Summo Pontifici, ac dicendi, *Tam de iure diuino est mea quàm tua iurisdictio; non ergo potes me impedire in meo Episcopatu.*

Cur magis expediat Epi. scopos eã iurisdictionẽ à Papa manuari.

31. *Episcopi non habẽt tantam iurisdictionẽ in suos, quantam Pontifex in totam Ecclesiam.*

Secundò ex ipso vsu id suaderur; nam Episcopi non habent omnem iurisdictionem Ecclesiasticam in suos quam habent Pontifices in totam Ecclesiam; non enim possunt constituere irregularitates, aut præscribere impedimenta irritantia matrimonia; non possunt dispensare in votis; vnde infero: Ergo Christus non dedit illis immediatè vllam iurisdictionem. Probo hanc consequentiam, quia verba Christi, quibus aduersarij vtuntur, indefinita sunt, seu vniuersalia; ideò vel probant omnem eam iurisdictionem, vel certè nihil persuadent. Deinde, etiam illa iurisdictio pertinet ad regimen animarum; ergò deberet esse annexa sicut altera. Ergo quòd de facto vnam habeant, non alteram, prouenit ex Pontificum determinatione: ergo ea non est de iure diuino.

SVBSECTIO III.

Respondetur obiectionibus in contrarium: vbi ostenditur destitui auctoritate oppositam sententiam.

32. Ioa. 21.

OBICIES Primò, Ergo etiam in Summo Pontifice non erit ea potestas legislatiua, quia ea solùm potest probari ex eis verbis, *Pasce oues meas*: atqui, vt ex dictis constat, pascere non requirit potestatem ferendi leges. Quæ ratio etiam locum habet in Pontifice; nam pro illo etiam videtur sufficere, si possit imponere præcepta, quæ durent per vitam ipsius, eo verò moriente cessent; quæque eo ipso non essent leges. Respondeo Primò, Esto hîc dicamus non suaderi rationibus eam potestatem, non propterea negandam, quia stat pro eâ totius Ecclesiæ sensus & definitio

Cur ea summa potestas in Papa requiratur, & non in aliis.

Pontifi-

Digitized by Google

Pontificum: at quòd Episcopi ex se habeant eam iurisdictionem, nulla auctoritas probat, vt statim dicam, ergo. Secundò respondeo, disparitatem quoad hoc inter supremum Pastorem & immediatos seu subordinatos esse valdè magnam, etiá stando rationi; nam si necesse sit (vt sæpè necessum est) leges durabiles statuere, etiam in priuatis Episcopatibus sufficienter fieri potest, vel accipiendo ad id potestatem à Summo Pastore, vel ab eo petendo earum legum confirmationem: at si Summus Pastor eam vim legislatiuam non haberet, nullâ viâ, naturaliter loquendo, prouideri posset Ecclesiæ; nam ad Deum recurri non posset, quia non facit eas reuelationes extraordinarias: debuit ergo per se esse in supremo capite ea potestas; in aliis verò sufficit, si ad arbitrium huius.

33. *Loca probantia etiã Episcopũ eam omnem esse nil amisisse.*

Quòd verò non probetur auctoritate ea iurisdictio vt necessariò annexa, patet respondendo his quæ pro illâ afferri possunt; sunt autem duo vel tria loca, quæ facillimè explicatur. Primus est, quòd dixerit Christus Apostolis Matthæi 18. *Quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Alter locus est ex Act. 20. vbi Paulus de Episcopis dicit: *Vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei:* ergo iure diuino habent potestatem ligandi, regendi Ecclesiam Dei. Ad primum locum respondeo, ibi non datam actu eam iurisdictionem, sed promissam; quomodo autem illis esset dãda ea potestas, non declarari ibi. Concedimus itaq; in Episcopis

Ea potestas est in Episcopis sed nõ necessariò annexa.

hanc potestatem: negamus tamen illam esse necessariò illis annexam: & sanè, etiamsi posteà per Petrum accepissent eam potestatem Apostoli; verè tamen de illis dici potuisset, *Quoscumq; alligaueritis super terram*, &c. Sicut, etiamsi Prorex habeat totam suam iurisdictionem à Rege, verè dici de illo potest, *Quos ligaueris ciuiliter in tuâ Prouinciâ, erunt ligati.* Secundò respondetur, disparem esse de Apostolis rationem, & de Episcopis; nam illi immediatè acceperunt à Christo iurisdictionem in totum orbem, vt suprà diximus; nec fuêre constituti à Christo Episcopi vllius loci determinati: sed ea iurisdictio fuit illis data ob dignitatem Apostolatus: Episcopi autem non succedunt Apostolis in eam iurisdictionem; alioquin deberent illam habere in totum mundum sicut Apostoli: neque item succedunt in modum eam habendi immediatè à Christo; in quo necessariò debent omnes consentire; quia Apostolis non est data medio Petro vllo modo, neque quoad designationem personæ, neque quoad ipsam iurisdictionem: sed immediatè eam acceperunt iure diuino, Christo eam illis conferente, eosque designante: sicut ergo in hoc puncto non succedunt, etiam dicimus neque succedere in altero.

Disparitas in Apostolis & Episcopis.

34. *Qui Spiritus sanctus posuerit Episcopos ad regendam Dei Ecclesiã.*

Secundum testimonium minùs adhuc vrget: quòd enim dicatur Spiritus sanctus posuisse Episcopos ad regendam Ecclesiam Dei, nullatenus probat ab illo immediatè constitutos; nam, vt benè obseruat P. Suarez, etiam Reges dicuntur per Deum regnare; inde tamen non sequitur, immediatè à Deo accepisse iurisdictionem; ergo ad eum modum loquendi, dicimus, omnino sufficere, quòd Spiritus sanctus voluerit illos regere Ecclesias, etiamsi modum conferendi eis iurisdictionem liberum reliquerit Petro. Secundò respondeo, & magis iuxta doctrinam suprà traditam, etiamsi Episcopi necessariò debeant habere aliquam iurisdictionem eo ipso quòd sint Pastores (vt explicatum est) necessarium tamen non esse, vt habeant legislatiuam, de quâ hîc disputamus. Vltimò respondeo, Episcopum ibi à Paulo vsurpari non pro solâ consecratione; hæc enim quodammodò per accidens se habet ad regimen animarum, vt in Episcopo confirmato non consecrato: patet & in ipso etiam Romano Pontifice, qui, etiamsi nec Sacerdos sit, retinet tamen totam iurisdictionem, vt suprà ostendimus: accepit ergo Paulus ibi Episcopum vt habentem curam animarum; de quo vt sic sumpto iure naturali & diuino est aliqua iurisdictio; quia ipse conceptus Pastoris id dicit. Neque ab vllo potest opponi doceri, vt explicatum est etiam suprà.

Qui Paulus Episcopũ accipiat loco citato.

Restat adhuc illud argumentum P. Vasq. quod sicut non potest Sacerdos dicere, *Ego te absoluo potestate mihi à Pontifice concessâ*; ita nec Episcopus dicere valeat, *Ego te excommunico potestate mihi à Papâ concessâ.* Cui vno verbo respondetur, Etiamsi id non dicatur de facto, posse tamen in toto rigore etiam à Sacerdote dici; quia reuerà Pontifex dedit illi iurisdictionem absoluendi saltem vltimam: quod addo, vt vltem quæstionem de modo loquendi, vtrùm scil. character sacerdotalis debeat vocari inadæquata iurisdictio ad absoluendum: vnde in potestate Episcopali argumentum habet minorem difficultatẽ, quia ad eius munia nec quidẽ necessaria est consecratio, vt ostendi, licet ad absolutionem in foro interno necessarius sit character sacerdotalis: potiori ergo titulo ibi dici potest, *Absoluo te ab excommunicatione*, aut, *Excommunico te potestate ad id mihi traditâ à Pontifice:* vsus verò seu modus loquendi in hac parte nihil probat, tum quia in ciuilibus, quando certò constat eam iurisdictionem esse ab ipso Rege concessam, seu de iure regio, sæpissimè in vsu ipsius non dicitur, *Mando tibi hoc auctoritate mihi à Rege concessâ*, sed, *Auctoritate meâ tibi hoc mando*; nam *meâ* intelligitur non mea per excellentiam; sed mea ex designatione. Idem etiam in Canonicis reperitur; nam certum est, Superiores Religionum non habere iurisdictionem immediatè à Deo, sed à Pontifice, & Prouincialem à Generali, Rectorem à Prouinciali; & tamen hi in suis actionibus ordinariis numquam vsurpant illam phrasim, *Mando tibi auctoritate à Pontifice mihi concessâ*, sed, *Mando tibi hoc auctoritate quâ polleo.* Pro quo aduerte, etsi Iudices subordinati accipiant omnem suam iurisdictionem à supremo Iudice, duplicem tamen illam esse; vnam quasi ordinariam, quæ conferri solet omnibus talibus Iudicibus; alteram extraordinariam, quæ non solet illis omnibus conferri, sed hîc & nunc ob aliam causam occurrentem specialiter collata est huic aut illi: illam priorem vocant communiter suam, etiamsi (vt dixi) non minùs sit collata eis liberaliter quàm altera, quam non solent vocare suam; vnde fit, vt quando operantur vi prioris, nõ soleant mentionẽ facere suæ delegationis; sed dicunt, *Auctoritate nostrâ*, &c. quando verò operantur ex secundâ, vt ostendant illam non esse ordinariam, vsurpare solent eos terminos, *auctoritate mihi à tali & tali concessâ*: vtra in Episcopis contingit; quia enim ordinariè habent iurisdictionẽ aliquam certam, quæ per se omnibus Episcopis conceditur, quando eâ vtuntur, non solent dicere, *auctoritate mihi concessâ*, sed, *Ego hoc & hoc mando*: quando verò extraordinariam aliquam commissionem habent, tunc, vt declarent sibi id specialiter commissum, vtuntur eâ phrasi:

35. *Respondetur obiectioni Vasquez.*

Ex modo loquendi nihil hic inferre potest Vasq.

36. *Duplex est iurisdictio à summo Iudice participata.*

Explicatur modum loquendi Superiorũ aut Iudicum.

Digitized by Google

& idem est in Superioribus Religionum cæterisque Iudicibus.

37. *Vrgetur solutio.*

Porrò Pro cõsecratione Episcopi nihil ex hoc modo loquendi inferri vlteriùs ostendo; quia etiã Episcopus non consecratus, confirmatus tamen, quando excommunicat, non solet dicere, *Ego te excommunico, potestate mihi ad id factâ à Summo Pontifice*, sed absolutè, *potestate meâ*: ergo ex hoc argumento nihil infertur de annexâ ex iure diuino vi legislatiuâ Ordini Episcopali.

An, & quomodo veteres Episcopi suã iurisdictionẽ sumpserint à Papâ, obstdit Suarez.

Dices: In Ecclesiâ primitiuâ fuêre Episcopi, qui non accepêre suam iurisdictionẽ à Pontifice; sed vel designabantur ab aliis Episcopis, vel eligebantur à Clero: ergo eorum iurisdictio non pendet à Pontifice. Benè respondet P. Suarez, sẽper eos Episcopos mediatè vel immediatè à Papâ accepisse suam iurisdictionem; quis, etiamsi immediatè cæteri Apostoli potuerint eligere Episcopos, & eis conferre iurisdictionem, quia eam ipsi acceperant immediatè à Christo cum eâ facultate: at illi creati ab Apostolis sicut non habuere iurisdictionem in totum mundum; ita nec potuerunt sibi successores instituere propriâ auctoritate. Petrus ergo eiusq; successores vniuersaliter concedebant eam potestatẽ Clero aut aliis Episcopis, vt possent ritè eligere quem vellent, illi autem Pontifex concedebat iurisdictionem ordinariam. Addo ego, si vllius est momenti ea cõsuetudo, esse etiam contra aduersarios; nam illi saltem hoc admittunt, debere Summum Pontificem facere designationem personæ, licet eâ designatâ Christus immediatè conferat iurisdictionem: arqui in eo casu nec designatio fiebat à Romano Pontifice; ergo non poterant Episcopi habere à Deo iurisdictionem immediatè. Neq; enim puto, vllum Catholicum negaturum, saltem designationẽ personæ mediatè vel immediatè spectare ad Summum Pontificem, & quidem ex iure diuino; alioquin posset etiam nunc validè aliquis fieri Episcopus, etiam refragante Summo Pontifice. Quod nemo admittit.

38.

Papa est ad minùs persona pro Episcopatu designare.

SVBSECTIO IV.

Aliqua ex dictis inferuntur.

39. *Papa potest erigere Episcopatũ, vbi Episcopus caret vi legislatiua, aut certè habeat limitatam.*

PRimò infero, posse à Pontifice aliquem erigi Episcopatum, in quem Episcopus non habeat ius ferendi leges; vel, posse eam potestatem pro cũ limitatione concedi, vt scil. requisitus consensus Capituli, aut etiam Cleri: & hoc minimùm approbant illi, qui absolutè de facto illis negant eam potestatẽ sine consensu Capituli, vt Panormitanus cap. vlt. de officio Legati, vbi citat posse Ioannem Andream hoc fatere videntur aliqua iura, cap. scil. *Nouit*, & immediatè sequens, de iis quæ fiunt à Prælato; licet non expressè ibi de legibus agatur, sed in primo de electione Abbatis & Abbatissæ; in secundo verò solùm dicatur, non decere vt Episcopus relictis Capitularibus aliorũ consilia sequatur ad statum conficiendũ: per quod tamen non videtur insinuari inualiditas eorum.

40. *Omnes Episcopi de facto eã vim legislatiuã habent. tes habent eam à Papâ.*

Secundò infero, omnes Episcopos, qui de facto habent potestatem condendi leges, eam habere ex concessione Summi Pontificis vnde ad dignoscendum, quantum illa potestas possit extendi, videndum est, quomodo in particulari sit concessa: addo tamen de facto, iuxta dicta supra, eos habere ordinariam potestatem leges ferendi etiamsi expressè illis non concedatur de nouo; vt constat ex c. 1. de maior. & obed. & cap. 3. de constit. in 6. quod ita intelligendum est, vt etiam sine consensu Capituli eas possint ferre, nisi fortè expressè ad id obligentur. Excipiuntur tamen aliqui casus. Primus, si leges illæ oppositæ sint Pontifici; eo enim ipso nullæ sunt, quia inferior non potest quidquam contra superiorem facere, vt per se notum est: id quod intelligendũ est, siue expressè, siue implicitè contrariæ sint legibus Pontificiis & iuri communi; quia neque indirectè neque directè inferior potest contra superiorem. Secundus casus est, si expressè Papa sibi reseruauit causas illas, aut materiam; vt videtur sibi reseruasse causas omnes grauiores & maioris momenti, vt communiter docent auctores: ponuntur autem inter grauiores, mutare Quadragesimale ieiunium, vnam Ecclesiam alteri subiicere, aut duos Episcopatus in vnum coniungere, vel è contrario, vnum in duos diuidere; vel quæ pertinent ad nouam fidei declarationem, aut quæ concernunt statum vniuersalis Ecclesiæ; v.g. continentia Sacerdotum, &c. Ego tamen hæc omnia exempla non censeo pertinere ad eam tertiam exceptionem, sed ad secundam; quòd scil. non possit Episcopus quidquam contra ius commune & contra leges ipsius Pontificis: etenim de ieiunio Quadragesimali est lex expressa Pontificis; item de Continentiâ Sacerdotum. Circa Episcopatus verò à fortiori id constat, quia eorũ diuisio & iurisdictio est à Pontifice; & non potest Episcopus alium loco sui Episcopum eligere: item declaratio rerum fidei nullo iure ad Episcopum spectat: malè ergo hi casus excipiuntur vi reseruationis Pontificiæ, cùm vel Episcopus independenter ab omni reseruatione accidentali Pontificis careat iure ad illos casus, vel illi sint expressè contra leges alias Pontificias, quæ illos concernunt: sed quidquid sit, an sub hac, an sub illâ exceptione, illi verè excipiuntur.

41. *Quando leges Episcoporum sint nullæ.*

Quæ sint causæ maiores solitæ Papæ legibus subiacentes.

42.

Tertiò infero ex dictis, alios Prælatos, qui ex omnium sententiâ solùm sunt de iure humano, vt Archiepiscopum, Patriarcham, Cardinalem, Generales Religionum, Abbates, &c, nullum habere ius, nisi prout à Pontifice conceditur: quantum autem cuilibet de facto conueniat, non est huius loci. Archiepiscopum accipio, quatenus dicit plus quàm Episcopus: & idem de Patriarchâ intellige: nam quatenus illi Episcopi sunt, discurrendũ de eis est vt de cæteris Episcopis. Cardinales autẽ quà tales nullam habẽt de facto iurisdictionẽm; si verò titulum habeant Ecclesiæ alicuius Romanæ, tunc in eâ habent iurisdictionem Episcopalem, vt sumitur ex cap. *Hîs quæ*. de maior. & obed.

43. *Prælati, qui solùm sunt de iure humano, nullã habent ius nisi prout à Papâ sibi datum.*

Qualẽ Cardinales de facto iurisdictionẽ habeant.

44. *An, & vbi Legatus possit leges condere.*

De Legato item Summi Pontificis quid sit dicendum nemo ignorat; nam cùm illud non sit officium stabile, sed specialem commissionem includat, plane est attendendum ad modum, quo Pontifex illi confert potestatẽ: quòd si in eâ conferendâ se ad præcedentium Legatorum potestatem remittat, videndum erit quæ in prioribus fuerint, & totus titulus 30. lib. 1. Decretal. quod sit Legati officium declarat: cap. autem vltimo expressè dicitur illum in Prouinciâ, ad quam mittitur, posse leges condere, quæ durent ipso etiam recedente.

45. *An, & quando dicta SS. Patrũ in Decreto Gratiani contẽta habeant vim legis.*

Hîc obiter nonnulli disputant, verùm sententiæ sanctorum Patrum, quæ in Decreto Gratiani sunt, habeant vim legis. Respondeo, ex se nullo modo habere, quia sancti Patres quà tales nõ habuêre iurisdictionem, neque etiam vim decidendi

quidquam

quidquam in materiâ fidei:id enim ad Romanũ Pontificem spectat: quòd si aliquando à Pontifice acceptetur aliqua auctoritas,& approbetur, ea tunc non quà sancti illius Patris, à quo sumpta est,sed quà Pontificis,erit de fide:& idem dico in ordine ad obligationem legis, si à Pontifice acceptetur pro lege id quod sanctus aliquis Pater iudicauit expedire vt fiat.

SECTIO IV.

Quæ communitates Ecclesiasticæ vim habeant ferendi leges.

46. DIfficultas hæc ex præcedentibus facilè expeditur,si rationi sit standum;diximus enim eam potestatem solùm esse in Papâ;& ab eo posse cui velit communicari; solùm ergo inquirere possumus, cui communitati eam potestatem de facto concesserit.

SVBSECTIO I.

De Concilio generali.

INter omnes communitates primo loco, tamquam præcipua inter omnes,licet non maxima numero,occurrit Concilium generale,de quo dico, si in illo Papa sit præsens,haud dubiè habere potestatem legislatiuam saltem ratione Papæ: si enim hic solus habet eam potestatem,procul dubio ea non demetur ipsi per hoc, quòd ei assistant Episcopi. Quòd si Concilium conuocatum sit sine auctoritate Pontificis,è contrario nullam habebit, quia tunc non Concilium, sed conciliabulum erit; nam (vt aliunde suppono) non potest Concilium generale sine Pontificis auctoritate ipso viuente conuocari; si verò auctoritate Pontificis congregetur,ipse tamen non sit nisi per Legatos præsens, tunc Concilium habebit vim condendi leges pro totâ Ecclesia; dubium tamen erit, an ante confirmationem ipsius Papæ possint illæ obligare nec ne. Respondeo, de facto seu in praxi non obligare, quia Pontifex non vult ordinariè vt obligent, antequam ab ipso reuideantur, & approbentur. Quod si antecedenter daret illis auctoritatem,vt eo ipso,quòd à toto Concilio constituerentur, haberent vim obligandi,iam eo ipso antecedenter approbarentur:dubium tamen est,vtrùm possit ita fieri: negat P. Suarez cap. 6. nisi priùs ipse Pontifex determinet materiam illius legis. Ratio illius est, quia confirmatio Papæ,vt certam habeat & infallibilem assistentiam Spiritus sancti,debet versari circa rem certam & determinatam; vnde vlteriùs fine eius capitis concludit iterùm,non posse Pontificem delegare alicui suam potestatẽ in ordine ad constituendas leges obligantes totam Ecclesiam; quia hæ debent proficisci à potestate, quæ non possit errare in ordine ad mores; hæc autem potestas, cùm pendeat à speciali directione Spiritus sancti promissâ Pontifici,non est delegabilis,sicut nec potestas definiendi. Ego tamẽ contrarium censeo probabilius,quia potestas legislatiua in omnibus hominibus est, vt sic dicam,infallibilis,& errare non potest: si enim lex non sit iusta,non est lex;ergo eo ipso, quòd quis committit aliis potestatem legislatiuam, dat illis potestatem quasi infallibilem; quia omnis lex, eo ipso quòd talis sit, est iusta; & consequenter per eam non erratur. Quòd si nomine erroris in moralibus intelligat legem licet iustam, quæ tamen non sit tam bona quàm contraria, dicatq; non posse Pontificem ferre legem, quæ eo ipso non sit melior quàm contraria,durior erit ea doctrina; quia nec ipse Deus facit per seipsum immediatè ea quæ sunt ex parte obiecti meliora; multò ergo minùs intelligitur in ordine ad hoc assistere Summo Pontifici:& verò negari nequit, quin sæpè à Pontificibus reuocatæ sint aliquæ leges priorũ Pontificum, quia deprehensum est, in eis fuisse aliqua inconuenientia: quæ licet nullo modo suffecerint, vt ea lex potuerit dici iniusta, suffecerunt tamen, vt iudicata sit minùs vtilis quàm contraria. Sic olim per legem permissiuam Ecclesiæ dabatur Communio infantibus, & etiã laicis sub vtraque specie;vtrumque autẽ est postea per contrariam legem vt minùs conueniens prohibitum. Et idem de matrimoniis clandestinis dici potest quoad valorem.

Concilii generale, cui interest Papa habet vim legislatiuam.

47. *Concilii. cui per Legatos sium interest Papa,ante confirmationem eius non obligat.*

48. *Potestas legislatiua à Papâ alicui delegata est infallibilis.*

Cur à Pontificibus sæpè sint priorum leges reuocatæ.

49. *An, quando & quomodo Pontifex non possit errare.*

Fortè quis responderet,quando dicitur,Pontificem errare non posse in ferendâ lege, non asseri, illum ferendo veras leges non posse mandare iniusta (hoc enim conuenit cuilibet Legislatori, vt paulò antè dictum est) sed non posse tamquã per legem aliquid imperare,quod re ipsâ non sit lex vera & iusta; hanc autem assistentiam non habere alios Legislatores,neque Concilium generale; nam hoc potest statuere aliquid quasi per veram legem,quòd,quia iniustum est,re ipsâ non sufficiat ad legem: ne ergo per totam Ecclesiam mandetur aliquid quod iniustum sit, & putetur per legem veram præcipi,non poterit Papa alteri suam delegare iurisdictionem in ordine ad leges generales. Hæc est maxima vis huius sententiæ.

Nihilominùs tamen adhuc censeo,id à Pontifice omnino posse fieri: nam error mediatus per potestatem iurisdictionis non videtur repugnare Pontifici: etenim hic error nihil aliud denotat quàm,personam ab ipso Papâ designatam ad ferendas leges errare:id quod possibile & frequens est; etenim quandocumque aliquis Episcopus errat in lege ferendâ, dicere meritò possumus, Pontificem mediatè errare, hoc est personã constitutam ab ipso; & quidem ex supremâ potestate, ad quam solam spectat confirmatio Episcopi, errare:quòd verò hîc sit vnus tantùm Episcopus, patum est. Primò,quia, vt dixi,etiam huius confirmatio prouenit ex supremâ Papæ potestate, non minùs quàm confirmatio omnium. Secundò, quia eo sensu omnes etiam Episcopi simul sumpti possunt errare in ferendâ lege: ergo eo sensu etiam Papa mediatè erraret pro totâ Ecclesiâ modo explicato.

50. Quòd si dicas, non posse moraliter fieri, vt omnes Episcopi errent, admitto id libenter pro meo argumento; & inde infero,Ergo esto Pontifex eis concederet vim condendi legem aliquã pro totâ Ecclesiâ, non se exponeret periculo erroris;quandoquidem iam dicis, illos omnes non posse errare in eâ lege ferendâ. Instantia verò de definitione non est ad rem,quia imprudenter ego de alio, de cuius infallibili veritate mihi non constat, dicerem, *Ego iudico esse vera quæcumque ille dicet*; cùm tamen adhuc non sciam ego quid sit ille dicturus;vnde ea vis definiendi non est alteri prudenter communicabilis. At prudentissimè Superior potest dicere, *Volo vt facias quod ille tibi mandauerit*, esto adhuc non sciã quid sit mandaturus: quid si contingeret eum mandare aliquid iniustum, tunc ratio naturalis excusaret ab obligatione;inde autem nihil inferretur

Digitized by Google

contra personam mediatè mandantem; sed solùm contra immediatam. Iam autem ostendi, Pontificem mediatè eo sensu errare posse, imò vt sic dicam, Deus ipse: hoc est, potest homo immediatè à Deo factus Rex aut Legislator mandare iniusta, per quod nihil Deo detrahitur; ita sic dico de Pontifice.

§ 1. Secundò principaliter idem ostendo euidenter, quia esto non determinet Pontifex materiam, cùm tamen iam constet de omnibus ferè (etiam de illis quæ non sunt sub lege) an sint intrinsecè iustæ, an iniustæ, procul dubio saltem hoc modo poterit Pontifex Episcopis dare eam vim legem condendi: *Volo vt ex materijs intrinsecè honestis, & vt talibus per fidem cognitis, imperetis quascumque velitis.* Certè in eo casu non se exponit Pontifex vlli periculo erroris: cur ergo si illi tunc præcipiant, vt diebus Iouis teneantur omnes audire Sacrum, in memoriam institutionis eius sacrificij tali die factæ; cur, inquam, non poterunt immediatè obligare totam Ecclesiam ex approbatione Pontificis præuiâ? quod enim fortè ea lex sit grauior, nihil impedit; nam in circumstantiâ tali benè potest etiam immediatè errare Pontifex: ergo multò magis mediatè modo dicto.

Tertiò, & hæc sit maior declaratio præcedentis, quia ad imponendam legem non requiritur deuenire in notitiam alicuius occultæ veritatis, quod fit mediante speciali & miraculosâ Spiritus Sancti erga solum Pontificem directione; sed sufficit iurisdictio, vt eligatur aliqua materia iam alioquin vt ex se honesta, nota, quæque hîc & nunc videatur expediens; hoc autem secundum optimè possunt discernere Episcopi in Concilio congregati; possunt enim difficultates proponere, quæ ex qualibet Prouinciâ, aut etiam diœcesi in particulari oriri possint; vix ergo est moraliter possibile, vt in eo puncto Concilium generale, etiam ante Papæ confirmationem errare queat: vnde dando illi vim condendi leges, quæ obligent etiam statim ante nouam Pontificis confirmationem, non crediderim Pontificem imprudenter facturum.

§ 2. *Quid possit generale Cõcilium vel Collegiũ Cardinalium in electione Pontificis Papa mortuo.* Restat iam de Cõcilio generali Papâ mortuo vel de collegio Cardinalium, quando ad electionem Pontificis conuenit. In hoc puncto certum est, naturali iure vel diuino non esse in illis vllâ potestatem condendi leges, quia Christus eam potestatem non contulit nisi Petro eiusq; successoribus: ergo cùm Collegium Cardinalium aut generale Concilium non sit successor Petri, etiamsi determinatione Petri habeant potestatẽ eligendi successorem, non habebunt ex iure diuino vllam iurisdictionem legislatiuam, neque item ex naturali; quia ratio, etiã suppositâ fide, non ostẽdit necessariam in illis esse talem iurisdictionem.

§ 3. *An Cardinales in Cõclaui possint creare alios Cardinales.* Dices; Habent potestatem eligendi Papam, quod grauius est quàm ferre leges; ergo habent potestatẽ eas ferendi: quo argumento aliqui dicunt, Cardinales in Conclaui posse creare Cardinales; qui lõgè inferiores sunt Papâ. Respondeo, in his rebus moralibus, quæ ex solâ voluntate instituentis pendent, nullius planè momenti esse argumentum etiam à maiori ad minus, si res sint inter se diuersæ: quod ostendo euidenter; nã Sacerdos simplex potest conficere Corpus Christi: quæ actio longè maior est in se, quàm conferre alicui titulum Cardinalis, aut, quàm conferre ipsum etiam Ordinem Sacerdotalem, & tamen nemo benè argumentatur, *Sacerdos simplex potest illud; ergo & hoc*: ita in præsenti dico. Constet ergo, ex iure diuino aut naturali non esse in illis talem potestatem; quid verò sit in illis ex aliquâ concessione humana positiuâ Pontificum nullo modo constat, quia ea de re nullus est Canon, quin potiùs contrarium constat ex Clement. *Ne Romani*. de electione. solùm enim conceditur illis, vt possint quidquid ad electionem Pontificis spectat, & necessaria sunt ad obuiandum periculis imminentibus. Quæ specialiter circa Cardinales dicta sunt debent etiam de Concilio intelligi: nam etiam de illo nihil constat circa potestatem legislatiuã; hoc tamen addendum, cùm Concilium generale constet ex Episcopis, qui habent iurisdictionem pro suis Episcopatibus ferendi leges etiam mortuo Papâ, posse eos ex hoc capite consentire in aliquam legem, quam quilibet velit pro suo Episcopatu acceptare: at id non fiet per potestatem Concilij quà talis, sed quà Episcopi sunt, & habent in suis diœcesibus iurisdictionem.

Qui possit Concilium generale mortuo Papâ leges ferre.

54.

SVBSECTIO II.

Quid de Concilijs inferioribus.

55. *Nota triplicia Concilia.* COncilia minora aliqua sunt Nationalia totius vnius Regni, vt totius Hispaniæ; alia vnius Prouinciæ seu vnius Archiepiscopi cum suis Suffraganeis; tertiò, vnius tantùm Episcopi: quod tamen vltimum communiter non tam dicitur Concilium quàm Synodus; etiamsi ea vocabula re ipsâ non differunt.

Omnia pro suo districtu leges ferre possunt. CONCLVSIO sit: Omnia hęc possunt ferre leges pro suo districtu; si v.g. sit totius Hispaniæ, pro totâ Hispaniâ; si trium Prouinciarũ, pro illis tribus, &c. Ratio huius est facilis, quia in his Conciliis semper est caput, nempe Episcopi, Archiepiscopi, &c. qui etiam sine Concilio habent potestatem ferendi leges; ergo etiam poterunt eas ferre quando sunt in Cõcilio: quod intelligendũ est, etiã non spectatâ nouâ cõfirmatione Papæ in omnibus casibus, in quibus Episcopi possunt etiã non spectatâ confirmatione leges ferre.

An opus sit in tali Concilio quoad leges vt omnes obligent, vniuersos Episcopos consentire. Illud hîc potest habere difficultatem, an, vt ferantur tales leges, quæ verè obligent totam Nationem, sit necessarium, vt in eis consentiant omnes omnino Episcopi; ita vt si v.g. Salmanticensis nolit consentire, tales leges, non possint obligare Salmantinos. Est autẽ ex dictis magna ratio dubitandi, quia alij Episcopi non habent vllam iurisdictionem in Salmantinos, neque etiam ipse Archiepiscopus Toletanus, aut Primas Hispanię: non enim habent Primates potestatem legislatiuam extra suum Episcopatum; ergo nullum est in eo Concilio caput quod possit Salmantinos obligare, nisi eorum Episcopus: ergo nisi hic consentiat, illæ leges non poterunt illos obligare. Aliunde verò, cùm videantur ibi conuenire quasi repræsentantes totum illius Prouinciæ corpus cum suo capite, videtur standum maiori parti sententiarum; quidquid vnus aut alter resistat.

56. *Quorũdã & Suarij opinio. Cap.* Catholica. *dist.* 11. *& cap.* Concilia *dist* 17. *explicantur.* Hanc quæstionem non video motam ab aliis: priùs verò quàm illis respondeam, aduerto, nonnullos, quos secutus est Suarez eo cap. 6. n. 8. & 9. probare, iurisdictionem esse ad ferendas leges in eiusmodi Conciliis, ex cap. *Catholica*. dist. 11. & ex cap. *Concilia*. dist. 17. & ferè ex tota dist. 19. ac denique ex cap. penultimo dist. 92. cùm tamen reuerà in omnibus illis locis nihil penitus sit de tali potestate: etenim hoc penultimo capite nihil aliud dicitur, quàm non debere Episcopum

Digitized by Google

copum vacantem se intruderé in Ecclesiam vacantem sine Concilio integro, cui præsit Metropolitanus. Distinctio verò 18. potiùs e st posituè contraria ei doctrinæ; nam statim initio ante caput primū dicitur, ea Concilia solùm esse valida ad corrigendum, non verò ad statuendum & definiendum: in aliis verò capitibus solùm dicitur, vel vt bis in anno ea Concilia fiant propter causas Ecclesiasticas & controuersias dissoluendas; vel vt puniantur, qui legitimè vocati non comparuerint; vel declaratur, qui debeant vocari, &c. de statutis verò solùm dicitur cap. vlt. vt dum in qualibet Prouinciâ Concilia habentur, posteà intra sex menses vnusquisque Episcopus significet, quæ in illis Conciliis definita sunt: quo videtur supponere aliqua potuisse definiri, sed quomodo, & quæ, non dicit: & agere videtur de Concilio Synodali, in quo Episcopus habet ius condendi leges pro suis: vnde pro casu Superioris dubij non sunt hi textus. Cap. verò *Concilia.* distinct. 17. potiùs videtur inualidare ea Concilia, aut certè negare illis potestatem quidquam definiendi inconsultâ Romanâ Sede; cap. verò *Catholica.* dist. 11. nihil penitus de Conciliis.

Eudoxius & alij.

57. Hoc ergo supposito, ad propositum dubium sic respondeo Primò, attentâ naturali ratione si Primas non habeat vim ferendi leges supra alienum Episcopatum, non posse in eo Concilio, per se loquendo, Episcopum vllum cogi ad acceptandas leges pro suo Episcopatu; nam nullum habet supra se ibi caput in ordine ad eas leges, vt supponimus, ergo. Dico *per se*, quia si quando ad Concilium venit, cōsensit antecedenter in ea, quæ à maiori parte Concilij concluderentur; iam tunc in illis transtulit suam voluntatem, & non potest posteà validè resilire. Secundò dico, iure positiuo humano omnino videri ibi necessarium vt omnes consentiant: etenim in cap. *Nullus Primas.* 9. q. 3. expresè asseritur, si sine concilio & voluntate omnium comprouincialium Episcoporum extra suam parochiam aliquid tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit, irritum erit. Quæ decisio etsi non loquatur expresè in casu Concilij, tamen id videtur supponere; quandoquidem requirit omnium consilium & voluntatem: quod commodè fieri non potest nisi in Concilio; vnde absolutè iudico hanc partem longè probabiliorem.

Decidituꝛ quæstio supra mota.

Oportet in tali Concilio omnes imò ipsius etiā Primatis cōsētire.

58. Ad rationem verò dubitandi facilè ex dictis respondetur, Episcopos tunc non transferre in alios suam potestatem legislatiuam, vt teneantur posteà approbare leges ab aliis conditas pro suis Episcopatibus: quòd si aliquando id faciant, dictum est, tunc non posse eos in Concilio illam reuocare; ideóque illas leges valituras. Hinc moueo secundā quæstionem, an leges in toto Concilio approbatas possit posteà quilibet Episcopus in suâ diœcesi reuocare. Ratio dubitandi est, quia cùm ex vnâ parte illæ leges sint à fortiori potestate constitutæ quàm sit cuiuslibet Episcopi priuati, non videntur posse posteà à quolibet reuocari: ex aliâ verò parte illæ leges pro Episcopatu cuiuslibet, iuxta paulò antè dicta, non videntur aliunde habere vim quàm ab ipsomet Episcopo eas pro Prouinciâ aut Episcopatu suo approbante. Respondeo, Si Primas non habuit altiorem potestatem vel iurisdictionem à Papâ specialiter commissam in ordine ad eas leges, videri probabiliùs, posse omnino eas reuocari à quolibet Episcopo, in suâ diœcesi: quod benè probat ratio facta immediatè, fitque per illam satis oppositæ in contrarium; ostensum enim est, tunc eas leges non ferri respectu illius Episcopatus ab altiori potestate, quàm sit ipse Episcopus, qui eas posteà tollit: nam ipse eas tulit pro suo Episcopatu. Quòd si Primas habeat specialem commissionem à Papâ, vel posteà illa acta Concilij sint à Pontifice confirmata, iam non poterit eas reuocare; quia quod ab altiori iurisdictione statutum primò est, aut deinde confirmatum, non potest inferior reuocare.

An reuocari possint leges ab Episcopo priùs à toto Concilio approbata.

Respondetur distinguendo.

SVBSECTIO III.

De Capitulo Ecclesiæ Cathedralis & Collegiatæ.

59. QVærimus, an Capitulum Ecclesiæ Cathedralis possit leges constituere. Respondeo Primò, illud viuente Episcopo nullam penitus habere in populum iurisdictionem, sed totam esse in Episcopo; ideóque non posse illud condere leges pro populo. Secundò respondeo, illud cum Episcopo posse, quia Episcopus etiam solus habet iurisdictionem; ergo à fortiori simul cum Capitulo: Tertiò, posse aliqua statuta facere quæ pertinent ad ipsum Capitulum etiam absente Episcopo; nam Capitulum quoad multa est corpus distinctum ab Episcopo, habetque aliud caput, scilicet Decanum aut Præpositum, iuxta diuersa Ecclesiarum statuta; in aliis tamen rebus, in quibus non habet iurisdictionem independenter ab Episcopo, non poterit quidquam sine illo facere: quæ autem in particulari possit sine illo, quæ non, est omnino incertum; quia iuxta diuersitatem Ecclesiarum solent esse consuetudines & priuilegia Capitulorum diuersissima.

Capitulū Ecclesiæ Cathedralis viuo Episcopo nequit ferre leges, nisi cum illo:

eo tamen absente statuta ipsū Capitulū concernētia dare potest.

60. Obiici solet, in Capitulo non esse vllam iurisdictionem; ergo nulla statuta seu leges potest facere. Respondetur, in ordine ad ea minora censeri in illo aliquam esse à Papâ manantem, haberíque ex consuetudine fauente iure communi. Ego verò dico non videri quoad hoc necessarium recurrere ad Papam; quia Episcopus ipse eam potuit dare; & ab eo habetur iam per consuetudinē. Secundò fortasse posset dici, ipsosmet Capitulares per modum communitatis illam habere ex naturâ rei: vt enim superiùs cum Patre Suario diximus, in statu legis naturę fuit in communitate talis iurisdictio, & poterat per se communitas illam dare vni aut alteri personæ, prout ei placuisset; ergo eodem modo iam erit in lege gratiæ: nam licet iurisdictio alia maior & excellentior sit instituta à Christo, datáque Summo Pontifici, & per hoc sit communitas impedita, ne eam actu habeat, & consequenter, ne dare possit vlli iurisdictionem supra se, quæ pugnet vllo modo cum iurisdictione à Deo datâ Pontifici, & per hunc Episcopis; at iurisdictio, quæ nullo modo sit ei diuinæ contraria, videtur adhuc mansisse in hominibus: & talis est ea de quâ agimus; nam quòd Capitulares habeant per modum cuiusdam communitatis aliquam iurisdictionem in ordine ad constituenda aliqua nullo modo contraria ils, quæ à Summo Pontifice mediatè vel immediatè statuta sūt, sed potiùs iuuat ad ea meliùs cōseruanda, nō videtur vllo modo repugnare. In hoc ergo sensu benè posset Capitulum eam iurisdictionem habere; potéstque probabilissimè addi, olim Monachos in desertis

Vnde sit iurisdictio Capitularis data prò se ferendi.

An eius statuta sint contraria Pontificijs.

61.

Digitized by Google

sine vllâ speciali Episcopi licentiâ conuenientes in vnum, & supra se caput vnum eligentes, transtulisse in illud similem aliquam iurisdictionem, etiamsi votũ nullum speciale obedientiæ fecissent. Denique respondeo, posse ea statuta obligare Capitulum vi fidelitatis, etiamsi non obligent per modum legis à iurisdictione promanantis. Maior difficultas est, an Capitulum Cathedrale Sede vacante possit leges constituere pro toto Episcopatu. Affirmant multi, quos refert Pater Salas eâ disp. 14. sect. 16. quibus adhæret P. Suarez suprà num. 17. etiamsi contrarium censeat probabile: videtur autem maximè inductus in eam sententiam hoc argumento; Capitulum succedit mortuo Episcopo in omnem eius iurisdictionem in spiritualibus & temporalibus, ergo & in vi legislatiuâ. Consequentia est bona; antecedens verò patet ex cap. *Cùm olim*, de maiorit. & obed. & cap. vnico, eodem tit. in 6. & cap. *Si Episcopus*. & cap. vlt. de supplendâ negligentiâ Prælat. in 6. & ex Tridentino sess. 24. cap. 16. de reformatione. Congruentia etiam videtur esse, quòd sæpè sit necessarium tunc statuere aliquas leges, quæ habeant stabilitatem etiam post electum Episcopum: neque in hoc puncto est par ratio de Collegio Cardinalium; quia non potest habere eam auctoritatem nisi à præcedentibus Pontificibus: de quo non constat: Capitulum autem accepit eam à Papâ, vt ex citatis textibus constat.

Positiue Capitulũ vacãte Sede ferre leges pro toto Episcopatu. Suarez affirmat cũ aliis.

62. Mihi tamen longè probabilior videtur sententia contraria, quam defendit P. Salas suprà, vbi alios pro eâ inducit: adducit etiam cap. 1. *Ne Sede vacante*. in quo Innocentius III. satis clarè hanc sententiam tradit; ait enim, *Episcopali Sede vacante non debet aliquid innouari, cùm non sit qui Episcopale ius tueatur*: quæ verba valdè sunt clara; nec post Innocentium reperitur aliquis Pontifex dedisse eam auctoritatem, ergo. Denique, opposita sententia tribuit ei Capitulo eam vim sine sufficiente fundamento; nam in omnibus citatis capitibus nihil inuenitur, quod eam vniuersalem propositionem, quam ea sententia assumit, persuadeat; nullibi enim dicitur Capitulum succedere in omnem iurisdictionem: nam in cap. *Cùm omnis*. de maiorit. nihil aliud statuitur, quàm vt Sede vacante præsententur confirmanda Capitulo Messanensi electio à Monasterio Sancti Saluatoris facta; cap. verò vnicum eodem tit. in 6. solùm dicit posse Sede vacante illum, qui habet iurisdictionem Episcopi, absoluere ab excommunicatione: & licet ibi obiter insinuetur in aliquo tunc esse iurisdictio Episcopi, non tamen ideò dicitur tota esse: sed ea verba optimè intelliguntur de eâ iurisdictione, de quâ manifestè constat apud omnes, scilicet, de iurisdictione absoluendi etiam in foro conscientiæ, item pro causis matrimonialibus, pro licentia ad accipiendos Ordines, pro Parochis installandis, &c. quia pro his rebus videtur fuisse necessarium vt iurisdictio maneret; pro legibus verò nulla planè est necessitas, vt concedatur. Ea item duo alia capita tit. de supplendâ, &c. minùs vrgent, quia in penultimo solùm dicitur, vt capto ab infidelibus Episcopo, Capitulum ministret in spiritualibus & temporalibus ac si vacaret Episcopatus; ea autem ministratio non denotat quidquam de vi legislatiuâ; sed denotat tum solicitudinem erga temporalia bona, tum erga Sacramentorum administrationem & causas etiam ordinarias, quæ apud Officialem Episcopi occurrere solent. Vltimo verò capite repetuntur iidem termini, & nihil de totali iurisdictione; imò nec ea vox *iurisdictio* non solùm cum eâ vniuersalitate, sed nec absolutè ibi reperitur.

Melius negatur cũ Salas & Innocent. III. c. 1. Ne Sede vacante.

Inducuntur Capita suprà citata.

Hinc ergo sic discurro: Cùm ea potestas ex iure diuino in Capitulo non sit, iure autem humano non constet vllo modo eam datam Capitulo, administratio verò illa spiritualis, de quâ ibi, nihil probet de legibus; quod vel inde patet manifestè, quia etiam Romæ Sede vacante est talis administratio in spiritualibus; & tamen nulla est potestas condendi leges; deinde neque adducatur vlla consuetudo talium legum à Capitulo latarum: necessitas item nulla sit; quia si aliquid vult statuere, potest sine legibus, vsque ad electionem Episcopi; censeo, omnibus pensatis, nullo modo eam vim inesse Capitulo. Confirmo discursum hunc ex cap. 1. in 6. *Ne Sede vacante*. ibi enim sic dicitur: *Si collatio prebendarum ad Episcopum & Capitulum communiter pertinent, potest Episcopo mortuo Capitulum eas conferre; at si solùm id pertinebat ad Episcopum, non potest Capitulum eas conferre*. Hinc sic argumento: Condere leges pertinebat ad solum Episcopum, ergo eo mortuo non poterit Capitulum eas ferre; quia non succedit Capitulum in iis quæ solius erant Episcopi, nisi in ordine ad casus exceptos, ob necessitates occurrentes. Et hic casus de ferendis legibus non est exceptus; & est solius Episcopi, nec necessitas vlla exigit contrarium, ergo.

63. *Fundamentũ auctoris.*

Probatur efficaciter conclusio.

De Capitulo verò Ecclesiæ Collegiatæ nonnulli censent posse illud cum consensu sui proximi Prælati ferre leges aliquas. Respondendum tamen est, cùm omnes leges requirant iurisdictionem, non posse casum hunc decidi nisi sub distinctione: aut enim habet ille Prælatus ex concessione Episcopi vel Summi Pontificis talem potestatem; & tunc poterit leges ferre: quid autem quilibet habeat, non est huius loci: aut nullam habet iurisdictionem; & tunc poterit quidem facere statuta, quæ obligent Capitulares per modum fidelitatis, vt paulò antè dictum est de Capitulo Cathedrali; leges verò ferre non poterit.

64. *Quid queat Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ.*

Denique quoad Religiosas communitates constat eas habere eiusmodi potestatem concessam à Summo Pontifice; an autem ea sit in solo Generali, an in Capitulo generali, an in Prouinciali, &c. decidendum est iuxta diuersa instituta & confirmationem Pontificum pro eis Religionibus. de quo non est in particulari nunc agendum.

Quid Religiosæ communitates generales, Capitula generalia, &c.

Sectio V.

An potestas Canonica pendeat à bonis moribus, vel saltem à fide Legislatoris.

65. CIrca Primum, an ea potestas pendeat à bonis moribus, respondeo, de fide esse non pendere; vt contra Viclephum & Hussium definitum est in Concilio Constantiensi. de quo fusiùs controuersistæ. Ratio verò esse potest, quia ex se hæc potestas, esto supernaturalis sit, non pendet à gratiâ & sanctitate; neque Christus eam fecit dependentem: supra modum enim fuisset per hoc reddita incerta gubernatio exterior Ecclesiæ, maximè si ad amittendâ eam iurisdictionem

Canonicã potestatem non pẽdere à moribus est de fide.

Digitized by Google

dictionem suffecissent interiora peccata, quæ alij noscere non possunt: neque indignum est, vt aliquando iusti regantur à peccatoribus: vnde Petrus Epist. 1. cap. 2. præcipit obedire dominis non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.

An pendeat à fide.

Circa Secundum, an saltem à fide pendeat ea potestas, an verò, qui hæreticus est, eam statim amittat, maior est difficultas. Affirmat Turrecremata lib. 4. Sum. c. 8. & 20. Castro lib. 2. de Iustâ hæreticorum punitione cap. 23. & 24. & alij quos P. Salas refert sect. 20. num. 106. quia iure diuino tenemur vitare hæreticos, iuxta illud ad Titum 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita*: ergo non tenemur illi obedire; ergo neque ipse habebit iurisdictionem ad imperandum. Secundò, quia fides est fundamentum totius ædificij spiritualis, sine quâ nullum est membrum Christi, & consequenter nec potest esse Vicarius Christi. Tertiò, quia alioquin non esset remedium in Ecclesiâ contra Papam hæreticum, si non obstante hæresi retineret totam suam iurisdictionem.

Affirmant Turrecremata, Castro & alij

66. Nihilominùs tamen probabilior est contraria sententia, quam tenuit Caietanus Tom. 1. opusculorum, Tract. 1. de Potestate Papæ cap. 19. Canus lib. 4. de Locis communib. cap. vlt. Bellarminus lib. 2. de Romanis Pontificibus cap. 30. licet non omnino vniuersaliter, Salas suprà nu. 100. vbi alios pro eâ refert, & Suarius cap. 7. n. 6. Probatur facilè hac vnicâ ratione: Ea potestas in conceptu suo non pendet à fide, quia ex naturâ rei haud dubiè possunt separari; nec pendet ex institutione Christi, quia nullus est locus vnde talis dependentia ostendatur; ergo non debemus eam sine fundamento adstruere. Secundò suadetur; nam si hæresis sit purè interna, cùm non cadat vllo modo sub cognitionem Ecclesiæ, non fuit expediens, vt vi illius auferretur ea iurisdictio: vel enim ipse Papa tunc deberet seipsum quasi diffamare; quod esset valdè durum; & multi nollent credere illum seriò id dicere, sed solùm ad fugiendum onus: vel tunc obedirent ei, & gubernarentur ab eo qui non esset Pontifex: quod esset magnum Ecclesiæ detrimentum, maximè in ordine ad absolutionem ceteráque quæ ad remissionem peccatorum ordinantur: si verò hæresis sit externa, occulta tamen per accidens, quia à nemine probari potest, militant ferè eædem rationes: denique, si sit publica & notoria, etiam non excludit eo ipso iurisdictionem: quod inde probo, quia altera interna eam non excludit, vt diximus; atqui in ordine ad separationem à Christo, & quòd iam non sit membrũ illius, quodque initium omnis spiritualis ædificij sit fides (quæ sunt argumenta aduersariorum;) eadem planè ratio est de hæresi interna quæ de externâ: ergo si vna non excludit per se iurisdictionem, neque etiam altera: præterea non constat, magis Christum abstulisse statim eam iurisdictionem propter vnam hæresim quàm propter aliam, ergo.

Probabilius est non pendere à fide.

Rationes pro hac.

Confirmatur argumento aduersariorum fundo.

67. Dixi non amitti statim: pro quo ex vsu constanti Ecclesiæ sic formo nouum argumentum: Perpetuâ consuetudine Ecclesiæ obseruatum est, etiam in inferiori iurisdictione quàm sit Papalis, vt, esto constiterit Episcopum esse hæreticum, non tamen eo ipso priuatus sit iurisdictione; sed semel, bis, ter moneatur; si resipiscere nolit, deponatur: cuius rei innumera in Historiis Ecclesiasticis exempla reperiuntur, estque praxis conformis illis verbis Pauli: *Post vnam & secundam correptionem deuita*: ergo Ecclesia sentit non amitti ipso facto eam iurisdictionem. Video responderi posse, in similibus casibus amisisse eo ipso illos Episcopos iurisdictionem, Ecclesiam tamen voluisse eam eis restituere, si post secundam monitionem resipiscerent. Hæc quidem solutio, licet probabilis sit, non tamen potest sustineri; quia reuerà Patres tunc non promittebant talibus se restituturos dignitates, quas iam actu amiserunt, sed potiùs minabantur se eas ablaturos, nisi resipiscerent; ergo supponebant non fuisse ipso facto amissas.

Episcopus hæreticus nõ statim fundo iurisdictione priuandus.

Probatur id à locutione Patrum.

Obiicies: Hæreticus externus statim est excommunicatus; ergo statim est priuatus omni iurisdictione Ecclesiasticâ. Respondeo in primis id non habere locum in Pontifice Summo, supra quem non cadunt excommunicationes, quia sunt ab æquali auctoritate latæ. Secundò respondeo inde solùm probari, eum statim esse priuatum vsu iurisdictionis, non tamen iurisdictione ipsâ, quia hac debet priuari posteà per sententiam, etiamsi excommunicatio statim incutratur.

Cur Papa excõmunicari nequeat.

An Episcopi hæretici priuẽtur iurisdictione eo ipso quando.

Iam ad argumenta in contrarium. Ad Primum respondeo, si loquamur de Superioribus inferioribus Papâ, tunc, eo ipso quòd sint hæretici notorij, nos non teneri illis obedire, quia excommunicati sunt & priuati vsu potestatis; si verò sint hæretici purè interni, nos re ipsâ teneri eis obedire, quia per puram internam hæresim non sunt priuati suâ iurisdictione: Ecclesia enim non imponit eas pœnas pro delictis purè occultis: aliũde autem iam ostendimus posse etiam sine fide cohærere eam potestatem: si verò hæresis sit externa per accidens, occulta tamen, dicimus eos re ipsâ excõmunicatos esse & priuatos vsu suæ potestatis, saltẽ licito, quia grauiter peccant eâ vtendo; nos tamen ex ignorantiâ inuincibili teneri omnino illis parere. Quòd si ab eo tempore aliquam legem irritantem ederent, & posteà constaret certò, eos tunc iã fuisse hæreticos externos, dico contractum aut actionem contra eam legẽ factam non debere iudicari vi illius irritã. Quòd si loquamur de Summo Pontifice, non desunt qui dicunt, illum neque vt priuatam personam errare posse, ideóque non habere locum eam obiectionem. Sed quia hæc sententia minùs est probabilis, & difficulter aliqui Pontifices possint excusari ab aliquibus erroribus, communis solutio dicit, si Pontifex esset notorius hæreticus, & bis monitus nollet resipiscere, posse tunc à Concilio generali declarari iuridicè hæreticum, & eo ipso à Christo illi auferri immediatè iurisdictionem; sicut è contrario positâ electione Cardinaliũ illi fuerat immediatè concessa; id autem prouenire ex volitione ipsius Christi Domini, de quâ constat auctoritate communi Doctorum, & traditione Ecclesiæ, quæ id videtur sentire: & alioquin fuit valdè congruũ, vt Christus ita institueret: & per hoc respondetur ad vltimam rationem aduersæ partis, quòd scil. non esset remedium in Ecclesiâ; iam enim ostendimus quale illud sit. Quòd si Pontifex esset hæreticus purè internus aut externus, per accidens tamen, occultus, sine dubio non esset priuatus iurisdictione, non quidem per potestatem humanam, quia nulla est supra ipsum; non per voluntatem Christi, quia de tali volitione nullo modo constat, &, vt paulò antè dixi de Episcopis, non erat id expediens ob occultam per se hæresim; ob occultam verò per accidens.

68. *Satisfit Primo argumento. Superioribus inferioribus Papâ si sint notorij hæretici obediẽtia nõ est, si occulti, est;*

69. *Papa notorius hæreticus bis monitus, & non resipiscens, potest à Concilio hæreticus declarari: & hac ipsa à Christo iurisdictione priuatur.*

in

Digitized by Google

in Papâ per excommunicationem eius vsus impediri non potest, sicut in Episcopis; ideò absolutè & vsum & potestatem retineret.

70. *Occurritur Secundò.*

Ad Secundum argumentum, quòd fides sit fundamentum spiritualis ædificij, fatemur id libenter in ordine ad sanctificationem interiorem, negamus verò in ordine ad potestatem tam respectu aliorum quàm respectu Sacramentorum; nam de fide est, consecrationem Sacerdotalem & Episcopalem non amitti in hæretico; & tamen illa consecratio magis est supernaturalis quàm potestas legislatiua: solùm ergo pro his requiritur fundamentum Baptismi, fides verò non; nam accipere etiam de nouo validè potest hæreticus Sacramentum Ordinis tam Sacerdotalis quàm Episcopalis, esto non licitè.

Consecratio Sacerdotalis & Episcopalis non amittitur in hæretico.

SECTIO VI.

Comparatur potestas legislatiua Canonica cum ciuili.

71. *Potestas legislatiua Canonica excellentior est ciuili.*

CIrca quod Primò quærimus, an potestas legislatiua Canonica sit excellentior potestate ciuili. Respondeo breuiter ex his quæ diximus sæpè in hac materiâ, omnino esse excellentiorem. Primò, quia res quæ ad animam spectant, sunt maioris momẽti quàm quæ ad corpus. Obijcies tamen: Etiam leges ciuiles respiciunt animam: etenim sicut leges Canonicæ obligant in conscientiâ, ideóque dicuntur respicere spiritum; ita etiam ciuiles, iuxta dicta suprà, obligant in conscientiâ, ergo respiciunt etiam animam. Respondeo non dici leges Canonicas respicere animam, eò quòd obligent in conscientiâ, sed quia materia legum Canonicarum de se ordinatur ad bonum animæ immediatè, vt infrà dicetur. Secundò, ideò est excellentior ea potestas Canonica, quòd sit à Christo immediatè concessa: Tertiò, quòd sit quodammodò supernaturalis, vt suprà vidimus: Quartò, quia non possit esse in feminis; non solùm quatenus feminæ de facto nullo modo sunt capaces consecrationis & Ordinis tam Sacerdotalis quàm Episcopalis, vt in materiâ de Ordine ostenditur contra aliquos hæreticos, sed etiam quatenus iurisdictionem ipsam vniuersalem significat, vt à Christo conceditur; quia hæc dicit respectum ad Episcopum vniuersalem: & licet actus non requirat Ordinem, requirit per se capacitatem illius: ergo femina, quæ est incapax eius Ordinis, etiam erit & iurisdictionis vniuersalis. An autem aliquando possit Papa committere alicui feminæ iurisdictionem aliquam Ecclesiasticam, dubium est aliò spectans; in quo id non expedire vllo modo certum arbitror: cur autem absolutè Pontifex non possit feminæ committere, vt tradat aliqua mandata, etiam quæ ad animam spectant, & Abbatissis concedere iurisdictionem in suas Moniales, prout habent alij Prælati Religiosi in suos, planè non video; nam ex naturâ rei certum est id non repugnare: sicut enim in ciuilibus possunt habere iurisdictionem, etiam possunt in spiritualibus; quia etiam illæ spiritu & ratione constant: ex iure verò diuino nihil certi constat, quia nec in potestate traditâ Petro ea limitatio continetur; nec deinde est id ab Ecclesiâ definitũ, ergo, sed de hoc alibi. Quintò, excedit ea potestas Canonica ciuilem, quod nõ possit laicis communiter dari. Dico *communiter*; nã, quòd omnino necessaria sit ex iure diuino prima tonsura ad eam iurisdictionem, nullatenus probari potest; ideò non dubium posse Pontificẽ eã concedere laico, si plenitudine potestatis vtatur. Hoc tamẽ certum, ad hanc potestatem requiri characterẽ baptismalem: nam sicut Baptismus est ianua ad subiectionem Ecclesiasticam; ita ad iurisdictionem; in eo enim ordine requiritur, vt membra & caput pertineant ad vnum totum; per solum autem characterem baptismalem connectuntur homines inter se: cuius rei ratio à priori in solam Christi voluntatem reiicienda est: si enim ille voluisset, potuisset dare Ecclesiæ directam potestatem etiã in non baptizatos; potuisset etiam permittere, vt & non baptizati eam haberent in baptizatos; quia Baptismus non est ex naturâ rei ad eam potestatem requisitus; imò neque ad suscipienda alia Sacramenta; constat autem de eâ Christi voluntate per traditionem Ecclesiæ.

Qui iux Canonica respiciat animam.

Est immediatè à Christo data & supernaturalis

Non potest esse in feminis.

72. *An, & quali iurisdictione Papa possit feminis committere.*

Non potest concedi laico communiter.

Cur character Baptismi requiratur ad eam potestatem.

73.

Iam Secundò quæri potest, an ita potestas Canonica sit nobilior ciuili, vt etiam supra illam habeat iurisdictionẽ aliquam: aliud enim est, Marchionem v. g. esse nobiliorem Equite; aliud habere supra illum iurisdictionem. Responsio inter Catholicos omnino certa est, Romanum Pontificem habere in rebus omnibus Ecclesiasticis iurisdictionem etiam supra Reges & Imperatores Christianos; quia & hi sunt oues Christi, & comprehenduntur voce illâ *oues meas*, quas pascendas Christus tradidit Petro: quo sensu etiam Episcopi, ad quorum diœcesim Rex aut Imperator pertinet, hoc ius in illos habent, quia sunt oues illorum immediatè, nisi aliquando per Summum Pontificem excipiantur. Secundò certum est, habere Pontificem Ecclesiasticam potestatem coërcendi illos per excommunicationem, quando aliter in officio contineri non possunt: id quod in Ecclesiâ perpetuò fuit obseruatum: & constat ex eo; nam sicut illi subduntur iurisdictioni Ecclesiasticæ in ordine ad absolutionem & retentionem peccatorum in foro interno confessionis, ita etiã in externo per censuras, de quâ re fusè cõtrouersistæ contra hæreticos huius maximè temporis. Certum Tertiò est indirectè habere potestatẽ supra illos in rebus ciuilibus; casu quo in eis aliquid religioni aut animarum saluti contrarium efficiant. Ratio huius videtur esse manifesta; nam ita tẽporalia debent administrari, vt non impediant spiritualia, quin potiùs ea iuuent: non enim spiritus propter corpus, sed hoc propter spiritum; vnde necessum fuit vt Ecclesia posset eos excessus frenare, si non posset rationibus & monitionibus, saltem censuris, si verò neque his, priuando illos suâ potestate, dandoque aliis sæcularibus licentiã, vt possint etiam vi eos priuare iurisdictione, Regno, &c.

Potest eos etiam excommunicare.

habet etiã in rebus ciuilibus indirectè in eos imo.

74.

Dices: Etiam è contrario spiritualia ita sunt tractanda, vt non impediant corporalia seu politicam Reipublicæ administrationem; ergo debebit etiam ex hoc capite ciuilis potestas habere indirectam iurisdictionem supra Ecclesiasticam; vt casu quo Episcopus v. g. præciperet aliquid quod turbaret Rempublicam, posset à Rege remedium adhiberi. Respondeo negando sequelã ob duplicem disparitatem. Prima est, quia in potestate Ecclesiasticâ, cùm Monarchica sit, facilè est inuenire remedium in excessibus inferiorum Episcoporum recurrendo ad Summum Pontificem; qui supra omnes iurisdictionem habet: in ciuilibus autem hoc refugium non est ita facile, quia innumeræ sũt iurisdictiones omnino exemptæ in temporalibus; in eis autem non esset vllo modo

Disparitas, cur possint temporalia à spiritualibus impediri posse, non autem contrario.

Digitized by Google

modo possibile recurrere ad Superiorem, quia nullus est: quòd verò in Papâ non possimus recurrere ad alium Superiorem, esto esset id inconueniens, quia tamen solùm in vnicâ est personâ nõ exigit per se aliud remedium; quia in omnibus omnino omnia mala præcauere est moraliter impossibile inter homines. In ciuilibus verò, quia, vt dixi, cõtingit id in multis, valdè necessum fuit

75. statuere remedium aliquod. Addo tamen id non esse inconueniens in Papâ, quia cùm habeat assistentiam Spiritus sancti, ad cognoscenda quæ sint iusta & iniusta, in eisque errare non possit, eo ipso quòd ille definiat, *Hæc materia legis est honesta, & consequenter non est contra bonam administrationẽ Reipublicæ*; quia quod absolutè hîc & nunc honestum est non potest esse Reipublicæ contrarium, iam cessat omnis iusta querela in ciuili potestate: quòd si fortè nihil in eo puncto definiens in actu exercito aliquid mandet, quo sensu capax videtur esse alicuius erroris, in praxi scil. ideóque aliquid iniustum præcipiat, poterit tunc potestas ciuilis nolle id facere & vti iure defensionis iustæ, licet non possit vt iurisdictionem in Papam habens aliquid efficere. Secunda disparitas, ob quam negari potest ea consequentia, est, quia potestas Ecclesiastica per se supponitur in personis Deo magis dicatis, quàm sit potestas ciuilis; ergo magis debent præsumi Ecclesiastici nihil effecturi contra conscientiam quàm laici, vnde cùm inuicẽ subiectæ esse non possint, quando ad punctum conscientiæ veniretur, quia tunc neutra cederet alteri; expediès fuit, vt secularis esset Ecclesiasticæ subiecta, nõ verò vt è contrario, quia id, vt dixi, est quodammodò impossibile: ex duobus ergo periculis minus est eligendum.

Quãdo & quomodo potestas ciuilis Pontificia resistere possit.

Secunda disparitas.

Cur ciuilis Ecclesiasticæ subiecta.

Hîc poterat obiici, in lege veteri non fuisse

76. Sacerdotem summum supra Regem, sed è contrario; vt patet in Salomone, qui deposuit Abiathar, eius loco substituẽdo Sadoch, & ex aliis locis, in quibus ad mandatum Regum comparebat summus Sacerdos, huc illucque mittebatur; non tamen è contrario vmquam dicitur Rex obediisse Sacerdoti. Respondeo tamen, in his rebus, quæ ex voluntate instituentis pendent, non esse argumentum bonum ex vno casu ad alterum, quia Deus in vno voluit sic, in alio sic: quòd si voluisset, potuisset è contrario in lege gratiæ subiicere Papam Imperatori, noluit tamen, quia cùm Petrum relinqueret Vicarium suum, voluit hunc illi honorem conferre, vt non subiaceret Regibus, sed è contrario præesset modo explicato: est etiam optima huius congruentia; nam cùm in lege gratiæ futuri erant multi Reges independentes, neq; esset maior ratio, cur huic quàm illi Pontifex subiiceretur, connaturalius fuit, vt esset omnibus superior. Quæ ratio in lege veteri, in quâ vnicus tantùm erat Princeps, non habuit locum.

Cur in veteri lege summus Sacerdos fuerit subiectus Regi, id verò Rex Papæ.

Obiicies adhuc ex dictis suprà: Ecclesiastici

77. sunt legibus ciuilibus subiecti, quatenus hæ non obsunt libertati Ecclesiasticæ. Quæ doctrina locum haberet in Pontifice, casu quo non esset simul temporalis Dominus loci vbi manet: vnde ante Siluestrum videntur Pontifices fuisse obligati ad seruandas eas leges: si v. g. habebant ex eleemosynis vel decimis vel alio modo frumentum, non poterant illud cariùs vendere quàm per leges publicas erat præscriptum; vel si ob famem prohibitum erat, ne foras extraheretur, non poterat ob magnus lucrum, nisi grauior aliqua necessitas foris occurreret; cui vt vniuersales Pastores deberent succurrere; non iniquum, poterant licitè foras mittere frumentũ vt cariùs illud venderent: ergo iam ipse Summus Pontifex est subiectus potestati ciuili. Respondeo, eam subiectionem, si datur, non esse contra ea quæ hîc tradimus; quia neque est vllo modo quoad personam propriam, nec est coactiua: præterea solùm est in his, quæ cum libertate Ecclesiasticâ non opponuntur; vnde est vadè exigua & magis respiciens res Pontificis quàm ipsum Pontificem.

An ante Siluestrũ Papã Pontifices fuerint legibus ciuilibus subiecti; & quomodo.

Tertiò circa eas potestates quæritur, an possit vtraq; potestas, legislatiua, ciuilis & Ecclesiastica; in vnam personam coniungi. Dicendum Primò contra hæreticos aliquot huius temporis, Reges quà tales non esse eo ipso Sacerdotes, vt Henricus Octauus impiè sibi vsurpauit titulum capitis Ecclesiæ Anglicanæ: de quâ certâ veritate fusiùs controuersistæ.

An vtraq; potestas possit vni conferri. Reges quà tales non sũt eo ipso Sacerdotes.

Dicendum Secundò etiam contra aliquos hæ-

78. reticos, eas dignitates non repugnare inter se, sed posse in vnam personam coniungi; vt patet in Summo Pontifice, qui simul est temporalis Dominus multarum Prouinciarum: & in aliis Episcopis inferioribus id reperitur; habent enim vtramque simul iurisdictionem.

Multi Episcopi habent vtramque.

Dices: Christus Lucæ 22. discipulis prohibuit ne dominatum haberent: *Reges Gentium dominantur eorum: vos autem non sic.* Respondeo ibi non excludi dominium temporale, sed malum vsum illius. Respondeo Secundò dari ibi consilium discipulis ne affectent primatum. Quæ doctrina tam ad Ecclesiasticum quàm ad ciuilem primatum extenditur; ne scil. quis se in illum intrudat, sed, quãtum est ex se, optet omnibus subesse. Eodem modo explicandus est Bernardus cap. 6. lib. 2. de Consideratione ad Eugenium; vbi negare videtur Papæ dominatum.

Locus Lucæ 22. explicatur.

vt & mens Bernardi.

Dices Secundò: Paulus ait 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus:* vnde etiã ratio desumi potest contra eum dominatum, quia non potest vtrique perfectè satisfieri. Respondeo, Paulum non remouere ab Ecclesiasticis negotia sæcularia; nã in rigore omnes Christiani militant Deo, & tamen necessum est vt tractent sæcularia; solùm ergo vult, ne se ita tradant eis negotiis, vt impediantur à rebus maioris momenti. Ad rationem inde deductam dico, ea duo posse commodè administrari vtendo diuersis ministris, per quos ad id iuuetur.

Expenditur intentum Pauli.

Dices Tertiò: Nicolaus Papa in Epistola ad Michaëlem dicit, olim eas duas dignitates fuisse coniunctas, diuisas verò à Christo. Respondeo ibi solùm denotari Christum eas non coniunxisse positiuè; per hoc tamen non asserit prohibuisse ne coniungerentur.

item Nicolai Papæ.

Hinc dicendum Tertiò, eas dignitates posse

79. aliquando reperiri solas, aliquando coniunctas: ita enim ante Siluestrum Papæ non habuêre vllam ciuilem iurisdictionem; Imperatores verò & Reges ordinariè nullam habent Ecclesiasticam; nunc verò Papa vtramque habet, & aliqui etiam Episcopi, vt diximus. Alij è contrario Episcopi sunt, qui nullam habent ciuilem potestatem.

***

DISPV

DISPVTATIO XIX.

De materiâ legis Canonica.

SECTIO I.

In quo ea materia differat à materiâ legis ciuilis.

1. RATIO dubitandi desumitur ex eo, quòd ius Canonicum etiam intendat externam pacē & iustitiæ conseruationem; vnde multa præcipit pertinentia ad ordinem causarum & contractuum; ergo non differt à materiâ legis ciuilis saltem ex hac parte. Respondeo, rem hanc facilem valdè esse; etenim certum est, legem Canonicam aliquando coincidere in materiam legis ciuilis, sed diuerso tamen respectu; quia ciuilis eam ordinat ad politicam administrationē Reipublicæ, Canonica verò ad finem supernaturalem; & ex hoc capite cōtingit, vt sæpè etiam circa contractus & causarum decisionem versetur Canonica, vt impediat peccata grauia, quę in illis cōmitti solent; esto illa peccata non turbent politicam pacem Reipublicæ; qui est finis legis ciuilis. & per hoc respondetur obiectioni factæ.

Materia vtriusque legis sæpè est eadē, sed sub diuerso respectu.

2. Addimus præterea, Ius Canonicum etiam habere specialem materiam, in quâ nullo modo versatur ciuile; vt v. g. quæ ad administrationem Sacramentorum spectant, ad celebrationem Festorum, auditionem Sacri, &c. vel ad mysteria credenda, ad cultum Dei, Sanctorum, &c. peccata item, quæ in his materiis contingunt, per se puniuntur ab Ecclesiâ. Aduerto tamen, sæpè, postquā aliqua materia præcepta est lege Canonicâ, posse sæcularem Magistratum punire peccantes contra eam legem; quatenus iam tunc illa peccata sunt etiam contra pacem & quietem Reipublicæ: sic hæreticos declaratos potest punire brachium sæculare; similiter eos qui diebus festis laborant, &c. Id quod cum limitatione intelligendum; nam aliquando ius Canonicum reseruat sibi etiam punitionem talium delictorum; & tunc non potest ciuilis Magistratus se immiscere; item etiam causas, quæ aliquo modo spectare poterant sub aliquâ ratione ad potestatem ciuilem, vt v. g. causas matrimoniales, quatenus etiam dicunt ciuilem & politicum contractum, & ad Reipublicæ pacem maximè ordinantur; reseruauit tamen illas Ecclesia ob reuerentiam Sacramenti, ad quod eleuatum fuit matrimonium à Christo Domino: eodem autem modo potest alias materias sibi reseruare, si ad finem supernaturalem necessaria ea reseruatio videretur; multæ tamen sunt materiæ ciuiles; quæ vix videantur posse reseruari à iure Canonico, vt taxare pretia morcibus, mechanicorum priuilegia concedere, statuta facere Nobilium, prærogatiuas in corporalibus determinare, & similia.

Quā sit materia specialis legis Canonicæ.

Quādo lex ciuilis possit punire delinquentes in lege Canonicâ.

Cur causæ matrimoniales ab Ecclesiâ reseruatæ sint.

Cur Iustiniani Codex multas leges pro Ecclesiasticis contineat.

Obiicies: Ius ciuile maximè versatur circa res quæ Canonicæ dicuntur: nàm in Codice Iustiniani sunt leges de Episcopis, de Monachis, de Clericis, de Ecclesiis, &c. ergo potestas ciuilis extenditur ad omnia, ad quæ ius Canonicum. Varij variè respondent: quidam putant tunc temporis non fuisse personas & bona Ecclesiastica exempta à potestate Imperatorum. Hæc tamen solutio est improbabilis: nam esto ea exemptio esset ex fauore Imperatorum, non ex iure diuino Christi Domini aut naturali debito statui gratiæ; iam tamen Constantinus, Theodosius, Valentinianus & alij Imperatores Iustiniano antiquiores eam exemptionem agnouerunt, nolentes se in causas Episcoporum immiscere, fassi id ad se non pertinere. Alij respondent, eas leges factas consensu Pontificum. Sed hoc non videtur verum, tū quia nec de tali consensu constat: nec Imperator ibi se eo titulo eas tuliſse profitetur; neque est credibile tam amplam & vniuersalem iurisdictionem concessam illi à Pontificibus. Alij Tertiò dicunt eas factas potiùs ad instruendum ministros sæculares de rebus Ecclesiasticis, vt seruare illas & iuuare Ecclesiam cùm oporteret possent, quàm vt ipsos Ecclesiasticos obligarent. Solutio tamen hæc improbabilis mihi videtur, quia cùm leges illæ dicant, *Hoc & hoc debent facere Episcopi, Monachi*, &c. quomodo per eas instrui possunt sæculares Magistratus? certè non vt id ipsi faciāt, quia ipsi non sunt Monachi, neque Episcopi: non vt sciant, quomodo se debeant cum Monachis gerere; tum quia ad hoc per accidens est, scire, quid illi teneantur agere: tum (& hæc est clara impugnatio) quia, si Monachi ad ea non obligantur, ergo neque ex eis poterit scire sæcularis Magistratus quid faciant Monachi, &c.

Ecclesiastici etiā antiquitus exempti à ciuili lege, etsi nō omni.

3. Probabilius fortè cū aliis dicetur, quod etiam insinuat P. Suarez cap. 11. etiamsi præcedentem solutionem absolutè tenuerit, Imperatorem bonâ fide id fecisse, & fortasse voluisse ostendere, quæ ipse iudicaret expedire pro talibus personis, vt postea Pontifex ex eis legibus approbaret, quæ illi placerent: vnde certum debet esse, eas non esse veras leges, nisi aliquæ sint approbatæ à Pontificibus, & in ius Canonicum admissæ: quomodo autem Ecclesiastici teneantur aliquibus legibus ciuilibus, dictum est fusè suprà.

Optima huius rei ratio.

SECTIO II.

Lex Canonica non potest præcipere per se actus merè internos.

4. COmmunis sententia negat cum D. Thomâ hîc q. 91. art. 4. q. 100. art. 9. vbi communiter omnes Thomistæ: multos etiam alios refert P. Suarez cap. 12. n. 14. Salas verò disp. 9. sect. 1. innumeros affert. Est autem fundamentum huius sententiæ, quòd potestas humana non possit ferre leges de actibus, de quibus non potest iudicare, aut quos punire non valet; sed de purè internis iudicare non potest, vt per se patet; quia non potest habere cognitionem eius causæ. ergo, In hoc discursu inuenit meritò P. Suarez magnam rationem dubitandi: etenim multa, quæ ab hominibus iudicari non possunt seu cognosci, possunt tamen per legem puniri & prohiberi: etenim, iuxta communem & veram sententiam, ob hæresim exteriùs prolatam, etiamsi nemine planè audiente, vt si in medio aperto campo demisse quis dicat, *Christus non est sub speciebus consecratis*, idque ita sentiat, incurrit excommunicationem: item tales actus posse etiam esse contra legem ciuilem communis sententia docet; & tamen homo iudicare per sententiam de illis non potest, quia testes nullos habet, nec potest habere; ergo absolutè non benè infertur,

Communis basis huius opinionis minùs firma est.

Multa & prohiberi & puniri possūt ab hominibus, quæ tamen sub humanū iudicium non veniunt.

per

Digitized by Google

Per legem & pœnam ipso facto incurrendam obligari & puniri non posse actus, qui non possunt venire sub iudicium humanum: neq; potest responderi esse per accidens, quòd in eo casu venire non possint sub scientiam humanam, cùm absolutè venire possint, hoc, inquam, dici non potest, quia in ordine ad vim huius rationis tam nihil efficit ea exterior productio, quam si planè nulla esset: nam homo non omnia exteriora, eo ipso quòd talia sint, potest cognoscere, sed debet ad id habere speciem; hac enim ratione interiores actus sunt occulti, quia non emittunt species sui, alioquin naturâ suâ sunt cognoscibiles; sed etiam non mittunt naturaliter species sui ad loca extra sphæram ipsorum naturalem; ergo, quãdo alij omnes homines sunt extra eam sphæram, etiamsi intrà eam producantur species, possumus meritò dicere, eos actus naturaliter non esse ab alijs hominibus cognoscibiles. Confirmo hoc meo iudicio manifestè: Si vnicus homo esset in mundo, & aliquid externum efficeret, nemo, re benè considerata, dicere posset, illum posse iudicari ab hominibus vi eius actus, etiamsi immediatè pòst Deus produceret multos homines: cognitiones enim sensuum non sunt ad ea quæ nõ existunt, naturaliter loquendo, licet diuinitus ad ea etiam extendi possint: atqui etiam, naturaliter loquendo, seu sine miraculo, cognitiones sensuũ non sunt ad eà obiecta, quæ sunt extra sphæram naturalem obiecti, vt etiam in alijs rebus patet: nemo enim dicet, naturaliter loquendo, ignem Pragæ existentem posse hoc momento comburere Romæ stupam: ergo in ordine ad iudicium humanum, Petri v.g. idem est me Petro præsente dicere purè interiùs, *Christus non est in Eucharistiâ*, ac, ipso Petro Romæ existente, dicere hic Pragæ demissâ voce, *Christus non est in Eucharistiâ*. Et, vt verum fatear, ego rem hanc prudenter considerans, & relictis terminis illis *per se & per accidens*, qui non explicantur hîc benè, nullam agnosco omninò differentiam: quomodo autem excommunicatio incutratur per hæresim externam per accidens, vt dicitur, occultam, dicam suo loco fusiùs: suprà etiam id explicui, & paulò pòst aliquid insinuabo.

Quomodo interni actus sint occulti.

Cognitiones sensuum ad quæ obiecta se extendant.

6. Videamus quî eamdem sententiam comprobet P. Vasq. disput. 160. num. 8. ait ergo, Lex est imperium quoddam, in cuius obseruatione conformari debet subditus Superiori: atqui hæc conformatio in eo solùm debet attendi, quod proprium hominum est; id autem est exterior operatio secundùm rationem: nam spiritualis conformatio potiùs est Angelorum quàm hominum: lex ergo humana postulat obedientiam in operibus exterioribus, quæ propria hominum sunt, nec communia cum Angelis.

Argumentũ Vasquez. pro communi opinione.

Hæc ratio meo iudicio debilior est, vel certè relabitur in præcedentem: si enim in eâ dicatur, rem faciendam per legem debere esse propriam illius qui obedit, falsum omnino assumitur, & quidem sine vllo fundamento: nam materia legis solùm requirit vt sit factibilis ab ipso subdito, sine simul vt factibilis ab alio, sine non: id enim proculdubio est per accidens ad rationem legis. Vnde, Deus Angelis non solùm potest præcipere actiones, quæ ex genere suo solùm possint ab ipsis fieri, sed etiam quæ simul possint ab hominibus; vt v. g. externam locutionem cum aliis in assumpto corpore, motum localem, &c. Si verò dicatur in eâ ratione, debere materiam legis esse per se immediatè cognoscibilem ab operante, tunc petitur principium, vel redditur in prius fundamentum D. Thomæ.

Refellitur vt debile.

Quî oporteat materiam legis esse factibilem.

Deus potest Angelis præcipere actiones & ab ijs ipsis & ab alijs factibiles.

Placet ergo mihi valdè discursus P. Suarez n. 7. cap. 12. scil. rationem eius communis sententiæ nullatenus desumendam ex repugnantiâ naturali eius iurisdictionis in actus purè internos, quia reuerà nullo modo ea videtur repugnare: id quod duplici viâ possumus ostendere; vnâ, quam Suarez insinuat; quia Christus Dominus, qui habuit iurisdictionem in actus purè internos, potuit etiam eam communicare Ecclesiæ: quod sic ego declaro, Christus Dominus immediatè per se præcipere potuit actus purè internos, & de facto præcipit actus fidei, spei, &c. item de peccatis purè internis posuit præceptum confessionis, ergo potuit eam potestatem concedere Ecclesiæ. Patet consequentia, quia qui potest dicere, *Ego mandò tibi Petre hunc actum*, potest dicere Antonio, *Da tibi potestatem vt tu mandes, si velis, Petro hunc actum*: etenim per hoc mediatum imperium non redditur actus difficilior, nec mandatum grauius, ergo.

7. *Discursus Suarij bonus. Ecclesia non repugnat naturaliter iurisdictio in actus purè internos.*

8. Secunda via, quâ idem possumus probare, est, attendendo ad iurisdictionem, quam ex naturâ rei, independenter ab eo quòd Christus quidquam statuisset, habet communitas humana: diximus enim suprà, ex naturâ rei homines conuenientes in vnam communitatem posse eligendo vnum caput ei concedere auctoritatem in actiones externas ad bonum Reipublicæ politicæ, & hanc diximus esse ciuilem; addidimus etiam, eodem modo posse transferre in illud caput, vel aliud diuersum, iurisdictionẽ in ordine ad cultum Dei, sacrificia, &c. & hanc diximus Ecclesiasticam: huius verò doctrinæ rationem vlteriorem reddidimus, quia quilibet potest cedere iuri suo in eas actiones, & obligare se ad illi obediendum in eis: atqui homo non minùs habet iurisdictionem, vt sic dicam, seu tam est dominus suarum actionum internarum quàm externarum; ergo ex naturâ rei non minùs potest in alium transferre iurisdictionẽ in internas purè quàm in externas: quòd enim vim coactiuam transferre non possit, eò quòd coactio nõ potest esse ad rem occultam, parum obest: & suprà diximus, sæpè posse eas duas iurisdictiones separari. Deinde posset etiam ea iurisdictio in actus purè internos ita transferri, vt si Superiori constaret aliquando vel ex confessione illius rei, vel per reuelationem, de eâ transgressione internâ, haberet ius eam puniendi: ergo de possibilitate huius iurisdictionis ex rei naturâ in actus etiam purè internos meo iudicio dubitari non potest; vnde non debet communis sententia probari ratione desumptâ ex repugnantiâ talis iurisdictionis.

Communitas potest transferre in aliũ iurisdictionẽ suarũ aliquãm tam internarum quàm externarum.

Cur vis coactiua in aliũ transferri nequeat.

Dicendum igitur est de facto Christum Dominum non tradidisse Ecclesiæ iurisdictionem in tales actus purè internos: quod probatur quasi negatiuè, quia de tali concessione in Scripturâ nullum est vestigium: imò, quod grauius est, expresè ipsi Pontifices, qui non solent suam iurisdictionem negare aut restringere, concedunt semper se non habere vim in actus purè internos, vnde numquam de eis legimus latam legem; neq; item eam iurisdictionem intelligimus concessam ab ipsâ communitate, iuxta secundum modum, quem diximus ex naturâ rei posse fieri; quia de facto in Ecclesiâ, eò quòd Christus concesserit Pontificibus iurisdictionem, non agnoscimus vllam aliam concessam à communitate vniuersalem toti Ecclesiæ. Dico *vniuersalem*, quia

9. *Optima conclusionis ratio: Christus non dedit Ecclesiæ iurisdictionem in tales actus, neque communitas.*

Digitized by Google

ostendi suprà, valdè probabile esse, Monachos olim in desertis conuenientes in vnum, & eligentes caput, à quo in rebus etiam ad salutem spiritualem pertinentibus regerentur, aliquam illi concessisse iurisdictionem spiritualem in se; licet fortè hic posset esse quæstio de modo loquendi, an ea dicenda sit iurisdictio, nec ne. Congruentia pro eâ sententiâ satis magna est, quia, esto ea iurisdictio in actus internos dari simpliciter posset, conuenientius tamen est, vt solùm detur in ordine ad eos actus, qui per se pertinent ad homines vt constituentes vnam communitatem, quam non constituunt per actus purè internos, quia hi non sunt visibiles.

Congruentia, cur ea non sit data.

Sectio III.

Obiectio præcipua contra dicta: vbi, an possint præcipi actus interni simul cum externis.

10. COntra hanc sententiam communem stant nonnulli, qui censent, Ecclesiam de facto habere iurisdictionem in actus purè internos: pro quâ referunt P. Vasq. suprà cap. 1. & Suarius n. 3. Glossam in Clement. 1. de hæret. Adrianum, Albertum Pighium, Rosellam & Ioannem Medinam Cod. de Oratione q. 15. & Salas eâ disp. 9. sect. 1. citat multos alios: quorum aliqua fundamenta exigunt diligentem examinationem.

Achilles aduersariorum.

Primum & præcipuum est; nam Ecclesia præcipit attentionem in recitandis Horis Canonicis; ergo præcipit actum purè internum. Patet consequentia, quia actus ille attentionis nullatenus manifestatur per actionem exteriorem: nam tota recitatio & compositio exterior corporis potest fieri, etiamsi nulla intercedat interior attentio: Hoc argumentum grauissimam habet difficultatem, & quæ vehementer vexat auctores sententiæ communis, quam suprà defendimus; ideò eorum solutiones examinandæ sunt.

Subsectio I.

Quid Pater Suarez respondeat.

11. QVi cap. 13. refutatis aliorum sententiis, dicit actus internos, etiam qui non manifestantur per actionem externam, aliquando esse necessarios ad actionem externam secundùm esse morale, secundùm quam præcipiuntur ab Ecclesiâ: vt v. g. Ecclesia præcipit orationem, oratio necessariò dicit attentionem tamquam formam: est enim oratio quoddam totum constans formâ inuisibili & materiâ visibili: quod sufficit vt præcipi possit: eodem modo loquitur de contractu, qui dicit voluntatem veram contrahendi, etiamsi illa non manifestetur necessariò per verba exteriora, quia illa possunt dici sine animo contrahendi; & tamen etiam sæcularis potestas præcipere potest contractum, quia potest obligare ad vendendum frumentum, merces alias, &c. Item attentio interior baptizandi est necessaria ad esse morale Baptismi; non enim sufficit sola voluntas proferendi verba & exercendi ablutionem: quæ sola intentio manifestatur per eas actiones exteriores: & eodem modo ad actionem externam confessionis requiritur integritas, id est, vt omnia etiam interiora peccata dicantur; requiritur etiam dolor interior, alioquin non est confessio, sed pura narratio: in his ergo casibus docet, Ecclesiam posse præcipere actus internos.

Quando Ecclesia possit actus interiores præcipere ex mente Suarij.

quando nihil.

Quòd si interni actus ita se habeant cum exteriore actione, vt non sint necessarij ad vllum effectum moralem aut quasi artificialem illius, tunc sentit, nõ posse præcipi eum actum interiorem ab Ecclesiâ. Quam doctrinam eodem modo fusè etiam tradiderat idem P. Suarez Tomo 1. de Censuris disp. 4. sect. 2. à num. 23.

12. Ego tamen, vt verum fatear, arbitror, in eâ supponi id quod probandum esset; item, non esse consequentem ad alia principia, quæ in vtroque loco ab eodem P. Suario traduntur. Et quia multi videntur hanc explicationem tenere, oportet diligentiùs eam examinare. Pro quo aduerte, aliquando à nobis poni voces aliquas, quibus simul duo, quæ inter se non sunt alioqui connexa, significamus per modum vnius; vt in denominationibus extrinsecis omnibus contingit; vt cùm dico, *Petrus est similis Paulo in albedine*, significo albedinem vtriusque; quæ tamen inter se sunt planè independentes; similiter cùm dico *Petrus est iunior Paulo*, significo non solùm annos Petri, sed etiam Pauli, & dico illos esse v. g. decem, hos duodecim: item, vt accedamus magis ad materiam nostram, quando dico *studium*, vtrè significo duas res diuersas, nempe lectionem externã libri docti, & animum inde discendi ea quæ continentur in eo libro; etiamsi tota ea lectio exterior sit independens ab eo animo discendi: similiter hæc vox *oratio vocalis* significat duos actus realiter distinctos, quorum vnus est independens omnino ab alio, scil. attentionem interiorem precandi, & prolationem illorum verborum: quæ prolatio omnino est ex se independens ab interiori attentione, esto à nobis, vt dixi vtrũque vno nomine comprehendatur: quo sensu possemus nos etiam inuenire vocabula, quæ eodem modo cum actionibus externis significarent per modum vnius omnes omnino actus internos, qui possunt iungi per accidens cum externo; sic in rigore Scholastico docente, amorem amicitiæ debere respicere amicum propter se, & non sufficere illi beneficium vtcumq; conferre, etiã propter Deum: in hac, inquã, sententiã, *Donatio amica, conuersatio amica*, habet duo obiecta per modum vnius, nempe externam donationem, & affectum sistentem in ipso, cui donatur: è contrario *donatio concupiscentiæ* significat alterum affectum non sistentem in donatario & simul externam donationem pecuniæ aut bonorum animo obtinendi dignitatem: vno verbo, eodem modo possumus inuenire vocabula ad significandum per modum vnius totius moralis seu artificialis, vt loquitur P. Suarez, omnes omnino actus internos, qui possunt externam actionem denominare; siue connexi sint cum illâ, siue non.

Inconsequentia hic arguitur Suarez.

Aduertit hic quadam author circa voces.

Confirmat illa aliis vocabulis.

13. Hinc infero Primò contra P. Suarez, eum minùs benè fecisse distinctionem inter eos actus internos, qui sunt necessarij ad aliquod totum morale seu artificiale, & eos qui non sunt necessarij, quia reuerà omnes omnino habent totũ aliquod, ad quod sint necessarij, illud scil. quod resultat ex actione illâ exteriori & denominatione ab interiori proueniente, etiamsi fortè Latini aut Scholastici non destinauerint adhuc aliquam vocem specialem ad illud totum significandum; id quod per accidens est ad quæstionem præsentem: nam Scholastica hæc disputatio de iurisdictione Ecclesiæ in eos actus non pendet ab inuentione vocum Latinarum aut Hispanarum; aliunde

Ostenditur malè distinxisse Suarez inter eos actus internos.

Digitized by Google

allunde autem in vtroq; casu actus exterior est omnino independens ab interiori, à quo eam denominationem accipit: id quod ipse P. Suarez concedit. Præterea, in vtroque casu dicere possumus esse vnum quid compositum ex formâ spirituali inuisibili & materia visibili, vt loquuntur aduersarij: vnde vlteriùs etiam dici potest id esse sufficiens vt ab Ecclesiâ possit mandari, quia absolutè illud totum est visibile ratione materiæ, vt ipsi loquuntur, in vno casu, & reuerà eodem modo vim habet in altero. Et, vt res magis clarè appareat, ponamus exempla aliqua, in quibus id negant hi auctores.

14. *An possit ab Ecclesiâ præcipi datio eleëmosynæ, ne fiat ob vanam gloriam.*

Primum sit de largitione eleëmosynæ, quam dicunt non posse ab Ecclesiâ præcipi, ne fiat ob vanam gloriam, quia inquiunt, talis prohibitio esset purè actus interni. In hoc ego sic argumentor: Ea eleëmosyna vt sic data ex eâ intentione efficit vnum totum, quod vocatur vana donatio pecuniæ; è contrario, si actus virtutis eleëmosynæ quà talis petit, vt quis det propter honestatem, quæ reperitur in eleuandâ miseriâ pauperis, profectò donatio illa ob vanam gloriam tam reuerà non est eleëmosynæ actus, quàm auditio exterior Sacri, aut recitatio Breuiarij sine attentione non est oratio. in quo puncto, ablatis vocibus, non poterit vlla disparitas de re assignari: ergo sicut Ecclesia, quia præcipit orationem, compræcipit attentionem internam; ita, quia præcipit eleëmosynam, compræcipiet affectum subleuandi miseriam vt sistentem ibi; cúmq; in sententiâ Patris Suarez non possit actus esse ob duos fines, excluditur illa vana gloria: vel certè demus vlteriùs, quòd ea vox *eleëmosyna* significet non solùm affectum sistentem in honestate subleuationis, sed etiam carentiam vanæ gloriæ, vt potuit significare (éstque per accidens, quod id actu non significet;) ergo præcipiendo eleëmosynam compræcipit eam carentiam vanæ gloriæ.

15. *An ab eadem pro hac vel illâ intentione ieiunium præcipi possit.*

Alterum exemplum sit in oratione exteriori aut ieiunio pro hac vel illâ intentione; aiunt enim, non posse ab Ecclesiâ præcipi vt ob eam intentionem fiat: eo enim ipso quòd honestè alioquin fiat non potest Ecclesia imponere finem illum, quia est purè internus. In hoc sanè exemplo, si res benè perpendatur, est eadem omnino ratio. quod clarè sic ostendo: Nam ieiunium illud vt factum sub hac intentione, v.g. oblatum in satisfactionem pro animabus Purgatorij, constituit hoc totũ morale, nempe *succurrere indigenti*, seu *satisfacere pro illo*: apparet v.g. anima alicuius piè defuncti; petit sibi aliquot Sacra; Pontifex mandat ea fieri & offerri pro eâ intentione; profectò habet tunc actionem externam, nempe eleëmosynam, vt sic dicam, pro illâ animâ, ad quam exigitur necessariò, vt pro illâ applicetur: cur ergo, sicut ibi præcipit orationem per modum totius ex interiori attentione & externâ recitatione, hîc non poterit Sacra aut ieiunia, vt eleëmosynam spiritualem constituunt, constantem ex externâ actione & exteriori oblatione pro eo fine? idem eodem modo potest in aliis exemplis ostendi; sed hæc sufficiant; quæ magis declarabuntur in secundâ illatione.

Idem est de Sacro.

16. *Arguitur Suarez. Secundò.*

Ea autem sit, à P. Suario supponi in solutione id quod deberet probari: etenim aduersarij dicunt, non posse Ecclesiam præcipere orationem secundùm totum quod dicit, sed solùm recitationem externam & volitionem illius indirectè; eodem modo dicunt, illud totum morale vt totum non posse præcipi, quia vt sic dicit aliquid purè internum, quod nullo modo exteriùs prodit. P. verò Suarez statuit in antecedenti vnum totum, in quo includitur attentio, & supponit illud totum posse ab Ecclesiâ præcipi; vnde proculdubio rectè sequitur, posse attentionem præcipi, perinde ac si dum disputaretur, vtrùm homo haberet potestatem in animam, diceretur, *Homo habet potestatem in totum hominem*, & ea propositio non probaretur ampliùs, haud dubiè peteretur ibi principium; admissâ verò illâ, rectè sequeretur, hominem habere ius in animam.

17. *Ratione contra eumdem agitur.*

Argumentor vlteriùs ratione, quâ ipse vtitur ad probandum, alios actus, qui non videntur constituere totum morale, non posse imperari ab Ecclesiâ; ait enim: Si ille actus exterior est bonus secundùm omnes externas circũstantias, non potest iudicari malus, nisi temerè præsumendo malam intentionem; vnde vlteriùs infert, non posse ob illum actum imponi censuram vllam: vnde sic argumentor: Si quis recitando Officium seruet in pronuntiatione & aliis circumstantiis omnia requisita, proculdubio erit ille actus externus bonus; & non poterit iudicari malus, nisi iudicio temerario, & præsumendo carentiam attentionis: quæ præsumptio in foro externo est mala, quia non debet de vllo præsumi malitia: id autem est verum, siue ea recitatio dicatur oratio, siue non: ergo Ecclesia non potest habere ius in eum actum qui deest, nec poterit excõmunicare, aut aliam censuram ferre, ob defectũ illius actus. Tertiò idem vrgeo etiam ratione ipsius in aliis exemplis; ait enim pro publicâ Ecclesiæ administratione & gubernatione sufficere, si actio exterior vt talis sit bona, etiamsi denominetur coram Deo mala ab interiori. At hæc ratio eodem modo vrget pro oratione: sufficit enim pro gubernatione Ecclesiæ, quòd illa recitatio sit exteriùs vndequaq; honesta, esto coram Deo non sit oratio: ergo antecedens, quod supponit Suarez, non videtur esse verum. Aduerto item, ab eo inter alia exempla suæ doctrinæ poni votum castitatis; ad quod emittendũ obligat Ecclesia in susceptione Ordinis sacri: vbi maximè miror, quo pacto illud votum reducat cum externâ susceptione Ordinum ad aliquod totum morale aut artificiale externum; quia adhuc longè minùs censetur informare votum actionem externam quàm alij actus, quos fusè negat vllo modo ab Ecclesiâ præcipi posse. Quòd si dicat constituere dignam susceptionem Ordinum, in primis reiicietur, quia ex se sine illo voto esse potest digna; deinde eo titulo omnes actus internos charitatis spei, &c. posset tunc Ecclesia præcipere, vt constituentes dignam susceptionem eius Sacramenti. Secundò, inde habet maiorem difficultatem illud exemplum, quòd Ecclesia ibi nihil præcipiat externum, ratione cuius compræcipiat illud votum; etenim susceptio externa est voluntaria; ergo tunc purè putè præcipitur actus internus. quod ipse meritò negat.

Retorquetur ratio eiusdẽ.

18. *Exemplum de voto castitatis nil faciet Suario.*

SVBSECTIO II.

Quid Pater Vasq. & alij respondeant.

19. Videamus quid alij sentiant. Pater Vasquez secutus Paludanum, Durandum, Gabrielem & alios, docet, in casu orationis attentionem non esse obligatoriam ex præcepto Ecclesiastico, sed ex præcepto diuino aut naturali; quia oratio ex se postulat iure diuino attentionem,

Digitized by Google

ita vt veniale saltem sit orare sine illâ, quando oratio exterior non est sub præcepto, quia fit irreuerentia aliqua Deo; quando verò oratio est sub præcepto, tunc mortale esse orare sine attentione. Infert autè P. Vasq. ex hac doctrinâ duo: Primum, si attentio horarum requiratur ex præcepto diuino prohibente distractionem animi, tunc orare sine attentione esse peccatum commissionis, non omissionis; quia præceptum affirmatiuum solùm respicit externam recitationem; quæ tunc, vt supponimus fit; & per negatiuum præceptum prohibetur distractio: si verò præceptum orandi sit de iure diuino, & respectu Sacerdotum Ecclesia solùm determinauerit orandum esse, tunc putat, non orare cum attentione esse peccatum omissionis. Absolutè autem ipse iudicat ibi esse duo præcepta diuina: alterum negatiuum, non recitandi sine attentione, propter irreuerentiâ; & hoc solùm esse veniale, etsi oratio sit sub præcepto: alterum verò affirmatiuum, nempe orandi cum attentione; & hoc posse esse mortale, quando omittitur notabilis aliqua materia. Porrò esse duo ea peccata patet; quia aliqua est irreuerentia proferre verba, quibus cum Deo loquimur sine attentione. Quòd verò sit præceptum affirmatiuum orandi cum attentione probatur, quia alioquin Sacerdos orans sine attentione non teneretur posteà Officium repetere, & illud dicere attentè, quod est apertè falsum. Alterum, quod infert, est, beneficiarium, qui non orat attentè, non facere fructus suos; non quia ad attentionem obligetur præcepto Ecclesiæ, sed diuino: quia qui de altari viuit, tenetur etiam seruire altari; & sicut alitur fidelium eleëmosynis, tenetur etiam pro fidelibus orare.

20. *Duo præcepta diuina ponit Vasq. in tali oratione.*

21. *Reijcitur à Salas & auctore.*

Ecclesia solam recitationem externam præcipit.

Contra hanc doctrinam multis agit P. Salas suprà: ego, omissis eius argumentis, sic eam reijcio; Primò, quia committitur in eâ idem vitium, quod in præcedenti, dum supponitur ab Ecclesiâ præcipi posse orationem; dicimus enim ab eâ non præcipi nisi recitationem eam externam, de cuius conceptu non est vt sit oratio: neque habet ibi locum id quod dicitur de irreuerentiâ; nam esto, quando homo vult loqui cum Deo, eo ipso teneatur habere attentionem; at non est necessum, vt homo vi præcepti Ecclesiæ reciter Psalmos eo animo, sed poterit illo eodem, quo quis dum studet, aut ob alium finem legit Psalterium: quòd si ab Ecclesiâ non potest præcipi recitatio quâ oratio est, quæ est loquela cum Deo; ergo frustrà laboratur dicendo, de conceptu orationis & loquelæ cum Deo esse eam attentionem; nam totâ hac maiori propositione concessâ negabitur minor; id est, *Præcipitur oratio vel loquela cum Deo:* vnde argumentum non subsistet.

22. *Refellitur idem ob ea duo præcepta posita Præceptum orandi attentè purè est affirmatiuum.*

Declaratur id à priori.

Secundò, quod dicit P. Vasq. de præcepto affirmatiuo & negatiuo, seu de duobus, vno affirmatiuo, altero negatiuo, videtur clarissimè reiici; nam illud præceptum, quod ipse vocat negatiuum, purè putè est affirmatiuum: idem enim est dicere, *Non ores sine attentione*, ac dicere, *Ora cũ attentione*; duæ enim illæ negationes *non* & *sine* faciunt affirmationem *cum*; perinde ac si quis diceret, *Non exeas è domo sine pallio*, idem est formalissimè ac dicere, *Quando exis, accipe pallium:* vnde solùm ibi committitur peccatum omissionis, quia attentio deest. Declaro id à priori: Ad orandum non requiritur per se entia alicuius actus positiui, ratione cuius possit ibi esse præceptum negatiuum: nam esto homo simul & semel attenderet ad omnia alia obiecta, si tamen etiam attenderet ad Horas, perfectissimè oraret; vt in Christo Domino patet, qui etsi simul actu de omnibus aliis obiectis cogitaret, quia tamen simul ad sensus verborum externorum orationis attendebat, perfectissimè orabat: ergo præceptum orandi non prohibet attentionem ad alia, sed purè putè affirmatiuum est, mandátq; attentionem positiuam; ergo solùm peccatur contra illud omittendo: ergo solùm est ibi peccatum omissionis; & ea irreuerentia solùm est omissionis.

23. *Tertiò reijcitur. Beneficiarius non tenetur iure diuino ad orandum attentè suũ Officium.*

Tertiò displicet quod dicit P. Vasquez, Beneficiarium ideò teneri iure diuino ad orandum cum attentione; quia sicut qui altari seruit, de altari viuit; ita è contrario, qui de altari viuit, altari seruiat: displicet, inquam, tum quia, si id esset præceptum diuinum, non posset Ecclesia in illo dispensare; tum quia, etsi quis attentè oret, totum tamen Officium pro se offerat, nihil verò pro illis, à quibus accipit eleëmosynam, satisfacit præcepto; & tamen tunc non satisfacit ei obligationi, quam ponit Vasquez, ergo. Secundò supponit quod deberet probari; ait enim, *Sicut de altari viuit, ita faciat ea quæ sunt altaris*, id est, *quæ sunt obligatoria ad satis faciendum altari:* vbi implicitè supponit, vnum ex illis obligatoriis esse orare: id quod aduersarij negabunt, dicéntq; Primò, non esse necessarium, vt id per se faciat; sed posse designare aliquem qui pro ipso oret: Secundò, sufficere, si alia bona opera offerat pro his, quorum quasi eleëmosynâ viuit: quæ opera fortasse apud Deum erũt magis impetratoria quàm oratio. Tertiò, si ab initio habuisset eam intentionem orandi, & posteà inaduertenter omnino fuisset distractus, proculdubio non plus meritus fuisset, quàm si reuocatâ eâ voluntate deinde recitasset; & tamen in primo casu satisfecisset, non in secundo. Quartò, quia si habeat attentionem, esto actus sit alioqui malus, & consequenter nec impetratorius, nec satisfactorius, satisfacit tamen præcepto, licet ex alio capite peccet: ergo illud præceptum non erat propter bonum secutum pro aliis, nec propter actionem vndequaque honestam in cultum altaris, sed ex alio capite.

Varijs argumentis eiusdem mens confutatur.

24. *Tertia quorumdam sententia ratione illius attentionis.*

Ideò posset esse tertia sententia, quæ dicat non teneri Sacerdotem ad vllam attentionem, sed absolutè satisfacere præcepto recitando, etiamsi aduertenter distractus sit. Ita sentiunt nonnulli moderni, quos suppresso nomine refert Pater Suarez; qui vlteriùs dicunt etiam illum satisfacere præcepto Ecclesiastico confessionis, qui non confitetur peccata cordis, quæ sunt de se occulta, & qui etiam sine dolore vllo confitetur; licet aliunde ob irreuerentiam Sacramenti graniter peccet.

Illud præceptum orandi etsi non attentionem, intentionem tamen orandi requirit.

Verùm neque hæc sententia videtur vera, quia in eo præcepto orandi licet non requiratur attentio, requiritur saltem intentio orandi, ex communi ferè omnium sententiâ; & non sufficit velle legere ea quæ ibi sunt: vnde infertur. Ergo potest Ecclesia præcipere aliquem actum internum, qui non manifestetur foris per externum: si autem semel de vno id admittitur, cur non de aliis multis?

SVBSECTIO. III.

Quid sit in hac quæstione probabilius.

25. CRediderim discurrendum in hoc puncto ex doctrinâ datâ suprà, dum sententiam communem examinarem; dixi enim ibi actus purè internos

Digitized by Google

internos posse quidem ex naturâ rei imperari, Christum tamen non dedisse de facto Ecclesiæ eam potestatem: id quod nos probamus; quia neque in Scripturâ est argumentum pro eâ concessione, neque ex Conciliis aut Patribus desumi potest, quin potiùs contrarium; nam fatentur Pontifices se de meré occultis non posse iudicare. Ex hac doctrinâ sic discorro in præsenti, Etiamsi in ordine ad eos actus ita purè internos, vt nullo modo coniungantur cum externis, Ecclesia fateatur se non habere vllam iurisdictionē; at in ordine ad aliquos, qui cū externis cōiunguntur, è contrario eadem Ecclesia agnoscit se habere eam auctoritatem illos imperandi; nam in cap. *Dolentes.* de celebratione Missarum, præcipitur attentio in recitatione Horarum & auditione Sacri; ergo supponit Pontifex se habere ad id auctoritatem: possumus ergo inde colligere, eam potestatem illi à Christo datam in ordine ad eiusmodi actum internum in hac materiâ. Dixi *aliquos*, quia vix alios video præter eam attentionē in recitatione & Sacro, ad quos possit obligare.

Quos actus purè internos Ecclesia imperare possit. & quos non.

Quinam Sacerdotum satisfaciant Ecclesiæ præcepto in recitatione Officij, & quinam.

Vnde infero obiter, illum Sacerdotem, qui non recitat cum attentione, non implere præceptum Ecclesiæ, etiamsi exteriùs nulla det signa distractionis; è contrario verò, esto det ea signa si interiùs habet attentionem, perfectè satisfacere præcepto, & fortè solùm peccaturum ratione scandali: quod vix crederem esse ibi vltra veniale.

26. *Quibus pœnis distractè orans subijci possit.*

Hinc vlteriùs infertur, eum sine attentione orantem, sicut reuerà facit contra præceptum Ecclesiæ, ita etiam posse ab Ecclesiâ puniri per censuras & alias pœnas amissionis fructuum, &c. ipso facto incurrendas, esto in foro exteriori non possit ad eas cogi; quia non potest contra illum probari illud delictum, quod tunc constitisset in solâ carentiâ interioris affectus.

Hæc circa attentionem internam; circa alios verò actus internos, qui non manifestantur per actionem externam, censeo, non esse concedendum, Ecclesiam habere iurisdictionem, quia neq; ex vllo textu ea probari potest; & argumenta, quæ pro eâ iurisdictione fiunt, possunt facilè sine illâ explicari (vt ostendam statim) ergo, neque in his rebus valet, similitudo rationis: quia sicut neque ob eam similitudinem debent leges extendi ad materiam ab ipsis non præscriptam, ita neq; iurisdictiones; maximè cùm hîc assignari possit status disparitas satis magna: nam cùm expedientissima pro Ecclesiâ fuerit oratio, vt includit intentionē & attentionē; sola enim materialis recitatio Psalmorum, &c exiguam habet ex se honestatem; & non posset Ecclesia nisi ex Christi concessione speciali ad id obligare; quia ordinaria iurisdictio non se extendit ad actus purè internos, meritò eam Christus Ecclesiæ concessit: at in ordine ad alios actus internos in aliis materiis non fuit necessaria ea iurisdictio; quia vel non erant magni momenti, vel alio modo ad eos indirectè obligare potest, vt paulò pòst dicemus; voluit ergo Christus eam concedere. Ostendendum igitur nobis erit in aliis casibus necessariam non esse eam iurisdictionem, nec sufficienter posse aliunde probari.

Cur id in oratione possit Ecclesia & non in aliis actibus internis.

SVBSECTIO IV.

Soluuntur cætera, quæ ad probandum, actus internos posse compræcipi, obiiciuntur.

27. SOluimus præcipuam obiectionem ex attentione in Horis diuinis desumptam, iam ad reliquas deuenientendum est. Prima est, Ecclesia mandat, vt detur gratis tituli Ordinum & officium Ecclesiæ temporale; quod alioqui non prohibetur vendi ex naturâ rei, in eo autem casu non prohibetur vlla actio exterior, nisi associata exteriori actioni; per quam tamen non manifestatur: nam si tunc ille qui accipit titulos Ordinis, à se ipso velit aliquid donare, potest illud accipi à concedente titulos: ergo sola intentio vendendi eos titulos prohibetur tunc. Respondeo, In eo casu, si ille homo exteriùs nihil petat ab eo, cui das titulos, etiamsi interiùs habeat animum vendendi, non peccaturum contra præceptum Ecclesiæ, etiam accipiendo id, quod alter dat gratis, quia reuerà tunc nihil mali efficit exteriùs. Secundò dico, venditionem esse actionem externam verbis prolatam, quibus dicitur, *Do tibi hoc pro illâ pecuniâ*: hæc ergo verba, vel alia signa externa verbis æquiualentia, optimè possunt prohiberi etiam directè ab Ecclesiâ in materiâ titulorum, Ordinis & temporalis beneficij; eo autem ipso quòd actio illa exterior prohibita sit, sine dubio prohibetur volitio efficax illius, qualem ponit P. Suarez: nam illa volitio vendendi, seu non dandi gratis, sine dubio habet pro obiecto aliquam actionem indicatiuam venditionis & quoad hoc est idem quod de volitione non comedendi carnes quando prohibita est comestio: quòd si ponatur ea volitio sine obiecto externo prohibito, habet locum solutio primo loco data.

Qui præcipiat Ecclesia titulos Ordinum gratis dari, vt & temporalia Ecclesiæ officia.

Alterum exemplum sit in administratione & susceptione Sacramentorum. Respondeo, in his minorem longè esse difficultatem; nam ex naturâ rei videtur esse obligatio sub peccato ad non omittendum illos actus, qui sunt de necessitate Sacramenti: quod sic confirmo in primis in Sacramento Baptismi; nam licet intentio verè baptizandi non manifestetur per externam actionem, quia tamen præceptum est Christi Domini baptizandi eos qui velint; Ecclesia determinans tempus baptizandi pueros, aut ipsi parentes nomine illorum Baptismum petentes sunt conditio, quâ positâ iam obligat illud præceptum Christi; cúmq; ad illud sit necessaria ea intentio, eo ipso obligatur baptizans ad illam habendam. Secundò etiam obligatur præcepto charitatis, ne inducat illum hominem in grauissimum periculum salutis; credere enim hic poterit se esse baptizatum, cùm tamen reuerà non sit; eodem modo ex parte aliorum Sacramentorum tam in administrantibus quàm in recipientibus. In confessione item manifestum est, hominem teneri omnia sua peccata mortalia dicere; quia Ecclesia confessionem annuam præcipiendo solùm determinat tempus, in quo obligat præceptum diuinum confessionis; eam ad eam vt necessitate medij necessariam Christus nos obligauit; ille autem obligauit sine dubio ad integram, item ad dolorem & alias dispositiones necessarias, quantumuis occultas: ergo sub eisdem censetur Ecclesia obligare saltem per accidens.

28. *Administratio & susceptio Sacramentorum qui præcipiatur.*

Qui obligetur baptizãs ad habendã intentionem.

Qui obligetur pœnitens ad omnia mortalia confitenda.

Duo tamen dubia circa hoc moneri possunt. Primum est vtrùm possit Ecclesia per sententiam generalem excommunicare eum qui peccata interna reticeret. Diceret fortè quis, omnino id esse possibile; nam Pater Suarez n. 10. ex Victoriâ & aliis docet, esto materia illa remota seu peccatum sit occultum; at confessio, quæ præcipitur, externa est; non videtur autem vllo modo excedere facultatem Ecclesiæ, posse obligare ad actum externum, habentem tamen pro obiecto actum interiorem & consequenter posse

29. *An ferri possit excommunicatio generalis in reticentes peccata interiora. Suarij & Victoriæ mens.*

Digitized by Google

sub excommunicatione ad eum obligare. Vnde si quis esset sine conscientiâ mortalis externi, haberet tamen conscientiam mortalis purè interni, verè teneretur ad confessionem ex præcepto Ecclesiæ circa Pascha. Hæc solutio difficultatem grauem patitur; ideò contrarium censeo probabilius: nam licet fortè possit concedi Ecclesiæ iurisdictio aliqua in materiam externam, habentem pro obiecto rem internam; potest enim sine dubio Ecclesia præcipere actum externum fidei habentem pro obiecto rem internam, vt necessitatem doloris interni pro valore confessionis, & necessitatem intentionis pro valore Sacramenti: quando tamen ea materia interior, vt occulta est, nõ determinat vllo modo actionẽ externam magis quando reuerà est, quàm quando non est, non video, quomodo ab Ecclesiâ actio exterior in vno casu possit iudicari digna censuræ, in altero verò non. Explico: Illa cõfessio exterior, quâ quis diceret, *Non habeo vllum mortale internum*, eadem omnino actio esset tam in se quàm quoad forum Ecclesiæ, siue re ipsâ nullum haberet, siue haberet centum millia: quomodo ergo ob actionem externam, quæ ab Ecclesiâ non potest in vno casu præsumi vllo modo diuersa à seipsâ in alio, potest tamen ferri in vno excommunicatio, quæ in altero non potest? Secundò, ideò ea solutio mihi est difficilis, quia quando actio exterior est declaratiua interioris occultæ, non videtur esse posse talis potestas in eam exteriorem; nam per illam quasi mediatè subiiceretur potestati Ecclesiæ altera actio occulta: & hinc assignatur disparitas inter nostrum casum, & eum, quem pro ratione, quam impugno, posui paulò antè: nam dicere exteriùs, *Credo necessariam esse dolorem interiorem pro valore confessionis*, nihil manifestat occultum, sed speculatiuè, vt sic dicam, versatur circa illos actus; id est circa eam materiam interiorem: at si proderentur actus interni hominis, certè in grauem infamiam inde venire posset; & quodammodò iam ipsa peccata subiiceretur externæ potestati: ergo vniuersaliter non est admittendum illud principium, scilicet circa materiam remotam internam, dummodò proxima sit externa, posse esse in Ecclesiâ iurisdictionem: quod ampliùs paulò pòst vrgebitur. Quòd verò dicebamus, eum, qui vnicam internum mortale solùm habet, etiam teneri ad confessionem, non est ad rem; quia cùm Ecclesia (vt diximus paulò antè) solùm determinet tempus confessionis, ad quam iure diuino tenemur, certè obligatio dicendi illud mortale internum oritur magis ex iure diuino quàm ex humano. Omnibus ergo pensaris, probabilius censeo, non posse talem excommunicationem ab Ecclesiâ ferri in eum qui internum peccatum reticeret.

Resoluitur dubium.

In quas actiones exteriores Ecclesia non habeat potestatem.

Resoluitur aduersa rationis axioma.

31. *Ecclesia potest excõmunicationem ferre ob occulta externa soli peccatori nota.*

Dices: Ob peccata externa, de quibus tamen nullus omnino quidquam scit, præter ipsum peccatorem, potest Ecclesia in omnium sententiâ excommunicationem ferre, ergo etiam ob eam mutilam confessionem. Respondeo negando consequentiam, quia illa sunt per se publica, per accidens verò occulta; at in nostro casu res est per se occulta: iuxta sententiam autem communem Ecclesia habebit iurisdictionem ad res solùm per accidens occultas, de quo fusiùs nos suprà egimus, & agemus paulò pòst sect. 4. Adde, instantiam non esse ad rem de quâ agimus, quia hîc solùm est sermo de iurisdictione in materiam remotam internam, non verò de proximâ internâ: in hæresim autem externam per accidens occultam habet Ecclesia immediatè iurisdictionem, in occultam verò non habet: ergo ea instantia vel probat nimiùm, vel non est ad rem, de confessione peccati purè occulti.

Quam iurisdictionem habeat Ecclesia in hæresim.

Quidquid verò sit de potestate excommunicandi ob non declaratum peccatum illud internum, absolutè dici posset, Esto ob rationem datam Ecclesia non habeat, vniuersaliter loquendo, iurisdictionem in materiam remotam occultam, ideóque sine dubio obligare non possit aliquem, vt in iudicio publico sua occulta peccata deregat, nec de illis eum interrogare licitè possit, quantumuis tunc confessio esset actus externus: quod miror non fuisse à Victoriâ & Suarez suprà consideratum, vt quo manifestè reiicitur illud principium adeò vniuersaliter ab eis propositum; nihilominùs posse concedi in casu aliquo eam potestatem remotam, scil. in ordine ad forum confessionis, quia per illam nulla fit violentia illi homini, cùm alioquin peccatum etiam occultum ex institutione Christi remitti non possit nisi per confessionem; & ad confessionem alioquin iure diuino saltem hoc vel illo tempore peccator teneatur; ac deniq; illud forum sit summè secretum, & inde nullum planè periculum possit illi pœnitenti emergere; si autem cogeretur publicè sua occulta fateri, & summam ignominiam incurreret, & sæpè etiam grauissima pericula vitæ: vnde cum tanto onere Ecclesia præcipere non potest, nisi Deus specialem in hoc puncto auctoritatem ei dedisset, quæ non fuisse valdè expediens; ideò de facto non censetur concessa: sicut etiam, licet absolutè Ecclesia habeat iurisdictionem in actiones omnino externas, non tamen potest propterea quascumque velit præcipere, si difficiles valdè sint; vt v.g. totâ Quadragesimâ ieiunare in pane & aquâ, &c.

An in aliquo casu posse ea potestas remota in ordine ad forum confessionis Ecclesiæ concedi.

32. *Si confessio iure diuino esset libera, possitne Ecclesia præceptã confessione externã præcipere dolorem internum. Respondetur sub distinctione.*

Secundum dubium circa eam administrationem Sacramentorum est, vtrùm Ecclesia, casu quo Sacramentum confessionis iure diuino esset omnino liberum, posset, præcipiendo confessionem externam, præcipere etiam dolorem internum; quandoquidem ille dolor non esset tunc vllo modo externus. Respondeo cum distinctione: vel enim ita esset illud Sacramentum à Christo institutum, vt essentialis illius pars esset dolor, & tunc temporis iure diuino supposito, deinde præcepto accedendi ad illam confessionem seu sacramentum, esset homo obligatus ad habendum dolorem illum; sicut nunc tenemur accedere ad alia Sacramenta cum debitâ dispositione, iuxta rationem superiùs datam.

Soluitur replica.

Dices: Posset tunc pœnitens accedere ad eam confessionẽ non faciendo Sacramentum; & consequenter nõ teneretur ad illum dolorẽ. Sed contrà, quia eo ipso efficeret, vt Sacerdos dans absolutionem eâ intentione vteretur irritè auctoritate Christi, fieretq; totus ille actus ex parte ipsius in despectum Sacramenti: quod grauissimum peccatum est; sicut grauiter peccaret, qui ad suscipiendos Ordines accederet sine animo eos recipiendi, sed potiùs cum contrario; daret etiam occasionem Episcopo omnia ea irritè administrandi; licet, si absolutè accedere nollet, nullo modo peccet. Si verò ad valorem eius Sacramenti confessionis non esset necessarius dolor ex institutione Christi, tunc crediderim non posse ab Ecclesiâ illum dolorem compræcipi, nisi eo casu specialiter Christus illi eam iurisdictionem concessisset; quid autem tunc facturus fuisset in eo puncto Christus, nobis nullo modo constat.

Tertium

Digitized by Google

33. Tertium exemplum contra nos desumitur ex contractu, quem videtur posse præcipere etiam ciuilis potestas, & in quo sine dubio compræciperetur actus internus, qui nullo modo per externum manifestaretur. Respondeo tamen ibi nullam esse difficultatem, quia Ecclesia vel potestas ciuilis non præcipit tunc volitionem contrahendi, sed externam rerum permutationem; cui si ex libertate eorum contrahentium consensus accedit, iam contractus manifestè est validus; si verò exteriùs permutans careat volitione interna contrahendi, nihilominùs Respublica habens altum dominium in eas res censetur tùc, positâ eâ externâ formâ contractus, transferre dominium illarum rerum, casu quo illi nolint id velle. V. g. Respublica habet altum ius in frumentum subditi: quando est necessitas, potest ab eo inuito illud accipere, & distribuere indigentibus: præcipit illi vt vendat, saltem tenetur vi præcepti. exteriùs acceptare pecuniam, & dare frumentum: si id faciat sine animo contrahendi, esto non peccet contra præceptum Reipublicæ, nihilominùs amittit dominium frumenti, & acquirit ius in pecuniam, perinde ac si ipso inscio totam permutationem Respublica fecisset: si verò contractus sit matrimonialis, tunc non potest directè ad illum vllus obligari, nisi quia præsupponitur aliquo modo promisisse matrimonium; vel quia ad bonum Reipublicæ expediens est; ea autem ipso, quia obligatur ad copulam saltem reddendam, si non petendam, eam autem non potest licitè reddere nisi validè contrahat, facilè inde apparet, quomodo indirectè obligetur ad contrahendum validè: ergo ex eis exemplis nihil infertur de vi compræcipiendi actum externum.

Quid Ecclesia vel potestas ciuilis in contractibus præcipiat.

Ad contractum matrimonialem nemo directè obligari potest.

34. Ideò quartũ sit de studio: videtur enim Princeps etiam sæcularis præcipere posse studium; eo autem ipso compræcipit actum internum, qui nullo modo manifestatur per actionem externam; nam legere libros potest fieri sine animo studendi solùm curiositatis gratiâ. Respondeo tamen Primò, in hoc casu vix posse moraliter separari animum internum ab eâ actione exteriori: nam si continenter quis legat, si explicationem audiat, si aliquot horis insistat libris, non potest id facere sine aliquâ attentione sufficienti, vt aliquid inde discat. Sed quidquid de hoc sit, respondeo Secundò, in eâ actione exteriori ex alio capite includi virtualiter attentionem: etenim præcipitur illi studium, vt simul externa signa illius ostendat, vel repetendo lectiones, vel argumentando, vel respondendo: ad quos actus necessariò requiritur illa interior attentio; ergo tenetur tunc ille facere, quantum est ex parte suâ, & non solùm quasi materialiter legere libros, &c. Id quod clariùs apparet, quando accipit pro eo studio pecuniam; tunc enim vi cuiusdam contractus tenetur ad illud.

Qui Princeps studium præcipiat.

35. Quintum exemplum sit de voto emisso in susceptione Ordinum: cui facilè respondeo, aliud longè esse, Ecclesiam præcipere actum internum, aliud verò, exigere illum per modum conditionis in collatione alicuius fauoris aut beneficij: ad hoc enim nulla requiritur iurisdictio in eum actum, aut personam, sed sufficit, quòd ad beneficium conferendum non teneatur Ecclesia: eo enim ipso, sicut absolutè poterat illud negare, ita poterat dicere, *Do illud cum tali onere*; quo casu procul dubio ille tenetur ad illud onus: sic æqualis cum æquali, sic potestas ciuilis cum Ecclesiasticâ, sic etiam inferior cum superiore potest conuenire, *Dono tibi hanc rem*, aut, *Facio te Nobilem, hanc vel illam gratiam confero, cum hac tamen conditione vt facias hoc*: eo autem ipso acceptans gratiam tenetur ad eam conditionem: pro quo nihil requiritur de iurisdictione vllâ in materiam eius conditionis (vt ex terminis est notum.) Ergo cùm Ecclesia non teneatur conferre Ordines, potest eam conditionem apponere, vt qui eos suscipit, emittat votum castitatis; quod hic si non faciat, peccabit non tam contra præceptum Ecclesiæ quàm contra naturalem obligationem standi pactis: & licet non interueniat ibi expressum pactum, eo tamen ipso quòd proposità ab Ecclesiâ eâ conditione ipse acceptat Ordinem, consentit in pactum; quod si non faciat, grauiter peccat, quia est res magni momenti.

In susceptione Ordinum an præcipiat Ecclesia emissionẽ voti, an verò solùm exigat; & quomodo.

Cur ordinati voto castitatis teneantur.

SECTIO IV.

Alia argumenta ad probandam directam Ecclesiæ iurisdictionem in actus purè internos.

PRIMVM & præcipuum de attentione ad Horas Canonicas, & secundum de dispositione pro Sacramentis soluta sunt sectione præcedenti, dum de compræceptione; iam ad reliqua. 36.

SVBSECTIO I.

Soluuntur tria priora.

INTER quæ primam sit: Ecclesia potest dispensare etiam in votis internis, ergo habet iurisdictionem in actus purè internos; ergo poterit eos præcipere. Respondent multi, Ecclesiam non posse dispensare in eis votis, nisi manifestentur. Verùm hæc solutio parum est ad rem, quia Ecclesia in actus purè internos, etiamsi manifestentur, non habet ius vt eos puniat, vt, si quis dicat, *Ego habeo inuidiam, odium in talem*, & tamen nullum effectum externum causet, non potest Ecclesia tales actus punire; & tamen potest dispensare in votis, ergo. Ideò dico pro præsenti quæstione impertinens planè esse, quòd ea vota sint occulta aut externa; nam dispensatio solùm fertur in obligationem, seu in vinculum, quod actu manet ex voto: hoc autem est idem, siue ea vota sint externa, siue interna. Adde, probabilius longè esse, posse etiam dispensari in voto, licet non declaretur Superiori; nam potest hic dicere, *Si tale votum præsiti, dispenso tecum in illo*: ergo hæc difficultas non soluitur per hoc, quod dicatur debere manifestari illud votum. Absolutè ergo respondeo, ex dispensatione in votis nihil posse pro præsenti quæstione inferri: nam patens potest vota filiorum irritare; & tamen non habet potestatem præcipiendi actum internum purè, quidquid sit de Ecclesiæ potestate in ordine ad hoc. Ratio est, quia minùs requiritur ad tollendam obligationem quàm ad obligandum: & ad suauem Dei prouidentiam pertinuit, vt daret potestatem ad tollenda vota, non verò ad ponendam obligationem in actus internos; quia odia debent restringi, & fauores ampliari. Vno verbo dico, in hac materia, quæ ex concessione Christi prouenit, non valere argumentum, Dedit potestatem ad hoc, ergo etiam ad illud; nam pro suâ libertate vnum voluit sine altero. De hac autem

Obiectio desumpta ex dispensatione in votis internis.

Refutatur quorumdam solutio.

37. *Probabilius est, in voto dispensari posse, etiam non manifestato Superioribus. Ex eâ dispensatione nihil infertur hic ad rem nostram.*

Digitized by Google

autem voluntate nobis constat ex Ecclesiâ, quæ potestatem dispensandi in votis, ea irritandi, &c. in se agnoscit; negat autem se habere potestatem ad imperandos actus purè internos. neque in hoc puncto quærenda est alia maior ratio.

Ecclesia habet potestatē dispensandi in votis.

38. Secundum argumentum sit, quia in Clementinâ 1. cap. 1. §. *Verum.* de hæreticis, præcipitur sub pœnâ excommunicationis & suspensionis, vt Episcopi & alij Inquisitores suum officium exequantur absque vllo odio, irâ, timore vel humano affectu; ergo tunc prohibetur directè actus interior. Pater Vasquez putat non incurri tunc censuram, nisi illud odium prodeat foras per aliquam actionem: quod putat inde persuaderi, quia Pontifex vtitur ibi verbo *prætexta*; prætextus autem denotat actionem exteriorem.

Obiectio desumpta ex Clementina 1. c. 1 §. Verum de hæreticis. Vasquez eā explicat; sed displicet.

Verùm hæc solutio nullo modo placet, quia prætextus potest esse purè occultus; est enim quasi motiuum actionis: non est autem necessum vt motiuum actuum manifestetur. Respondet Pater Suarez, eam censuram non comprehendere Inquisitores, &c. nisi in actione externâ delinquât, vel excedendo terminos iustitiæ, vel omittendo quod debebant facere; tunc autem meritò posse excommunicari non ob actum interiorem odij, sed ob peccatum externum. Quòd verò Ecclesia eam excommunicationem aut censuram coarctauerit ad casum, quo ex malo animo actus ille exterior prodit, potiùs est fauor quàm rigor; quia qui posset in omnibus casibus eas cēsuras ferre, fauorem facit, si solùm in vno ferat; in fauorem autem benè potest Ecclesia vti pro conditione actu ipso interno. Vnde consequenter infert, quando lata est aliqua excommunicatio in eos, qui hoc aut illud malitiosè faciunt, non intelligi eam incurri ab illis qui hoc faciunt non malitiosè, sed ex negligentiâ, etiamsi ea sit culpabilis.

Suarez aliter eam explicat, & melius.

39. Hæc solutio, quatenus cum eâ restrictione asserit posse censuram ferri, optima est. At Pater Salas loco suprà citato num. 12. meritò censet, actionem externam, etiamsi in se omnino alioquin bona sit, posse prohiberi ab Ecclesiâ sub conditione mali animi, id est, *Ne fiat hoc animo*; vnde contra datam solutionem Patris Suarez opinatur posse eam censuram ferri ob actionem externam, alioquin in se bonam. Et verò hanc solutionem ex eadem ipsâ Patris Suarez doctrinâ clarè persuadeo: nam sicut ille dicit, omne peccatum externum posse puniri, vnde à fortiori infert, posse limitari illam punitionem ad casum, quo tale peccatum procedat hoc vel illo animo; quia id est potiùs fauor quàm odium; est enim restrictio pœnæ: ita similiter dico, cùm Ecclesia possit eam actionem externam prohibere in omni casu, siue procedat ex hoc motiuo, siue ex illo; à fortiori poterit cum restrictione eam prohibere, id est non semper, sed in hoc vel illo casu, id est, si ab hac voluntate procedat; quia tunc ea coarctatio potiùs est fauor quàm odium; ergo etiam tunc poterit per legem imponere censuram in talia agentes.

Salas explicatio. Qui prohiberi possit actio externa in se alioquin omnino bona.

40. Dices cum Patre Suario, in eo casu omnino ignorari imperium eius actus interioris in eam actionem; ergo Ecclesia non potest illud prohibere. Respondeo, non prohiberi illud imperium, sed actionem ipsam externam, dependenter tamen ab eo quòd procedat à tali imperio; actionem quidem illam, quæ, etiamsi ab hoc imperio non prodijsset, absolutè poterat prohibere. Vnde ego vlteriùs addo, posse Ecclesiam dicere, *Mando hanc actionem externam, si non ex hoc animo malo oriatur; prohibeo autem, si oriatur*; quia cùm in eam actionem habuerit integrum ius, vt eam vel semper mandaret, vel semper prohiberet, potuit optimè restringere imperium ad casum, quo in voluntate nulla esset mala intentio, prohibitionem verò ad casum, quo ea esset.

Replica Suarij obuiatur.

Replicabis, Ergo tunc directè prohibetur aut præcipitur actus interior; nam exterior non præcipitur, nec prohibetur: priùs enim sciendum est, quis sit animus interior, vt inde constet, quid sit faciendum de exteriori. Respondeo negando sequelam; id enim nihil aliud est, quàm actum internum esse conditionem, sub quâ alter prohibetur, aut imperatur: proprium autem est omnium conditionum, vt præintelligantur antequam de re, ad quam sunt conditio, quidquam quasi decernatur; Ecclesia ergo licet non possit imperare actum eum internum, potest tamen eum ponere vt conditionem ad obligandum vel non obligādum in materiâ externâ; id est, *Si illum habes, fac hoc; si non habes, non facias:* vnde aduerto in hoc casu, hominem non facturum contra præceptum Ecclesiæ, etiamsi nō ponat à parte rei eam actionem externam, dummodò eam non omittat tunc quando habet bonum animum interiorem; quia eo casu illud præceptum & prohibitio essent conditionata, & consequenter neutrum obligaret, nisi positâ conditione: ad positionem verò conditionis non obligatur homo præcepto Ecclesiæ, quia ea conditio est purè interna. Hinc vlteriùs infero, non posse tali modo imponi præceptum ab Ecclesiâ de actione externâ, quam absolutè præcipiat fieri; quia per conditionatum præceptum non cogeret absolutè ad efficiendum illud opus, iuxta paulò antè dicta; per absolutum non posset, quia id esset præcipere directè actum purè internum. Exemplum sit illud idem, quod tractamus de Inquisitoribus: si ibi præceptum circa punitionem hæreticorum poneretur sub eâ conditione, *Si habes odium, non punias, puni, si non habes*, non cogeretur Inquisitor vi eius præcepti ad puniendum; quia non cogitur ad conditionem; ergo, vt absolutè obligetur, debet præceptum absolutè dicere *Puni*, ad carendum verò odio prohibetur præcepto naturali: vnde consequenter dico, si in eo casu Inquisitor exteriùs nullum faciat excessum in pœnâ, neque è contrario omittat debitam, non facere contra præceptum Ecclesiæ, & consequenter nec incurrere excommunicationem, etiamsi odium internum habeat; quia cùm obligetur ad illam externam instam punitionem, non potest ab Ecclesiâ odiū illud internum prohiberi aut puniri. in quo placet Suarez suprà.

Occurritur & Secundo.

41. *Conditionatum præceptum nō cogit absolutè ad efficiendum opus imperatum.*

Qui sint obligandi Inquisitores ad puniendum hæreses.

Argumentum Tertium, cui ex hac doctrinâ respondetur, desumitur ex Clementinâ 1. de statu Monach. §. *Quia verò.* in quo excommunicatur Monachus Benedictinus, qui sine licentiâ Præpositi, animo eumdem accusandi, ad Curiam se confert. Dixi, huic argumento ex solutione præcedentis responderi, quia est in hoc casu ferè eadem difficultas quæ in præcedenti; ideóque Pater Vasquez etiam negat incurri eam excommunicationem, nisi opere externo Monachus ostenderit suum animum. Verùm hæc solutio non videtur esse sufficiens, quia in textu non requiritur ea manifestatio pro excommunicatione: debet ergo respōderi vel cum Patre Suarez, prohiberi eam actionem externam in se malam; nam sine licentiâ ire malum est; puniri, inquam, dependenter tamen ab eo, quod procedat ab intento

42. *Solutio P. Vasquez ad Clementinam 1. de statu Monach. §. Quia verò sed inefficax.*

Author & Suarij & sequens solutione mitigatur.

Digitized by Google

tento accusandi Prælatum, vel certè, quod mihi magis placet, excommunicari, etiamsi cum licentiâ eat, dummodò talem animum accusandi habeat: etenim in eâ Clementinâ non dicitur, *eos qui sine licentiâ ierint*, sed absolutè, *eos, qui vt suus Prælatis aut Monasterijs*, &c. habet autem pro hac solutione locum quod paulò antè diximus ex Patre Salas, posse scilicet ab Ecclesiâ illam profectionem ad Curiam quocumque animo factam prohiberi; ergo poterit sub eâ conditione, si animo inferendi damnum Monasterio aut Præposito, &c. quia id est restringere prohibitionem. Certum autem videtur, posse Legislatorem pro conditione ad dandam licentiam pro aliquâ re, vel è contrario ad eam prohibendam, vti conditione aliquâ, quæ non sit sub eius potestate, v.g. dicere, *Si sentis in te talem tentationem, non do tibi licentiam ad hoc*; vel è contrario, *Mando tibi vt facias hoc; si autem non sentis, nolo vt facias hoc:* per quod nihil illi imperatur de habendâ vel non habendâ tentatione, sed de actione externâ.

Explicatur Clementina.

SVBSECTIO II.

Quatuor alia argumenta.

43. QVARTVM sit ex cap. *Commissa.* de electione in 6. vbi, si quis parochialem Ecclesiam obtinuerit sine voluntate ascendendi ad Sacerdotium intra annum, ipso iure amittit fructus, & non facit illos suos; ergo imponitur ibi pœna pro defectu illius voluntatis: qui tamen defectus purè est internus. Multa dicunt Doctores occasione huius textus; quæ benè examinant suprà Suarez & Salas: optima verò solutio est, quam ijdem tradunt, fuerátque aliorum apud Vasquez, scilicet, Ecclesiam, quæ illud beneficium confert, posse apponere conditionem illam acceptandi Ordines, sine quâ non vult vt alter faciat suos eos fructus: etenim, vt suprà diximus, in donatione gratuitâ potest donator apponere conditionem quam velit, dummodò alioquin sit iusta.

Cap. Commissa. de electione in 6. explicatur.

44. Obijcit contra hæc Pater Vasquez; nam ille textus extenditur etiam ad illos, qui ante editum eum Canonem non fuerant facti Sacerdotes intra annum ab accepto beneficio; ergo illa pœna non oritur ex conditione appositâ per modum conditionis in donatione ipsâ. Respondeo gratis id à Patre Vasquez assumi, nisi fortè actu tunc aliqui essent, qui haberent beneficium, & non essent facti Sacerdotes: illi enim iam ab eo tempore non faciebant suos eos fructus, quia Ecclesia non voluit vt continuatio fructuum esset illorum, nisi sub eâ conditione: at illos, quos iam anteà suos fecerat, haud dubiè non amisit Parochus vi illius prohibitionis.

Gratis eam explicationem Vasquez infertas.

Obijcit Secundò Vasquez; nam opus interius non potest esse conditio, vt Ecclesia fungatur suâ iurisdictione. Respondeo, gratis assumi id principium; nam ostensum est, non solùm ab Ecclesiâ, sed à quocumque alio conferente beneficium aliquod, imponi posse pro conditione actũ etiam naturâ suâ secretum. Aliter potest responderi huic argumento, tunc temporis Ecclesiam mandare illi beneficiario, vt intra annum accipiat Sacerdotium; quòd si neglexerit, in pœnam illius externæ culpæ perdat fructus. Hæc solutio non placuit Patri Salas, quia potest, inquit, fieri, vt ea non acceptio Ordinum non sit mala, quia vel ex ignorantiâ inuincibili omisit Sacerdotium, vel certè habuit animum resignandi beneficium in fine anni, & consequenter non fuit obligatus ad sacros Ordines; ergo non perdidit fructus ob culpam exteriorem. Respondeo tamen, quando pœna imposita est positiua, vt sic dicam, non incurri ob actionem externam ex ignorantiâ inuincibili inculpabilem: at quando pœna est negatiua, id est non datio nouæ gratiæ, tunc eam incurri posse eo ipso, quòd homo omittat id quod mandatur; siue id omittat sciẽter, siue aliquo alio modo; & siue tunc ea omissio dicenda sit pœna, siue non. Addo, fortè tunc posse dici textum illum intelligi de omissione accipiendi Sacerdotij, quę sit culpabilis, aut præsumi iustè talis possit; quia expresè eo cap. citato supponitur ille iniquo animo accepisse beneficium, & quidem etiam, si voluerit renuntiare posteà; nam illud ipsum frui vno anno fructibus, & non velle fieri Sacerdotem, reputatur iniquum: vnde si ea voluntas in opus externum posteà prodeat non accipiendo actu Ordines, meritò potuit puniri priuatione fructuum.

Quæ pœna incurratur ob actionem externam etiam ex ignorantiâ inuincibili inculpabilem.

46. Quintum argumentum sit: In multis Canonibus dicitur, Ij qui crediderint contra fidem sint excommunicati; item, vt interrogentur hæretici, an hoc vel illud credant; quòd si responderint se credere, puniantur: ergo actus purè interni cadunt sub iurisdictionem Ecclesiæ. Respondetur, in omnibus Canonibus, vbi quid simile inuenitur, semper supponi, eam hæresim aliquo signo externo fuisse manifestatam siue verbis, siue actione ipsâ. Ad alterum verò de interrogatione respondeo, iam ibi sermonem esse de hæreticis vt talibus accusatis, ob signa haud dubiè externa & verba; vnde, quãdo tunc interrogantur, non tam interrogantur de actu interno quàm de externo, de quo erãt accusati; vt cùm reus aliquis interrogatur, an hoc vel illud fecerit, si fateatur, punitur, non quia fatetur, sed quia fecit. Et hæc mihi videtur longè probabilior solutio, quàm illorum, qui dicunt ideò eos tunc puniri, quia fatendo se id credere peccant, dum ostendunt exteriùs suam hæresim; neque, eò quòd interrogentur ab Ecclesiâ, excusantur à peccato in responsione: Ecclesia enim permittit illud externum peccatum, quia vtitur iure suo. Dixi, primam esse probabiliorem solutionem; nam reuerà, si de eâ hæresi anteà non erant ob aliquod externum signum suspecti, interrogatio illa fuisset iniqua; quia Ecclesia sicut non habet vllum ius in actus purè internos, ita non habet ius ad me iuridicè interrogandum de illis: quòd si sine iure interrogat, confessio illa non debet ei esse sufficiens, vt vi illius præcisè possit punire.

Quæ sint intelligendi Canones dicentes, eos qui crediderint contra fidem esse excommunicatos. Canones agunt de interrogatione hæreticorum iam accusatorum.

Quale ius hæreticos interrogandi sit in Ecclesiâ.

47. Dices: Si ergo Ecclesia iam illos habeat suspectos ob præcedentia signa hæreseos, non debuisset illos interrogare, an crederent actu, sed, an credidissent, seu, an essent vera, quæ de illis dicebantur; nec debuissent statim dimitti, eò quòd dicerent se actu benè credere? Respondeo, Ecclesiam tunc vsam fuisse aliquâ clementiâ in illos; quia fortè indicia, ob quæ accusabantur, non erant tam fortia, vt efficerent probationem sufficientem ad punitionem, si ipsi faterentur se id credere quod Ecclesia Romana; esto talia fuerint indicia, vt iuridicè potuerint interrogari; vel quia, esto Ecclesia sciuerit eos fuisse anteà hæreticos, voluit tamen delictum eis condonare, dũmodò de præsenti resipiscerent; quòd si id non facerent, iam eo ipso puniri propter hæresim præce-

Soluitur obiectio.

Soluitur replica Vasquez.

45. *Suggeritur alia solutio dicti capitis.*

Digitized by Google

præcedentem externam, dependenter tamen à confessione externâ actualis permanentiæ in eadem hæresi.

Replicabis contra datam solutionem, quia si quis diceret, se fuisse hæreticum mentalem, aut voluisse occidere Regem, puniretur: ergo Ecclesia & potestas ciuilis habent iurisdictionem in actus internos. Respondeo, si illa peccata essent purè interna, non posse vi illorum puniri, esto ea ipse fateatur publicè.

Propter peccata purè interna nemo ab humanâ potestate puniri potest.

Sexta obiectio: Ecclesia habet iurisdictionem in actus per accidens occultos, si externi sint; ideò, iuxta communem omnium ferè sententiam (de quâ videri potest Pater Thomas Sanchez in Decalogum lib. 1.) incurrit excommunicationē contra hæreticos latam ille, qui, quantumuis solus, in campo aperto submissâ voce profitetur suam hæresim exteriori verbo. Vt autem suprà fusè ostendimus, videntur eiusmodi actus esse tam naturaliter occulti, quàm sint purè interni, ergo. Respondet Pater Salas, in his sæpè hominem falli, & actum illum externum ab alijs audiri aut videri, esto ipse putet, se à nemine posse tunc deprehendi. Hæc tamen solutio mihi non satisfacit; nam licet fortè aliquando ita contingat, potest tamen ita fieri, vt naturaliter decipi nequeat: si v. g. in campo plano aperto solus sit, & demissâ voce dicat, *Christus non est in Eucharistiâ*, moraliter loquendo, tam ille actus est pro alijs hominibus occultus, quàm si esset purè internus: ergo tunc non magis cadet sub iurisdictionem Ecclesiæ quàm si esset internus.

48. *Professus exteriùs suam hæresim in campo solus excommunicatur. Salas responsio.*

Respondeo, si ad rationem occulti attendamus, meo iudicio, & re prudenter consideratâ, tam esse illum non cognoscibilem ab hominibus, quàm si præsentibus hominibus interiùs ego eam propositionem formarem; vnde crediderim, non esse ex eo capite desumendam disparitatē, sed recurrendum ad fundamentum præcipuum, quod suprà posuimus. Dico ergo, Christum Dominum potuisse, si voluisset, non minùs dare iurisdictionem in actus internos quàm in hos externos occultos per accidens, voluisse tamen de facto dare in hos, quia conueniunt cum alijs in eo, quòd sint externi, & noluisse in purè internos; de hac verò voluntate nobis constare ex ipsâ Ecclesiâ, quæ, vt diximus, negat se habere iurisdictionem in internos, in externos verò dicit se eam habere: specialiter autem de hoc casu omnes omnino Doctores consentiunt, qui in materiâ pendente à voluntate Dei efficiunt sufficientem probationem, vt persuadeamus nobis Christum ita de facto voluisse.

49. *Actus per accidens occultus ita est occultus ac purè internus.*

Cur Ecclesia det, siue iurisdictio in actus per accidens occultos & non purè internos.

Replicabis, Ergo iurisdictio ciuilis non poterit eiusmodi actus prohibere. Respondeo, per se loquendo, non posse: quod meo iudicio manifestum est; nam in ordine ad concordiam Reipublicæ tales actus planè sunt impertinentes. Pone Regem prohibuisse, ne quis narret quid hostis faciat, &c. numquid peccabit quis, si in agro, eo modo quo paulò antè diximus, submissâ voce id narret? Dixi, *per se loquendo*; nam per accidens, quando actio in secreto facta est illatiua damni, etiamsi non sciatur à quo veniat, non dubium quin tunc prohiberi possit. de quo fusiùs dixi suprà.

50. *Lex ciuilis per se non potest prohibere actus per accidens occultos.*

Dices: Ergo si lex prohibeat esum carnium non peccabit quis ita occultè eas comedens, vt nemini id possit innotescere; hoc autem planè est absurdum, ergo. Respondeo, id non esse materiam legis ciuilis, quæ solùm respicit politicam administrationem Reipublicæ; circa quam iam dixi omnino per accidens se habere tales actus, dummodò non relinquant post se effectum aliquem, qui possit esse in præiudicium Reipublicę, vt diximus suprà de eo qui venderet in secreto frumentum cariùs quàm sit determinatum per legem: vbi hanc difficultatem paulò fusiùs tetigimus.

Lex ciuilis quid respiciat.

Septimò obijcitur: Confessarius potest iniungere pro pœnitentiâ orationem mentalem; ergo habet iurisdictionem in actus purè internos. Respondeo, forum pœnitentiæ esse longè diuersum à foro iudiciali externo, ideóque non posse ab vno ad alterum trahi argumentum: nam in confessione Sacerdos iudicat de occultis, quia agit in ordine ad iustificationem, &c. vnde debuit etiam habere iurisdictionem ad imponendam pœnitentiam secretam.

§ 1. *Qui differt iudicialefo-rum exter-num à foro pœnitentiæ.*

SVBSECTIO III.

Cætera obiectiones.

OCTAVA obiectio: Superior Religionis potest obligare ad orationem mentalem; & pro eius omissione potest etiam punire: idem est ad faciendum examen conscientiæ, &c. Respondet Pater Salas negando antecedens; censet enim ex voto obedientiæ non posse quem ad hæc teneri; addit tamen, si quis faceret votum obediendi Superiori in omnibus quæ præciperet non solùm vt Superior, sed etiam vt priuata persona, fortè tunc teneri obedire, eo tamen tempore obligaturum illud votum ad sui obseruationem naturaliter, sicut cætera vota; Superiorem autem præcipientem, *Fac hunc vel illum actum*, non se habiturum per modum ponentis conditionem, sub quâ obligaret votum. Quòd sic ego explico: Si quis vouerat se daturum amico quidquid ab illo peteret, certè petitio amici non induceret obligationem, sed esset per modum conditionis, quam votum exigebat vt obligaret.

§ 2. *An Superior Religionis obligare possit ad meditationem, examen, &c. Salas opinio.*

Hæc tamen solutio mihi nullo modo placet; etenim, absolutè loquendo, certum est, in multis Religionibus esse eam obligationem, maximè in nostrâ Societate, de oratione mentali, examine conscientiæ, &c. neque potest dici, huic regulæ fieri satis, si quis componat se exteriùs in formam meditantis aut facientis examen. Meliùs ergo respondetur, posse Religiosos per votum obedientiæ in Superiorem transferre potestatem sibi imperandi etiam eiusmodi actus; quia (vt suprà insinuauimus) tam dominus est quis suorum actuum internorum quàm externorum; ergo ex hoc capite tam benè vnam iurisdictionem transferre potest quàm alteram: & licet in Republicâ vel in totâ Ecclesiâ non expediat ea iurisdictio in actus purè internos, & fortè etiam vniuersaliter in Religione in ordine ad omnes; tamen in ordine ad illos qui sunt iuxta regulam quam profitentur, valdè necessaria est iurisdictio, maximè cum Religio sit status perfectionis: ad quam consequendam valdè necessarium est posse aliquando tales actus præcipere; vt in exemplo allato de meditatione & examine conscientiæ; quæ censentur media valdè necessaria ad perfectionem. Et sanè ego non video quomodo dici possit, non obligari nos ad illa vi regulæ, eodem modo, quo ad ceteras regulas de alijs materijs magis externis obligamur.

§ 3. *Displicet solutio Salas.*

Voto obedientia potest se quis obligare ad obediendum Superiori in talibus actibus.

Homines Societatis IESV vi regulæ ad similes actus internos obligantur.

Nona

Digitized by Google

54. Nona obiectio: Christus Dominus habet iurisdictionem in actus internos; & potuit illam communicare; ergo eam communicauit, quia id videtur fuisse expediens. Respondeo concesso antecedente negando consequentiam, quia ostendimus ex ipsis Pontificibus eam non fuisse concessam, neque expediuisse vt concederetur. Constet ergo Ecclesiam non habere iurisdictionem præcipiendi actus purè internos, neque item internos, qui informant actum externum; si tamen non manifestantur propriè per actum externum, excipiendam tamen ab hac regulâ attentionem in Officio diuino, in quam habere Ecclesiam iurisdictionem ostendimus ex ipsâ Ecclesiâ eam præcipiente; in actus verò, qui sunt volitiones efficaces, habere iurisdictionem non quidem immediatè, sed quatenus prohibet actum externum, eóque ipso reddit illum malum; ac propterea reddit malam volitionem quæ est illatiua illius.

Quos actus præcipere possit Ecclesia.

55. Vbi obserue Patrem Suarez docere, ideò eiusmodi actum interiorem prohiberi, quia est vnum quid cum externo. Quæ doctrina mihi nō placet; sicut neque ea alia, quòd per legem præcipiatur actio externa vt libera; non, inquam, placet, quia hoc formalissimè esset directè præcipere actus internos quà tales: nam actio externa eadem est, siue exterius sit libera, siue non; & siue sit volitio, siue non; ergo, si præter actionem externam præcipitur volitio libera directè & formaliter, præcipitur actus internus quà talis, & non quà manifestatur per exteriorem. Iam autem statuimus conclusionem communem, docētem non esse in Ecclesiâ iurisdictionem in eiusmodi actus interiores directè; atqui indirecta iurisdictio non potest esse, nisi quatenus hi actus interni sunt necessarij ad externos: ergo quando ea necessitas non est, vt in præsenti supponimus, non poterunt præcipi actus interiores.

interiores directè non possit præcipere.

56. Obijcies: Ergo, si ebrius quis audiat Sacrum, aut Officium diuinum recitet, iam eo ipso satisfaciet præcepto: id quod videtur esse manifestè falsum, & contra omnes Doctores: item, si violenter detineatur in templo, satisfacit præcepto audiendi Sacrum: præterea, si planè ignorans esse diem festum audiret Sacrum, satisfaciet; imò, etiamsi expresè interiùs dicat, *Nolo per hoc Sacrū satisfacere præcepto*, nihilominùs satisfaciet: quod planè absurdum est: sequitur autem ex dictis euidenter; quia dummodò actio exterior præcepta ponatur, ceteri alij actus interiores nō cadunt sub præceptum. Porrò id esse absurdum patet; nam qui debens Petro centum, donaret illi centum animo non satisfaciendi, sed liberali, procul dubio non extingueret illud debitum, ergo. Huic argumento responderi posset ex doctrinâ Patris Vasquez, tunc illum hominem obligari præcepto diuino, quia oratio & auditio Sacri exigit ex iure diuino, vt sit cum attentione & humano modo. Hæc tamen solutio non satisfacit, quia si quis, quando non est præceptum Ecclesiæ, assisteret Sacro ebrius, aut Breuiarium diceret, non peccaret; & tamen ex parte irreuerentiæ esset eadem ratio: quidquid autem ab Ecclesia præcipitur tunc expletur ab eo, ergo. Vt enim suprà contra eumdem Vasquez diximus, non debet supponi ab Ecclesiâ præcipi orationem adæquatè, quia in eo sensu iam supponetur præcipi ea attentio, quæ est de conceptu orationis: ergo solùm præcipitur actio exterior auditionis aut recitationis Officij; sed hæc non exigit de iure diuino eam attentionem, alioquin, etiamsi fieret

An ebrius Sacrum audiens aut diuinum Officium recitans præcepto satisfaciat.

57. Solutio Vasquez reprobatur.

non præcepta, eam exigeret, quandoquidem in se est eadem numero.

58. Fortasse ideò aliter responderet quis ex doctrinâ à nobis suprà datâ, quòd scilicet possit actus interior esse conditio, sub quâ imperetur actus exterior; ergo Ecclesia poterit præcipere auditionem Sacri dependenter à conditione libertatis; etiamsi hæc sit purè interna. Sed contrà, quia inde sequeretur, si ille homo totâ die esset ebrius & non audiret Sacrum, non peccaturum contra præceptū Ecclesiæ; quia Ecclesia non præcipit illi libertatem & carentiā ebrietatis, sed vt, casu quo haberet libertatem interiorē, tunc audiret Sacrum; ergo cùm posita non fuerit ea cōditio, non fuit ille obligatus ad obediēdum, quia præceptum non obligabat nisi positâ ea conditione, quam ipsum præceptum non imperabat: ergo eo tempore solùm ille peccauit contra naturale præceptum se non inebriandi.

Suggeritur alia solutio, sed insufficiens.

59. Respondendum igitur est ex his quæ diximus circa potestatem Ecclesiæ in ordine ad imperandum attentionem, &c. etenim sicut ibi docuimus Ecclesiam habere ius in eum actum internum vt informantem exteriorem recitationem, etiamsi in alios actus interiores non se manifestantes per exteriores nullum habeat ius; ita eodem modo dicimus de præcepto audiendi Sacrum, quia ea auditio ad cultum Dei spectat, sicut & recitatio Horarum Canonicarum: ergo cùm ille qui ebrius est eam attentionem interiorem nec ad Sacru, nneque ad Officium diuinū habere possit, vt per se constat, certum est, illum non satisfacturum præcepto; & hinc etiam constat, illum, qui violenter detinetur in templo, si attentionem non habeat, non satisfacere præcepto: quòd si verè attendat, satisfacit, vt statim dicam.

Resoluitur quæstio.

60. Replicabis, Ergo in ordine ad alias materias, vbi non est ea iurisdictio Ecclesiæ, satisfaciet per actus in ebrietate factos. Vnde si ebrius det decimas, aut soluit creditori, satisfaciet præcepto; cum tamen in ebrietate dominium trāsferre valide non possit. Respondeo, cum satisfacere, neq; teneri ad aliam donationem, sed summùm posse à cogi esse contentum, seu non repetere exteriùs eam materiam. Quomodo autem ad volitionem donatiuam seu commutatiuam & contrahentem posset quis à Magistratu obligari, etiamsi hic non habeat ius in actus internos, ostendi suprà; in præsenti autem adhuc minorem habet difficultatem: nam potest Ecclesia mandare talem dationem externam rei, vt non liceat illi repetere illam rem; hoc autem est indirectè illum obligare ad donandum: dicimus ergo in casu ebrietatis illum satisfacere per eam externam dationem, etiamsi nunc propriè non transferat dominium: dum enim postea sobrius agnoscens se obligatum fuisse ad donandum nolit ampliùs eam rem repetere, quia iam non ei licet, complet eam in ratione donationis.

Ebrius dans decimas aut creditori soluens satisfacit præcepto.

61. Ad alterum verò casum, si quis interiùs dicat, *Nolo per hoc Sacrum satisfacere præcepto*, Pater Suarez Tomo 3. in 3. part. disp. 88. sect. 3. putat illum non satisfacere, nisi ante finem Sacri mutet intentionem, velitque per illam auditionem satisfacere præcepto. Ego cum Vasquez quæst. 10. art. 9. & Salas suprà sect. 2. iudico illum omnino satisfacere, siue reuocet, siue non reuocet eam volitionem. Ratio est manifesta, quia ea reuocatione nec aufert præceptum Ecclesiæ, nec auditionem externam mutat; ergo non requiritur ea volitio.

62. *An audiens Sacrum, nolens per id præcepto satisfacere, satisfaciat. Suprà mens Vasquez, & auctoris opinio.*

volitio, si prius attentè & deuotè Sacrum audiuit. Deinde, eò quòd dixerit, *Nolo satisfacere per hoc Sacrum*, non imponit sibi præceptum audiendi nouum Sacrum; non enim habet ea volitio vim præcepti, quia nemo sibi præceptum imponit; votum autem per illam non emittitur, vt etiam per se constat: si enim esset tunc votum, iam ea obligatio non esset ratione præcepti Ecclesiæ, sed ratione voti; & eodem modo ac si esset dies feriatus: idem dicendum est, si iudicans diem esse profestum audiuit Sacrum, & deinde intellexit esse Festum; quia ea intentio satisfaciendi est pure extrinseca, & non est necessaria ad constituendam auditionem in ratione entis moralis seu cultus Dei, seu auditionis deuotæ. Et hæc doctrina locum habet, etsi violenter ibi detineatur, dummodò tamen attentè audiat.

Etiam violentè detentus in Sacro satisfacit præcepto.

Ad instantiam illam suprà in contrarium positam, de eo qui donans Petro centum non satisfacit illi pro antiquo debito, facilis est responsio; nam homo dominus est suæ pecuniæ, & per donationem gratuitam potest creditori suo dare plusquam illi debeat: vnde ea donatio est planè impertinens ad extinguendum debitum; at in ordine ad obligationem, quæ resurgit ex præcepto audiendi Sacrum, nō augetur per hoc, quòd ego quasi gratis Ecclesiæ offeram illud Sacrum; tum quia ibi non intercedit contractus cum Ecclesiâ, neque huius acceptatio cum iure ad aliud Sacrū: nam præceptum non obligat in genere iustitiæ: deinde, licet homo per dominium in suam auditionem posset, si voluisset, per votum se ad illud secundum Sacrum obligare, vt diximus; at in casu posito id non facit, vt supponimus; ergo non inducitur tunc noua obligatio. Constet ergo, neque ad actus ipsos efficaces posse obligare Ecclesiam, nisi quando illi sunt omnino necessarij ad existentiam materiæ; è contrario verò in ordine ad prohibitionem clarius est, eos actus posse ab Ecclesiâ prohiberi indirectè; quia cùm sint ex se factiui obiecti, eo ipso sunt mali, quia obiectum est malum: Ecclesia autem illud obiectum reddit malum, ergo & actus: an verò etiam tunc reddantur malæ delectationes morosæ ineffacces in eis obiectis, dixi Tomo præcedenti.

Satisfit iustitia donationis gratuitæ creditori factæ superiùs allata.

Ad quos actus efficaces possit obligare Ecclesia.

DISPVTATIO XX.

Expediuntur cætera quæ de lege Canonicâ desiderantur.

SECTIO I.

De formâ legis Canonicæ.

1. *Papa potest ea quæ vult formè legis ferre.*

VNO difficultati vno verbo respondemus, nullam esse specialē formam, quæ necessariò debeat obseruari à Papâ, quia cùm ipse sit supremum caput, potest quâ velit formâ legem ferre; ab Episcopis verò & inferioribus debere seruari formam quæ præscripta à Pontifice fuerit: quòd si nulla sit, tunc poterunt ipsi eti quâ velint.

Quando epistolæ Pontificiæ inducant legem Canonicam, & quando non.

Hac occasione dubitari potest, an epistolæ Pontificiæ inducant leges Canonicas. Respondeo, si Pontifex in epistolis respondeat declarando ius antiquum (qui solet esse frequens modus respondendi; quia Pontifices non tam consuluntur vt declarent, quid de nouo præcipiant, quàm quid debeat iuxta priora mandata fieri) tunc nō statuere nouam legem, sed summùm declarationem antiquæ: quæ declaratio deinceps habenda est pro regulâ seu pro intelligentiâ rigorosâ & necessariâ eius legis quæ ibi est explicata. Quòd si occasione etiam eius responsi Pontifex aliquid de nouo statuat, tūc illud habebit vim legis: deniq;, si in epistolâ non tam respondeat explicando, quàm determinando de nouo quid in tali casu sit faciendum, etiam eo ipso censetur legē statuere. Et ita cōmuniter sentiunt Doctores, vt videre est apud Patrem Suarez c. 14. Salas disp. 2. sect. 18. & Vasquez disp. 157 c. 5. Probatur autem hæc sententia, quia ita expresse tradidit Nicolaus Papa in epistolâ ad Episcopos Galliæ: & habetur dist. 19. c. 1. vbi dicit, Etiamsi illæ epistolæ decretales non sint insertæ in ius Canonicum, habere vim legis. Ratio verò facilis est: quia Pontifex potest hoc modo ferre leges, & ipse protestatur se velle eas ferre, ergo.

Papa determinās de nouo quid in aliquo casu faciendū sit, legem fert.

Obijci contra hæc solet Primò, quia in cap. *Sua.* 1. de sponsalibus, Alexander III. dicit matrimonium mutuo consensu perfici, verba autem esse necessaria pro Ecclesiâ. At hæc decisio non continet legem, ergo epistolæ Pontificiæ non faciunt legem. Respondetur, ex dictis in eâ epistolâ declarari id quod est de essentiâ matrimonij, nihil verò de nouo decerni; vnde ea declaratio habet vim definitionis, vt deinceps certum sit ea ad matrimonium esse necessaria.

2. *Alexandri III in cap. Sua. 1. de sponsalibus. mens explicatur.*

Secundò obijcitur idem Alexander III. qui in cap. *Licet.* de sponsalibus duorum; definit, matrimonium ratum non dissolui per subsequens consummatum; addit q;, *Quamuis aliter à quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando iudicatum:* ergo prædecessores illi erraruntergo non omnes epistolæ Pontificum sunt per modum legis aut definitionis certæ. Idem obijcitur ex Innocentio III. qui tacitò nomine videtur contra Cælestinū III. qui immediatè ipsū præcessit, definire, matrimonium contractum inter Catholicos & fideles non dissolui per superuenientem hæresim aut apostasiam alterius ex coniugibus.

Ad primum de Alexandro respondet Pater Suarez, nec cōstare qui illi prædecessores fuerint, & quibus verbis vsi sint; vnde diuinando censet fortè aliquem ex prædecessoribus in eo casu, de quo Alexander, dispensasse in rato ob subsequēs consummatum, non definiendo id esse de iure diuino, sed iudicando hic & nunc esse sufficientem causam pro dispensatione: in quo puncto, quod est tantum facti, procul dubio aliquando errare possunt dando dispensationem, quæ non debuisset dari; sicut possunt errare eligendo ad Episcopatum aut Cardinalatum, aliásve dignitates aliquos qui eis digni non sint. Addit verò ex Couarruiâ, si forte per modum sententiæ id dixerūt prædecessores aliqui, non definiendo, sed vt priuatam personam id dixisse: in quam etiam solutionem consentiunt Canus lib. 6. de Locis c. 8. ad 3. & Bellarminus lib. de Romanis Pontificibus cap. 13. qui addit, in ea epistolâ Alexandrum non definiuisse, sed explicuisse suum sensum: quod confirmat ex epistolâ quadam eiusdem Alexandri in Concilio Lateranensi, in quâ loquēs de eo matrimonio dicit, *Quamuis alij aliter sentiant*, &c. vbi suum priuatum sensum videtur opponere sensui aliorum: hoc tamen vltimum non

3. *Explicat Suarez Alexandrum.*

Canus & Bellarminus Suario assentiuntur.

putat

putat Suarez posse sustineri, eò quòd illa responsio est inserta iuri Canonico à Greg. IX. & pro generali lege tradita toti Ecclesiæ, ergo in eâ non potest contineri error vllus. Quæ ratio etiam mihi placet.

4. *Explicatur Innocentius ab auctore.*

Ad secundam obiectionem ex Innocent. respondeo cum Cano & Bellarmino suprà, Cælestinum in eâ epistolâ, quæ olim habebatur in cap.1. *Laudabilem.* & extat integra apud Antoniũ Augustinum in Collectionibus, collectione 2. Tractatu 23.cap.2.non definiendo, sed opinando locutum, quia ait, *Non enim videtur Nobis*: quibus verbis sine dubio sensum priuatũ indicauit Pontifex; vnde nõ habuit vim legis pro totâ Ecclesiâ.

An Episcoporum epistola pro suis Episcopatibus vim legis obtineant; & quando.

Circa eamdem difficultatem quæri potest, an etiã epistolæ Episcoporũ pro suis Episcopatibus, & in casibus, in quibus leges ferre aut priores declarare possunt, vim habeant legis. Respondeo vno verbo, posse habere, si illi velint; quia in ordine ad hoc, sicut se habet Pontifex respectu totius Ecclesiæ, se habet Episcopus respectu suæ diœcesis: neque est ratio aliter discurrẽdi in vno quàm in alio: quid autẽ quilibet de facto faciat, non est huius loci.

Sectio II.

De promulgatione legis Canonicæ.

5. *Quid & quãtũ temporis requiratur pro promulgatione legis Canonicæ.*

Affirmatiua quorundam.

QVærimus, an idem, quod dictum est suprà requiri in legibus ciuilibus ratione Authenticæ, vt scil. promulgentur in qualibet Metropoli Prouinciæ, & vt expectẽtur duo menses à promulgatione, sit etiam in Canonicis necessarium. Multi affirmant, eò quòd ius Canonicum accõmodare se solet ciuili, quãdo nihil habet expresè illi repugnans. Ergo cùm circa eam promulgationem nihil sit in contrarium statutum per Canones, videtur standum Authenticæ. Pro quâ doctrinâ multos refert P. Suarez cap.15. contrariam tamen ipse defendit ibi, citans pro eâ multò plures Doctores: ipsius sententiæ fundamentum est, quòd Ecclesia non videatur approbasse eam Authenticam: ex naturâ verò rei non requiritur ad valorem legis ea promulgatio in singulis Episcopatibus; neque item de facto expectantur duo menses; sed cùm primùm Romæ v.g. lex est promulgata habet vim, vt ibi obliget; pro locis verò remotioribus requiritur tempus illud quod per se necessarium est vt ad illa deferantur leges: hoc enim ex naturâ rei videtur necessarium, vt diximus suprà agentes de promulgatione legis. Confirmatur eadem sententia, quia multa sunt decreta in iure Canonico, quæ non fuerunt vmquam alibi promulgata. Deinde in Bullâ Cœnæ Domini idem apparet; vniuersaliter enim obligat, cùm tamen vix in aliquo Episcopatu postea legatur. Denique argumentum à contrario optimum est, quod quando Pontifices ob speciales causas volũt vt publicetur in Episcopatibus, & expectatur certum tempus, à quo incipiant leges obligare, id ipsum in eis legibus specialiter determinant, supponentes eo ipso, quando è contrario id non exigunt, obligare leges quamprimum publicantur.

Suarij mala & fundamenta.

6. *Bulla Cœnæ quo obliget.*

Sæpè obligant leges, quamprimum publicantur.

Idem autem dicendum est de legibus Episcoporum respectu suarum diœcesium; nam (vt paulò antè notaui) in hoc puncto sicut se habet Pontifex respectu totius orbis, ita Episcopus respectu suæ diœcesis; imò quoad punctũ promulgationis, quia diœcesis non se extendit ordinariè latè & incredibiliter, magis est coarctata quàm Pontificis auctoritas, facilius ibi sufficiet vna promulgatio in ciuitate matrice pro toto Episcopatu, quàm in ciuitate Romanâ pro toto orbe.

7. *Cap. vlt. Ne Clerici vel Monachi. item cap Nouerit. de sententiâ excõmunicationis explicantur.*

Obiicies contra hanc sententiam; In cap. vlt. *Ne Clerici vel Monachi*, dicitur, vt Clerici vel Monachi egressi è claustris ad audiẽdum Ius vel Physicam, nisi post duos menses ad claustra redeant, excõmunicentur; ergo sunt necessarij duo menses vt leges Canonicæ obligent: idem ferè habetur in cap. *Nouerit.* de sententiâ excommunicationis: in quo excommunicantur illi Capitulares, qui intra duos menses non delent contraria statuta immunitati Ecclesiæ. Respondetur, hos duos menses in vtroque capite non requiri à publicatione legis, ideóque non esse ad rem eos textus: requiruntur ergo duo menses in primo textu ab initio delicti, vt intra illos possit reus resipiscere; in secundo pro tempore sufficienti, vt reputarentur contumaces, & consequenter incurrentes excommunicationem. quod idem de primo casu dici potest.

8. *Cap Cũ singula. de præbẽd. in 6. enucleatur.*

Tertiò obiici potest cap. *Cùm singula.* de præbendis in 6. vbi dicitur, *Intra mensem post quã hæc constitutio peruenerit ad eos*, &c. ergo saltem vnus mensis requiritur vt eiusmodi constitutiones obligent. Respondeo, hac obiectione probari quod nos paulò antè diximus, scil. aliquãdo Pontifices ob specialem causam determinare tempus, ante quod nolunt vt obligẽt tales aut tales leges; per hoc autem non potest quidquam vniuersaliter de omnibus colligi: & ita est in hac particulari lege. Sententia hæc sic explicata in re, quæ solùm pendet ex voluntate Legislatorum, de quâ satis ex dictis constat, videtur omnino verâ, neque vlteriori indigere probatione.

Sectio III.

Vtrùm lex Canonica vt obliget indigeat acceptatione fidelium.

9. *Ciuilis est à cõmunitate, sed iurisdictio Ecclesiastica est à Christo.*

CIrca legem ciuilem similem quæstionem expediuimus: & quia ibi iurisdictio Principis est concessa à communitate, diximus, vtrùm ea acceptatio sit necessaria nec ne, pendere à modo quo iurisdictionem concessit Respublica; addidimus tamen, ordinariè loquendo, censeri ita eam concessisse, vt possit obligare independenter ab acceptatione, imò cogendo vt acceptetur; quia verò in præsenti iurisdictio Ecclesiastica venit à Christo, qui habet potestatem obligandi per legem homines etiam antequam ipsi eas acceptẽt, non dubium, ex hoc capite potuisse illum dare Ecclesiæ eam potestatem obligandi: è contrario verò, attentâ naturâ rerum; potuit sine dubio etiam cum restrictione concedere, vt obligare Papa non posset, nisi accedente acceptatione fidelium: eâ autem semel positâ tamquam conditione, non posset iam ab ipsis fidelibus reuocari.

Sensus quæstionis.

Quæstio ergo præsens tota reducetur ad declarandum, qualem de facto Christus concesserit in hoc puncto iurisdictionem.

Affirmant Maior, Driedo, Angelus, &c.

Non defuêre nõnulli, qui omnino censuerint eum consensum esse necessariũ: id tribuit P. Suarez cap. 16. Maiori, Driedoni, Angelo, Navarro, Armillæ, Couarruuiæ, & aliis; Salas verò disp.13. sect.1. multos alios refert vniuersaliter de omni lege loquentes. Circa Papam verò non omnes eodem modo eam sententiã probant; nam aliqui concedunt Papæ eam potestatem obligandi, dicunt tamen eũ nolle, nisi acceptentur leges à populo: alij verò negãt esse in illo talẽ potestatem.

10. DICENDVM tamẽ est PRIMÒ, absolutè loquendo,

Digitized by Google

Papa potest obligare, si velit, independenter ab acceptatione fidelium.

do, hanc potestatem esse in Pontifice, vt possit obligare, si velit, independenter ab acceptatione populi: ita communiter omnes ferè Doctores: & quia dixi, rem hanc totam pendere ex voluntate Christi, facilè suadetur ex verbis ipsius, quibus concessit eam iurisdictionem Petro: *Pasce oues meas*: quibus verbis iurisdictio datur Pastori, vt possit dirigere oues prout ipse iudicauerit; alioquin si ea iurisdictio non posset effectum suum sortiri, nisi ipsis ouibus consentientibus, profectò tanta esset in eis potestas se pascendi (vt sic dicã) quàm in proprio Pastore: hoc autẽ manifestè est falsum, & contra certissimam veritatem Catholicam de iurisdictione à Christo concessâ soli Petro eiusque successoribus. Id ipsum denotant illa verba, *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis*: vbi sine dubio datur potestas ligandi etiam inuitum: & licet fortè hæc potestas maiori ex parte sit in ordine ad forum confessionis, nihilominùs etiam ibi includitur potestas legislatiua. Denique id suadet apertè perpetua Ecclesiæ praxis; nam sæpè nolentes cogunt Pontifices per præcepta, per censuras, excommunicationem, &c. nec potest dici id esse verum in ordine ad particularia præcepta, non autem ad leges; id, inquam, dici non potest, quia iurisdictio à Christo concessa Petro & successoribus in hoc puncto non magis respicit particulare mandatum quàm vniuersale: & sicut vnum hominem potest ligare nolẽtem, potest multos nolentes; quia illi non resistunt per vires physicas, in quibus difficilius est multos superare quàm vnum, sed per iniquam volitionem: in quo puncto non iuuantur per collectionem voluntatum; nam etsi omnes nolint seruare castitatem, non propterea liberabuntur ab obligatione præcepti.

Probatur id ex Scriptura.

Matth. 16.

Perpetua Ecclesiæ praxis.

Iurisdictio Petro & successoribus data aquè respicit vniuersalia mandata ac particularia.

11. *Papa ferens legem simpliciter censetur velle cogere etiã inuitos.*

Hinc DICENDVM est SECVNDÒ, Quando expressè Papa in suâ lege non insinuat se velle expectare acceptationem populi, sed eam fert simpliciter, conseri velle cogere etiã nolentes; & consequenter eos, qui eam legem incipiunt non seruare post sufficientem promulgationẽ illius, peccare iuxta grauitatem materiæ & legis. Hæc secunda assertio non est tam certa quàm prior, quia in hac non agitur de iure, sed de voluntate Pontificum, qualem scil. ordinariè habeant; est tamen communis sententia: ratio huius est, quia iurisdictio absolutè prolata videtur eam vim habere vt obliget nolentes: ergo quando eâ vtitur Legislator sine vllâ restrictione, censetur absolutè velle obligare etiam nolentes.

12. *Qui Tridentinũ nõ obligat, nisi vbi est acceptatum; & cur.*

Dices, Contrarium videtur esse in vsu, etenim Concilij Tridentini leges nõ obligant, nisi vbi illud acceptatũ est; & tamen Pontifex in Bullâ approbationis illius, & quâ obligat ad obseruationem, non facit vllam limitationem; ergo per se ea subintelligitur; ergo eodem modo in aliis legibus non vult obligare non acceptantes. Respondeo, Pontificem omnino voluisse per ea verba omnes obligare ad obseruationem; quia tamen, ob hæresim in aliquibus Regnis dominantem, visum est supplicare de illis legibus, Pontifex ratam habuit ibi suspensionem. Vel secundò respõderi potest independenter à supplicatione, ob magnam difficultatem obseruationis eius Concilij in aliquibus Prouinciis incœpisse non obseruari, & sic paulatim præscripsisse, ipso etiam Pontifice sciente & dissimulante.

SECTIO. IV.

Duæ quæstiunculæ ex dictis ortæ soluuntur.

13. *An liceat supplicare Pontifici contra legem.*

DVas pro huius obiectionis solutione tetigi quæstiunculas, quæ nonnihil ampliùs examinari debent. Prima est de supplicatione ad ipsũ Pontificem contra legem. In quo puncto non defuêre, qui id negauerint licitum esse: quorũ fundamentum est, quia licet ex sententiâ appellari queat, quia fertur in negotio particulari in quo potest esse grauamen aliquod, quod Iudex ignorauerit, ratione cuius ignorãtiæ iusta sit appellatio aut supplicatio; ex lege tamẽ, quæ respicit vniuersale bonũ, nõ potest vnus aut alter supplicare ob particularia grauamina: ea enim non obstant iustitiæ & æquitati legis, vt sæpè dictũ est.

14. *Quando supplicatio sit appellatio.*

Dicendum tamẽ locũ esse pro eâ supplicatione seu appellatione, licet fortè appellatio non sit vocanda, nisi quãdo est ab vno Iudice aut Legislatore ad alium superiorẽ: quod locũ non habet, quando lex, ob quam supplicatur, est à supremo Legislatore. Ratio huius est manifesta maximè in legibus Canonicis, quæ dantur vniuersaliter pro totâ Ecclesiâ; nã hæc constat ex multis Prouinciis & Regnis valdè inter se diuersis tum moribus, tum inclinationibus, cõmoditatibus viuendi, &c. vnde sæpè contingit, vt Papa ignorans rationes, ob quas in aliqua Prouinciâ lex ipsius ferè sit intolerabilis, vniuersaliter tamen pro totâ Ecclesiâ eam legem ferat; quis ergo dicet ius naturale tunc non permittere nomine eius Prouinciæ eas difficultates proponere, & supplicare, vt eam legem pro eâ Prouinciâ reuocet? vbi simul satisfit rationi dubitandi in contrarium; nã quando Legislator habet tam amplam ditionem, tunc quælibet Prouincia censetur respectu illius, ac si imposuisset præceptũ particulare vni personæ ignorando rationes, quæ possunt illud ibi reddere valdè graue: neq, ideò illa lex declaratur imprudens; nam esto posteà reuocetur pro tali loco, non tamen propterea omnino destruitur, quia obligat pro cæteris partibus: ideóq; adhuc absolutè censetur Legislator prudenter eam legem tulisse. Exẽplum pono manifestum in lege ieiunij Quadragesimalis non solùm carnes, sed etiam lacticinia quæque prohibẽte: quis dubitat, multas esse Prouincias à mari valdè distantes, & fluuiis ac piscinis carentes, in quibus vix aut ne vix haberi possint pisces, maximè si homines sint pauperes; certè obligare tales, vt toto illo tempore solo pane & fortè aliquibus fructibus siccis sustententur, grauissimum est: meritò ergo potuerũt tales supplicare, vt sibi liceret vti lacticiniis, quibus alioquin abundarent: & verò grata deberet esse talis supplicatio Pontifici, quia per eam agnoscunt fideles suam subiectionem; item, fatẽtur legem habere vim eos obligandi, si Pontifex non dispenset: deniq; quia per hoc cum beneplacito Pontificis occurrere volunt grauibus scrupulis & occasionibus peccati, quæ inde poterant oriri.

Lex reuocata pro vno loco non tollitur absolutè.

15. *Patet id in lege de ieiunio Quadragesimæ.*

Quid facto opus ante resolutionem Papæ.

Dices, Quid ergo eo tẽpore antequam responsum veniat debet fieri? Respondeo, posse tunc ab eâ communitate aut Prouinciâ, quæ supplicet, suspẽdi executionem rei quousq; vltima decisio veniat: quòd si res præcepta ibi sit valdè difficilis, vel ex hoc ipso capite excusabuntur statim ab obseruatione.

16.

Secunda quæstiuncula ex solutione data promanans est, an lex etiam Canonica, si per consuetudinem

Digitized by Google

Quando Lex Canonica per consuetudinē tolerātē acceptata censeatur abrogari.

suetudinem toleratam non acceptetur, desinat obligare. In quo puncto in primis si Legislator sciat eam non acceptari, & non seruari, ac dissimulet, iam eo ipso censetur nolle obligare: & in hoc puncto non potest esse vlla difficultas, quia qui tacet consentire videtur; addenda tamen limitatio, nisi Legislator iustas ob causas cēseatur tunc quasi necessitate compelli ad dissimulandum: tunc enim eius tacitus consensus pro nullo reputatur, vt sæpè in aliis materiis dictum est: quantum verò temporis necessarium sit, vt censeatur abrogata ea lex, debet arbitrio prudentis viri determinari: videtur tamen certum, si statim ab initio hoc aduertat Legislator, & consentiat, sufficere paucos actus contrarios, & non requiri multum temporis.

17. *Quid si nesciat Legislator legē suam non acceptari abrogatúrne?*

Maior est difficultas, casu quo Legislator non sciat eam legem non acceptari, in quo videtur consequenter ad conclusiones suprà positas non posse abrogari per consuetudinem; nam cùm Legislator habeat vim cogendi etiam inuitos & puniendi eos qui non obseruant, & acceptatio non requiratur ad valorem legis, non videtur intelligi posse, per eam non-acceptationem tolli obligationem legis. Nihilominùs tamen certum putat P. Suarez cap.16 n. 10. non esse necessariam eam scientiam; quia, inquit, id est moraliter impossibile. Ego hanc rationem non valdè approbo, quia non scio cur debeat dici moraliter impossibile ad Regis aures v.g. peruenire, legem non obseruari & idem dico de Pontifice, qui facilè id potest per Episcopos & alias personas intelligere. Quidquid ergo de hac ratione sit, afferuntur duo textus pro hac sententiâ, qui nullo modo fauent: Primus est ex ca. *Cum pater*. de fide instrumentorum; alter ex capite primo de consuetudinibus in 6. in illis tamen ego nec verbum quod faueat inuenio; imò potiùs in hoc vltimo Bonifacius VIII. consuetudinem immemorabilē contra præceptum Papæ, de non habendis duabus præbendis simul, etiamsi sit iuramento confirmata, nullam planè esse determinat: id quod potiùs est contra sententiam positam quàm pro illâ. Vnicū ergo video posse esse eius opinionis fundamentum, quòd scil. esto Princeps ignoret non-acceptationem legis, nolit tamen, nisi expresè id ipse significet, obligare quando non acceptatur. Verùm & hæc ratio videtur planè destruere conclusionem communem suprà positam, quòd nisi explicet Pontifex, se velle expectare acceptationem legis à subditis, re ipsâ statim obliget: hic autem dicitur non obligare: quæ duo contraria sine dubio sunt.

Opinio Suarij improbabili ratione fulcitur.

18. *Conciliatur vtraque sententia.*

Pro intelligentiâ ergo huius secundæ partis, & ad conciliandam vtramque sententiam, aduerte, vt hæc non-acceptatio inscio Legislatore cēseatur impedire valorem legis, debere prodire à iustâ causâ, ob difficultatem aliquam grauem in eius obseruatione, aut ob periculum, quod inde timetur: quæ licet non sufficiant, vt lex absolutè sit iniusta, & consequenter, neque vt sit ex naturâ rei nulla, sufficiunt tamen, vt accedente non-acceptatione censeatur Legislator nolle per illā obligare: quando autem diximus suprà, non acceptationem impedire, ne lex obliget, locuti sumus de non-acceptatione, quæ solùm fundata sit in eo, quòd subditi nolint eam legem habere: hęc enim non-acceptatio integram relinquit legem: vnde Gregor. IX. cap. vlt. de consuetudine sic ait, *Licet longæua consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est vsque adeò valitura, vt vel iuri positiuo debeat præiudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.*

19. *An primi non seruantes legem peccent.*

Hinc tamen duæ graues insurgunt difficultates. Prima, an qui ab initio incipiunt eam legem non seruare censeri debeant peccare; cùm ipsis non faueat præscriptio, & causæ illę nō sint sufficientes, vt simpliciter lex non obliget. Secunda, an si illi incipiant non seruare peccando, possit esse legitima præscriptio: quomodo enim legitimè præscribitur per actum malum? Fateor rem hanc satis esse intricatam; nihilominùs respondeo, in eo casu illos, qui ab initio non seruarunt legem, peccasse (vt conuincit ratio facta) nisi forte ob ignorantiam inuincibilem excusati fuerint, putantes se non teneri eis legibus. Ad secundam verò difficultatem dico, inde non inferri, præscriptionem non posse esse legitimam; nam licet illi, qui primò violant, peccent; alij tamen, qui non inueniunt legem in vsu, bonâ fide procedunt; & consequenter per illos legitimè potest præscribi. In hoc autē modo præscriptionis plus temporis requiritur, quàm si Legislatori constaret de non-acceptatione; & dissimularet. Aliqui dicunt, decennium esse necessarium, quia hoc tempus sufficit, vt dicatur consuetudo longa; alij verò negant tam longum requiri: quod fortè verū est: sed in hoc puncto nihil potest certò generaliter decidi, quia pendet tum à grauitate materiæ (si enim res sit leuioris momenti facilius præscribitur) tum à tempore, quo obligat lex; nam si est materia, quę quasi singulis diebus sit in vsu, tūc ante decennium possunt fieri actus contrarij sufficientes ad præscribendū; si verò solùm semel in anno obliget, fortè non sufficiant pauciores anni quàm decem, quia tunc non erunt nisi decem actus cōtrarij ei obseruationi: sed hoc punctum, quia tangit difficultatem de abrogatione legis etiam Canonicæ per contrariam consuetudinem, fusiùs infrà discutietur.

An per actū malum præscribi possit.

Quantū tēporis requiratur ad præscribendum in lege.

20. *Non-acceptatio maioris partis populi prænalet minori, imò & æquali.*

Hoc tamen aduerto circa eam non-acceptationē, debere illam esse à maiori parte populi & quasi publicam: nam si maior pars eam acceptat, & obseruet, procul dubio debet ea præualere contra minorem, imò etsi sint æquales partes; nā tunc in fauorem legis, quæ ex se habet vim obligandi, iudicandum est. Quæri tamen hîc potest, quid si lex, quæ ab initio non est acceptata, posteà iterùm incipiat obseruari, obligabitne tunc, an verò iam supponi debet abrogata, & obseruantia illius iudicanda erit, ac si ex deuotione vel ex omnimodâ libertate fieret? Nauarrus, quem refert & sequitur Suarez, dicit eam legem non fuisse per non-obseruationem abrogatam, sed suspensam; ideóque cùm primùm incipit obseruari, statim de nouo obligare; addit tamen Nauarrus, si ob ignorantiam, quia scil. in illâ Prouinciâ aut loco publicata non fuit, non obseruetur, tunc eo ipso desinere esse legē: differentiam inter non-obseruationem ex ignorantia, & non-acceptationem scientificam eam ponit, quòd ignorantia, cùm magis excuset à culpâ, potentior est ad præscribendum & tollendam obligationem quàm non-acceptatio scientifica; quę potiùs videbatur digna punitione. Quæ disparitas non placuit P. Suario; ideò etiam asserit per ignorantiam non tolli omnino legem: ad disparitatem verò Nauarri nihil respondet.

An lex primitus nō acceptata, posteà verò obseruari cœpta obliget? Opinio Nauarri & Suarez.

21. *Ignorātia nō tollit legē, sed non acceptatio.*

Ego sanè è cōtrario crediderim, fortè per ignorantiam non tolli legem, per non-acceptationem autē (de quâ suprà) omnino tolli. Inducor in hanc sententiam, quia ignorantia numquam censetur

Digitized by Google

contraria valori legis, sed inuincibiliter excusans ab obligatione; quia nemo tenetur ad id quod ignorat, siue sit in eâ minor culpa siue major: de quo nō curo: ad hoc enim impertinens est ratio à Nauarro assignata. Ergo nō censetur Legislator propter eam ignorantiā corrigere legē, sed solùm acceptare excusationē naturalē in non obseruatione, & expectare donec populo promulgetur, vt obseruetur: quia verò non-acceptatio est quodammodò contraria ipsi legi, & ratione difficultatum, ob quas incœpit, censetur Legislatorem motueri vt eam omnino reuocet: quod maximè locum habet, si sciat & dissimulet: tunc enim non censetur dissimulare excusando factum ipsum, sicut in ignorantiā; ergo censetur tollere vinculum; & non est fundamentum vt dicamus illum ad tempus tollere; ergo absolutè, ergo perinde ac si illud non posuisset.

Qui Legislator in lege scienter dissimulans eam tollat.

SECTIO V.

De obligatione legis Canonicæ.

22. OMnia ferè quæ ad hanc sectionem spectant expedita à nobis suprà fuēre dum de lege humanā disputauimus; ideò ea breuissimè insinuauimus; addemus autem aliqua, quæ propria sunt huius loci.

Lex Ecclesiastica habet vim obligādi in cōscientiā.

PRIMÒ ergo DICENDVM est, Ecclesiasticam legem posse obligare in conscientiā. Hæc constat ex suprà dictis de lege ciuili; quæ à fortiori hīc locum habet: nam cùm hæ leges magis per se ordinentur ad bonum animæ à Christo, qui haud dubiè vim habet obligandi in conscientiā, non potest esse dubium de eā potestate. Dixi autem potest, quia superiùs ostendimus posse esse legem, quæ non obliget sub peccato.

Potest etiam obligari sub mortali.

SECVNDÒ DICENDVM est, posse etiam obligare sub peccato mortali. In quo conueniunt ferè omnes Doctores, quia ea iurisdictio non est data à Christo Ecclesiæ cum restrictione, sed potiùs cum maiori extensione quàm sit iurisdictio ciuilis respectu suarum legum; sed ciuilis potest grauiter obligare, ergo à fortiori hæc. Confirmatur, quia Lucæ 10. dixit Christus, *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* At qui Christus non spernitur nisi per peccatum graue, ergo. Alia possent adduci loca pro eā veritate: verum in re clarā, & apud Catholicos omnino extra controuersiam, non diutiùs hærendum.

23. *An in leges Ecclesiasticas non peccetur nisi venialiter. D. Bernardus enodatur.*

Vbi reiiciendi sunt aliqui, qui putant contra leges Ecclesiasticas non peccari nisi venialiter, excepto contemptu & consuetudine, quæ faciunt peccatum esse graue. Cui sententiæ videtur fauere D. Bernardus, qui de Præceptis & dispensatione cap. 11. ait peccata contra leges positiuas non esse magna, si contemptus desit. Reiiciendi tamen hi auctores, quia praxis & sensus totius Ecclesiæ est, illum, qui sine causā omittit Sacrum die festo, aut comedit carnes die prohibito, peccare mortaliter, etiamsi vnā tātùm vice id faciat; & licet nullus ad sit contemptus: neq; pro eā doctrinā vllum potest esse fundamentum vllius momenti, nam suppositā iurisdictione sufficienti in Ecclesiā ad obligandum sub mortali, si materia sit grauis, certè sub eā grauitate tradi multa Ecclesiæ præcepta, nemo dubitare potest, ob rationem datam. Ad Bernardum dicimus, illum solùm locutum de aliquibus regulis in Religione, vel quæ sunt circa materiam leuem, vel quæ solùm obligant sub veniali. Eiusmodi multa sunt statuta in Ordinibus Religiosis.

24. *Quā sit dignoscēda grauis obligatio à leui.*

DICENDVM TERTIÒ, Quando Ecclesiasticus Legislator obligare velit sub mortali, quando verò solùm sub veniali, etiamsi materia sit alioquin grauis (nam in leui sæpè diximus, per se loquendo, non posse esse obligationem grauem) non posse facilè determinari, quia verbum ipsum *præcipio* seu *mando* indifferens est ad leuem & grauem obligationem: dignoscendum est ergo id vel ex terminis quibus vtitur: si enim sub maledictione diuinā, & similibus, imperetur, certum est, obligationem esse grauē, quia illæ pœnæ non incurruntur nisi ob mortale: quando item dicit, *Præcipimus strictè* vel *in virtute obedientiæ*, eam ipsam grauem obligationem denotat.

An appositio censuræ ad legē grauem obligationem inferat.

Verti in dubium solet hac occasione, an si apponatur pro pœnā censura aliqua, inde inferatur grauis obligatio. Verùm hæc quæstio ad materiam de censuris spectat; ibi enim solet tractari, quale peccatum sufficiat aut requiratur ad quamlibet censuram incurrendam; hinc enim debet inferri, quando ea comminatio oriatur ab animo grauiter obligante, aut è contrario solùm leuiter. In quo puncto P. Suarez ca. 18. Salas disput. 10. sect. 9. Vasq. disp. 158. cap. 5. docent Primò pœnam excommunicationis minoris non indicare grauem obligationem, quia ea solet incurri ob veniale. Secundò, si excommunicatio sit maior, & imponatur vt contrahenda ipso facto signum esse grauis obligationis, quia hæc censura cùm sit grauissima, non potest incurri ob solum veniale; cumque in eo casu trāsgressio illius legis sit adæquata causa eam incurrendi, debet necessariò ea transgressio esse grauis. Tertiò, si ea excommunicatio non imponatur vt ipso facto incurrenda, sed tunc, cùm primùm posteà Iudex in pœnam illius transgressionis eam imposuerit, sub distinctione respondet P. Suarez: aut enim potest ea censura imponi sine nouā admonitione; & tunc cēset, eam supponere peccatum graue, quod in solā eā transgressione legis repertum fuit; ergo ea lex obligabat sub mortali. Hæc omnia vera censeo; & sunt satis per se clara, ac alioquin communi sententiæ valdè conformia. Vltimum quod sequitur mihi non placet. Addit ergo P. Suarez, aut ea excommunicatio maior imponitur vt ferenda, post admonitionem tamen Prælati, vt desistat homo ab eā transgressione; quo casu censet non esse signum grauis peccati in primā transgressione, quia etiamsi ea non fuisset mortalis, contumacia tamen accedens facit transgressionem secundam grauem, quia multum augetur ex inobedientiā & contumaciā contra Prælati admonitionem. pro quā vltimā resolutione citat Caietanum & Driedonem. Dixi, *mihi hoc vltimum non placere*: causam meo iudicio clarè ostendo; nam vel illa admonitio noua Prælati continetur intra terminos prioris obligationis, estque solùm repetitio illius: sicut si quis Prælatus frequenter admoneret subditum ne mentiatur; per quam admonitionem non imponit altiorem obligationē non mentiendi, sed in memoriam reuocat priorem: vel ea secūda admonitio Prælatia est noua prohibitio grauis, prima verò fuit solùm leuis: si primū dicatur, numquā ea secunda transgressio, etiamsi vocetur contumacia, transibit in mortale, nisi fortè contemptus adsit; de quo hīc non agimus; quia hīc poterat etiam inueniri in primā transgressione: & est alioquin peccatū diuersæ speciei ab eo de quo disputamus. Probo subsumptum; nam consuetudo peccandi (vt benè

25. *Quid si ea primò post iudicis impositione sit incurrenda. Suarez distinguit.*

26. *Dissentit vltima Suarij resolutio.*

Consuetudo peccandi non facit à veniali mortale.

ipse

Digitized by Google

ipse Suarez passim alibi docet) non facit ex peccato veniali mortale, nec secundum mendacium, quia secundum est, redditur mortale: idem dico in omnibus aliis materiis: & idem etiam de præceptis Superiorum dicendum; nam si secundus Superior sub veniali præcipit sicut primus, etsi aliquo modo inde transgressio crescat, semper tamè intra terminos peccati venialis: ergo, casu quo excommunicatio sit incurrenda post admonitionem, non potest dici, primam transgressionem fuisse venialem, secundam verò mortalem: non habet ergo in hoc casu locum doctrina Patris Suarez. Vbi aduerte, non fauere eius sententiæ P. Vasquez, eò quòd suprà fine illius capitis dicat, culpam aliquando ex contumaciâ fieri grauiorem & dignam quæ excommunicatione prohibeatur; non, inquam, fauere; nam ibi loquitur P. Vasquez de culpâ quæ iam erat mortalis, & ob contumaciam redditur digna tali pœnâ; non autem dicit culpam venialem ex contumaciâ transire in mortalem & dignam excommunicatione maiori: si verò dicamus secundum Superiorem mutare modum prohibendi, vt scilicet grauiter prohibeat eam transgressionem quæ ab imponente excommunicationem solùm leuiter fuerat prohibita, multò minùs habet locum ea doctrina, non quia negem eam secundam transgressionem capacem esse excommunicationis, etiamsi prima non fuerit, sed quia casus non est vllo modo ad rem præsentem, tunc enim excommunicatio illa non imponetur vi huius primi Legislatoris, sed secundi; & perinde se habebit primus ille ac si dixisset, *Ego quidem non prohibeo rem hanc sufficienter, vt homo vi mei præcepti incurrere possit excommunicationem; si tamen voluerit alius Legislator grauiter prohibere, poterit ob transgressionem sui præcepti excommunicare.* Quæ volitio sine dubio nec est impositiua pœnæ, sed magis declarat quid alter facere possit, nec est ad præsentem casum, quia hîc agimus de eâ voluntate legem ferente, ex cuius transgressione sine nouo grauiori præcepto ea excommunicatio incurratur.

27. *Quid Vasq. sentiat.*

28. Igitur dicendum censeo absolutè cum D. Antonino, Ioanne de Neapoli, Siluestro, Angelo, & aliis, quos refert idem Suarez suprà nu. 16. & sequitur Salas disp. 10. sect. 9. multos alios pro se citans, quandoquidem imponitur excommunicatio maior, etiam vt ferenda post admonitionem, signum esse grauis obligationis; quia tunc saltem post admonitionem supponitur transgressio mortalis, ergo etiam ante; quia illa admonitio, vt dixi, non potest vsurpari pro nouo præcepto grauiter prohibente rem, quæ prius solùm leuiter prohibebatur, vt dixi: imò admonitio illa non solùm non est grauius præceptum, sed neo propriè nouum; est ergo pura quasi reuocatio in memoriam obligationis: ex quâ reuocatione non potest veniale transire in mortale, vt ostensum est: ergo si posteà est mortale, etiam fuit anteà. Quòd verò ea excommunicatio non imponatur statim incurrenda, non ideò fit, quia spectetur secundum peccatum, quòd sit mortale, cùm primum fuerit solùm veniale; hoc enim non esset imponere eam ob primum, sed ob secundum; ideò ergo expectatur secundum post admonitionem, quia noluit Legislator vti toto rigore, sed dare locum delinquenti ad resipiscendum; esto prima transgressio sufficientissima esset, fuisset pro eâ censurâ.

Excommunicatio maior etiã vt ferẽda post admonitionẽ indicat grauem obligationem.

Cur à Legislatore expectetur secũda transgressio ante censuram.

29. Circa suspensionem, interdictum & irregularitatem nonnulli apud Vasq. suprà negant esse indicium obligationis grauis, ipse verò docet esse euidens indicium. P. Suarez distinguit eas duas primas censuras, suspensionem & interdictum, in totales & partiales: partialem suspensionem (& idem est de interdicto) vocat, quando non totus vsus ordinis, sed aliquis tantùm impeditur; & ad hunc putat non requiri culpam grauem, ideóque eius comminationem non censet esse signum obligationis sub mortali; secùs est si sit totalis. Ego tamen maiorem censeo necessariam esse distinctionem: etenim licet Sacerdos non suspendatur ex integro à suo officio v.g. celebrandi Sacrum, audiendi confessiones, prædicandi; si tamen ab officio celebrandi suspendatur aliis permissis, non dubitarem ibi grauem pœnam includi, & quæ requirat peccatum graue. Dicendum ergo est: Etiamsi suspensio partialis sit, si tamen sit à re magni momenti, videri probabilius eam esse indicium obligationis grauis; secùs si sit leuior res: v.g. impedire, ne confessiones audiat, non reputatur admodum grauis pœna: imò frequentissimè multis est res gratissima: deinde sæpè ex variis capitibus id impediri solet sine graui culpâ; vnde talis suspensio non videtur esse signum obligationis sub mortali. Et hoc modo concilio eas oppositas sententias. De irregularitate, quando non est censura orta ex culpâ, sed ex aliquo defectu, qui in indecentiâ naturali consistit, nihil hîc dicendum, quia non est ad rem præsentem, in quâ de culpâ disputamus; quando verò incurritur ob culpam, potest probabiliter dici pœna grauis, ideoque culpam grauem requirere, vt docet Vasquez & alij multi.

An suspensio, interdictũ & irregularitas sint indicium grauis obligationis. Sententia Vasquez & Suarez dijsẽtiũt.

Petrõq; concilĩat auctor.

Sectio VI.

Quas personas obliget lex Canonica.

30. VIx aliquid speciale occurrit in hoc puncto; sed dicendum vniuersaliter, Si lex sit Pontificia, & extendatur ex Papæ voluntate ad totam Ecclesiam, totam obligandam, quia tota est sub eius iurisdictione; si verò ipse pro suâ voluntate aliquos excipiat, haud dubiè illos non obligari: quomodo autem ipse obligetur suis propriis legibus, dictum est suprà, dum de lege humanâ in communi disputauimus. Quòd si leges sint Episcopales, extendentur ad omnes qui ad eum Episcopatum pertinent, etiam peregrinos, iuxta dicta suprà, dum egimus de lege humanâ.

Lex Pontificia obligat eos solũm quos Papa vult.

Aduerte Primò totum hoc esse intelligendum de hominibus baptizatis; nam Christus Dominus noluit iurisdictionem concedere Ecclesiæ in eos qui baptizati non sunt, iuxta illud Pauli sæpè repetitum, *De ijs, qui foris sunt*, &c. Hæretici verò etsi dicantur excluſi ab Ecclesiâ quoad fauorabilia, quia per hæresim se illis priuarunt voluntariè; quoad iurisdictionem tamen subsunt Ecclesiæ.

Papa nõ habet ius in nõ baptizatos, etsi habeat in hæreticos. 1. Cor. 5.

Aduertendum Secundò, legibus Canonicis nõ solùm obligari Ecclesiasticos, sed etiam laicos; quia etiam hi sunt oues Christi, vt sæpè diximus: per quod non negamus, sæpè multas esse leges pro solis Ecclesiasticis; sicut è contrario multæ sunt pro solis laicis: quomodo autem qui intra territorium sunt non obligentur, si sint exempti, diximus agentes de lege humanâ,

Lex Põtificia etiam laicos obligat.

Illud tantum restat declarandum, an personæ Religiosę obligentur legibus synodalibus ad totum Episcopatũ se extendentibus. Pro resolutione aduerte, Religiosos aliquos esse exemptos à iurisd

Digitized by Google

Religiosi exempti à iurisdictione Ordinariorũ non tenentur eorũ synodalibus legibus.

iurisdictione Episcopali, aliquos verò non: ergo si de exemptis loquamur, conclusio sit, eos non obligari eis legibus: patet, quia ad hoc maximè ordinatur ea exemptio. Secundò, quia Tridentinum sess. 25. cap. 12. tamquam singulare aliquid præcepit, vt in obseruatione Festorum & censurarum Religiosi exempti obediant Episcopo; per quod supponit in cæteris non teneri, imò nec anteà ad hæc duo fuisse obligatos. Tertiò, quia Religiosi exempti (vt constat ex ca. 1. de priuilegiis in 6.) non tenentur Episcopo parere, nisi in casibus à iure exceptis; non excipiuntur autem à iure leges synodales, ergo.

31.

Exempti nõ tenẽtur se conformare communitati, nisi in eo in quo sunt pars illius.

Dices, Religiosi iure naturę tãquam pars communitatis tenentur se cõformare tori, ergo & obseruare has leges. Respondeo ex sæpè dictis, hanc conformationem obligare exemptos, alioquin & ille, cum quo dispensatur validè, teneretur etiam legibus; quia adhuc post dispẽsationem est pars eius communitatis; vel, si vis magis scholasticè respondere distingue, *Religiosi in eo puncto, in quo sunt pars, tenentur se accommodare*, admitto antecedens; *in eo, in quo non sunt pars*, nego antecedẽs, vnde nego consequentiam, quia in ordine ad has leges, eo ipso quòd exempti sint, iam sunt quasi à cæteris separati, iam non sunt pars.

vel ratione scandali.

Fortasse aliquando ratione scandali tenebuntur aliquas obseruare: v.g. si imponantur ieiunia: populus enim valdè scandalizaretur, si, dum ipse ieiunat, videat Religiosos, quos iudicat adhuc magis ad id obligatos, nõ ieiunare: at hoc est per accidens; & solùm obligabit in publico, non in occulto. Qui verò Religiosi sint exempti, qui non, non est huius loci.

Aũ nẽ exẽpti legibus illis teneantur.

Circa non exemptos verò quorumdam opinio est, eos etiam ratione status non teneri; quia cùm habeant ipsi pro se proprias leges & alia onera, ieiunia, &c. videretur nimiùm graue, si simul obligarentur ad seruandas leges in Episcopatu pro cæteris vniuersaliter latas. Confirmant idem à contrario; nam sæculares non tenentur ad regulas religiosas, ergo neque Religiosi ad leges quibus obligantur sæculares. Alij verò distinguunt duplicem legem; vnam vocant iurisdictionis, aliam diœcesanam: ab illâ primâ dicunt Religiosos non eximi, secùs à secundâ.

32.

Conceptus Religiosi vt sic nemine à lege Episcopali vndi cat.

Conclusio sit: Ex conceptu Religiosi vt sic nemo excipitur à legibus Episcoporum. Hæc videtur esse manifesta; nã quòd quis subiiciatur Episcopo, non prouenit ex voluntate propriâ, sed ex Pontificis determinatione, qui homines habitantes in hoc loco subiicit tali Episcopo, illos verò alteri, & sic de cæteris: ergo non est in potestate illius subditi dicere, *Ego volo vt non Episcopus, sed alter Religiosus superior habeat in me iurisdictionem*: poterit quidem se simul alteri subiicere, at non in ordine ad ea quæ sint contraria priori subiectioni: sicut nemo potest votum facere in præiudicium eiusdem subiectionis. Et hinc respondetur ad rationem allatam pro sententiâ contrariâ; dicimus enim, illum statum religiosum non repugnare eius iurisdictioni, ideóque per illum non excusari à seruandis legibus: quòd si repugnaret, tunc sine Pontificis licentiâ non posset se ab eius iurisdictione liberare. Quòd verò dicatur, illis graue fore vtrasque leges seruare, non vrget, quia ipsi ex affectu maioris perfectionis ad ea onera perferenda se exposuêre; vnde apparet argumentum à contrario è sæcularibus, qui non tenentur regulis Religionum, nullius esse momenti; cur enim sæculares deberent obligari ad ea, quæ solùm sunt pro his qui maiorem perfectionem sectantur? At hi, qui non desinunt esse oues Christi, sicut cæteri, non possunt amittere subiectionem antiquam, nisi à Papâ eximantur, vt iam supponimus non eximi; alioquin eadem planè formâ argumentandi dicere quis posset, Seruare leges naturales & simul religiosas est graue onus: præterea sæculares, qui tenentur ad naturales leges, non obligantur ad religiosas; ergo Religiosi non debent obligari ad naturales. Quæ argumentatio mala haud dubiè est, ergo eodem modo & altera de quâ agimus.

Cur Religiosi & sui Ordinis & Episcopi legibus obligẽtur, sæculares verò solius Episcopi.

33.

Qui differãt inter se lex diœcesana & iurisdictionis.

Dicendum nunc aliquid de secundâ sententiâ, eam distinctionem legis diœcesanæ & iurisdictionis adstruente; circa quam maximè inter se auctores differunt: sit quidem in Canonibus distinctio inter eas duas leges, maximè in cap. *Dilectus.* de officio ord. non tamen declaratur quid significet: citat etiam P. Suarez causam 10. q. 1. in Summâ & cap. 1. vbi dicit asseri Religiosos esse exemptos à lege diœcesanâ, non iurisdictionis. Ego tamen in totâ eâ quæstione nec verbum inuenio de Religiosis quoad hoc punctum. Refert ibidem P. Suarez, & videtur etiam approbare explicationem Panormitani, qui dicit legem iurisdictionis nihil certi significare, sed præcisè comprehendere ea omnia, in quibus Religiosi non sunt exempti ab Episcopo, diœcesanam verò comprehendere ea in quibus sunt exempti. Hæc tamen explicatio mihi nullo modo placere potest, quia manifestè Honorius III. eo cap. *Dilectus.* supponit certas causas esse, quæ ad vnam legem spectant, alias ad aliam; ait enim, *Nam decidere, iudicare, &c. ad iurisdictionem pertinent*; inde infert ad hæc teneri, etiamsi à diœcesanâ quis sit exemptus: ergo Pontifex non vocat diœcesana omnia, ad quæ quis non tenetur; alioquin non debuisset ibi talem discursum facere, sed directè dicere, Ab hac & illâ re non est exemptus: ergo hæc ad iurisdictionem pertinent. Contrario autem modo procedit supponens quædam esse certa quæ ad iurisdictionem spectant; & inde infert, an sit ab eis rebus exemptus nec ne. Magis ergo placet explicatio Glossæ, quam probabilem dicit Suarez suprà, scilicet, per legem iurisdictionis intelligi ea omnia quæ Episcopus facit dirigendo & pascendo oues; per diœcesanam verò intelligi ea quæ mandat quasi in bonum suum & sustentationem suam, ad quam etiam habet ius: qui enim altari seruit, de altari debet etiam viuere: vnde ad hanc legem pertinebit Cathedraticum, quarta decimatio, & alia similia, ad quæ Parochi sæculares tenentur; & à quibus videntur Religiosi ideò exempti, quia ipsi in primis omnia sua reliquerunt; deinde, quia non fruuntur vllo modo bonis donatis pro Clero eius Episcopatus. In hoc sensu admitti potest ea secunda sententia suprà posita. Quid autem in particulari sit, in quo eximantur, aut è contrario obligentur Religiosi etiam circa ipsam diœcesanam iurisdictionem, non est huius loci; nec potest alioquin vniuersaliter decidi, quia vna Religio magis, alia minùs in hoc puncto exempta est, etiamsi absolutè in aliis non sit exempta.

Suarij mens. Panormitanus dissentit.

Honorius Tertius cap. Dilectus. quid velit.

Melior est Glossa pro lege iurisdictionis explicatio.

Vna Religio magis, alia minùs quoad vtramuis eximitur.

***

DISPV

Digitized by Google

Disputatio XXI.

De lege odiosâ & pœnali.

1. VARIÆ legum tam ciuilium quàm Ecclesiasticarum subdiuisiones explicandæ à nobis sunt sequentibus disputationibus, postquam iam in communi de lege & præcipuis ac generalioribus eius diuisionibus egimus; possent autem hîc tradi nonnullæ diuisiones, quæ magis pertinent ad eruditionem quàm ad scholasticam seu moralem doctrinam; suntque parui momenti. Aduerte autem nos iam non agere de iure Gentium, quia id suprà explicuimus, sed de propriâ lege humanâ, prout fertur in hoc aut illo Regno.

Quædam legum diuisiones minoris momenti.

Prima diuisio ex his minoris momenti esse potest legis in scriptam & non scriptam. De quo puncto aliquid diximus suprà agentes, an de ratione legis sit, vt tradatur scripto; quomodo autem consuetudo, quæ dicitur lex non scripta, obligare possit, sit, dicetur, dum de eâ in particulari actum fuerit.

Secunda diuisio esse posset ratione Principũ, à quibus latæ sunt; vt lex Iulia, lex Hortensia; inde ius Tribunitium, Senatusconsultum, &c. Quæ differentia in ordine ad præsens impertinens est; & potest esse propè infinita ea subdiuisio ab innumeris Principibus, qui diuerso tempore leges ferre possunt.

Tertia diuisio esse potest ratione communitatum, quas obligat lex; vt lex Hispanorum, Gallorum, &c. Vtraq; hæc diuisio in Ecclesiasticis habet locum; nam & ibi possunt esse leges Pontificiæ, Episcopales, Archiepiscopales; item in indiuiduo latæ ab ipsis particularibus Pontificibus; vt Clementinæ, Gregorianæ, &c. quoad personas verò quæ obligantur eodem modo, quia Pontifex potest leges Ecclesiasticas diuersas condere pro hac vel pro illâ Prouinciâ: item aliæ sunt de facto pro Sacerdotibus, aliæ pro Religiosis; sicut in ciuilibus, aliæ pro Nobilibus, aliæ pro ignobilibus.

2. *Aliæ sunt ratione materiæ; vt lex Quadragesimalis ieiunij, &c. Varia sunt legum nomina.*

Quarta diuisio solet esse ex parte materiæ; vt lex ieiunij Quadragesimalis, lex seruandi Festa, lex Iulia de adulteriis, lex Cornelia de sicariis, &c. quæ diuisio ad intentum nostrum est per accidens, quia iam non explicamus indiuidua legũ, sed doctrinam tradimus generalem, quæ eodem modo habet locum in hac ac in illâ lege. De variis vocibus, quibus leges solent nominari, statutum, ius, lex, decretum, constitutio, &c. nihil dico, quia res est nullius momenti, & omnibus nota. Hoc aduerte, voces, *Canon, decretum, decretalia*, ex vsu ad solas Canonicas leges applicari, & quidem quæ sint à Summo Pontifice vel à Concilio: nam Episcopi leges non dicuntur ordinariè Canones aut decreta. his ergo suppositis ad ea quæ sunt alicuius momenti, veniamus.

Quæ leges nomine Canonum, decretorum & decretalium indigitentur.

***

Sectio I.

Quæ sit lex odiosa; & quâ à fauorabili distinguatur.

3. *Lex alia odiosa, alia fauorabilis.*

LEx in communi diuidi solet in fauorabilem & odiosam; pro quibus legibus applicatur illud dictum commune, *Odia sunt restringenda, fauores ampliandi.*

An omnis lex & odiosa sit & fauorabilis, licet diuerso aspectu.

Dices: Omnes leges simul sunt odiosę & fauorabiles secundùm diuersas considerationes; nam omnis lex positiua imponit obligationem de nouo faciendi aliquid, ad quod antèa non tenebamur; hoc autẽ ipsum onus est & odium quoddam; è cõtrario, quia omnis lex illud ipsum onus quod imponit ordinat in bonum communitatis, est eo ipso fauorabilis: id quod etiam in ipsis priuilegiis videri potest; nam & priuilegium, quatenus lex est, seu quatenus obligat aliquos ad illud acceptandum, est odiosum illis; quatenus verò respicit personam cui benefacit, est fauorabile. Pro solutione nonnulli docent, has denominationes à fine, quem intendit lex, desumi debere: si enim intendat fauorem seu bonum aliquod conferre, dicitur fauorabilis; si verò onus aut malum aliquod, odiosa. Pro quâ explicatione multos citat P. Suarez lib. 5. cap. 2. meritò autem eam ipse non iudicat bonam nu. 5. quia finis ille, de quo hi loquuntur, vel est extrinsecus; & hîc per accidens est ad naturam legis dignoscendam; quia natura rei ex intrinsecis debet desumi; alioquin eo sensu sentiri deberent omnes leges fauorabiles, quia sæpe finis vltimus extrinsecus legis iustæ, vt superiùs diximus, debet esse bonum aliquod. Vel finis est intrinsecus, seu proximus; hic autem multò magis debet esse bonum aliquod, quod ex eâ lege sequatur; v. g. impedire homicidia, furta, &c. Ideò ergo dicit Suarez eam differentiam desumendam ex materiâ præceptâ, vt sit illa lex fauorabilis, quæ purum fauorem concedit; illa verò odiosa, quæ imponit grauamen purum; illa denique mixta, quæ de vtroque participat: addit autem, omnem legem, quæ mandat aliquid ex se honestum, & prohibet aliquod malum, dummodò non sit nimis onerosum aut graue, esse legem fauorabilem; quia reuerà est magnum beneficium hominum, dum suauiter & efficaciter diriguntur ad operandum bonum & vitandum malum: nec sola ratio obligationis sufficit vt lex dicatur onerosa, quia difficultas intrinseca ipsi virtuti non impedit, eam esse maximum bonum hominis: legem verò purè pœnalem dicit esse odiosam; item legem tributorum; quia eiusmodi leges, etsi pro vltimo fine habeant bonum, id tamen quod immediatè præcipiunt onerosum est & graue.

Has denominationes nequaquam à fine desumendas ait Suarez, & meritò.

Quæ sit lex fauorabilis Suario, & quæ odiosa.

4. *Impugnatur eius opinio.*

Iudico, neque hanc explicationem esse bonã, quia non est è mente Doctorum; imò cùm versemur nunc in significatione earum vocum, *odiosa, fauorabilis*, debemus attendere, quid per eas communiter intelligatur: & certè nemo dixit, legem fauorabilem esse, quæ præcipit orare Horas Canonicas, etiamsi id non sit res adeò grauis; eodem modo de eâ quæ præcipit audire Sacrum; quod tamen satis est ex se leue: non enim sufficit, vt dicamus aliquid non esse onerosum, quod illud sit in bonum animæ: in hoc enim sensu nec ieiuniorum nec confessionis leges essent onerosæ, cùm maximè ordinentur in bonum animæ: quis tamen legem confessionis & ieiuniorũ dixit fauorabilem, &c? Quod verò P. Suarez dicit de

Lex etiam in bonũ animæ ordinata est onerosa.

Digitized by Google

lege prohibente aliquid ex se malum, non videtur esse ad rem nostram; quia quod est per se malum, iam est per legem naturalem prohibitũ: hîc autem agimus de lege humanâ prohibente id, quod ex se non erat malũ, & præcipiente id, quod ex se non erat sub obligatione: ex quo capite semper imponit onus aliquod.

5. *Omnis lex quà talis est onerosa.*

Ideò ego dicerem, omnes leges quà tales esse onerosas, ac proinde legem quà talem non debere in fauorabilem & odiosam diuidi. Fauor enim, per se loquendo, non conceditur per legem, saltẽ respectu illius, cui est fauor, vt diximus suprà. Quòd verò initio à Doctoribus afferebatur ad probandum dari aliquas leges fauorabiles, alias odiosas, non vrget: quia ego non nego esse fauores & odia quæ possint ampliari & restringi, sed dico fauores illos concedi per priuilegia, quæ vt talia non sunt lex, odia verò semper esse per legem: id quod facilè possem ostendere discurrendo ferè per omnes leges ex eo ipso principio, *Odia sunt restringenda, fauores ampliandi*; nam in quacumque lege, etiam quę est de materiâ maximè facili, v.g. de audiendo Sacro, si contingat dubitari, an teneatur quis illud audire nec ne, deciditur potiùs in fauorẽ hominis; & additur ratio, quia obligatio seu odium est restringendum; ergo ea lex supponitur ab omnibus odiosa: idem est de obligatione ieiunandi, recitandi Horas, nõ exeundi ex domo nocte: omnia enim hæc cẽsentur semper odia, ideóque non ampliantur, sed potiùs restringuntur: nec vlla mihi dabitur lex, in quâ id locum non habeat.

Fauores oriũtur à priuilegijs, odia à legibus.

6. *Lex taxans pretiũ frumẽti vẽdenti est odiosa, non ementi.*

Dices Primò: Lex taxans pretiũ frumenti v. g. non est odiosa. Respondeo, respectu illius qui nõ potest altiùs vendere, nego antecedens; respectu verò illius qui emit, concedo antecedens: at qui emit non obligatur propriè illâ lege; nam ex se, si velit, potest plus dare; vnde respectu illius non est lex: alter verò qui obligatur onus patitur. Quòd si vrgeas, etiam aliquando ipsum ementem obligari, ne possit dare plus; respondeo, illud ipsũ tunc esse quoddam onus; & propterea tunc lex non est in eo puncto amplianda, sed potiùs restringenda.

Dices Secundò: Ergo omnes omnino leges vt leges restringendæ sunt in fauorem subditorum: hoc autem videtur absurdum, quia tunc si fit fauor subditis, fit è contrario ipsi Legislatori dispendium. V. g. in lege soluendi tributum quantum demitur de obligatione in subdito vt minùs det, tantum aufertur Principi qui tributum accipit. Non debet autem dilatari fauor in præiudicium tertij, quia hoc est iniquum; præterquam quod tunc dicerem ego, Ea lex est fauorabilis Principi, ergo ex eâ parte debet ampliari, etiamsi sequatur inde præiudicium tertij. Respondeo

7. *Quæ sint odia restringenda.*

Primò negando sequelam; nam licet odia sint restringenda, intelligendum id est; quando non est in præiudicium tertij; quale est in lege imponente tributum: vnde regula illa generalis iuris habebit locum in aliis legibus, quæ non habent illud præiudicium; v.g. lex orandi, ieiunandi, &c. in omnibus scilicet quæ vel imperant actionem hominis, quæ non est propriè benefactiua proximi, sed in operante sistit, & in aliis quæ prohibent actionem etiam in ipso operante sistentem. Respondeo Secundò, etiam in eiusmodi legibus posse habere locum illam regulam, *Odia sunt restringenda*; nam præcipuè attendendum est ad damnum illius, qui cùm anteà dominus esset rei cogitur, eam à se alienare; ideóque non debemus considerare, quòd per accidens inde alter non ita diteſcat: minùs enim ille damni patitur non accipiendo de nouo quasi liberaliter centum, quàm ego patior dando illi meos centum. Cuius rei habemus apertum exemplum in voto soluendi mensuram quamdam frumenti in aliquibus Prouinciis Hispaniæ in honorem sancti Iacobi, & consequenter in vtilitatem illius Ecclesiæ: cùm enim dubitaretur, an magna an minor mensura intelligenda esset, respondit Innocentius III. debere præsumi de minori, vt benignè explicetur votum, vt habetur in cap. *Ex parte.* de censibus. de quo diximus Tomo 3. agentes de conscientiâ dubiâ. Vnde infero, quod superiùs dixi contra P. Suarez, Etiamsi lex non imperet rem adeò grauem, nihilominùs debere dici verè esse onerosam. Idem dico de lege excludente feminas ab hæreditate; quæ licet fauorem masculorum contineat, simpliciter tamen odiosa est, vt communiter Iuristæ tradunt, ideóque dicunt illam coarctandam: non tamen placet ratio, quâ multi ex illis, quos sequitur P. Suarez nu. 12. id probant, quia scil. fauor ille priuatus est, & non admodum necessarius: etenim non video, cur magis ille fauor quàm odium debeat dici priuatus. Pone v. g. tot filios quot filias, certè tot patientur damnum, & non plures, quot fauorem recipiunt: quòd autem plures aliquando sint filiæ est per accidens; quia etiam aliquando è contrario plures sunt filij: ergo ex eo capite non debet talis lex dici odiosa potiùs quàm fauorabilis. Ratio ergo genuina, & quæ consequentiam doctrinæ tenet, est ea quam ego attuli in hac secundâ solutione: nã sicut homo, qui ex se habebat dominium suæ pecuniæ, maius damnum accipit, dum eam cogitur à se abdicare, quàm alter acciperet, cui ea pecunia non daretur liberaliter; quia facilius est carere beneficio nouo quàm spoliari proprio bono: ita in præsenti dico, quia filia iure naturæ videtur esse debere hæres, & quodammodò acquisiuit ius in suam partem, graue onus est, si debeat ea hæreditate priuari, in filio autem non est tantum damnum, si non fiat ditior ex eâ hæreditate, quia hoc solùm est priuari beneficio indebito; quod faciliùs potest tolerari quàm denudari propriis.

8. *Lex feminas hæreditate excludẽs simpliciter odiosa est.*

Ratio cur sit odiosa.

Dices: Post illam legem iam ea hæreditas non est filiæ, ergo iam hæc non priuatur propriis. Respondeo, replicam nõ esse ad rem, quia vt lex, quæ de nouo imponitur, censeatur onerosa, vel non onerosa, debemus attendere quid homo, antequam lex ferretur, habebat: vnde si per legem aufertur mihi dominium alicuius rei quam habebam, sine dubio onerosa est; etiamsi post legem iam ea res non sit mea: ita hîc dicendum, Filiæ ante eam legem habebant tantum ius quantum filij; ergo ea lex censetur spoliare filias re propriâ. Et ex hoc discursu quid sit in similibus legibus dicendum, inferri facilè potest.

9. *Satisfit replicæ.*

Hoc pro complemento aduerte, fusè disputari à nonnullis, vtrùm lex antiqua posset simul esse mixta ex fauore & odio, quæ dici potest odiosa & fauorabilis: quidam enim id negant, alij verò id affirmant; ego verò iudico quæstionem esse de nomine, scil. de denominatione illâ *odiosa & fauorabilis*; vnde scil. desumenda sit, an à fauore, an ab odio: nam re ipsâ posse legem esse in fauorem vnius & in alterius damnum seu malum, in suprà positis legibus declaratum est: & patet in multis aliis; nam quæ prohibet, ne quis veneturin siluâ alienâ, est in fauorẽ domini, & in odium aliorum

10. *An lex possit simul esse odiosa & fauorabilis, quæstio de voce.*

Digitized by Google

aliorum quæ prohibet, ne merces extrahantur è Regno, est in fauorem aliorum conciuium; est tamen detrimentum mercatoris, qui extra Regnum poterat maiori pretio sua vendere: re ergo intellectâ, quomodo sit in hoc puncto loquendum, non est magni momenti.

Sectio II.

Vtrùm lex pœnalis possit simul obligare in conscientiâ.

11. *Legũ odiosarũ prima pœnalis.*

INter leges manifestè odiosas quæ primum locum obtinet est pœnalis; circa quam prima difficultas sit, an lex quæ imponit pœnam, possit simul obligare in conscientiâ ad actum, quem directè præcipit, aut prohibet. Respondeo, rem omnino esse extra controuersiam; quia si non imponendo pœnam obligare potest in conscientiâ, vt diximus suprà, etiam poterit obligare impositâ pœnâ: nam ea pœna non facit, quòd subditus minùs teneatur in conscientiâ ad illud opus, si Legislator velit etiã ad illud obligare. Confirmatur Primò in legibus Canonicis, quæ imponunt censuras; & tamen obligant in conscientiâ ad actum præceptum, vt diximus præcedenti disputatione. Secundò, quia potest per vnam legem præcipi opus, per alteram verò imponi pœna propter eã transgressionem; ergo potest totum id fieri vnâ lege. Patet consequentia, quia quòd fiat vnâ vel duabus, quoad punctum præsens est omnino per accidens.

Legislator potest, si velit, obligare in conscientiâ lege pœnali.

Dices: Si obliget in conscientiâ illa lex, ergo obligat sub reatu pœnæ æternæ; ergo non potest etiam obligare sub pœnâ temporali; quia id esset addere culpæ pœnam maiorem quàm mereatur. quod est absurdum.

12. *Peccata possunt & temporaliter & æternùm puniri.*

Aduerte hanc obiectionem non solùm esse contra præsentem conclusionẽ, sed etiam probare, nec posse peccata contra legem naturalem puniri pœnâ temporali, v. g. homicidium, furtum, &c. quod tamen apertè falsum est. Sequela patet, quia etiam ibi esset illa pœna supra condignitatem illius mortalis; quod posteà in inferno secundùm totam suam condignitatem puniendum est. Ab omnibus igitur debet huic obiectioni responderi.

Suarij opinio hic

Iam videamus, quid auctores dicant. P. Suarez respondet lib. 5. cap. 3. peccatum vel ob suam infinitatem esse capax vtriusque pœnæ; vel, quia simul est offensa Dei & Principis humani, in vtroque foro iustè posse puniri. Nondum satisfit hæc solutio: non prima eius pars, quia cum sententiâ probabiliori suppono, peccatum esse finitæ malitiæ, & habere determinatum meritum pœnæ, vltra quam non potest illi quidquam addi; ergo si additur illi temporalis pœna, iam fiet homini illi iniustitia: non item secunda pars, ob eamdem rationem, quia tota malitia, quam habet peccatum, etiam contra humanum Principem, punitur à Deo pœna æterna; ergo non potest simul illam punire Iudex humanus pœna temporali, relictâ eâ totâ dignitate ad æternam pœnam.

Salas refellitur

P. Salas disp. 15. sect. 1. num. 23. nihil aliud respondet quàm, certum esse, delinquentes puniri à Deo sæpè pœnis temporalibus, per quas non euadunt æternas. Verùm hæc solutio conclusionem repetit; difficultati nec apparenter respondet.

13. Ideò crediderim respondendum Primò, quidquid de temporali additur, debere à Deo demi de æternâ. Quę solutio vel eo maximè redditur probabilis, quòd respectu pœnæ æternæ, quam homo per peccatum promeretur, omnis pœna huius vitæ, etiamsi in se appareat grauissima, est planè perinde ac refrigerium: vnde vel vnicum instans illius æternæ æquiualet multis mensibus huius: vnicus item gradus æquiualet intensissimis huius vitæ: facilè ergo Deus potest vel per breuissimam aliquam moriulam, vel per diminutionem quasi momentaneam facere eam compensationem.

Respondet auctor.

Dices: Homo per opera pœnalia huius vitæ satisfacit pro pœnis Purgatorij, quæ sunt eiusdẽ rationis cum pœnis inferni; ergo eodem modo reus ille satisfaciet aut satispatietur pro pœnis inferni, maximè cum dixerimus nos alibi, ad satisfactionem seu satispassionem nó esse necessariam voluntariam acceptationem. Respondeo, iustum ideò satisfacere, quia per gratiam & supernaturalem acceptationem dignificantur illæ pœnæ ad tantum valorem. At hæc ratio non habet locum in nostro casu: agimus enim de homine in mortali puncto; vbi indignitas potiùs augetur quàm dignitas.

Quì possit homo per opera pœnalia huius vitæ pro pœnis Purgatorij satisfacere.

14. *Melior solutio Mortale dignũ est statim puniri pœnâ æternâ.*

Hæc solutio probabilis est, vt dixi, non tamen necessaria: duas enim adhuc inuenio clariores. Prima est, quod peccatum mortale ita est dignum pœnâ æternâ, vt simul ex se mereatur eam à Deo statim infligi, nisi Deus misericorditer diutiùs expectare velit. Hinc facilè constat, eam pœnam, quam in hac vitâ tolerat peccator, etiamsi posteà in inferno æternâ sit puniendus, adhuc esse mitiorem propè infinitè ea quam meretur, quia vt dixi, meretur totam quam deinde toleraturus est; & insuper merebatur à puncto peccati ea pœna puniri; ergo, quòd iam non ea, sed alia infinitè propè mitiori torqueatur, gratia est maxima.

Duo peccatũ inuoluta: quorum vtrumuis suo dignũ est supplicio.

Secunda solutio sit, in peccato duo esse, & volitionem internam, quæ sola apud Deum punitur pœna æterna; & quæ, vt suppono ex 3. Tomo, tam mala est, & eiusdem pœnæ digna, esto non sequatur opus externum, quàm si sequatur: præter hanc volitionem, quæ, sic dicam, ab humano Iudice non punitur, est ipsa etiam actio exterior mala, quæ cadit sub humanam potestatem, & quæ affert Reipublicæ damnum diuersum ab illo, quod est in ipsa interiori volitione; ea item actione homo peccans reperit aliquid boni delectabilis aut vtilis, præter id quod habuit in volitione: nam qui vult efficaciter v. g. fornicari, & impeditus non facit, non habet illam exteriorem voluptatem, quam qui simul opere externo fornicatur; etiamsi in malitia interiori & dignitate pœnæ æternæ sint omnino pares, vt posse fieri alibi dixi. Hoc ergo supposito dico, illi damno externo, quod homo Reipublicę intulit, illi item voluptati externæ, quam percepit, respondere pœnam temporalem, per quã consequenter nihil minuitur de dignitate pœnæ æternæ respondentis interiori volitioni. Hac ratione explicui in materiâ de satisfactione, quomodo iustus per opera pœnalia possit satisfacere pro pœnis Purgatorij, & tamen nihil ideò amittat de præmio vitæ æternæ; dixi enim præmium respondere interiori volitioni, satisfactionem verò dolori illi externo: quod iuxta probabiliorem sententiam non addit quidquam de merito supra actum interiorem.

15. *Dãno externo & voluptati quid respondeat.*

Replicabis: Ergo si quis eam actionem externam

Digitized by Google

nam faceret etiam sine vllâ interiori volitione, mereretur eam pœnam apud Iudicem humanum: id autem videtur absurdum, ergo. Respondeo negando consequentiam, quia ea actio exterior, vt ei respondeat meritum pœnæ, requirit malam volitionem, non quia hæc sit quæ punitur, sed illa dependenter ab hac; sicut in libertate certum est, libertatem in actu primo non esse vllo modo meritoriam, aut demeritoriam, nec ob eam puniri aut præmio affici hominem, sed ob volitionem ipsam actualem factam sub eâ libertate. Ostendi autem eo loco de satisfactione, optimè posse eumdem actum esse per se meritorium sui adæquati præmij. & simul significare alium actum ad meritum illi secundo actui respondens; quod explicui per sententiam P. Vasq. docentis actum contritionis formaliter iustificare; nam in eâ sententiâ si quis simul cum actu contritionis eliceret posteriùs naturâ alium actũ, sine dubio prior haberet totum suum præmium adæquatum, & simul significaret secundum, esto nulla ibi esset infusa gratia habitualis: idem in præsenti dico, eam scil. malam volitionem interiorem & ex se mereri pœnam æternam, & simul (vt sic dicam) per modum significantis reddere actionem externam dignam pœnâ temporali, ideóq; deficiente eâ interiori, actionem internam non esse dignam pœna etiam temporali: non repeto hîc alia argumenta, quibus aliqui probant Iudicem sæcularem non posse sub mortali obligare in conscientiâ; suprà enim illis omnibus aliunde satisfecimus.

Occurritur replicæ. Ob quam volitionem quis puniatur aut præmietur.

16. *Vasq. doctrina hîc se confirmat auctor.*

SECTIO III.

Vtrùm de facto leges pœnales simul etiam obligent in conscientiâ, an solùm ad pœnam.

17. *Nauarrus negat.* DIximus eas, posse obligare; id quod facile est; iam verò videndum, an obligent de facto. Nauarrus in cap. *Frater.* 12. q. 2. nu. 22. & in Summâ cap. 23, n. 55. opinatur non obligare: pro quâ sententiâ aliquos alios refert: Salas verò suprà à n. 3. multos & auctores & rationes pro eâ congerit. Fundamenta sunt. Primum, benignè sunt interpretandæ leges odiosæ, quales sunt pœnales; ergo non sunt extendendæ ad obligationẽ in conscientiâ. Secundum, quia qui imponit temporalem, tacendo æternam, videtur hanc excludere. Tertium, quia Legislator ciuilis rarò eam pœnam æternam imponit, imò Gentiles numquã de eâ cogitarunt. Quartum, quia consuetudo id docet: & multæ sunt tales leges pœnales quæ non obligant in conscientiâ, ergo nullæ obligabunt; quia de omnibus eadem est ratio. Quantum potest esse, quod sectione præcedenti discussum est, de pœna æterna. Aduerto quæstionem hanc solùm pendere ex voluntate Legislatorum, ideò non debere rationibus decidi, sed auctoritate; id enim, quod communiter omnes supponunt, in hac materiâ videtur esse absolutè tenendum: sit ergo

Salas & rationes & auctores pro eâ refert.

Quæstio hæc solâ est auctoritate decidenda.

18. *Leges Ecclesiasticæ pœnales obligant in conscientiâ.* PRIMA CONCLVSIO: Leges Ecclesiasticæ imponentes pœnam, v. g. excommunicationem, sine dubio obligant in conscientiâ. In hanc conuenire debent omnes, quia excommunicatio non fertur nisi vbi supponitur culpa, & quidem grauis, si excommunicatio sit maior: idem est de suspensione, quæ modo suprà explicato culpam supponit vel grauem, sæpè solùm leuẽ. Nec video quid posset contra hanc conclusionem obiici; nam leges tales posse obligare, etiam in conscientiâ, iam est suprà ostensum etiam ex sententiâ Nauarri: supposità verò ea possibilitate, profectò satis apertè constat ex communi in hoc puncto sensu eam esse mentem Legislatoris. Pro hac conclusione stant communiter Doctores, vt videre est apud Salas suprà num. 8.

19. *Leges ciuiles etiã sæpè sic obligant.* SECVNDA CONCLVSIO: Etiam sæpè leges ciuiles obligant in conscientia, licet simul habeant adiunctam pœnam. Pro hac sententia referunt multos auctores P. Suarez suprà n. 6 & Salas proximè citatus: eam autem multi haud solidè probant; putant enim necessariò omnem legem obligare in conscientia: item pœnam non posse imponi sine culpa; verùm cũ nos suprà ostenderimus, legem posse non obligare in conscientia, item, pœnam imponi posse pro culpa, quæ nec venialis sit, sed solùm imperfectio, non vtor iam hac ratione. P. Suarez id probat, quia lex continens verum præceptum obligat; sed multæ leges pœnales continent præceptum, ergo. Sed neque hæc ratio mihi videtur sufficiens; nam *præceptum* non est aliud, quàm quòd lex dicat, *Nemo faciat hoc aut illud*, vel reflexè, *Mandamus, præcipimus vt fiat hoc.*: at hæc verba in rigore non denotant obligationem in conscientia; nam leges multarum Religionum non obligant, nec quidem sub veniali, vt suprà ostendimus; & tamen vtuntur eisdem ferè verbis: ergo ex illis verbis solis non potest deduci ea obligatio. Meliùs ergo fortè dicetur id colligi tum ex sensu communi Doctorum, qui in hoc puncto maximè considerandus est, tum ex ipsis verbis, *præcipio, mando*, &c. nam licet absolutè, quando aliunde constat de intentione Legislatoris, non denotent ea verba tantam obligationem (vt in religiosis aliquibus regulis cõstat iuxtà proximè dictas) quando tamen aliunde non coarctatur illorum verborum significatio, supponendum est per ea significari veram & rigorosam obligationem & quidem grauem, si materia sit grauis: est enim proprius eorum verborum sensus.

Ratio Suarij infirma.

Quæ verba innuant legi in conscitiã obligare; & quando.

Iam ad argumẽta Nauarri facilè respondetur. Ad Primum, concesso, quod leges pœnales sint odiosæ, & debeant restringi, negamus in hoc puncto restringendas, quia in hoc satis sunt claræ; & proprietas verborum non relinquit locum restrictioni. Addo, quando dicitur *odia restringenda*, non intendi, quòd debeamus dicere legem odiosam verè non obligare in conscientia, sed quòd non debeamus materiam eius legis extendere magis quàm verba sonent: quòd si hæc sunt dubia, tunc in benigniore sensu interpretanda. Ad Secundum & Tertiũ dicimus, ideo Legislatorem non addere pœnam æternam, quia connexa est cum obligatione in conscientia, quam per se supponit: ea autem quæ per se supponuntur frustrà explicantur: quia verò pœna temporalis non est annexa semper peccato, ideò oportuit vt explicaretur. Addo, hoc argumentum esse etiã contra Nauarrum; nam ille saltẽ hoc supponit, quòd si non apponatur pœna, lex obliget in conscientia; & tamen etiam tunc nihil de ea pœna æterna dicitur in lege, ergo ea ratio nulla est: & eodem modo respondetur ad id quod dicit, numquam Gentiles Legislatores facere mentionem eius pœnæ; inde enim sequeretur numquam illos obligare in conscientia, etiamsi non apponant pœnam; quod tamen contra ipsum Nauarrum est.

20. *Obuiatur Nauarri rationibus, quãdo leges pœnales, vtpote odiosæ, sint restringendæ.*

Cur Legislator non addat legi pœnam æternam.

Suo se petit argumento Nauarrus.

Dico

Digitized by Google

Dico ergo eos voluisse obligare sub peccato: quę autem sit pœna peccato respondens sicut non agnouêre; ita nec explicuêre; interim tamen Deus sciens eam respondere, infligere etiam eam potuit. Ad Quartum, quòd communi consensu receptum sit, has leges non obligare, dicimus potiùs contrarium esse receptum; quandoquidem omnes ferè auctores contrarium sentiant: ex quo capite nos maximè confirmauimus nostram sententiâ: quòd verò aliquæ sint, quæ non obligent, libenter fatemur; at negamus, inde vllo modo inferri, omnes etiam non obligare.

21. *Leges quædã penales non obligant in conscientiâ.* Sit ergo TERTIA CONCLVSIO: Dantur aliquæ leges solùm obligantes ad pœnam, non verò in conscientiâ ad opus ipsum. In hac conueniunt ferè omnes auctores; & inde desumitur optimum pro hac sententiâ argumentum; nam cùm disputemus hîc de mente Legislatoris, à quo, vt dixi paulò antè, res hæc adæquatè pendet, optima autem explicatio mentis huius sit communis Doctorum consensus, sanè ille sufficiet pro huius conclusionis probatione. Fateor, nonnullos, qui iudicant de conceptu omnis legis esse obligare in conscientiâ, consequenter hîc negare dari tales leges pœnales non obligantes; contra quos agit hic P. Suarez cap. 4. sed quia nos cum eodem hanc quæstionem fusè suprà tractauimus, nihil hîc repetendum duximus; ergo possibilitate talium legum statutâ, conclusio hæc nostra (paucis iis exceptis, qui & possibilitatem negant) apud reliquos communis est; congruentiaque satis magnâ fulcitur: etenim cùm finis legum maximè ciuilium non sit alius, quàm impedire aliqua mala in Republicâ, & è contrario aliqua bona introducere; ratio naturalis dictat, expediens valdè esse id efficere suauissimo modo quo potest, non reducendo homines in pericula grauissima vitæ æternæ: ergo sufficiet sæpè prohibere rem sub aliquâ pœnâ temporali, quia hac maximè solent homines reuocari ab actione aliquâ: nec opportunum erit addere vinculum in conscientiâ, maximè in rebus multis, quæ non sunt magni momenti. Cur enim, si Princeps, vt multiplicentur aliquæ feræ, v. g. apri, cerui, damæ, prohibet sub pœnâ ducentorum ducatorum, ne quis etiam in suo fundo proprio suas proprias feras occidat; cur, inquam, debemus statim dicere ibi esse obligationem in conscientiâ, vt qui suas proprias feras occidit peccet mortaliter? aut etiam venialiter, quia impedit aliquo modo, ne Princeps posteà pro venatione & recreatione suâ tam multas habeat? Certè sufficientissimum grauamen est illud pecuniarium. Hæc ratio licet efficaciter, potest tamen suo modo applicari ad alias leges in multis materiis non magni momenti.

Quis sit finis legũ ciuiliũ.

22. *Congruentia optima pro conclusione.*

23. *Quomodo quis obligetur ad pœnam talis legis.* Dices: Hæc etiam ratio ostendit, posteà in conscientiâ hominem non obligandum ad eam pœnam, casu quo legem transgressus sit. Nego consequentiam, quia homo ille nolens eam actionẽ prohibitam exercere, iã suo iuri cessit in eam pecuniam, ideóq; in conscientiâ obligabitur eam soluere, quando per sententiam damnatus fuerit: in quo minùs inconueniens est, quàm si & pecuniam soluere & venationem vitare debuisset sub reatu pœnæ æternæ.

Dices Secundò: Hæc ratio probat, in nullâ planè lege ciuili debere esse eam obligationem, maximè sub mortali. Nego consequentiam, quia sæpè grauitas materiæ exigit, vt vtraque obligatio concurrat.

SECTIO IV.

Vnde dignoscantur tales leges.

24. IAm verò hinc oritur difficultas, vnde dignoscentur eiusmodi leges ab obligantibus in conscientiâ. Dico, vix posse generalem vllam regulam assignari: addo tamen breuissimè Primò, si pœna sit Ecclesiastica, quæ supponit ex se culpam, saltem de facto in omnium sensu, vt est excommunicatio, suspensio, &c. tunc nullam esse pœnalem legem quę non obliget in conscientiâ, quia alioquin illa pœna imponi non posset, si in transgressione legis culpa non esset.

Primus mẽdus dignoscendi.

Addo Secundò, vbi dicit Legislator, se nolle nisi ad pœnam obligare, non esse dubium, quin ea lex sit tunc purè pœnalis.

Secundus.

Tertiò, si in aliquâ aliâ particulari lege ex cõsuetudine omnino constet non obligare, verè nõ obligabit; quia illa consuetudo est optima legis interpretatio, etiamsi fortè re ipsâ aliud intenderit Legislator.

Tertius.

Quartò, si lex imponens pœnam, quæ ex se non supponit culpam, ita feratur, vt non tam dicatur præcipi actus quàm hoc modo, *Si quis hoc vel illud fecerit, talem vel talem pœnam incurrit*, probabilissimè dicitur, non obligare in conscientiâ, sed solùm ad pœnam: ita Salas fusè suprà n. 17. quod ipsum Suarez defendit: ab hac tamen regula excipitur à nonnullis pœna, quæ est grauissima; vt v. g. pœna mortis & mutilationis: nam lex esset imprudens, si propter rem, quæ culpâ caret, pœnam mortis imponeret. Ita Suarez, Vasquez & Salas suprà. Ego tamen in hoc puncto cẽseo, licet satis probabiliter sustineri possit, eam pœnam esse signum obligationis in conscientiâ; tamen nullo modo, absolutè loquendo, esse certum signum, quia sæpè potest esse pro coactione necessaria ea pœna, si res sit magni momenti, etiamsi nulla sit obligatio in conscientiâ; vt P. Suarez admittit in pœnâ flagellationis publicæ, quæ in Hispaniâ infligi solet his qui è carcere fugiunt; cùm tamen ea fuga non sit peccaminosa: quod enim respondet eam pœnam non esse grauem pro tali personâ, aut esse necessariam ad defensionem publicæ iustitiæ; hoc, inquam, non satisfacit: non quidẽ primum, quia sæpè sunt honestissimæ personæ, quibus ea pœna infligitur, & quæ fortè libentiùs tolerarent decollari, quàm eam grauissimam infamiam: non secundum, quia licet veram doctrinam contineat, ex eâ tamen pro conclusione nostrâ argumentabimur, dicemusque in aliis materiis posse à Republicâ eam pœnam grauem iudicari necessariâ ad impediendum, ne homines talẽ rem faciant; esto alioquin in conscientiâ possent eam facere. Neque hinc sequitur legem futuram imprudentem aut iniustã, vt cum Vasq. sæpè Salas obiicit: quod ego facilè explico; nam illa lex non est censenda iniusta aut imprudens, quatenus grauat subditũ, quæ libenter à subdito habetur, & fortè libentiùs quàm aliæ leges, quæ absolutè censentur iustæ, iustissimæ & prudentissimæ: atqui in præsenti nullus subditus esset, qui si interrogaretur, an casu quo sibi esset prohibendum exire à Regno sub pœnâ capitis, haberet libentiùs, quòd simul id prohiberetur sub reatu æternæ pœnæ, seu sub peccato mortali; an verò, vt præcisè sub pœnâ capitis: nullus, inquam, esset, qui non responderet, Malo præcisè sub pœnâ capitis. Et ratio est manifesta, quia quòd simul sub alterâ pœnâ mortalis peccati res ea

Quo iure Hispani fugientes è carcere flagellãt.

25. *An lex possit morte punire, nec tamẽ obligare in conscientiâ.*

26.

prohi

prohibeatur, non causat debitũ incurrendi pœnam capitis; neque hæc fiet illi melior aut minùs nociua, cò quòd simul peccauerit mortaliter: ergo si prudenter potest subditus sub vtroq; malo cogi, potest etiam prudenter sub vno tantùm: ergo ea grauitas pœnæ non est certum signum obligationis in conscientiâ.

27. *Quando præsumitur Legislator in cõscientiâ obligare velle*

Addo Quintò & vltimò, Si res præcepta sit pertinens directè ad mores, quod maximè locum habet in rebus Ecclesiasticis, tunc faciliùs præsumi voluntatẽ directam obligandi in conscientiâ, etiãsi ex modo præcipiendi id non constet, quàm si materia sit politica. Ratio est, quia pro re pertinente directè ad mores maximè conueniens est obligatio in conscientiâ, pro politicâ verò sufficit obligatio in foro externo quoad pœnam.

SECTIO V.

Vtrùm lex possit obligare in conscientiâ ad subeundam pœnam ante Iudicis sententiam.

28. *Sensus quæstionis.*

QVærimus, vtrùm in Republicâ sit potestas ad imponendam pœnam transgressionis cum hac obligatione, vt ipse reus, antequam per sententiam Iudicis condemnetur, teneatur eam sibi ipsi infligere, vt primùm nouit se esse reum.

Reus non potest seipsum necare vel mutilare.

In hac difficultate supponendum est, si pœna sit mortis aut mutilationis, non posse reum obligari vt ipse eam sibi infligat; quia nemo potest licitè sibi violentas manus iniicere, vnde repugnantia hæc non tã oritur ex defectu potestatis in Legislatore, quàm ex repugnantiâ seu indecẽtia ex parte ipsius pœnæ. Quæstio ergo est de aliis pœnis, quæ licitè possunt ab ipso reo executioni mandari: de quo fusè Salas sect. 2. Vasq. disp. 158. & P. Suarez suprà cap. 5. vbi docet, si pœnæ sint valdè acerbæ, vt v.g. bonorum omnium amissio, non posse Legislatorem humanum obligare, vt reus ipse se statim omnibus bonis priuet; quia lex humana nõ potest obligare ad id quod est sumè difficile. Confirmat Primò à posteriori, quia nulla datur de facto talis lex, ergo signum est, non esse in Legislatore ad id potestatẽ; alioquin eam aliquando reduxisset ad actũ. Secundò, quia non videtur expediens ad bonum publicum is modus pœnam infligendi. Tertiò, quia materia consiliorum, cò quòd sit valdè difficilis, non censetur apta pro lege, ergo neque hic modus pœnam subeundi: qui difficilior est quàm consiliorum obseruatio.

Suarez opinio tribus nixa fundamentis.

29. *Probabilius est reũ obligari posse ad infligẽdã sibi pœnam ali quam licitè.*

Ego tamen in ordine ad absolutam potestatem, etiam intra genus legis iustæ, adhuc crederem probabiliorem esse sententiam affirmantem, posse ad eiusmodi executionem pœnæ per legem obligari reum: & ita cum multis aliis, quos pro se citat, docet P. Salas sect. 2. num. 25. id quod sic ostendo ratione quâ P. Suarez vtitur ad probandum posse legem pœnalem obligare etiã in conscientiâ; sic enim. & benè discurrit: Potest Legislator obligare ad ea duo per duas distinctas leges, ergo & per vnam indiuisibilem. Patet consequentia, quia quòd obligatio veniat ab vnâ aut à duabus legibus, est per accidens respectu subditi, ergo. Antecedens autẽ patet, quia potest esse vna lex purè obligans in conscientia, quæ nihil dicat de pœnâ; item alia quæ dicat, Si quis contra talem legem peccauerit, puniatur tali modo: hoc est argumentum P. Suarez, & bonum; quod ego sic assumo pro præsenti difficultate: Potest Legislator per duas quasi leges obligare reum, vt ipse deserat sua bona, ac se illis priuet, ergo potest per vnam. Probo antecedens; nam lex, quæ dicit, *Qui fecerit hoc priuetur omnibus bonis*, & lex altera aut quasi lex seu sentẽtia, quæ præuisâ culpâ dicit, *Cedat tuis bonis*, obligant hunc in conscientiâ vt ipse cedat bonis, & consequenter vt pœnã sibi ipsi infligat, seu eam in se exequatur: ergo per duas leges obligatur ille ad executionẽ etiam à se faciendam; ergo poterit per vnam legem obligari ad vtrumque. Patet consequentia ex discursu Patris Suarez, quia quòd ea obligatio per vnam legem proueniat, vel per duas si ad idem obligatur reus, videtur planè esse quid accidentarium in ordine ad difficultatem rei præceptæ & grauitatem oneris impositi reo. Nec potest responderi, eam sententiam non esse legem; id enim est per accidens ad meum intentum: nam siue dicatur lex, siue non, est tamen præceptum verum Iudicis. Vnde dico, per accidens esse, quòd ad id obligetur reus per duo aut per vnum tantùm præceptum, siue illa vocentur lex, siue non.

30. *Suarij argumẽtũ placet.*

Explico hoc argumentum, & simul rationem à priori reddo pro nostrâ conclusione; nam grauitas illius pœnæ, v. g. confiscationis bonorum, non consistit in hoc, quòd ipse homo eis bonis se spoliet; sed in eo, quòd absolutè illis spolietur: siue enim illum spoliet lictor, siue ipse ea bona deserat, idem omnino patietur vtrobique damnum, præterquam quòd ad seipsum spoliandum potest saltem per secundam quasi legem seu sententiam cogi: ergo ex eo capite nulla potest desumi ratio repugnantiæ absolutè loquendo, sed neque potest desumi grauitas eius pœnæ, ex eo quòd nimis citò cogatur homo ad ea bona deserenda, scil. antequam accusetur, & publicè probetur delictum: etenim ea circumstantia est nimis leuis: & sæpè contingere potest, vt Iudex eadem die quâ alter commisit delictum habeat probationes sufficientissimas vt eum condemnet: ergo, quòd ipse se duabus horis citiùs priuasset eis bonis, non potest censeri tam graue onus, vt propterea non potuerit Iudex ad id obligare: denique nec desumitur repugnantia ex eo, quòd ipse homo eam pœnam in se exequens prodere cogatur suum delictum; quod difficile valdè videtur; hoc, inquam, dici non potest, tum quia sæpè sunt multæ leges, quæ obligent hoc modo ad suũ delictum prodendum: nam (vt paulò pòst dicemus) aliquæ leges habent pœnam ipso facto incurrendam, maximè Ecclesiasticæ, vg. excommunicatio maior, quæ ipso facto incurritur, suspensio, priuatio beneficij, &c. in his autem tota ea ratio locum habet. Secundò, quoad hoc per accidens se habet, quòd pœna imposita sit grauis vel leuis: etenim sæpè Respublica ob trãsgressionem legis, quæ in se non est valdè, vt sic dicam, indecens, & quam non pudet hominem fateri se incurrisse, imponit grauissimam pœnam, quã non imponet ob aliud delictũ turpius: ergo si quando pœna est leuis, potest obligari indirectè ad detegendũ suum crimen; à fortiori poterit, esto pœna sit grauis, dummodò delictum non sit adeò turpe. Respondeo vltimò, fortè in eo casu quo delictum est occultum ob rationem datam, non obligabitur reus ad infligẽdam sibi pœnam id quod verum iudico tam de graui quàm de leui ante Iudicis sententiam: quod non in grauitatem pœnæ, de quâ solùm nunc agimus, refundendum est,

31. *Ratio à priori cõclusionis.*

Occurritur rationibus quæ cõclusioni opponi possent.

31. *Secũda ratio.*

Tertia ob delictũ occultũ ante sẽtẽtiam Iudicis nemo sibi tenetur pœnam vllam imponere.

Digitized by Google

est, sed generaliter in difficultatem suum occultum crimen detegendi: vnde non licet ad alios casus argumentari.

Videamus iam quid absolutè obijci possit contra totam sententiam tam circa paruam quàm circa magnam pœnam. Primò ergo dicet quis, Contra iustitiam est, vt aliquis non accusatus & convictus condemnetur priùs quàm audiatur. Respondeo accusationem & auditionem esse necessariam, vt ei qui debet sententiam ferre constet de delicto: ergo cùm reus ipse omnium optimè sciat se deliquisse, & promeruisse eam pœnam, non erit tunc necessaria vlla alia accusatio aut auditio.

Quando accusatio & auditio forensi sententiam sit necessaria,

33. Secundò obijcitur: Cogere ad obseruantiam legis est Iudicis, ergo subditus ipse non debet sibi eam pœnam infligere. Respondeo retorquendo argumentum: Obseruare legem est subditi, ergo si lex duo præcipiat, vnum absolutè, alterum sub conditione, *Non facias hoc, quòd si feceris talem pecuniam refunde*, subditus tenebitur etiam ante Iudicis sententiam vtrumque facere: per quod non negamus Iudici inesse vim posteà cogendi reum, casu quo ille non impleuerit legem.

Quando subditus ante sententiam Iudicis cogi possit.

Tertiò, Pœna consistit in passione, ergo nemo debet eam in se exequi. Respondeo, argumentum esse prorsus nullum & contra ipsos qui illo vtuntur; nam saltem post Iudicis sententiam homo sæpè tenetur ipse eam sibi infligere; vt cùm cogitur exulare, ieiunare, seipsum bonis abdicare, &c. ibi autem est tota difficultas, quomodo ille sit simul agens & patiens. Respondetur absolutè, non repugnare, vt idem sibi pœnam infligat, & simul sit patiens & agens.

Idem potest simul agere & pati.

Quartò & vltimò, quia videtur nimis graue ad id vrgere, ergo. Verùm iam ostendi abundè non esse tantam eam difficultatem, vt non possit per legem res ea præcipi. Restabant nunc argumenta Patris Suarez suprà specialiter agentis contra grauem pœnam: verùm quia ex sola difficultate operis ferè desumebantur, & ea difficultas soluta iam est, non est cur in eis immoremur; solùm illud non est solutũ, quòd desumitur ex eo, quòd de facto nulla detur talis lex obligans statim ad inflictionem pœnæ. Verùm respondeo illud non

34. esse signum defectus potestatis: id quod meo iudicio manifestè probo; nam etiam in Legislatore ciuili admittit P. Suarez eam potestatem, dummodò pœna non sit grauis: atqui de facto nulla est lex ciuilis, quæ eo modo obliget ad statim sibi ipsi infligendam pœnam, quantumuis leuem, ante sententiam Iudicis: de quo paulò pòst: nam etsi sint aliquæ leges si ipso facto irritantes, pœnam tamen, de quâ agimus nunc, nulla lex eo modo imponit; ergo negatio facti non est bonum argumentum ad negandam potentiam; vt vniuersaliter in omni materiâ non est bonum argumentum negatiuum ab actu ad potentiam, exceptis agentibus necessarijs, quando habent omnia essentialiter requisita ad operandum.

Nulla lex de facto obligat ad infligendũ sibi pœnam statim.

Hinc infero Primò, malè nonnullos auctores coarctasse eam doctrinam ad solas censuras, vt scilicet per legem solæ pœnæ in his censuris consistentes imponi possint ipso facto incurrendæ; iam enim ostendimus tam in his quàm in alijs locum habere nostram doctrinam, neque esse vllam rationem quâ impugnetur: & verò etiam de facto in aliquibus legibus Ecclesiasticis imponitur pœna, quæ non est censura incurrenda ipso facto, vt benè probat P. Suarez ex priuatione beneficij etiam priùs iustè possessi, & amissione Episcopatus, si intra sex menses non consecratur; & ex pœnâ confiscationis bonorum, quæ ob hæresim ipso facto incurritur: & licet homo non teneatur tunc se abdicare ante sententiam latam, ab eo tamen tempore tenetur in conscientiâ ad non dilapidanda bona in detrimentum fisci.

Refutatur quorundam opinio.

Ecclesiastica multa pœna incurritur absque censura de facto incurrenda.

Secundò infero, malè etiam alios eandem doctrinam limitare ad pœnam, quæ non requirit executionem hominis, quam dicunt posse statim incurri ipso facto; negant autem id de alterâ pœnâ, quæ requirit actionem ipsius rei. Pro quâ sententiâ refert P. Suarez nu. 11. Caietanum, Angelum, Armillam, Siluestrum, & alios. Argumentum autem, quo specialiter id persuadeatur, non affertur, nisi quia videtur nimis durum, cogere hominem vt in se exequatur pœnam: verùm iam ostẽdi paulò antè, sæpè ad id cogi saltem post latam sententiam: ex quo capite non esset magis dura prima lex, quàm non est dura ea sententia: neque ad punctum præsens facit ea distinctio; nam pœnę negatiuæ, seu quæ non requirũt actionem, possunt esse acerbissimæ: vt si quis cogeretur non comedere, vt fame periret, aut cum frigore rigesceret, cogeretur non accedere ad ignem vicinum. E contrario verò pœnæ in actione consistẽtes possunt esse leues; vt quòd discedat ex hoc aut illo loco; quòd faciat in secreto disciplinam; quòd oret rosarium, &c. ergo non est quidquam per eam distinctionem explicandum, sed absolutè concluſio tenenda eo modo, quo eam explicuimus suprà.

35. *Reijcitur & aliorum sensus.*

Pœna negatiua possunt esse acerbissima vt & contrà positiua leues.

Sectio VI.

Quando per leges intelligatur pœna imposita vt ipso facto incurrenda.

IN quo puncto, quod cum præcedenti connexum est, duo sunt certa, tertium dubium. Primò certum est, si verba, quibus lex vtitur, non sunt adeò clara, vt explicent pœnã incurri ipso facto, sed sensus sit dubius, tunc non intelligi eam incurri ipso facto; quia odia sunt restringenda; & quia nemo præsumitur obligatus nisi probetur. Secundò certum est, si verba legis expressè dicãt, *sub pœnâ ipso facto*, incurri talem pœnam; quia cùm iuxta præcedentem resolutionem. Legislator habeat vim ad obligãdum hoc modo, nec possit id clariùs exprimere quàm per ea verba, non est dubium quin tunc obliget: sicut è contrario, si dicatur pœna non incurrenda nisi post sententiam latam, tunc procul dubio nõ incurretur ipso facto; quia cùm id pendeat ex voluntate Legislatoris, isque clarè suam mentem explicet, non est ratio vlla tunc dubitandi.

36. *Quando non intelligatur incurri pœna ipso facto & quando sic.*

Quærimus ergo, an quando verba non omnino id explicant, sint aliqua alia principia, ex quibus colligi possit mens Legislatoris; & quæ illa. Quatuor regulæ assignari ordinariè solent hîc ab auctoribus, quas breuissimè declarabimus.

Status quæstionis.

Subsectio I.

Duæ priores regulæ.

37. *Prima regula. Lex pœnã simpliciter comminans, nec amplius mentem Legislatoris explicans, non facit pœnam ipso facto incurri.*

PRIMA est, si lex vtitur verbis simplicibus comminantibus pœnam, vt, *Præcipimus hoc sub pœnâ ducentorum ducatorum, aut sub pœna exilij*, &c. nihilque additur magis declarans mentem Legislatoris, tunc eam pœnam non censeri ipso facto incurrendam. Regula hæc desumitur ex

Digitized by Google

ex principio certo, quod statuimus paulò antè, scil. *odia esse restringenda*; ergo cùm in hoc tenore legis nil sit quod declaret eam pœnâ ipso facto incurri, debemus in benigniorem partem eã explicare; benignior autem explicatio est, vt ea nõ statim incurratur. Secundò idem suadetur, quia non potest incurri pœna ipso facto nisi per legẽ imponentem obligationem eius pœnæ statim subeundæ: atqui in eis verbis nullum est denotans præceptum statim exequendi; ergo.

38. *An ei locus sit in conuentionali pœnâ.*

Circa hanc verò regulam solet inquiri, vtrùm ea habeat locum in pœnâ conuentionali, quæ in contractibus imponi solet. V. g. conueniunt duo inter contrahendum, & imponunt pœnam in eũ qui à contractu resilierit, aut aliquid ei contrariũ fecerit, quæritur, an ea pœna incurratur ipso facto ante sententiam Legislatoris. Respondeo Primò, quæstionem hanc non esse ad rem nostram, quia hîc agimus tantùm de legibus, nõ de contractibus: Secundò, eos contrahentes habere haud dubiè potestatem imponendi sibi eam pœnam vt ipso facto incurrendam; & vt in conscientiâ teneatur transgressor statim eam soluere. Sicut potest quis vouere rem aliquam, & simul se obligare, casu quo eam rem non expleat, ad subeundam hanc aut illam pœnam: possunt etiã contrahentes, si velint, eam pœnam non statim sibi imponere, sed exspectatâ accusatione & sententiâ: hæc quoad potestatem; quoad factum verò satis probabile est, si pactum dicat (vt ordinariè solet dicere) *Qui verò contraria fecerit, teneatur soluere hoc aut illud*, obligare ipso facto ante sententiam Iudicis, quia id significat *tò teneatur*; & plus significat quàm si diceretur, *possit condemnari in talem vel talem summam*; tunc enim non imponeretur ea pœna, nisi post condemnationem incurrenda.

Contrahentes possunt sibi imponere pœnam ipso facto incurrendam.

39. *An reperiatur hæc regula in pœnâ testamentariâ.*

Secundò circa eamdem regulam quæri solet, an habeat locum in pœnâ testamentariâ, quę imponi solet his qui non exequuntur quæ in testamento præscripta sunt. Verùm etiam hæc difficultas non est ad rem nostram, quia hæc pœna non est à lege, imò nec propriè pœna, sed conditio, sine quâ testator, qui integrum ius habebat in ea bona, noluit ea venire in manus alterius: vt si ego donarem Petro pallium sub hac cõditione, *Vt si talem rem non faceret, amitteret ius in illud*: quo casu certissimum est; per se loquendo, etiam ante omnem sententiam illum amittere palliũ: & idem est de casu testamenti.

Secunda regula. Lex imponẽs pœnam per verba de futuro non facit eam ipso facto incurri.

Secunda regula est, quando pœna per legem imponitur per verba de futuro, vt v. g. *Qui hoc fecerit, priuabitur bonis*, &c. tunc non censeri incurri ipso facto. Ratio est, quia illud verbum de futuro non fert sentẽtiam de præsenti; & licet ea lex vtatur verbo quod denotet actionẽ ab ipso reo faciendam; vt si dicat, *Qui secùs fecerit iesunet*; quæ verba magis sunt dubia; nihilominùs ex principio generali, *quòd odia sint restringenda*, nõ debent intelligi nisi de pœnâ ferendâ posteà: id quod etiam verum est, licet verbum illud de futuro repetatur bis, aut ponatur aliud secundum augẽs; vt si dicat, *Cassetur & irritetur*: quia si ambo sunt verba de futuro, quantumuis multiplicẽtur, nihil denotant de præsenti; quidquid in contrarium senserit Tiraquellus & aliqui Canonistę apud Patrem Suarez eo cap. 3. num. 12. & idem est, etiamsi pœna de futuro imponatur per duas leges; quia illæ duæ semper manent intra terminos temporis futuri: ea autem repetitio est vel ad declarandam maiorem necessitatem eius rei imperatæ; vel, vt si vna lex iam erat abrogata, altera censeatur retinere suam vim.

Ab hac tamen & præcedenti regulâ excipitur casus, in quo pœna per legem imposita est talis, vt nisi ipso facto incurratur, tunc illusoria redderetur lex & nullius momenti; tunc enim, etiamsi verba non dicãt *ipso facto*, censentur tamen actu imponere pœnam. Ad explicandam hanc exceptionem ponunt Canonistæ aliqui exempla nonnulla minùs apta, vt v. g. si lex imponat infamiã; dicunt enim illã debere incurri ipso facto, quia infamia illa non potest per Iudicem imponi. P. Vasquez dicit hanc rationem non esse bonam; nam licet infamia non possit per Iudicẽ imponi, potest tamen sententia Iudicis esse conditio, vt pœna per legem illata incurratur. Hæc impugnatio mihi valdè bona videtur, etiãsi præter illam sint aliæ impugnationes: vnde nõ video, cur displicuerit Patri Suario ea ratio: illâ ergo admissâ, adhuc vlteriùs impugnatur exemplũ hoc infamiæ: nam sicut lex potest imponere infamiam ipso facto incurrendam, potest etiam Iudex per sententiam: etenim ipse, qui vt Legislator pœnâ imponit, potest vt Iudex eamdem imponere per sententiam. Nec video quid in hoc puncto mysterij repererint auctores in infamiâ, vt eam per sententiam Iudicis aut declaratoriã incurri posse negauerint. Quidquid ergo sit de hoc exemplo,

40. *Exceptio cuiusdã casus ab vtraque regulâ. An lex infamiam imponens faciat eã ipso facto incurri. Vasquez ratio arridet.*

41. *Lex imponẽs irregularitatem de præsenti eam imponit: item lex imponens irritationem matrimonij aut professionis in pœnam certæ actionis.*

alia sunt pro exceptione positâ meliora: vnũ est in irregularitate; hæc enim non ab homine, sed à iure imponitur: ergo lex imponens irregularitatem censetur eam pœnã eo ipso de præsenti imponere: alterum est in irritatione vinculi indissolubilis; si imponat lex in pœnam talis aut talis actionis irritationem matrimonij aut professionis, debet necessariò intelligi de præsenti; nam si actu non reddat personas inhabiles, sed debeat expectari sententia Iudicis, fieri posset, vt statim reus matrimonium v. g. contraheret, posteà autẽ frustrà ille inhabilitaretur, cùm iam matrimoniũ dissolui non posset. Idem est de professione religiosâ: si enim ob delictum ante illam commissũ alicui imponeretur pœna inhabilitatis, deberet intelligi ipso facto incurrẽda, ne interim ille validè professionem emittens posteà esset incapax eius pœnæ. Tertium exemplũ addit Tiraquellus de pœnis temporalibus num. 264. ex lege præcipiẽte aliquid sub pœnâ periurij: etenim eo ipso, quòd quis rem illam non faciat, contrahit pœnã periurij: hoc exemplum non est ad rem, quia periurium est actus ipsius subditi, quo aliquid falsũ iuramento confirmat: vnde non potest ea pœna ipso facto incurri, nisi subditus liberè iuret: si autem ille iurat, iam non vi legis incurret pœnam ipso facto. Dico ergo eam legem non tam imponere pœnam, quàm exigere obligationem iuramenti prioris. Explico: Vel lex illa supponebat hominem anteà iurasse se effecturum talem rem; & dum posteà eam non efficit, lex illa declarat incurrisse periurium, & posse puniri pœnâ periurij: tunc autem clarè cõstat pœnam periurij propriè non incurri per legem ipso facto, sed ipsum hominem à se fuisse periurum: vel certè lex præcipit de præsenti iuramentum, quòd sit facturus talem vel talem rem: vnde ita obligat ad eam faciendam, vt si posteà non faciat, sit periurus. Et hæc secunda explicatio magis videtur esse ad rem ipsam, quia clariùs apparet, quomodo lex illa per periurium cogat ad rem faciendam: at nihil inde de pœnâ ipso facto incurrendâ.

Exemplum Tiraquelli nil ad rem.

42. *An pœna periurij incurratur ipso facto.*

SVB-

Digitized by Google

Svbsectio II.

Duæ posteriores regulæ.

43. *Lex lata per verbum imperatiuum non incurri ipso facto.*

Tertia regula est, si lex feratur per verbum imperatiuum, vt, *Spolietur, excommunicetur*, etiam intelligendum pœnam illam non incurri ipso facto; quia ea verba potiùs iubent vt ab alijs illi effectus præstentur, & consequenter post sententiam Iudicis, quàm vt statim ipso facto incurrantur: quod maximè intelligendum est, quando verbum significat actionem quæ fieri debet ab alio, vt, *Spolietur, excommunicetur*: nemo enim se spoliat, aut excommunicat: si verò actio sit, quæ possit ab ipso reo exerceri, vt, *Soluat, ieiunet*, &c. res est magis dubia: nihilominùs si non addantur alij termini ampliùs declarantes, non debet censeri ipso facto obligatus; nisi fortè pœna sit in foro secreto sustinēda, & magis ordinetur ad bonum animæ: tunc enim non videtur voluisse Legislator expectare nouam Iudicis sentētiam; vt si dicat, *Oret, faciat disciplinam*, &c. Excipitur ab hac tertiâ regulâ verbum *sum*; vt si lex dicat, *Qui hoc fecerit sit excommunicatus, sit inhabilis*, &c. eo enim ipso videtur statim incurri ea pœna: probabiliter etiam idem dici potest de verbo *fiat*, si dicat, *Fiat inhabilis excommunicatus*, &c. licet in hoc ego maiorem difficultatem inueniam; eò quòd *fiat* admittit etiam actionem aliorum; vt si actiuè diceretur, *Faciat illum inhabilem, excommunicatum*: non enim in hoc puncto debemus necessariò maiorem vim passiuo verbo quàm actiuo tribuere per se; nam idem est dicere, *Occidatur Petrus*, ac, *Occidant Petrū*. Dixi *per se*, quia quatenus ea vox passiua admittit etiam pro ablatiuo ipsam personam loquentem; vt dum Græci dicunt, *Baptizetur seruus Christi*, intelligūt *à me*: potest etiam admittere de præsenti actualē effectionē rei: eo sensu dum dixit Deus, *Fiat lux*, intellexit, *Fiat à me*; & denotauit actualem productionem. Potest etiam ex se τὸ *Fiat excommunicatus* habere hunc sensum, *Fiat à me & ipso facto*; quia tamen ad hanc explicationē non cogimur, & odia debent restringi, dicimus etiam ibi non incurri ipso facto excommunicationem.

Quæ verba ab hac regulâ sint exceptæ.

Qui τὸ fiat sumi possit.

44. *Qui τὸ sum pœnam significet.*

Aduerte tamen circa verbum *sum*, illud posse coniungi cum verbo de futuro, vt, *est excommunicandus*, & tunc pœnam non incurri ipso facto; debet ergo verbum illud poni solùm per imperatiuum *sit*: sed quid si ponatur solùm de futuro, vt, *erit excommunicatus*. Respondeo etiam significare pœnam de præsenti, quia cùm non dirigatur ad alium ea excommunicatio, videtur ab ipsâ lege infligi ab eo puncto; ac si diceret, *Ex tunc erit*.

45. *Lex Legislatoris nomine proprio verbis de præsenti vtentis & pœnam imponere potentis indicat eā ipso facto incurri. Suarij ratio dilucet. Actio moralis tribuitur agenti principali.*

Quarta & vltima regula est, si verbum sit de præsenti, & nomine proprio loquatur Legislator, vt, *Excōmunicamus*, &c. si pœna ab ipso imponi potest, intelligi pœnam incurri ipso facto. Id quod probat P. Suarez, quia aliquin essent falsa ea verba, cùm dicant, *Excommunicamus*, & tamen re ipsâ id non præstent. Ego tamen hanc rationem non probo, quia ipse Legislator dicitur excommunicare, etiamsi posteà intercedere debeat sententia declaratoria criminis, imò etiam impositiua pœnæ; nam hæc fit vi prioris legis: in moralibus autem semper actio tribuitur principali agenti: & id verum est independēter ab hac difficultate; nam omnes ejusmodi pœnæ, etiamsi requirant sententiam Iudicis, tribuuntur non Iudici, sed iuri cōmuni & illius auctori. Dico ergo, Etiamsi in rigore & absolutè veritas eorum verborum non requirat, vt excōmunicatio illa ipso facto incurratur, tamen quia negari non potest proprium & genuinum sensum esse, si de præsenti explicentur, ac si dicant, *Ab eo puncto illum excōmunicamus*, & communiter sic intelligantur ea verba ab omnibus, debemus nos etiam illa in eo sēsu accipere. Sed quid si dicat, *Mādamus vt excommunicetur*, &c. Respondeo, idem esse ac si dixisset, *Excommunicetur*; si verò dicat, *Mandamus vt sit excommunicatus*, idem erit ac si dixisset, *Sit excommunicatus*: ideóque de his discurrendum iuxta suprà dicta. Sed quid si dicat, *Mandamus restituere*. Respondeo idem esse ac si dixisset, *Restituat, soluat*, &c. Quæ verba quia dubia, in mitiorem partem intelligenda suprà diximus, vt non obligent nisi post sententiam.

Quæ verba non obligent nisi post sent. etiam.

Svbsectio III.

Obseruatio circa præcedentes regulas.

46. Ea verò sit, totam hanc doctrinam intelligēdam de pœnis tam negatiuis quàm positiuis, seu quæ in actione & passione consistunt: etenim, exceptis illis pœnis, quæ ab ipso homine executioni licitè mandari non possunt, vt sunt seipsū occidere, mutilare, &c. diximus suprà, cæteras, siue in actione, siue in passione consistant, posse à Legislatore ita imponi, vt in conscientiâ sit obligatio eas exequendi eo modo, quo ab ipso homine possunt etiam ante Iudicis sententiam; & summùm ab hac regulâ excipiendas illas, quæ sunt valdè graues; ad quas tamen etiam diximus absolutè obligare posse Legislatorem. Quâ doctrinâ suppositâ, difficultas etiā circa eas graues purè putè in eo consistit, vt dignoscamus, quando fuerit mens Legislatoris imponere ipso facto eas pœnas; quando verò solùm vt imponendas post sententiam Iudicis: ad hoc autem dignoscendum assignatæ sunt iam sufficientes regulæ, quæ eodē modo de pœnis in actione ac de ijs quæ in passione aut negatione consistunt, intelligendæ sūt; quia eadem est in omnibus difficultatis ratio; nec necessaria est noua in hoc pūcto doctrina. Quod ideò notaui, ne quis incidens in Patrem Suarez, & post tractatam hanc difficultatem cap. 5. & 6. 47. inueniat rursus per tria longissima capita discussam eam difficultatē sub triplici differentiâ pœnæ positiuæ negatiuæ, & in actione aut passione consistentis, arbitretur, nouum esse in hoc puncto mysterium aut difficultatē: vnde ipse Pater Suarez in eis vltimis capitibus eosdem ferè repetit casus quos in prioribus, licet addat aliqua alia exempla earum regularū quas posuimus. Verùm hîc non tam sumus soliciti de multiplicandis exemplis quàm de regulis statuendis, ex quibus cuilibet posteà facile sit dignoscere, quid in quolibet casu dicendum sit, maximè cùm dixerimus, si ex vi verborum non liceat mentem Legislatoris sufficienter colligere, interpretandam legem de pœnâ non statim incurrendâ, sed post sententiam aut declarationē. Quæ regula valdè minuit præsentem difficultatem. Dicam tamen duobus verbis quod ille fusè ibi tractat, quia deseruiet ad explicationem aliquorum casuum particulariū; in quorum resolutione fere ex integro conuenit cum Patre Vasquez & Salas, vt videre est apud hunc vltimum eâ disp. 15. sect. 3. & 4. vbi multos alios casus particulares attingit.

Regula suprà data conseruant pœnam tam in actione quàm negatione aut passione sitas.

Sententia P. Suarez breuiter exponitur.

Digitized by Google

48. *Si pœna exigit actionem rei, non debet intelligi ipsũ statim obligatũ, nisi verba id clarè significent.*

Docet igitur, si pœna exigat actionem ipsius hominis, non debere intelligi illum obligatum statim, nisi clarissima sint verba legis; vt in lege quadam Hispanicâ explicatur dum dicitur, *In quibus pœnis ex nunc pro tunc eos condemnamus, ita vt in foro conscientiæ ad eas pœnas soluendas ante Iudicis sententiam teneantur:* quam legem meritò dicit esse iustam, etiamsi ciuilis cùm sit, mentionem tamen fecerit obligationis in conscientiâ; quia etiam lex ciuilis potest obligare in conscientiâ, vti suprà diximus. Addit autem, si lex non dicat, vt incurratur pœna ante sententiam Iudicis, etiamsi dicat ante condemnationem, nõ tamen incurri ipso facto; quia tunc debebit expectari saltem sententia declaratoria: eamdem regulam extendit ad pœnas, quæ ab ipso reo suo modo causantur, etiamsi negatiuæ sint: vt est pœna ieiunij, non exeundi ex tali loco, &c. quia etiã ad has non debet obligari, nisi verba Legislatoris sint clarissima: id quod præcedentibus regulis à nobis traditum est.

49. *An idem valeat in pœnâ priuatiuâ.*

Iam ad pœnas priuatiuas, in quibus dicit, si lex dicat, *Eo ipso priuetur*, &c. *careat iure*, &c. videri statim infligi: addit tamen, si ea priuatio vt vltimò compleatur requirat actionem ipsius rei, vt quãdo dicitur in lege, *Si quis in hæresim incidat, eo ipso priuetur bonis*, non intelligi ipsum reũ obligatum ex tunc ad seipsum spoliandum bonis, etiamsi ex tunc non possit ea bona distrahere.

Fundamentũ Salas.

Fundamentum illius est, quia *eo ipso facto priuetur*, sufficienter explicatur per carentiam iuris ad diuendenda, dilapidanda ea bona; ergo non est cur explicetur de ipsâ positiuâ denudatione ab homine factâ; ergo non est ampliùs extendenda, quia odia restringi debent, non ampliari: quã regulam os etiam suprà tradidimus. Secũdam addit, quæ est prioris limitatio, vt scilicet, si Legislator explicet se velle ipso facto eam pœnã omnino ex integro incurri, aut si lex esset inutilis, nisi de facto incurreretur, tunc de facto incurri: id quod cum ipso Suario suprà docuimus: varia verò exẽpla huius regulæ affert: Primũ de legibus Canonicis, quæ priuant ipso facto beneficio iam anteà legitimè obtento; & de eo qui beneficium accipiens intra annum non accipit Ordines sacros: Secundum de Episcopis, qui, si non consecrentur intra sex menses, amittunt Episcopatum: Tertium de Prælatis infoelicibus, qui bona suarum præbendarum alienauerint: Quartum de his qui per alios occidunt: priuantur enim eo ipso suis beneficijs, & excommunicantur. Quia tamen ea cap. *Pœ humanis*. de homicidio in 6. videtur ad eam pœnam requiri, vt constet probabilibus argumentis hominem illud peccatum commisisse, censet ad vtramque eam pœnam requiri sententiam declaratoriam criminis. Quintum exemplũ ex motu proprio Pij IV. contra committentes Simoniam confidentialem, qui videntur ipso facto priuati beneficijs: quod omnino putat efficax; quia Pontifex ibi videtur excludere necessitatẽ vllius probationis publicæ. Sextum ex Tridentino sess. 24. de reform. cap. 18. vbi examinatores beneficiorum Simoniam in examine committentes videntur ipso facto priuari beneficijs priùs obtentis: dum enim dicit Concilium, eos non posse absolui vtique in foro conscientiæ à peccatis, nisi dimissis beneficijs, procul dubio videtur supponere illos iam fuisse obligatos in cõscientiâ ad ea beneficia deponenda; alioquin sine eâ dimissione habito dolore de peccatis absolui potuissent. Septimum exemplum ex Concilio vltimo Lateranensi sessione 5. vbi contra Cardinales Simoniacos in electione Summi Põtificis fertur sententia priuationis beneficiorum sub hac formâ, *Eo ipso absque aliâ declaratione priuatus existat.* Quòd autem quidam respondeant, ideò dici ante declarationem eos priuari, quia positâ posteà declaratione retrotrahitur sententia ad tempus præcedens, non videtur satisfacere, quia *tò priuatus existat*, sine dubio plus denotat quàm retrotractionem; neque est fundamentum ad astruendam tam violentam explicationem.

50. *Varia exempla.*

51. *Regula Salas. generalis de pœnis purè priuatiuis.*

Deniq; circa pœnas purè priuatiuas, quæ nullam actionem rei requirunt, vt sunt inhabilitas ad hæreditatem, ad beneficia, ad suffragium tam actiuum quàm passiuum, & similes, statuit regulam generalem, scilicet, si dicatur in lege, *Ipso facto sit inhabilis*, &c. eam statim incurri: id quod ex regulâ magis vniuersali superiùs traditâ, extẽdente se ad omnes pœnas à fortiori constat. Confirmatur autem ex ratione superiùs datâ, nam sæpè ea lex esset inutilis, quia ante declaratoriam sententiam fieret actus aliquis validus, qui non posset posteà reuocari.

52. *Occurritur obiectioni facta.*

Dices: Ergo si quis eo modo ob delictum secretum sit inhabilis ad ferendum suffragium, & tamen re ipsâ ferat, ac per illud compleatur electio, non erit ea electio valida, neque alter poterit, si id resciat, iudicare se electum: & idem est, si ipse electus commisit delictum simile, & incurrit inhabilitatem passiuam: videtur autem id absurdũ, quia vix homines essent securi de suâ electione. Ob hoc argumentum videntur in contrariâ esse sententiâ Sotus lib. 1. de Iustitiâ q. 6. art. 6. ad 4. & lib. 4. q 6. art. 3. Ledesma in 4. p. 2. q 18. art. 2. Respondetur tamen quoad suffragium actiuum attinet, etiamsi qui illud tulit reuerà sit priuatus voce actiuâ, quia tamen est minister publicus & toleratus, censeri eius actionem validã. Quæ doctrina independens est ab hoc puncto; etenim etiamsi ex alio capite constet, certò illũ esse priuatum iure, si tamen id publicum nõ sit, censetur eius actio approbata. Quoad electum verò fatemur, si ipse sit inhabilis ad suffragium passiuum, nullam esse electionem; quia in eâ non se gerit ipse vt minister Ecclesiæ, sed potiùs vt patiens & vt priuata persona, ideóque non suffragatur ei, quòd exteriùs reputetur capax. Ratio etiam alia dispatitatis inter actiuum & passiuum suffragium ea est, quòd inhabilitas in actiuo est in præiudicium alterius, ideò faciliùs in ipsâ dissimulatur in foro externo; at passiua solùm est in ordine ad ipsum, neque in alterius transit nocumentum; vnde non est ratio cur ea debeat auferri.

Discrimen inter suffragium actiuũ & passiuum.

53. *Suary mens circa inhabilitates.*

Ab hac doctrinâ excipit P. Suarez inhabilitates, quæ non sunt pœnales, sed quasi reddentes hominem incapacem suffragij; quia v. g. non habet ætatem requisitam; & in Vniuersitatibus, in quibus studiosi ferunt suffragia, si vel non frequẽtauit adhuc toto tempore necessario ad valorem suffragij, vel permisit se corrumpi muneribus, &c. hæc enim re ipsâ inualidum reddunt suffragium; quâ occasione disputari posset, vtrùm, quando hi, antequam ferant suffragium, interrogantur sub iuramento à Rectore Vniuersitatis, teneãtur declarare quemcumque defectum habeant in hac parte. Sotus & Ledesma suprà censent non teneri, si nec infamia præcessit, nec semiplena probatio; quia tunc non cẽsetur Iudex iuridicè interrogare; & nemo tenetur suum crimen detegere, quando nullo modo illud probatur. P. Suarez respondet

Sotus & Ledesma sensus.

Digitized by Google

respondet sub distinctione: Vel enim inhabilitas incurritur ipso facto, & est iam contracta; quando studiosus interrogatur, tunc autem censet eũ teneri ad dicendum veritatem, quia tunc à Iudice non interrogatur vt puniatur, sed solùm ad euendum peccatum & iniuriam: quòd si inhabilitas nondum sit contracta, sed primò debeat cõtrahi per sententiam, tunc dicit posse studiosum, qui contra se nullam habet probationem, negare, quia ille adhuc habet ius ferendi suffragium, à quo non potest nisi per sententiam spoliari; in ordine autem ad sententiam non tenetur ipse detegere suum crimen, quando nec est de illo infamatus, neque habet contra se semiplenam probationem. Deinde, si iuridicè interrogentur, vt solent vniuersaliter omnes studiosi interrogari antequam suffragium ferant, an hoc & illud fecerint, censet, absolutè eos teneri ad veritatẽ dicendam, quia ea interrogatio nõ est ad punitionem, sed propter bonum Reipublicæ, & ne fiant de nouo peccata; maximè cum solùm sub eâ cõditione admittantur ad ferẽda suffragia; hoc est, si fecerũt talia & talia; ergo si non fecerunt, iniquè vsurpant sibi ius ferendi, & consequenter peccant: quòd si graue est illis detegere suam culpam, sibi imputent, qui cùm scirent se eâ de re interrogandos, illam admiserunt; præterquam quod facilè possint se subtrahere ab eâ occasione ferendi suffragium, ideóque nec cogentur suum peccatum detegere, nec iniquè vsurpare ius ferendi. Quæ doctrina mihi omnino placet; neq; pro præsenti occasione video quid debeat ei addi. Et satis de pœnâ impositâ ipso facto, aut solùm imponendâ post sententiam.

Distinguit hic Suarez.

54. *Quando studiosi admissi ad ferẽda suffragia amissa sunt, interrogati fateri veritatem.*

SECTIO VII.

Vtrùm lex pœnalis obliget reum post latam sententiam ad eam acceptandam, & Iudicem ad sententiam ferendam.

55. *Ostenditur hæc quæstionis ex præcedẽtibus.*

DVPLEX hæc difficultas, si benè ea perpendantur quæ in præcedentibus diximus, vix vlla videtur esse: cùm enim ostẽderimus Legislatorem habere vim ad obligandum reum ad pœnam, etiam ante sententiam Iudicis, à fortiori habebit ad obligandum post sententiam: item cùm Legislator (de quo hic agimus) habeat vim obligandi alterum Iudicem qui sententiam ferre debet, haud dubiè poterit etiam illum de facto obligare, vt cognito sufficienter crimine eam totam pœnam imponat. Quæ doctrina locum habet tam in pœnâ positiuâ quàm in priuatiuâ, tam in eâ quæ in actione quàm quæ in passione consistit: vnde primam difficultatem, quam P. Suarez tractat toto cap. 10. nos vno verbo expediemus: dicimus enim, si lex solùm requirat sententiam declaratoriam, tunc, eo ipso quòd Iudex declaret crimen, oriri vi legis obligationem acceptandi aut exequẽdi illam pœnam: acceptandi, si debeat per ministros iustitiæ infligi, vt mors publica, flagellatio, mutilatio: si verò petat actionem ipsius rei, vt in solutione pecuniariâ, in abitu in exilium, in ieiunio, in flagellatione priuatâ, teneri reum in conscientiâ ad eam pœnam exequendam, quia iuxta dicta, potest ad eas obligare Iudex, & de facto vult, ergo obligat de facto. Quòd si requiratur sententia condemnatoria, tũc post illã insurget ea obligatio: vnde fit vt à fortiori obligetur reus ad non resistendum Iudici aut ministris iustitiæ eas pœnas infligentibus: quod verum est, etiamsi re ipsâ iniusta fuerit sententia, dummodò in foro externo iuxta allegata & probata, & secundùm omnes alias exteriùs requisitas conditiones, lata fuerit; tenebitur enim parere saltem propter scandalum: Iudex enim habet tunc in foro externo iustam causam, & præualet innocentiæ priuatæ illius personæ; quæ tamen, si posset occultè euadere eas pœnas, licitè id faceret.

Lex requirit sententiam solùm declaratoriam, eo ipso quòd Iudex declaret crimen, obligat ad acceptandam & exequendam pœnam: multò magis lex requirens sententiam condemnatoriam, etiã iniustam.

Quæri posset circa hoc Primò, an teneatur reus damnatus ad mortem ire ad locũ supplicij, ascendere scalas patibuli, &c. aliqui iudicant non teneri, tum quia id est cooperari suæ neci, tum quia videtur id nimis graue; ego tamen non video cur non teneatur: etenim illa cooperatio est nimis remota, & quã nemo dubitat posse reum, si velit, ponere; licere ergo ex hoc capite non repugnat, vt ad eam obligetur. Secundò, nec video cur sit id iudicandum nimis graue: etenim, moraliter loquendo, tam graue est, si reus debeat expectare donec trahatur à carnificibus violẽter per scalas, quàm si ipse eas conscendat; imò illud primum esset longè grauius, ergo non est cur ad id non teneatur: & idem est, vt ipse in exiliũ abeat, nec necessum sit vt exportetur violenter.

56. *Reus morti adiudicatus tenetur ire ad supplicij locum, &c.*

Secundò quæri potest, an reus damnatus ad carcerem, triremes, &c. teneatur non fugere, etiãsi possit. Respondetur, Si carcer non est valdè grauis, valdè malè sanus; nec de vitâ in eo periclitatur, teneri manere in eo; quia eam pœnam Iudex imponere potest etiam vt ab ipso reo exequendam. & ita Vasquez Sotus, Valentia, & alij, quos refert & sequitur Salas sect. 7. qui cum Patre Sa meritò excipit illum, qui ob debita damnatus est ad perpetuum carcerem: nam hæc pœna neq; est apta ad restituendum, nec est satisfactoria pro culpâ: si autem carcer è contrario sit grauis, non teneri, quia durum nimis est eum obligare vt nõ vitet quando potest tam graue malum: vnde de his qui ad triremes damnati sunt meritò censet P. Suarez eis licere, si possint euadere, nisi iuramento se ad non fugiendum constrinxerint: vnde à fortiori constat eos qui ad mortem damnati sunt licitè posse fugere, si detur occasio.

75. *Reus carceri cõdemnatus triremibus, &c. tenetur non fugere, nisi de vitâ periclitetur. Carceri perpetuo mancipatus ob debita nõ tenetur manere.*

Verùm obijcies ex dictis à nobis suprà; quantumuis grauis sit pœna, si tamen licitè potest ab ipso reo executioni mandari, potest etiam per legem reus cogi, vt eam exequatur; ergo potest ad manendum in carcere, in triremibus, &c. quia, si velit, licitè id potest præstare. Respondeo, me solùm ibi locutum de his pœnis, ad quas potest obligare Iudex post sententiam latam; de illis enim dixi contra Patrem Suarez posse legem obligare ipso facto, non expectatâ eâ sententiâ: hîc autem iam est sermo de aliquibus, vbi nec ante sententiam latam, neque post illam obligare potest Iudex, ob earum acerbitatem, vt subditus, etiamsi possit, non eas vitet; addo tamen, hanc vltimam nostram doctrinam, quòd scilicet non teneatur tunc manere, si possit commodè fugere, non esse omnino certam, sed vt magis fauorabilem defendi à nobis, quia si rigorosè res examinetur, valdè difficile est reddere bonam rationem, cur tunc non debeat obedire.

Solvitur obiectio.

Dixi paulò antè, *nisi se iuramento ad non fugiendum adstrinxerit:* circa quæ dubium moueri posset propter Patrem Vasquez, qui disp. 174. c. 5. ait, etiamsi iuramentum quis præstiterit redeundi ad carcerẽ, si tamen hic sit iniustus, aut timeatur

Digitized by Google

timeatur iniusta sententia, non teneri redire; si tamen iuramento quis se obstrinxit latroni, ne inuadatur, ad dandum illi posteà pecuniam, teneri illud seruare: disparitatem inter eos duos casus hanc assignat, quia in primo, redire ad carcerem non est opus virtutis vllius; in secundo est opus virtutis, nempe redimere propriam vexationem.

58. *An reus iuramento se adstringēs teneatur manere, vel dimissus redire, vt & pecuniam latroni iuramento promissam det. Excutitur discrimen à Vasquez assignatum.*

Hæc doctrina mihi videtur absolutè difficilis; neque eam crediderim sufficienter cohærentem: quòd nō cohæreat probo clarè; nam sicut redire ad carcerem non est opus vllius virtutis, ita nec soluere posteà pecuniā latroni vllius est virtutis; etenim per solutionē ea vexatio non redimitur; hæc enim per iuramentum redēpta fuit; solutio verò sequens nihil redemit: quo sensu etiam per fugam è carcere fuit redempta vexatio: suppono autem, non cogi illum hominem ad soluendum latroni eo ipso tēpore quo inuaditur, sed posteà, alio tempore, quando iam est extra periculum: nam si eo momento cogatur, iuramentum nihil facit, quia tunc vi & independenter ab illo euadere non potest solutionē. Fortè responderi posset, ideò ipsam solutionem posteà redimere vexationem, quia vtilis est, vt in simili occasione deprehēsus dimittatur à latrone per simile iuramentum. Sed contrà, quia in hoc sensu etiam ipsū redire ad carcerem est redimere vexationē præcedentem, quatenus in similibus posteà occasionibus posset sub eo iuramento dimitti, quia creditur rediturus: sæpè autem optabile solet esse valdè ipsum dimitti ad tempus, licet homo redire cogatur; quia expedire foris potest negotia grauia & magni momenti, aut rebus suis prouidere, quas manens in carcere omnino amisisset siue pro se, siue pro filijs aut hæredibus; ergo ex hoc capite non est differentia inter vnum & alterum iuramentum.

Ostenditur nullum esse discrimen inter vtrumque iuramentum.

59. *Seruanda fides etiam ipsis hostibus.*

Absolutè verò ea doctrina displicet, quia explere iuramentum alteri promissorium, in quacūque materiā sit, est opus fidelitatis: seruāda enim est fides etiam ipsis hostibus, vt sæpè Sancti Patres docent; maximè Ambrosius in libris de Officijs: neque necessum est vt materia promissa ex se sit in aliquā virtute; sufficit enim si ea sit absolutè licitè factibilis à iurante, & alijnde grata sit illi cui est promissa; eo enim ipso, quamdiu hic non cedit iuri, alter tenetur. Cōfirmo: Illa dimissio ex carcere fuit pactum quoddam, in quo dimittens ex suo posuit dimissionem, ad quam non tenebatur; alter ex se opposuit obligationē redeūdi; ergo tenetur stare promissis, non minùs ac qui cum meretrice paciscitur, etiamsi ob rem iniustam, tenetur ei pretium promissum soluere.

Iurans teneatur iurhmento in materiā quacumque à se licitè factibili.

Quando iuramētum vi extortum obligat, & quando non.

Dices: Iuramentum vi extortum seu ob metum cadentem in constantem virum non obligat posteà, ergo neque illud factum in carcere obligabit. Respondeo distinguendo antecedens: quando iuramētum directè extorquetur ab alijs, concedo antecedens; quando verò ipse offert iuramentum, vt per illud obtineat aliquid, quod optat, nego antecedens. V. g. si quis alterum aggrediens iniustè dicat, *Mactabo te, si non iuraueris daturum te mihi mille*, admitto eum posteà nō teneri, quia violenter est extortum illud iuramentum: at si quis aggrediatur alterum, & nullum ab eo iuramentum exigens, simpliciter velit illum ex odio aliōve motiuo mactare, hic verò, vt se liberet, offerat alteri rem aliquam pretiosam, promittátque iuramento se eam daturum, si sibi parcat, dico; eo casu, teneri ad eam dandam: quia illud iuramentum non est propriè extortū ab altero, sed oblatum ab hoc tamquam pretium eius libertatis; ideóque ad illud explendum omnino tenetur. Differentia inter illos duos casus illa est, quòd quando violenter directè extorquetur iuramentum fit ipsi iuramento iniuria, dum iniustè ad illud cogitur quis; at in altero casu nulla fit iuramento iniuria, sed potiùs eligitur ex proposito vt medium ad eam libertatem, sicut poterat eligi quodcumque aliud, quod tunc ei homini occurrisset; ideóque ipse vt inuentor eius iuramenti teneatur illud seruare: quòd si hæc solutio non placet, dic in vtroque casu teneri. Ad obiectionem verò respondē, omne iuramentum etiam vi extortum obligare, nisi sit de re illicitā. Et satis nunc de hac digressione.

60. *Discrimen inter iuramentum violenter & directè extortum, & inter oblatum alteri vt medium libertatis.*

An post sententiam declaratoriam teneatur quis sua bona statim vltrò addicere. Suarez negat. Auctor distinguit.

Tertiò quæri potest circa confiscationem bonorum, an teneatur quis post sententiam declaratoriam eam in se exequi. De hac re fusè Pater Salas suprà sect. 4. & 5. & Suarez suprà, qui negatiuè respondit, eò quòd esset nimis durum cogere hominem ad eam pœnam sibi infligendam. Ego iuxta dicta suprà respondeo, si lex solùm petiit ad eam priuationem sententiam declaratoriam, teneri illum post eam sententiam abire domo, ac bona sua relinquere; si verò sit requisita sententia condemnatoria, tunc ea supposita illum teneri; neque video, cur sit, adeò grauē illum tunc temporis exire domo voluntariè, aut cur è contrario mitigetur ea per hoc, quòd veniant ministri iustitiæ, eúmque vi expellant, aut ferántque illi claues, &c.

61. *Cap. Suam, de pœnis, explicatur.*

Contra hanc totam doctrinam obiici solet cap. *Suam*, de pœnis, vbi Papa prohibet, ne quidam Clerici in pœnā molestentur, etiam post condemnationem. Respondeo, in eo capite nihil esse contra datam doctrinam; sed reprehendi Spoletanum Episcopum, quòd veritate tacitā litteras cōtra Clericos impetrauerat, & oblitus pōtificalis modestiæ malis artibus ditari cuperet: id quod ad præsens institutum nihil facit; agimus enim hīc de obligatione iustæ pœnæ acceptandæ; alioquin etiam probaretur, non posse Iudicem cogere reum ad sustinendam propriam pœnam: quod absurdissimum esset. Et hæc circa primam difficultatem de obligatione rei.

Quando Iudex teneatur imponere pœnam, & quantam.

Circa secundam, quomodo Iudex teneatur imponere pœnam, in primis supponendum est, si pœna sit per ius imposita ipso facto, solúmque requiratur sententia declaratoria, tunc Iudicem teneri ad eam declarationem; deinde verò non posse ab ipso impediri executionem pœnæ.

Secundò supponendum, eum non posse grauiorem pœnam imponere quàm sit pro eo delicto taxata à iure. Dico *pro eo delicto*; nam si fortè reus grauem aliquam circumstantiam delicto addidit, poterit ratione illius aliquid etiam in pœnam addere. His ergo suppositis difficultas est, an Iudex teneatur per sententiam pœnam à iure præscriptam imponere; est autem ratio dubitādi, quia licitum est, & à Sanctis Patribus sæpè obseruatum, intercedere pro remissione pœnæ: si autem Princeps ad id esset in conscientiā obligatus, ita vt licitè non posset pœnam remittere, illicitum certè esset id ab eo petere; aliunde verò, cùm non solùm Iudices inferiores, sed etiam ipse supremus Princeps obligetur his legibus, videtur omninò teneri ad infligendam eam pœnam.

62. *Quando Iudex nequeat pœnam remittere.*

Respondeo breuissimè. Primò ex dictis præcedenti sectione, & initio huius, omninò eos teneri ad ferendam eam sententiam, ob rationem proximè

proximè datam: & in primis, si pœna sit pecuniaria, applicanda alicui alteri tertiæ personæ determinatæ, quæque ius acquisiuit in eam pecuniam, non licebit eam pœnam remittere, quia id esset in præiudicium tertij; & consequenter nec erit licitum intercedere pro eâ remissione: si verò pœna sit corporalis, Iudex quidem inferior non poterit pœnam remittere, maximè post latam sententiam; quia tunc (vt dicunt Iuristæ) iam est functus officio suo. Fortè in aliquo casu per epieikiam sicut licet inferiori interpretari mentem superioris, ita etiam licebit ei. Iudici interpretari mentem iuris: vnde apud tales Iudices non est per se licitum intercedere vt non fiat executio sententiæ; si verò sit in suo ordine supremus Iudex, tunc, esto obligetur legibus, quia tamen ipse potest in eis dispensare, locum habet intercessio aliorum Principum, Magnatum, Religiosorum, ipsius Reipublicæ, &c. quia hæc possunt sæpè constituere iustam causam dispensationis; & hinc solutum est argumentum contrarium: quando autem non expediat etiam eiusmodi intercessionibus annuere, tum ob grauitatem delicti & populi querelas, tum ob frequentiam talium delictorum, tum ob obstinationem delinquentis, tum ob desperatam emendationem & reliqua, &c. quando verò è contrario ob alias circumstantias diminuentes malitiam, tam se tenentes ex parte actionis & libertatis quàm ex parte qualitatis personæ, consanguineorum, &c. videatur, quodammodò necessaria remissio, non est huius loci explicare; neque in eo puncto præscribi potest generalis regula, sed debet id ex ipsis circumstantiis occurrentibus ponderari arbitrio prudentum.

quando desit.

Qui possint remissionem pœnæ reo impetrare; & quando.

SECTIO VIII.

An ignorantia excuset pœnam legis.

63. *Status quæstionis.*

QVærimus, an ille, qui ignorauit pœnam à lege præscriptam pro delicto, agnouit se tamen malè agere (nam si inuincibiliter operatus est, putans se non peccare, sicut reuerà nullo modo peccauit, nec ciuiliter, ita nec pœnam meruit), incurrat reatum eius pœnæ, siue postea liberetur ab eâ subeundâ aliquo alio ex capite, siue non.

Ignorantia duplex, alia iuris, alia facti.

Priùs verò aduerte, quosdam distinguere duplicem ignorantiam, vnam iuris, aliam facti, diceréque, hanc excusare à pœnâ, alteram verò non etiamsi fortè à culpâ excuset coram Deo. Ita Scotus in 4. distinct. 6. q. 8. & Turrecremata in cap. *Quibus*, de consecr. dub. 4. num. 8. eamdem sententiam tenet Glossa in cap. vlt. de verborum significatione in 6. nihilominùs tamen dicimus vniuersaliter, non solùm posse esse ignorantiam inuincibilem facti, sed etiam iuris; nam ipsum ius naturale, quod magis necessarium est, potest sæpè inuincibiliter ignorari, vt diximus Tomo 3. ergo à fortiori ius humanum: quòd si ignorantia inuincibilis reperitur, illa sine dubio excusat à culpâ etiam coram hominibus, quia facit opus illud simpliciter quoad oppositionem cum lege inuoluntarium ergo excusat ab omni culpâ. Dixi, *etiam coram hominibus*; nam superiùs ostendimus incurri posse pœnam pro aliquo facto, quod coram Deo non sit vera culpa, sit tamen ciuilis, quatenus est voluntaria transgressio legis humanæ: est enim id moralis quædam imperfectio: hoc verò non habet locum, quando ignorantia est inuincibilis: tunc enim nec coram Deo, nec coram hominibus vlla est culpa aut imperfectio, ideóq; nec est vlla dignitas pœnæ.

Potest dari ignorantia inuincibilis non solùm facti, sed & iuris ordini naturalis.

Ignorantia inuincibilis & coràm Deo & coram hominibus excusat.

Quando possit ob legem etiam ignoratam pœna imponi.

Pro maiori verò huius rei explicatione aduerte, aliquándo eamdem actionem esse prohibitam lege humanâ simul & naturali, ob quam potest pœna imponi transgressori, etiamsi ignoretur lex humana, dummodò non ignoretur ea naturalis aut diuina; nam tunc non excusatur simpliciter peccatum, quia ad hoc sufficit cognitio legis naturalis. Eodem modo quærimus, an excuset à pœnâ in lege ciuili sola ignorantia pœnæ; quæ tamen non excusat à culpâ graui. In quo puncto communis & certa sententia docet, eam ignorantiam non excusare: ratio huius est manifesta; nam dignitas pœnæ non incurritur propter scientiam pœnæ, sed propter culpam; hæc autem non excusatur per ignorantiam pœnæ, ergo.

Sola ignorantia pœnæ non excusat à pœnâ in ciuili lege, licet excuset quandoq; in Canonicâ.

Cæterùm aduertendum est, si pœna imponitur propter aliquam circumstantiam peccati, v. g. homicidium Clerici, habet annexam excommunicationem non quà homicidium, sed quà Clerici; similiter fornicario cum alienâ vxore habet annexam pœnam non quà est fornicatio, sed quà est adulterium: si ergo inuincibiliter ignoretur ea circumstantia Clerici & vxoris alienæ, etiamsi non ignoretur esse peccatum, non incurruntur illæ pœnæ; quia ea ignorantia excusat illam culpam, quâ parte habet propriè annexam pœnam. In contrarium stat P. Thom. Sanchez lib. 3. de Matrimonio disput. 36. num. 3. & pauci alij, qui putant in omni casu ignorantiam pœnæ excusare à debito illius: quia tamen nullum vllius momenti argumentum pro se adducunt, nec debilitant rationem factam à nobis, quòd scilicet ea ignorantia non tollat vllo modo culpam, nec necessaria sit scientia pœnæ, quasi hæc debeat esse voluntaria: cùm potiùs contrarium magis sit de ratione pœnæ, scilicet, vt sit inuoluntaria, non est cur ampliùs cum eis hæreamus. Ab hac tamen regulâ excipi solet excommunicatio, quæ non incurritur ab ignorante eam esse impositam pro delicto. sed de hoc fusiùs in materiâ de Censuris.

P. Th. Sanchez opinio rejicitur.

Excommunicatio non incurritur ab ignorante eam pro delicto impositam

Secundò dicendum est, Si lex imponat pœnam non pro delicto illo vtcumque, sed scienter & dolosè commisso, &c. tunc ad incurrendam eam pœnam requiri vt commissum sit illud delictum cum eâ circumstantiâ. Ratio est clara ex dictis, quia cùm Legislator pro libito possit non imponere eas pœnas, potest etiam exigere, vt eas incursurus non solam actionem ex se vtcumque malam admittat, sed cum hac aut illâ circumstantiâ aggrauante: quòd si potest id requirere, satis clarè ostendit se ita de facto velle, dum vtitur talibus particulis in ipsâ lege: vnde si lex dicat, *Qui scienter hoc fecerit*, dicendum, non incurrere eam pœnam illum, qui ex ignorantiâ etiam crassâ & culpabili id fecit, dummodò non sit affectata, nam ignorantia affectata solet æquiparari scientiæ in Iure, quia includit etiam directam intentionem & includit scientiam periculi & dubitationis; crassa verò & negligens etiamsi culpabilis sit, non tamen habet eam æquiualentiam.

65. *Quando ignorantia etiam crassa excusari possit à pœnâ.*

Ignorantia affectata ob scientiæ in iure similitudinem facilè.

Tertiò dicendum est, Si ignorantia excusat à culpâ graui, eo ipso excusare à pœnâ graui; nam licet dixerimus suprà, probabile esse posse per legem imponi pœnam grauem, etiam non requirendo culpam, tamen quando Legislator supponit culpam grauem de facto ante pœnam, clarè ostendit, se eam pœnam hîc & nunc nolle infligere,

Ignorantia excusans à culpâ graui eo ipso excusat à pœnâ graui.

Digitized by Google

gere, nisi præcedat grauis culpa: ergo quando excusatur quis à graui culpâ, etiam excusatur à pœnâ graui; ad summum tunc merebitur pœnam leuem proportionatam leui culpæ.

DISPVTATIO XXII.

De lege tributum imponente.

1. *Lex tributi imponens maximè odiosa est.*

POST legem pœnalem in communi oportet explicare legem imponentem tributa; quia hæc maximè solet esse odiosa & onerosa. De nomine tributi, vnde deriuetur, an à *tribu*, an à *tribuo*, nihil dico, quia ad intentum nostrum res est planè inutilis; hæc solùm noto, nomine tributi in præsenti non intelligi id, quod aliquando solet dari in signum feudi: v.g. accepit quis à Rege bona aliqua gratis cum obligatione, vt singulis annis certam summam pendat: hæc solutio, licet aliquando soleat dici tributum, non est tributum, de quo nunc agimus, quia non est impositum per legem; & potiùs est solutio quædam aut satisfactio ex iustitiâ: idem dico de censu qui debetur ob pecuniam acceptam, aut hereditatem, &c. In his enim omnibus solâ interuenit obligatio iustitiæ cogentis ad satisfactionem: agimus ergo hîc de tributo, quod à Legislatore imponitur subditis, qui anteà liberi omnino erant ab obligatione illud soluendi: solet autem imponi ob publicas necessitates, ob bella & sustentationem Principis, &c. imponi item solet suprà personas & supra res: supra res, v.g. supra salem, frumentum, vinum, dum huc illucve asportantur, dum venduntur: & hæc solent vocari vectigalia: supra personas, vt quando quælibet familia aut persona obligatur ad soluendum hoc vel illud, siue emat, siue nō: hæc autem diuersitas ad punctum præsens omnino nulla est; aliis etiam nominibus hæc tributa vocantur, vt angaria, pedagia, gabellæ.

Quid tributi latè sumpti.

Quid hîc tributum, & quanam eius sint subiecta.

SECTIO I.

An lex imponens tributa obliget in conscientiâ.

2. *Legislator iustè imponens tributa obligat in conscientiâ ad eorum solutionem.*

IN quo puncto certum debet esse, Legislatorem, quando iustè imponit tributum, habere vim obligandi in conscientiâ ad eius solutionem; quia (vt diximus suprà) quando materia legis est iusta (vt debet esse, si lex est vera) potest Legislator ad illam obligare in conscientiâ; vnde si constet, intentionem illius fuisse inducere hanc obligationem, non potest dubitari quin eam inducat.

potest tamen, si velit, non obligare in conscientiâ ad tributum, sed dumtaxat ad pœnam.

Certum item est secundò, posse, si velit, non obligare in conscientiâ ad tributum, sed ad pœnam, casu quo non soluatur: quod constat ex dictis suprà de legibus purè pœnalibus: ergo tota difficultas reducitur præcisè ad voluntatem ipsorum, seu quid debeamus nos præsumere de facto voluisse Legislatorem, dum tales leges condidit.

Quando Legislator obligat in conscientiâ.

Vnde Tertiò in eâ difficultate certum est, si claris verbis denotet Princeps se non obligare in conscientiâ ad tributum, verè non obligare; sicut è contrario, si dicat se velle obligare, obligabit certissimè. hæc facilia. Dubium ergo vltimò consistit circa leges ordinarias imponentes tributa, & nec vnum nec alterum clarè decidentes, quid sit de illis de facto iudicandum. Respondeo breuiter, in hoc puncto discurrendum esse sicut in legibus de aliis materiis in quibus adiicitur pœna: si enim lex dicat, *Præcipimus, mandamus omnes teneantur soluere hoc & illud*, etiam si simul adiiciat pœnam, esse verè iudicandum pro rigorosâ obligatione; nam adiectio pœnæ non impedit obligationem; alioquin autem verba illa, *Præcipimus*, &c. clarissimè eam obligationem denotant: ergo intelligenda est ibi obligatio vera: neque est vlla ratio, cur debeat contrarium præsumi de voluntate Principis: cùm enim ea tributa imponat pro sustentatione suâ & pro necessitatibus Regni, proculdubio censetur velle obligare ad ea soluenda, nisi contrarium clarè ex verbis colligatur. Et ita docent Gabriel, Antoninus, Siluester, Medina, Castro, Corduba, & multi alij, quos refert & sequitur P. Salas eâ disput. 15. sect. 10.

Quando leges tributa imponentes ordinariò obligent in conscientiâ.

Dices: Lex odiosa debet in mitiorem partem explicari, Respondeo, id esse verū, si sit dubia: at quando Princeps dicit, *Mando, præcipio*, absolutè denotat obligationem in conscientiâ, nisi aliunde de contrario clarè constet, ergo. Difficilius est, si lex feratur hoc modo, *Si quis non soluerit tale tributum, cogatur hanc aut illam pœnam luere.* P. Suarez putat etiam hanc legem obligare in conscientiâ, quia illa lex semper videtur altetam absolutam supponere, quæ præcipiat directè tributum; ea verò conditionalis imponit pœnam ob culpam negati tributi. Ego hanc doctrinam veram puto, si re ipsâ detur illa altera lex; at si non detur, vt potest non dari, dicerem secundam esse purè pœnalem: cúmq; P. Suarez in aliis materiis admittat posse pœnâ imponi sine propriâ culpâ, non video cur inferat, necessariò debere intelligi eam pœnam imponi ob violatam obligationem in conscientiâ soluendi tributi: dicendum ergo in eo casu, legem eo tenore prolatam esse purè pœnalem, quia certum est verba non denotare obligationem in conscientiâ; ergo minimùm tenor ille verborum est dubius: ergo cùm lex sit odiosa, interpretanda est in mitiorem sensum, seu in fauorem subditorum, ideóque dicendum eam non obligare in conscientiâ.

3. *Quando lex odiosa sit mitiùs explicanda, quando verò secùs.*

Suarij opinio bis.

Mens auctoris.

Descendendo autem magis ad leges tributarias quæ de facto sunt; Prima sententia negat eas obligare in conscientiâ, ideóque non esse peccatum occultare merces quæ transferuntur, ne soluantur vectigalia aut gabellæ; neque item esse peccatum per extraordinarias vias transire, aut intempestiuis horis, ad eadem tributa vitanda. Pro hac sententiâ Nauarrus in cap. *Fraternitas*. 12. quæst. 2. à. num. 21. Angelus verbo *Pedagium*, num. 6. Tabiena ibidem num. 8. Bartholomæus Medina 1. 2. quæst 90. art. 4. Henricus Tomo 1. lib. 7. de Indulgentiis cap. 36. §. 5. litterâ D. vbi pro eâ refert Socinatem. Maximè autem fundatur hæc doctrina in consuetudine, quæ potest moderari & interpretari legem. Confirmatur, quia alioquin omnes, qui casibus suprà positis, quando scitè & possunt euadere exactores, tributa non soluunt, cogendi essent ad restitutionem; quod tamen valdè durum est; neque enim ipsi Confessarij talibus personis significant teneri ad restitutionem, ergo.

4. *An leges tributaria, quæ de facto sunt, obligent in conscientiâ.*

Negant Nauarrus, Angelus, Tabiena, &c.

Secundam sententiam refert P. Suarez cap. 18. 5.

vel

Digitized by Google

vel potiùs ipse eam formet ibi explicando auctores qui obscurè loquuntur; ait ergo ad tributa noua soluenda neminem obligari in conscientiâ, nisi constet positiuè de eorum iustitiâ; ad antiqua verò, quæ iam præscripserunt, obligari, etiamsi non petantur, nec liceat ea vllo modo vitare: pro hac sententiâ refert Gabrielem in 4. dist. 15. quæst. 5. concluſ. 7. Siluestrum verbo *Gabella.* 3. quæst. 3. num. 9. & q. 14. n. 929. Caietanum verbo *Vectigal.* in fine, & aliquos alios: qui eam absolutè non defendunt, sed videntur in illam propendere. Diuersitatem inter hæc & antiqua pedagia possunt hi auctores desumere ex cap. *Quamquam.* de censibus in 6. sæpè citato: in quo noua pedagia & guidagia reprobantur; ergo si certò non constet de eorum iustitiâ, nemo ad illa tenebitur, nisi petantur. Confirmatur, quia in dubio melior est conditio possidentis: ergo subditi, qui possident res suas, non tenentur in dubio offerre tributum.

Opinio Suarij circa tributa noua & vetera distinguens.

6. Tertia sententia absolutè affirmat, has leges obligare in conscientiâ, pro quâ refert idem Suarez Hostiensem, Antoninum, Couarruuiam & alios. Fundamenta huius sententiæ sunt. Primum, quia ad hæc tributa obligantur subditi ex iustitiâ; ergo tenentur ea soluere, etiamsi non petantur: debitum enim ex iustitiâ semper obligat ad solutionem, esto non petatur. Quòd si dicas, eam obligationem non esse ex iustitiâ, sed solùm ex obedientiâ; Contrà, quia lex humana immediatè non obligat ex solâ virtute obedientiæ, sed quatenus ponit actum in materiâ virtutis, quam præcipit: ergo cùm lex præcipiat materiam ad virtutem iustitiæ pertinentem, proculdubio ea virtus obligabit ad solutionem tributorum. Hæc tamen ratio meo iudicio nulla est; nam sæpè dixi, non peccare contra abstinentiam propriam illum, qui moderatissimè, & quidem pro sanitate, facit haustum vini, etiamsi Superior ob alias rationes prohibuerit illi vinum: id quod confirmaui ex voto, quod non ponit materiam vt necessariam ad eam virtutem; ostendi autem Tomo præcedenti fusè, eamdem planè quoad hoc rationem esse de voto & de lege. Confirmo: Si lex mihi imponat pœnam dandi eleemosynam, non obligabor ideò ex iustitiâ ad illam; & tamen ea materia est pertinens ad iustitiam, ergo.

Absolutè affirmant Hostiensis, Antoninus, Couarruuias & alij

Infirmatur eorum ratio.

7. Facilius fortè probari posset, eam solutionem tributorum ad iustitiam pertinere, quia ex pacto quasi virtuali inito cum Principe subditi consenserunt in ea tributa, quæ ad causas iustas necessaria sunt, casu quo posteà à Rege petantur; ergo positâ petitione obligatio erit ex iustitiâ. Nihilominùs licet sic explicata ea ratio sustineri posset, aliunde non satisfit; nam in eâ supponitur id de quo est tota controuersia; agimus enim, an de facto Principes directè velint eo modo obligare; nam (vt dixi) de possibili nulla videtur esse difficultas: hi autem probant de facto velle obligare, quia ex iustitiâ tenentur; cùm tamen ad hoc ipsum, vt teneantur ex iustitiâ, necessarium sit, vt id illi velint: aliunde ergo eorum Legislatorum mentem oportet expiscari. Probabilior ratio huius sententiæ ea est, quia sæpè eiusmodi leges directè præcipiunt tributorum solutionem eodem planè modo quo aliæ leges præcipiunt aut prohibent hanc vel illam actionem: atqui nullum est fundamentum ad interpretanda tunc temporis violenter ea verba, vt solùm voluerit Legislator obligare, casu quo ea tributa exigantur, aut solùm ad pœnam cogere soluentes. Imò cùm necessitas, ob quam imponuntur tributa, sit absoluta (impensæ enim faciendæ in bello, in reparandis pontibus, in defendendis viis, in sustentatione ipsius Regis omnino sunt certæ, & absolutè requirunt solutionem tributorum) debemus præsumere, Legislatorem omnino voluisse obligare absolutè ad eorum solutionem, etiam antequam exigantur, & impedire ne per fraudes subditi fugiant occasionem soluendi.

Alia fingitur ratio, sed non vndequaque satisfacit.

Supponitur alia probabilior ratio.

Hæc ratio immediatè facta persuadet longè probabiliorem esse, absolutè loquendo, hanc tertiam sententiam: neque contra illam sic explicatam video quid possit obiici: eam, præter citatos, tenet P. Suarez suprà & P. Salas disp. 15. sect. 10. quia verò in hac quæst. tangitur etiam difficultas de casu, in quo est dubium de iustitiâ tributi, ideò sequenti sectione rem totam magis distinctè expedio.

8. *Hæc vltima sententia est probabilior.*

SECTIO II.

Deciditur tota quæstio.

SVBSECTIO I.

Tres primæ conclusiones.

9. *Tributum clarè iniustè nec ante, nec postquàm petitur ad solutionem obligat.*

DICO PRIMÒ: Si clarè constet tributum esse iniustum, tunc nec obligabit ad solutionem antequam petatur, nec etiam postquam fuerit petitum: quia sicut tributum est iniustum, ita & petitio erit iniusta; vnde vitato scandalo poterit quacumque viâ negari solutio; aut si vi cogatur quis soluere, poterit occultè sibi facere compensationem, aut etiam ex aliis tributis iustis tantumdem defalcare. Quòd si iniustitia tributi solùm sit non in substantiâ, sed in excessu aliquo, tunc secundùm excessum non tenebitur quis illud soluere, secùs in eâ mensurâ, in quâ iustum est. In hac conclusione omnes conueniunt; estque per se valdè clara.

10. *Quando obligatio soluendi tributum locùm habeat. Qui tributa Regibus inscijs sæpè à ministris augeantur, suâ ipsius experientiâ probat auctor.*

DICO SECVNDÒ: Obligatio soluendi maximè locum habet, quando certò constat, omnibus pensatis, tributum esse iustum; tunc enim non est cur debeat negari ea obligatio, nisi fortè ex consuetudine iam constet clarè de contrario. Dico *omnibus pensatis*, quia sæpè continget, vt quodlibet tributũ per se sit iustum, ex coacernatione tamen multorum fiat onus aliquod valdè graue, intolerabile & iniquum: in quo puncto negare non possum, quin sæpè à ministris Regum (ipsis Regibus haud dubiè inscijs) grauissimæ iniuriæ fiant populo. Dicam quid ipse expertus fuerim: Primò, in exitu Castellæ, dum veniremus Romam & in Germaniam, debuimus ex rebus ad proprios vsus & in ipsis etiam ad deuotionem pertinentibus soluere sat graue vectigal: Secundò, in ipso introitu in Aragoniam; Tertiò, Cæsar Augustæ ferè decimam partem; Quartò, in exitu ex Aragoniâ; Quintò, in ingressu in Catalauniam; Sextò, in egressu seu conscensu nauis: vbi per sex in easdem res telonia & ferè vbique vel decimam vel vigesimam partem omnium recularum quas habebamus in integrum soluimus. Idem in Germaniâ in vino solet fieri, vt aliquàdo in vno loco ex solo vectigali plus detur quàm res tota constiterit, vbi empta est; & tamen adhuc quater quinquies eiusmodi vectigalia repetantur: & licet in rebus, quæ ad vendendum exportantur, tolerati id possit, quia deinde tantò cariùs mercatores res illas vendunt; in his tamen quæ ad proprium

Digitized by Google

proprium vsum, & sine vllâ spe lucri exportantur, negare nemo poterit intolerabilia esse ea grauamina simul sumpta, & consequenter nullam esse obligationem ad solutionem, maximè erga personas Ecclesiasticas; cùm expresè dicat Bonifacius eo cap. *Quamquam.* sæpè citato, nullam consuetudinem posse in hoc puncto præscribere: vnde meritò Pater Salas suprà obiter tangens hanc difficultatem dicit se ignorare quo iure id fiat: & in hac collectione vectigalium, quam posui, à fortiori habet locum quod Sotus lib. 3. de Iustitiâ quæst. 6. art. 7. & Ledesma 2. p. 4. quæst. 18. art. 3. docent de aliquibus vectigalibus etiam seorsim sumptis, scilicet ea esse iniusta. Sed iam ad nostras regulas generales redeamus.

Ecclesiastici non obligantur ad talia tributa.

11. *Attendendus modus quo tributa imponuntur.*

DICO TERTIÒ, attendendum esse, prout præcedenti sectione docuimus, ad modum quo hæc tributa imponuntur: si enim verba sint quæ absolutam obligationem denotent, vt *Mando, præcipio*, &c. locum habet quæstio præsens, an ex iustitiâ quis teneatur ea tributa soluere, esto non petantur; si verò tenor legis tantùm sit conditionalis contra nõ soluentes in hac formâ, *Si quis ex his, quæ asportauerit extra Regnum, non soluerit vectigal, soluat talem & talem summam, & amittat merces*, &c. si talis, inquam, sit lex, dixi suprà contra Patrem Suarium probabiliùs eam esse purè pœnalem, ideóque non obligare directè ad solutionem: id quod maximè locum habet in iis tam frequentibus vectigalibus; cùm enim ea sint valdè odiosa, si tenor verborum non cogit ad intelligendam rigorosam obligationem, nec aliunde etiam ea infertur, profectò debemus in mitiorem partem illas leges interpretari: & in hoc videtur fundata prior sententia, quæ absolutè negat eam obligationem: in hoc etiam fundatur consuetudo virorum, eam timoratæ conscientiæ. In quo puncto valdè ego credo testimonio Nauarri, qui asserit eum esse sensum communem; cùm enim ille fuerit valdè scrupulosæ conscientiæ, magnæ doctrinæ & sanctitatis, non facilè mihi persuadebo tam audacter assertum eam consuetudinem, nisi id ex viris doctis & aliis bonæ conscientiæ intellexisset: & verò etiamnum sæpè ego multos audiui qui in eadem sententiâ sunt, & supponunt multas eiusmodi leges, solùm esse pœnales; vnde ego infero duo pro me certa: Primum, id quod in hac suppositione confirmo, scilicet, si modus ferendi legem sit conditionalis, posse quemlibet tutâ conscientiâ eam legem reputare solùm pœnalem. Secundum quod infero, etiamsi sit absolutus tenor, tamen quando facit quis iter, & nihil de mercibus portat, sed solùm ea quibus indiget non obligari directè ad vllum pro illis vectigal; quia, ex communiori saltem sensu, ea omnia, si possint occultè transferri, transferuntur sine vllo scrupulo peccati. Confirmo, quia etiam ipsius Legislatoris mens solùm videtur directè velle obligare in ordine ad mercium vectigalia; nam in legibus Partit. Hispaniæ solis mercatoribus dicitur, *Vt viâ rectâ incedant per loca vbi solet pendi tributum, vt nihil occultent*, &c. ita lib. 5. tit. 7. & lib. 9. tit. 19. quas leges citat P. Suarez. Ex quibus ego infero, ergo alios, qui de mercibus nihil asportant, non voluisse Legislatorem ita directè obligare; quia illa limitatio ad mercatores videtur virtualis exceptio aliorum.

Ostenditur, quando lex imponens tributa sit purè pœnalis.

Explicatur mens Nauarri.

12. *Si modus ferendi legem sit conditionalis, tutâ conscientiâ reputantur ea lex solùm pœnalis: imò etsi sit absoluta, non semper tenetur quis ad tributum dandum.*

SVBSECTIO II.

Duæ vltimæ conclusiones.

EX quibus Prima sit, Esto constet ex verbis Legislatorem omnino voluisse obligare, si tamen non constet, sed dubium sit, an ille habeat potestatem imponendi tributa, non obligantur subditi ad ea vltrò offerenda, imò nec postquam petita fuerint, secluso scandalo. Hæc desumitur ex dictis in tertio Tomo circa dubiam conscientiam, quia in præsenti casu subditus est in possessione suorum bonorum; ergo non debet ab eâ exturbari per dubiam potestatem Principis.

13. *Subditus, secluso scandalo, nec ante nec post petitionem tenetur offerre tributa ei Legislatori de cuius potestate dubitatur.*

Dicet quis: etiam Princeps est in possessione imponendi tributa, etiamsi certum non sit, eum posse illa imponere; ergo non debebit ab eâ exturbari per subditum. Respondeo, Principem eo casu esse solùm in possessione dubiâ, hoc est, de quâ dubitatur an sit licita, an sit illicita; subditum verò esse in possessione suorum bonorum iustâ & certâ, ideóque non debere ab hac per illam dubiam exturbari.

Potestas Principis dubia non exturbat subditum possessione bonorum suorum certa.

Dices rursus: Eo ipso quòd sit verus Legislator non potest esse dubium de potestate illius ad imponenda tributa. Respondeo, si sit supremus Legislator, fortè non habere locum tale dubium; at in inferioribus, quibus nos diximus suprà posse eam facultatem à Rege committi, sine dubio dubitari meritò poterit, an re ipsâ sit illis commissa.

Quando etiã de supremi Legislatoris potestate hic dubitari possit.

Addo præterea etiam in supremo locum esse posse dubium, tum quia etiam dubitatur de totâ eius iurisdictione, an legitimus sit; tum quia aliquando ea potestas imponendi tributa non conceditur soli illi, sed cum consilio aliorum: quòd si dubium sit, an adhibuerit Consiliarios, aut certè constet non adhibuisse, dubium tamen, an solus habeat eam potestatem, iam eo ipso dubium est, an absolutè id possit. Conclusio hæc ex dicendis circa sequentem magis confirmabitur.

Conclusio vltima: Etiamsi de potestate ipsius Principis constet, si tamen non constet saltem probabiliter de iustitiâ tributi & de seruatis omnibus conditionibus ad illud necessariis, non videtur obligare ea lex ad soluendum tributum. Pro hac sententiâ stant à fortiori omnes, quos pro primâ retulimus, qui vniuersaliter negant ad ea obligari in conscientiâ; stant etiam expresè, qui secundum sententiam tenent; illam tamen negat P. Suarez eo cap. 18. num. 14. & 15. Priùs verò quàm ad eam probandam veniamus, aduerto me dixisse, *Si non constat saltem probabiliter:* non enim est necessum vt de eâ iustitiâ constet certò & euidenter, tum quia in rebus moralibus non habetur facilè ea euidentia: tum quia quando Superior vtitur opinione probabili, debet ei subditus parere, vt ostendimus Tomo præcedenti agentes de conscientiâ dubiâ in subdito respectu Superioris. Et hoc do Patri Suario, etiamsi non sint graues auctores qui id negent; inter quos est P. Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 8. num. 64. & Petrus Nauarra lib. 3. de Restitutione cap. 1. num. 267. eo argumento moti, quòd quilibet possit licitè operari cum iudicio probabili quòd non teneatur; ergo eo ipso, quòd subditus probabiliter iudicet Principem iniustè exigere tributum, poterit probabiliter iudicare, illud esse iniustum, & consequenter se non teneri ad illud. Nihilominùs tamen limitatio à nobis posita probabilior est; nam licet liberum sit vti opinione proba

14. *Quando non obliget lex ad soluendũ tributum. Principi talem etiam potestatem habenti.*

Subditus tenebitur obedire Superiori opinione licèt solùm probabili vso

15.

Digitized by Google

probabili, quando non est in præiudicium alterius; non tamen quando est. V. g. ego habeo iudicium probabile, quòd pallium, quo Petrus vtitur, sit meum, non possum, si alter etiam probabili iudicio vtatur, pallium ab eo auferre aut repetere, quia illi suffragatur possessio; ergo cùm, eo ipso quòd Legislator habeat probabilem iustitiam, possit licitè petere tributum, quia etiam illo licebit vti opinione probabili, non licet eo ipso subdito resistere; quia Legislator & subditus certant, rationi conforme videtur, vt cedat subditus Legislatori, non è contrario: neque hìc suffragatur subdito vlla possessio, quia sicut habet ipse possessionem suæ pecuniæ, ita etiam Legislator habet possessionem iustæ legis; nam ea est iusta lex, quæ probabilem causam habet: & hìc iterùm locum habet quod immediatè antè dixi, si concurrunt subditus & Superior æquali quasi iure, citiùs debere cedere subditum quàm Superiorem; ergo ea limitatio omnino tenenda est non minùs in his legibus de tributis quàm in omnibus aliis, in quibus est eadem ratio quoad hoc; & ferè omnes auctores censent, vt subditus absolutè obligetur, sufficere si Superior vtatur opinione probabili.

Quando subditus Legislatori cedere debeat.

16. Iam ergo ad conclusionem nostram quintam redeamus. Dicimus ergo, si planè nec probabiliter de iustitiâ tributi constet, non teneri subditum ad soluendum. Probatur autem, quia in dubiis melior est conditio possidentis ius certum in suam pecuniam.

Ni vel probabiliter constet de iustitiâ tributi, non tenetur subditus ad soluendum.

Dices: Etiam tunc Princeps possidet ius suum, quòd possit imponere ea tributa: diximus autem paulò superiùs in dubiis magis standum pro iure Superioris quàm subditi: ita respondet huic argumento P. Suarez suprà num. 18. & retorquet illud pro se. Contrà tamen, quia Princeps in eo casu non possidet nisi solam potestatem imperandi; at per hanc solam potestatem non obligor ego, nisi actu sit lex iusta: quòd verò iusta sit ea lex, nulla possessio probat, ergo nullam habet ille possessionem quæ subdito possit præiudicare. Explico id manifestè in exemplo quod ab omnibus & ipsomet Suario admittitur: Nam vt ego obliger voto, non sufficit quòd constet certò me habere capacitatem seu potestatem validè vouendi, sed vlteriùs requiritur, ne dubium sit de valore voti; nam Deus non possidet quidquam contra me per potestatem vouendi, sed per actuale votum: quòd si de hoc sit dubium, vel quia dubium, an fecerim, vel quia dubium, an validè, non possidet adhuc Deus ius vllum contra me; sed ego in eo dubio præferor tamquam certò possidens meam libertatem: quòd si certò constet votum fuisse validum, & dubium sit, an ego illi satisfecerim, iam tunc Deus per illud votum præscribit contra me; & quia ille possidet ius, ego teneor satisfacere. Idem, mutatis terminis voti in legem, & Dei in Legislatorem humanum, in præsenti mihi manifestè videtur esse dicendum: etenim Legislator nec præscribit contra me, nec possidet vllum actuale ius actu me obligans, per hoc præcisè quòd possit imponere tributum; vnde, non obstante certitudine potestatis, si dubium sit, an lata sit lex imponens tributa, ego non teneor ea soluere: ergo solùm præscribit Legislator per legem actualem; atqui, quando de illâ ipsâ lege est dubium, an sit valida, non potest per illam acquirere possessionem sibi fauentem, & quæ possit prævalere contra meam possessionem, quæ est extra controuersiam iusta & valida; ergo tunc non ero obligatus.

Quid requiratur, vt ego voto obliger.

17. *Idem applicatur materiæ præsenti.*

Fateor, Si constaret certò de iustitiâ legis, & dubium esset, an ego iam soluissem, nec ne, tunc prævaliturum Legem, & me obligandum ad solutionem; at cùm in præsenti dubium sit (vt supponimus) de valore legis, quod idem est ac dubitare, an fuerit vera lex, iudicandum erit pro subdito. Nec video quæ possit assignari disparitas vllius momenti inter legem & votum quoad hoc.

18. *Nota regulâ generalem.*

Confirmo ex regulâ generali, quam tradidi Tomo 3. disput. 25. circa finem, quando scilicet dubium est, an inceperim esse obligatus, tunc iudicandum pro meâ libertate; quando verò è contrario certum est me fuisse obligatum, & dubium est, an satisfecerim obligationi, tunc iudicandum contra me: atqui dum dubito an lex imponens tributum sit valida, dubito an cœperim esse obligatus, ergo tunc est iudicandum pro me; *Quando præsumptio stet pro voto.* cur autem quando constat me protulisse verba quæ votum sonant, si dubitem, an habuerim intentionem vouendi, nihilominùs tenear, dixi eodem loco prouenire ex eo, quòd tunc præsumptio stat pro voto; quia non solent talia verba communiter proferri nisi ex intentione seriâ. At hæc ratio in præsenti non habet locum, quia impositio tributorum non habet connexionem ex se cum iustâ causâ; vnde ex actuali impositione non potest præsumi causa iusta.

Subsectio. III.

Obiectiones aliquæ solutæ.

19. *An subditus cogatur ad bellum ire, de qua non iustè sit dubitat.*

Verum dices: Eo Tomo 3. disput. 26. circa finem dixi, subditum vocatum ad bellum debere ire, etiamsi dubitet, an illud sit iustum, dummodò non constet ei esse iniustum; addidi verò eius conclusionis rationem, quia non debet de Rege præsumi delictum; quale esset indicere bellum iniustum; ergo eodem modo, etiamsi subdito non constet de iustâ causâ tributi, tenebitur illud soluere, quia non debet de Rege præsumi delictum: quale esset iniquum tributum imponere. Confirmatur Primò, quia, sicut ibi diximus aliquando expedire ne subditi causas belli sciant, ita in præsenti dici potest, expedire ne subditi sciant causas iustas tributorum; ergo, eò quòd subditus dubiter de eâ æquitate, non excusatur ab obligatione. Confirmatur Secundò ex Patre Suario, qui adducit generalem regulam, quòd subditus tenetur obedire Prælato præcipienti, non solùm quando certus est, non esse contra Dei præceptum quod imperatur, sed quando certus non est, vt dixit Augustinus lib. 22. Contra Faustum cap. 75. & Carolus Imperator, vt habetur cap. *In memor.* distinct. 19. dixit de Sede Romanâ, *Licet vix ferendum ab illâ sanctâ Sede imponatur iugum, tamen ferendum est:* hæc autem ratio eodem modo locum habet in quolibet Principe superiore cum proportione. Tertiò, non est maior ratio excipiendi leges tributorũ quàm reliquas omnes; nam sæpè sunt multæ longè difficiliora mandantes: vt si cogatur quis militare, &c. inseruire Regi, &c. Denique quatuor genera tributorum agnoscuntur licita in cap. sæpè citato *Super quibusdam.* inter quæ numerantur ea quæ sunt ab immemoriali; his enim eo ipso præsumitur iusta causa, etiamsi ignoretur: ergo etiam illa tributa, quæ imposita sunt à Principe, debent eo ipso præsumi habere iustam causam, etiamsi subditis

Regula generalis Suarij.

Quatuor genera tributorum.

Digitized by Google

subditis manifesta non sit; dummodò de contrario non constet.

20. *Qui sciri debeat à subditis tributa iusta esse.*

Vt difficultatibus his satisfaciamus, & sententiam nostram confirmemus, aduerto, me non requirere in conclusione positâ, vt omnes subditi in particulari sciant causam tributi; id enim infrà dicemus esse moraliter impossibile, & etiam non expedire: requirimus ergo, vt saltem ex rumore iudicióq; co mmuni censeantur ea tributa iusta: quod fieri potest benè, etiamsi in particulari causa ignoretur, quia per ministros Principum solet ea significari præcipuis capitibus; ex quorum contestatione deriuatur sufficiens rumor de causâ iustâ eo casu extraordinario quo occultari debuerit; nam, per se loquendo, non videtur esse tanta ratio eam occultandi.

21. *Respondetur argumentis in contrarium.*

Hoc supposito, ad argumenta in contrarium posita respondeo. Primum quidem, quod ex doctrinâ à me traditâ Tomo præcedenti disput. 26. desumitur, nõ vrget, quia idem dicimus de scientiâ belli iusti: non enim in qualibet particulari personâ, quæ ad bellum vocatur, est necessaria iustitia de causis belli; oportet tamen vt saltem ex communi sensu & rumore iudicetur iustum; & prudentiores, qui eâ de re meliùs noscere possunt, id attestentur, vt saltem in eorum fide id cognoscatur: hoc autem ipsum dicimus in præsenti, Secundò respondeo, Esto aliter in casu tributi quàm in casu belli discurreremus, non fore vllum defectum consequentiæ; nam Principes ad bella, per se loquendo, non propendent; sunt enim periculosa & molesta valdè: vnde faciliùs ibi præsumitur iusta causa, etiamsi ignoretur, quàm in tributis, ad quorum impositionem naturaliter valdè propendent Principe; quia sine molestiâ illis adferunt magnas diuitias.

Discrimen inter bella & tributa.

22. *De vtilitate tributorum subditis constare debere decidit cap.* Peruenit. *de censibus.*

Secundò, quòd debeat subditis constare de iustitiâ belli, nullibi deciditur; at debere constare de vtilitate tributorum seu censuum satis probabiliter deciditur cap. *Peruenit.* de censibus. vbi Paschalis Papa ait: *Census ignorantia nec diuinis nec humanis legibus inuenitur: oportet quippe vt omnis census ad quid, & quando persolui debeat præsciatur.* non enim satisfacit quòd Primò respondet P. Suarez, solùm ibi agi de ignorantiâ eius qui tenetur scire, & causam reddere; hoc, inquam, non satisfacit, quia in eo sensu responsam Pontificis planè esset ridiculum: idem enim esset ac si dixisset, *Qui tenetur scire causum census, debet eam scire.* Quæ doctrina, sicut per se nota, & vniuersalis ad omnes materias, etiam non censuales, ita planè est aliena à Pontifice. Deinde clausula sequens, *vt* scilicet *præsciatur, quando debeat solui*, manifestè ostendit Pontificem agere de his qui soluturi sunt, vt sciant quo tempore, & ad quid debeant soluere. Neq; item satisfacit quod Secundò respondet, non posse dici causam ignorari, quando scitur tributum esse impositum à Principe; de quo debeo præsumere quòd ex causâ moueatur; hoc, inquam, non satisfacit, quia Pontifex plus requisiuit in eo capite, quàm vt constaret à quo essent tributa imposita; vt ea verba *ad quid* & *quando* apertè demonstrant; ergo non fuit contentus cũ eâ præsumptione: id quod patet ex tenore eiusdem capitis infrà, *Occasione* scilicet *cuiusdam census, qui ad quid solui debeat, ignoratur.* Quis autem dicet hæc verba nihil aliud significare, quàm quòd ignoretur à quo sit census impositus? ergo cùm responsum Pontificis sit iuxta dubium propositum non possumus dicere, illum ibi solùm requisiuisse, vt sciatur à quo sint tributa imposita, sed, vt sciatur quæ sit vtilitas tributorum; & sanè negare nemo poterit valdè probabiliter ex eo capite deduci nostram conclusionem, etiamsi in aliquo casu extraordinario non sit necessaria ea distincta notitia adeò publica, dummodò sit in præcipuis personis. Vides ergo hinc magnam desumi disparitatem inter duos eos casus.

Explicatur dictum cap.

23. *Satisfit replicæ.*

Quod verò dicitur, non debere in Principe præsumi delictum in impositione tributorum, sicut nec præsumitur in indicendo bello, non vrget; quia eo ipso, quòd in imponendis tributis necessaria sit scientia vtilitatis & causa, sanè non præsumendo delictum, sed ex defectu conditionis requisitæ, formo iudicium, quòd sim liber ab eis soluendis: quomodo autem id non impugnetur, ex eo quòd expediat sæpè causas occultare, iam est paulò antè explicatum.

Occurritur regulæ generali.

Ad generalem regulam, quòd subditus teneatur obedire Prælato præcipienti, etiam quando non est certus, non esse contra præceptum Dei quod imponitur, respondeo Primò, eam regulam non esse contra nos, qui non loquimur iam de certitudine (diximus enim suprà eam non requiri) sed de dubio, quando nec probabiliter scitur esse licitum tributum. Secundò respondeo, in tributo, ob rationem datam, specialiter requiri eam scientiam, quæ non requiritur in alijs legibus. Et hinc respondetur ad Augustinum, qui nihil aliud præter eam regulam dedit.

Respondetur dicto Augustini.

Obiatur Caroli Imperatoris scito.

Ad testimonium Caroli Imperatoris dicimus, nos iam non agere de grauitate tributi; fatemur enim ex hoc capite, dummodò tolerabile sit, etiamsi videatur vix tolerabile, posse ad illud obligari: quod præcisè Carolus dixit: agimus ergo de aliâ conditione, quam iudicamus essentialem ad inducendam illam obligationem.

24. *Quid de re agat cap.* Super quibusdam.

Ad Tertiam confirmationem ex alijs legibus responsum est iam satis, & assignata disparitas. Denique ad inductionem cap. *Super quibusdam.* respondeo, in eo non agi de alijs requisitis ad tributa, sed tantùm de principio seu causâ imponente; & quòd ea tributa sint ab immemoriali, reputari perinde, ac si essent imposita à Rege: sicut autem ibi, non eo ipso, quòd à Rege ponuntur, iudicantur iusta, sed debent præterea alias habere conditiones; ita, quæ ab immemoriali sunt, non ideò iudicantur iusta, nisi aliquo modo constet de causâ iustâ: possunt enim ea esse valida ex vno capite, non tamen continuò sunt vndequaque valida: id quod clarè confirmo ex cap. *Peruenit.* paulò antè à me inducto; nam in eo Paschalis supponit censum illum, quem Fraxinorum Abbas petebat, fuisse valdè antiquum: vnde non reiecit illum, vllo modo ex defectu antiquitatis, sed quia ignorabatur eius vtilitas; ergo supposuit Pontifex, posse censum non habentem vitium ex parte antiquitatis illud habere ex parte vtilitatis; alioquin non debuisset rationem desumere ex defectu vtilitatis, sed quia non fuisset ab immemoriali: id quod valdè alienum à mente Ponificis, iuxta verba & sensum eius capitis.

25. *Quid facto opus, si tributum probabiliter sit iniustum.*

Hinc infero, quando positiuè constat per rationes probabiles tributum esse iniustum, & nullæ rationes sunt, quæ probabiliter contrarium ostendant, à fortiori non teneri subditum illud soluere. In hanc conclusionem etiam consentit P. Suarez suprà: & ratio illius est clara, quia tunc præsumptio est contra Principem: imò in alijs legibus, vbi minor multò scientia requiritur,

idem

Digitized by Google

idem constat: nam si ratione probabili mihi constet non esse licitum quod per legem mandatur, & nullam habeam in contrarium rationem, quæ persuadeat esse iustum, non teneor, imò nec possum obedire. In tributis autem ea ratio sufficit, vt non tenear ad soluendum; si tamen velim, possum; quia etiam sine obligatione vllâ licitum est mihi donare Regi aliquid de meâ pecuniâ aut meis rebus.

26. *An si Legislator absolutè obliget ad solutionē tributi, etiā ante petitionē, sit tamen subditus in conscientiâ non teneri ad solutionem. Suarij opinio.*

Quæres Primò, an casu quo Legislator voluit simpliciter obligare ad solutionem tributi, etiamsi non petatur, nihilominùs tamen contingere possit, vt subditus in conscientiâ non teneatur soluere, nisi petatur. P. Suarez n. 22. dicit posse id contingere; quod duobus modis explicat; primò, quia aliquando potest euenire, vt tributum illud, si debeat solui non petitum, sit nimis graue, ideóque non obliget; si verò possit expectari donec petatur, fiat tolerabile, & consequenter iam tunc obliget. Secundo modo id explicat, si vi consuetudinis introductum sit, vt non teneantur soluere, nisi petatur: quam consuetudinem Navarrus docet esse valdè communem. Placet mihi hæc sententia, explicatio verò prima aliquantulùm est dura; eò quòd parum mitigetur de grauitate tributi per hoc, quòd non obligentur antequam petatur: solent enim exactores tributorum ita esse diligentes, vt rarò aliquem negligant: quòd autem aliquando vnus, aut alter omittatur, parum valdè mitigat tributa.

27. *Quandō praxu seruanda sit tributis soluendis. Suarij mens.*

Quæres Secundò, quæ praxis sit seruanda in soluendis tributis. Hanc quæstionem tangit breuiter P. Suarez n. 15. & 26. respondétq; ponderandam esse circumstantiam personæ soluentis: si enim sit valdè pauper, & pro ipso sit grauis summa quæ petitur, non tenebitur in tantâ summâ, sed ad aliquid minus, iuxta capacitatem propriã. Quæ doctrina sicut verissima est, ita meo iudicio planè est ad praxim inutilis; quia exactores tributorum nullas vnquam tales considerant circumstantias, sed quod præscriptum est vniuersaliter exigunt, siue pauperculus, à quo petitur, commodè possit; sine non; semper enim dicunt, falsò prætendi tunc paupertatem: quòd si ex pecuniâ non inueniant, vnde sibi satisfaciant, accipiunt miseras illas reculas quas in domo inueniunt; aliquando etiam feneſtras & fornaces & portas frangunt, perindè ac si eâ viâ summè ditaretur Princeps: vnde publicani, seu qui huiusmodi officia tractant semper sunt in præsenti periculo grauium peccatorum. Nec video quid aliud dici possit de modo soluendi ea tributa.

Vera est doctrina Suarij, sed vitio publicanorum non est in praxi.

Sectio III.

In quo sit potestas imponendi tributa.

28. *Omnis Princeps supremus in suo ordine habet potestatem imponendi tributa.*

Dico Primò, illam potestatem esse in omni Principe supremo in suo ordine; v.g. in Papâ quoad Ecclesiastica tributa, in Imperatoribus, Regibus, Republicâ non subiectâ; & si qui sunt alij Principes, vt Dux Saxoniæ, Bauariæ, Marchio Brandenburgicus, Magnus Dux Florentiæ, &c. nã licet hi sint aliquo modo feudatarij Imperij, vt etiam est Rex Bohemiæ; nihilominùs habent in terris suis ius supremum: & Imperator habet ibi dominium quoddam valdè altum; quod non est contrarium iuri eorum Principum.

Papa in suis terris habet ius Regis.

Circa Pontificem verò aduerte, loqui nos posse vel respectu sæcularium vel respectu Ecclesiasticorum: (non ago de Pontifice in suis terris, quia in illis habet ius Regis, & potest quod alij Reges in propriis Regnis:) si ergo loquamur de contributionibus temporalibus, dicimus eas non posse imponere extra suas ditiones, quia non habet iurisdictionem temporalem: quòd si fortè contingat vt Ecclesia patiatur grauem aliquam necessitatem temporalem, ratione cuius necessaria sit aliqua fidelium contributio, tunc ad eum finem spiritualem omnino poterit tributum indicere. Quòd si de Ecclesiasticis sermo sit, iam dixi Papam vt vniuersalem dominum posse directè imponere tributa, sicut possunt Principes sæculares in suos subditos.

Papa non potest extra suas ditiones imponere contributiones temporales nisi in graui Ecclesiæ necessitate, vel Ecclesiastico.

29. *Concilium tantum circa tributa potest quantum ei à Papâ conceditur.*

Dico Secundò, Concilium generale, quia non habet potestatem nisi dependenter à Papâ, nihil posse etiam circa tributa, nisi quod ei à Papâ conceditur: quid autem Papa ei possit concedere, constabit ex dictis de aliis Principibus, quid scilicet possint inferioribus Iudicibus in hoc puncto concedere.

Quid cæteri inferiores Principes possint.

Circa alios Principes inferiores, qui omnino carent suprema iurisdictione dico Tertiò, illos non habere ex se eam potestatem imponendi tributa, quia, nec habent vim condendi leges alias minoris momenti nisi specialiter eis delegetur; videndum ergo erit, vtrùm possit talis potestas delegari: pro quo aduerte duplicem delegationem esse posse; vnam, in quâ se gerat inferior Iudex planè vt actualiter gerens vices Principis ac nomine ipsius tributa imponat, & quidem pro ipso supremo Principe. In hac delegatione nulla est difficultas, quia tunc non tam delegatus quàm Princeps ipse imponit tributa: neque potest Princeps omnia per semetipsum immediatè administrare. Alia est delegatio, quâ conceditur inferiori Iudici potestas ordinaria imponendi tributa, quæ, & quando vellet, quæque in bonum ipsius ordinarentur. & de hac est præcipua difficultas, an possit à supremo Iudice concedi: pendet item ab hac quæstione altera, de quâ fusè tractant auctores, scilicet, an præscriptio ab immemoriali in imponendis tributis reddat licitam eam impositionem in Legislatore non supremo: etenim si tali concedi non potest à Rege aut ab alio superiore Principe eiusmodi potestas, ergo neque ab vllo alio poterit: quòd si nullus ei iustè potuit id concedere, ergo iniustè eam retinet, & sine iusto titulo, quantumuis innumeris annis eam possederit: si verò è contrario ea potestas à Rege concedi potest, certè Princeps inferior, qui Rege sciente & dissimulante eam potestatem exercuit ab immemoriali, censetur eo ipso eam habere ex concessione Principis, & consequenter iustè: pendet ergo hæc secunda quæstio quasi vnicè ab eâ primâ; vnde miror priorem obiter, secundam verò fusè ab auctoribus discuti.

30. *An, & quanam potestate imponendi tributa possit inferiori Principi à superiore delegari.*

31. *Doctrina Suarij & Salas.*

Pater Suarez cap. 14. n. vlt. respondens obiectioni cuidam circa secundam quæstionē docet, non posse eiusmodi priuilegium concedi, quia esset pernicioſum Reipublicæ & cõmuni bono, ac valdè repugnans supremæ potestati eiusdem Principis. Idem docuerat Salas sect. 10. ob eadem fundamenta, alios etiam pro se citans. Potest autem eorum vltimum argumentum sic ampliùs declarari; nã vel Rex eo casu simul retineret potestatem imponendi tributa; & hoc esset nimis graue, quia tunc populus grauaretur duplici tributo, vno pro Rege, alio pro inferiori Principe: hoc autem est absurdum: vel tunc Rex amitteret eam potestatem, & eo ipso faceret aliquid intrinsecè contra suam dignitatem: ergo non potest

Ratio eorumdem declaratur.

Digitized by Google

esse talis delegatio. Videtur etiam fauere huic sententiæ Alphonsus à Castro lib. 1. de Lege pœnali, quatenus docet præscriptionem non fauere ad acquirendum ius imponendi tributa. Ego verò non video vllam in hoc puncto repugnantiã, quin potiùs ex ipsâ ratione, ad quam tributa imponuntur, crediderim satis probabiliter inferri, contrariũ esse possibile. Id quod dum ostendo, simul respondeo argumentis in contrarium, & in primis admitto libenter, non debere eam potestatem simul esse in duobus ad diuersa tributa, quia id esset onus graue respectu subditorum: & ratio à priori huius esse potest, quòd subditi non

32. censentur transtulisse in Regem suam potestatem in ordine ad tot tributa. Dicimus ergo Principem posse, à se abdicando eam potestatem imponendi in tali loco tributa, eam concedere inferiori alicui Principi domino eius ciuitatis aut loci, neque in hoc puncto vllam esse repugnantiam: non quidem ex eo, quòd cum potestate regiâ pugnet, carere eâ potestate: nam potestas regia non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem summam: quidam enim Reges non habent ius successionis, alij habent: quidam non possunt sine consilio Regni quidquam statuere, alij possunt: quidã non habent ius donandi aliis vllum vel oppidum vel pagum, alij possunt: cur ergo, quæso, non poterit esse aliquis Rex verus, etiamsi in vnâ ciuitate tributa imponere non possit? Vrgeo id meo iudicio euidenter, quia ob singulare aliquod facinus sine dubio potest Rex ciuitatem aliquam liberare à tributis; & tamen adhuc in illam retinet verũ ius regium: ergo malè dicitur eam carentiã potestatis ad imponenda tributa esse contrariam regiæ dignitati. Confirmo Secundò, quia saltem aliquas personas potest Rex facere liberas ab ciusmodi tributis: sicut enim potest illis donare hanc vel illam vrbem, maiori titulo poterit eas omnino liberare ab omni tributo; ergo non est contra regiam dignitatem, simul habere regiam potestatem in aliquam ciuitatem aut personas, & carere iure imponendi eis tributa: ergo ex hoc capite non potest dici repugnare, vt eam Rex alicui inferiori Principi conferat.

33. Dices: Iuristæ communiter supponunt, ea quæ ad propriam rationem Principis spectare videntur non posse Principem à se abalienare; atqui posse imponere tributa est tale, ergo. Minorem putat P. Suarez probari ex cap. *Super quibusdam.* de verborũ significatione, quatenus ibi dicitur ius imponendi tributa esse reseruatum Imperatoribus & Regibus ac similibus Principibus; quod idem dicitur in cap. *Innouamus.* de censibus. Respondeo tamen Primò maiorem esse falsam, licet eam teneãt aliqui Iuristæ; ostendo autem falsitatem ex propriis illorũ principiis: affirmant enim communiter, vt ipse Suarez fatetur n. 15. posse in torâ ipsâ potestate suprema præscribi contra ipsum Regem, ergo à fortiori poterit in vna parte illius, quia, cæteris paribus, faciliùs censetur condescendere ipse Rex, contra quem præscribitur, in vnam partem, quàm in eam & alteram simul. Secundò respondeo hîc non esse sermonem de præscriptione, de qua loquuntur Iuristæ, sed de concessione facta ab ipso Rege: multa autem possunt concedi à Rege liberaliter, quæ non possunt per præscriptionem acquiri contra illum. Tertiò respondeo, negando minorem: etenim in eis duobus capitibus, *Innouamus.* & *Super quibusdam.* non dicitur quod proprium sit solius Regis imponere tributa, sed potiùs res in fauorẽ nostræ sententiæ deciditur; dicitur enim *sine auctoritate & consensu Regum ea non posse imponi*: ergo si Rex ipse consentiat, & det suam auctoritatem ad ea imponenda, supponunt Pontifices posse imponi tributa ab aliis.

Quod verò neque ex parte finis ipsorum tributorum id repugnet, sic ostendo, & simul meam sententiam proponam: Tributa ita ordinantur ad sustentationem Principum, & ad bellorum necessitates, vt tamen possit ex eis donare aliquibus personis magnam partem, ob merita insignia ipsarum personarum. Sic passim praxis docet ex vectigalibus salis, vini, frumenti, &c. fieri à Principibus maximas donationes, quia id ipsum in bonum Reipublicæ ordinatur; ergo Rex ei Principi, cui donat singulis annis v. g. decem millia ex eis vectigalibus seu tributis, non poterit non donando eam summam dare ordinariam potestatem, vt, si ei placuerit, possit imponere tributa in rebus in quibus voluerit, vt inde eam summam accipiat? Certè, si res benè consideretur, manifestè apparebit in idem omnino incidere duas eas gratias, & nec Regi, nec populo, nec inferiori Principi vllum nocumentum magis ex vno modo quàm ex altero oriri. Confirmo: Tributa etiã ordinantur ad sustentationem ipsorum inferiorum Principum, qui sunt quasi pars aulæ regiæ aut imperatoriæ; ergo ex hoc capite optimè potest eis inferioribus concedi ea potestas, licet fortè semper debeat aliqua limitatio apponi, ne possint aliquando nimiùm excedere. Verùm neq; hanc esse in rigore necessariam omnino censeo, quia ea limitatio in ipso etiã Rege locum habet, quia nec ipse pro se excedere potest; & alioquin per se supponitur in omni lege, quòd debeat ex parte materiæ esse iusta: ergo ex hoc capite non est magis necessaria ea limitatio in inferiore quàm in superiore. Denique, si argumentum ab vsu aliquid valet, certè in Germaniâ istis annis passim vidimus ab Imperatore fuisse translatam in Capitaneos supremos militiæ totam vim imponendi tributa pro bello, ita vt nihil sibi Imperator in eo puncto reseruauerit; reliquerit verò è contrario Duci supremo liberum, vt vellet eas contributiones imponere in hac aut illâ materiâ, in hoc vel in illo loco: & licet aliqui abusi sint eâ potestate ob propriam malitiam; non videtur tamen esse vllo modo illicitus ille modus eam potestatem concedendi; maximè, si reseruet Imperator ius corrigendi in casu appellationis omnem excessum: neque per hanc reseruationem destruitur nostra conclusio, quia ea tota reseruatio etiam est in aliis legibus non imponentibus tributa: & tamen non ideò negat Salas, Suarez & alij, posse concedi inferiori Principi potestatem condendi alias leges; ergo neque ex eo capite debet negari, posse concedi potestatem condendi leges tributarias.

34.

SECTIO. IV.

Ex hac doctrinâ deciditur quoddam dubium.

36. EX hac doctrinâ facilè decido dubium suprà positum, vtrùm scilicet Princeps inferior, qui habet ab immemoriali consuetudinem imponendi tributa, possit licitè eam consuetudinem retinere, & imponere tributa. Diximus enim omnino posse: quæ est sententia Medinæ

Cod.

Mens auctoris.

Quàm varia Regum sit potestas.

Rex quis esse potest, etsi careat potestate imponendi tributa.

An abalienare possit Princeps ea quæ ei vt tali sunt propria, & consequenter potestatẽ imponendi tributa.

Suarij hac super re sensus. Iuristæ suismet principijs conuincuntur.

Cap. Innouamus & Super quibusdam, explicantur.

Quinam tributa ad sustentationem Principũ bellorúmq; necessitates ordinentur.

Tributa etiã ad inferiorũ Principum sustentationem ordinantur.

De facto eam potestatem in inferiores esse translatam ab Imperatore docet experientia.

Quã licita sit talis concessio.

Princeps inferior habens consuetudinẽ ab immemoriali tributa imponendi, potest eã vti.

Digitized by Google

Cod. de restitutione cap. 13. §. *Vt igitur.* idem sentit Panormitanus in citato cap. *Super quibusdam.* n. 1. & 2. & D. Antoninus in 2. part. tit. 1. cap. 13. §. 8. in fine. aduerto tamen, Medinam probare hanc doctrinam ex eo cap. *Super quibusdam.* in quo dicitur, iniusta esse ea tributa, quæ non sunt auctoritate Imperatorum vel Regum vel ab immemoriali consuetudine imposita; vnde infert, Ergo immemorialis consuetudo dat ius imponendi tributa. Hoc argumentum Medinæ displicuit P. Suario; censet enim in eo capite non fieri mentionem de potestate imponendi tributa, sed de impositione ipsa actuali, quæ ab immemoriali est: eo enim ipso censentur à Rege Manasse ea tributa. Ego tamen, licet non iudicem omnino euidentem eum textum pro nostra sententia, puto valdè probabiliter Medinam discurrisse: etenim in eo capite expresè fit mentio de his qui potestatem habent imponendi tributa; vnde *tò antiquâ concessione introducta* non videtur posse intelligi eo sensu quo P. Suarius loquitur, vt ideò talia tributa ibi approbentur, quia censentur introducta fuisse auctoritate Regum: tunc enim ea iam fuissent à Pontifice comprehensa sub his quæ ab Imperatore & Regibus posita sunt; quoad hoc enim parum est, quòd traditione constet ab Imperatore posita, aut quòd immediatè id ex ipsa lege noscatur: semper enim ea sunt ab Imperatore: ergo ibi antiquam consuetudinem transtulit Pontifex ad aliam potestatem, quæ non esset immediatè à Rege; quia sicut anteà egerat de iis qui possunt, etiam in *tò immemoriali* agit de potentia non Regis, quia eam præmiserat; ergo inferioris Principis. Et sanè nemo poterit negare hanc deductionem textus esse valdè probabilem: sed ne rem probabiliorem per minùs probabilem ostendamus, quidquid de eo textu sit.

Medina discursus approbatur.

37. *Probatur sententia auctoris.*

Conclvsio nostra ex dictis suprà suadetur, quia ea potestas tribui à Regibus potest personis inferioribus: ergo si hæ illa vtuntur ab immemoriali, ipsis Regibus tacentibus, tam benè in ea præscribunt quàm in quolibet alio iure; quia tam censetur Rex cedere iuri suo in hoc puncto quàm in quolibet alio. Confirmatur, quia, vt suprà diximus ex Iuristis, potest fieri præscriptio in tota ea potestate regia, ergo à fortiori in aliqua illius parte; quia multò minùs ad hoc requiritur quàm ad illud, vt suprà argumentabamur contra Patres Salas & Suarez. Contrarium sentiunt Castro & Patres Suarez & Salas suprà: quorum argumenta in priori puncto ferè soluta sunt; solùm hoc restat, quod specialiter Pater Suarez vrget: Nulla potestas potest per consuetudinem seu præscriptionem acquiri, nisi virtute alicuius legis ciuilis aut Canonicæ, quia præscriptio non est iure naturali introducta, imò quodammodò videtur ab illa discordare, ergo debet in iure humano fundari: atqui nullum tale ius nec ciuile nec Canonicum est quod concedat præscriptionem in hoc puncto; imò in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. dum declaratur, qui possint imponere tributa, dicitur, *Exceptis Regibus, Principibus, Pontifice & Concilio, nemo audeat tales exactiones statuere, aut statutas de nouo tenere*; ergo sentit Concilium non posse in hac potestate præscribi. Respondeo Primò, hæc vltima verba, si vt sonant accipiantur esse contraria aliis quæ sunt in cap. *Super quibusdam.* nam ibi dicitur statutas ab immemoriali posse teneri: ergo si ad rem nostram *tò statutas*, quod est in Concilio Lateranensi, intelligatur etiam ab immemoriali, fiet sensus contrarius alteri textui citati capitis: quòd si excludatur particula *ab immemoriali*, iam non erit contra nos, qui solùm agimus de præscriptione per eam consuetudinem ab immemoriali. Absolutè respondeo toti argumento; Ad hoc, vt in aliquâ re possit præscribi, non esse necessum ius humanum, quod specialiter concedat præscriptionem in eâ materiâ; sufficit enim quòd absolutè iura admittant præscriptionem in aliis rebus; tunc enim eo ipso concedunt in hac, nisi ostendatur hîc singulatis aliqua ratio repugnantiæ; quæ proculdubio non ostenditur. Addo, hanc præscriptionem reduci ad materiam iustitiæ: vt enim in pallio, in domo & in aliis rebus præscribo contra verum dominum, ita dico in hoc iure, quod alioquin ex se ad Regem pertinebat, & ego eo vtor Rege conscio & tacente, me haud dubiè posse præscribere: id quod confirmo ex dictis suprà; quia si in potestate totâ regiâ potest præscribi, & de hoc est ius humanum, haud dubiè ibi includitur ius de præscriptione in mediâ parte eius potestatis, quia pars includitur in toto; & minus requiritur ad iustè vsurpandam partem quàm ad vsurpandũ totum.

38.

Satisfit argumento Suarij.

Quo iure sic præscribi possit.

Obiicit etiam Castro illud cap. *Super quibusdam.* & aliud *Innouamus.* sed iam ostendimus nihil esse in illis contra nos; vt & ipse P. Suarez benè agnouit reprehendens Castrum, quòd putauerit inde suam sententiam posse probari.

Castro nil profficit hic.

Sectio V.

Quæ vtilitas requiratur, vt tributa sint iusta.

39. *Finis tributorum iustus sit oportet, & quomodo.*

Conclvsio sit, Necessum est finem, ob quem ea tributa imponuntur, esse honestum. Circa quam conditionem solet dici, necessarium esse vt sciatur, ad quid & quomodo persolui ea debeant; quod tamen ita intelligendum est, vt necessarium non sit ab omnibus de populo sciri eam vtilitatem; sufficit enim, si nota sit Principi & Consiliariis ac Procuratoribus Regni, aut aliis, ad quos pertinet examinare iustas causas tributorum, iuxta varias consuetudines Prouinciarum. de quo rursus infrà sect. 7.

An, & quantum præscribi possit in regia potestate quoad tributa.

Obiicies, suprà à nobis dictum, non esse necessarium vt lex imponatur cum consensu Consiliariorum aut vllius alterius; ergo neque erit necessarium vt Procuratores Regni, vel aliqui alij sciant de vtilitate & necessitate tributorum. Respondeo negando consequentiam ab aliis legibus ad has tributarias. Disparitas est manifesta, quod in aliis legibus, quæ non ordinantur immediatè ad bonum Principis, sed subditorum, non censetur suspectus ipse Princeps, sicut in tributis, quæ immediatè in bonum ipsius ordinantur. Secundò, in aliis legibus ex ipsâ honestate materiæ præceptæ statim apparet legem esse iustam; at tributa ex se non habent aliam iustitiam nisi ex fine ad quem ordinantur: vnde, vt constet de iustitiâ eorum tributorum, oportet etiam vt constet de honesto fine, ad quem ordinantur; esse verò absolutè necessum, vt constet de iustitiâ legis, est certò certius; nam cùm subditus, si lex sit iniusta, non teneatur ei parere; necessum est, vt, per se loquendo, constet illam esse iustam. Dico *per se*, quia non est necessum vt plebs tota id sciat; sufficit enim illis, si Doctorum nimirum iudicio regantur.

Cur consensus Consiliariorum in legibus tributarijs sit necessarius, & non in alijs.

Non est necessum vt constet plebi legem tributariam esse iustam.

Digitized by Google

40. *Ob quos fines tributa sint imponenda.*

Secundò circa hunc finem obseruandum est, eum debere esse iustum, hoc est, debere imponi tributa ob bonum publicum, v. g. ob necessitatem bellorum, ob reparationes pontium, viarum, ob sustentationem ipsius Principis: nam cùm ille sit persona publica, & summi momenti in Regno, eius sustentatione intelliguntur ea quæ ad decentem aulam, dignam tali personâ, spectant. Hinc infertur, quantitatem tributi non debere excedere indigentiam eius finis. V. g. si pro reparando ponte sunt necessaria tria millia, non debent imponi sex, vel septem: idem dico de sustentatione ipsius Principis, nam, respectu eius quantitatis maioris iam nulla esset causa, & consequenter iam tributum esset iniquum.

Quantitas tributi indigentia finis commensuranda est, vt sit iusta.

41. *Quâ differant tributa data Regi pro eius sustentatione & data pro publicis necessitatibus.*

Aduerte Tertiò, differentiâ inter tributa data Regi pro sustentatione ipsius, & data pro necessitatibus publicis, hanc esse, quòd vltima hæc non possunt pro libitu à Rege expendi, sed debent applicari ad eum finem, quia eorum tributorum non fit Rex dominus; poterit tamen, si interim occurrat alia noua necessitas, permutare & impendere eam pecuniam in vnam ex illis, quam velit; quia si in bonum Reipublicæ impenduntur, idem est siue in hanc, siue in illam necessitatem communem subleuandam impendantur. Circa ea verò tributa quæ dantur Regi in sustentationem propriam maior est difficultas; nam eorum verè ille fit dominus; ergo potest ea impendere prout velit, dummodò satisfaciat muneri suo gubernando & defendendo Rempublicam, sicut tenetur. Et ita absolutè sentit P. Suarez ob hoc argumentum. Mihi tamen res videtur satis dubia; nam vel Rex pro suâ sustentatione & regiâ auctoritate conseruandâ habet aliunde redditus & pecuniam sufficientem, vel non; si habet, ergo non licet ei ea tributa imponere, & consequenter nec licebit ea iam collecta retinere: quòd si indiget eâ pecuniâ pro sua aulâ & regiâ auctoritate, non poterit eam impendendo in alios vsus satisfacere suo muneri: nam si ille nolit habere aulam se dignam, eo fine vt possit quò velit eam pecuniâ proiicere, faciet planè contra intentum tributorum, quia debemus tacitũ quasi pactũ in eâ donatione à subditis factâ concipere, vt illi dederint eam pecuniam eâ obligatione, vt debeat suam auctoritatem seruare, non verò eam prostituere, non se aliter tractando quàm si esset priuatus aliquis; id quod in dedecus Reipublicæ cederet: vnde quidquid retentâ suâ dignitate potest quasi dilapidare, iam est vltra finem, ad quem data sunt tributa, & consequenter, vt ipse P. Suarez de omnibus tributis dicit, iam secundùm eum excessum sunt iniusta. Confirmatur: Si dem famulo pecuniam vt se vestiat, & decenter tanquam meus famulus incedat, sine dubio non potest ille licitè abligurire eam pecuniam, & lacerè incedere in dedecus meum.

42. *An possit Rex pecuniam ad sui sustentationem contributã quibuscumq; vsibus addicere.*

43. *Vt tributa iustè cõtinuentur finis illorum perseuerare debet.*

Quartò aduertendum, oportere, vt si tributa continuantur, etiam finis illorum perseueret; alioquin, sicut dicebamus excessum illorum esse iniustum, si causa pro illo non suppetat; ita etiam dicendum de continuatione in præsenti eam fore iniustam, si cessauit iam necessitas, ob quam sunt imposita: quod tamen ita intelligendum, vt & illa causa cessauerit, & nulla alia noua deprehensa sit necessitas taliũ tributorũ: vel certè licet causa ad tempus cessauerit, tamen frequenter soleat redire; eo enim ipso potest licitè Rex retinere ea tributa, quia semper debet ipse esse paratus ad succurrendum ei necessitati; nec expediret singulis diebus imponere & auferre ea tributa: eò quòd vnâ die causa cessaret, aliâ verò iterùm rediret. Putarem tamen ego tunc temporis debere aliquo modo attemperari, vt ex summa, quæ soluitur quando cessat causa, & quæ soluitur iterùm vrgente necessitate, conficiatur quidquid necessum est ad eam necessitatem: nam si ob summam, quæ non vrgente necessitate colligitur, longè plus accipiatur quàm necessum sit, iam ille excessus erit iniustus iuxta dicta.

Quinam excessus in exactione tributorum sit iniustus.

Quæres tamen, an tributa, quæ ab immemoriali soluuntur & vbi de causâ, ob quam sint imposita, non constat, possint tamen retineri licitè. Negat Corduba in Summa Hispanica q. 95. affirmat Medina, suprà cap. 14. qui addit, etiamsi constet positiuè cessasse eam causam, nihilominùs posse retineri; quia præscriptione sunt reddita iusta. Hanc tamen rationem meritò reiicit Suarez; nam dum causa viguit non fuit præscriptio pro eis tributis sine causâ soluendis; cessante autem causâ non fuit bona fides, quâ posset præscriptio incipere, ergo non potuit tunc fauere. Nihilominùs tamen ipsemet P. Suarez ita putat eam præscriptionem posse defendi, vt licet constet causam primam, ob quam sunt imposita cessasse, quia tamen potuit alia & alia causa iusta succedere, & bonâ fide continuari tributum, potuit etiam præscriptio fieri; quòd si constaret & primam cessasse, & nullam aliam succesisse, non posse ea tributa sustineri. Dicit, *licet constet positiuè*; nam etiamsi non sciatur succesisse causam iustam, dummodò contrarium non sciatur, potest habere locum bona fides & præscriptio: vnde addit, si simus intra tempus nondum consummatæ præscriptionis, & tunc constat priorem causam cessasse, & alia non appareat, iam eo ipso tributa desinere esse iusta; si verò iam est elapsum tempus ad præscriptionem necessarium, tunc sufficere, quòd non sciatur positiuè nullam fuisse causam, quia tunc præsumitur bona fides: & ratione illius etiam præscriptio locum habet, maximè cùm in statu & sumptibus Regum ac Principum & in rerum valore tanta soleat esse varietas successu temporis, vt credi facilè possit antiqua tributa imposita ob alias causas, quæ iam cessarunt, adhuc continuari; quia necessaria visa sunt ad honestam Principis sustentationem: vnde concludit, vel semper intelligi eiusmodi causam, vel certè non posse præscribi, nisi planè ab immemoriali ea soluantur: vbi enim de causâ non constat, non potest de eâ præsumi, nisi ex consuetudine excedente non solùm tempus ordinariæ præscriptionis, sed etiam hominum memoriam.

44. *An tributa, etsi de causâ impositionis eorum non cõstet possint licitè retineri. Corduba negat. Medina asserit.*

Vrget suam opinionem Suarez.

Mihi opinio Cordubæ videtur probabilior, etsi ratio illius bona non sit; dico igitur nullâ consuetudine præscribi posse, vt tributa, de quibus non constat, quòd habeant iustam causam, censeantur iusta. Pro quo aduerto, consuetudinẽ etiam immemorialẽ non iuuare ad præscriptionem nisi in his rebus quæ possunt obtineri sine vlla alia causa honesta, præterquam ex voluntate aliena. Explico: Vt pallium v. g. Petri fiat meum, non requiritur vlla alia iusta causa, quàm vt Petrus mihi illud donet; ad donandum verò non est necessarium motiuum aliud intrinsecum quàm ipsamet voluntas Petri. In hac ergo materia præscriptio iuuat, quia præsumitur de voluntate alterius; aut certè quia data ea præscriptione Rex transtulit in me dominium eius pallij. Non sic res in tributis contingit; nam si sint verè

45. *Auctor adhaeret Cordubæ, sed reiectâ eius ratione. Quibus in rebus immemorialis consuetudo ad præscriptionem iuuet.*

tribu

Digitized by Google

tributa, & retinent rationem talium, non aliter fiunt iusta quàm ob causam iustam, ad quam ordinantur: non enim ad tributum censetur consentire subditus ex liberali donatione, sed ex necessitate vrgente. Deinde, vt diximus suprà, sicut initium tributi requirit tunc necessitatem, ita etiam requirit continuatam necessitatem continuatio eiusdem tributi; neque vmquam præsumitur de voluntate subditi, quòd pro eo aut pro futuro tempore consenserit in tributum soluendum, etiam cessante iustâ causâ; ergo si nunc non apparet causa, non consensit pro nunc: ergo nunc illud tributum est illicitum. Confirmo: Præscriptio illa etiam immemorialis nó efficit vt credamus liberaliter donata esse Principi ea tributa, quia id est expressè contra rationem tributi: sicut autem nulla præscriptio potest facere, vt tributum non sit tributum, ita neque vt illud sit aut fuerit sine causâ: neque item ea præscripto iuuat, vt intelligamus nũc esse necessitatem eorum tributorum: patet manifestè; nam, quòd olim fuerint iustæ & iustissimæ causæ etiam numero infinitæ, si velis, non probat vllo modo, eas durare nunc: ergo ea consuetudo immemorialis non facit vt continuatio tributi sit iusta, sed solùm probat quòd fuerit.

46. *Continuatio tributi requirit continuationem necessitatis.*

47. *Discrimen à priori inter præscriptionẽ ad pallium & tributa.*

Declaro id assignando diuersitatem à priori inter præscriptionem erga pallium & eam de quâ agimus: nam titulus, qui præsumitur semel bonus ad dominium pallij, semper præsumitur bonus, nisi constet illum titulum esse posteà alio contrario reuocatum; nam, vt ego in perpetuum efficiam meum pallium Petri, sufficit, si ille semel mihi illud donauit; licet enim posteà non continuet eam volitionem, imò etiamsi millies doleat se dedisse, semper ego maneo iustè dominus pallij: vnde fit vt in tali re valeat possessio immemorialis, quia supponitur olim fuisse donationẽ, vel certè ab ipso Principe translatum dominium; eâ autem donatione vel translatione semel positâ sufficit in perpetuum. Contrario modo se res habet in tributis; nam, vt ea per duos annos v.g. durent, non sufficit quòd ad initium fuerit iusta causa impositionis pro medio anno, sed requiritur vt ea causa continuetur eis duobus annis; cúmq; causæ illæ non sint perpetuæ, etiamsi semel fuerint validæ, sicut donatio semel facta vel venditio, &c. est naturâ suâ perpetua, manifestè fit vt, etiamsi præscriptio sit mille annorum, hoc est constet, quòd fuerit per eos mille annos iusta causa tributorum, nihilominùs inde non inferatur vllo modo, eam causam etiam nunc durare, quia potuit naturalissimè durare vsque ad hesternam diem, & hodie cessare; ergo ea præsumptio, quod olim fuerit causa sufficiens, nullatenus probat eamdem causam hodie durare, ergo neque probat permanentiam tributi esse iustam, quia hoc non fit hodie iustum, eò quòd heri habuerit causam, sed quatenus hodie etiam eam habet; quia (vt dixi) tributum numquam concipitur vt donatio gratuita, sed onerosa.

Præsumptio causarũ præteritarum, nisi etiamnũ ea durent, nõ facit præscribi in tributis.

48. *Occurritur obiectioni.*

Dices: Ideò fit præscriptio, quia verè præsumitur hodie esse aliqua causa occulta, sicut præsumebatur heri fuisse. Sed contrà, quia esto certo & euidenter constet fuisse heri causam, ignoretur autem quæ illa esset, non tamen inde infertur vllo modo, eam causam, quæcumq; illa fuit, hodie durare; multò ergo minùs id inferretur, quãdo non constat heri certò vllam fuisse, sed quasi de hoc ipso quodammodò diuinatur. Consequentia est bona. Antecedens probo clarè ex dictis, quia necessitates hæ seu causæ heri existentes non inferunt existentiam suam hodiernam; aliunde autem non possumus iudicare hodie existere causam, de quâ hodie nulli constat; nam licet præsumere possimus eam fuisse, quia præsumimus eos homines prudentes non fecisse heri talem rem, nisi quia viderunt causam aliquam; tamen quia illi nec viderunt, nec potuerunt præscire illam causam hodie duraturam, consequenter tota eorum præsumptio est impertinens pro præsenti quæstione.

Video posse responderi Regem præscripsisse eo tempore in talia tributa non quà tributa, sed quà donationes liberales, sicut sæpè solent à Republicâ fieri Regibus. Sed contrà, quia nullum penitus fundamentum est ad talem præscriptionem: ea enim, quæ & nomen retinent tributi, & non alio modo soluuntur, quàm soleant solui tributa, non debemus sine efficacissimo argumento dicere, mutasse planè naturam tributi, quia nos, quando nomen idem & similitudinem cum alijs rebus, quæ illud nomen habent, reperimus, etiam debemus de illis eodem modo iudicare, quo de aliis. Constet ergo, numquam posse fieri præscriptionem pro continuando tributo, nisi constet de continuatâ causâ iustâ illius, aut certè, iuxtà dicta suprà, quòd alia loco illius successerit; si verò neutrum subsistat, necessariò dicendum, ea tributa esse iniusta. Quando autem successerit causa, & an ea sit iusta, Reges ipsi cum suis ministris videant; caueántque ne sæpè eiusmodi tributa retineant iniustè ob futiles causas.

49. *Occurritur nouæ replicæ.*

Numquam fit præscriptio pro continuatione tributi, nisi constet de continuatione iustarum eiusdem causarum.

SECTIO VI.

De alijs conditionibus pro iustitiâ tributi necessarijs.

SEcunda ex præcipuis sit, vt non solùm requirat causam iustam cui debeat esse proportionatum, vt ostensum est, sed vt cum ipsis subditis seruet proportionẽ; hoc est, vt quò quis est alio ditior, cæteris paribus, plus de eo tributo soluat: in quâ conditione includitur, ne ab vllo subdito plus petatur quàm possit ab ipso solui: in hac cõditione includitur etiam, ne imponatur supra res quæ vendũtur & emuntur præcipuè à pauperioribus; vnde illi magis grauentur, & quidem ita, vt vix possint se sustentare. Quæ omnia in particulari debent à Consiliarijs & cæteris, qui de tributis imponendis consuluntur, prudenter examinari: nos enim non possumus hîc determinare, quando hæc aut illa incommoda oriantur; quia res tota pendet à circumstantijs hîc & nunc occurrentibus; vnde non dubito, quin sæpè magnæ iniustitiæ ob negligentiam ministrorum committantur in hac materiâ.

50. *Tributa subditis communi iurari debẽt.*

Illud posset in dubium verti, an vectigalia, quæ imponuntur pro rebus quæ ad propriũ vsum portantur, sint iniusta, solúmque liceant pro rebus quę causâ negotiationis deferuntur. Affirmat Caietanus verbo, *Vectigalia*, quod hac ratione confirmat: Nam si imponantur vectigalia pro rebus ad proprium vsum necessarijs, pauperes plus grauantur quàm diuites, quia radix vsus est indigentia; & ita qui magis indiget magis vtitur; & pauper, qui est oneratus filiis, pluribus rebus indiget, & ita plus soluit ex vectigali. Alios etiam auctores pro hac opinione refert Pater Suarez cap. 16. n. 2. præcipuè Sotum lib. 3. de Iustitiâ q. 6. art. 2. & Ledesmam 2. parte 4 q. 18. art. 3.

51. *An vectigalia pro rebus ad proprium vsum allatis imponi solita sint iniusta. Adfruit Caietanus.*

Digitized by Google

52. *Communis opinio.*

Communior tamen sententia est, quæ docet, per se loquendo, eiusmodi tributa, si aliunde habeant reliquas conditiones requisitas, esse licita. Ita D. Antoninus, Gabriel, Silvester, Angelus, Armilla, Tabiena, Medina, Nauarrus, Molina, quos refert & sequitur P. Suarez n. 3. Cuius sententiæ fundamentum illud est, quòd nec ex naturâ rei, neque ex lege humanâ talia tributa sint iniusta, ergo: non ex naturâ rei, quia ex illis, per se loquendo, nullum speciale grauamen sequitur pro pauperibus præ diuitibus: imò ibi seruatur ea æqualitas requisita paulò antè. V. g. imponitur vectigal suprà carnes, certè plus emit de illis dives quàm pauper, quia seipsum lautiùs tractat dives, & quia habet maiorem familiam: ergo ex hoc capite non magis grauabitur respectiuè pauper quàm dives: idem est cum proportione in aliis rebus: vnde facilè ostenditur

Basis huius opinionis.

Cajetanus æquiuocationem arguitur.

æquiuocationem committi à Caietano in argumento paulò antè ex ipso posito, dum verbum *indigentia*, quam dicit esse radicem vsus, aliter in maiori, aliter accipit in minori; etenim dum loquitur de eâ quatenus est *radix vsus*, vsurpat pro necessitate habendi aliquid: quo sensu maior est necessitas in diuite, quia pluribus rebus vti vult: &qui ipsa etiam superflua & ad voluptatem spectantia reputat sibi necessaria. Deinde verò

53. *indigentia* vsurpat Caietanus in minori pro paupertate: quo sensu certissimum est illam non esse radicem maioris vsus; quia pauper maiorem indigentiam habens non vtitur talibus vestibus, cibis, &c. quibus vtitur dives, sed longè paucioribus; ergo, eò quòd vectigal sit supra res ad vsum ordinarium pertinentes, nihil sequitur de maiori damno pauperum, imò potiùs de minori. Dixi, ex huiusmodi tributis per se non sequi maius damnum; nam fortasse aliquando dives habet ex suis possessionibus multas res ad vsum pertinentes, ideóq; minùs cogitur emere, ac proinde minùs soluere, pauper verò è contrario, quia nihil accipit ex propriis, cogitur omnia emere: & fortasse in eo sensu sine æquiuocatione potest argumentum Caietani intelligi, vt dicat, Indigentia seu carentia rerum est causa eas emendi; ergo cùm pauper magis careat magis emet: crediderímque planè hanc fuisse eius mentem; nihilominùs addo, etiam sic explicatum argumentum non habere vim, quia tunc maior seu antecedens debet ita intelligi, vt non sola carentia rerum sit causa eas emendi, sed etiam animus eis vtendi: nam etsi Religiosus careat gladio, nõ ideò illum emit; nec pauper carens tiarâ Pontificia illâ sibi procurat fieri, aut factam emit: ergo cùm dives plura velit insumere pro familiâ & pro se quàm pauper, qui rationes inens cum crumenâ, non emit nisi pauca, quia plura nequit; nõ sequitur per se, quòd hic pluribus rebus vtatur. Secundò etiam minor distinguenda est; sed pauper ex suis nihil habet, distinguo; *per accidens* concedo, *per se* nego. V. g. mercator etiamsi sit ditissimus, & habeat multos milliones, tamen ex rebus ad vsum necessariis, excipe vestes, minùs habet quàm rusticus pauper, qui habet agellum pro pane, hortulum pro oleribus, vaccam vnam aut alteram pro lacte, caseo & butyro, quibus se sustentat: id quod frequenter contingit; nam sæpè diuitiæ maiores sunt in pecunia, & censibus, quando verò sunt in possessionibus sæpè illæ ipsæ elocantur pro certâ summâ, posteà autem necessaria omnia emuntur: quòd si aliquando contingat vt ditior in aliquâ materiâ pauciora emat, hoc est per accidens, & non potest vniuersaliter præcaueri talis inæqualitas: sicut in decimis dives, qui omnia habet in pecuniâ & nullos fructus ex agris, nihil soluit; pauper autem rusticus, quia quidquid habet sunt fructus terræ, ex omnibus cogitur soluere decimas; non tamen ob eam accidentalem seu casualem inæqualitatem debent iudicari iniquæ: idem dico de tributis.

54. *Plusius eius opinio improbatur.*

An pauper an dives plus. ribus egeat facilè dijudicatur.

Vrgetur eadem doctrina, quia ea inæqualitas per accidens etiam sæpè reperitur in his rebus, quæ propter negotiationem venduntur; vbi tamen Caietanus & omnes admittunt posse imponi licitè vectigalia; ergo, eâ non obstante, poterunt imponi in rebus vsu consumptibilibus. Probo antecedens; nam, vt paulò antè dixi, sæpè, maximè dives, quia omnia habet in censibus, nihil vendit, & nullam negotiationem exercet; pauper autem totus est in negotiatione, ideóq; multum cogitur soluere. Denique, esto immediatè in rebus vsu consumptibilibus non imponantur ea tributa, sed in eis quæ pro negotiatione, semper tamen redundat damnum in ipsos pauperes: nam mercator si soluat tributum, catiori pretio rem vendit; vnde vel pauper immediatè ab eo emens, vel certè ab alio reuenditore, semper ibi patitur damnum, quod Caietanus vitare intendit. Constet ergo ex hoc capite, non posse ea tributa dici iniusta ex naturâ rei.

55. *Amplius idem vrgetur.*

Ex naturâ rei pauperis res & conditio magis est misera quod vectigalia.

Quòd verò nec iure humano prohibita sint, patet in primis de Iure Canonico, quia nullibi deciditur materia, supra quam possint imponi; nec de rebus necessariis aut non necessariis ad vsum quidquam dicitur; sed in genere declarantur personæ, quæ possunt ea ponere, & requiritur vt ea tributa sint iusta: id quod præcisè intelligitur ex cap. *Quãmquam.* de censibus in 6. vbi etiamsi dicatur *pedagiorum exactiones tam iure Canonico quàm ciuili meritò esse damnatas*, ponderandum tamen est, ibi addi Primò *regulariter*. quo ostenditur non esse omnino prohibitas; Secundò, cùm referat se ad Ius aliud Canonicum antiquius, & nullum sit nisi vel ex Concilio Lateranensi in cap. *Innouamus.* de censibus. vel ex cap. *Super quibusdam.* de verborum signific. in quibus solùm ea damnantur quæ sine auctoritate Imperatorum aut Regum imposita sunt, aut nõ sunt ab immemoriali, colligitur euidenter hîc nihil penitus dici de tributis, quà impositis supra res vsu consumptibiles magis quàm de aliis tributis.

56. *Probatur secunda pars rationis pro conclusione communi.*

Explicatur c. Quamquã. de censibus in 6.

Item Concilij Lateran. cap. Innouamus. de censibus, & cap Super quibusdam de verbor. significe.

Video tamen satis difficulter ex hoc textu posse sic obiici: Ea tributa ibi damnantur, à quibus paulò pòst in eodem capite Pontifex dicit maximè esse exẽptas personas Ecclesiasticas; magis enim declarans ea tributa, dicit illa esse quæ imponuntur pro rebus propriis quæ deferuntur non causâ negotiationis, sed in proprios vsus: ergo eiusmodi tributa etiam sunt prohibita respectu sæcularium: patet, quia Pontifex ibi licet dicat respectu Ecclesiasticorum esse maximè prohibita, absolutè tamen supponit respectu omnium esse illicita. Confirmo, quia de eisdẽ dicit Pontifex Iure Canonico esse prohibita, quæ Iure ciuili sunt prohibita; at Iure ciuili sunt prohibita quæ imponuntur supra res vsu consumptibiles, vt constat ex l. *Vniuersi*, & l. *Omnium*, Cod. de vectigalibus: in quibus ea solùm vectigalia approbantur quæ imponuntur supra res negotiationis causâ foras delatas. Respondeo Primò eas leges, etiamsi solùm loquantur de rebus quæ asportãtur foras, per hoc tamen non prohibere vectigalia supra

57. *Difficilis obiectio.*

alias

Explicatur vtraque lex.

alias res quæ venduntur intra Regnum: & eodē modo intelligēdus est Pontifex, qui de eis rebus quæ foras asportantur clarè loquitur: & in his etiam praxis esse solet, vt etiamsi pecunia non possit foras extrahi, nisi soluendo vectigalia, tamen de eâ, quæ censetur necessaria ad conficiendum totum iter; nihil soluatur. Secundò respondeo, vi illius Canonis non cogi nos ad hanc limitationem; nam Pontifex in primâ parte textus solùm fuit locutus de tributis non impositis ab his qui iurisdictionem sufficientem habēt; quòd verò posteà declarando immunitatem Ecclesiasticorum nominauerit in particulari ea pedagia, quæ in res necessarias imponuntur, non ideò docuit, non posse sæcularibus imponi tributa suprà tales res, maximè cùm eodē capite non absolutè, sed regulariter ea reiecerit: fortè enim tunc temporis erant multa talia iniustè imposita. Et hinc apparet, etiamsi Iure ciuili Imperiali talia tributa prohibeantur, non continuò esse prohibita in Regnis illis quæ sunt ab eo iure exempta, vt suprà diximus de Hispaniâ, Galliâ, Angliâ & Rebuspublicis omnino exemptis; vt est Veneta, Genuensis, &c. Vnde vltimò concluditur, neque iure humano esse iniqua talia tributa.

Quæ fuerit Pontificis intentio his.

Tributa Iure ciuili Imperiali prohibita non tolluntur ideò vbique gentium.

Sectio VII.

Vtrùm peregrini ad ea tributa teneantur.

59. RATIO dubitandi esse potest; nam hæc tributa maximè ordinātur ad bonum Regni, cuius particeps non est peregrinus: quid enim ad illum, quòd Rex suos hostes vincat? quid, quòd ædificentur arces? quid, quòd cum splendore & auctoritate congruâ Rex eius Prouinciæ, per quam transit, se gerat, vt propterea debeat soluere tributum? Respondeo Primò, Si sint aliquæ contributiones particulares ciuitatum impositæ ad propria commoda, vt ad ædificandum v.g. templum, vel quid simile, non videtur ad illa teneri peregrini, nisi ea tributa sint imposita suprà res quæ venduntur, & emuntur: tunc enim videtur etiam peregrinus dum emit aut vendit teneri ea soluere. Ratio huius est quoad primam partē, quia ea vtilitas est planè extra ipsum peregrinū; & videtur iniquum, vt statim ab eo exigeretur pecunia pro templo, eò quòd in eâ ciuitate duobus tribúsve diebus maneret. Secunda verò pars, quæ est prioris limitatio, inde suadetur; nam licet tributum, quod soluit emendo vel vendendo, etiam non redundet in ipsius vtilitatem, nō minùs quàm si ex pecuniâ solueret; quia tamen in ipsâ emptione & vēditione non potest commodè fieri ea distinctio; esset enim res exposita magnis fraudibus, vt scilicet ille peregrinus emeret nomine suo in diuersis locis pro ipsis incolis, cúmque ipse, si velit, possit alio in loco emere ea quibus indiget, & sic vitare illud grauamen; probabilius videtur eum debere talia vectigalia soluere. Respondeo Secundò, Si tributa sint generalia pro toto Regno, tenetur peregrinus ea soluere iuxta proportionem debitam: si enim v.g. singulis annis vna persona debeat soluere duos aureos, non tenetur peregrinus manens vnâ septimanâ eos duos soluere, sed proportionaliter, si manet medio anno, vnum aureum, &c. Ratio verò est, quia eo ipso, quòd peregrinus iudicat sibi expediens illud Regnum transire, aut aliquamdiu ibi manere, etiam redundant in eius bonum ea quæ sunt in bonum Regni: quod maximè cernitur in securitate viarum, in reficiendis pontibus, in expulsione hostium & pace Regni; ad quæ ordinari solent communiter ea tributa.

An, & quibus particularibus contributionibus ciuitatū peregrinus vrgeatur.

Tributa totī Regno generalia seruatā debitā proportione peregrinus soluere tenetur.

60. Fortasse in eis, quæ soluuntur solùm pro Regis decenti sustentatione, non habet locum ea ratio; quia tamen hæc tributa solent esse commixta, & difficulter potest distingui, quæ pro hac, quæ pro illâ necessitate soluantur; ac proinde sicut auctoritas Regis in bonum Regni redundat, & ad ipsius conseruationem necessaria quodammodò est, ita etiam in bonum peregrini aliquo modo redundat, ideóque modicum illud, quod respondet tempori quo ibidem moratur, soluere debebit: & per hoc respondetur rationi dubitandi, quæ maximè inde desumebatur, quòd non appareat quî ea tributa in bonum peregrini redundent.

Etiam ea quæ sunt in sustantationē Regis.

Et sanè in venditione apparet vtilitas ipsius peregrini; nam hic sæpè venit ad vendendū suas merces; ergo magnum ibi lucrum habet: quid ergo mirū, si & soluere debeat vectigalia debita pro his rebus? habet etiam locum hæc ratio in rebus emptis vt foris extrahantur; quia etiam inde sperat lucrum, & eâ in re mercaturam exercet: solúmque in rebus ad vsum pertinentibus nonnulla videri posset esse difficultas, quæ tamē ex dictis soluenda est; addíque potest alia eiusdē rei confirmatio: sicut enim peregrinus, si res cariùs vendantur in Regno quàm in patriâ suâ, nihilominùs debet subire illud onus; & non potest iustè exigere, vt sibi eo pretio, quo in patriâ poterat eas emere, vendantur: ita eodem modo debet de tributis dici; nam hæc faciunt res vendi & emi cariori pretio; vnde debet in hoc sicut in alijs pretijs ea onera communia subire, quibus se exposuit dum peregrinari voluit.

Quidnam vtilitatis capiat peregrinus, quòd ad ea tributa teneatur.

Sectio. VIII.

An tributa exigant consensum populi; & quomodo obligent in conscientiâ.

61. DIXIMVS quæ ex parte ipsorum tributorum sunt necessaria ad eorum valorem; iam cetera, quæ requirūtur ex alijs capitibus, explicanda erunt; & primum quidē, an sit necessarius cōsensus Regni. P. Suarez suppresso nomine refert quosdam qui id affirmant, eò quòd in legibus Hispaniæ l. 6. Nouæ recopilationis tit. 6. lib. 1. statuitur, vt Rex Hispaniæ non possit vllū imponere tributum, nisi priùs conuocato Regno per Procuratores, & illis consentientibus & acceptantibus tributum; putant autem hi per hanc legem non constitui ius nouum, sed declarari ius naturale, & dari formam, quo illud seruetur. Cōfirmari autem hæc sententiá potest Primò, quia nisi hæc restrictio ponatur, cùm Principes valdè sint propensi ad imponendas eiusmodi exactiones, plus iusto grauabunt subditos, & facilè in tyrannidem declinabunt. Confirmatur Secundò ex regulâ iuris, *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

An sit necessarius cōsensus Regni ad valorem tributorum.

Nota regulā Iuris.

62. Contraria tamen sententia videtur probabilior, quia stando iuri naturali non est necessaria ea approbatio magis pro tributis quàm pro alijs legibus; sed ad alias leges non est necessaria (vt suo loco ostendimus) ergo neque ad has. Probo maiorem dissoluendo simul rationes in contrarium;

Non est magis cōsensus Regni potalis hic necessarius quàm in alijs legibus.

Digitized by Google

rium: nam si ob aliquam causam esset specialiter in hoc casu necessaria ea restrictio, esset ob rationes paulò antè positas; atqui ob has non est necessum: non ob primam, quia supponitur quòd ea tributa debeat esse iusta, alioquin non obligabunt: si autem simul sint iusta, parùm est, quòd à solo Principe imponantur, vel ab eo simul & Regno: & quoad hoc etiam est eadem ratio in alijs legibus; nam etiã in illis requiritur ex parte materiæ iustitia & æquitas, quæ si desint, lex non obligabit, seu non erit vera lex: & ex hoc capite præcauetur ei periculo tyrãnidis; nam per ea quę sunt iusta & proportionata honesto fini, non potest incurri tyrannis; si autem vltrà hæc velit sibi illicitè assumere aliquid, poterit, neglectis Consiliarijs esto dicamus illum in conscientiâ teneri ad eos adhibendos vel Procuratores Regni; poterit enim illicitè non seruare hanc legem, sicut non seruat alteram. Secunda ratio ex regulâ 29. Iuris in 6. hon vrget, quia eodem modo habet locum in omnibus alijs legibus; nam etiam illæ tangunt omnes, ideóque deberent ab omnibus approbari. Respondeo ergo ibi solùm agi de ijs quæ ipsa communitas decernit, non verò de his quæ à Rege per legitimam iurisdictionem decidũtur. Quòd ex eâ lege Hispaniæ affertur singulare est pro vno Regno; ideóque non vrget in alijs; vbi benè obseruat P. Suarez eam legem nõ esse valdè antiquam in Hispaniâ, sed à ducentis circiter annis, latámque esse ex singulari fauore Regum, non ex obligatione naturali: vt etiam hîc in Bohemiâ non imponuntur nouæ contributiones nisi cum consensu Regni in Comitijs: & fortè in multis alijs partibus eadem seruatur praxis; per hoc tamen nõ infertur id esse necessum aut iure naturæ, aut iure Gentium. Denique ratio à priori sufficienter ostendit in primis posse id licitè fieri; vnde vlteriùs inferimus, etiam de facto non esse necessariam per se eam conditionem. Porrò id posse fieri patet, quia communitas transferre potuit suum ius in Legislatorẽ, vt ei imperanti iusta & honesta parere cogatur, nec sit necessaria noua acceptatio populi pro eâ obligatione inducendâ; ita eodem iure, eadem æquitate potuit transferre in illum potestatem exigendi ea tributa quæ iusta fuerint, & saltem mediatè in ipsorum subditorum commodum relabuntur, iuxta dicta suprà: ergo ex eo nõ potest talis consensus reputari necessarius, quasi sine illo ex naturâ rei tributa essent iniusta.

Occurritur rationibus.

Explicatur regulâ 29. Iuris in 6.

63. *Lex Hispanica solum Hispaniam obligat: vbi etiam, quando & cur lata sit. In Bohemiâ requiritur consensus Regni pro impositione nouarum contributionum.*

64. *Conclusioni robur additum.*

Confirmatur, quia sæpè Rex cogitur bellum indicere, aut se defendere ab alrero inuadente; si autem nõ posset tunc ipse necessaria tributa pro eo bello indicere, esset procul dubio magna inordinatio: contingere enim posset, vt Regnum ex aliquo sinistro affectu nollet consentire, & tunc Princeps planè esset ruinatus; vnde placet mihi quod dicit P. Suarez circa eam legem Hispaniæ de consensu Procuratorum, scilicet eos, cognitâ causâ iustâ tributi & proportione materiæ ad illam, non posse licitè negare suum consensum, sed omnino teneri in ea tributa consentire; quia ibi non intersunt ad faciendam aliquã gratiam & donationem liberalem Principi, sed ad examinandas causas, & præcauendum ne fiat populo vlla iniustitia: vnde, eo ipso quòd constiterit de iustitiâ & æquitate, non possunt illi resistere.

Placent dicta Suarij iuxta legem Hispanicam.

Disputatio XXIII.

De lege irritante.

INTER odiosas leges annumeratur, & meritò, lex irritans actionum valorem: est enim odiosum homini libertatem eam, quam natura videtur permisisse, constringere, & impedire ne possit pro libitu validè facere quod potuisset, si lex non prohibuisset. De hac ergo lege in præsenti disputatione breuiter agendum erit: de eâ fusè Pater Salas totâ disp. 16. & Suarez lib. 5. à cap. 19. ac Vasquez disput. 163 & duabus sequentibus.

1. *Cur lex sit tam odiosa*

SECTIO I.

An lex irritans sit pœnalis, & obliget in conscientiâ.

CIRCA primam difficultatem valdè inter se contendunt auctores; meo verò iudicio vix potest esse quæstio nisi de solâ voce, de acceptione scilicet *pœna*: quidam enim videntur eã accipere vt denotat præcisè malũ aliquod subditi; quo sensu non dubium eam legem esse pœnalem, quia iam ostendi eam esse odiosam. Alij verò pœnã intelligunt eam, quæ propriè infligitur pro culpâ saltem ciuili: quam particulã vltimam addo, quia superiùs diximus, etiam sine vllo peccato, nec quidem veniali, dummodò coram hominibus sit aliqua culpa, locum habere pœnam. Acceptâ ergo in hac significatione eâ voce, non dubium, quin lex irritans quà talis non sit pœnalis; quia sæpissimè non imponitur per modum pœnæ, seu non supponit vllam prorsus culpam, imò nec actionem vllam hominis liberam. Id quod breuiter declaro.

2. *Dissidium auctorum de voce* pœna

PRIMA CONCLVSIO: Euidens est, multas leges irritãtes non esse vllo prorsus modo pœnales iuxta acceptionem positam pœnæ. Hanc videtur negare aliqui Iuristæ, qui absolutè dicunt omnem legem irritantem esse pœnalem; arbitror tamen, vt dixi, eos solâ voce dissentire: est enim res ipsa tam clara, vt vix cadat in quæstionem: etenim lex irritans matrimonium inter consanguineos ad quartum vsque gradum; lex irritans matrimonium Religiosorum & eorum qui in maioribus Ordinibus sunt, quam, quæso, culpam supponit? aut quomodo eâ de re Doctor vllus dubitare potuit? Idem est de lege irritante contractus ex defectu testium; de irritante contractum minorum, &c.

3. *Quæ multæ leges irritantes non sint pœnales.*

Quænam leges irritantes nullam legem supponant.

Dices fortè, Tales actiones priùs prohibentur, posteà verò in pœnã, quòd homo eas tentare vult, irritantur, ideóque irritationem quà talẽ semper esse pœnalem. Sed contrà, quia id gratis & sine vllo planè fundamento dicitur, vt ostendo euidenter; nam etiam illi, qui optimâ fide planè inuincibiliter ignorantes affinitatem aut consanguinitatem, vel certè ignorantes id esse à lege prohibitum, contrahunt, nullam nec ciuilẽ culpam committunt, & tamen inualidè contrahunt. Contra Secundò, quia minorennes non prohibentur per legem facere contractus, sed liberum licitúmque est illis eam formam contractus

Irritatio non semper est pœna.

Digitized by Google

tractus ponere; & tamen redduntur inhabiles ad validè contrahendum: ergo ea irritatio seu inhabilitatio non est vllo modo pœna.

4. *Leges irritantes cur esse possint aliquando pœnales.*

SECVNDA CONCLVSIO: Aliquando leges irritantes possunt esse pœnales. Ratio huius est euidens, quia potest meritò Iudex illud malum seu illud quasi odium, quod in irritatione reperitur, infligere vt pœnam propter aliquâ culpam præcedentem; vnde etiam infertur, non esse contra rationem legis irritantis, vt etiam simul sit pœnalis. Explicatur id in variis legibus; nam in pœnam adulterorum, qui sibi promittit matrimonium mortuo altero coniuge, aut, quod grauius est, eorum qui eo animo alterum occidunt, irritatur sequens matrimonium. Item Religiosus acceptans electionem ad prælationē sine licentiâ sui Prælati, ob præsumptionem punitur pœnâ cassatæ electionis, vt constat ex cap. *Si Religiosus.* de electione in 6. Idem dicendum erit, quoties in iure ponitur in lege irritante particula aliqua eam punitionem denotans, vt, *In pœnā propter temeritatem irritamus*, &c. quandocumq; verò ea irritatio solùm sequitur, ex eo quòd à iure præscribuntur aliquæ conditiones essentiales ad valorem contractus, vnde fit, vt qui omittit aliquam ex illis, validè non cōtrahat aut donet, &c. tunc lex illa est purè irritans, non verò pœnalis: si inter eas conditiones requisitas ad valorem nulla sit, quæ in carentiâ culpæ fundetur, quasi ideò tantùm ea conditio requiratur, vt si tamen sine culpâ absit, teneat contractus; tunc enim videtur eo ipso ea lex esse ex illâ parte pœnalis.

Ostenditur à variis legibus non repugnare legi irritanti, vt simul sit pœnalis.

Qui sciri possit legem esse irritantem tantùm vel pœnalem simul.

5. *Duos irritandi modos astruit Suarez, eosque declarat exemplis.*

Vbi aduerte, pro præsenti difficultate duos modos irritandi actum assignari à Patre Suario; vnum, quando directè præscribitur forma essentialis actui; vnde sequitur, vt qui eâ caruit sit nullus: alterum, quando prohibetur actus cum verbis irritantibus. Exemplum primi modi ponitur à P. Suario in irritatione matrimonij clandestini factâ à Tridentino, quod præscripsit formam matrimonij, vt scilicet fiat præsente Parocho & duobus testibus. Exemplum secundi est prohibitio matrimonij intra quartum gradum, & Clerici in sacris, Religiosi, &c. Circa hanc distinctionem ego (vt verum fatear) non video cur irritatio clandestini non pertineat ad secundum modum, eadem planè ratione, quâ irritatio matrimonij inter consanguineos: nam sicut hoc prohibetur & irritatur, ita clandestinum prohibetur & irritatur: & sicut ibi requiritur, vt duo sint testes simul cum Parocho, ita vt hac conditione deficiente, desinat esse validum, & sit clandestinum; ita hîc petitur, vt contrahentes sint extra quartum gradum; quòd si non sint, desinat illud esse validū, & sit in gradu prohibito. Quòd enim forma quæ præscribitur sit negatiua aut positiua, per accidens est ad punctum præsens de irritatione indirectâ aut prohibente. Secundò dico, quidquid de exemplis illis sit, eam differentiam esse omnino ad præsentem difficultatem per accidens; nam quòd simul prohibeatur actus vel non prohibeatur, non propterea fit ea irritatio magis minúsve pœnalis, vt per se constat.

Reijcitur eius doctrina hic.

6. *Examinatur secunda sectionis pars. Hic quadrat modi irritādi à Suario præscripti.*

Secunda difficultas, vtrùm eiusmodi leges irritantes obligent in conscientiâ ad non faciendum actus illos sic irritatos, facilis est; & hîc habet locū distinctio Patris Suarez in primâ difficultate posita, scilicet, aliquas esse leges irritantes simul & prohibentes actum, quæ eo ipso obligabunt in conscientiâ ad non ponendum illum actum; alias verò esse, quæ non prohibent, sed tantùm præscribunt conditiones necessarias ad valorem illius: quæ leges per se non obligant in conscientiâ directè ad omittēdum illum actum, sed præcisè, vt non reputetur validus: sic lex præscribens formam, quâ condatur testamentum, nō obligat, ne homo faciat sine illâ formâ: sicut enim potest homo pro suo libitu nullum facere testamentum, ita potest facere, etiamsi sciat fore nullum; talis etiam est lex irritans contractus minorum: non enim propterea illis est illicitum eos facere.

Quanam leges irritantes obligent per se in conscientiâ, & quæ non, ostenditur.

Dixi, eiusmodi secundas leges per se non prohibere actum, nam per accidens aliquando inde sequetur eos actus esse absolutè malos, quia suppositâ nullitate eorum censebuntur moraliter mali: id autem non proueniet ex lege positiuâ, quia supponimus illam non prohibere actionem, sed ex alio naturali principio, quòd scilicet irreuerentia aliqua sit in tali actione inaniter factâ; cuiusmodi sunt actiones sacramentales: est enim irreuerentia magna tentare facere Sacramentum sine conditionibus requisitis: vnde independenter ab hoc puncto de lege humanâ irritante dici solet esse grauissimum peccatum, ad confessionē accedere sine dolore necessario ad eius valorem, item administrare Baptismum sine intentione, aut non in aquâ naturali, sed in aliâ non sufficienti. Ponit etiam P. Suarez exemplum in electione in Canonicum, Episcopum, &c. nō seruatis conditionibus necessarijs: tunc enim ea electio, quia nulla est, inuoluit iniustitiam, ideóque grauiter punitur in Tridentino sess. 25. cap. 6. de regularibus. Ego in hoc exemplo vix video, cur ea electio magis sit contra iustitiam, quàm condere testamentum nullum: vt enim illud testamentum non dabit vllum ius heredi in eo designato, ita neque ea electio dabit ius electo: item, vt ea electio est otiosa, ita & testamentum.

7. *Cur aliqua leges per se non prohibētes actū habeant tamen actum absolutè malē.*

Suarij exemplum parum probat.

8.

Dices: Electus reticendo defectum prætendet ius; & fortè etiam retinebit dignitatem. Sed contrà Primò, quia eodem modo dicere possem de testaméto. Contrà Secundò, quia cùm ea electio debeat approbari visis omnibus circumstantijs, & ante approbationem non acquirat electus vllum ius, nullum est periculum.

Occurritur replica.

Dices Secundò: Ideò ea electio est tunc contra iustitiam, quia illi tenentur eligere, & consequenter debent validè. Sed neque hæc solutio placet, quia fortè ipse defectus essentialis electionis consistit in hoc, quòd fuerit electio facta ante tempus; ergo tunc non peccarunt, quia tenebantur eligere.

9. *Fusius refellitur solutio Suarij.*

Contra Tertiò, quia dummodò non sit iam terminus, intra quem ad electionem obligantur, non peccant, eò quòd neglexerint; nam adhuc habent tempus faciendi electionem aliam validam; ex eâ verò electione nullâ solùm sequitur, quòd otiosè laborauerint: id quod etiam de testamento dici potest: sed quidquid de eo exemplo sit, regula à nobis tradita verissima est; ex eâ sequitur prohiberi omnes illos effectus secutos ex actione illâ alioquin validâ, quique licitè fieri non poterant nisi stante valore eius actionis. V.g. testamentum, quo instituebat heres, nullum est; sanè eo ipso non licet mihi hereditatem adire, quia si non sum factus re ipsâ heres, non habeo dominium vllum aut ius: sine iure autem adire hereditatem est contra præceptum naturale, quia est furtum: sicut si donatio pallij à Petro

Sine iure hereditatem adiens peccat in præceptum naturale.

Digitized by Google

tro facta sit nulla, tunc si vtar pallio tamquam meo, peccabo contra iustitiam.

10. *Secunda regula dignoscendi an lex irritans obliget in conscientiâ; & quando. Invalidantur actiones etiã invincibiliter ignorantium.*

Altera regula est, quando lex ipsa vtitur verbo *Prohibeo, veto, præcipio, ne taliter fiat sine hac aut illâ conditione*, &, *Volo vt sic facta non teneat*, eo ipso non solùm irritare actionem, sed etiam inducere directam obligationem illam non faciendi, ita vt qui eam fecerit & inualidè faciat, & peccet contra legem. In quo puncto aduertendũ est, etiamsi ob ignorantiã inuincibilem vel alio quocumque modo excusetur ille à culpâ, non tamen propterea actionem reddendam validam; quia ad inualiditatem non requiritur culpa ex parte ipsius contrahentis (de quo fusè P. Salas sect. 3.), nisi fortè, vt suprà dixi, ea irritatio ponatur in modum pœnæ ob defectum illum peccaminosè commissum; tunc enim si cesset culpa, actus est validus: quando autem eo modo ponatur, & quando leges simul prohibeant & irritẽt, vel tantùm irritent, non potest à nobis decidi, sed debet id ex ipso contextu colligi. neque in hoc puncto aliquid vllius momenti amplius occurrit dicendum.

SECTIO II.

An irritatio actus, quæ per legem fit, possit aliquando impediri.

11. *Duplex est irritatio actuum, vel facto ipso, vel per sententiam.*

PRO hac difficultate supponendum legem dupliciter irritare posse actum aliquem; vel ipso facto; sicut sæpè ipso facto imponit pœnam excommunicationis ob aliqua delicta; vel vt irritandum per sententiam Iudicis, siue condemnatoriam, siue declaratoriam criminis; quo supposito, certum est eam irritationem non intelligi nisi post sententiam Iudicis, & ante illam validum censeri actum illum, & tunc reum ipsum non obligari ad quidquam, donec à Iudice fiat irritatio. Vbi tamen aduertendum est, hanc irritationem per sententiam non habere locum in actibus illis, qui semel validè facti non possunt posteà reuocari; vt est matrimonium, professio religiosa, &c. debet ergo esse in rebus quæ possint reuocari. Quærimus ergo in præsenti, an aliquando tam prima irritatio ipso facto imposita quàm secunda possit impediri, ne reducatur ad actum; & quia faciliùs secunda difficultas quàm prima expeditur, priùs de secundâ, deinde de primâ breuiter, quantum ad nos spectat, dicendum erit.

Irritatio per sententiam in quibus actibus locum non habeat.

SVBSECTIO I.

Expeditur secunda difficultas.

12. *Iudex seu iustè seu iniustè non irritans actum sinit eũ validum.*

PRIMA CONCLVSIO: Si iudex non irritat actum, siue id faciat iustè, siue iniustè, actus manet validus. Hæc conclusio est communis, & certa ex ipso tenore legis; nam hæc non irritat illum actum nisi intercedente eâ sententiâ Iudicis; ergo si hæc non intercedit, quacumq; tandem de causâ absolutè nõ sequetur irritatio, fateor, legem posse taliter ferri, vt irritare præcipiat actum, addat tamen, quòd si Iudex iniquè id negligat, *Volumus vt ipso facto sit irritus*: quo casu non dubium quin esset irritus, positâ eâ negligentiâ Iudicis. At de facto non fertur taliter vlla lex, de quâ ego sciam; & consequenter conclusio nostra semper habebit locum: vbi aduerto, tunc temporis eum, qui commisit talem actum irritabilem, non teneri ad detegendum defectum, quia lex non obligat ad id, nisi fortè ille defectus sit contra iustitiam alterius: nunc enim non ratione legis positiuæ, sed ratione præcepti naturalis tenebitur damnum reparare, etiamsi de irritatione nihil dicat. V. g. lex dicit, *Ille qui contraxit decipiendo alterum vltra mediam partem pretij puniatur per rescissionem contractus*: si Iudex nihil de eâ enormi læsione sciat, cõtractus manebit validus; at quia, licet occultè, grauiter tamen alterum decepit contra iustitiam, tenebitur ei reddere alteram mediam partem in quâ decepit. eâ autẽ redditâ manebit in conscientiâ tutus, & vti eo contractu poterit tamquam valido, donec à Iudice irritetur; non tenebitur autem detegere illum defectum, quia iam nulla est iniustitia.

Declaratur amplius conclusio.

Hæc doctrina locum habet, siue sententia non feratur, eò quòd actus fuit occultus, vt diximus; siue, quia altera pars, quæ poterat vrgere irritationem, noluit mouere litem. Vbi aduerto, si hæc pars diu negligat intentare litem, posse contra ipsam præscribi, ita vt non liceat illi iam alterum turbare; quantum autem temporis ad eam præscriptionem requiratur, non est huius loci.

13. *Præscribi potest contra negligentem litem intendere.*

Dices: Malæ fidei possessor numquam præscribit; sed ille qui decepit est malæ fidei possessor, ergo numquam contra alterum præscribet. Respondeo, saltem habere locum limitationem positam, (vt à quæstione huius loci non propriã abstraham) quando vterque bonâ fide processit, vel qui læsus est damnum notauit, & tamen dissimulauit: quidquid verò de hoc sit, ad conclusionem redeuntes dicimus habere eam locum, quandocumque, siue sine vllâ causâ siue cum illa, Iudex eam sententiam omittat.

Occurritur obiectioni.

14. *Nota hoc dubium. Quando quis teneatur ad rescissionem sui actus irritabilis etiã ante Iudicis sententiam. Suarij solutio arridet. Qui sit alteri restitutio in specie faciẽda.*

Illud solùm potest circa præcedentem resolutionem in dubium verti, an si ille, qui actum irritabilem fecit, impediat fraude alióve modo, ne alter, cuius interest rescindi contractum, vrgeat apud Iudicem eam rescissionem; an, inquam, talis teneatur ex iustitia rescindere etiam ante sententiam Iudicis. Placet mihi resolutio Patris Suarez cap. 21. num. 6. & 7. vbi docet omnino teneri ad rescissionem, si alter velit; nam qui alterum in materia iustitiæ læsit tenetur ad restitutionem in specie, si potest, sin minùs, alio modo æquiualente: atqui in eo casu supponitur ille iniustè alterum læsisse impediendo ne rescinderetur contractus; ergo cùm possit in specie satisfacere per eius contractus rescissionem, quam iniustè alteri, vt sic dicam, abstulerat, tenebitur restituere reponendo eam rescissionem, si alter velit: si enim hic nolit, & cedat iuri suo, iam tunc ille liberatur ab omni obligatione.

Confirmatur, quia si tertia aliqua persona, quæ non contraxerat, vellet eam, cui fauorabilis esset rescissio, impedire ne eam obtineret, sine dubio obligaretur ex iustitia ad satisfactionem; ergo eodem modo debebit obligari ille qui contraxit, quia nec ex parte sua minùs est iniustus, nec minùs alteri damnum infert, quàm si à tertia persona id veniret; ergo non minùs tenebitur ad restitutionem quàm quilibet alius, qui illud damnum intulisset.

15. *Retunditur replica.*

Dices: Ea irritatio est pœna, sed nemo obligatur ad restituendam pœnam, ad quam condemnandus foret, etiamsi eam impediuerit per iniquam & iniustam tergiuersationem. Respondeo, Licet id verum sit, quando impediendo pœnam nulli tertio fecit iniuriam, non tamen esse verũ, si eam iniuriam fecit; eo enim ipso tenetur ad restitutio

Digitized by Google

stitutionem, non ob pœnã quam fugit, sed quia iniustè impediuit alterum, ne vteretur iure suo. Propter quam causam P. Suarez addit, si ad eam irritationem nullus in particulari ius habeat, sed erat imponendâ purè in pœnam, non teneri ad vllam restitutionem, esto per iniustam viã impediat executionem. V.g. si quis ad aliquod beneficium vacans electus est, cum aliquo tamen defectu sufficiente, vt posset irritari ea electio, non tenetur ad restitutionem, etiamsi per media iniqua se defendat contra aliũ, qui impetrauit ius ad beneficiũ & agebat de irritatione electionis; quia tunc non fecit alteri iniustitiam, sed solùm egit ad excusationem pœnæ, ad quam alter non habebat speciale ius iustitiæ commutatiuæ; quia non propter illius commodum, sed propter vindicationem delicti imposita est ea pœna.

Suarez. exceptio.

16. Ego tamen hanc exceptionem non cẽseo admittendam, quia tantum ius videtur habere ille cui collatum est beneficium, casu quo alter eo spolietur, quàm haberet, si priùs fuisset proprium illius illud beneficium, & in eum, contra quem nunc agit, illud transtulisset cum aliquo defectu sufficienti ad irritationem: etenim ius, quod nũc habet, non fundatur immediatè in iure antiquo, sed in irritabilitate eius donationis; nam hac nõ irritata nullum habet ius: atqui etiã alter, cui de nouo confertur ius ad beneficium, si is qui possidet eo priuetur, habet ius fundatum in ea irritatione possibili, ergo in hoc sunt pares. Deinde, quod dicit P. Suarez iam irritationem non fieri tunc propter commodum eius, cui collatũ est ius beneficij, sed propter vindicationem delicti, etiã eodem modo dici potest respectu alterius, qui anteà habuit ius; nam neque in gratiam illius reuocatur, sed in pœnam delicti.

Ea rejicitur fusius.

Satisfit replicæ.

Dices vtroque titulo irritari. Sed contrà, quia titulus commodi est plànè per accidens; vnde Iudex, qui deprehenderet illum defectum etiamsi alter cederet iuri suo, posset & deberet irritare actum in pœnam, & ne in posterum alijs daretur occasio similes defectus in eis actibus committendi.

17. Confirmo: Si quis haberet capacitatem, vt certaret cum altero de cathedra, beneficio aut dignitate, & impediretur fraudulenter ne certaret, procul dubio ei fieret iniuria, & teneretur ad restitutionem ille qui impediuit; atqui eo ipso, quòd per Iudicem sit reuocabilis electio, reddor ego capax, vt ad eam dignitatem promouear; ergo qui impedit iniustè ne reuocetur, facit mihi iniuriam, & tenetur ad restitutionem. Ratio à priori desumitur ex dictis; nam illa reuocabilitas, licet ob finem legis fiat tantùm in bonum commune, est tamen simul meum bonum; quia meũ bonum est me habere proximam capacitatem eius dignitatis; ergo qui iniustè me impedit, ne ego vtar ea occasione, sine dubio facit mihi iniuriam, & tenebitur ad restitutionem.

Quare impediens alterũ fraudulenter à certatione secum pro cathedrâ tenetur ad restitutionem.

18. Dices: Ergo Parochus, qui validè anteà possidebat beneficium, & posteà commisit delictum, ob quod an posset & deberet à Iudice priuari tali beneficio, peccabit cõtra iustitiam, si neget suũ delictum, ne condemnetur; tenebitúrq; mihi agenti contra illum, spe iam mihi factâ promotionis, ad restitutionem; hoc autem videtur absurdum. Respondeo, Si ille iniquè se defendat, quia reuerà delictum erat publicum, aut falsos pro se testes adducendo, aut Iudicem muneribus corrũpendo, sententiam impediuit, non dubitarẽ, quin mihi faceret iniuriam, & teneretur ad restitutionem: quod mihi ex dictis nõ absurdum, sed valdè consequenter ad veritatem videtur asserendũ: si verò ille iustè se defendit, quatenus non fuit sufficiens probatio delicti, tunc non putarem illum vllo modo teneri; quia ille tunc licitè se defendit, etiamsi per accidens inde in me aliquod sequatur damnum: habet enim ille etiam tunc ius in suam famam, & eo ipso quòd delictum occultum est, etiam in beneficium.

Idem Parochus si ob delictum priuãdus tenetur ad restitutionem, si me impedias in assecutione sui beneficij:

si ei delictum sufficienter non probetur, licitè mihi reſistit.

Hinc vltimò dico, Si nullus est qui agat contra illum, vt beneficium obtineat, sed solùm vt puniatur, tunc, etiamsi iniustè se defendat, & impediat condemnationem, non ideò obligari ad restitutionem, quia neminem contra iustitiam læsit.

19. *An idem Parochus, si contra eum agatur solius pœnæ infligẽdæ gratiâ, et si iniustè resistat condemnationi, ad restitutionẽ teneatur.*

Dices, Illũ læsit, qui habiturus fuisset beneficium, si hic priuaretur. Respondeo, illum nondũ vllum habere ius aut spem, neq; agere contra hunc; ergo non læditur ex iustitiâ ab hoc.

SVBSECTIO II.

Respondetur primo dubio.

20. MAIOR est difficultas circa primum dubium, quando lex ipso facto irritat actionẽ, an possit ea irritatio aliquo modo impediri. In hoc pũcto aliqua sunt certa, alia verò dubia. Primò certum est, si censeatur ea lex actu durare, & nec per reuocationem, aut dispensationem aut epieikiã pro hoc casu retractata, sine dubio actum illum irritari, nec vllo modo posse impediri irritationem: id quod ex terminis est clarũ; nam legem habere vim in hoc casu, & sortiri suũ effectum, idem est; ergo si supponitur lex cum totâ suâ vi hîc & nunc, debebit necessariò admitti hîc & nũc effectus illius seu irritatio, quia lex est causa necessaria, quæ operatur, si habeat omnia requisita ad operationem.

Quãdo actus ille irritetur.

Quædam hîc vt certa prætermittuntur.

21. Secundò certum est, si irritatio sit pœnalis ob culpam in ipsâ actione commissam, tunc illum, qui vel ob ignorantiam, vel aliunde excusatur à culpâ, facere actum validum, vt & paulò antè à nobis est dictum. An verò ignorãtia irritationis, quæ malitiam nõ excusauit, excuset ab irritatione, dictum est suprà; vbi ostendi ignorantiam pœnæ non excusare, per se loquendo: quod quidem in præsenti dicendum etiam censeo.

Quid si irritatio sit pœnalis ob culpam in actione commissã.

22. Tertiò certum est, si lex irritans sit reuocata, aut pro præsenti actione in eâ dispensatum, tunc nihil operari hîc & nunc, sed validè fieri eam actionem: id quod ex terminis est ita clarum, vt non egeat maiori probatione. In eo ergo tota præsentis dubij difficultas consistit, an ob aliquã circumstantiam occurrentem, vel ob metum, vel ob cessionem volũtatis illius, cuius interest, possit lex, quæ alioquin in suo vigore permanet, iudicari hîc & nunc non irritare; siue, quia de Legislatoris voluntate per epieikiam nobis meritò persuademus non voluisse obligare; siue, quia esto voluisset, dicimus non potuisse; quia esset iniquum, talibus occasionibus occurrentibus, velle, vt actus fieret irritus.

Quid si lex irritãs sit reuocata, vel quoad hanc actionem in eâ dispensatum.

Proponitur huius dubij difficultas.

23. Huic difficultati ex dictis suprà de lege in cõmuni respondeo Primò, ob metum aut periculũ vllum non impediri effectum legis irritantis: ibidem autem assignauimus disparitatem inter legem prohibentem & irritantem, cur scilicet illa non obliget metu aut alio graui periculo vrgente; hæc verò ijs non obstantibus semper maneat in suo vigore: terigimúsque grauem objectio

Non impeditur effectus legis irritantis ob metum vllum aut periculũ.

Digitized by Google

iectionem, quæ in contrarium fieri posset.

Secundò dicendum est, neque impediri irritationem, etiamsi quis cedat iuri suo. V.g. lex irritans contractum factũ ex graui metu ordinatur in bonum illius, cui metus incutitur eo fine, vt contrahat, dicimus, etiãsi ille tunc cedat suo iuri, & dicat, se non curare metum, & liberè ac independenter ab eo velle contrahere; nihilominùs contractus manet nullus. Ratio est, quia licet illa lex irritãs lata fuerit in bonum eius, cui incutitur metus, etiam respicit bonum commune, cui per eam cessionem & reualidationẽ actus multum derogaretur; quia in simili occasione difficilè valdè esset disquirere, vtrùm non ad ipsammet cessionem fuerit metu coactus. Deinde, quia ea cassatio fit etiam in odium seu pœnam violẽtiæ; eam autem pœnam non potest priuatus ipse remittere.

25. *Locus Tridẽtini de Nuptijs nobis facit.*

Obijcies: Ante Tridentinum professio facta non expleto anno Nouitiatus fuit cassata; si tamen Nouitius cessisset iuri suo, erat valida: ergo lex irritãs potest impediri, si altera pars, cuius interest, cedat iuri suo. Respondeo, ex hoc eodem loco me probare nostram sententiam; nam post Tridentinum, etiãsi Nouitius cedat iuri suo, professio est inualida: vnde argumentor, Ergo si Legislator absolutè irritet contractum, nihil in cõtrarium operabitur cessio partiũ: etenim si ratio aduersa quidquã probaret, sanè illud, non posse eiusmodi leges irritare cõtractum, si cedat altera pars: atqui id posse fieri constat ex Tridentino sess. 25. de regularibus. Igitur absolutè respondẽdum est, in ptiori lege ante Tridentinum eã irritationẽ non fuisse à Legislatore absolutè impositã, sed casu quo Nouitius non cederet: nullũ antẽ est dubium, quin si ea cõditio à Legislatore requiratur, possit ex defectu illius impediri effectus.

Ante Tridẽtinum nam fuit ea irritatio Nouitios concernens absolutè imposita.

26. *An sustinenda sint iuramenta cõtra leges ciuiles irritantes, cùm licitè impleri possunt.*

Hinc respondetur alteri obiectioni, quæ fieri posset ex nonnullis Canonibus, in quibus dicitur sustinenda esse iuramenta contra leges ciuiles irritantes, quando licitè impleri possunt: ita in c. *Cùm contingat.* de iureiurando, & cap. *Quamuis*, de pactis in 6. Ratio eorum Canonum videtur immediatè pugnare contra conclusionem positam: ea enim est, quòd illæ leges sint in fauorem priuatum, cui vnusquisque renuntiare potest. Dupliciter respondent huic obiectioni nõnulli; Primò, eas leges, contra quas iuramentum præualuit, fuisse purè irritantes, non prohibentes, ideóque fuisse purè in fauorem eorum, quorum actus irritantur; ideóque facilè eos posse illis legibus renuntiare: at in præsenti solùm esse sermonem de lege irritante, & simul prohibente, quam non potest alter suâ cessione impedire; quia efficere non potest, vt alteri non prohibeatur actus, vnde per cessionem partis dicunt nõ impediri eam irritationem. Ego hanc solutionem censeo non esse sufficientẽ: etenim in multis legibus purè irritantibus nihil efficere potest cessio partis, in cuius fauorem irritatio fit; etenim lex irritans contractus minorum & testamenta inualida est purè irritans (vt cum ipso Patre Suario, qui hac solutione vtitur, suprà diximus) & tamen non impeditur irritatio per cessionem testatoris aut minoris: ergo ea distinctio de lege irritante & prohibente nulla est pro præsenti difficultate.

Improbatur quorumdam explicatio dictorum capitum.

27. Secundò respondent, eas leges non fuisse irritantes absolutè, sed sub cõditione, si non cederet iuri suo pars, in cuius fauorẽ irritatur actus. Verùm neq; hæc solutio satisfacit, quia Põtifex ipse cõtrarium potiùs fatetur in eis Canonibus, scilicet eos contractus verè esse nullos iuxta leges ciuiles: si enim solùm sub conditione, quòd non cederet, irritasset actum, vt quid Pontifex ad reuerentiam iuramento debitam recurrisset.

Refutatur & Secunda solutio cerũ.

Respondeter fortè quis Tertiò, Pontifices in eis capitibus restringere in posterum eam irritationem, vt non habeat locum, quando aduenięte iuramento confirmatur. Sed neq; hæc solutio placet omnino; nam etiamsi locum habere posset pro iuramentis & contractibus ab eo tempore factis; at quia in eis capitibus respondetur ad casus iam præteritos, non videtur Pontifex, si supponebatur contractus nullus, illum reualidare nolentibus contrahentibus.

28. *Genuina dictorum capitum explicatio.*

Igitur absolutè respondeo, ibi Pontificem mãdare vt feminæ illæ vi iuramenti obligentur ad non repetendum quidquam, etiamsi ratione cõtractus nõ essent obligatæ: nec enim repugnat, vt contractus nullam induxerit obligationẽ, quam tamen iuramentum inducit: & licet illud iuramẽtum videatur non aliter inducere obligationem, quàm dum cadit supra validum contractum, responderi tamen adhuc potest illud iuramentum esse de re, quam femina licitè poterat facere etiamsi pactum præcedens nullum fuisset; nam, non repetere suam dotem, de quo fuerat iuramẽtum, licitum est. Confirmo autem meam explicationem ex ratione, quam ibidẽ reddit Pontifex, quod scilicet licitè possit seruari id quod promissum erat; ideóque meritò vult eam vim iuramentis tribuere, vt obligent ad rem de quâ fuit pactum, etiamsi hoc inualidum extiterit.

29. *Irritatio multarum legum nec per epieikiam aliquando potest impediri.*

Tertiò dicendum est, nec per epieikiam posse aliquando impediri multarum legum irritationẽ. Ita docet P. Suarez c. 23. Eam ego nõ tam ratione quàm exẽplis probo: difficile enim valdè est reddere rationem, cur epieikia non habeat locũ in ordine ad impediendum obligationem; tamẽ quia, vt diximus agentes de epieikiâ, ea fundatur in mitigatione legis, quæ tamen potuit nõ fieri à Legislatore; si enim dixisset se nolle in nullo omnino casu mitigare rigorẽ legis, certè talis lex non pateretur epieikiã; infero, capacitatem epieikię fundari, vt sic dicã, in liberalitate præsumptâ Legislatoris: vnde sic argumentor, Ergo in manu illius est etiam tollere omnem epieikiam in lege irritante, quia si potest in obligãte, à fortiori poterit in hac; si autem semel potest, rectè inferimus ex cõmuni consensu Doctorum, illum in aliquibus legibus non reliquisse locum pro illâ: id ergo in primis persuadet mihi exemplum matrimonij clandestini; nam omnes ferè Catholici censent, post Concilium Tridentinum non posse vmquam validè contrahi sine Parocho & duobus testibus, neque ad id vllam epieikiam posse iuuare: & idem dico de professione factâ ante expletum annum Nouitiatus.

In quo capacitas epieikia fundetur.

Probatur conclusio exemplo matrimonij clandestini ex Tridentino & professione factâ ante expletũ annum Nouitiatus.

30. *Cur non omnes leges epieikiam patiantur.*

Dixi, *multarum legum irritantium*, quia non volo asserere, nullam planè admittere aliquando epieikiam; cùm enim id, iuxta paulò antè dicta, pendeat ex voluntate Legislatoris, fortasse in aliquibus materijs minoris momenti ita voluit irritare actionem siue præscribendo formã essentialem, siue directè irritando, vt tamen noluerit eam legem in omnibus omnino casibus habere vim, sed permiserit locum benignæ interpretationi. Et per hoc potest facilè responderi ad ea quæ Nauarrus & alij apud Patrem Suarez c. 23. num. 2. obijciunt, ad probandum absolutè, quòd leges irritantes patiantur epieikiam: dicũt enim

Nauarrum apud Suarẽ.

contractum,

Digitized by Google

contractum factũ à Religioso sine licentiâ Prælati, etsi per se non valeat, si tamen cedat in vtilitatem Religionis, sustineri, quia ea irritatio facta est in fauorem Religionis; & non præsumitur irritans voluisse eo casu per irritationem impedire fauorem, cùm potiùs eum per illam quęsierit, id quod vniuersaliter docet Felinus in cap. *Suis.* de testibus n. 1. eádem instantiam ponit Nauarrus in alienatione rei Ecclesiasticæ, non seruatâ forma præscriptâ; quæ tamen sustinetur, si sit in fauorem Ecclesiæ: & P. Molina Tractat. 2. de Iustitiâ disp. 81. §. *Sunt verò.* sentit iuris rigorem moderandum esse aliquando, si non tota solemnitas, sed aliqua parua circumstantia bonâ fide est omissa, seruatâ tamen æquitate naturali. Video P. Suarez respondere, ideò eos contractus reputari validos, quia eorum irritatio non fuit absoluta, sed subintellectâ conditione, *Nisi cedant in fauorẽ ipsius personæ, in cuius gratiam irritantur.*

31. *Legislatoris mens non est in omni euẽtu absolutè irritare.*

Verùm in hac solutione fortè relabitur P. Suarez in eamdem sententiam Nauarri & aliorum; hi enim dicunt eam conditionem intelligi in talibus legibus, quia Legislatoris mens non fuit absolutè irritare in omni euentu, etiãsi verba legis expressè nullam faciant exceptionem; vnde infertur, quod in limitatione conclusionis nostræ diximus, eam epiikiam habere locum in aliquibus legibus, non tamen in omnibus. vnde non infertur illud absurdum de clandestino matrimonio, quia in hac lege non admittimus eam epiikiam, & simul admittimus in iis aliis, in quibus communiter auctores concedunt impediri irritationem.

Quænã leges patiantur epiikiæ m & quæ non.

Quòd si vlteriùs roges, quænam leges patiantur eam epiikiam, quæ non, dico id non posse à nobis decidi, sed considerandum, in quibus casibus soleant Doctores admittere valorem contractus, etiamsi aliqua omissa sit circumstantia alioquin requisita; in quibus verò non. Placet mihi ea regula Nauarri & Felini, scil. quando purè putè contractus irritatur à lege in fauorem alicuius, si hîc & nunc irritatio sit potiùs illi contraria, probabiliter posse credi, non fuisse mentem Legislatoris, vt ibi irritaretur. Dixi, quando purè putè est in fauorem alterius, vt in irritatione contractus facti à minori & à Religioso; nam si ea irritatio habeat etiam alios fines diuersos, tunc fortè non sufficiet, hîc & nunc eam irritationem non esse in fauorem eius personæ; & quòd illa cedat iuri suo.

Placet Nauarri & Felini regula.

Sectio III.

Vtrùm lex irritans fundata in præsumptione sortiatur effectum, quando præsumptio non subsistit.

32. *Sensus quæstionis.*

PRohibetur v. g. contractus minorum; quia, præsumuntur facilè decipi posse: quærimus an hîc & nunc, quando re ipsâ non decipiuntur, contractus ille sit validus. Pro intelligentiâ aduerte, Antonium Gomez in l. 3. Tauri num. 123. Burgos de Paz eadem lege p. 5. n. 149. quos P. Salas refert disp. 16. sect. 7. sequitur verò P. Suarez cap. 24. hos, inquam, docere, nullam talem legem fundari propriè in præsumptione, sed in certâ scientiâ; sentiunt enim eas non fundari in eo, quòd præsumant forè hîc & nunc fraudem, sed in eo, quòd præsumant esse periculum fraudis; licet autem certum non sit fore fraudem, tamen esse periculum illius videtur omnino certum: ergo non fundantur tales leges in præsumptione, sed in certâ scientiâ; vnde inferunt hi, omnes tales leges semper sortiri suum effectum, quem absolutè intendunt; quia semper habent fundamentum cui innituntur, scilicet periculum fraudis: confirmant autem hanc illationem; nam si semel admittatur, eas leges non irritare, quando non est illud malum, quod posset timeri, sequeretur, matrimonium clandestinum factum honestâ ratione aut necessitate esse validum; item professionem ante decimum sextum annum factam, si constet adolescentem esse prudentem, &c. esse validam; eodem modo, si fiat ante annum Nouitiatus expletum, dummodò constet Nouitium in minori tempore fuisse expertum asperitatem regulæ, & ex vtraque parte fuisse seruata omnia iure naturæ necessaria. Hæc autem omnia apertè sunt falsa, ergo dicendum est, semper irritationẽ sequi ex lege, etiamsi in hoc aut illo casu non præsumatur illud malum, quia saltem periculum præsumitur.

Antonius Gomez, Burgos de Paz, Suarez & ali à Salas relati censent nullam legem irritantem in præsumptione fundari, sed in certa scientia.

Robur addit menti suæ.

Ego in hoc puncto primùm censeo, meritò communiter auctores dicere, leges multas fundari in præsumptione; nam etiamsi de periculo loquamur, non de re ipsâ quæ timetur, vt ex Patre Suario explicui, adhuc dico in ipso periculo posse esse præsumptionem: etenim aliquando non solùm non timetur re ipsâ malum illud, sed nec periculum est illius, vt ostendi suprà agens, an similes leges prohibentes aut imperantes obligarent deficiente præsumptione, & nunc in ipsis irritantibus ostendo. Nam si constet certò aliquem quindecim annorum esse longè maioris iudicij quàm sit alius octodecim, sanè non solùm ibi non erit deceptio, sed nec periculum illius. Responderi posset, periculum, quod lex certò supponit, non esse in hoc aut in illo casu particulari, sed vniuersaliter loquendo, seu per se loquendo; semper autem est verum per se loquendo esse periculum, etiamsi hîc & nunc nullum sit. Sed contrà, quia tunc locum habet doctrina cõmunis, seu (vt meliùs dicam) quæstio communis, an, quando lex fundatur in præsumptione, & in casu particulari deficit ea præsumptio, censeatur irritare actum. Meritò enim dicunt auctores, tunc etiã illud ipsum periculum, quod lex timet, deesse in hoc casu; non enim illi voluêre dicere, eò quòd in hoc casu desit, deesse per se. Contrà Secundò, quia lex ideò prohibet vniuersaliter omnes casus, quia vniuersaliter in omnibus illis præsumit periculum, aut certè in pluribus; vnde videtur per epiikiam dare licentiam, vt in eo casu, vbi non est tale periculum, possit actio fieri validè, prout auctores alij dicunt.

33. *Multa leges in præsũptione fundantur In ipso etiam periculo præsumptio esse potest.*

Obuiatur replicæ.

Secundò principaliter in hac quæstione dico, eam vix aut ne vix differre à quæstione præcedẽti, in quâ de epiikiâ disputauimus; etenim, quòd cessante præsumptione modo explicato lex non censeatur obligare, videtur per epiikiam id debere intelligi; quatenus prudenter cogitamus, non voluisse Legislatorẽ tunc temporis obligare: vnde eodem planè modo respondendum, quo præcedenti, censeo, scil. multas leges fundatas in præsumptione irritare semper suos actus, etiamsi præsumptio deficiat in hoc aut illo casu: & talem iudico legem irritantem professionem ante decimum sextum annum ætatis, & ante integrum Nouitiatus; illam aliam verò de irritatione clandestini matrimonij, non iudico esse ad punctum præsens, prout inducitur ab auctoribus: nam

34. *Hæc quæstio ferè eadem est cum priori de epiikia.*

Multa leges in præsũptione fundata semper suos actus irritãt, etsi ea in hoc aut illo casu deficiat.

Digitized by Google

intentum Concilij in irritatione fuit, ne posset in dubium ab illis verti matrimonium: hæc autem impotentia non causatur ex eo, quòd se valdè ambo nunc ament, &c. semper enim possunt mutare voluntatem, & negare valorem matrimonij, videtur ergo in eo casu habere semper locum motiuum Concilij, ideóque ea præsumptio subsistere. Potest tamen vrgeri hoc exemplum sic; nam ad vitandum illud inconueniens in futurum, sufficeret præsentes esse sex vel septem testes, absente tamen Parocho; tunc enim tantam fidem facere illi in posterum possent quàm duo cum Parocho: & tamen neque in hoc casu validum est illud matrimonium; ergo benè ex eâ instantiâ sic inductâ suaderur, aliquam legem irrirantem sortiri suum effectum, etiamsi cesset periculum quod timebat.

Intentū Tridentini in irritatione matrimonij clãdestini.

35. *aliquas pati epiikiam efficaciter probatur.*

Dico *multas*, quia præcedenti difficultate dixi aliquas pati epiikiam; ita & nunc dico aliquas fundatas in præsumptione non obligare cessante præsumptione; quia (vt ostendi paulò antè) hoc est idem, ac aliquas pati epiikiam. Formo autem hoc argumentū meo iudicio efficax pro hac sententiâ: nam certum est, quoad possibilitatem attinet, in voluntate Legislatoris fuisse (vt & suprà agens de epiikiâ notaui) ita irritare actiones propter præsumptum periculum, vt tamen quasi implicitè exciperet casus, in quibus manifestè constaret, nullum omnino tale subesse. Hanc propositionem omnes debent admittere veram esse. Vlteriùs inde infero, Ergo, quòd dicamus, de facto semper irritare, aut è contrario deficiente præsumptione aliquando non irritare, non possumus id ad aliud principium reducere, quàm quòd iudicemus, sic aut sic voluisse de facto Legislatorem ipsum. Vlteriùs suppono in his, quæ pendent à facto ipso & à voluntate actuali Legislatoris, si dubium oriatur circa mentem illius, non posse commodiùs de eâ diuinari, quàm ex communiori Doctorum acceptione & sensu, hic enim est vna ex præcipuis interpretationibus legū: in hac etiam propositione omnes omnino conueniunt.

Suppositæ quædam.

36. *Quando leges in præsūptione fundatæ non inualidēt actus.*

Tertiam pono, scil. communiorem longè esse sensum Doctorum, quòd multæ leges fundatæ in præsumptione non inualidēt actum, quando præsumptio non subsistit: eos auctores refert P. Suarez lib. 3. cap. 22. & Nauarrus in Commentario de Alienatione rerum Ecclesiasticarum c. 16. quibus ipse subscribit: idem tenet Antoninus in cap. *Quia cùm esses.* de testamentis, n. 5. vbi eam dicit esse magis communem Medina Cod. de restitutione, n. 23. Felinus in cap. 1. de constitut. n. 39. cum Panormitano & Glossâ: vnde. P. Salas suprà initio eius sectionis septimæ ait esse axioma Theologis & Iuris peritis valdè vulgare, eas, leges in præsumptione fundatas non habere suū effectum præsumptione non subsistente. Ex his tribus suppositionibus hoc formo argumentum: Id quod pendet ex mente Legislatoris commodissimè intelligitur per communem Doctorum sensum; sed hic communis sensus docet multas leges fundatas in præsūptione non irritare actus, quando præsumptio non subsistit: ergo ita erit dicendum: nec per hanc sententiam incidimus in inconuenientia, quæ P. Suarez & alij obiiciebāt, vt ostensum est. Hanc conclusionem nostram breuiter insinuauit P. Salas fine eius sectionis septimæ.

Nota Theologorum & Iuristarum axioma.

37. *Obiectio Vasquez.*

Obiici in contrarium potest ex P. Vasquez disp. 167. c. 3. Leges hæ non fundantur in præsūptione particularium casuum; quasi censeat Legislator in hoc & illo esse periculum, sed in periculo, quod ordinariè & per se solet esse; hoc autē semper manet, ergo semper obligabunt: quod confirmari inde potest; nam legis ratione in vno aut altero casu cessante, non propterea cessat obligatio legis. Addit ibi P. Vasq. si lex fundaretur in præsumptione huius & illius casus, eaque præsumptio non subsisteret, tunc omnino etiam cessaturam irritationem, quam lex inducit: exemplum ponit ex cap. *Veniens.* 2. & cap. *His qui fidem.* de sponsalibus, vbi Pontifex statuit, sponsalia de futuro transire in matrimonium per copulam carnalem subsecutam; non quia illa sine nouo consensu sufficiat; est enim de ratione matrimonii absolutus consensus de præsenti; sed quia Ecclesia præsumit sponsos in eam copulam conuenire animo matrimoniali: quæ præsumptio non est solùm vt in plurimum, sed pro omnibus omnino casibus; vnde fit, vt si aliquis ad eam copulam accedat sine tali consensu, non contrahat matrimonium quia non habet locum præsumptio Ecclesiæ. Respondeo ex hoc eodem exemplo confirmari potiùs nostram doctrinā: vt enim Pontifex in eo capite etiamsi nihil dicat de præsumptione in omnibus casibus, nec faciat distinctionem illam, quàm P. Vasq. ponit, nihilominùs tamen à Doctoribus explicatur de eâ præsumptione vniuersali, ideoq; eâ deficiente dicitur lex non operari; ita etiam dico in aliis legibus, maximè quæ sunt minoris momenti, etiamsi expresè non dicat Pontifex aut alius Legislator, se fundari in præsumptione vniuersali extendente se ad omnes casus, quia tamen communiter Doctores multas tales leges de eiusmodi præsūptione explicant, meritò nos dicimus in illis animum Legislatoris fuisse non irritare actiones quæ tali periculo carerent, seu in quibus præsumptio non subsistit. Addo, exemplum hoc non videri ad rem nostram, quia in eo, quantumuis Pontifex voluisset, non potuisset efficere, vt illa copula sine vero consensu matrimoniali constitueret matrimoniū: quid ergo mirum, si de facto nō operetur ea decisio, cùm res sit extra potestatem Pontificis; at nos in præsenti versamur in casu, in quo tota res pendet à voluntate Legislatoris volentis vniuersaliter sine vllâ exceptione actus illos irritare, vel certè relinquentis locum alicui epiikiæ, iuxta dicta suprà.

38. *Exēplū Vasq. fauet auctori*

His ergo positis, in formâ sic ad obiectionem respondeo, per eam distinctionem duplicis præsumptionis *vniuersalis* vel *vt plurimum* optimè probari, potuisse Legislatorem per omnes illas leges irritare actiones omnes vniuersaliter sine vllâ exceptione, etiamsi in casu particulari cessaret periculū, vt diximus per aliquas leges de facto fieri: vt per illam quæ irritat professionem ante decimum sextum ætatis annum, & antè expletum annum Nouitiatus; item, quæ matrimonia clandestina annullat; negamus tamen P. Vasq. inde sequi, necessariò debuisse omnes leges fundari in eâ præsumptione *vt plurimum*: dicimus enim ex communi consensu Doctorum constare, in multis talem esse præsumptionem, in qua ita fundantur, vt, cessante periculo omni aut malo, quod timebatur in hoc aut illo casu, non irritetur ibi actus. Ad confirmationem, ex eo quòd cessante fine legis in casu particulari, non propterea cesset etiam in illo obligatio legis, respondeo, in aliquibus legibus ita esse, non verò semper in omnibus. V. g. prohibetur alicui vinum; quia Doctores præsumunt valdè illi esse nociuum,

39. *Respondetur obiectioni facta à Vasq.*

Occurritur eiusdem confirmationi.

si

si postea constet contrarium, potiùs scilicet illi carentiam vini nocere, quis dubitabit, quòd eo ipso censeatur ea prohibitio cessare, quia esse notiuum erat materia prohibitionis: at si prohibebatur illi vinum, ne inebrietur, etiamsi aliquando non timeatur inebriatio, semper prohibetur. Differentia inter vtramque legem ea est, quia ibi ita cessat finis intentus vnicè, vt potiùs contrarium sequatur; vnde non est credendum, nisi aliunde de eâ voluntate constet, Legislatorem, qui ob bonum huius id præcepit, velle obligare, quando illud idem numero bonum, quod intendebat potiùs, impeditur per obligationem illam; in alterâ verò lege ita cessat malum quod timebatur, vt tamen nihil in contrarium sequatur, imò potiùs bonum sit, vt tunc abstineat, eò faciliùs posteà non bibiturus, quando ebrietas timetur.

Vtriusque legis differentia.

Sectio IV.

Vtrùm lex, eo ipso quòd prohibeat aliquem actum, illum etiam irritet.

40. HAc de re P. Suarez à c. 25. vsque ad 30. inclusiuè, P. Vasquez totâ disput. 164. & P. Salas fusè disput. 16. sect. 8. Ego rem puto longè faciliorem, ideò breuiùs illam totam expediam; & in primis suppono vnam doctrinam certam ex fide, de quâ nullus Catholicus dubitare potest, scilicet ex se & ex conceptu suo non esse idem, aliquid esse prohibitum, & esse irritum & inualidum: est enim certum ex fide, Sacerdotem etiam in mortali consecrantem, validè consecrare; & tamen hoc est illi prohibitum etiam iure diuino: idem est de omni aliâ administratione iniustâ Sacramentorum: item Sacerdos degradatus validè consecrat, cùm tamen id sit illi omnino prohibitum. Constat etiam id ex Tridentino, quod, agens de matrimonijs clandestinis ante se initis, definit fuisse valida, etiamsi semper fuerint prohibita, eaque sancta Ecclesia semper fuerit detestata. Item emisso voto simplici castitatis vel cœlibatus, illicitum est matrimonium; si tamen contrahatur, validum est; vt inter Catholicos ex multis Canonibus certò constat. Item cùm Sixtus V. constituisset aliquot impedimenta irritantia professionem, Clemens VIII. prohibuit quidem, ne sub illis fieret professio; declarauit tamen validam fore, si fieret. Denique huius veritatis innumera possunt ex iure Canonico, multa etiam ex ciuili adferri exempla; sed veritas hæc est adeò certa, vt non sit operæ pretium in eà diutiùs hærere: vnde absolutè & directè videtur definita in cap. *Ad Apostolicam.* de regularibus; vbi dicitur, *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent:* ergo lex, eò quòd prohibeat aliquam actionem, non continuò eam irritat: vnde, si quorumdam Iuristarum opinio, quæ ea duo dicit esse idem, intelligatur vniuersaliter in omni materiâ, & quasi per se, non dubitarem illam ob exempla allata dicere esse hæreticam.

De fide est, aliud esse irritum, aliud prohibitum.

Clandestina matrimonia ante Tridentinum fuere prohibita, sed non irrita.

41. Videamus ergo iam, quo sensu posset, retentâ prædictâ veritate, minùs improbabiliter ea doctrina defendi: dicunt ergo quidam: Si lex prohibeat simpliciter, non apponendo pœnam, eo ipso irritare actum prohibitum; si verò apponat pœnam, non irritare. Hæc doctrina sustineri nequaquam potest: Primò, quia si prohibere ex se non dicit irritare; ergo ex eo, quòd prohibeatur aliquid, & nihil amplius addatur, non debet illo modo inferri irritatio: potiùs contrarium erat inferendum. Adde, multa exempla ex suprà positis ostendere contrarium; nam qui emisso voto castitatis contrahit, non habet annexam pœnam; item qui celebrat in mortali, &c. E contrario verò potest esse lex, quæ simul irritet & adijciat pœnam: nam licet ipsa irritatio sit quædam quasi pœna, nihil impedit, quominus possit addi altera; præterquam, quod irritatio nó semper est pœna (vt diximus suprà:) & verò de facto lex irritans matrimonium clandestinum apponit pœnam illud contrahenti.

Refellitur hic quorumdam mens.

Legi irritanti addi potest pœna.

Matrimonium clandestinum apponit pœnam contrahenti.

Secundò alij dicunt, Si causa prohibitionis non sit durabilis, tunc prohibitionem non habere annexam irritationem; si verò perpetua sit, eo ipso irritare. Hanc doctrinam impugnat Suarez & Salas suprà, eò quòd minor ætas est causa temporalis; breui enim decursu temporis finitur; & tamen aliqui actus ex eâ causâ irritantur: vt contractus minorum. Item annus probationis temporalis causa est, & tamen irritat professionē. Hæc tamen exempla non videntur esse contra prædictam sententiam; nam in eis, si attendatur causa prohibitionis, perpetua est: ideò enim contractus minorum prohibetur, quia timetur nociuus minori: hoc autem nocumentum, si contractus validus esset, semper duraret: item Nouitiatus requiritur, vt benè experiatur Religionem, quam totâ vitâ posteà sustinere cogetur: si autem in hoc sit error, sine dubio esset perpetuus si valida esset professio.

42.

Altera sententia à quibusdam inefficaciter reijcitur.

Meliùs ergo reijcitur ex his quæ diximus suprà contrà Patrem Suarez & alios, qui hanc secundam regulam defendunt; nam indecentia, quæ emisso voto castitatis reperitur in contrahendo matrimonio, reperitur in eo, quòd matrimonium duret, quia cogetur semper quasi contra votum reddere debitum; & tamen ibi prohibetur & non irritatur matrimonium: idem est in cognatione, quæ contrahitur ex Catechismo, quæ perpetua est; & tamen lex prohibens matrimonium ratione illius non irritat illud absolutè.

In quo sita sit indecentia, quæ reperitur in contractu matrimonij, emisso antè castitatis voto.

43. Tertia explicatio est, vt lex prohibens tunc censeatur irritare, quando prohibet substantiam actus, non verò quando prohibet solùm aliquam circunstantiam; v. g. quòd fiat tali aut tali loco, tempore, &c. Verùm neque hæc explicatio subsistit. Primò, quia sæpè ob circumstantiam aliquam irritatur totus actus: sic est irrita professio ante expletum Nouitiatum & decimum sextum ætatis annum; & tamen non prohibetur ibi substantia professionis, sed circumstantia temporis. Deinde in exemplis suprà citatis est absoluta prohibitio substantiæ actus: & tamen non est irritatio. Neque sufficit quod addunt aliqui, debere eam regulam intelligi de directâ prohibitione: etenim in exemplo non celebrandi in peccato procul dubio est directa prohibitio; & tamen non irritat actum: idemque in aliis exemplis ostendi potest. Sufficiant quæ sunt suprà allata. Vide Vasquez, Suarez & Salas suprà, qui alia congerunt.

Quando lex prohibens irritare censeatur secundùm alios.

44. Quarta explicatio est, vt intelligatur ea irritatio, quando actus prohibitus non cedit in commodum alterius, qui eius actus causa non fuit. Ita Gregorius Lopez in l. 28. t. 11. p. 5. num. 7. exemplum ponit in Clerico in Sacris, qui prohibetur exercere munus publicum tabellionis;

Quarta aliorum explicatio.

Digitized by Google

si tamen instrumentum condat, valet; ne alij, qui non peccarunt, defraudentur. Meritò & hanc reijciunt citati paulò antè ex eodem exemplo officij tabellionis; nam qui illud exercet non præmisso examine, non conficit validum instrumentum; & tamen tunc esse inualidum, cedit in præiudicium tertij, eodem modo quo in casu à Gregorio Lopez posito: deinde, etiam vbi nullum est præiudicium tertij, sæpè non irritatur actus prohibitus: vt si vir & femina habeant simplex votum castitatis, certè, eò quòd eorum inter se matrimonium impediatur, nullius tertij innocentis detrimentum sequeretur, non tamen propterea irritatur: denique, cùm hic auctor reputet vigere adhuc leg. *Non Dubium.* de quâ infrà, in eâ autem nulla fiat exceptio, debuisset vniuersaliter dicere, in omnibus casibus fieri eam irritationem.

Sæpè non irritatur actus etiam vbi nullum est præiudicium tertij.

45. Quinta sententia docet, Si lex prohibens nullum addat verbum, quo denotet se sustinere adhuc valorem actus, eo ipso irritare; secùs si illud verbum addat. Multò adhuc minùs placet hæc doctrina, quia exempla suprà posita contrarium ostendunt: sunt enim sæpè tales prohibitiones sine vllâ aliâ additione, quæ tamen non irritant; maximè illud de matrimonio clandestino ante Tridentinum. Ratio verò à priori contra hanc sententiam inde desumitur; nam ostensum est suprà *tò prohibere* nullo modo inferre ex se irritationem; ergo si solum ponatur, non illam inferet; imò, vt notaui contra primam sententiam, contrarium deberet inferri, scilicet, si solum sit, non irritare; secùs, si sint aliqua verba quodammodo eam irritationem designantia.

Opinio quinta omnino displicet.

46. Ex dictis ergo concludendum est, verbum *prohibeo* positum in lege nullo modo irritare ex se, nisi vel per aliam legem constet ibi fuisse mentem Legislatoris inualidare actum; vel in ipsamet lege sint talia verba, quæ eam irritationem denotent. Addunt aliqui aliam limitationem, si per eam legem reddatur iniustus non solùm ipse contractus, sed etiam vsus illius; tunc enim eo ipso, inquiunt, contractus censebitur inualidus, quia non potest validè quis obligari ad faciendam rem iniustam. Limitationes hæ satis sunt claræ, nonnihil tamen ampliùs explicabuntur infrà sect. 6. maximè hæc vltima. Circa substantiam verò conclusionis probandam nihil occurrit, præter ea quæ initio præmisi mus; oportet tamen aliquas obiectiones quæ contra illam fieri possunt, expedire, vt sic tota hæc difficultas exhauriatur.

Verbum prohibeo in lege positum ex se non irritat.

SECTIO V.

Examinatur lex, Non dubium. *& aliæ obiectiones.*

47. PRÆCIPVA contra solutionem nostram obiectio desumitur à Iuristis ex lege, *Non dubium.* Cod. de legibus, in quâ Theodosius & Valentinianus expressè dicunt: *Quæcumque prohibentur in iure, etiamsi nihil dicatur de eorum cassatione, nihilominus debere intelligi annullata.* Quam doctrinam extendunt etiam ad nouellas leges. Videtur autem Gregorius Papa, vt habetur in cap. *Imp.* 25. q. 2. eam legem approbasse; concordatque regula 46. Iuris in 6. *Quæ contra ius fiunt haberi debent pro infectis.* Hæc lex vehementer vexauit Iuristas aliquos, & in varias traxit explicationes, quas Vasquez & Suarez suprà reijciunt: non sunt autem valdè è re nostrâ, ideò non iudico in eis diu hærendum; breuissimè tamen illas insinuabo.

Varia explicationes leg. Non dubium.

Prima est, quæ dicit eam legem solùm intelligi irritare actus factos in fraudem legis prohibentis, perinde ac si quis eâ non obligaretur. Ita Ferdinandus de Mendoza apud Vasquez & Salas suprà: cuius fundamentum est, quia initium eius legis tale est, *Non dubium est in legem illum committere, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem:* vbi de fraude intelligendus videtur Imperator. Hæc tamen explicatio reijcitur, quia licet occasione fraudum aliquarum lata sit ea lex, vt etiam conatur probare Mendoza; nihilominus in vltimis verbis legis sic vniuersaliter loquitur Imperator; *Nullum enim pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente:* vbi nihil de câ limitatione fraudulentæ transgressionis: id quod sequentia verba eiusdem legis clarè probant; *Vt Legislatori, quod fieri non vult, tantùm prohibuisse sufficiat, hoc est, vt ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis habeantur; licet Legislator fieri prohibuerit tantùm, nec specialiter dixerit inutile debere esse quod factum est:* vbi sanè nihil de limitatione ad transgressionem ex fraude, cùm in eis vltimis verbis non de transgressione tenêre se ex parte subditi, sed de omni lege prohibente loquatur; ex parte autem legis nihil de fraude.

Reijcitur Mendoza explicatio.

48. Secundò possunt huic legi adhiberi omnes limitationes, quas reiecimus sectione præcedenti de appositione pœnæ, de præiudicio tertij, &c. quæ tamen inde reijciuntur; nam cùm verba huius legis vniuersalia sint, nec quidquam excipiant, nec faciant distinctionem, *vtrum simul cum prohibitione apponatur pœna nec ne; vtrùm actus prohibitus sit in bonum tertij*, &c. apertè infertur, eas limitationes esse contra sensum huius legis, ideóque vel legem omnino reijciendam, vel vniuersaliter dicendum, omnem prohibitionem esse etiam irritationem: vnde obiter noto, quatenus illæ explicationes affirmant per prohibitionem actum illum irritari, esse satis conformes huic legi, & ex eo capite, attento iure ciuili, vbi lex hæc *Non dubium.* viget, esse tolerandas; quâ parte verò negant in alijs casibus non irritari actiones prohibitas, esse contrarias legi huic, ideoque reijciendas. Quam illationem latè Suarez prosequitur cap. 28. eas limitationes fusè iterùm ponderando; mihi autem duobus his verbis paulò antè positis res tota videtur euidentissimè declarata.

Refutantur & aliæ huius legis limitationes.

Quæ tamen secundùm quid huic legi sunt consonæ.

49. Tertiò occurrit explicatio Patris Suarez, qui purat eam legem non irritare ipso facto, neque obligare in conscientiâ, donec per Iudicem declaretur: probat id ex principio generali, quòd pœna etiam ipso facto imposita non incurritur ante sententiam: Secundò magis specialiter ex ipsius legis verbis; nam in eâ Theodosius ait, *locatas res fisci viribus vindicari*; ergo requirit ibi interuentionem Iudicis: deinde addit, *nec conductorem locatori actione teneri*; negat ergo statim actionem irritari: rursus addit, *Nullum talem contractum videri volumus subsecutum inter eos:* vbi *tò videri volumus* ad actum Iudicis refertur: denique quod addit, *Non solùm inutilia, sed pro infectis habeantur*, denotat

Explicat eam legem Suarez.

Digitized by Google

tur in iudicio habenda pro infectis. Quam expositionem probabilem iudicarat Molina Tractatu 2. de Iustitiâ disp. 88. & Mendoza.

Quòd si obiiciatur P. Suario, videri repugnantiam in terminis à lege irritari actionem ipso facto, & tamen expectandam esse sententiam Iudicis; quia si contractus ipso facto est nullus, ergo non transfert dominium, nec dat ius; ergo cõtrahentem non reddit tutum in conscientiâ, respondet, negari non posse eam legem imponere pœnam ipso facto, non tamen obligare, vt illam in se rei ipsi exequatur; ideò ergo docet ipso facto annullari, quia actio illa subiecta est annullationi ab eo pũcto, in quo fit, licet debeat id postea per sententiam declarari; quòd verò ab initio fuerint reuocabilia quæ contra ipsam sunt facta, probat ex ipsis verbis legis, *Huiusmodi facta non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur.*

Suarez facilè sibi replicam dimit.

51. Non est animus hanc explicationem examinare, ob dicenda paulò pòst, sed tamen non censeo omittendam, etiamsi probabilis ea sit; quia nõ video repugnantiam in eo, quòd aliquid prohibeatur ipso facto, & tamen debeat sententiâ Iudicis interuenire; Theodosium nihilominùs in eâ lege planè videri voluisse omnino ante sententiam Iudicis illas actiones irritare censeo longè probabilius. Et in primis probationes P. Suarez nõ sunt efficaces: non prima ex conceptu legis pœnalis desumpta; nam pœnæ eiusmodi, quæ nõ requirunt actionem rei, sed adæquatè ab ipso Iudice infliguntur, vt sunt inhabilitas ad cõtrahendum, inualiditas actionum, &c. connaturalissimè imponuntur ipso facto, eriã non expectatâ sententiâ Iudicis, vt & ipse P. Suarez docuerat suprà: & patet in excommunicatione, in priuatione beneficij, ita vt non faciat fructus suos, in matrimonij clandestini irritatione, &c. Secundò ea verba, quæ ex ipsâ lege adducit, non vrgent, quia licet dicatur, *Videri volumus, habeantur*, &c. non ideò denotat, non fuisse anteà nullas tales actiones; imò propterea vult ab omnibus haberi nullas, quia reuerà nullæ fuerant: vbi ego pondero in lege non dici, *vt annullentur*, &c. quod deberet dici, si ante sententiam fuissent validæ: sed, *vt habeantur nullæ*, quia re ipsâ nullæ sunt: quod item addit, *locatas res fisci iuribus vindicari*, non est valdè ad rem, quia illa iam est pœna distincta à nullitate contractus: aliud enim est non contraxisse validè; aliud verò in pœnam peccati priuari eâ re, de quâ fuit contractus.

Explicatur mens Theodosii in eâ lege. Singula Suarij probationes cõfutantur.

Explicatur ipsa lex.

Iam verò positiuè ostendo, Theodosiũ ibi ipso facto ante sententiã Iudicis annullare eas actiones; ait enim, *Nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente*: ibi enim non dicit, *Nolumus vt continuetur, aut duret contractus*, sed, *vt nullus sit ab initio subsecutus*. Certè id euidenter ostendit, nullum ab initio planè fuisse: id ipsum vltima verba denotant, vbi ait, *prohibitionem eam efficacem esse ad irritandum, ac si Legislator dixisset, Inutile erit*: atqui si dixisset, *Inutile sit*, nõ fuisset necessarium expectare sententiam Iudicis, sed ipso facto nullus fuisset contractus, vt alibi P. Suarez supponit, ergo. Denique vltimò id confirmo, quia si ipso facto non irritasset, sæpissimè non posset postea irritare; quia, vt suprà obseruaui multæ sunt actiones, quæ si semel validè fiant, non possunt deinde irritari; ergo non obtineret Imperator quidquid vniuersaliter per eam legem intendebat.

Ostenditur Theodosium in eâ lege ipso facto annullare eas actiones ante sententiã Iudicis.

Dicendum ergo puto, si lex illa in vigore sit vi illius planè irritari ipsofacto, ita vt à principio nulli sint omnes contractus, qui fiunt lege ciuili prohibente, etiamsi in eâ lege nihil de irritatione dicatur; ita enim ea lex manifestè statuit. Aduertendum tamen Primò eam legem non habere locum in locis non subiectis Imperatori; vt in Hispaniâ, Galliâ, Angliâ, &c, item, eam legem, etiam vbi viget, non extendi ad leges Canonicas prohibentes, quia Imperatoris non est declarare mentem Pontificis aut eius leges extendere vel coarctare. Quod verò obiiciebatur à D. Gregorio acceptata, respondet Pater Suarez Gregorium ibi solùm locutum de lege Imperiali prohibente, ne Monachi testentur: agebat enim de annullatione cuiusdam testamenti ab Abbatissâ facti. Hæc solutio videtur hanc pati difficultatem; nam Monachos & Abbatissam impedire ne validè condant testamentum, non pertinet ad legem Imperatoris, nisi sit per Canones approbata: si autem approbata est, & in confirmationem eius adducitur lex *Non dubium*, iam vrget difficultas suprà posita, quòd scilicet ea lex sit à Pontifice ad Canonicas applicata. Respondeo, eo textu, prout in Decretis positum est, nihil aliud dici, quàm quòd Imperiali constitutione apertè sancitum sit, vt quæ contra leges fiunt sint inutilia: per quæ verba non dicit Pontifex quidquã de legibus Canonicis; sicut nec per hoc fit, vt Ecclesiastici subdantur legibus Imperatoris: cumque ea regula coincidat cum alterâ 46 ex regulis Iuris in 6. *Quæ contra ius fiunt, debent pro infectu haberi*, vnicâ responsione vtrique satisfit, Respondent nonnulli intelligendas esse de his quæ fiunt contra legem tantem formam substantialem actus. Ita P. Sanchez lib. 3. de Matrimonio disp. 5. nu. 4. Quod non placet P. Suario, quia in eâ regulâ nihil de tali limitatione, ideò ipse vniuersaliter eam regulam intelligit, vt omnia quæ fiunt contra ius sint infecta suo modo: si cõtra ius irritans, erunt irrita; si contra ius prohibens, erunt illicita. Sed mihi hæc explicatio multò minùs placet, quia, quis vmquam homicidium, eò quòd sit illicitè factum, dixit, *habendum pro infecto?* & idem est de matrimonio irrito post votum castitatis: non enim potest in proprio sensu dici illud haberi prò infecto, etiamsi habeatur pro illicito. Ratio verò est, quia *rò infectum* plus longè dicit quàm prohibitum. Putarem, eam legem intelligendam de iure irritante; nam licet ibi non fiat ea limitatio, colligitur tamen manifestè ex aliis Canonibus, in quibus sæpè dicitur prohibitionem secundùm se consideratam non irritare; ergo iuxta eam doctrinam debet hæc regula limitari.

Quid sentiendum de eâ lege.

In quibus locis ea lex non obliget; & quousque extendat.

Explicatur D. Gregorij mens.

52. *An ea lex à Pontifice sit Canonicis adiecta.*

Quî sint duæ regulæ Iuris intelligendæ.

Sanchez interpretatio Suario displicet.

Refellitur Suarij explicatio.

53. Secundò principaliter contra conclusionem nostram obiicitur: Voluntas inferioris non potest esse efficax contra altioris voluntatem; ergo non potest subditus facere validè quod Superior prohibet. Respondeo, Si velit Superior vt non fiat validè, concedimus totum; at si Superior permittit valorem, etiamsi prohibeat ne licitè fiat, non prævalet voluntas inferioris; quia in puncto valoris non resistit Superior.

An subditus validè possit facere quod Superior prohibet.

Tertiò obiicitur: Actio peccaminosa nõ potest alicui afferre fructum, ergo actio facta contra ius prohibens non potest esse valida seu fructuosa. Respondeo negando antecedens; si enim id permittit Legislator, procul dubio potest eam vtilitatem habere.

Actio peccaminosa potest alicui esse fructuosa si id permittat Legislator.

Quartò obiicitur: Lex naturalis prohibendo 54.

Digitized by Google

actum facit illum inualidum, v. g. matrimonium inter fratres: itē leges Canonicæ prohibendo matrimonia inter certos gradus consanguinitatis & affinitatis ea faciūt inualida; ergo prohibitio sola irritat actum. Respondeo in primis negando antecedens; nam iure naturæ multa prohibentur, quæ nō irritantur, v.g. vendere aliquid vllo modo cariùs quàm valeat; non tamen ideò illa venditio est nulla. Similiter etiam lex naturalis prohibet matrimonium post votum castitatis; & tamen non irritat: & in aliis exēplis id posset ostendi. Secundò posset ex P. Suario responderi, Si in continuatione actionis sit eadem indecentia, quę in primo fieri illius, tunc legem naturalem, quæ prohibet actionem, etiam eam irritare: hanc tamen solutionem ex paulò antè posito exēplo de matrimonio post votū simplex castitatis videor efficaciter reiicere, vt alibi dixi. Meliùs ergo respondetur, legem naturalem, sicut aliqua proponit vt mala, & hoc vocamus prohibitionem illorum, ita etiam aliqua non solùm vt illicitè, sed etiam vt inualidè facta proponere; ea autem dicimus non solùm prohiberi, sed irritari lege naturæ: quæ autem illa sint, & vnde id debeat cognosci, non est huius loci.

Ius naturæ multa prohibet quæ non irritat.

Lex naturalis aliqua & illicita reddit & inualida.

Ad alteram instantiam ex aliquibus legibus Canonicis facilè respondeo, in eis, si irritantes etiam sint, addi talia verba, quæ id ostendant; vel certè ex aliis legibus diuersis colligi, mentem Legislatoris in eis fuisse absolutè irritare: quando autem nec ex verbis, nec ex aliâ lege quidquā infertur, tunc prohibitio non extenditur ad irritationem.

SECTIO VI.

Vnde possit colligi legem prohibentem velle etiam simul irritare.

55. IAm oportet eas limitationes, quas suprà posuimus, explicare, vt sciamus, quando prohibitio habeat etiam annexā irritationē non vi prohibitionis; quia hoc iā est reiectum suprà, sed ratione alterius circūstātiæ in ea lege concurrentis.

SVBSECTIO I.

Communes regulæ examinantur.

Quando irritatio non ipso facto, sed per sententiā Iudicis irritetur; & viceversim.

IN primis (vt diximus suprà) si lex ipsa vltra verbum *prohibeo* dicat *irritamus, inualidamus*, &c. res est extra controuersiam: vt verò dignoscatur, an ea irritatio inducatur ipso facto, an verò per sententiam Iudicis, attendenda etiam sunt verba legis: si enim in eâ dicatur, *Mandamus irritari, annullari, inualidari*, &c. tunc ea irritatio non inducitur ipso facto, sed necessariò sententia Iudicis est attendenda, considerandaque item est materia: nam si actus sit talis, vt semel factus non possit posteà annullari, vt matrimoniū & professio religiosa, tunc licet lex non dicat *ipso facto*, quia tamen si id non præstat tunc, deinceps nihil poterit operari, dicendum erit eam ipso facto irritare. Quòd si lex dicat *Irritamus ipso facto*, putant aliqui etiam tunc distinguendum: si enim est irritatio pœnalis, censent eam non incurri ipso facto, sed post sententiam Iudicis, nisi alia verba sint quæ id magis declarent; vel etiam nisi (vt antè diximus) materia sit talis, quæ si ab initio non inualidatur, posteà non potest; si verò non sit irritatio pœnalis, putant statim incurri. Hoc secundum mihi placet: in primo habeo aliquam difficultatem, quia *ipso facto* ex se denotat inualiditatem præsentem; & aliunde, quòd sit pœna, non obest (vt suprà in aliquibus irritationibus diximus:) nam cùm hæc pœna non requirat vllam actionem ipsius rei, non est cur expectetur ea sententia. Quæ doctrina maximè locum habet, quando, esto sit pœnalis irritatio, est tamen simul in bonū Reipublicæ, ne scilicet tales actus sic fiant: vt in contractu inito per metum cadentem in constantem virum patet; qui sine dubio ante omnem sententiam Iudicis est nullus. Quæ diximus, casu quo lex ipsa prohibens contineat verba irritantia, intelligenda sunt eodem modo, si per aliam legem reflexam dicatur in eâ contineri irritationem. In quo puncto nulla est noua difficultas, quia pro præsenti quæstione idē omnino est, quòd vna lege vel quòd duabus id dicatur.

Alis audiri

Contractus metu graui initus ante omnē Iudicis sententiam est nullus.

Altera limitatio est, quam nonnulli ponunt, quando per legem non solùm prohibetur cōtractus, sed etiam vsus illius redditur illicitus; quia non potest intelligi obligatio valida ad actū illicitum. Hæc tamen limitationis ratio nihil valet: nam per votum potest quis sibi facere illicitū omnem vsum pallij v.g. & tamen non propterea amittit dominium eius; ergo, etiāsi lex prohibeat contractum & vsum illius, non ideò inferre licet, non acquiri per illum actum verum dominium. Clariùs id ostendo in materiâ iustitiæ: nam Religiosus Societatis IESV non professus, qui est capax ad habēdum dominium, etiamsi ratione voti non possit licitè dominium acquirere, & illo vti, tamen validè illud acquirit. Ratio à priori est, quia potest aliquid validè acquiri intra virtutem iustitiæ, etiamsi in alia virtute sit illicitum. Vnde ad argumentum dico, *Nemo potest validè acquirere ius ad actū iniustum*: distinguo; *Non potest in eâ virtute acquirere ius in quâ actus est iniustus*, concedo; *non potest in aliâ virtute*, nego. Explico: Si intra materiam religionis actus est malus, non poterit intra eam virtutem acquirere ius ad talē actum; at optimè poterit in materiâ iustitiæ acquirere ius ad actum malum in materiâ temperantiæ aut religionis; ergo ea limitatio non est vniuersaliter vera.

56. *Secunda harum legum limitatio refutatur.*

Religiosus Societatis IESV non professus est capax dominij, & validè id acquirit; licet eius vsus illi sit illicitus. Ostenditur qui possit aliquis acquirere ius ad actum iniustum.

Aliud indiciū irritationis in lege prohibente nonnulli admittunt, quando scil. nō solùm actus prohibetur, sed etiam obligatio quæ ex actu nascitur: tunc enim ipsa etiam obligatio erit mala; obligatio autem mala non potest esse valida. Colligi autem potest ea prohibitio obligationis, vel quia ipsa verba legis id testantur, & tunc nullum erit dubium; vel quando motiuum seu ratio legis æquè respicit effectum actus quàm ipsum actum: tunc enim æquè prohibetur ipse effectus. V.g. lex prohibens apponere pœnam sponsalibus habet pro motiuo, vt matrimonia sint libera: vnde talis lex non solùm negat actionem ciuilem ad talem pœnam extorquendam, sed etiam impedit absolutè, ne vlla obligatio ad pœnam ex tali contractu nascatur; quia ipsa etiam obligatio obstaret libertati matrimonij. Ita P. Suarez suprà num. 8.

57. *Aliud quorundam indicium.*

Ego tamen circa hanc doctrinam censeo, si lex dicat, *Nolumus vt sit talis obligatio*, omnino irritari actum, quia alioquin ea verba nihil planè efficerent, si actu non impedirent obligationem: nam obligatio, vt quid ab actu ipso distinctum, non potest prohiberi propriè, quia non est actio libera

58. *Lex dicens Nolumus esse talē obligationem penitus irritat actum.*

Digitized by Google

libera subdiu; ergo si lex vult eam non esse, vult irritando, non verò prohibendo: vnde hæc limitatio non est ex hoc capite ad rem, quia ea iam est expressa irritatio, & reducitur ad primam limitationem suprà positam; si verò in lege nihil de eâ obligatione dicatur, censeo, etiamsi eadem ratio malitiæ sit in effectu actus, quæ in ipso actu, non propterea sequi actum irritari, sed vtrumque reddi illicitum: id quod ex dictis paulò antè contra præcedentem limitationem colligitur sufficienter. Ratio verò à priori est, quia potest Legislator prohibere actum ipsum non quidem intra virtutem iustitiæ faciendo illum irritum, sed intra aliam virtutem; ita etiam potest eodem modo effectum illius actus prohibere non intra virtutem iustitiæ, sed intra virtutem religionis, aut alterius diuersæ, tunc autem, esto motiuum prohibendi non solùm reperiatur in ipso actu, sed in effectu illius, & consequenter vtrumque prohibeatur, non propterea sequitur, quòd actus irritetur; nam ad hoc deberet etiam effectus illius fieri prohibitus intra virtutem iustitiæ: cuius optimum exemplum est, quod iam retigimus ex Religioso Societatis Iesv non professo, cui prohibetur vi voti non solùm acquirere dominium, sed etiam effectus seu vsus illius: & tamen non propterea cassatur ea acceptatio dominij Quoad hoc autem punctum etiam ex mente ipsius P. Suarez benè discutitur à voto ad legem. Confirmo id adhuc fortiùs: nam qui votum habet castitatis prohibetur accipere vxorem; non quia immediatè votum aduersetur valori contractus matrimonialis, sed propter ipsum matrimonij vsum: vbi locum habet à fortiori quod Suarez dicit, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: si ergo matrimonium sub voto prohibetur propter effectum matrimonij, ergo à fortiori prohibetur ille effectus; & tamen non ideò irritatur matrimonium: ergo ea regula generalis non est bona. Ad illam instantiam ex lege, de non apponendâ pœna sponsalibus, respondeo, si in eâ lege nihil dicatur de prohibitione obligationis soluendi, aut si non negetur actio ciuilis ad eam extorquendâ, non irritari obligationem, iuxta doctrinam à nobis traditam; si verò aliquid simile addatur, iam ex verbis legis inferri irritationé non ex malitiâ aut prohibitione effectus secuti ex tali actu; ergo ea limitatio non est admittenda.

Quid si in lege nihil dicatur de eâ obligatione.

Quid requiratur ad irritationem actus alicuius.

59. *Suarij discursus à voto ad legē bonus est. Cur voto castitatis adstrictus vetetur vxorem ducere.*

Explicatur lex de nō apponendâ pœnâ sponsalibus.

Svbsectio II.

Quas regulas eâ de re tradat P. Vasquez.

60. QVi eâ disp. 164. cap. 3. quatuor vel quinque assignat regulas, ex quibus putat dignoscendum, an lex solùm prohibeat & simul inualidet actus, etiamsi nihil dicat expressè eâ de re.

Prima est, quando lex prohibet solùm aliquas circumstantias actus, non verò substantiam, tunc non inualidare. Hæc tamen regula non est ad rem, quia etiamsi lex substantiam actus prohibeat, non ideò inualidat illum, vt dictum est suprà.

Lex substantiam actus prohibens non ideò eum inualidat.

Secunda regula est, quando lex prohibet aliquibus personis actum aliquē intuitu religionis, auaritiæ aut liberalitatis, alteriúsve virtutis distinctę à iustitiâ, non inualidat illum; & tales putat esse leges, quibus personæ in Sacris prohibentur, ne exerceant quædā officia & negotiationes sæculares: ea enim prohibitio non fit nisi intuitu religionis, aut certè causâ remouendi auaritiæ effectum. Hæc etiam regula, quâ parte dicit eas leges prohibentes non irritare, verissima, est, quia vt diximus, prohibere præcisè non est irritare; vt sic autem non est exceptio à regulâ generali; quatenus verò in eâ insinuatur omne id, quod prohibetur intuitu virtutis iustitiæ, etiam irritari, nullo modo placet: nam venditio vltra iustum pretium prohibetur intuitu iustitiæ, & tamen non irritatur. Secundò eadem regula optimè reiicitur à P. Suario; nā ei, qui promisit alicui feminæ matrimonium, prohibetur, ne aliam ducat ratione iustitiæ, ne fiat contra iustitiam eius cui promisit; & tamen matrimonium validum est; ergo ea regula non subsistit.

Hæc regula veræ est inadequatæ.

Non omne, quod prohibetur intuitu iustitiæ, irritatur.

Suarez benè refutat Vasquez.

Tertia est, quando lex prohibet contractum non simpliciter, sed assignando pretium iustum: & nihilominùs fit vltra illud pretium: tunc enim non irritatur. Hæc etiam doctrina vera est, continetur tamē in regula generali à nobis assignatâ, quòd sola prohibitio non irritet. Occasione huius regulæ tractat hîc fusè Vasq. quomodo, qui vendit rem cariùs vltra iustum pretium, etiam mediâ ex parte, faciat suam totam pecuniam, & non solam mediam partem; sed hoc est extra punctum præsens; vnde licet aliquid ibi doceat, quod mihi difficile videtur, omitto illius examē, quia non est ad rem nostram. 61.

Hæc regula continetur in generali nostrâ.

Quarta regula est, quando lex prohibet certo generi personarum aliquam actionem, assignans alium legitimum actorem eius actionis, tunc eam prohibitionem habere vim irritationis, vt leges, quæ assignant certum genus personarum, quæ testari possunt; sic prodigus & minor prohibentur contrahere, alienare, &c. Hæc regula mihi non placet, quia totam quantam difficultatem relinquit intactam; etenim *tò legitimus minister* habet sensum æquiuocum: *legitimus*, id est *capax*; *legitimus*, id est, *qui licitè possit*: sicut lex prohibens, ne Sacerdos excommunicatus celebret, prohibet ei generi personarum celebrationem, vt assignet ministrum legitimum, qui licitè possit; at per hoc non inualidat eam celebrationem: & idem de prohibitione matrimonij in eo qui habet votum simplex castitatis: nam etiam prohibet matrimonium certo generi personarum, vt legitimos contrahentes assignet; & tamen non irritat illud matrimonium. idem in innumeris aliis exemplis ostendi potest. Quòd si in eâ regulâ dicat Vasquez se loqui de ministro legitimo, id est, qui solus validè efficiat eam actionem, tunc ea regula nihil declarabit; quia per illam nihil aliud dicetur, quàm legem, quæ dixerit, *Hic non poterit validè talem actionem exercere*, seu, *Hic non erit validus minister talis actionis*, irritare actionem illius: quod quidem verissimum est; at non est regula vlla distincta à communi & per se notâ, quòd scilicet, quando lex expressè dixerit se irritare, tunc verè irritet.

Hæc regula difficultatem non soluit.

Probatur id instantijs manifestis.

Occurritur replicæ Vasq.

Quinta regula P. Vasq. est quando lex præscribit certum numerum testium pro formâ contractus vel alienationis, etiamsi solùm prohibeat contractum aliter factum, neque addat decretum irritans, re ipsâ tamen irritare; quia solemnitas illa additur pro formâ legitimâ contrahendi; deficiente autem formâ legitimâ deficit contractus. Hæc regula tradita etiam fuit à nonnullis Iuristis, quos refert P. Suarez cap. 31. n. 1. fundaturque in illo principio iuridico, *Ex formâ non seruatâ resultat nullitas actus*; ideò in l. *Iulia*. §. 62.

Nota principium Iuridicum.

Digitized by Google

Si quis. ff. ad exhibendum, dicitur, *Quia effectus formæ propè substantiam rei destruit.*

63. *Hanc reiicit Suarez, sed malè.*

Hanc regulam absolutè prolatam non esse veram benè docet P. Suarez ibi à nu. 2. vtitur tamen hoc argumento quod mihi non placet: Forma rei aliquando est accidentalis, cuius mutatio non destruit essentiam. Dico *non placet*, quia licet admittamus formas accidentales & substantiales; tamen quando absolutè dicimus, *Forma hominis, forma leonis*, &c. semper notamus formam substantialem; vnde, quando dicimus, *Forma contractus*, videmus denotare substantialem. Melius mihi videtur regula reiici eodem omnino modo quo præcedens: quod enim dixi de ministro legitimo, applicari potest ad formam legitimam: forma enim legitima & quasi essentialis intelligi potest forma necessaria, vt actus sit licitus; potest etiam intelligi forma necessaria & substantialis, vt sit validus: ergo ex eo, quòd lex prohibeat actum sub aliâ formâ, nisi aliquid amplius addat, ostendendo formam à se præscriptam esse necessariam ad valorem, non inferretur per eam legem inualidari talem contractum aut actionem: id quod patet in Bullâ quadam Sixti Quinti, qui præscribit modum & circumstantias sub quibus debet professio fieri, vt licita & valida sit: Clemens autem Octauus, retentâ prohibitione, voluit etiam sine eis validè illam fieri. Ecce ea Bulla Clementis præscribit certam formam legitimæ professionis vt licita sit, non tamen legitimæ, vt valida sit; ergo præscribere formam, & prohibere contrarium, non denotat irritationem, quando expressè in ipsâ lege de eâ irritatione nihil dicitur, aut aliunde non infertur.

Bifariàm sumi potest forma necessaria & substantialis contractus.

Quid requirat Pius V. ad professionẽ licitam simul & validam. Quid Clemẽs VIII. statuerit.

SVBSECTIO. III.

Examinantur limitationes aliquæ eius vltimæ regulæ.

64. *Iuristarũ hic criticus Suarez.*

VT hanc regulam Iuristæ nonnulli defendant, addunt aliquas limitationes, quas benè examinat P. Suarez eo citato capite: & nos breuiter perstringemus. Vna est, quando forma præscripta per legem continet æquitatem naturalem, tunc per eius omissionem reddit actum nullum: verùm in vocabulo *æquitas naturalis* latet æquiuocatio duplex: vna, quam P. Suarez tangit, quia æquitas naturalis potest sumi pro æquitate naturali necessariâ ad valorem actus: & in hoc sensu vera est regula: & tunc non irritabitur actus ratione legis positiuæ, sed ratione legis naturalis, quam positiua declarat: potest item sumi pro æquitate conducente moraliter, vt seruentur ea quę necessaria sunt ad eum valorem. In hoc autẽ sensu non est certa ea regula; nam licet id sit magnum indicium, quòd lex voluerit eam formam ponere vt essentialẽ, non est tamen omnino certum; quod ego sic ostendo: Sicut, non obstante eâ vtilitate seu conducentiâ eius conditionis, potuit lex positiua nihil dicere de eâ formâ, ita potuit eã imperare vt necessariâ pro actu licitè faciẽdo, non tamen requirere pro eodem validè. Et in his terminis includitur altera æquiuocatio eius vocis; quam ego inuenio, quia etiam intra ordinem ab ipsamet naturâ præscriptum independenter ab vllâ lege positiuâ datur æquitas omnino necessaria ad valorem; & datur æquitas omnino necessaria, vt res licitè fiat: etenim si deceptio aliqua in pretio v.g. intercedat etiam independenter ab omni lege positiuâ, non seruatur æquitas naturalis simpliciter necessaria, vt actus licitè fiat, seruatur tamen ea quæ sufficit vt validè: idẽ est, si quis contrahat cum aliquâ post promissionem alteri factam, aut post votum simplex castitatis, &c. ergo ex eâ voce *æquitas naturalis* nihil in præsenti deducitur.

Prima Iuristarum limitatio æquiuocatione laborat.

Altera eiusdẽ æquiuocatio ibidem ab auctore reper. ff.

Secunda limitatio est, vt tunc lex præscribens formam & nihil dicens de irritatione, censeatur irritare, quando forma præscripta est talis cui renuntiare contrahens non possit; nam eo ipso erit aliquid essentiale: etenim essentiæ sunt omnino immutabiles. Hanc breuissimè sic impugno; nam vel loquitur de renuntiatione, ita vt licitè sine illâ formâ fieri non possit actio; & tunc falsa est regula, quia, vt ex dictis huc vsq; constat, multa sunt necessaria vt res licitè fiat, quibusq; homo renuntiare non potest; & tamen non sunt necessaria, vt validè fiat: non enim est in potestate partium contrahentium renuntiare illis requisitis, quia coguntur seruare eam formã, vt licitè actionem perficiant: quam quidem formam si non seruauerint, peccabunt quidem, sed tamen validè illam perficient; sic, vt contrahat quis matrimonium, licitè non debet habere votum castitatis, nec potest ipse contrahens renuntiare ei impedimento; & tamen validè contrahit, ergo. Quòd si ideò loquatur ea regula de renũtiatione, quæ nõ potest stare manente valore actionis, tunc non est ad rem, quia ibi iam supponitur eam formam esse essentialem ad valorem: si autem essentialis sit, haud dubiè sine illâ non stabit contractus; at id non potest per hanc limitationem dignosci. 65.

Secunda aut falsitatis aut impertinẽtiæ conuincitur.

Tertia limitatio est, vt tunc lex præscribens formam censeatur eam constituere vt necessariã ad valorem, quando ipsa lex instituit de nouo eum actum: si enim inueniat institutum, & addat formam, non videtur eam requirere vt essentialem. Meritò dicit Suarez hanc regulam vniuersaliter non esse veram, quia etiam forma accidentalis potest simul incipere cum actu: id quod à simili ex physicis ostendo; nam homo v.g. non solùm incipit secundùm essentialia, sed secundùm dispositiones & ornatum, quæ sint illi absolutè accidentalia & in moralibus id ostendit Suarez in mixione aquæ cum vino, quæ incœpit cum institutione Sacrificij, etiamsi ea mixtio accidentalis est: sed ne fortè aliquis de eo exemplo dubiter, certum est in Religionibus maximè incœpisse multas actiones non solùm cum requisitis essentialibus, sed etiam cum accidentalibus; vt in professione, quæ cum diuersis cæremoniis Primò instituta est à Fundatore Religionis; & tamen non fuêre illæ omnes cæremoniæ essentiales. Idem est in electionibus Ecclesiasticis, religiosis & sæcularibus: non enim omnes cæremoniæ, quæ ab initio institutæ sunt, debent censeri essentiales & ad valorẽ eius actionis omnino requisitæ: è contrario etiã sæpè pro actu, qui priùs erat institutus, additur forma quæ sit substantialis: id quod ostendit P. Suarez ex formâ datâ à Tridentino pro matrimoniis & ex anno approbationis; quia iam necessariò debet esse expletus vt professio sit valida. Ego non puto hæc exempla esse ad rem, quia in his legibus, vbi ea forma præscribitur, additur expressè non valere actionem sine eâ formâ factam. Auctores autem eius regulæ nullo modo negant, quando lex ipsa in formâ additâ antiquo actui addit, *eam esse necessariam ad valorem*; non, inquam, negant id sufficere, 66.

Tertia non est vniuersaliter vera. Probat id è rebus physicis & moralibus.

Non omnes cæremoniæ primitus institutæ censentur essentiales ad valorem actionis.

Auctor excusat mentem fouentiũ hãc regulam.

Digitized by Google

sufficere, vt non censeatur validus actus sine eâ formâ; sed loquuntur casu quo in lege nihil declaratur: ergo exempla allata non sunt ad rẽ.

67. *Suarez ostendit modum defendendi hanc regulam.*

Hanc Tertiam limitationem sic putat idem P. Suarez posse defendi, quando ille qui præscribit formam simul dat potestatem ad faciendũ illum actum: quæ potestas anteà non erat: vt v. g. Pontifex dat alicui potestatem ad expediẽdum aliquod negotium, dicitque illi, *Tali & tali modo illud expedies*, videtur eo ipso denotare, eam formam esse essentialem. Id quod confirmatur ex cap. *Cùm dilecta.* de rescriptis, vbi hæc habet Pontifex, *Propter quod processum illorum contra nostram formam rescripti ac iuris ordinem attentatum irritum decernimus.* Non dubito hanc limitationem esse probabilissimam, non tamen crediderim omnino esse infallibilẽ: quod exemplis paulò antè allatis ostendo, etiam illo ipso de aquæ mixtione à Christo tradito: tunc enim dedit eis Primò potestatem consecrandi, & simul mandauit vt miscerent aquam; non tamen ideò illam mixtionem requisiuit essentialiter: item tunc temporis etiam illis apposuit conditionem in gratia accedendi; & tamen non ideò ea fuit essentialis conditio ad valorem consecrationis. Responderi potest Christum ipsum id eis explicuisse distinctè, ideóque inde nullum argumentum desumi. Verùm si hæc solutio hîc habet locum, etiam habet contra regulam præcedentem; & tamen ibi eam instantiam bonam reputauit P. Suarez. Abstrahamus ergo ab hac instantia, & ponamus eam in ipsis professionibus Religiosorum: dum enim illæ institutæ sunt à Fundatore, simul idem Fundator dedit potestatem alijs inferioribus eas professiones acceptandi: & tamen non omnes cæremoniæ, quas præscribit Legislator, sunt de substantia valoris: & eodem modo etiam dicerem de his quæ præscribit Pontifex Legato suo; non enim omnia præscribit vt essentialia.

Non est tamen infallibilis.

Non omnia ut essentialia quæ Papa Legato suo præscribit.

Putarem ergo eam limitationem ita intelligendam, vt si res præscripta pro formâ tunc temporis sit alicuius momenti in se, & videatur valdè iuuare ad æquitatem naturalem requisitam; censeatur illam præscribere vt omnino necessariam, secùs si res sit parui momenti: ideò ex hac & primâ limitationẽ simul sumptis fortè fieret vna, quæ vtcumque sustineri posset.

68. *Qui fit intelligẽda tertia limitatio.*

Quarta limitatio est, vt quando lex post formam positam addit, *Et aliter fieri non possit*, vel, *Non potest aliter*, vel, *Nemo possit aliter*, eo ipso requirat illam formam tamquam essentialem, quandoquidem dicit, *sine ea non posse esse actum*; si enim validus esse posset sine eâ, ergo absolutè sine eâ potest esse: cuius oppositum supponit ibi Legislator. Hæc limitatio valdè communis est, patitur tamen difficultatem satis grauem; nam verbum *non potest* sæpissimè & frequentissimè vsurpatur etiam in rebus moralibus pro impotentia faciendi licitè, etiamsi sit potentia faciendi validè: sic passim dicimus, *Non possum exire ex Collegio sine licentiâ*, id est licitè; *Non possum celebrare sine paramentis, sine patenâ, sine calice*, &c. Vnde solet dici, Id simpliciter non possumus, quod licitè non possumus. Aliunde, quia *τὸ non*, quæ est negatiua particula, videtur totum destruere, quod verbum, suprà quod cadit, significat; & verbum denotat potentiam ad validè faciendum actum, eam etiam videtur negare *τὸ nemo possit*: vnde omnino puto verba ea esse ex se satis dubia, nisi aliunde de intentione Legislatoris constet; & cùm irritatio sit actus odiosus, satis probabiliter dicitur, ex eo solo verbo *non possit* simpliciter posito non colligi inualiditatem actus. Benè autem obseruat P. Suarez, si tota potestas ad eiusmodi actum conceditur à Legislatore, tunc faciliùs *τὸ non possit* irritare valorem; quia videtur tunc ipse Legislator aliter facienti negare potentiam, quam illi concesserat: si verò potentia iam anteà supponebatur in subdito, & tunc additur illa forma, non est necessum eam excluiuam, *Aliter non possit*, intelligere de impotentiâ ad valorem, sed ad licitè contrahendum vel donandum, &c. Video posse dici, impotentiam, ne aliter licitè fiat, iam fuisse declaratam, dum dicitur, *Mandamus taliter fieri*: ergo dum additur, *Nec aliter fieri possit*, nouum aliquid præcipitur; ergo etiam valor actionis tunc impeditur. Probabile hoc (ideò nostram resolutionem solùm dixi probabiliorem) non tamen vrget; quia ad maiorem obligationem in conscientiâ solent addi ea verba, *Aliter fieri non possit.*

Obseruatio Suarij bona.

Adhuc tamen circa hanc eamdem regulam dubitari potest, an si in eâ lege præscribente formam ponantur verba expressè irritantia actionẽ sine illâ formâ factam, necessum sit, vt semper tunc ea lex sortiatur effectum, & irritetur actio. Nonnulli enim Iuristæ censent, quando ea forma, quæ præscribitur, est ante factam actionem, vt cùm certus numerus testium ad valorem contractus requiritur, tunc, si sine eâ formâ fiat actio, eam esse inualidam semper; quando verò lex supponit factam actionem, & id quod per modũ formæ requirit, est quasi ad continuationem eius actionis, vt cùm dicit, *Contractus factus manifestetur tali aut tali*; vel cùm mandat vt ex re venditâ soluatur aliqua gabella, alioquin venditio sit nulla, dicunt non irritari actionem in fieri ex defectu eius conditionis, cùm iam illa supponatur facta validè, sed poni per modum pœnæ irritationem eius in futurum: quæ irritatio tunc non sortitur effectum, donec per iudicem declaretur. Doctrina hæc videtur omnino bona, nec maiori eget probatione.

69. *Nouum dubium oboritur.*

SECTIO VII.

Aliqua dubia de lege irritante expediuntur.

PRIMVM est, an ea irritatio statim habeat suũ effectum. Dubiũ hoc tetigi superiùs, dixique, si lex addat *ipso facto*, siue ea sit pœnalis, siue non statim incurri: quod cùm hîc doceat P. Suarez cap. 23. num. 5. miror, quòd ex ratione pœnæ intulerit suprà explicando legem Theodosij, *Non dubium*, eam irritationem non incurri ipso facto: sed de hoc dixi suprà satis.

70. *An lex irritans statim obliget & quando.*

Secundum dubium est, an leges ciuiles imponentes formam essentialem & irritantes obligẽt etiam in conscientia, an verò solùm in foro ciuili & externo. Respõdeo, Cùm Legislator habeat vim etiam in conscientiâ obligãdi per has leges, non minùs quàm per alias prohibentes aut imperantes, & verba illa irritantia absolutè ex se significent veram & propriam irritationem, probabilius longè esse, absolutè ita irritare, vt nullo modo neque in cõscientiâ sit valida ea actio, nisi fortè aliud colligatur ex verbis legis: quando enim solùm leges negãt actionem in foro externo, tunc videtur certũ, quòd in foro interno seu in foro conscientiæ non irritent contractum. Vbi aduertendum est, posse contingere, quòd lex irritet

An lex ciuilis imponens formam essentialem & irritans obliget etiam in conscientia.

71.

Digitized by Google

Duplex via aliquid alteri testamento donandi.

irritet actum aliquem, non tamen propterea impediat translationem dominij. v. g. qui testatur potest duobus modis alteri res suas donare; vno modo per testamentum, altero per nudam suam volitionem: hinc fieri videtur, vt licet testamentum per legem omnino irritetur ipso facto, ideoque ex eo capite, qui constituitur heres, nullum acquirat ius in bona defuncti, adhuc tamen locus sit ad dubitandum, vtrùm, si heredi illi constet de sincerâ voluntate testatoris donandi sibi eam hereditatem, possit illam adire vi illius voluntatis donatiuæ. Multi affirmant in eo casu verè illi licere; ego tamen plenè puto non esse licitum: nam quodammodò videretur esse tunc illa lex inutilis, si, eum effectum nõ haberet: nam de voluntate testatoris potest aliunde sufficiens haberi certitudo, vt iure naturæ donatio esset valida: ergo si lex permitteret tunc relicto titulo testamenti recurrere ad titulum voluntatis condẽtis testamentum, relinqueret heredi totum quod vellet; non enim ille multùm esset tunc solicitus, quo titulo eam hereditatem adiret, dum per veram donationem fuisset in ipsum translatum dominium; ergo maximè ibi voluit voluntatem ipsam cassare, vt non haberet effectum: vnde à fortiori approbo quod docet P. Suarez hîc num. 7. in eo casu licere alteri, qui est heres ab intestato, mouere litem instituto heredi, vt per sententiam Iudicis remoueatur ab hereditate, & sibi applicetur: quam si obtineat, tutè in conscientia, retinet, quia hoc minimùm illi concedit lex.

Vi solius voluntatis donatiuæ testatoris, si lex aliena obstet, non licet hereditatem adire.

Suarij doctrina placet.

72. *An liceat aliquid auferre de formâ præscriptâ vt substantiali ad valorẽ actus.*

Tertium dubium est, esto concedatur aliqua forma præscripta vt substantialis ad valorẽ actus, an liceat aliquid ex illa auferre. Affirmat vterque Ludouicus Molina; noster quidem Tractatu 2. de Iustitia disp. 81. alter verò lege 2. Primog. cap. 6. num. 53. & refertur à nostro, qui etiam alios addit pro se: videtur autem huic doctrinæ fauere illud principium commune, *Parum pro nihilo reputatur*. Nihilominùs censeo, si expressè constet ipsam formam constitutam esse vt essentialem, omnino totam illam essentialem esse. pono exẽplum: Legislator dicit, *Sint octo testes, alioquin contractus non valeat*: si deberemus rem independenter ab ea lege considerare, certè quòd ex eo numero deesset vnus, parum in se videretur, tamen in ordine ad Legislatorem multum est, quia ille non solùm requisiuit numerum aliquem magnum testium, sed præfixit certum & determinatum; is autem certus & determinatus, octauus v. g. planè desinit esse, si vel vnicus desit: quod eodem modo dicendum est, etiamsi numerus esset millesimus. Confirmo id exemplo meo iudicio satis efficaci: Lex præscribens formam electioni Pontificis requirit, vt conueniant in vnam personam duæ partes suffragiorum: pone v. g. esse 70. Cardinales eligentes, lex dicit, *Debent in vnum conuenire* 47. *vota*: certè pro tanto numero exigua pars & moraliter ferè nihil est, si desit vnum suffragium, sinteque præcisè 46. & tamen eo ipso electio non esset valida: ergo non debet in ijs formis quidquam adimi, etiamsi videatur parum; nam id, quo dempto non habet locũ Legislatoris voluntas, absolutè multum est. Optima etiam huius conclusionis à posteriori confirmatio inde desumitur; nam si semel aliquid posset auferri retento valore, & deberet relinqui arbitrio prudentum iudicare, quis esset notabilis defectus, quis leuis, res planè esset exposita grauissimis inconuenientibus; quia quod vnus putaret parum, alter diceret multum, & nunquam esset certitudo vlla de valore aut nullitate contractuum.

Non semper parum pro nihilo reputatur.

73. *Quando lex irritans incipiat operari suum effectum, & qui in hoc differat ab obligante.*

Quartum dubium est, quando lex irritans incipiat operari suum effectum: est autem in hac lege præ obligante diuersitas magna: etenim obligatio in conscientia re ipsa non potest incipere, quousque mihi constet de lege, aut saltem incipiam dubitare de illa; at irritatio, quia non pendet à volitione subditorum, potest incipere etiam antequam veniat ad aures illorum. Ex quo capite non dubito, Legislatorem, si velit, posse à momento legis conditæ, etiam ante omnem promulgationem, irritare actus aliquos subditorum: de facto tamen nunquam ita operatur, sed semper requirit aliquam promulgationem. Hoc supposito quæri potest, quæ promulgatio de facto requiratur. De legibus ciuilibus diximus suprà, vbi semel aliquid etiam de Canonicis insinuauimus: diximus enim post factam promulgationem in Curiâ Principum sufficere duos menses, quia & hi ad obligationem per se sufficiunt: in Canonicis multi censent id non requiri, sed sufficere promulgationem factam Romæ. Ita Ioannes Andreæ, Glossa, Turrecremata, Ioannes Staphilus, Nauarrus, Sotus, Siluester & Rosella, quos refert Pater Salas ea disp. 16. sect. 11. & P. Suarez cap. 33. num. 5. probant hi auctores suam sententiam ex cap. *Dudum*. cap. *Si postquam*. cap. *Cùm singula*. de præbendis in 6. in quibus insinuatur Pontifices ita velle.

Lex irritans de facto requirit sui promulgationem.

Quandonam leges quæ ciuiles, quæ Canonica post promulgationem obligent.

74.

Dicendum tamen videtur Primò, si lex Pontificia dicat, *Volumus vt ex nunc irritentur, aut non valeant actus*, tunc eo ipso irritari sine noua mora temporis; & hoc damus prædictæ sententiæ; si verò nihil dicat, quod tamen rarò contingit in legibus Canonicis, semper enim solent simul explicare tempus, à quo volunt vt valeant tam citra montes quàm vltra, standum tunc esse iuri communi; quod videtur requirere duos menses. Neque enim capita ab his in contrarium citata vrgent, quia in eis insinuatur, aliquando sufficere quod Romæ eiusmodi leges promulgentur; non tamen vniuersaliter definitur omnes leges Canonicas statim ab ea promulgatione Romana vbique obligare.

Explicantur cap. Dudum. *cap.* Si postquam *& cap.* Cùm singula *de præbendis in 6.*

75. *Quãdo actiones à legibus irritentur.*

Vbi aduertendũ Primò, si elapso tempore necessario ad irritationis effectum aliqui bona fide fecerunt tales actiones, teneri, posteà cùm constiterit de irritatione, ad eas renouandas sub debita forma, vel si id nolint præstare, eas actiones reputandas pro infectis.

Secundò aduertendum, ante tempus necessariũ ad irritandum non esse in potestate subditorum, vt irritentur tales actiones, etiamsi ipsi hoc modo secum discurrant; *Lex irritans talem actionem iam est lata, volumus ergo, etiamsi nobis concedat duos menses, statim tamen nos illi accommodare, & iudicare eam actionem nullam*: aduertendum, inquam, id nihil prodesse, quia cùm Legislator noluerit ante illud tempus irritare, perinde est eum condidisse eam legem duobus illis mensibus antè, ac si non cõdidisset; si autem non cõdidisset, fine dubio illa volitio subditorũ nullius esset momenti, ergo etiam tũc erit inutilis. Ratio à priori, quia nõ est in potestate subditi inualidare actionẽ, nisi fortè ipsemet nõ ponat volitionẽ aut aliquid aliud iure naturæ vel ratione aliarũ priorũ legũ iã obligãtium omnino necessarium ad eius actionis valorẽ; eo enim ipso sine dubio erit irrita actio, non tamen vi huius legis de qua agimus, sed vi alterius prioris naturalis aut positiuæ.

Vi plurium legum aliquid irritari potest.

SECTIO

Digitized by Google

Sectio VIII.

An lex imponens pœnam contra facientem actionem comprehendat eos qui eam faciunt inualidam.

76. Quæstio hæc videtur pertinere ad disputationem de lege pœnali; quia tamen hîc tractatur de actionibus inualidis vi legis irritantis, potest etiam hîc commodè discuti: quærimus ergo, an quando lex aliqua dicit, *Sacerdos* v.g. *excommunicatus qui absoluerit incurrat irregularitatem*, si ille absoluat, inualidè tamen, incurrat eam excommunicationem. Ratio dubitandi est, quia illa absolutio inualida re ipsâ non est absolutio: ergo non comprehenditur sub eâ voce sub quâ imposita est pœna.

Status quæstionis.

Subsectio I.

Quæ certa sunt præmittuntur, & declaratur status quæstionis.

77. In hac quæstione aliqua sunt certa; vnum vel alterum dubium. Primò certum est, si lex ipsa imponens pœnâ pro attentantibus talem actum supponat illum actum esse inualidum, tunc non posse requiri ad incurrendam eam pœnam, quod ille actus sit validus; alioquin illa lex nihil penitus operaretur.

Quædã certa sũt quædam verò dubia

Explico: Imponitur pœna pro rebaptizantibus; iam supponit Ecclesia secundum Baptismum necessariò esse nullum, ergo non potest requirere ad incurrendam eam pœnam, vt Baptismus ille sit validus, seu, vt rebaptizatio sit valida; id enim esset in terminis repugnans. Idem est in lege imponente pœnam Religioso iam professo matrimonium contrahenti; certum enim est, legem supponere illud matrimonium non posse esse validum, quia repugnat professioni; ergo non requiritur ad hoc, vt Religiosus incurrat pœnam, illum facere validum matrimonium.

Explicatur prima suppositio certa.

Religiosus incurrit pœnã contrahens matrimoniũ, etsi nõ faciat illud validũ.

Obiicies: In lege *Ea quidem.* Cod. *Si mancipium.* dicitur, Si quis vendidisset seruum sub conditione, vt non posset ei libertas concedi, adiectâ pœnâ contra vendentem, licet posteà dominus vendat, non tenebit venditio, & vendens non incurret pœnam; eò quòd licet attentauerit vendere, re tamen ipsâ non verè vendidit; ergo etiâsi lex irritet actum, & simul ponat pœnam, non incurretur hæc per actum inualidum. Ob hanc legem videntur nonnulli contrarium nostræ resolutioni positæ sentire: verùm in primis si ea lex modo ab his auctoribus tradito explicetur, quî, quæso, eam vendicare poterunt à notâ inutilis & ridiculæ? etenim si ea pœna incurri non potest, ergo planè inutiliter fuit ibi imposita. Absolutè respondeo cum P. Suario ibi non agi de lege annullante venditionẽ, sed de priuato pacto, quod non videbatur annullare venditionẽ; ideò enim imposuit pœnã contra vendentem; quia verò lex loquẽs de illopacto voluit vt vẽditio nulla esset, simul abstulit pœnam, quam videbat in pacto impositam contra venditionem re ipsa validam, etiamsi iniustam.

78.

Explicatur l. Ea quidem. Cod. Si mancipium.

Secundò certum est, actum tentatum contra legem prohibentem, siue validus sit, siue non, esse dignum pœna, nisi fortè ignorantia excuset. Ratio est, quia ille actus est rationi contrarius, ergo.

79. *Actus contra legẽ tentatus, siue sit validus siue non, pœna dignus est, ni obstet ignorantia.*

Tertiò certum, est, sæpè non incurri pœnas legis pro actu tentato, si re ipsa non sit consummatus: sic qui iaculatur in Clericum, noscens illum esse talem, eodem modo peccat, si casu erret, quo si tangat & occidat; in ordine tamen ad excommunicationem & irregularitatem contrahendam necessum est vt re ipsâ tangat & occidat: sic è contrario, qui exteriùs negat fidem ob metum tormentorum, si tamen animo eam non abneget, non incurrit pœnam hæretici aut apostatæ. Ratio à priori est, quia lex non dicit, *Ille qui tentauerit occidere*, sed, *Qui occiderit*; item non dicit, *Qui exteriùs negauerit fidem*, sed *Qui errorem suum exteriùs professus fuerit, puniatur tali aut tali pœnâ*; ergo non debet censeri vi legis dignus eâ pœnâ, nisi re ipsâ actum illum perfecerit.

Pro actu tentato, sed ipsâ non consũmato, sæpè nõ incurritur pœna legis.

80. Quartò videtur satis certum multas leges, quę puniunt actum attentatum, non habere locum, quando actus re ipsa validus est: id quod deduco ex eadem ratione præcedentis suppositionis: v.g. lex prohibet sub certa pœna rebaptizate, si contingat, vt aliquis putans se rebaptizare, re tamen ipsa non rebaptizet, quia ille, quem credebat priùs baptizatum, verè non fuerat baptizatus; vnde ibi non fuit re ipsa rebaptismus; in hoc casu dico non incurri pœnas legis, quia tunc non est id quod lex requirit: etenim lex solùm dicit *vt rebaptizans puniatur*; at hic non rebaptizat, ergo non comprehenditur sub lege: idem est, si quis putans adhuc viuere priorem vxorem, nouam accipiat; si tamen re ipsa prior non viuit, non incurrit pœnas, quia lex solùm dicit, *Qui viuente priore vxore*, non dicit, *Qui putans eam viuere*: si enim hoc diceret, tunc puniretur, etsi re ipsa mortua esset. Hæc, attento sensu legis, quæ cùm pœnalis sit, non debet extendi vltra id quod verba dicunt, certa videntur.

Multa leges actũ attentatũ punientes non habẽt locũ cùm actus re ipsâ est validus.

81. Illud dubium, an si contingat vt actus, quem lex punire intẽdit, sit nullus ex alio capite diuerso ab eo quod lex supponit, sit tamen dignus pœna in lege præscripta. V. g. lex prohibens rebaptizationem supponit Baptismum illum esse nullum, eo præcisè quòd non potest secundò validè conferri; an verò sit nullus, eò quòd fiat cũ aqua rosacea, aut quòd ipse qui rebaptizatur, interiùs non habeat intentionem suscipiendi Baptismi, etiamsi exteriùs dicat se illam habere, hoc, inquã, non supponitur ab ea lege. Idem est in Religioso professo, cui prohibetur contrahere matrimonium; supponit enim lex illud matrimonium esse nullum ratione professionis; an verò etiam sit nullum, eò quòd sit cum consanguinea intra gradum irritantem, idque ignoretur à Religioso, omnino est per accidens ad eam legem: quærimus ergo, an in tali casu Religiosus matrimonium exteriùs contrahens cũ consanguinea, quã ignorauit esse talem, incurrat pœnas impositas Religioso matrimonium contrahenti; & an rebaptizans cum aqua rosacea incurrat pœnas rebaptizantis.

An, si actus quẽ lex punire cogitat, sit nullus ex alio capite quàm lex supponat, sit dignus pœna lege præscriptâ.

Declaratur id exemplis.

Subsectio II.

Quid in hoc dubio dicendum.

82. In hoc dubio dicendum putarem, si ille re ipsa non habet intentionem rebaptizandi aut contrahendi matrimonium, non incurrere eas pœnas, quia tunc reuerà non intentat illum actum, sed

Non habens intentionẽ rebaptizandi aut contrahẽdi matrimoniũ nõ incurrit pœnas illas.

Digitized by Google

sed fingit se tentare; lex autem non punit eum qui fingit illum actum, sed qui seriò illum tentat. In hac resolutione nullam video difficultatem vllius momenti. Dices tamen; Omnis qui rebaptizat, si non sit hæreticus, certò scit se non posse facere validum Baptismum: similiter Religiosus professus scit se non posse facere validum matrimonium, quia habet impedimentum essentiale; ergo tunc non potest habere animum serium rebaptizandi, aut contrahendi, quia nemo potest seriò velle facere id, quod scit esse impossibile; & tamen certum est eos posse incurrere pœnas rebaptizantis & contrahentis matrimonium; ergo ad incurrendas has pœnas sufficit voluntas etiam non seria rebaptizandi, alioquin nullus nisi hæreticus eas pœnas incurreret. Respondeo, etiam illum, qui scit Baptismum non posse validè secundò conferri, posse habere animum hunc serium, *Volo efficere quantum est in me ad rebaptizandum*; & in tali casu dico illum incurrere eas pœnas; posse etiam è contrario dicere, *Et scio non posse validè fieri, & nec volo iam efficere quantum possem, sedioco vel fictè id facio*: in hoc ergo secundo casu dixi eum non incurrere pœnas rebaptizanti impositas.

Quando rebaptizans incurrat pœnas rebaptizatorum.

83. Secundò dico, Si ille vult quantum est ex se facere Baptismum, etiamsi aliunde sit aliud impedimentum, nihilominùs incurrit pœnas rebaptizatoris. Hæc est contra P. Suarez eo cap. 34. num. 10. meo tamen iudicio est euidens ob duas rationes; à priori vnam, alteram à posteriori: à priori, quia in præsenti non imponitur à lege pœna ob illum actum validum, quia iam Ecclesia supponit non posse esse validum, ergo solùm imponitur pœna ob attentatum exteriùs animo serio actum illum contra impedimentum essentiale. ac si dixisset lex, *Istum punio, quia cùm sciret validè non posse id fieri, nihilominùs quantum est in se conatus est illud validè efficere.* vbi liceat sic dicere: Videtur Ecclesia in eo homine præsumpsisse aliquod hæresis initium aut saltem dubitationem, scilicet, quòd illud impedimentum non esset essentiale: ex quo capite potest etiam sufficiens ratio reddi, cur ea pœna non comprehendat illum, qui non serio animo efficit eam actionem; ille enim eo ipso est liber ab omni præsumptione hæresis aut dubij circa fidem: hinc igitur argumentor: Ille qui serio animo tentat illud matrimonium, etiamsi sciat validè illud non posse confici, seriò tamen quantum est ex se cupit illud conficere contra ea impedimenta; ergo habet quidquid lex requirit ad incurrendam pœnam temerè attentantis actum illum: id quod verum est, etiamsi sint mille alia impedimenta: imò quò plura sunt talia incurrit maiorem suspicionem in materiâ fidei; quia si tentando seriò contra vnum impedimentum, ostendit se dubitare, an illud sit irritans, multò magis id ostendet tentando id ipsum contra duo impedimenta. Quæ ratio locum habet, si ipsi constet de eo alio impedimento; habet verò etiam vim, licet illi non constet; quia tunc illud impedimentum ignoratum saltem non minuet præsumptionem & temeritatem in eo puncto. Hinc breuiter sic formo argumentum: Pœna est imposita, eò quòd tentat seriò cõtra impedimentum essentiale; sed esto sint duo vel tria, non desinit tentare contra impedimentum essentiale; imò, si ei de illis aliis constet, magis tentat: ergo nullo modo per hoc excusabitur à pœnâ, quin potiùs grauiorem videbitur incurrere.

Ratio à priori conclusionis.

Cur rebaptizator, etsi inualidè agat, puniatur.

84. *Tentans matrimoniũ contrahere, sciêsque se illud validè non posse conficere incurrit pœnas.*

Dices cum P. Suarez eam pœnam ideò esse impositam, quia seriò tentauit Baptismum; & si illud impedimentum non esset re ipsâ, illum validè conferret: hoc autem non habet locum, quãdo aliud est impedimentum, quia tunc re ipsâ non conferret illum validè, esto non intercederet primum impedimentum. Respondeo, in hac obiectione planè videri diuinari circa mentem Legislatoris sine fundamento desumpto ex verbis legis aut ex motiuo Legislatoris, aut ex ratione ipsâ; imò contrarium planè ex omnibus his tribus capitibus videtur dicendum: quod sic ostendo meo iudicio manifestè; in primis verò, quòd in verbis legis non sit fundamentum: patet, quia in illis nihil dicitur de eâ conditionali, *Quod* scilicet *validè efficeret, si non esset hoc impedimentum*; sed præcisè lex dicit, *Contra seriò tentantem matrimonium, impedimento hoc essentiali supposito, talis pœna imponitur*: atqui totum hoc est in nostro casu, ergo. Deinde, gratis omnino dici, quòd ad eam conditionalem Legislator attenderit, patet: etenim (vt ad aliud propositum, agentes scilicet de meritis sub conditione futuris, dicere solemus) nemo punitur ob id quod faceret, si hæc aut illa conditionalis esset, sed ob id, quod de facto hîc & nunc efficit; multò autem minùs quis punitur ob id, quòd aliunde fieret: ergo qui attentat seriò matrimonium non punitur, quia validè contraheret, si non esset hoc impedimentum, sed quia habet serium animum contrahendi contra hoc impedimentum. Imò addo, ex hac conditionali potiùs (vt dixi) iuuari reum quàm damnari; nam illa conditionalis, *Quod validè contraheret, si impedimentum hoc non esset*, mala non est, imò bona & melior quàm altera, *Quòd non contraheret, etiamsi hoc impedimentum non esset*; ergo per eam nullo modo accusatur, sed potiùs magis excusatur.

85. *Obiectio Suarij diuinatoria.*

Nemo punitur ob facta conditionata, sed absoluta.

Cur intendis contrahere matrimoniũ, quod scis non posse esse validum punitur.

Quòd item ea solutio non sit iuxta motiuum pœnæ impositæ, manifestè apparet; nam motiuũ est audacia seriò exteriùs præsumendi contra impedimentum essentiale: atqui hæc tota reperitur, etiamsi aliunde sint alia impedimenta; imò si sint ei nota, tunc inde audacia crescit & præsumptio erroris in fide; ergo ex eo capite non excusatur, sed potiùs magis incusatur.

86. *Motiuũ legis pœnam infligentis.*

Denique, quòd in ratione ipsâ non sit fundamentum ad eam conditionalem, patet: quia culpa, quæ solet esse vnica ratio pœnæ, eadem est, imò fortè in nostro casu grauior, ergo.

Culpa est vnica pœnæ ratio.

Dices: Lex hæc est pœnalis, ergo non debet extendi ob paritatem rationis. Respondeo concedendo totum: at ego eam non extendo, sed solùm dico non esse coarctanda verba absoluta per cõditionales, quæ non subintelliguntur vllo modo in eâ lege: & nec faciunt ad minuendam irreuerentiam, culpam, suspicionem hæresis, &c. sed potiùs ea omnia augent.

77. *Ratio à posteriori conclusionis.*

Secunda ratio à posteriori, quâ idem efficaciter ostendo, ea est; nam ex aduersâ doctrinâ sequitur, hominem, qui seriò tentaret matrimoniũ, v. g. contra omnia impedimenta essentialia, non incursurum vllam omnino pœnam in legibus impositam contra tentantes seriò matrimonium contra quodlibet ex illis impedimentis seorsim sumptis: hoc autem nemo non iudicabit absurdum; & quidem ipsemet Pater Suarez suprà citatus concedit, Religiosum attentantem matrimonium cum eâ, quæ re ipsâ est consanguinea, incurrere pœnas impositas contra contrahentem cum consanguineâ; & tamen ibi aliunde est impedimen

Suarius suo se petit acinace hic.

Digitized by Google

pedimentum. Sequelam ergo probo manifestè, & suppono Religiosum, qui ex consensu vxoris post matrimonium consummatum Religionem professus est, vxore etiam facta moniali: quo casu adhuc manet matrimonium: pone, inquam, hunc tentare seriò contrahere matrimonium cũ consanguinea in secundo gradu, & quidem quæ habuerit iam sponsalia valida cum altero eius Religiosi consanguineo. Ecce hîc interueniunt quatuor impedimenta irritantia; professio, prius matrimonium, consanguinitas, sponsalia; pone etiam, si vis, quintum, vt habeat illa affinitatem spiritualem, & sextum etiam, si placet, quòd priùs habuerit cum dispensatione tamen fratrem eius Religiosi: hîc ergo sciens ea omnia sex impedimenta, tentat seriò quantum est ex se cum ea contrahere; & verò contrahit exteriùs; certè, si doctrina Patris Suarez vera est, nullam pœnam per legem impositam ille mereretur: quo nihil dici posset durius: patet, quia à pœna legis cõtra Religiosos contrahentes liberatur; quia sunt alia impedimenta, vt expressè docet P. Suarez: eadẽ autem ratione liberatur à pœnâ impositâ contra contrahentes cum cõsanguineâ: quia sicut in illâ prima lege intelligitur, quòd non debeat esse aliud impedimentũ essentiale matrimonij, præter illud, de quo lex ea loquitur; ita idem debet intelligi in altera lege contra contrahentem cũ consanguinea, quia est eadem omnino ratio, & doctrina Patris Suarez est vniuersalis; eodem autem modo liberabitur à pœna imposita contra attentantem secundum matrimoniũ viua priore vxore: quia etiam hæc lex requirit, ne sit aliud impedimentum in eo matrimonio attentato præter hoc; & sic discurrendo per omnes, eas leges. Aliam autem diuersam legem, quę imponat pœnam in attentantes contra duo impedimenta aut contra omnia simul, non inueniemus in iure; ergo ille talis erit liber per hoc ab omni pœna: vnde addendo peccatum peccato, non diminuta vllo modo ea malitia, quæ ex quolibet capite seorsim sumpto prouenire posset, excusaretur à pœna, quam incurrisset, si contra quodlibet seorsim peccasset: hoc autem mihi numquam persuadere potero, nec puto vllum sibi, re diligenter perpensa, persuasurum.

Vrgetur & premitur magis.

Euertitur planè doctrina Suarij hic.

88. Dices: Qui cum aqua rosacea rebaptizat non incurrit pœnas rebaptizantis. Respondeo, si ille habet serium animum rebaptizandi, dico omnino illum incurrere; si verò non habet, tunc fateor esse excusatum, vt in prima conclusione dixi. Replicabis: Non potest esse serius animus baptizandi cum aqua rosacea. Sed contra quia etiam non potest esse serius animus baptizandi illum, qui iam est baptizatus; quandoquidem non minùs repugnat verus Baptismus post primum verum quàm cum aqua rosacea; & tamen Ecclesia imponit in illum pœnas, quia diximus, illum posse tunc habere animum faciendi seriò quantum est in se; etiamsi credat dari vnum impedimentũ essentiale; ita poterit idẽ velle, licet sciat dari tria aut quatuor, quia, vt absolutè non fiat Sacramentũ, sufficit vnum impedimentum essentiale; & consequenter etiam tunc non habet locum voluntas absolutè efficax: at verò altera faciendi quantum est in se locum habet, etiamsi mille impedimenta occurrant. Vide quæ suprà dixi circa primam conclusionem.

Rebaptizans aliquem seriò quantum est ex se aquâ rosaceâ incurrit pœnas rebaptizantis. Occurritur replica.

Vnicum essentiale impedimentum sufficit irritãdo Sacramento.

89. Obiicies Secundò cum P. Suario ex Iurisperitis; Notarius faciens instrumentum falsum non incurrit pœnam falsarij, si ex alio capite instrumentum falsum inueniatur. Ita Baldus in l. 1. Cod. de sepulchro violato. Respondeo, P. Suarez minùs benè in hoc puncto vti ea auctoritate Baldi, tum quia (vt eo num. 11. fatetur Baldus alibi sentit contrarium; tum quia Baldus absolutè est in sententia docente non incurri vmquam pœnam legis per actum inualidum, quem ipsemet Suar., reiecerat n. 6. vbi responderat argumento eiusdem Baldi desumpto ex l. *Ea quidem.* Cod. *Si mancipium.* quod & nos suprà cum eodem Suar. soluimus. Ergo in hoc puncto exiguam fidẽ Baldus facit nullam afferens pro se rationem aut legem, & manifestè falsum docens, saltem in ea vniuersalitate. Vide quæ dixi in ea suppositione.

Instrumentum falsificans incurrat pœnam falsary. Suarez abstitur Baldo.

90. Dico Tertiò: Quando actus, cui imponitur pœna, potest validè fieri, non obstante lege illum prohibente, non incurritur illa pœna nisi per actum validum. Et ratio est, quia tunc maximè intendit lex impedire ne duo illa coniungantur, actus validus & modus irreuerens aut indecens. Ab hac regula excipit P. Suarez pœnam impositam contra Sacerdotem excommunicatum ac denunciatum ministrantem alicui Sacramentum pœnitentiæ; qui tamen incurrit irregularitatem, etiamsi inualidum Sacramentum efficit. Iudico tamen hanc non esse exceptionem vllo modo illius regulæ; nam lex imponens illam pœnam omnino supponit illum Sacerdotem facere Sacramentum inualidum: nam (articulo mortis excepto) Sacerdos excommunicatus & denuntiatus non potest validè absoluere à peccatis; si autem in casu mortis id efficeret, non incurreret excommunicationem, quia licitè ob extremam necessitatem id efficeret: ergo hic casus Sacerdotis excommunicati pertinet ad primam suppositionem certam suprà positam, ne eam legem imponentem talem pœnam dicamus per se inutilem: quod tandem notauit P. Suarez num. vltimo; vnde non debuisset eum casum ponere vt exceptionem doctrinæ traditæ in hac conclusione.

Quando non incurratur pœna nisi per actũ validũ.

Cur Sacerdos excommunicatus & denuntiatus non absoluat validè nisi in mortis articulo

91. Vltimò dico: Si lex aliqua supponens actum validum illum punit tali aut tali modo factum, post verò accedit noua lex irritans illum actum tali modo factum, iam non incurritur ea prior pœna: ratio est, quia ea lex (vt dixi conclusione præcedenti) maximè volebat punire eam coniunctionem actus validi & irreuerenter aut indebitè facti; at eo ipso, quòd per leges sequentes posteà redditur inualidus, iam non coniunguntur ea duo, ergo. Exemplum solet poni in matrimonio clandestino, quod olim, quia validum, subiacebat diuersis pœnis ab his, quibus iam subiacet, quando inualidum est: per nouam enim legem Tridentinum mandauit Ordinariis, vt illud pro arbitrio suo puniant: quòd si id non præcepisset de nouo, non subiaceret vllis omnino pœnis.

Quomodo actus validi per sequentes leges irritati exuantur à pœna priori.

Disputatio XXIV.

De varijs diuisionibus consuetudinis prout ad legem pertinet.

EXplicatis legibus, quæ siue per scriptum, siue viuæ vocis oraculo à Legislatore imponuntur, antequam de earum

An, & quãdo Notarius in-

Digitized by Google

rum abrogatione & dispensatione circa illas agamus, oportet de lege per consuetudinem inductâ disputare; nam (vt videbimus) eosdem habet effectus obligandi, quos aliæ leges: quia tamen res est longiori examine digna, in duas disputationes quidquid ad consuetudinem spectat diuidemus: in hac verò primâ explicabimus maximè eius diuisiones; cetera, quæ omni consuetudini communia sunt, sequenti declarabimus.

Consuetudo eos habet effectus obligandi quos leges alię.

De consuetudine tractant fusè P. Salas totâ disp. 19. per 20. capita, Suarez lib. 7. per totidem capita, Vasquez disput. 177, & alij qui apud Salas videri possunt.

SECTIO I.

Explicatur definitio consuetudinis.

2. *Quid vsus, mos & consuetudo; ac quibus competat.*

ADVERTE, vsum, morem & consuetudinem, quæ in rigore idem sunt, accipi dupliciter ad intentum præsens; vno modo pro facto ipso, id est, pro repetitione frequenti humanorum & moralium actuum. Dico *humanorum*; nam brutis, multò minùs alijs agentibus, non conuenit propriè consuetudo, mos & vsus, licet aliquando id illis tribuatur; quod tamen debet intelligi impropriè: in eo ergo priori sensu solemus dicere, *Hoc est in vsu, hic est mos, hæc est consuetudo.*

Quid hic vsus.

Aduerte Secundò, non agere nos iam de vsu vt condistinguitur à fruitione, & extenditur ad vnicum actum, sed, vt dixi, ad frequentem eorum repetitionem; ex quâ seu ex consuetudine oriri solet quædam obligatio faciendi aliquid: quæ obligatio etiam solet vocari consuetudo; & hæc est de quâ in præsenti directè agendum: sed quia causa efficiens huius obligationis est ea altera consuetudo in primo sensu, & ab eâ pendet essentialiter illud ius, necessarium erit de vtraque disputare.

3. *Consuetudinis definitio secundùm Isidorum.*

Hinc intelliges bonam esse definitionem cõsuetudinis quam tradidit Isidorus lib. 2. Ethicorum cap. 10. & lib. 5. cap. 3. *Est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex:* quæ verba ferè habet Tertullianus lib. de Corona militis. Accipitur ergo in hac definitione consuetudo in secundo sensu pro vinculo illo manente, ideò meritò dicitur ius; τὸ verò *moribus* non accipitur in secundo sensu; alioquin idem per idem definiretur; sed accipitur in primo pro frequenti exercitio seu repetitione humanorum actuum; ac si dixisset, *Consuetudo est ius inductum frequenti exercitio humanorum actuum*: eodem modo intelligenda est alia definitio eiusdem Isidori, *Mos est cõsuetudo de moribus tracta:* in qua etsi repetatur idem terminus *mos*, quia tamen in diuersa significatione accipitur, nullum committitur vitium; nam ius, quod consuetudo dicitur, trahit originem ex repetitione frequenti actuum humanorũ, vt paulò antè notatum est. Hinc intelliges, quomodo consuetudo differat à prescriptione (etsi vtraq; ex parte causæ quodammodò cõueniant;) quatenus præscriptio etiam oritur ex frequenti vsu & repetitione actuum.

Alia eiusdẽ Isidori definitio.

Qui differat consuetudo à præscriptione.

4. *Vasquez opinio reiecta.*

De differentia consuetudinis à præscriptione fusè Pater Vasquez disp. 177, vbi num. 8. ait eam consistere in eo, quòd consuetudo versetur circa hominum facta, præscriptio verò circa rem aliquam vel locum aut personam; miratúrq; valdè id non esse notatũ à doctissimis Iuristis quibusdam, quos ibidem refert. Ego tamen non censeo eam differentiam esse omnino bonam: admitto quidem Patri Vasquez, consuetudinem esse circa facta hominum; at nego illi non posse præscriptionem etiam circa hæc versari: etenim potest Princeps præscribere propriè, non per modũ legis, in facta hominum, in labores, obsequia, seruitia, &c. & fortè hoc sensu vna priuata persona potest in facta alterius præscribere, aut in cessationem facti, v. g. ne transeat per talem viam: id quod etiam est materia consuetudinis, quæ legẽ constituit: ergo ex hoc capite non est mirandũ hanc differentiam non occurrisse alijs, seu non traditã fuisse: fortè enim occurrit; sed quia simul impugnatio hæc occurrit, eam non tradidêre.

Consuetudo circa facta hominũ versatur; circa quæ etiam præscriptio versari potest.

5. *Differentia consuetudinis à præscriptione Iuristarum.*

Differentiæ, quas tradunt illi Iuristæ apud eũdem Vasquez, hæ sunt. Prima, quòd consuetudo constituit ius commune, præscriptio verò est in priuatum bonum. Secunda, quòd consuetudo est generalis non solùm respectu personarum, sed etiam rerum. In hac differẽtiâ fortè posset aliqua esse difficultas, quia consuetudo sæpè est solùm respectu vnius actionis à qualibet personâ: in quo sensu etiam potest præscriptio esse vniuersalis, vt paulò antè diximus contra Patrem Vasquez de actionibus subditorũ, in quas Princeps potest per præscriptionem ius acquirere. Tertia, quòd consuetudo vni acquirit, & nemini aufert; præscriptio vni acquirit, & alteri aufert. Sed in hac etiam est nonnulla difficultas, quia si Princeps præscribat in actiones subditi, nihil ab eis aufert nisi libertatem ad non omittendas eas actiones; hanc autem libertatem etiam potest cõsuetudo auferre. Ex his ergo differentijs prima potest sustineri, & reducitur ad hanc, quòd consuetudo habet se per modum legis scriptæ, seu est vera lex, vt lex abstrahit à scripta & non scripta: vt enim alibi diximus, lex in suo conceptu non requirit verè esse scriptam; præscriptio autẽ propriè non est lex, sed vel habet se per modum priuilegij contra legem, vel confert ius dominij in alium, v. g. in hereditatem, in pallium, in domum, &c. Aliam differentiam assignare possumus ex parte actuum per quos inducitur; nam consuetudo debet induci per repetitionem actuum ipsius populi qui obligatur, in præscriptione verò solùm per actus tenentes se ex parte ipsius qui acquirit ius. Deinde in præscriptione præfinitur certum tempus à lege, infrà quod non valet; in consuetudine non est quid certum, sed id pendet ex sapientum iudicio, de quo nonnihil infrà. Denique præscriptio requirit bonam fidem, consuetudo verò non, saltem in initio. Aduerto tamen id maximè debere intelligi de præscriptione contra legem; nam consuetudo ea, quæ legem inducit obligantem, cùm debeat esse de bono opere & honesto, non potest non exigere in initio etiam bonam fidem. Sed de hoc etiam paulò fusiùs infrà dicetur.

Consuetudo habet se per modum legis scriptæ.

Meliores suggeruntur aõ auctore.

6. *Non omnis consuetudo inducit ius legis. Circa quæ versari possit consuetudo primo modo sumpta.*

Aduerte tamen circa definitionem suprà positam, non omnem consuetudinẽ in primo sensu, seu non omnem frequentiam humanorum actuum inducere ius legis. Cõsuetudo enim in eo primo sensu potest esse multiplex: Primò circa res indifferentes: vt pictor habet consuetudinem pingendi, sartor consuendi, &c. Secundò circa res ex se bonas; vt est consuetudo audiendi Sacrum, orandi, dandi eleëmosynam. Tertiò è contrario circa res malas; vt peccator habet consuetudinẽ furandi, mentiendi, luxuriandi, &c. Quartò consuetudo potest esse in vna sola persona,

vt

Digitized by Google

vt cùm quis priuatus habet consuetudinem ieiunandi, orandi, scribendi, &c. vel in vnâ familiâ vt cùm in aliquâ domo singulis diebus fit aliquod opus pietatis, aut leguntur Litaniæ, aut ieiunatur singulis septimanis certo die, &c. vel in vno oppido, ciuitate, aut vnâ Prouinciâ, imò Regno, aut denique toto mundo. Hac multiplici consuetudine suppositâ ad rem nostram.

7. *Consuetudo circa rē naturā suā malam non inducit legem.*

Primò certum est consuetudinē circa rem ex naturâ suâ malam non inducere legem, quia nō potest esse obligatio ad faciendum id quòd intrinsecè est malum: vnde infertur obiter nullam consuetudinem posse præscribere contra ius naturale, quia non solùm non potest esse obligatio faciendi id quòd est intrinsecè malum; sed neq; potest esse licentia ad illud faciendum; consuetudo autem, quæ verè præscribit contra aliquam legem, saltem facit illud opus licitum. quomodo autem possit præualere contra legem positiuam humanam consequenter, quomodo consuetudo ab initio mala possit inducere derogationem iuris, infrà explicabitur. Dico *ab initio mala*, quia quando iam dat licentiam, vt sine peccato talis res fiat, non potest esse erga rem actu malam; id enim in terminis repugnat.

Consuetudo vnius priuati aut familiæ nullā inducit obligationem.

Secundò certum est, consuetudinem vnius priuati aut vnius familiæ nullam inducere obligationem, quia nemo est sui superior; &, nisi accedat promissio, quæ à consuetudine est planè independens, numquam homo obligatur ad tertiò aliquid faciendum, eò quòd id fecerit bis; neque obligatur vt faciat quartò, eò quòd fecerit tertiò &c. in vnâ etiam familiâ, quia non est iurisdictio vlla legislatiua, non potest induci obligatio per vllam consuetudinem.

8. *Consuetudo in rebus indifferentibus quà talibus etiam vniuersalis obligationem non inducit.*

Tertiò certum est, consuetudinem circa res indifferentes quà tales, etiamsi ea sit totius populi & vniuersalis, nō inducere legis obligationem, quia lex versatur circa materiam honestā; non enim in conscientiâ est obligatio ad id, quod ex se & hîc & nunc indifferens est. Dixi *circa res indifferentes quà tales*, quia si ordinantur ad rem honestam, iam sub eâ ratione possunt admittere obligationem, vt diximus suprà; & res est alioquin per se nota.

An consuetudo vnius oppidi aut vrbis pro se obligationem inducat.

Vtrùm autē consuetudo vnius oppidi aut ciuitatis inducat obligationem pro eo oppido vel ciuitate, aut quanta debeat esse communitas, quę per frequentem operum bonorum vsum inducere possit obligationem, dubium esse posset; cui nunc breuiter dicimus, per se loquendo, omnem talem communitatem inducere posse eiusmodi obligationem, nisi à Principe impediatur: vnde (vt dicetur infrà) in Republicâ priuata, quæ est Principi subiecta, requireretur eiusdem Principis saltem tacitus consensus; si autem sit libera Respublica, sicut habet potestatem condendi leges, ita & habebit se per consuetudinem obligandi independēter ab alio consensu Principis. Hinc fit, vt iuxta varietatem communitatum, quæ per consuetudinem possunt se obligare, conueniant varia nomina illi iuri ex consuetudine eâ resultanti; quæ tamen varietas eodem modo etiam reperitur in lege scriptâ, ideóque pro præsenti quæstione ferè est inutilis; ergo si communitas sit Ecclesiastica, dicitur ius Ecclesiasticum, si ciuilis, ciuile, si fit tota Prouincia, prouinciale, si specialis Episcopatus, synodale, &c.

Respublica libera potest suâ consuetudine legem sibi parere.

SECTIO II.

De differentiâ consuetudinis à traditione, stylo, ritu & foro.

9. *Qui differat traditio à consuetudine.*

IAM obiter ad maiorem consuetudinis explicationē quæri posset, in quo illa à traditione differat. Suppono traditionem, de quâ dubitatur, an à consuetudine differat, non esse doctrinalem, quia tunc clarè apparet eius diuersitas à consuetudine; nam hæc versatur circa actus voluntatis, illa verò circa actus intellectus: igitur traditio illa debet respicere actus humanos voluntatis. Dico ergo in hoc differre, quòd traditio non est ipsa causa inducens obligationem, vt diximus suprà esse consuetudinem, quæ proximè fundat ius quasi legale, de quo loquimur. Traditio ergo solùm est attestatio quædam reflexa ipsius obligationis; vnde potest esse traditio affirmans fuisse consuetudinem, seu traditio consuetudinis: item potest esse traditio affirmans legem propriam ipsius Legislatoris, quæ propriè non pertineat ad consuetudinem. V. g. Christus Dominus immediatè per propriam legem multa significauit discipulis, quæ deberent obseruari; nullus tunc scripsit eam legē, ita vt maneret in memoriâ hominum, sed per traditionem ex vno ad alterū diuulgata est. Ecce in hac lege est traditio, non verò consuetudo, & (vt notauimus agentes de lege gratiæ) omnia quæ Christus Dominus in suo Euangelio docuit, fuerunt per aliquot annos solùm per traditionē credita. Quòd si initio Euangelij etiam Apostoli & discipuli sine vllâ positiuâ lege ex consuetudine fecissent aliquas actiones, quæ deinde post eam consuetudinem in obligationem transijssent, & de eâ consuetudine non constaret nobis nisi per traditionem, quia non fuisset vllibi scriptum eam consuetudinem vigere, tunc traditio esset de consuetudine. Constet ergo vno verbo traditionem non esse ipsam causam vinculi seu obligationis, siue hæc à lege, siue aliunde proueniat, sed purè putè esse attestationem illius. Et satis de traditione vt à consuetudine distinctâ.

Christi gesta & dicta aliquot annis solâ traditione credebantur.

Quid sit traditio.

10. *Differentia stylj à consuetudine.*

Secundò quæri potest quomodo hæc à stylo differat. Stylus in magis vsitata significatione solùm vsurpatur pro modo speciali loquēdi aut scribendi: sic dicimus, Stylus Ciceronianus, stylus elegans, &c. desumitur autem ea denominatio ab instrumento quo exarabantur litteræ: vnde Iob dixit, *Quis mihi det vt exarentur sermones mei stylo ferreo, vel celte sculpantur in silice?* relicta verò hac significatione, quæ ad punctum præsēs planè est impertinens, vsurpari solet pro vsu, qui in iudicijs seruatur communiter: sic dicimus, *Hic est stylus Curiæ*, id est, Ita in Curia solent causæ iudicari. Potest autē sumi stylus vel pro vsu ipso taliter aut taliter ferendi sententiā, vel pro obligatione, vt in similibus casibus eo modo feratur. Et licet P. Suarez cap. 5. dicat, stylum, prout ad factum applicatur, non tam significare vsum ipsum frequentem quàm formam ipsam seu modum qui seruari solet, tamen in ordine ad punctum præsens vtrumque simul debet accipi: nam forma ipsa secundùm se sumpta non posset inducere vim obligandi, nisi frequenti vsu transijsset in ius. Est ergo stylus, prout ad præsens attinet, species quædam consuetudinis; hęc enim se extendit ad plures materias, ille verò solùm ad materias iudiciarias aut quasi iudiciarias.

Iob. 19.

Quid stylus apud Suarez.

Quid stylus hic.

Digitized by Google

Tertiò quæri potest, quî differat consuetudo à ritu. Respondeo, ritum significare propriè cæremoniam aliquam seu solemnitatem, quæ comitari solet actionem maximè sacram: vnde dicuntur *ritus sacri* cæremoniæ, quæ in Sacro, in Sacramentis solent seruari: vnde, vt immediatè antè diximus de stylo pro præsenti puncto, si ritus sumatur, vt significat quid facti, duo comprehendit, & cæremoniam seu solemnitatem & vsum frequentem illius, qui tantus sit, vt invitu legis transeat: erit ergo etiam ritus species quædam consuetudinis, sicut suo modo de stylo diximus.

Ritus est species quædam consuetudinis, vti & stylus.

Quartò quærimus, quomodo consuetudo differat à foro. Hæc vox non auditur, dum de consuetudine est sermo, nisi inter leges aliquas Hispaniæ l. 7. tit. 2. parte 1. vox autem hæc primariò significat locum amplum & capacem, vbi ordinariè merces vendi solent; transfatumque est ad significandum locum vbi iudicia solent exerceri, inde ad ipsum quasi iudicium seu tribunal; vnde dicimus, *ad forum rei, ad forum actoris*, &c. inde actiones iudiciales dici solent actiones forenses: hinc ad rem nostram, consuetudines spectantes ad iudicia possunt dici forenses: coincideretque in hac significatione forum cum stylo, nisi fortè in eo differant, quòd stylus solùm significet specialem aliquam formam, quæ seruari in iudiciis solet; forum autem comprehendat quidquid ad ea iudicia spectat: vtrùm autem forum significet sola ea quæ ex consuetudine sunt inducta in iudicia, an verò etiam comprehendat quidquid in iudicijs obseruatur, siue id ex consuetudine, siue ex lege scriptâ seruetur, quæstio est parui momenti; non desunt tamen aliqui Iuristæ Hispani, qui dicunt, leges scriptas, quæ agunt de vsu fori, non habere vim legis, nisi per consuetudinem confirmatę sint. Quę sententia dupliciter intelligi potest; primò ita, vt omnibus legibus fori neget vim obligandi, nisi accedat consuetudo; & in hoc sensu planè est improbabilis, quia Legislator non minùs potest per legem scriptam modum præscribere Iudici, quo modo se debeat gerere in ferendis sententijs, quàm præscribere alijs subditis, quid in hac aut illâ occasione facere debeant. Alio modo potest intelligi ea sententia, vt loquatur in particulari de aliquibus legibus quæ dicuntur fori, & putet illas de facto non obligare nisi per consuetudinem approbatæ sint; quia putat illas leges scriptas non esse traditas animo obligandi, nisi acceptatæ sint. In hoc puncto sententia ea nihil dicit absurdi quoad possibilitatem; quoad factum autem, vtrùm aliquæ tales leges sint, res est parui momenti, & à nostro instituto aliena.

Differentia stili à foro.

An leges scriptæ de vsu fori agentes habeant vim legis.

12. *Quid forum.*

SECTIO III.

Diuisio consuetudinis in eam quæ est iuxta, præter, aut contra legem.

13. *Consuetudo alia est præter legē, alia iuxta, alia contra legem. Nulla cōsuetudo contra legem naturalem aut diuinam præualet.*

DE hac re nonnulli satis fusè tractant; in se tamen facillima est, ideò breuiter expedietur. Prima ergo diuisio sit in consuetudinē præter legem, consuetudinem iuxta legem, & consuetudinem contra legem: quæ diuisio locum habet, siue lex, cum quâ comparatur, sit naturalis, siue diuina, siue humana. Aduerto tamen consuetudinem contra legem (iuxta dicta paulò antè) non posse habere vim, si ea lex sit naturalis; quia nulla consuetudo potest præualere contra id quod est naturâ suâ malum, neque item contra diuinam; solùm ergo habere poterit locum contra legem positiuam humanam, & quidem solùm in initio sui; tunc enim potest esse contraria legi; quia verò per ipsam consuetudinem abolebur lex, tãdem redditur licita & bona ea cõsuetudo; tunc verò iam ampliùs propriè non est contra legem, quia lex iam non existit: solùm ergo denominatiuè dici potest cõtra legem, quæ olim viguit. Consuetudo iuxta legem est, quando consuetudo accõmodat se legi prohibenti aut imperanti, quatenus facit id quod lex præcipit, aut fugit quod prohibet, ideò dici potest consuetudo seruandi legem; hæc autem sicut optima est non habet locum in præsenti quæstione, quia per hanc nullum ius introducitur, cùm supponatur iam aliud ius quod obligat; ea verò consuetudo non addit nouam vllam obligationem.

Quando præualeat contra positiuam humanam.

Quid consuetudo iuxta legem.

Vbi aduerte Primò contentionem esse inter quosdam, vtrùm dari possit talis consuetudo secundùm leges nec non quibusdam negantibus, aliis affirmantibus, qui purè putè de solo nomine inter se altercantur: illi enim consuetudinem accipiunt pro iure promanãte ex consuetudine: quo sensu iam diximus, si materia consuetudinis sit iam per legem præcepta, non induci ex eâ consuetudine nouum ius; an autem, si lex è contrario cadat supra consuetudinem, habeat vim nouam obligationem inducendi, dicam statim. Qui verò è contrario censent dari consuetudinem secundùm legem, loquuntur de consuetudine facti, id est, de continuata obseruatione eius legis, de qua nos etiam locuti sumus paulò antè: tota ergo dissensio ad diuersas acceptiones eius vocis reducitur.

14. *Detúrne consuetudo iuxta legē, quæstio est de voce.*

Aduerte Secundò, hanc ipsam consuetudinem Primò valere ad maiorem firmitatem legis scriptæ, Secundò ad interpretationem illius; quia optima legũ interpretatio est consuetudo; Tertiò ad extensionem, vt quæ ab initio solùm erat imposita pro certis quibusdam personis, iam per consuetudinem ad alias extendatur: hic tamen effectus nõ est consuetudinis secundùm legem, sed præter legem; nam ea ex parte, qua extenditur ad eos qui non obligabantur antèà, non fuit consuetudo secundùm legem, sed præter legem, potest fortè dici secundùm legem per imitationem, quatenus id facit quod erat per legem præscriptum, saltem pro alijs: sicut si induceret vnum Regnum per consuetudinem id quod aliud facit ex lege scripta, non diceretur tunc ea consuetudo secundùm legem propriè, sed summùm per imitationem.

15. *Cui bono sit consuetudo iuxta legem.*

Magis ad rem nostram facit aliud membrum de consuetudine præter legem, quando scilicet materia, de qua est cõsuetudo, nec præcipitur, nec prohibetur per legem; nam licet sit aliquid honestum, non tamen est sub obligatione; & licet possit sub aliqua ratione prohiberi, nõ tamen de facto est prohibitum. Hæc consuetudo est, quæ inducit ius illud legale, quod cõsuetudo dicitur, quæ pro lege suscipitur cùm deficit lex, id est, quando materia legis nec prohibetur nec imperatur per legem. Hinc autem duobus verbis expediri potest difficultas quædam minoris momenti, inde desumpta, quòd ea particula, *cùm deficit lex*, videatur esse essentialis; posita enim est in definitione essentiali, atqui paulò antè admisimus consuetudinem contra legem & iuxta legem, ergo vel malè ibi definitur consuetudo, vel malè hîc traditur ea diuisio consuetudinis.

Quid consuetudo præter legem.

Respondeo

Digitized by Google

Consuetudo iuxta legem nõ habet propriè vim legis.

Respõdeo in primis, consuetudinem iuxta legem non fuisse admissam à nobis quasi habentẽ propriè vim legis: consuetudinem verò contra legẽ admisimus quidem, non tamen quæ inducat verum & proprium ius obligans, sed summùm reuocans antiquam legem. Video ab aliquibus eã ipsam reuocationem vocari legem; quod meo iudicio impropriè dicitur; ne tamen hæreamus in vocibus, dici potest Primò, non esse cõtra rationem consuetudinis supponere legem, sed exigere præcisè, vt id quod per ipsam inducitur non supponatur per priorem legem mandatum, vt reuerà hîc non supponitur; sed potiùs contrarium: ex hoc ergo capite benè oſtenditur, illam consuetudinem vt inducentem ius non esse iuxta legem; quia verò videtur tunc esse contra legem, ideò Secundò respondeo, particulam illam, *cùm deficit lex*, non denotare, nisi præcisè non debere præcipi per legem id quod per consuetudinem inducitur; siue id prohibeatur per aliquam legẽ, & consequenter siue non deficiat in hoc sensu lex, siue non prohibeatur: vnde vi eius definitionis non est necessum vt consuetudo sit eo sensu præter legem, sufficit enim, si non sit iuxta legẽ:

Quo sensu sit consuetudo, quando deficit lex.

de eâ ergo consuetudine, quæ derogat priori legi, verè dicitur esse, quando deficit lex in priori sensu; tunc enim consuetudo habet eamdẽ vim, quam haberet noua & positiua lex priorem reuocans; hoc ergo denotat illa particula, *cùm deficit lex*, id est, quæ præstet id quod præstat consuetudo: vt enim lex derogans non solùm inducit, sed etiam tollit obligationem.

17. *An consuetudo in legem redacta desinat esse consuetudo.*

Maior esse potest difficultas, an si succedat lex, quæ consuetudinem ipsam approbet, iubeátque impleri, dicendũ sit ius consuetudinis abrogatum, & successisse solùm ius scriptum, an verò vtrumque durare. Ratio dubitandi desumitur ex dictis: ab eo enim puncto consuetudo illa est secundùm legem, seu iam tunc non deficit lex, prout diximus paulò antè requiri ad ius è consuetudine manans; ergo non manebit consuetudo. Fortasse quis cogitaret multùm hîc de nomine admiscri, quî scilicet tunc temporis sit vocandum ius illud; quia tamen conducere hoc ipsum potest ad realem abrogationẽ totius obligationis, videtur ad rem ipsam spectare, vt ex dicendis magis constabit.

Affirmant Gratianus, Rochus Curtius, Baldus, Iason.

Gratianus dist. 1. post cap. 5. videtur sentire eam consuetudinem in legem redactam desinere esse consuetudinem: id ipsum docet Rochus Curtius Tractatu de consuetudine in præfat. num. 5. & Baldus in l *De quibus*. ff. de legibus, & Iason in l. 2. ff. de vulgaribus & pupillar. Contrarium sentit P. Suarez lib. 7. cap. 2. num. 4. refertque Bartolum; Rochus verò paulò antè citatus alios pro eadem doctrinâ citat. Probat autem Suarez suam sententiam ex cap. 2. de præbendis in 6. vbi sic dicitur, *Huiusmodi consuetudinem auctoritate Apostolicâ approbantes, nihilominus volentes eam inuiolabiliter obseruari.* Ecce Pontifex per legem scriptam nullatenus destruit consuetudinem. Rationem etiam addit, quia non repugnat ea duo simul manere: sicut enim possunt esse duæ leges scriptæ de eadem re, cur non vna scripta & alia non scripta? vnde in cap. *Videtur*. de his qui matrimonium, &c. Clemens Tertius ait, *Tam antiquâ consuetudine quam legibus approbatur*; ergo vtrumque vigere supponit. Deinde, si consuetudo sit priuata vnius Prouinciæ, & lex adueniens sit generalis, vt Innocentius Tertius cap. *Cui inhibuo*. de clandestinâ desponsatione, consuetudinem publicandi contracturos matrimonium prorogauit per legem ad totam Ecclesiam; si, inquam, id fiat, & contingat posteà ius illud communè auferri, adhuc tamen manet consuetudo in suo vigore in eâ Prouinciâ, vbi anteà erat; & propter hunc effectum quæstio hæc non est de voce.

Negant Suarez, Bartolus, & alij.

Ego tamen non censeo hanc sententiam sufficienter probari; etenim caput illud secundum de præbendis non ostendit simul manere tũc vtrumque ius; nam quando dicit Pontifex, *Volumus consuetudinem obseruari*, nihil aliud dicit quàm, Volumus, vt id, quod per consuetudinem obseruabatur, obseruetur in posterum: ibi enim solùm de consuetudine facti agit, quam præcipit continuari: sicut in mandatis, quæ pereunt morte Pontificis aut alterius Prælati potest dicere successor illius, *Volo vt quæ ibi ille mandauit omnino facias, & continues*: vbi non denotatur perseuerantia vtriusque mandati: & eodem modo dico ad cap. *Videtur*. scilicet consuetudine & lege posse idem approbari pro suo tempore, consuetudine ante legem, lege verò post consuetudinem; sicut in eodem exemplo de mandato temporali Pontificis dici potest, *Id quod mandato prædecessoris nostri stabilitũ fuit & nostro approbatur*. Adde Primò, ibi non tam videri denotari obligationem quàm oſtdẽi vtilitatem & honestatem eius materiæ: Secundò ibi consuetudinem fortè accipi non pro iure, sed pro frequenti vsu eius actionis. Ad rationem verò, quòd non repugnent ea duo, negatur subsumptum: instantia è duabus legibus scriptis non vrget, quia lex scripta non requirit in suâ definitione carentiam alterius legis, ideò optimè cum illâ cohæret; at ius ex consuetudine necessariò exigit eam carentiam; dicit enim in suo conceptu *cum deficit lex*; vnde adueniente lege iam videtur eo ipso perire; non enim valet respondere, eam carentiam solùm requiri in initio: etenim particulæ definitionis essentialis toto tempore debent definito conuenire.

18. *Explicatur cap. 2. de præbend.*

Enucleatur cap. Videtur

Consuetudo dicit carentiam alterius legis,

Ad vltimam rationem dico, Esto ius consuetudinale non maneat quando est lex, non continuò sequi, si posteà auferatur lex, nõ habituram locum eam consuetudinem, quia veniente lege non perit consuetudo quasi abrogetur, sed quia ponitur vna conditio essentialis, quæ dum durat tollit effectum formalem consuetudinis; cùm primùm verò posteà aufertur ea conditio, quasi reuiuiscere censetur ea consuetudo. Id quod exemplis tam physicis quàm moralibus facilè oſtendi potest. V.g. quòd ego sedeã in meliori loco quàm Petrus; pone nos duos solos, & me à dextris ipsius; hæc, inquam, denominatio mei sedentis in meliori loco tolli potest, si accedat alius, qui se à sinistris eiusdem Petri collocet, vt eum iam vtrque in medio & honestiori loco contineamus; in hoc casu sine dubio simpliciter perit ea denominatio in me, quia ea requirebat carentiam illam alterius sedentis Petro à sinistris, quâ deficiente perit denominatio: vnde nobis duobus omnino immutatis, si aliter iterùm inde recedat, redit in me ea denominatio: id quod in formis artificialibus multis modis contingere potest, in moralibus item: si enim coniuges intrent Religionem communi consensu, cessat eo ipso in eis ius licitè petendi & reddendi: at si Papa concedat dispensationem in vtriusque professione, nullo alio posito, reddit illud ius matrimoniale, quia (vt paulò antè de meliori loco dicebam) ea denominatio iuris requirit carentiam, sine quâ non subsistit, ideò non positâ eâ carentiâ non est

19.

Quomodo cesseatur quasi reuiuiscere consuetudo

Quomodo denominationes tam physica quàm morales varientur.

Digitized by Google

illud ius; cùm primùm autem illa secundò ponitur, ius redit.

20. *Conciliantur opiniones præcedentes.* Ita in præsenti putarem dicendum & sic posse conciliari opiniones has duas oppositas & definitionem consuetudinis, vt adueniente lege consuetudo non habeat tunc vllam vim actu obligandi, quia non datur carentia seu defectus legis, cuius ea consuetudo vices gerit, non tamen in eo sensu dicatur perire, vt perinde omnino se habeat ac si numquam fuisset, sed maneat quasi sopita; vt si postea iterùm deficiat illa lex, incipiat de nouo ea consuetudo obligare; vt in exemplis positis probatum est. Et hoc do sententiæ Patris Suarez.

Ne verò quis putet fieri hîc rursus quæstionem de solo modo loquendi, ex eo capite inducor in hanc sententiam, quia non puto, si perseuerante consuetudine superueniat lex, eum, qui tunc transgreditur eam legem, vllo modo grauiùs peccaturum, quàm si sola esset lex ea scripta: & in hoc sensu dico tunc non obligare consuetudinem: quam doctrinam censeo veram, etsi in alijs legibus dicamus augeri obligationem aliquo modo per secundam legem, quia, vt dixi, illæ duæ leges non habent inter se vllam oppositionem, quam habere iam ostendimus consuetudinem cum lege scriptâ.

21. *Quo sensu cõsuetudo dicatur ius nõ scriptum.* Vbi aduerte, ita consuetudinem dici ius non scriptum, vt non sit contra rationem illius, quod quasi materialiter scribatur, id est, quod ad memoriam in publicis libris & authenticis scribatur, *Hac aut illa consuetudo viget & obseruatur in hac Republicâ*; ea enim scriptio non est noua lex, sed narratio (vt sic dicam) legis, ideóque est purè materialiter scripta, neque ex scriptione vllum accipit vigorem: id quod intelligendum est, non solùm si à priuatâ personâ ea inscriptio fiat, sed etiamsi ipse Legislator curet inscribi, dummodò mens illius non sit, per hoc dare illi robur legis scriptæ. Et hæc circa eam diuisionem consuetudinis.

SECTIO IV.

Secunda diuisio consuetudinis.

22. *Consuetudo alia est circa res vel personas, alia circa facta hominum.* EA sit in consuetudinem, quæ versatur circa res vel personas, & in eam, quæ versatur circa facta hominum. V.g. consuetudo soluendi ex agro versatur circa res; circa personam verò versatur consuetudo soluendi tributum personale; vt quando in capita singula impositum est per consuetudinem tributum aliquod: consuetudo verò circa facta hominum dicitur consuetudo circa actiones hominis ieiunandi, orandi, &c.

Circa hanc consuetudinis diuisionem quidam censent, primam pertinere ad præscriptionem, secundam ad propriam consuetudinem inducentem legem: disparitatem in eo assignãt, quod ea prior consuetudo videtur reducere suam materiam ad iustitiæ obligationem; contra quam fieret, si illæ res non soluerentur: secunda verò propriè se continet intra terminos legis.

23. *Suarij opinio, Vtraque potest esse præscriptio.* Meritò hanc doctrinam reijcit P. Suarez c. 3. num. 3. quia, esto ea diuisio, vt habeat membra omnino inter se distincta, explicetur clariùs eò modo, vt consuetudo, quæ versatur circa res, significet consuetudinem, quæ respicit bona aliorum; alia verò, quæ respicit facta propria ipsarum personarum; in ordine tamen ad punctum præscriptionis malè traditur ea diuisio: etenim non solùm in primo, sed etiam in secundo membro potest esse præscriptio propria, & quæ videatur pertinere ad iustitiam; nam Princeps potest præscribere per consuetudinem contra subditos, vt illi exhibeant hoc vel illud ministerium personale vel in bello, vel in domo, vel in agro; sicut consuetudo ieiunandi inducit obligationẽ ieiunãdi: si verò ea distinctio ita dicatur intelligenda, vt prima consuetudo tangat vel res vel facta hominum quæ sunt ad alterum; quo sensu etiã includet ea obsequia; secunda verò consuetudo solùm respiciat actiones, quæ non sunt vllo modo ad aliũ, sed ad se, vt orare, ieiunare, peregrinari, &c. dico adhuc eam reijci efficaciter, quia, vt notauit Pater Suarez, etiam circa res, quæ in bonum alterius ordinantur, potest habere locum consuetudo per modum legis, quæ nõ obliget ex iustitiâ; vt v.g. consuetudo offerendi spontaneè aliquid in Ecclesiâ sine dubio versatur circa res quæ in bonum alterius transeunt; & tamen illacó suetudo non obligat ex iustitiâ; & idem est de consuetudine dandi eleëmosynã.

Quanam consuetudines non obligent ex iustitiâ.

24. *Vnde ea diuisio consuetudinum desumenda sit.* Igitur ea diuisio non debet desumi propriè ex parte materiæ consuetudinis, sed ex parte titulorum qui per illas consuetudines inducuntur; vt vna sit, quæ est per se independés à communitate, & eò tẽdit vt fundet in altero ius iustitiæ, siue in res, siue in facta; hæc autem dicitur præscriptio: secunda verò consuetudo sit, quæ siue respiciat res in bonum alterius ordinatas, siue eas, quæ non sunt ad alium, non tamen inducit aliam obligationem quàm legis, vt de consuetudine voluntariè offerendi aliquid aut dãdi eleëmosynã, aut inseruiendi pauperibus in hospitali, multísque alijs, quæ respiciunt bonum alterius, dici potest: de his enim, quæ non sunt ad aliud, res est clarior. Ratio verò à priori huius est, quia legis obligatio habere potest locum in omni materiâ castitatis, etiam iustitiæ, &c. ita tamen vt non inducat titulum iustitiæ.

25. *Nota difficultatem quã hic Suarius premittit.* Fateor quidem in principijs Patris Suarez & aliorum, qui dicunt, legem ponere materiam, quam præcipit vt necessariam ad virtutẽ, in quâ est illa materia, satis difficulter explicari posse, quomodo præcipere valeat lex vt dem Petro aureum singulis annis, & non eo ipso tenear ex iustitiâ ad illum dandum, cùm ea datio ad materiam iustitiæ spectet: vnde cùm consuetudo æquiualeat legi quoad vim ponendi materiam vt necessariam intra eam virtutem, intra quam est, ex se videtur etiam necessariò obligatio iustitiæ inducenda per eam consuetudinem; vnde credíderim non seruasse in hoc puncto consequentiam Patrem Suarez: at in nostris principijs, quæ præcedenti Tomo statuimus, nulla planè hîc est difficultas, quia diximus legem non ponere materiam, quam præcipit in eâ virtute, ad quam ex se spectare videtur ea materia; vnde docui, eum, qui temperatissimè, iuxta regulas alioquin naturalis temperantiæ, bibit vinum, non debere vllo modo dici intemperantem, etiamsi per legem sit illi prohibitum vinum, sed illum haustum esse contra obedientiã; eodem modo ac si per priuatum præceptum fuisset illi eidem prohibitum vinum, quia quoad hoc non potest excogitari cum fundamento solido maior ratio in præcepto vniuersali quàm in particulari. Sicut enim lex generalis se habet quoad omnes, ita particulare mandatum ad particularem personam. Id ipsum etiam ostendi ex voto, quod non ponit suam materiã vt necessariam ad virtutem, in quâ est actus,

Inconsequentia hic arguitur.

26.

vt

Digitized by Google

vt omnes fatentur; probaui autem ibidem non posse disparitatem assignari inter votum & legem quoad hoc. Hinc ego dico, Sicut qui vouit dare eleemosynam, aut dare alteri pallium, non continuò tenetur ex iustitia ad id, ita etiam nec necessariò teneri ex iustitia, etiamsi per legem imponeretur talis donatio: si ergo per legem scriptam potest oriri obligatio talis non pertinens ad iustitiam, poterit etiam per consuetudinem. Ratio vlterior in hoc puncto ea est, quia communitas transferendo in caput Reipublicæ iurisdictionem in se, seu se illius gubernationi submittendo, non ideò transtulit in illum dominium proprietatis in res suas: sunt enim (vt suprà ostensum est) duo hæc dominia valdè inter se diuersa: ergo cùm obligatio, quæ inducitur per consuetudinem communem quà talem, reducatur propriè ad dominium iurisdictionis, quia pertinet ad obligationem legis, quæ vt talis oritur à dominio iurisdictionis, proculdubio non infertur inde translatum esse dominium proprietatis; & consequenter non ideò ea consuetudo iuducet in altero, cui soleo eam rem dare, ius iustitiæ, ideóque non erit ea præscriptio, quæ absolutè solet talis vocari, seu in materiâ iustitiæ.

Volens dare pallium aut eleemosynam alteri non tenetur statim ad id.

SECTIO V.

De diuisione consuetudinis in bonam & malam, rationabilem & irrationabilem.

27. *Quid consuetudo priuatiua & positiua.*

ALia diuisio consuetudinis posset tradi in positiuam & in priuatiuam seu negatiuam; circa quam vno verbo dico, moraliter ea duo membra in idem coincidere, dummodò negatiua seu priuatiua ea consuetudo sit per omissiones liberas; tunc enim ipsum non facere potest vel abrogare antiquum ius, quod actionem illam nunc omissam præcipiebat, vel etiam inducere obligationem non faciendi eam actionem, quæ ante eam consuetudinem licita erat, si ex parte eius omissionis cætera necessaria occurrant, vt possit esse materia legis: quod eodem modo de actione positiua dicendum est; nam consuetudo positiua non inducit obligationem, nisi materia sit legis capax. Hac ergo diuisione omissa veniamus ad eas de quibus in titulo sectionis.

28. *Quid consuetudo bona & mala.*

Consuetudo bona ea est, quæ materiam habet moraliter bonam, & ipsa in se nullo ex capite vitiatur; illa verò, quæ licet sit erga materiam in se bonam, aliunde tamen vitiatur, solùm dicitur secundùm quid bona: hinc intelligitur è contrario malam consuetudinem esse illam, quæ vel est de materia in se mala, vel ipsa aliunde vitiatur; quæ verò ex vtroque capite fuerit mala, erit simpliciter & in omni rigore mala, quæ verò fuerit ex parte materiæ bona, ex circumstantiis verò aliquem defectum habuerit, erit secundùm quid mala: verum quidem est, eam etiam tunc denominandam absolutè malam, quia mali denominatio desumitur ex quocumque defectu, in ordine tamen ad præsentem tractatum multum interest, sitne hoc solo secundo modo mala, an etiam primo; nam si primo modo, id est, vt habeat obiectum natura suâ malum, iam diximus suprà, eam non posse inducere vllum ius; si verò solùm mala sit secundo modo, sæpè potest (vt ex dicendis constabit) inducere ius: vnde hæc diuisio non est diuisio consuetudinis vt significat ius, quia ius non potest esse malum, sed necessariò est in se bonum; est ergo ea diuisio consuetudinis vt significet repetitionem actuum; vt sic enim capax est bonitatis & malitiæ quod dixi de consuetudine habente obiectum natura sua malum, intelligendum est eodem modo de consuetudine quacumque, quæ ex se sit intrinsecè mala, ita vt numquam possit esse bona: illa enim ad inducendum ius legis, de quo iam loquimur, planè est inutilis; nam ad rem, quæ necessariò est mala, non potest vllum acquiri ius licitè illam faciendi.

Quid bona & mala secundùm quid.

Consuetudo mala non inducit ius.

29. *An, & qui differant consuetudo rationabilis & irrationabilis à bonâ & malâ.*

Circa alteram verò diuisionem consuetudinis in rationabilem & irrationabilem duplex occurrit difficultas: Prima, in quo ea differat à consuetudine bonâ & malâ: etenim omne bonum videtur esse rationabile, & è contrario omne rationabile bonum; omne item malum videtur esse irrationabile, & omne irrationabile malum. Secunda difficultas est, quæ fortè ad maiorem explicationem præcedentis pertinebit; in quo constat ea consuetudinis irrationabilitas. Hac de re fusè P. Suarez toto cap. 6. Mihi videtur facilior quæstio, quàm vt longam exigat disputationem: dico igitur: Rationabilis consuetudo ea est, quæ potest esse de re honestâ & aptâ ad materiam legis, siue de facto ab extrinseco sit prohibita, & habeat obiectum actu prohibitum, siue non; irrationabilis verò illa, quæ est de tali actu, qui non potest commodè cadere sub legem, sine ille malus sit ex se & natura sua, siue etiam bonus, aliunde tamen nequeat esse materia legis. Hæc explicatio ex terminis apparet clara; & solùm videtur in ea restare declarandum, quæ sit materia capax legis, quæ verò non: hæc autem difficultas propriè non spectat huc; etenim communis est tam ad consuetudinem inducentem legem quàm ad legem propriam, ideò nolo eam hîc tractare; non enim libenter repeto tractationem eiusdem difficultatis, aut in alieno loco quæstiones examino. Video hîc Patrem Suarez fusè agentem contra Nauarrum, an omnis consuetudo, quæ non est contra legem naturalem vel diuinam directè, vel indirectè, iudicanda sit rationabilis, nec ne; sed quia in hoc puncto vel admiscetur quæstio de nomine, vel quæstio aliena hîc tractatur, nolo hærere, insinuabo tamen in quo consistat tota difficultas. Igitur supponendum est Primò pro præsenti quæstione, nos agere quidem hîc de consuetudine facti, quia iam dixi suprà, ius omne eo ipso quòd sit verum ius, esse honestum; quia tamen agimus de consuetudine vt habente vim ad inducendum ius, agimus de illa vt rationabili non solùm ex parte materiæ, sed ex parte iuris, vt scilicet rationabilis sit obligatio ad id faciendum: valdè enim hæc duo inter se differunt, *Res hæc est in se rationabilis*, &, *Obligatio ad illam est rationabilis*: multa enim in se sunt rationabilia & verò sanctissima, & tamen obligatio ad illa esset irrationabilis & absolutè mala: v.g. quòd sanctus Simeon permanserit 85. annis in columnâ aspertimam & sanctissimam vitam agens, quis audebit dicere non fuisse rationabile, rationabilissimum, sanctum & sanctissimum; at obligare per legem vt omnes homines id faciant, vel certè vt maior pars, esset irrationabile, & quidem summè, vt omnes sine dubio fatebuntur: & idem in multis aliis exemplis ostendi potest.

Quid sit consuetudo rationabilis & irrationabilis.

30. *Suarij cũ Nauarro dissidiũ. An omnis consuetudo sit rationabilis, quæ nec est directè nec indirectè, contra legem naturalẽ vel diuinam. Nota de quâ consuetudine hic agatur. Facta possunt esse summè rationabilia, obligatio verò ad illa summè irrationabilis.*

Hæc tamen difficultas (& sit secunda obser- 31.

Digitized by Google

natio valdè necessaria) non spectat propriè ad hanc quæstionem, vt dixi paulò antè; nam siue ea obligatio standi in columnâ proueniat à consuetudine, siue à lege scriptâ, eadem erit in ipsâ repugnantia; imò ausim dicere, longè minorem esse

Longè minor est repugnantia in ordine ad consuetudinem quàm legem.

in ordine ad consuetudinem quàm in ordine ad legem scriptam, etiamsi paradoxum hoc secundum alicui videatur: nam ad res valdè difficiles & asperas difficiliùs obligat Princeps (est enim fortè id extra iurisdictionem quam ipsi tribuit communitas) quàm seipsam obliget communitas per consuetudinem: sed quidquid de hoc sit, illud saltem habeo, æquè extendi eam difficultatem ad legem scriptam ac ad ius inductum per eo ſuetudinem; vnde non debet nunc disputari, an ad omnes actus, qui non sunt ex se mali, possit esse obligatio, sed potiùs contrarium supponendum ex communi principio legis, vt abstrahit à scripta & non scripta. His positis,

32. *Explicatur mens Nauarri. Omnis materia, quæ nullo pacto est contra Legem Dei, est rationabilis.*

Dicendum cum Nauarro, si loquamur de consuetudine facti, verissimum quidem esse (& fortè hæc fuit mens illius, & nihil ampliùs) omnem materiam, quæ nullo modo esset contra legem Dei naturalem, nec directè nec indirectè esse rationabilem. Dico *nec indirectè*, quia etiam id quod est contra præcepta positiua indirectè est contra legem naturalem. Probatur conclusio: nam si populus ipse spontaneè velit illa opera bona etiam summè difficilia exercere, & quidem ex consuetudine, siue dubio rationabile esset, siue inducatur inde obligatio, siue non, quod pertinet ad consuetudinem vt inducentem ius. Quapropter dicebat Paulus, *Volo omnes vos esse sicut meipsum; præceptum tamen Domini non habeo.* Quòd si Nauarrus dicat consuetudinem per modum iuris seu obligationis ad hæc omnia opera esse etiam rationabilem, grauissimè eum decipi ex dictis constat. Hæc circa mentem Nauarri.

1. Cor. 7.

33. *Non omnis consuetudo contraria iuri positiuo, adeóq; mala, est simul irrationabilis.*

Iam absolutè dicimus: Non omnis consuetudo, quæ est contra ius positiuum, eóq; ipso est mala actu, est etiam irrationabilis: id patet tum à posteriori tum à priori: à posteriori quidem; nam alioquin nulla consuetudo posset præualere contra legem humanam; quod tamen apertè falsum est. Sequela verò probatur, quia omnis consuetudo contra legem est eo ipso mala; ergo si eo ipso esset irrationabilis, nulla posset præualere: patet, quia consuetudo irrationabilis numquam potest inducere ius legis, seu numquam potest præscribere, vt infrà dicemus. A priori verò idem suadetur, quia fieri potest, vt id, quod ex se bonum est, prohibeatur aliquâ lege positiuâ ob aliquem finem extrinsecum honestum, ideóq; illud tunc facere malum sit, non tamen propterea consuetudo illud faciendi irrationabilis dicatur; quia licet actu sit mala ea consuetudo, potest tamen esse bona, dum abolitâ priori lege inducit obligationem faciendi id quod bonum ex se erat, & verò de facto est in se bonũ. Et hinc apparet in quo differant ea duo, *consuetudo mala & irrationabilis*; vnde obiter infero, quod superiùs dixi, consuetudinem rationabilem eam esse, quæ est de tali re, quæ possit esse materia legis scriptæ, seu cuius materia aut actus sunt honesti, & sine vllo periculo aut graui onere imperari possunt: irrationabilem verò è contrario eam dici, quæ vel est de obiecto naturâ suâ malo, aut circumstantiam habet essentialiter malam; vel quæ, licet sit de opere honesto & sancto, nimis tamen graue onus induceret, si obligaret vniuersaliter ad illud; quo sensu solet dici, opera consilij

Consuetudo irrationabilis numquam præscribit.

Quæ sit propriè consuetudo rationabilis & quæ irrationabilis.

Euangelici non cadere sub legem; vel denique, cuius materia etsi factibilis sit, & alioquin non prohibita lege naturæ, est tamen valdè periculosa, & potiùs dispositiua ad malum quàm ad bonum; imò etsi ad malum non disponat, si honestum tamen non habeat finem, non poterit inducere ius obligatiuum. Talis enim sine dubio non potest honestè per legem scriptam præcipi, ergo nec per consuetudinem; quia, vt dixi, difficultas est omnino communis.

Opera consilij Euangelici qui non cadant sub legem.

Quæri vltimò circa hanc diuisionem posset, vnde dignosceretur, quæ materia sit in particulari capax consuetudinis rationabilis. Respondeo Primò, eodem modo id colligendum, sicut pro lege scriptâ. Iam enim ostendi, quæstionem quoad materiam legis & consuetudinis esse communem. Secundò, immediatè antè dedi regulas satis claras & generales. De applicatione verò ad illam materiam non est nobis in præsenti agendum.

34. *Qui sciri possit quæ materia sit in particulari capax consuetudinis rationabilis.*

Sectio VI.

De diuisione consuetudinis in probatam, & non reprobatam seu permissam.

Circa hanc diuisionem dissensio est aliqua de nomine, quæ scilicet dicatur permissa, an sola ea quæ honesta est, an etiam aliquando ea, quæ mala, an sola rationalis, an irrationabilis: in quâ dissensione videtur probabilior hic vltimus modus dicendi: pro cuius intelligentiâ animaduertendum (& quidem obseruatio hæc suo modo communis est legibus scriptis; nam etiam hæc difficultas sicut præcedens videtur esse generalis omni legi) non esse idem, reuocare aliquam consuetudinem, & reprobare illam: sicut non est idem, reuocare antiquam scriptâ legem per nouam contrariam, & eam reprobare, quia reuocare solùm denotat auferre illi vim vlteriùs obligandi, per quod non denotatur illam fuisse malam; imò, si vera fuit lex, eo ipso supponitur fuisse bona etiam vsq; ad illud punctũ; alioquin si anteà desiisset esse bona, iam anteà fuisset reuocata, licet non solemniter, saltem in actu exercito quoad vim obligandi; at reprobare consuetudinem est declarare illam esse iniustam; quod longè plus est: sicut etiam aliquando leges Canonicæ reprobant alias leges scriptas Principum sæcularium, declarando eas esse iniustas; quando v. g. sunt contrariæ libertati Ecclesiasticæ, vel nimiùm per illas grauantur subditi, &c. Eodẽ modo dicendum est, non esse idem, consuetudinem prohiberi per legem & reprobari, quia potest id, quod alioquin ex se bonum est, prohiberi hîc & nunc: per quod non denotatur, illud esse absolutè malum. Verum quidem est, si loquamur respectiuè ad id tempus videri idem reprobari & prohiberi; nam quod prohibitum est malum est, ergo saltem pro eo tempore reprobatum est: sed quidquid sit de hac æquiualentiâ, constat iam satis de significatione.

35. *Quæ consuetudo dicatur permissa.*

Aliud est reuocare consuetudinem, aliud reprobare.

Quid sit legem prohiberi & reprobari.

Subsectio I.

An lex dicens nõ obstante consuetudine, *abrogari tamen per consuetudinem possit.*

Illud ergo de re circa præcedentem diuisionem occurrit Primò, an, quando lex reuocat antiquam consuetudinem dicendo, *non obstante quacum*

36. *An consuetudo semel lege abrogata possit*

Digitized by Google

Secundò assurgere & prævalere contra ipsam leg. Negant Turrianus, Archidiaconus, Ioannes Andreas &c.

quacumque consuetudine in contrarium, censeatur eam prohibere in posterum; an verò adhuc relinquat locum, vt possit posteà ea consuetudo secundò exsurgere, & prævalere contra legem ipsam. Antoninus 1. p. tit. 16. §. 6. citans Archidiaconum & Ioannem Andream in cap. 1. de consuetudine in 6. docet omnino tunc prohiberi in posterum: idem videtur sentire Angelus verbo *Consuetudo*. Silvester ibidem num. 9. qui alios etiam pro se referunt: idem sentit Salas disp. 19. sect. 7. vbi contrariam dicit esse omnino falsam, & contra omnes Doctores vsúmque Pontificum. Fundamentum huius doctrinæ est, quòd lex semper loquatur; ergo si dicit, *non obstante consuetudine quacumque*, semper resistit ei consuetudini; ergo semper eam prohibet, impeditque ne prævaleat.

37. Auctor distinguit inter clausulas legibus dari solitas.

Nihilominùs longè probabilius est per similes clausulas non prohiberi consuetudinem in futurum, sed præteritam solùm aboleri. Priùs tamen distinguendum est: vel enim ea clausula dicit, *non obstante vllâ consuetudine in contrarium*, vel dicit, *non obstante vllâ consuetudine in futurum*. Nos ergo solùm agimus de primâ reuocatione; nam de secundâ paulò pòst erit agendum. Igitur quoad præcedentem, conclusio nostra quam tradit P. Suarez eo lib. 7. cap. 7. & alij apud Salas suprà, probatur, quia tunc Legislatoris mens non est, nisi præcedentes, si quæ sunt, consuetudines reuocare: non enim agit nisi de consuetudine, quæ legi vt hodie latæ obstare possit, ne hodie obliget: at consuetudo futura non potest obstare præsenti obligationi legis, ergo. Quod autem dicitur legem semper loqui parum vrget; nam intelligitur semper loqui eo modo, quo ab initio loquebatur: vnde sicut ab initio solùm præcedentem consuetudinem reiiciebat, ita de præsenti loquitur solùm reiiciendo antiquam.

Non est Suarez affirmans.

Quando cessatur lex semper loqui.

38. Quando lex solum in actu exercito consuetudinem de futuro rejicit.

Vrgebis: semper loquitur lex reiiciendo saltem de præsenti omnem consuetudinem contrariam sibi, ergo numquam permittit vllam assurgere; quia illa etiam quæ de bono assurgeret, etiam esset illi pro eo saltem tempore contraria. Respondeo, tunc temporis legem solum in actu exercito (vt dici solet) reiicere consuetudinem de futuro: quod possumus etiam dicere de omni lege, etiam eâ, quæ non facit mentionẽ vllius consuetudinis: etenim omnis talis lex obligat ad faciendum id quod præcipit, & prohibet in actu exercito consuetudinem contrariam, quæ sine actibus legi contrariis esse non potest; vnde quamdiu lex durat; semper prohibet consuetudinem, esto posteà consuetudo malâ fide introducta tandem efficiat vt lex cesset, & consequenter, ne iam ampliùs validè ipsa reiiciatur per legem: quid autem in consuetudine requiratur, vt faciat reuocationem legis, quæstio est communis omni consuetudini. de quâ ipsrà agemus.

Lex prohibens consuetudinem quamdiu durat.

39. Explicatur mens Patris Sanchez.

Dices vlteriùs: Si lex absolutè dicat, *non obstante quacumq; consuetudine*, intelligitur prohibere consuetudinem etiam futuram: ita enim docet P. Thom. Sanchez 7. de Matrimonio disp. 4. n. 13. & Salas suprà, qui putant eam esse communem sententiam: ergo licet, quando Princeps dicit expresse *non obstante consuetudine iam introducta*, non censeatur impedire futurum, quando tamen absolutè & vniuersaliter loquitur illam impediet. Respondeo tamen Patrem Sanchez non agere de omni lege, in quâ talis causula ponitur, sed de illâ quæ confirmat impedimenta Canonica dirimentia matrimonium, quia ibi ea consuetudo non solùm reiicitur, sed reprobatur vt corrupta; eo autem ipso intelligitur in futurum reprobata: at nos solùm loquimur de consuetudine, quæ potest tandem esse iusta; vbi non intelligimus per ea verba *non obstante consuetudine*, aliam reiici, quàm eam quæ obstare poterat, vt suprà dicebamus: at sola consuetudo iam existens obstare poterat legi vt tunc latæ, ergo ea sola intelligitur tunc abolita.

SVBSECTIO II.

Variæ sententiæ circa eam difficultatem, an lex abrogans futuram consuetudinem possit per consuetudinem tolli.

40. Communiter negatur.

QVæritur, an si lex expresè dicat, *Prohibemus ne vlla contraria in posterum consuetudine mandatum hoc nostrum abrogetur*, tunc possit ea abrogari per consuetudinem contrariam. Communiter omnes negant, & videntur id supponere vt certum; habet tamen re ipsâ magnam difficultatem: nam illa ipsa reflexa prohibitio est lex; nec maiorem habet vim quàm aliæ leges: ergo sicuti hæ possunt abrogari per consuetudinem, ita etiam illa poterit. Declaro: Sicuti hæc lex dicit, *Prohibeo consuetudinem in contrarium*, ita aliæ omnes dicunt, *In futurum prohibemus aut lusum, aut arma, aut hanc vel illam actionem*; & tamen per consuetudinem possunt lusus & cætera fieri licita successu temporis; ergo ipsa etiam consuetudo potest fieri licita successu temporis: patet nã consuetudo reddi potest licita, etiamsi incœperit illicitè; ergo, etiamsi fuerit prohibita, desinet tamẽ esse prohibita, reddetúrque licita: suppono aliunde non esse irrationabilem; nam si id habeat etiam independenter ab omni prohibitione legis, numquam inducetur validè, iuxta dicta circa secundam diuisionem.

Ostenditur sententia cõmunis difficultas à paritate aliarum legum quas consuetudo tollit.

41. Non est improbabile, etiam contra talem legem consuetudine præscribi posse.

Obiectio hæc difficultate non caret, & videtur probabiliter persuadere, etiam contra talem legem posse consuetudine præscribi. Priùs verò aduerte quæstionem esse intelligendam, *nulla facta in materia legis & consuetudinis mutatione*; nam si materia legis censetur ob aliquam circumstantiam omnino necessaria, ideóq; in posterum prohibetur contraria consuetudo, posteà verò ea circumstantia mutetur, vel succedat noua causa, quæ illam materiam faciat vtilem & capacem legis, poterit etiam tunc per consuetudinem prior ea lex abrogari, quia iam censetur cessasse causa ob quã reiiciebatur: in futurũ contraria consuetudo; vtcum multis docet valdè benè P. Thom. Sanchez suprà num. 14. quæstio ergo præsens est, casu quo materia legis in se non sit facta melior aut peior. In quo puncto tenenda est sententia communis suprà posita: & ad obiectionem respondendum, disparitatem inter vtramq; legem in eo consistere, quòd lex, quæ solùm prohibet actus illos seorsim, nó verò consuetudinem, cessat, quando ventum est ad consuetudinem; quia tunc consuetudo est bona, & consequenter potens inducere ius: at quando ipsa etiam consuetudo expresè est prohibita, tunc non solùm actus singulares contrarij illi legi, v. g. singulæ gestationes armorum, aut singulæ nocturnæ euagationes per ciuitatem, sunt mali, sed etiam quando venitur ad talem frequentiam, quæ iam sit consuetudo, etiam tunc ea est mala; quia tunc incipit maximè obligare altera pars illius legis: erat enim virtute duplex lex, quatenus

Cessante causâ, ob quam consuetudo in futurũ est prohibita, cessat ipsa lex prohibẽs.

Auctor subscribit opinioni communi. Quæ disparitas sit inter vtramque legem.

Digitized by Google

tenus & actus seorsim, & simul etiam eam frequentiam, quæ consuetudinem constituit, prohibuerat; vnde fit, vt ea consuetudo semper sit mala; eo autem ipso non possit dare ius ad faciendum illud opus.

42. *Quomodo obliget Legislator in communibus legibus, & quomodo in præsenti.*

Quòd si vlteriorem rationem à priori volumus quærere, dicere possumus, id prouenire ex voluntate Legislatoris: hic enim, quando imponit legem ordinario modo non prohibendo consuetudinis vigorem, censetur cedere suo iuri, & esse contentus, quòd posteà non obliget amplius ea lex; at quando clausulam adhibet prohibentem consuetudinem, iam declarat expressè se id non permittere; & consequenter populus, qui totam suam voluntatem in Principem transtulit, non potest contra voluntatem illius expressam præscribere, quia consuetudo non aliam habet vim legis quàm ex permissione Principis præmissa. Verùm adhuc in hoc puncto tantisper hærendum erit: & in primis Pater Suarez videtur in eo contrària docuisse; etenim cap. 7. lib. 7. agens de consuetudine reprobatâ supponit n. 5. vt omnino certum, legem prohibentem futuram consuetudinem impedire, seu præuenire, ne introducatur; & sentit id esse iuxta communem omnium sententiam; maximéque fundatur in eo principio, quod lex semper loquitur: contrarium autem videtur expressè docere eodem lib. cap. 19. num. 21. vbi disputans, vtrùm in regulâ generali, quòd consuetudo possit abrogare legem positiuam humanam, sit admittenda aliqua exceptio, tertio autem loco ponens hanc, quòd scilicet tunc non abroget, quando lex prohibet futuram consuetudinem; dicit, nullo modo eam exceptionem admittendam, sed etiam eam legem abrogari posse per consuetudinem; vtitúrque argumento paulò antè à nobis facto, quòd scilicet illa eadem reflexa lex non habet nisi vim legis; ergo potest abrogari per consuetudinem, sicut aliæ omnes leges: addit etiam aliam rationem; nam ea consuetudo potest esse rationabilis & præscripta: quas solas duas conditiones requirit cap. vltimum de consuetudinibus, vt abrogetur per consuetudinem ius positiuum: deinde in eo capite nulla fit exceptio, sed absolutè de omni iure positiuo videtur decidi, posse abrogari, ergo. Quòd si consuetudo non sit præscripta, sed præsumatur consensus Principis, poterit etiam ex eo capite abrogare priorem legem; nam etiam potest Princeps tacitè reuocare non minùs voluntatem illam, quòd consuetudo non valeat, quàm alteram, quâ mandat aut prohibet hos vel illos actus: vtraque enim est ab ipso reuocabilis. Hanc sententiam priùs docuerat P. Vasquez disput. 177. cap. 8. pro se citans Nauarrum in Comment. de Spoliis §. 14. num. 8. quem & Suarez allegat, addens etiam Sotum lib. 1. de Iustitiâ quæst. 7. art. 2. qui cum aliquâ limitatione eam tenet; nam absolutè contrariam ibi defendit: & ipse Suarez cum citat tam pro contrariâ quàm pro se duobus his locis, quibus eam quæstionem tractat.

Suarius sibimet & his contrarius est, & aliàs.

Hæc Suarij opinio est à Vasquez, Nauarro & Soto.

43. *Stabilitur fusiùs: deducitur communis opinio. Nota hic duplicem tam legum quàm consuetudinum differentiam.*

Ego tamen arbitror non recedendum ab eâ doctrinâ quam paulò antè probaui: oportet tamen aliquantulùm eam explicare & fusiùs deducere: duplex ergo potest esse lex prohibens futuram consuetudinem & abrogationem sui per illam: vna lata à Principe supremo, v. g. à Papâ, aut in ciuilibus ab Imperatore, à Rege Hispaniæ in Hispaniâ, à Rege Galliæ in Galliâ, &c. altera, quæ sit lata ab inferiori Legislatore. Secundò oportet distinguere inter consuetudinem, quæ quasi vi præscriptionis abrogat legem; & illam, quæ ex præsumptione probabili tacitì noui consensus Principis. His positis, de singulis diuisionibus dicendum est aliquid.

SVBSECTIO. III.

Deciditur quæstio.

DICO PRIMÒ: Si lex, quæ prohibet consuetudinem in posterum, addíque, *vt ea non obstante lex permaneat*, procedit à Principe supremo, non potest per consuetudinem puram seu quasi præscriptam vllo modo abrogari. Hæc est communis, licet non cum hac distinctione ponatur, sed absolutè dicatur, nullam legem prohibentem consuetudinem per hanc abrogari. Probo autem illam manifestè; nam, iuxta ea quæ in hac materiâ dicemus, consuetudo non aliter abrogat legem priorem quàm vi voluntatis antecedentis ipsius Legislatoris, quâ dixit, *Volo vt talis consuetudo, cùm ad præscriptionem venerit, legem abroget:* non enim consuetudo abrogat legem nisi vi iuris positiui explicati eo cap. vltimo sæpè citato de consuetudinibus, vt dicit Suar, atqui Legislator supremus, Papa v. g. eo ipso quòd in lege aliqua particulari sua dicat, *Nolo vt vllâ consuetudine contra hanc legem præscribatur*, aut, *nulla abrogetur*, iam eo ipso reuocat illud ius commune seu voluntatem suam, aut prædecessorum generalem; reuocat, inquam, quantum ad hanc particularem legem: quid enim aliud est dicere, *Volo, vt contra hanc non præscribatur*, quàm, *Nolo vt hîc habeat locum generalis regula de præscriptione*: ergo consuetudo hæc particularis contra hanc legem manet omnino destituta voluntate illa Principis reuocatiua legis, ergo non poterit legem reuocare. Patet euidenter consequentia quia, (vt & Vasquez & Suarez meritò sæpè docent) consuetudo non abrogat legem nisi quatenus fulcitur voluntate aliqua Principis; sed hîc nulla manet, vt probatum est euidenter, ergo non poterit esse in illâ ius reuocandi: neque enim recurri hîc potest ad aliam voluntatem præsumptam, quia in hac conclusione solùm agimus de consuetudine, quæ deberet legem abrogare vi prioris voluntatis Legislatoris, & independenter à nouâ scientiâ & consensu Principis. Et certè conclusio hæc sic declarata tam clara videtur, vt de eâ nec dubitari quidem explicatis terminis possit: neque contra eam habent vllam vim rationes suprà factæ; nam licet ea volitio Principis non sit fortior quàm altera, quâ condit cæteras leges, vt dicebat P. Suarez; quia tamen non supponitur per vllam aliam retractata, & aliunde ipsa est sufficiens retractatio alterius iuris communis, à quo præcisè consuetudo vim habebat, non potest per consuetudinem vllam aboleri sicut abolentur aliæ leges vi consensus ipsius Principis in abolitionem. Ideò in hac conclusione locutus sum de Legislatore supremo, qui ius illud commune potuit sufficienter reuocare, & de facto in hac lege particulari reuocauit.

44. *Quæ lex prohibens consuetudinem in futurum non possit per consuetudinem puram vllatenus abrogari.*

Fusiùs id declaratur.

45. *Suarez & Vasq. axioma: Consuetudo non abrogat legem, nisi quatenus fulcitur voluntate aliquâ Principis.*

Ratio efficax, cur ea consuetudo nequeat aboleri sicut cætera leges.

Hinc infero, Si nullum esset ius cõmune dans antecedenter vim consuetudini, fore vt nulla lex diceret, *Volo vt non præualeat contra me consuetudo*, abrogari posset per consuetudinem, etiamsi ipsimet Legislatores antecedenter declarassent se permittere abrogationem per consuetu

46. *Nota, quando nulla lex per consuetudinem abrogari possit.*

Digitized by Google

suetudinem: etenim tunc ea declaratio prior vniuersalis reuocaretur per legem sequentem, essentque tunc illi Legislatores per modum supremi respectu eius reuocationis; quia à nullo superiori, vt supponimus, data fuisset antecedenter consuetudini vis reuocandi legem: excludimus enim iam commune ius ab altiori promanans potestate.

47. *Lex ab inferiori Legislatore lata, etiam prohibens induci contrariam consuetudinem, potest tamen abrogari.*

Dico Secundò: Si lex sit lata ab inferiori Legislatore, probabilis est sententia P. Vasquez & Suarez, quòd ea abrogetur per consuetudinem præscriptam, etiamsi in eâ ipsâ lege caueatur, ne consuetudo contraria inducatur. Rationem huius reddo, quia à Legislatore supremo data est vis consuetudini rationabili præscriptæ contra omnes leges positiuas: atqui inferior Legislator non potest illud ius reuocare aut limitare, ergo, etiamsi dicat, *Nolo vt consuetudo rationabilis præscripta valeat contra hanc meam legem*, nihil poterit efficere, quia contrarium est volitum à iurisdictione maiori.

48. *Verius tamen est huic contrarium.*

Nihilominùs tamen dico Tertiò: Etiam in hoc casu mihi videtur probabilior contraria sententia, tum quia communior, vt dixi; tum quia argumentum hoc etiamsi sit probabile, habet tamen solutionem bonam; eo autem ablato res manet in terminis primæ conclusionis. Respondeo ergo ei argumento, Papam in eo capite, etiamsi expresse id non tradiderit, tamen tacitè subintellexisse eam consuetudinem rationabilem præscriptam valere, nisi ab ipso auctore legis contrarium caueatur: non enim debet præsumi abstulisse potestatem legis auctori impediendi consuetudinem contra aliquas suas leges; nam sæpè id est valdè expediens. Deinde ratio suprà à nobis facta, dum respondimus obiectioni in contrarium, id ostendit: nam talis lex est duplex quasi virtualiter, & ex vna parte impedit actus etiam diuisiuè sumptos, ex alia etiam copulatiuè, seu quando iam veniant ad terminos consuetudinis alioquin potentis abrogare legem: ergo etiam tunc sunt mali, ergo numquam liciti.

Lex, de quâ suprà, est duplex.

Roboratur opinio.

Confirmo: Non obstante eo iure communi, Legislator inferior, cùm primùm consuetudo est completa, & expletum tempus præscriptionis, potest noua lege dicere, *Nolo hanc consuetudinem valere, sed adhuc restituo in suum statum antiquam legem:* id quod nemo negabit esse possibile; ergo poterit antecedenter totum id vna voluntate virtualiter duplici efficere; quia licet ea volitio sit prior tempore quàm consuetudo, natura tamen, vt sic loquar, & obiectiuè est posterior; quandoquidem dicit, *Nolo vt ea consuetudo, etiam postquam fuerit completa in ratione facti, valeat:* est enim quoad hoc per accidens, quod id hodie vel cras decernatur, cùm iam sint ponderatæ rationes, quæ possunt cras occurrere, & contra illas hodie decernitur. Quæ ratio mihi valdè efficax videtur.

49. *Quando lex non possit tolli per consuetudinem indicantē consensum tacitum Principis.*

Dico Quartò, Si Legislator dicat, *Nolo vt hæc lex mea tollatur per consensum tacitum meum, sed solùm per expressum*, probabilius esse non posse tolli per consuetudinem indicantem consensum tacitum Principis. Ratio est manifesta, quia si expresse ipse Princeps excludit tacitum consensum; ergo hic non erit sufficiens ad tollendam legem. Declaro id: Negari non potest, quin ad multas res requiri possit expressus consensus Principis aut alterius, & non sufficiat tacitus. Ratio est manifesta; nam tacitus consensus solùm est ex præsumptione, quæ non semper est vera; quia quod dicitur communiter, *Qui tacet consentire videtur*, est probabile, non tamen certum: quid ergo prohibet requiri non solùm probabile, sed certum iudicium voluntatis Legislatoris? & verò nos dicemus infrà cum Panormitano, vi eius capitis vltimi de consuetudine probabilius esse, nullam consuetudinem non præscriptam posse abrogare legem priorem, quia id videtur insinuare caput illud vltimum: & licet dicturi simus cum Patre Suario, etiam non obstante eo capite, aliquando posse ita clarè præsumi Principis consensum, vt abrogetur lex per consuetudinem non præscriptam, tamen dicam id rarissimè euenire; & saltem hoc non poterit mihi negari, quin decerni à Papa possit, *Nolo vt nisi per expressum consensum abrogetur hæc lex:* quæ enim in hac volitione occurrere potest repugnantia? si autem id decreuisset per ius commune, nemo auderet dicere, independenter ab ea volitione expressa posse reuocari legem; ergo si Legislator id requirat in institutione particulari suæ legis, sine dubio ea non reuocabitur nisi per consensum expressum.

An verum sit illud, Qui tacet consentire videtur.

Papa potest decernere vt non nisi per consensum expressum abrogetur ista lex.

Dices: Hæc eadem volitio reflexa reuocari 50.
potest per consensum tacitum; ea autem reuocata etiam reuocari poterit altera directa, id est lex ipsa. Hoc argumentum est, quod maximè fauet ei sententiæ; nihilominùs dico, aliquas volitiones Principis esse, quæ vtcumque possunt præsumi ex actibus subditorum visis à Principe & toleratis, alias verò è contrario esse, quæ non possunt præsumi: inter has autem maximè est ea quæ dicit, *Nolo abrogari legem nisi per expressum meum consensum:* quomodo enim, quæso, per consuetudinem transgressionis legis cognoscetur reuocatio huius voluntatis, cùm ea voluntas expresse supposuerit futuras tales transgressiones, & tamen dixerit per eas non reuocandam? Numquid si Rex diceret alteri, Etiamsi videar tacendo annuere Petro roganti pro suo fratre, scias tamen me non parcere, nisi tibi expresse id dixero: quomodo, inquam, prudenter quis dicere poterit, Regem non dato expresso signo parcere? Sed quid ego diutiùs immoror, cùm huius rei ratio à priori sit manifesta; nam si ipse dixit, *Nolo vt lex abrogetur nisi me expresse consentiente*, rogo, an quando datur consuetudo illa, quam supponitur Princeps scire, supponatur etiam consentire in abrogationem legis, an non, si non, ergo non potest cessare lex: in quo puncto nulla esse potest dissensio: si verò censetur velle abrogare, cùm sciat ipse, se posuisse eam conditionem volitionis expresse, profectò si vellet eam abrogari, essetque contentus ea abrogatione, nihil esset quod impediret, ne poneret eam conditionem, quam priùs ipsemet requisiuit, volitionem scilicet expressam: quòd si eam non ponat, non potest præsumi velle, sed potiùs contrarium. Quæ doctrina mihi est verissima, & valdè necessaria videtur ad multos casus morales, in quibus requiri potest expressus consensus.

Distinguuntur diuersa volitiones in Principe.

Ratio à priori.

Aduerte tamen, quando dico *expressus*, me 51.
iam non agere, vtrùm verbis, an alio signo illum debeat Princeps declarare, dummodo signum ab ipso detur; sed eo sensu requiro expressum, vt condistinguitur ab actibus, qui fiunt à subditis ipso Principe purè dissimulante; & hunc dico eo casu non sufficere. Hac doctrina suppositâ addo, quandocumque Legislator dicit, *Nolo vt consuetudine vllâ abrogetur hæc lex*, idem dicere ac, *Nolo*

Qui sumatur hic consensus expressus.

Efficax conclusionis probatio.

Digitized by Google

Nolo vt abrogetur per meum tacitum consensum: nam licet obiter rem tangens dubitet P. Suarez suprà, an hæ duæ volitiones sibi æquialeant, mihi certum est omnino sibi æquialere. Consuetudo enim non abrogat legem nisi vi taciti consensus prioris aut subsequentis, vt omnes fatentur; ergo dicere, *Nolo vt consuetudine abrogetur eo modo quo solet abrogari*, est idem ac dicere, *Nolo vt abrogetur per tacitum consensum meum*; hic enim est modus vnicus quo per consuetudinẽ abrogatur: videtur ergo ea propositio dicere per definitionem, quod alia dicit per definitum.

Lex non abrogatur consuetudine nisi vi taciti consensus aut præcedentis aut subsequentis.

52. Dices: Consuetudo abrogat legem vi consensus expressi precedentis tamẽ ipsam legem; ergo, dicere, *Nolo vt abrogetur per consuetudinẽ*, non est idem ac dicere, *Nolo vt per consensum implicitum abrogetur.* Respondeo, consuetudinem vtrumq; modum abrogandi includere: vnde, quando absolutè omnis consuetudo excluditur, etiam excluditur tacitus consensus: & ex hac parte debent illæ duæ volitiones censeri æquivalentes,

Vbi omnis absolutè consuetudo excluditur, ibi etiam tacitus consensus cessat.

Sententia à nobis suprà efficaciter probata confirmatur ampliùs argumento communi, quòd scilicet possit Legislator apponere legi hanc conditionem, *vt non abrogetur per contrariam consuetudinem:* id quod Suarez & omnes supponunt: atqui illa conditio esset inutilis, si per consuetudinem abrogaretur illa lex; ergo, ne dicamus eam esse inutilem, debemus illi hunc effectum tribuere.

SVBSECTIO IV.

Euasiones nonnullæ reijciuntur, & explicatur, quid requiratur, vt consuetudo censeatur reprobata.

53. PAter Suarez tetigit confirmationem fine præcedentis subsectionis tactam; & vt ei respondeat, dicit quatuor esse effectus eius conditionis: Primum, vt in dubio præsumatur irrationabilis ea consuetudo: Secundum, vt Gubernatores & custodes legum magis inuigilent, & non permittant talem consuetudinem: Tertium, vt subditi magis obligentur: Quartum, vt talis consuetudo vix aut numquam possit derogare tali legi nisi post longum tempus, & legitimam præscriptionẽ; quia anteà vix potest præsumi de voluntate Principis, etiamsi consuetudinem sciat.

Nota conditionis à Suario hic posita quatuor effectus.

Refelluntur hi effectus.

Hæ solutiones mihi non satisfaciunt: non Prima, quia in eâ lege nihil dicit Legislator, quòd consuetudo sit irrationabilis; imò potest directè addere, *per hoc tamen non dico illam esse irrationabilem*; tunc autem sine dubio non haberet locum ille primus effectus: non item secundus; nam, eò quòd lex dicat. *Nolo vt consuetudo prævaleat contra me*, nullam imponit Gubernatoribus obligationem nouam, neque itèm subditis; quia per hoc non dicit, vt diligentiùs ea lex obseruetur: per quod reiicitur etiam tertius effectus. Quartus est quidem probabilior; at in eo videtur P. Suarez deserere suam sententiam, dum dicit, *Vix aut numquam derogari tali legi per consuetudinem:* etenim si eius rationes sint vllius momenti, planè ostendunt, tam citò posse hanc legem abrogari, quàm si nõ habuisset eam clausulam: quia omnes rationes in eo fundantur, quòd voluntas illa reflexa reuocabilis est, non minùs quàm aliæ; ergo per tacitum consensum reuocari poterit tam citò quàm aliæ. Denique, quòd ibi addit, *Vt non valeat, nisi postquam ea consuetudo legitimè fuerit præscripta*, minùs est probabile, quia in primâ conclusione ostendi, per præscriptionem impossibile esse eam legem abrogari, maximè si lata sit à supremo Principe.

Suarez suâ vltrò mente se deturbat.

54. DICO QVINTÒ, Si lex reprobat consuetudinem vt irrationabilem, eo ipso impedire, ne ea inposterum possit inducere vim legis seu liberationem à lege; quia (vt dictum est sæpè) consuetudo irrationabilis non potest inducere ius aut libertatẽ à iure. Oportet tamen in hoc puncto considerare, duplicem posse esse eam irrationabilitatem; vnam quasi intrinsecam & essentialem illi materiæ; vt consuetudini mentiendi est essentialiter irrationabilis, ideò in omni occasione censetur incapax ad inducendum ius: alia ergo potest esse inhabilitas quasi accidentalis pendens ab his aut illis circumstantiis, quæ variari ita possunt, vt successu temporis consuetudo reddatur rationabilis; imò, vt contraria reddatur irrationabilis: v. g. ante centenos annos, quando pecuniæ valdè exigua erat copia, si Rex imposuisset tributum decem regalium, fuisset res intolerabilis: declararíq; merito tunc potuisset ea consuetudo irrationabilis etiam ab ipso Papâ: at crescente posteà pecuniæ abundantiâ, ratione cuius iam minus sit dare eos decem regales quàm olim decem nummos aut cruciferos, illa materia facta est rationabilis; ita vt nolle iam Regi dare pro suâ sustentatione nisi illos decem nummos, sit quid omnino iniustum; quia Rex non potest nunc eis decem nummis emere trigesimam partem quam olim poterat, cùm tamen debeat se nunc non minùs quàm olim sustentare: non ergo ita debet quis alicuius legis antiquæ decisioni adhærere, vt eo ipso, quòd in eâ aliqua consuetudo dicatur irrationabilis, debeat etiam in perpetuum iudicari talis & incapax ad abrogandam legem antiquam. Ponderandum igitur est, vtrùm illæ circumstantiæ, ex quibus tunc reddebatur irrationabilis, adhuc maneant; item è contrario, etiamsi aliqua consuetudo olim fuerit iudicata rationabilis, non continuò debet talis nunc iudicari, vt censeatur posse abrogare legem, nisi maneat in eisdem antiquis terminis. Vide Patrem Thomam Sanchez lib. 7. de Matrimonio disput. 4. num. 14. vbi multos auctores refert pro hac obseruatione; quæ alioquin est valdè clara & rationi conformis: eam nos superiùs fusiùs tetigimus,

Lex reprobãs consuetudinẽ vt irrationabilem eo ipso obstat, ne ea post hac possit inducere vim legis.

Duplex est irrationabilitas.

Qui materia irrationabilis degeneret sæpè in rationabilem.

Qui & quãdo consuetudo contra legem præualeat iudicãdi ex circũstantijs. Thomæ Sanchez opinio.

55. Dixi eam habere locum, etiamsi à Pontifice declaretur talis consuetudo irrationabilis; non quia per hoc vllo modo insinuare velim, Pontificem posse in eâ declaratione errare, sed quia ille non loquitur tunc nisi de tempore præsenti & secundùm circumstantias præsentes; per quod non negat in futurum posse fieri mutationem, quæ sufficiat vt ea consuetudo olim sit rationabilis: si enim absolutè definiret, eam esse ex se & intrinsecè irrationabilem, tunc sine dubitatione credenda esset talis quocumque tempore, ideóq; numquam posset ius legale aut contrariæ legis cessationem inducere.

Qui soleat Papa consuetudines rationabiles aut irrationabiles dicere.

Illud nunc declarandum restat, quid sit necessarium, vt intelligatur lex non solùm prohibere antiquam consuetudinem, sed etiam eam reprobare vt irrationabilem. Respondeo sufficere, si apertè aut saltem probabiliter constet independenter à lege eam materiam consuetudinis esse irrationabilem: id quod debet decidi ex principiis communibus circa materiam capacem

Quid sit necessum, vt censeatur à lege non solùm prohiberi, sed etiam vt irrationabilis reprobari antiqua consuetudo.

Digitized by Google

cem legis etiam scriptæ; nã materia, quæ per legem scriptam imperari potest, potest etiam per consuetudinem; si ergo constet eam materiã esse incapacem legis, tunc præsumi potest reprobari à lege, etiãsi hęc non vtatur verbis adeò expressè sonantibus reprobationem; si verò res sit dubia, & verba legis non sonent expressè reprobationem, tunc non debere eam præsumi, quia tales leges sunt odiosæ, ideóq; in mitiorem partem explicandæ: sed quid, si dicat lex *Declaramus*, vt in cap. *Ex parte*. de consuetud. vel per verbum *Irritamus*, vt in cap. *Cùm inter*. eodem, vbi sic habetur, *Talem consuetudinem duximus irritandam*, P. Molina Tract. 2. de Iustitiâ disp. 79. docet illud verbum *Irritamus* denotare fuisse illam consuetudinem anteà validam, & consequenter fuisse rationabilem: quod Suarez dicit benè ponderatum esse; addit tamen ca. 7. n. 9. quia irritatio eius capitis *Cùm inter*, fundata videtur in eo, quòd si talis consuetudo teneretur, disrumperetur neruus Ecclesiasticæ disciplinæ, probabile esse, eam consuetudinem reprobari in posterum vt irrationabilem.

Opinio Molinæ circa τὸ Irritamus.

Assentitur ei Suarez.

56. Ego sanè non benè intelligo hanc doctrinam: si enim eam consuetudinem vt disrumpentem Ecclesiasticam disciplinã reiicit Pontifex in futurum, profectò etiam declarat eam anteà fuisse irrationabilem, quia illud ipsum periculum anteà habuit; ergo vel verbum illud *Irritamus* non supponit eam anteà fuisse validam & consequenter rationabilem; vel, si hoc supponit, non obstante eo periculo, certè etiam in posterum relinquet illam intra terminos rationabilis.

Vterq; refutatur fusè.

L. Putarem ego sic soluendam hanc difficultatẽ, vt *τὸ Irritamus* ex se non supponat anteà valorem illius actionis: quod euidenter inde suadetur, quia semper dicimus, *Hæc & illa sunt impedimenta irritantia matrimonium, professionem*, &c. per hoc tamen non volumus denotare, anteà fuisse validum matrimonium, & validam professionem; vnde non placent Molina & Suarez docentes, *τὸ Irritamus* denotare eam consuetudinẽ fuisse anteà validam. Confirmo id ipsum ratione paulò antè allatâ, quia eo citato cap. *Cùm inter*. vtitur Pontifex verbo *Irritamus*; & tamen addit rationem, quæ optimè ostendit etiam anteà fuisse nullam eam consuetudinem; quia scil. per illam disrumpitur neruus Ecclesiasticæ disciplinæ; quod periculum etiam ad tempus elapsum retrotrahitur: neque in illo textu est indicium vllum, quod tunc primò inciperet esse periculosa ea consuetudo. Constet ergo, etiamsi fortè in primæuâ suâ significatione *τὸ irritare* supponeret anteà fuisse validam, iam tamẽ ex communi vsu non id supponere, sed sæpè vsurpari pro eodem ac impedire ne fiat, item pro declaratione nullitatis præcedentis; sicut solet dici irritatum hoc matrimonium, id est declaratum fuisse nullum; addo tamen, illud verbum neque è contrario denotare consuetudinem, quæ irritatur fuisse inualidam aut irrationabilem; ideoque censeo ex solo eo verbo nihil posse deduci de irrationabilitate, nisi addantur aliqua quæ magis id declarent, vt addita sunt eo citato capite: ex ratione enim, quam ibi Pontifex adducit, constat *τὸ Irritamus* determinari ad significandum eam fuisse antè nullam, vtpote periculosam grauiter; & consequenter esse ex se inhabilem. & hoc concedo Patri Suario.

Explicatur cap. Cùm inter.

57. *Quid de facto τὸ irritare sæpè significet.*

Quid τὸ Declaramus.

Circa verbum verò *Declaramus* nihil absolutè responderi potest; quia illud semper debet habere vlteriores terminos, v. g. *Declaramus esse nullam, esse iniustam*, &c. Ex illis autem colligi debet, an solùm reiiciatur, an verò etiam vt irrationabilis declaretur.

SECTIO VII.

De diuisione consuetudinis in præscriptam & non præscriptam.

58. *Duplex consuetudo præscripta.*

DVplex consuetudo pro præscriptione potest assignari: vna, in quâ priuata persona contra aliam acquirit aliquod ius quasi dominij & in materiâ iustitiæ: id ipsum de totâ communitate dici potest: vt quando consuetudine communitas obtinuit transitum publicum per alienũ agrum, &c. de hac consuetudine, quia est legalis, etiamsi in eâ primariò & per se reperiatur præscriptio, non ago. Alia ergo est consuetudo legalis, de quâ hîc agimus; & de eâ requiri potest, an rectè diuidatur in præscriptam & non præscriptam, an verò omnis debeat esse præscripta, an è contrario nulla possit.

De consuetudine legali hîc agitur.

59. *Quando consuetudo possit esse præscripta.*

Aduerto Primò, præscriptionem posse latè sumi pro consuetudine sufficiente ad inducendum ius legale & obligandos subditos, siue requirat certum ac determinatum tempus per legem, siue id debeat arbitrio prudentum determinari; nam etiam tunc illa consuetudo potest dici præscribere contra libertatem subditorum. In hoc sensu extra controuersiam omnino est, consuetudinem posse esse præscriptam; imò omnem debere esse talem, si inducere ius possit; quandoquidem nulla potest inducere ius ante tempus, in quo est sufficiens ad illud inducendum: id quod ex ipsis terminis est euidentissimum: Difficultas ergo in eo consistit, vtrùm præter hanc præscriptionem possit in consuetudine requiri aliqua alia præscriptio; ne autem laboremus in æquiuocum, & fortè de solo nomine, præscriptio, de quâ inquirimus, an conueniat alicui consuetudini, in hoc consistit propriè, quòd requirat certum & determinatum tẽpus ad hoc vt sit valida, & non pendeat id ex arbitrio prudentum: sicut enim in materiâ iustitiæ, vt erga aliquas res præscribatur, requiritur decenniũ, pro aliis vicennium, aliquando etiam quadraginta anni, aliquando octoginta; idque vocatur propriè præscriptio; ita etiam in præsenti quærimus, an consuetudines omnes legales, an certè aliquæ habeant determinatum tẽpus præfixum à iure, infra quod non valeant ad inducendũ ius legis; an verò, vtrùm sint completæ ad eam obligationem nec ne, pendeat solùm ex prudentum iudicio iuxta diuersas circumstantias temporis, materiæ, præsentiæ & absentiæ Principis, &c. erga quam est consuetudo repetitionis actuum, &c.

Cardo difficultatis.

Quid propriè hîc præscriptio.

SVBSECTIO I.

Duæ oppositæ sententiæ circa consuetudinem præscriptam.

60. *Suary opinio.*

PAter Suarez cap. 8. cùm retulisset nonnullos Iuristas negantes eiusmodi præscriptionem, ipse num. 2. docet, etiamsi multi Canones, qui ab aliis afferuntur ad probandum è contrario dari talem consuetudinem non sint ad rem; quia in eis vel agitur de præscriptione in materiâ iustitiæ, non de legali, vel expressè non

Digitized by Google

nominatur præscriptio, vt ca. *Non est* de consuetud. in 6. & cap. *Cùm dilectus.* eodem, & cap. *Cùm Ecclesia.* de causâ possessionis; dicendum tamen absolutè, dari posse talem consuetudinem præscriptam; quia expressè ca. vlt. de consuetud. ita dicitur, *Licet etiam longæua consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est vsque adeò valitura, vt vel iuri positiuo debeat præiudicium generare, nisi fuerit rationabilis & legitimè sit præscripta:* quibus verbis in consuetudine, quæ contra ius positiuum præualere debet, duo requiruntur: Primũ, quòd sit rationabilis, prout nos suprà explicuimus: alterum, quòd sit legitimè præscripta: & in hanc sententiam videtur consentire Bartolus, Baldus, Iason, Panormitanus, Rochus Curtius, & alij, quos ibidem Suarez refert: neque huius sententiæ aliud est argumentum, quàm quod ex eo Canone desumitur; nam ratione nihil potest probari, cùm res tota pendeat ex lege positiuâ. Eamdem sententiam fusè defendit P. Salas multos pro eâ citans disp. 19. sect. 4. Aduerto in hac materiâ dubium esse non posse, quin aliqua consuetudo sit dicenda præscripta, cùm Pontifex ipse eo vocabulo vtatur; vtrùm autem Pontifex ibi vsurpet eam vocem *præscriptam* pro præscriptione, quæ debeat fieri determinato & certo tempore à lege præscripto, iuxta secundum sensum rigorosum suprà positum; an verò sumatur *τὸ præscripta* in priori sensu præscriptæ consuetudinis, quem suprà posuimus, id est pro consuetudine simpliciter sufficiente ad inducendum ius, siue ea vno anno, siue duobus, siue decem, &c. duratura sit, valdè esse dubium; quia etiam ordinario modo de omnibus aliis consuetudinibus, in quibus P. Suarez admittit necessariam non esse præscriptionem in eo rigore, solemus tamen dicere, Iam hæc consuetudo præscripsit, id est, iam venit ad eum statum qui necessarius est vt obliget, siue ille sit certum tempus, siue incertum: cur ergo in primo sensu non poterit commodissimè intelligi locutus Pontifex? & verò nullum verbum ibi posuit de certo tempore, cùm tamen debuisset id declarare, sicut declarauit quòd debeat esse rationabilis.

Duo requiruntur vt cõsuetudo iuri positiuo præualeat.

Quænam hic præscriptio sumatur, est controuersũ.

61. *Contrarium Suario sentit Sotus, Vasq. & alij Theologi.*

Sit ergo opposita sententia Soti lib. 1. de Iustitiâ q. 7. art. 2. & multorum Theologorum, quos suppresso nomine refert P. Suarez n. 5. qui cẽsent, nullam consuetudinem habere tempus determinatum ex iure ad præscribendum, sed id esse determinandum arbitrio prudentum: idem fusè docet P. Vasq. ca. 5. vbi addit, solùm in Regno Hispaniæ requiri pro consuetudine 10. annos in præsẽtia, 20. verò in absentiâ, quia in l. 5. tit. 2. parte 1. ita expressè statuitur, id quod ad solas ciuiles leges extendi debet, quia in Ecclesiasticis, item extra Hispaniam etiam in ciuilibus, nihil potest immutare ius Hispanicum ciuile.

Quantum in Hispaniâ requiratur pro cõsuetudine.

62. *Fundamentũ Vasquez.*

Fundamentum P. Vasquez illud est, quòd nulla consuetudo inducit legem nouam, aut abrogat antiquam, nisi ratione consensus Principis de nouo præsumpti: atqui ad hanc præsumptionem non potest esse antecedenter determinatum tempus; sed id debet coniici ex circumstantiis occurrentibus & ex scientiâ ipsius Principis; ergo non potest esse vlla consuetudo legalis præscripta.

Vlteriùs id suadet; nam neq; in iure Canonico neque in Cæsareo est definitum tempus ad consuetudinis valorem; nam in Canonico affertur caput vltimum sæpè citatum: at in eo licet dicatur consuetudinem debere esse præscriptam, non tamen asseritur debere esse determinatum aliquod tẽpus (vt paulò antè notauimus:) in Cæsareo autem dicitur consuetudinem longi temporis obligare posse; sed quàm sit longum futurũ tempus non determinatur, ergo sine vllo fundamento ponitur ea consuetudo præscripta requirens certum tempus.

Probat suam opinionem tũ à Iure Canonico quàm Cæsareo.

Hinc infert malè à quibusdam doceri, minùs temporis requiri ad præscribendum contra legẽ ciuilem quàm contra Ecclesiasticam: cùm enim vtraque consuetudo solùm habeat vim ratione consensus taciti Principis, cur non tam citò præsumi poterit consensus tacitus Principis Ecclesiastici, quàm præsumitur consensus Principis laici? si autem tam citò præsumitur, tam citò abrogabitur lex. hæc fusè ibi Pater Vasquez.

SVBSECTIO II.

Præmittitur pro verâ doctrinâ, à quâ voluntate Principis consuetudo vim habeat.

63. *Argumentum hic auctoris quà obscuritatis quà cõfusionis.*

DE hac quæstione fusè multi & non satis distinctè, quia nec suo ordine; nec declarant punctum vnde maximè hæc difficultas pendet: etenim si semel dicamus cum P. Vasq. totam vim consuetudinis ad obligationem inducendam desumi ex consensu tacito vel expresso Principis agnoscentis consuetudinem iam incœptam, eamque approbantis, dicendum necessariò erit, non posse certum illud tempus assignari pro valore consuetudinis; quia non potest esse regula generalis ad præsumendum illum consensum, sed id debet ex signis ab ipso Principe ostensis, vel ex aliis circumstantiis occurrentibus decidi: primo ergo loco breuiter hæc difficultas expedienda erit.

Ergo eâ disp. nu. 18. miratur P. Vasq. quòd D Antoninus & Conradus docuerint, consuetudinẽ sine actuali notitiâ Principis posse legem facere; quandoquidem populus ipse non habet auctoritatem legislatiuam: ergo consuetudo ab eo introducta indiget approbatione Principis, ergo indiget notitiâ illius: nemo enim approbat quod ignorat. Respondeti fortè posset, populum reseruasse sibi potestatem inducendi legem per consuetudinem. Reiicitur tamen hæc solutio facilè; Primò, quia in Ecclesiasticis saltem legibus non habet locum: cùm enim ea potestas non sit accepta ab hominibus, sed à Deo data, non potuit populus quidquam sibi reseruare. Secundò, quia etiam in ciuilibus sæpè ea potestas est acquisita iure belli iusti; tunc autem populus non potuit facere eam exceptionem: denique esto potuisset, nullibi tamen de eâ exceptione actu factâ vel vestigium reperitur, ergo sine fundamento ad eam recurritur.

D. Antonini & Conradi mens.

An populus sibi reseruarit vim inducendi legem per cõsuetudinẽ.

64. *Communis opinio. Cõsuetudo potest legẽ facere sine actuali Principis notitiâ.*

Communis tamen omnium aliorum sententia asserit necessarium non esse eum consensum posteriorem Principis. Vide Patrem Salas suprà, maximè autem nu. 33. & sequentibus. Ipse etiam P. Vasquez docet in Regno Hispaniæ id habere locum, vt diximus suprà; videturque vniuersaliter de omnibus sentire; nam num. 33. addit, vsu receptum esse, vt non habeatur ratio absentiæ vel præsentiæ Principis ad inducendam consuetudinem: vnde argumentor: Si non habetur ratio absentiæ, ergo supponitur, quòd etiamsi Princeps id ignoret, adhuc tamen consuetudo valebit; vel certè colligitur inde, cõ-

Digitized by Google

suetudinis vim ad inducendam legem non desumi ex tacito consensu Principis: quia hic consensus non potest eodem modo præsumi de facto existens in absente, sicut præsumitur in præsente, qui faciliùs videt ea quæ fiunt, & tamen consuetudo inducit æqualiter legem, ergo non vi eius consensus tunc existentis; vnde eas duas opiniones Patris Vasquez non facilè concilio.

65. *Quandò mens Legislatorum fuerit de hac cõsuetudine.*

Iam verò ad probationem eius sententiæ communis veniendum. Dicimus ergo, Principes tam Ecclesiasticos quàm sæculares antecedenter dedisse hanc vim consuetudini, vt quando fuerit sufficienter roborata aut præscripta, vim habeat inducendi legem, & abrogandi antiquam; nam Legislator optimè id potest efficere: neque enim ostendi vlla potest vel leuis in hac volitione repugnantia, vt diximus eam admitti à P. Vasq. in legibus Hispaniæ; eâ autem datâ, manifestè apparet necessariam non esse aliam posteà notitiam aut volitionem Principis. Quòd verò ea volitio de facto in Principibus fuerit, probatur tum ipsis legibus, tum traditione: traditione quidem, quia ita omnes omnino supponunt consuetudinem habere talem vim, ita vt Vasq. iuxta paulò antè dicta, debuerit fateri ita esse vsu receptum. Requirere verò actualem nouum consensum Principis planè est contra communem consensum Doctorum & vulgi; nã si requireretur, nemo tribueret consuetudini eã vim: oporteret enim semper expectare consensum liberũ Principis: consuetudo verò solùm se haberet quasi excitans in Principe speciem de eâ lege condendâ: at quando antecedenter iam Princeps concessit eam vim consuetudini, ita vt iam ampliùs non curetur quid Princeps velit, sed in consuetudinis manu id sit positũ, rectè tribuitur consuetudini vis inducendi legem, etiamsi primò fuerit ei concessa talis vis à Legislatore. Confirmo: Si valor consuetudinis, etiam quando ex parte sui habet alia requisita, penderet à nouo & quidem libero cõsensu Principis, sæpissimè fieret, vt non induceret legem, quia Princeps nollet eum dare: id autem est contra omnes, qui supponunt omnes tales consuetudines habere vim legis; ergo gratis requiritur talis consensus nouus.

Probatur traditione.

Ostenditur nõ requiri actualem nouũ consensum Principis.

66. *Probatur id à lege Canonicâ.*

Quòd verò id etiam probetur ex iure scripto manifestè patet; nam in primis in Canonico ita supponit illud caput vltimum de consuetud. vbi dicitur consuetudinem rationabilem præscriptam legitimè habere vim præiudicandi iuri positiuo: vbi obserue non dici præiudicari per consensum Principis tunc habitum; id enim facilè percipi poterat, nec erat necessarium requirere legitimã præscriptionem: ille enim consensus potuisset etiam ante omnem præscriptionem eam vim habere, etiamsi adhuc non esset consuetudo, sed illius initium: ergo Pontifex aliud omnino in eo loco supposuit. Deinde, cùm solùm requisierit eam consuetudinem esse rationabilem & præscriptam, nihil verò dixerit de consensu nouo, clarè ostendit illum non esse necessarium.

67. *Obuiatur obiectioni.*

Dices: Ergo ante illud caput non valebat vlla consuetudo ad inducendam legem; nam vi eius capitis videtur Primò facta ei talis potestas. Respondeo negando consequentiam; nam ex eâ lege solùm probamus, à iure Canonico vt certũ supponi, eam vim ineſſe consuetudini, siue caput illud id supposuerit ex traditione, siue ex aliquâ lege scriptâ tunc extante, quæque posteà interierit, siue aliunde: de quo nõ multùm curo. Secundò

Probatur à legibus ciuilibus.

in iure ciuili id ipsum constat; nam l. *Consuetudinis.* Cod. *Quæsit longa consuetudo.* vbi eius auctoritas dicitur esse non vilis: quòd verò negetur ei ius rationem vincendi aut legem, explicatur facilè ex verbis ibi additis, *Momento sui*; ac si dixisset, Ex se consuetudo id non faceret, nisi haberet vim ex præexistente Legislatoris voluntate: quod item obiicitur ex l. 3. §. *Diuus* ff. de sepulchro violato, vbi dicitur statutum municipale factum post legem non derogare illi; atqui consuetudo comparatur statuto, ergo consuetudo non tollit legem; hoc, inquam, non vrget; negamus enim eam comparationem esse bonam, quia in his quæ à voluntate Legislatorum pendent non debet requiri alia ratio, quàm quod hîc voluerit, ibi verò non: cùm ergo ex ipso iure constet, quòd consuetudini tribuatur ea vis abrogandi legem (vt ostensum hucusque est) & id negetur statuto municipali, non debet quæri maior ratio, cur consuetudo abrogare posset legem, id verò non possit statutum. Addo, si congruentiam velimus ex ipsâ naturâ rei desumere, satis bonam illam esse, quòd statutum condatur ab vnâ personâ particulari; non erat autem expediens, vt vnica persona inferior posset superioris legem tollere. At consuetudo introducitur à maiori parte populi; fuit autem expediens valdè vt Princeps videns magnam resistentiam in populo non conaretur contra illum; quandoquidem ab ipsomet potestatem legislatiuam accepit, & quidem in bonum illius. Habetur eadem veritas clarissimè in lege *De quibus.* ff. de legibus. vbi sic dicitur, *Quare rectissimè etiam illud receptum est, vt leges non solùm suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur:* vbi, cùm fiat distinctio inter Legislatorem & alios, clarè insinuatur, non esse necessarium iam nouum consensum illius. L. verò vltimâ, Cod. *Quæ sit longa consuetudo,* dicitur, *Probatam & seruatam tenaciter consuetudinem perpetuæ legis vicem obtinere statuimus:* & in l. 2. fuerat idem traditum: non est ergo de eâ veritate vllo modo dubitandum.

Obijcitur l. 3. §. Diuus ff. de sepulchro violato, sed frustrà.

E Legislatoris volũtate oritur, quòd cõsuetudo abrogare possit legẽ, non verò statutum.

68.

69. *Vasq. obijcit l. Sed ea ff. de legibus. sed actum agit.*

P. Vasq. suprà cap. 2. citans legem *Sed ea* ff. de legibus, & rationem legis *De quibus.* ibidem obiicit, propterea ibi dici, consuetudinem habere vim legis, quia fit consensu populi potentis legẽ ferre, vt Vasq. explicat: ergo requiritur consensus tacitus vel expressus Principis. Respondeo Primò, non inferri inde quidquam de consensu habito post consuetudines ipsas inceptas; sufficit enim, si antecedenter illo concedatur. Secundò respondeo, Esto in illis legibus ea fabo detur, nõ propterea reiici alias leges, in quibus alia ratio insinuatur: non enim negamus nos, si superueniat consensus Principis, posse inde consuetudinem habere vim; sed negamus, necessum esse hunc consensum expectare. Tertiò respondeo, malè nomine populi intelligi in eis legibus eum qui habet ius legis, quia nihil est quod cogat ad eam restrictionem; maximè cùm in vnâ loquatur ipse Imperator, qui non obligatur legibus populi, sed propriis.

70. *Obiectio à ratione est elũbu. Qui possit Legislator facere vt non praualeat legi cõsuetudo.*

Obiicies à ratione, iniquum esse vt populus habeat eam vim; poterit enim omnes leges abrogare suâ contrariâ consuetudine. Respondeo negando antecedens, Primò, quia Princeps ipse potest id præcauere impediendo consuetudinem contra legem, puniendo delinquentes: deinde si vult, potest iterùm legem reualidare: Tertiò (vt diximus suprà) potest legem ita condere, vt

Digitized by Google

consuetudo non præscribat contra illam expressè id cauendo. Deinde cùm ea consuetudo non valeat introduci, nisi maiori parte populi consentiente, nec facilè maior pars in transgressionē legis publicè audeat consentire, non est tam facilè timendum tam multas induci consuetudines contra leges positiuas. Constet ergo non esse necessarium consensum nouum Principis.

71. *Cur requisierit Legislator certū tempus, ante quod cōsuetudo nō haberet vim legis.*

Hinc infero, meritò potuisse Principem, dum antecedenter dedit suum consensum, requirere certum tempus, ante quod consuetudo non sit sufficiens ad inducendam legem (vt de 20 annis in Hispaniâ fatetur Vasquez) vnde pro puncto præsenti præscriptionis debere considerari, quid de facto sit decretum per ius: nam quod potuerit certum est: etenim etiam potuit illud tempus relinqui incertum, & solùm exigi illud quod iudicio prudentum sufficiat ad colligendum quæ sit constans voluntas populi.

SVBSECTIO III.

Quid sit probabilius in hac quæstione.

72. ETiamsi vt (vt subsectione primâ vidimus) valdè probabile sit, non esse necessarium certum & determinatum tempus pro consuetudine, vt vim legis habeat, sed sufficere illud, quod arbitrio prudentum valeat constantem populi voluntatem declarare; quia tamen ad dictum vltimum caput de consuetudinibus communiter Canonistæ eam præscriptionem requirunt, censeo

In iure Canonico vt præscribat consuetudo, certum tempus sua duratio requirit.

DICENDVM PRIMÒ, in iure Canonico ad abrogandam legem priorem requiri certum tēpus, quo consuetudo duret, & ratione cuius præscribere dicatur; quale autem illud sit infrà dicetur. Hanc teneo maximè propter auctoritatem communem; & quia vox illa *legitimè præscripta* magis propriè hoc certum tempus significat: quod vel inde confirmo; nam Pontifex præter hoc, quod est consuetudinem esse longæuam, requirit vt præscripta sit; ergo non solùm requirit tempus, quod sufficiat ad intelligendam voluntatem populi; nam ad hoc sine dubio sufficeret eam esse longæuam; sed etiam requirit certum tempus, quod constituat rigorosam præscriptionem.

73. *In iure ciuili nō requiritur talis præscriptio.*

SECVNDÒ DICENDVM, in iure ciuili non esse necessariam talem præscriptionem, quia de eâ nulla fit mentio in iure Cæsareo & solùm requiritur vt sit longæua consuetudo; alibi verò vt sit probata, & tenaciter seruata, &c. ergo non debemus in hoc iure sine fundamento talem temporis determinationem requirere.

Ostenditur ad quas consuetudines etiā in iure Canonico non sit necessaria illa stricta præscriptio.

TERTIÒ censeo DICENDVM, Etiam in iure Canonico, quoad consuetudines non abrogantes legem priorem, sed nouam inducentes, non esse necessariam eam rigorosam præscriptionem. In his duabus conclusionibus acquiesco P. Vasq. etiamsi ob alia principia: hanc verò vltimam probo; nam cap. illud, vnde ea præscriptio desumitur, solùm loquitur de consuetudine derogante iuri positiuo; ergo nō debemus id extendere ad alias consuetudines, quia verba legis, maximè si odiosa sint, non debent extra casum legis extendi. Et verò ratio disparitatis inter vnam & alteram consuetudinem satis est magna; nam longè plus est præualere contra ius antiquū, quàm vbi Princeps nihil statuerat aliquid inducere de nouo quod non sit eius voluntati contrarium. Meritò ergo ad hanc consuetudinem reuocantem ius antiquum requiritur præscriptio, etiamsi ad alias non requiratur: & ita expressè docet Panormitanus ad dictum cap. vltimum de consuetudine, asserens, solùm in iure Canonico præscriptam consuetudinem requiri, quando est contra ius, nō verò quando est præter ius. Quam opinionem Panormitani cùm tacitè videatur hîc cap. 8. defendere P. Suarez, miror quòd posteà fæpè insinuet, etiam esse consuetudines præscriptas non derogantes iuri; sed præter illud.

74. Dices Primò, rationem à me allatam nullam esse; nam potiùs è contrario dicendū est, plus esse nouam condere legem quàm antiquam abrogare; nam per abrogationem antiquæ tolluntur laquei conscientiarum, per nouam verò legē imponuntur; ergo faciliùs censetur consentire Princeps in abolitionem quàm in nouam legem. Ita nonnulli suppresso nomine apud Patrem Salas eâ dipf. 19 nu. 94. quod ipse nec approbat, nec reprobat. Respondeo tamen, quidquid sit de eâ ratione, certum est, contrariū esse verissimum, plus scil. absolutè requiri ad abolendas antiquas leges quàm nouas condendas; nam aboleri non possunt nisi graui causâ vrgēte; ferri autem possunt, eo ipso quòd materia iudicetur digna lege; vnde fit, vt maiorem habeat Legislator libertatem in imponendâ lege, quàm in auferendâ: deinde ex se faciliùs consentit homo, vt aliquid fiat præter eius voluntatem, quàm vt contra illā; quod principium lumine naturæ notum est; ergo faciliùs permittit nouam legem induci, quàm à se positam abrogari, quia in hoc fit quodammodò contra illius voluntatem. Secundò respondeo, Etiāsi lex sit quodammodò laqueus conscientiarum, aliunde tamen esse in materiâ morali certum, maioris esse momenti conseruare antiquas leges quàm nouas non condere; vnde à contrario sequitur, difficilius esse antiquas abolere quàm nouas statuere. De quo nonnihil infrà, dum de abolitione legum.

Obiectio refutata. Plus requiritur ad antiquas leges abolendas quàm cōdendas nouas.

Mauult Legislator fieri quid præter quàm contra suam voluntatem.

75. Dices Secundò: Etiamsi eo cap. citato non requiratur præscriptio nisi quando consuetudo est contraria iuri, non tamen propterea in iure negari dari posse cōsuetudinē præscriptā; esto enim ea necessaria non sit ad inducendum ius, habebit tamē à fortiori vim illud inducendi, si enim habuit antequam esset præscripta, certè postquam præscripta est à fortiori eam vim habebit; addit enim illi vim, non verò aufert præscriptio. Respondeo, me non negare consuetudinem vllam posse venire ad illud tempus, quod sufficiat ad præscriptionem; sed dico, id esse omnino per accidens ad nostrum intentum; quia ante illud tempus iam ea consuetudo habuit vim inducendi ius, & illud de facto induxit; ergo eiusmodi præscriptio per accidens fuit: quòd verò habuerit eam vim patet, quia ea consuetudo non indiguit præscriptione; consuetudo autem non indigens præscriptione citiùs quàm intra decennium inducit ius, vt ipse P. Suarez & alij fatentur: non debet ergo fieri vlla mentio consuetudinis præscriptæ, dum loquimur de consuetudine non abrogante ius; quæ obseruatio valdè necessaria est propter aliqua in sequentibus dicenda.

Occurritur replica.

Consuetudo præscriptione non egens inducit ius ante decennii.

76. Rationes verò suprà insinuatæ, quibus absolutè videbatur probari, nullam esse consuetudinem præscriptam, ex dictis, dum probauimus nostram sententiā, sunt solutæ: quia ostendimus eam vocem, etiamsi aliquando vsurpetur in eâ primâ

De quâ præscriptione intelligēda sint verba Pontificis.

Digitized by Google

primâ præscriptione, magis tamen propriè sumi in secundâ acceptatione, ideóq; in eâ esse intelligenda verba Pontificis, maximè cùm ab omnibus ferè sic accipiantur, & ea additio præscriptionis supra longæuam consuetudinem ostendat requiri talem veram præscriptionem.

Consuetudinem præscribentem cõti nuatam esse oportet; aliàs non est legitima. Qui differat præscriptio in materiâ iustitiæ ab hac.

Quæres tamen circa hoc Primò, an ea consuetudo præscribens esse debeat continuata. Respõdetur ex communi sensu omnino id requiri, quia in eo capite dicitur legitimè præscripta; legitima autem præscriptio in iure fit per consuetudinem non interruptâ per actus contrarios. Vbi aduerto, licet præscriptio, quæ fit in materiâ iustitiæ, interrumpatur per malam fidem præscribentis, id tamen in hac consuetudine non habere locũ; quia consuetudo etiam per malos actus seu malâ fide factos præscribit (vt dicemus infrà:) id quod non benè videntur hîc aliqui considerasse, dum eam bonam fidem non interruptam requirunt, nisi fortè nomine bonæ fidei intelligant animum se obligandi; quem infrà dicemus esse necessarium.

77. *An in iure consuetudini non additũ vt præscripta, semper tamen intelligendũ sit.*

Secundò quæres, An quando in iure est sermo de consuetudine non addito verbo *præscripta*, intelligenda tamen ea sit tamquam principale analogatum: vt cùm dicitur risus, intelligitur humanus, non verò risus prati; an verò verbum illud sit de se indifferens ad consuetudinem etiã non præscriptam. Respondeo, Esto nonnulli censuerint eas duas consuetudines analogicè tantùm conuenire, & præcipuam esse, quæ dicitur præscripta, nihilominùs tamen certum videri, vtrãq; in ratione consuetudinis & in vi ferendi ius legale vnìuocè conuenire; quia quòd certum vel incertum tempus arbitrio prudentum requiratur, impertinens est ad causandam analogiam in ratione consuetudinis; cumque aliunde ius, quando requirit consuetudinem esse præscriptã, addat eam ipsam particulam *præscripta*, ostendit satis apertè, se nomine consuetudinis nudè sumptæ non intelligere præscriptam, sed potiùs oppositam.

Consuetudo præscripta & nõ præscripta in vi ferendi ius legale cõueniunt vnìuocè.

78. *Cap. Cumana de electione nobis fauet.*

Obiicitur cap. *Cumana*, de electione: in quo cùm priùs dictum fuisset de iure vel consuetudine iam præscriptâ, Ergo signum est à iure nomine consuetudinis intelligi præscriptam, respondet benè P. Suarez potiùs hinc contrarium inferri; nam si vox ea absolutè prolata significaret præscriptam, non fuisset necessum addere eam particulam. Pro quo aduerte, quãdo vox *consuetudo* sola est posita in eo capite, fuisse nudã propositionem casus; deinde in responsione primâ fuisse additam eam particulam; quo manifestè denotatur vocem *consuetudo* ex se non significare præscriptum, ideóque debuisse in responsione distingui, ne confusè responderetur. Secundò respondeo, ibi esse sermonem de consuetudine præscribente ius quasi proprium ex parte eorum qui eâ vtuntur, quâ sibi vindicare volebant suffragiũ electiuum; in his autem & similibus consuetudinibus iam diximus semper requiri propriã præscriptionem; at pro consuetudine solùm inducente ius legale, de quâ hic agimus, non id requiritur, nisi in eo casu posito.

Explicatur dict. caput.

SVBSECTIO IV.

Aliquæ quæstiuncula circa prædicta soluuntur.

79. PRima est, quantum temporis ad præscriptionem consuetudinis requiratur. Antiqui nonnulli Doctores requisiuerunt tempus immemoriale: id tamen sine vllo fundamento videtur dictum, quia præscriptio citiùs absoluitur quàm intra tempus immemoriale; ideò Secundò alij in Canonicâ consuetudine requisierunt spatium quadraginta annorum: quorum sententiam P. Suarez cap 15. n. 2. obiter approbat pro præscriptione contra ius, non verò, in eâ, quæ est præter ius. Ego tamen certè non video, quomodo ea distinctio possit hîc adhiberi; nam P. Suarez expresè (vt suprà diximus) præcisè admittit consuetudinem debere esse præscriptam, quia caput illud vltimum de consuetudinibus ita id insinuat: atqui in eo consuetudo præscripta est, quæ præualet contra ius; vnde suprà diximus in solâ consuetudine reuocante antiquum ius requiri præscriptionem: ergo sine sufficienti fundamento admittit consuetudinem præscriptam contra ius, & consuetudinem præscriptam præter ius; nam omnis, quę est præter ius, est independens à præscriptione. Hinc etiam colligo, non benè huc applicari eam rationem, quòd scil. in iure Canonico in præscriptionibus, quæ non sunt contra ius, non requiratur plus temporis quàm in ciuili præscriptione, in quâ sufficiunt decem anni; ergo tot sufficiunt in Canonica præscriptione: infero, inquam, non benè huc rationem applicari, quia iam ostendi, consuetudinem, quæ non est contra ius, non petere præscriptionem, nisi sit consuetudo non legalis quasi in genere iustitiæ præscribens; de quâ nunc non agimus.

Quantũ tẽporis requiratur vt præscribat consuetudo. Doctorũ veterum mens requirens tẽpus immemoriale ad præscriptionem Suarij distinctio in opinione aliorũ hic retunditur.

Sola consuetudo reuocãs antiquũ ius eget præscriptione.

80. *Aliorũ opinio asserens consuetudinem Principe præsente requirere solùm decẽ, abiente verò viginti annos ad præscriptionem.*

Secunda ergo sententia est eorum, qui, cùm in iure tempus longæuum inter præsentes reputentur decem anni, inter absentes verò viginti, putant consuetudinem illam contrariam legi, si Princeps sit præsens, non requirere vltra decem annos, quia tunc contra illum præscribitur; si verò sit absens, debere esse viginti, Ita insinuat Siluester verbo *consuetudo* 92. Hostiensis autem in Summa tit. de cõsuetudine §. *Obtentum*, ait multos Canonistas ita sensisse. Ratio verò huius sententiæ ea est; nam consuetudo in tantum videtur habere vim reuocandi antiquum ius, in quantum Princeps videns eam consuetudinem, & dissimulans, censetur reuocare suam priorem legem: atqui ad hunc effectum valdè conducit præsentia ipsius in loco; nam tunc faciliùs præsumitur scire eum contrarium vsum, & cùm non resistat, cẽsetur etiam eo ipso consentire.

81. *Suarez consuetudinem præscriptã à præsentiâ vel absentiâ Principis independentem putat.*

P. Suarez eo cap. docet consuetudinem præscriptam independentem esse à præsentiâ vel absentiâ Principis: id quod dicit consuetudine receptum esse: & ratio est, quia in hac consuetudine non attenditur nisi necessitas boni cõmunis, cui per hanc præscriptionem consulitur; quia multũ expedit, vt consuetudines rationabiles & sufficienti vsu firmatæ obseruentur: ad hoc autem sufficiens tempus reputatur decem annorum, siue Princeps sciat siue nõ sciat, ergo: aliam etiam rationem insinuat n. 8. quòd scilicet consuetudo præscripta non inducit legem vt signum noui consensus voluntatis Principis, sed vt continens requisita per legem antecedenter disponentem circa consuetudinem; ideò noua eius scientia non desideratur, nec potestas habendi illam; ergo eodem modo præscribetur, siue absens sit, siue præsens.

Ego in hoc discursu eam difficultatem video, quòd, vt dixi paulò antè, omnis cõsuetudo requirens præscriptionem debet esse contra ius; non verò est præter ius: hinc dico haud ita benè ad

Digitized by Google

hanc consuetudinem applicari eam rationem, quod expediens sit consuetudines rationabiles habere firmitatem: etenim cùm hæ consuetudines sint reuocatiuæ iuris, non video, cur magis sit expediens reuocari ius antiquum, quàm illud obseruari: sanè si id dictum fuisset de consuetudine non præscriptâ, & quæ non est contra ius, sed potiùs obligationem nouam inducit ad faciendum aliquid honestum, optimè quadraret ea ratio, quòd scilicet expediens sit tales consuetudines induci. Secunda item ratio, quòd consuetudo præscripta non inducat obligationem vt signum noui consensus in Principe, non video quo fundamento nitatur, si magis id de præscriptâ quàm de non præscriptâ intelligi debeat; cùm hæ duę non aliter differant, quàm quòd vna requirat certum terminum immutabilem, alia mutabilem aut determinabilem arbitrio prudentum: quòd autem determinetur certum tempus arbitrio prudentum, vel iam sit anteà determinatum, quid, quæso, facit ad punctum requirendi nouum consensum Principis circa substantiam obligationis?

An expediens sit consuetudines rationabiles habere firmitatē. Reijcitur Suarez.

82. Fortasse dici posset ex eodem Patre Suario, in consuetudine præscriptâ, eo ipso quòd à iure fuerit priùs dispositum tempus, iam ibi fuisse antecedenter voluntatem Legislatoris declaratam, ideóque non esse necessarium expectare nouum consensum illius qui præstetur tempore ipsius consuetudinis; in consuetudine verò non præscriptâ, quia tempus nullum est determinatum, necessarium esse expectare nouum consensum Principis. Sed contrà manifestè; nam sicut voluntas Principis sufficienter censetur declarata antecedenter, dum tempus certum, v. g. decennium, dixit sufficere, vt ea consuetudo sit præscripta; ita eodem modo potest declarari eiusdem Principis voluntas antecedenter, si dicat, Volumus vt consuetudo, quæ iudicio prudentum fuerit sufficiens vt censeatur inducere ius, illud inducat: in quo casu non est necessaria noua Principis voluntas. Ratio à priori est, quia sicut antecedenter potest Legislator velle, vt posito decennio consuetudo obliget; ita potest antecedenter velle, vt posito tempore prudentum arbitrio sufficienti eadem consuetudo obliget: tam enim facile est Principi velle antecedenter tempus indeterminatum quàm determinatum.

Noua replica.

Satisfit illi.

83. Replicabis: τὸ *tempus sufficiens arbitrio prudentis* videtur esse æquiuocum; nam *sufficiens* est relatiuum ad aliud: ad quid ergo debet iudicari sufficiens? si ad præsumendam voluntatem ipsius Principis, ergo necessaria est de nouo alia voluntas eiusdem: id quod non est necessum, quando ponitur tempus certum, quia tunc illud requiritur non pro vllo alio fine, quàm per modum certæ conditionis à Legislatore positæ; si verò dicatur τὸ *sufficiens* esse relatiuum ad tempus necessarium pro obligatione, tunc nihil penitus declarabitur: dicetur enim idem per idem, hoc est, *Quando iudicabitur tempus necessarium ad legem, tunc sit lex*: per quod nihil planè determinatur. Respondeo, τὸ *sufficiens* intelligi ad formandum iudicium non de voluntate Principis, (id enim benè reiicitur ratione proximè in contrarium factâ) sed de voluntate & animo serio totius populi ad se obligandum: ex quâ ratione nihil penitus sequitur de necessitate noui consensus ex parte Principis. Constet ergo, ex determinatione certi aut incerti tēporis planè nihil inferri de necessitate nouæ volūtatis in Principe.

Replicatur denuo, sed frustrà.

Quid per τὸ sufficiens tēpus intelligatur.

84. Ego in hac materiâ putarem multò magis consequenter discutri, si in vnâ & in alterâ consuetudine idem dicatur de præsentiâ & absentiâ Principis, scil. vel per accidens eam se habere pro vtraque, vel è contrario per se pro vtraque. Absolutè putarem, si loquamur de consuetudine, quæ vi præcedentis voluntatis legem abrogat, nullo modo conducere præsentiam Principis, quia hæc non potest immutare priorem volitionem; si verò sermo sit de consuetudine, quæ non tam ratione sui, quàm quatenus dat occasionem, vt Princeps ostendat suum animum, & consequenter per nouū tacitum consensum inducat obligationem; si, inquam, de hac sit sermo, sine dubio multùm ad rem facere, quod Princeps sit præsens; quia cùm tunc sciat consuetudinem, & permittat, faciliùs censetur in eam consentire, quàm si esset absens.

Ostenditur, ad quā consuetudinē requiratur præsentia Principis, ad quam verò secùs.

85. Ergo ad consuetudinem præscriptam redeundo, dico pro illâ sufficere decennium tam in absentiâ quàm in præsentiâ, & è contrario; nam caput illud vltimum, quod requirit tempus constitutiuum cōsuetudinis legitimè præscriptæ, non facit distinctionem inter præscriptionem absente Principe aut præsente, ergo nec nos debemus illam facere.

Consuetudo præscripta non requirit nisi decennium tā in præsentiâ quàm absentiâ Principis. Quid Ius ex §. 1. Institut. de vsucapionibus vocet tēpus longæuum.

Dices: Ius ciuile aliter vocat tempus longæuum inter præsentes, aliter verò inter absentes, vt constat ex §. 1, Institut. de vsucapionibus; ergo cùm ex hoc iure colligamus decem annos esse tempus sufficiens ad præscriptionem, quia est tempus longum, debemus eam etiam distinctionem inter absentes & præsentes admittere. Respondeo, eam diuersitatem solùm esse in ordine ad præscriptionem in materiâ quasi iustitiæ: quia magis est in damnum tertij, contra quem præscribitur, quàm consuetudo de quâ agimus, ideò debuit tempus illud prorogari absente eo contra quem præscribitur; in consuetudine verò necessaria non est ea distinctio, nec vi iuris Canonici ad eam cogimur; neque etiam tenemur trāsferre eam distinctionem longæui temporis ex iure ciuili ad Canonicum, cum de diuersâ præscriptione in vtroque textu sermo sit.

Dices: Quo ergo fundamento vocas terminum decem annorum longum tempus? Respondeo, quia ius ipsum agens de tempore dicit decennium esse longum tempus, & consuetudinem decem annorum vocat longæuam abstrahendo à consuetudine legali & præscribente: & ita tenēt cōmuniter Canonistę, quos refert & sequitur P. Suarez eo cap. 15. n. 2. cuius sententiam in hoc puncto sequimur, etiamsi in aliis paulò antè notatis displiceat.

Cur vocetur decennij longum tempus.

Svbsectio V.

An id sit intelligendum de consuetudine contra leges Ecclesiasticas.

86. Aliqui auctores eam præscriptionem decem annorum solùm iudicant sufficientē in iure ciuili, non autem in Canonico. Quæ videtur esse communis sententia requirens in Canonicis tempus quadraginta annorum ad præscriptionem. Ita Panormitanus cap. vlt. de consuetudine num. 11. & in cap. 1. de treug. & pace num. 4. Felinus ibi latè num. 13. Siluester verbo *Consuetudo*. quæst. 4. Angelus ibi num. 8. & alij, quos referunt & sequuntur Pater Suarez cap. 18. nu. 12. & seqq. & Pater Salas sect. 4. Huius sententiæ funda

Sententia cōmunis requirens in ciuili iure decem, in Canonico verò 40. annos ad præscriptionem.

Digitized by Google

fundamentum desumitur ex cap. *Cùm de beneficijs.* de præbendis in 6. & ex multis capitibus in tit. de præscriptionibus, maximè ex cap. *De quarta.* & *Ad aures.* quia in his omnibus dicitur contra Ecclesiam non præscribi nisi spatio quadraginta annorum; sed abrogatio legis est præscriptio contra Ecclesiæ mandata, ergo non potest fieri nisi spatio quadraginta annorum. Quam doctrinam aliqui extendunt ad consuetudinem, quæ etiamsi non abroget legem Ecclesiasticam, est tamen contra rationem Canonis: quod ita admittit P. Suarez ibi, vt debeat ea ratio esse ita essentialis legi, vt illâ cessante cesset lex; quia consuetudo contra rationem legis tunc virtualiter est contra legem: si autem talis est ratio, vt eâ cessante possit vigere lex, tunc non est, cur consuetudo contra rationem legis debeat etiam requirere tam longum tempus.

Basis huius Opinionis est ex cap. Cùm de beneficiis. *de prabendis in 6.*

87. *Refellitur ea sententia fusè.*

Fateor hanc sententiam valdè communem esse; vereor tamen ne non sit sufficienter fundata & sibi non cohærens; & in primis, incipiendo ab hoc vltimo puncto de præscriptione contra rationem legis, videtur mihi omnino inutilis ea doctrina, quia vel ea ratio legis est simul adiuncta legi, vel non: si est adiuncta, cùm ipsa lex, vt abrogetur, petat quadraginta annos, non video quid ibi prosit vel obsit ratio legis, nisi fortè dicere velint, tunc esse necessarios octoginta annos, quadraginta pro lege, & quadraginta pro ratione legis: quod esset planè absurdum & sine vllo fundamento: quòd si ratio legis separata est à lege, tunc nullam inducet obligationem; nam ratio seu, motiuum, si non coniungatur cum præcepto, non obligat, ergo non erit necessaria vlla præscriptio contra illam. Et verò hoc argumentum etiam habet locum, quando ratio legis est connexa cum lege; nam tunc ratio non obligat, sed lex. Nec video, quomodo possit præscribi contra rationem integrâ manente lege; vel certè, quid possit ea præscriptio: non video, inquam, quomodo possit fieri ea præscriptio, quia hæc deber fieri per actus contrarios legi; at si lex non violatur, cessat præscriptionis fundamentũ: non etiam video ad quid ea prosit, quia si obligatio legis manet, quid me iuuat ostendere, motiuum illius non manere?

88. *Obiatur replica.*

Dici fortè posset iuuare, ne in aliis similibus materiis diuersis, specie, vbi est eadem ratio, obligatus sim. Sed contrà, quia vel illæ aliæ materiæ sunt ob eam rationem de facto sub obligatione legis, vel non: si non sunt, ergo inutilis est mihi ea præscriptio, quia independenter ab illâ non teneor ad talem materiam; si verò sint sub obligatione, ergo tunc non potero præscribere contra rationem, sed debeo præscribere contra leges ipsas.

Fortè adhuc posset excogitari casus, in quo haberet locum ea doctrina. V.g. si poneremus legem esse ciuilem, rationem verò illius desumptã ex aliquo Canone, ideóque rationem esse Canonicam; tunc enim dici posset, etiamsi ad præscribendum contra legem quia ciuilem, non essent necessarij nisi decem anni, ad præscribendum tamen contra rationem quia Canonicam esse necessarios quadraginta: nihilominùs addo, etsi casus sit possibilis, tamen doctrinam locum ibi habere non posse, quia, si contra legem præscribitur intra decennium, inutile est, quòd contra rationem non præscribatur nisi intra quadraginta annos. Quid enim id curabunt subditi; Secundò, quia tunc ea ratio etsi Canonica sit, iam tamen in eâ lege non habet vim nisi ciuilem; sicut è contrario, quando ratio ciuilis transfertur ad Canones, iam fit Canonica. Ratio autem à priori est, quia hæ rationes non à primo olim inuentore, sed ab eo qui eis vtitur in legibus suam vim habent; ergo quàm citò tunc præscribitur contra legem, tam citò etiam contra rationem illius.

Quando lex Canonica non habeat vim nisi ciuilem.

89. *Impugnatur præcipuum Suarij argumentum.*

Veniamus iam ad primum & præcipuum de quadraginta annis pro præscriptione Ecclesiasticâ: in quo puncto in primis inde mihi oritur difficultas, quòd si eorum auctorum deductio ex prædictis textibus sit vllius momenti, sequeretur, nullam præscriptionem valere contra legem Canonicam vniuersalem toti Ecclesiæ nisi spatio centum annorum; id autem vix vnus aut alius dicit, ergo. Probo sequelam, quia sicuti Canones illi ex titulo de præscriptionibus dicunt contra Ecclesiam non præscribi nisi spatio quadraginta annorum: ita eodem modo dicunt contra Ecclesiam Romanam non præscribi nisi spatio centum annorum: atqui leges Canonicæ communes toti Ecclesiæ sunt ab Ecclesiâ Romanâ seu à Papâ, ergo contra illas non præscribitur nisi spatio centum annorum. Quòd si respondeatur, eos centum annos non requiri pro præscriptione legali, sed pro præscriptione propriâ contra ius dominij, aut quid simile; eodem etiam modo ego dicam cæteros textus, qui de præscriptione quadraginta annorum loquuntur, non agere de legali, sed tantùm de verâ & propriâ præscriptione; quia nullum vel leuissimum indicium est in eis textibus, vt magis quadragesima præscriptio debeat ad legalem applicari quàm centesima.

Quando præscribatur contra Ecclesiã Romanam.

90.

Deinde idem confirmo ex doctrinâ P. Suarez suprà à nobis positâ, quòd scilicet de consuetudine præscriptâ non habeatur in Canonibus mentio, nisi eo vltimo capite de consuetudine; vnde ego probo has præscriptiones omnes, de quibus in titulo de præscriptionibus esse alias à legali & verò quicumque eos omnes textus perlegerit, inueniet omnes agere de præscriptione iuris dominij, &c. Aliam addo propositionem inter Iuristas & Canonistas certam, quòd præscriptio propria plus temporis requirat quàm legalis seu contra legem, vt Suarez ipse hîc fatetur n. 13. in fine: & ratio à priori id ostendit efficaciter; nam consuetudo contra legem non potest propriè dici præscriptio contra Principem: ibi enim est propriè præscriptio contra alterũ quando fit altero inuito & repugnante vel virtualiter vel expressè; quando verò fit ex vi voluntatis alterius, nihil est propriè contra illum, sed potiùs ab illo, vt ex terminis patet. Atqui in præscriptione consuetudinis contra legem includitur voluntas Principis, à quâ censetur reuocari lex, quia eam condidit sub illâ conditione, vt si restiterit populus per consuetudinem, ipse Princeps sit contentus eam abrogari ipso facto: ergo hîc non præscribitur contra ius Principis, sed potiùs fit iuxta illud: non sic res se habet in alterâ præscriptione alicuius rei; fit enim illa ex conceptu suo etiam contra voluntatem alterius cui illa res adimitur; ideoq; ex conceptu suo debet requirere plus temporis.

Propria præscriptio plus petit temporis quàm legalis. Quando sit præscriptio contra alterũ.

Hinc ergo formo argumentum: Præscriptio, de quâ illi Canones, est vera & propria in materia iustitiæ; sed hæc (vt dixi) ex conceptu suo petit plus temporis quàm ea quæ est contra legem; ergo, eò quòd ibi leges requirant quadra-

91. *Reijcitur efficaciter aduersariorum opinio.*

Digitized by Google

cinta annos, non licet inferre, requiri etiam in legali. Patet euidenter consequentia ex duplici principio; tum quia vbi est longè dispar ratio, & maior in vno quàm in alio, non potest trahi consequentia ab vno ad aliud; tum quia in materiâ legum, etiam ob similitudinem rationis, non potest trahi vna lex ad obligandum in materiâ specie diuersâ ab eâ quam ipsa lex præcipit; ergo nullum est argumentum ad inducendos eos textus pro hac sententiâ. Ablato autem eo fundamento, videtur relinquenda ea præscriptio iuri ordinario, vt scilicet sufficiant decem anni tam in Canonico iure quàm in ciuili, ergo.

92. *Sufficiunt ad præscriptionẽ decem anni.* Ideò absolutè iudico, per se loquendo, sufficere eos decem annos, nisi fortè aliqua materia, quia valdè grauis, exigat longius tempus & ita sentiunt Azor in Summâ tit. de consuetudine, Calder. & alij in cap. 1. de treug. ac pace; quos putat P. Suarez loqui solùm de lege nondum acceptatâ: quia tamen eadem videtur esse ratio in acceptatâ ac in non acceptatâ, quia in vtraq; fit suo modo contra legem, & acceptatio populi non est quæ propriè obligat, possumus meritò dicere eos stare pro hac nostrâ conclusione. Expressè autem eam censet probabiliorem Pater Lessius 2. de Virtutibus cap. 21. dub. 14. pro se citans Navarrum: eamdem etiam tenet P. Vasq. suprà.

Subsectio VI.

Vtrùm consuetudo non præscripta possit aliquando abrogare legem.

93. RAtio dubitandi desumitur ex hucusque dictis, quia eo cap. vlt. de consuetudine videtur expressè requiri ea præscriptio ad præiudicandum legi; ergo eâ deficiente cessabit ius abrogandi: sicut, si non sit rationabilis eadem consuetudo, non poterit abrogare legem: & ita sentit Panormitanus in cap. hoc vlt. num. 13. *Opinio Panormitani.* Confirmatur, quia si aliquando consuetudo non præscripta posset abrogare legem, ideò esset, quia Princeps præsumitur scire, & eo ipso tolerare: atqui hæc tolerantia non inducit consensum Principis, vt constat ex Iure, ergo non est sufficiens consuetudo non præscripta ad abrogandam legem aliquam. *Affirmat communis,* Contraria tamen sententia communior est, & omnino vera, quæ docet, ad consuetudinem, vt abroget legem non vi præcedentis consensus Principis, sed vi noui taciti, qui colligitur occasione eius introductæ consuetudinis, non esse necessariam præscriptionem. Pro hac sententiâ stat D. Thomas q. 97. art. 3. ad 3. vbi non requirit ad hunc effectum nisi sufficientem significationem consensus Principis: & licet D. Thomas maximè loquatur ibi de inductione nouæ legis, potest tamen de abrogatione intelligi; stant etiam Sotus, Medina, Gerson, Antoninus & alij, quos refert & sequitur P. Suarez suprà n. 17. Salas sect. 6. & Vasq. suprà citatus id passim docet; imò non aliam præscriptionem in consuetudine admittit quàm ex consensu tacito vel expresso Principis: inducit etiam omnes Canonistas pro hac sententiâ P. Suarez, quatenus docent sciente Papâ sufficere spatium decem annorum ad abrogandam legem nondum acceptatam; ait enim eamdem esse rationem de lege acceptatâ & non acceptatâ. Dixi *sciente Papâ*, quia non agimus iam de consuetudine præscriptâ & independente ab eâ scientiâ Principis. Ratio huius sententiæ ea est, quia quando de voluntate Principis constat, non solùm sufficit consuetudo ad inducendam obligationem, sed etiam vnum particulare factum quod eam voluntatem testetur: vnde tunc consuetudo non quà talis, sed quà signum eius voluntatis, abrogabit legem priorem; posse autem aliquando præsumi consensum Principis circa abrogationem legis ante tempus requisitum pro præscriptione, est manifestum, quia sæpè tales occurrunt circumstantiæ, quæ moraliter certò illum declarant; sicut in materiâ donationis & in aliis materiis præsumitur sæpè talis consensus, licetque ex illo sæpè honestè operari, ergo idem potest in consuetudine dici.

Quando præsumendus sit cõsensus Principis circa abrogationem legis ante tẽpus pro præscriptione requisitum.

Addendum tamen crediderim, debere valdè clarè constare de voluntate seu consensu noue Principis, vt lex abrogetur, antequam tempus pro præscriptione expleatur; nam ad abrogandã legem omnino necessarius est consensus Principis: populus enim, postquam transtulit in Principem suam iurisdictionem, non habet ampliùs potestatem præualendi contra leges Principis, vt sæpè diximus: atqui consensus hic non supponitur antecedenter ad eam consuetudinem, sicut supponitur pro tempore, quo expletur præscriptio, vt paulò antè, imò potiùs supponitur contraria voluntas; nam dispositio iuris est, vt non destruatur lex antequam sit legitimè præscripta; ergo tunc lex est in possessione tam primi sui valoris ratione institutionis, quàm quod reuocari non possit per eam consuetudinem non præscriptam: ergo vt lex exturbetur ab hac duplici possessione, debet valdè certus esse consensus Principis. Patet consequentia, quia duæ volitiones certæ non censentur abrogari nisi per cõtrariam certam; debet ergo fundamentum præsumendi esse omnino efficax. Confirmo ex doctrinâ communi, scilicet, quando Legislator expressè voluit, ne lex abrogetur per vllam consuetudinem, verè eam non posse abrogari, quia voluntas Principis est potentior; atqui, si res benè ponderetur, Principem noluisse per vllam abrogari, non plus efficit ad hoc, vt per nullam abrogetur, quàm, voluisse vt per hanc non abrogetur, efficit, ne abrogetur per hanc; quia sicut voluntas generalis se habet respectu omnis consuetudinis, ita particularis voluntas respectu particularis consuetudinis. Deinde non minùs possumus intelligere Principem retractare eam suam generalem voluntatem respicientem omnem consuetudinem, quàm particularem respicientem particularem consuetudinem: tam enim vna est libera quàm altera; & tam est mutabilis homo in vnâ quàm in alterâ, imò fortè faciliùs in eâ vniuersali; quia quò plures materias amplectitur, faciliùs in vnâ aut in alterâ inuenit rationem mutandæ sententiæ seu volitionis, quàm dum vnam tantùm determinauit: ergo sicut quando Legislator antecedenter voluit, vt lex nulla consuetudine abrogaretur, debemus dicere, vel per nullam omnino abrogandam, vel certè eam consuetudinem simul debere habere manifestissima indicia voluntatis à Principe reuocatæ; ita eodem modo in præsenti esto concedatur, per eam consuetudinem non præscriptam abrogari legem, id debet esse cum tali limitatione, vt clarissimè constet de voluntate Principis: vnde in praxi valdè mihi videtur tuta sententia Panormitani, quòd scilicet non debeat censeri

94. *Ad abrogandam legem consensus Principis est necessarius.*

Fundamentũ præsumendi oportet esse efficax.

95. *Sententia Panormitani in praxi tuta est.*

Digitized by Google

feri abrogata ea lex ante præscriptionem perfectam.

96. Iam verò ad illius fundamenta, quatenus sententiæ nostræ aduersantur: ad caput illud dicimus in eo esse sermonem de consuetudine, quæ tollit legem independenter à nouâ voluntate Principis, imò & à scientiâ ipsius; talis enim consuetudo debet necessariò esse præscripta: at nos loquimur, casu quo noua voluntas seu consensus Principis colligitur ex consuetudine, quatenus ipse & præsens est, & scit; & cùm possit sine vllâ difficultate impedire eam consuetudinem, non tamen impedit, & alia interueniunt signa consensus. Ad confirmationem, quòd Principis tolerantia non arguat consensum, respondeo id esse aliquando verissimum, cùm scilicet Princeps iustas ob causas non potest liberè reprehendere aut castigare transgressores; tunc enim illa tolerantia no est voluntaria, ideoque non arguit consensum; nego tamen id verum esse, quando potest commodè impedire eam consuetudinem, non tamen vult; tunc enim censetur consentire: quòd si adhuc non sufficit illud indicium, poterit expectari aliud maius; nos enim in præsenti non determinamus quæ sint ea indicia, sed dicimus, quando sunt sufficientia, vt constet de voluntate Legislatoris, tunc censeri abrogatam legem per consuetudinem etiam non præscriptam. Quod si roges, quando possimus iudicare dari talem consensum; respondebo id non posse à nobis decidi, sed in casibus particularibus dignoscendum iudicio prudentum.

Euertuntur eius fundamenta.

Noua voluntas Principis ex consuetudine colligitur.

Quando tolerantia Principis non arguat consensum, quando verò sic.

97. Ad alteram obiectionem, quod consuetudo, si non sit rationabilis, non tollit legem, ergo etiam non tollet, si præscripta non est, quia eodem modo requiritur à Pontifice rationabilitas & consensus; respondeo negando consequentiam, quia rationabilitas consuetudinis est essentialiter requisita ex naturâ rei, & sine quâ nec ipse Legislator auferre potest leges: at præscriptio solùm est necessaria ex illius voluntate quòd si de hac voluntate aliunde constet, iam non requiritur ea præscriptio.

Rationabilitas consuetudinis est essentialiter requisita ad abrogationem legum.

Circa consuetudinem verò non præscriptam derogantem legi ex vi antecedentis consensus Principis dicendum est, eam posse etiam infra decennium sufficere ad inducendam obligationem legis, quia minùs per se ad hanc quàm ad præscriptam requiritur; quantum autem debeat esse illud, non potest certò determinari, quia pendet ex materiâ actuum ex eorum frequentiâ: etenim aliquæ materiæ sunt, quæ etiâ intra diem frequentissimè occurrunt, aliæ vix semel intra annum. Ratio autem videtur dictare, faciliùs posse intra idem tempus consuetudinem obligare, si valdè multi actus tunc repetantur, quàm si solùm vnus aut alter, ideóque per eam multiplicationem posse compensari longitudinem temporis in aliâ materiâ.

Quænam consuetudo intra idem tempus magis obligare possit alteram.

98. Obijcies: Ad omnem consuetudinem siue derogantem antiquo iuri, siue nouum inducentem, requiritur vt sit longæua; vt patet ex textibus suprà positis: atqui tempus longæuum non est nisi decem annorum: ergo nulla consuetudo valet ante decem annos. Respondeo, illud longæuũ tempus ibi solùm esse pro præscriptione; nam pro consuetudine, maximè in materijs, quæ (vt dixi) passim exercentur, etiam tres quatuórve anni faciunt longum tempus: sed de hoc infrà nonnihil ampliùs, dum de multitudine actuum pro valore consuetudinis disputandum erit.

Consuetudo non requirit tantum temporis quantũ præscriptio.

DISPVTATIO XXV.

De conditionibus quæ requiruntur vt consuetudo inducat ius legale.

PRÆCEDENTI disputatione explicuimus varias consuetudinis diuisiones, eadem autem occasione de tempore requisito ad eius valorem multa diximus; iam de ceteris, quæ ad eumdem valorem necessaria sunt, specialiter agendum erit. 1.

SECTIO I.

Quomodo requiratur animus se obligandi.

QVÆSTIO hæc ob dicenda paulò post summè est in praxi difficilis, etiamsi speculatiuè clarissima. Dicimus ergo, non sufficere actus illos repetitos fieri ex solâ deuotione, sed requiri vt ex voluntate inducẽdi obligationem; cumque hic animus numquam possit colligi ex repetitione actuum etiam frequentissimâ & per longissimum tempus, quia semper potest actio illa fieri ex deuotione, difficulter decidi potest vnde debeat saltem probabiliter id inferri. In hac difficultate faciliùs est dicere, quæ consuetudo non obligat, quàm positiuè determinare, quando obligat; præmittamus ergo certa, vt de incertis possimus fusiùs discurrere.

Actus repetendi sunt ex voluntate obligationem inducendi.

Primò ex dictis sæpè constat, consuetudinem non induci nisi per actus morales liberos, quia debet esse consensus moralis & humanus; is autem non sit nisi per actus liberos & voluntarios: nam Princeps, licet censeatur approbare consuetudinem, non tamen id facit, nisi supponendo consensum populi; cui quasi committit suas vices ad has obligationes inducendas. 2.

Consuetudo non inducitur nisi per actus morales liberos.

Hinc Secundò certum est, per actus ex ignorantia & errore factos nõ induci ius vllum, quia ex ea parte innoluntarij sunt; in quo puncto, quia clarum est, & ab omnibus ferè defenditur, non est necessum diutiùs hærere: vnde sequitur, si populus reputans esse obligationem faciendi aliquid, id facit, non inducere ius legale consuetudinis, quia tunc vi eius erroris non censetur velle sibi nouum onus imponere, sed antiquo satisfacere: quòd si hoc re ipsa nullum fuit, nulla est etiam tunc noua obligatio, similiter è contrario, si populus putat non esse legem, ideoque operatur in actu excercito contra illam, tunc eam non abrogat, quia non operatur animo abrogandi legem.

Per actus ignoranter aut erroneè factos nullum ius inducitur.

Dixi hanc doctrinam ferè ab omnibus defendi, quia nonnulli propter legem 39.ff. de legibus, in qua hæc habentur, *Quod non ratione introductum est, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum, in alijs similibus non obtinet*; propter hanc, inquam, legem, censent consuetudinem per errorem inductam esse validam in sua materia, licet ex ea trahi argumentũ non valeat ad alias similes materias, quia non patitur tantas extensiones

Varia variorum hac de re sententia.

Digitized by Google

extensiones, quantas consuetudo sine errore introducta. Alij verò distingunt inter errorem facti, quem fatentur non inducere consuetudinem; & inter errorem iuris, quem putant nihil obesse quò minùs consuetudo in tali errore fundata inducat ius legis. Verùm ratio facta & fundata in consensu necessario ad legem non patitur has distinctiones: & declaratur vlteriùs; nam sicut Legislator non obligat, nisi velit obligare, ita populus, qui se habet in consuetudine per modum Legislatoris, non potest se obligare, nisi velit: eo autem ipso quòd sit error aliquis siue iuris siue facti, non est talis seria voluntas, vt ex terminis patet, ergo neque erit obligatio.

4. *Respondetur legi allatæ.*

Iam ad legem in contrarium allatam dupliciter respondeti potest; Primò ex Glossis ibi, quæ docent *τὸ in alijs similibus non valet*, nõ ita intelligendum, ac si lex diceret, Eiusmodi consuetudo ex errore valet in hac materia, non tamen potest trahi ad aliam similem: etenim neque alię consuetudines etiam non introductæ per errorem trahi possunt ad alias materias similes; nam leges, quia odiosæ ex se sunt, non trahuntur ad diuersas materias ab his, quæ per ipsas mandantur: intelligenda ergo sunt ea verba, vt talis consuetudo non obliget ad alios actus eiusdem speciei similes illis, quia facti sunt ex eo errore; vnde potiùs infertur eam consuetudinem non inducere ius legis; ideò ille textus potiùs est pro nobis. Aliam explicationem fusè deducit P. Suarez cap. 12. num. 6. quòd non loquatur ea lex de præsumptione legali, sed de propriâ & priuatâ in materiâ alicuius priuilegij, &c. Mihi prima videtur magis clara & conformis nostro intento, ideoque eâ vt sufficiente contentus sum.

Suarij explicatio.

5. *Consuetudo legalis nõ inducitur per actus metu graui vel vi factos.*

Tertiò dicendum, consuetudinem legalem non induci per actus factos ex metu aut vi graui. In hac adhuc magis conueniunt auctores: & ratio est manifesta; nam licet metus non tollat simpliciter voluntarium, quia tamen actus inducentes consuetudinem ita debent esse voluntarij, vt fiant animo se obligandi; nemo autem id quod facit ex metu, facit intendendo obligationem ad similes actus, cùm potiùs per se ab eis abhorreat, & illos non faciat, nisi vt euadat præsens periculum; videntur ex naturâ rei eiusmodi actus esse inhabiles ad talem consuetudinem. Secundò idem suadetur, quia consensus Principis, siue antecedens ille sit, siue præsumptus, post inchoatam consuetudinem requiritur ad eius valorem: atqui Princeps non præsumitur nec ante consuetudinẽ, nec post illam dare suum consensum, vt subditi iniusto metu cogantur ad consuetudinem, ergo: sed quid si ipse Princeps iniustè metum incutiat? Respondet P. Suarez iniuriam ab eo committi, quia non potest exorquere consensum à populo, per quem obligetur. Bona doctrina. Addo ego pro præsenti quæstione faciliùs dici posse, vix id moraliter posse contingere; nam si solùm vult obligare populum, potest id ipse per legem scriptam facere: vt quid ergo impertinenter tunc consensum à populo quæret? Quòd si materia sit talis, vt vel ob iniustitiam, vel ob nimiùm graue onus, vel alio ex capite sit incapax legis, tunc, etiamsi consensum voluntariè eo tempore præberent, non ideò postea forent obligati.

Si Princeps iniustè metũ hic incutiat, iniuri sua est.

6. *Vt actus ita debèt esse voluntarij, vt simul habeãt subditi animum se obligandi.*

Quartò dicendum est, eos actus ita debere esse voluntarios, vt simul habeant subditi animum se obligandi: si enim faciant solo titulo deuotionis non obligantur vnquam. In hac conueniunt omnes; eiusque ratio insinuata est superiùs. Sicut enim Legislator non obligat, nisi velit obligare; ita populus, qui in eâ consuetudine se habet vt Legislator, non obligat seipsum, nisi animum habeat se obligandi. Hæc conclusio est, quæ nobis creat magnam difficultatem, ob rationem suprà insinuatam: planè enim videtur hinc sequi, numquam de facto vllam consuetudinem inducere obligationem; non dico non posse inducere, sed non inducere de facto, quia reuerà non est credibile moraliter, quòd homines velint sibi ipsis imponere onus tam graue, quale est obligatio sub peccato, maximè mortali, ad eiusmodi opera: nam licet vnus aut alter fortè id velit, quod tamen maior pars populi in eum animum conueniat, & quidem per notabile tempus, ac intra illud numquam reuocauerit talem voluntatem, est moraliter incredibile: à posteriori autem idem suadetur ex consuetudinibus maximè receptis in Ecclesia, & aptissimis ad inducendam obligationem legis; quæ tamen eam non induxerunt; vt accipere Cineres sacros Feria quarta Cinerum: à qua consuetudine in locis Catholicis nec vnicus solet excipi: item consuetudo accipiendi ramos die Palmarum, orandi dum pulsatur ad Aue Maria, aquam benedictam suscipiendi in ingressu templi, & in multis alijs consuetudinibus. Hinc enim formo argumentum: Res istæ quantumuis non solùm à maiore parte populi, prout ad consuetudinem legalem requiritur, sed à toto ferè obseruentur constantissimè, item non solùm per tempus necessarium ad inducendam obligationem, sed per illud quod sufficit ad præscribendam etiam decies aut duodecies, non tamen inducunt obligationem in conscientia, quia non videntur lege aliqua lata præceptæ; & de animo se obligandi in eis nihil nobis constat: quæ, quæso, consuetudo de facto vi consuetudinis induxit talem obligationem, aut in qua possumus dicere, *Populus hic vult se obligare?*

An de facto aliqua consuetudo inducat obligationem.

Multæ Ecclesiasticæ consuetudines per longissima tempora continuatæ legẽ non induxerunt.

Dices, Id intelligendum, quando ipsi subditi putant se teneri. Sed contrà, quia aliud est eos tunc teneri ex conscientiâ erroneâ, aliud verò re ipsa: quòd si eam consuetudinem seruent, quia putant se teneri, nullam per illos actus obligationem sibi creant; & cum primùm constiterit anteà non fuisse obligationem, non tenebuntur ampliùs vi eorum actuum. Quòd si dicatur eam existimationem esse signum, quòd prædecessores voluerint se obligare; Contrà, quia planè videtur moraliter ea notitia impossibilis: si enim publicè non dicant, *Volumus id facere animo vt nos obligemur*, quomodo, quæso, ipsimet conueniunt inter se, vt sibi eum animum dicant? quòd si non dicant, ergo pro libitu præsumitur, quia actio exterior non requirit talem voluntatem se obligandi, vt initio sectionis dixi: & eadem difficultas est, si respondeatur optimum signum esse ad eam obligationem dignoscendam quando docti & pij scrupulum mouent ijs qui eam consuetudinẽ non seruant. Dico esse eamdem difficultatem, quia, vnde, quæso, id nouerunt illi pij? Fortè ipsimet decipiuntur; putant enim eius consuetudinis antiquiores obseruatores voluisse se obligare; cùm tamen illi purè purè ex deuotione id fecerint. Addo, sæpè in consuetudinibus planè nõ obligantibus ingeri scrupulum ijs, qui eas non obseruant, non tam rãtione peccati quàm ratione cuiusdã indecentiæ. Sic audio in vota Polonia ieiuniam quartæ Feriæ

7. *Occurritur obiectioni.*

Multæ consuenerunt fieri, non tamen obligationis inducẽdæ gratiã.

Poloni Feriã quartã ieiunant, etsi ad hoc nullã legẽ teneantur.

Digitized by Google

riæ ab omnibus ita obseruari, vt reputetur quasi profanus, qui illud non seruat; & tamen apud illos constat non esse obligationem sub peccato.

8. *Nulla de facto talis est legalis consuetudo, quæ, non accedente aliquâ lege vel voto à Principe vel communitate lato, obliget sub peccato.*

Propter hæc crediderim valdè probabile nullam esse de facto talem consuetudinem legalem, quæ vi solius consuetudinis, non accedente aliquâ lege latâ à Principe aut voto totius communitatis, obliget sub peccato: id quod valdè confirmatur ex aliquibus Canonibus, in quibus consuetudines similes honestæ præcipiuntur obseruari; videntur enim Pontifices supponere, si non accedat lex directè obligans: vix posse præsumi de animo se obligandi in maiori parte cõmunitatis, & actibus repetitis.

Dixi etiam, *nisi votum accedat*, quia experientia satis docet, quando aliqua ciuitas aut Regnum vult se obligare ad colendum Sanctum aliquem ieiunio, festo, &c. ordinariè id efficere per votum, quia reuerà meritò supponunt, si ad consuetudinem longam inducentem obligationem remittatur, facilè multos muraturos animum, & consuetudinem non præualituram.

9. *An consuetudo voto firmata inducat obligationem voti & legis.*

Circa quod posset aliquis obiter inquirere, an consuetudo voto firmata inducat obligationem voti & obligationem legis; nam, iuxta dicta paulò antè, ei consuetudini, vt inducat legis obligationem, solùm deerat animus se obligandi: atqui ille animus iam est eo ipso, quòd per votum se volunt obligare; ergo introducitur tunc vtraque obligatio, quia inter se duæ illæ non pugnant: quòd si vtraque simul fit, sequeretur, etiamsi dispensaretur in voto, mansuram aliam legalem; & è contrario, si consuetudo sola vt talis per legem lata abrogaretur, mansuram obligationem voti. Respondeo, verum quidem esse duas eas obligationes posse simul cohærere, nihilominùs tamen de facto non debere in casu posito præsumi existere; nam vt populus se obliget obligatione propriâ legis, non sufficit quòd velit in posterum id facere animo absolutè se obligandi, sed debet esse animo se obligandi per modum consuetudinis: ea autem obligatio sicut est in conceptu suo disparata ab obligatione voti, ita etiam non infertur ex illâ.

Vt populus se obliget obligatione legis debet id facere animo se obligandi per modum consuetudinis.

Doctrina hucusque tradita intelligenda est de consuetudine inducente obligationem; nam de consuetudine abolente antiquum ius positiuum faciliùs creditur sæpè de facto reperiri in hominibus; & quidem posse per consuetudinem aboleri ius positiuum suprà fusè deductum est; quod non est ita intelligendum, vt Legislator tulerit ab initio legem sub hac conditione, si populus eam retinere velit; sequeretur enim inde, non solùm per consuetudinem, sed directè posse populum conuenire ac velle destruere vno actu legem, dicendo se nolle eam tolerare: ea ergo destructio fit iuxta suprà dicta, eò quòd Legislator ab initio dixerit, *Volo per hanc legem obligare quamdiu per contrariam consuetudinem non fuerit abrogata.* Quo posito, circa voluntatem populi, quæ potest per consuetudinem abrogare legem, dicendum est Primò requiri, ne populus incipiat legem violare, putando se non teneri; tunc enim non censebitur velle abrogare: est ergo necessaria voluntas non habendi talem legem, sed recuperandi libertatem antiquam tali obligatione excusâ: hæc autem intentio ex ipsâ actuum frequentiâ suppositâ cognitione legis contrariæ, & ex pertinaciâ populi in talibus actibus facilè colligitur. Et hinc assignatur differentia inter consuetudinem contra legem & consuetudinem præter legem, quòd ad libertatem homo naturâ suâ videatur proclivis: vnde, quando communi consensu populus nititur contra legem, præsumitur velle etiam abrogare; at quòd ponat sibi nouam obligationem, est longè difficilius, ideò id non præsumitur ex frequentiâ actuũ, maximè cùm ex deuotione sæpè eosdem actus repetamus.

Qui voluntas populi possit abrogare legem consuetudine.

Nota differentiam inter consuetudinem præter & contra legem.

SECTIO II.

An ea consuetudo debeat esse à maiori parte populi, & an possit per actus malos inchoari.

QVoad primum, dicimus requiri in eiusmodi materiâ sicut in præcedenti, vt illi actus fiant à maiori parte populi; nam si è contrario maior pars seruat legem, aut certè æqualis, standum est pro lege, quia ipsa, vt sic dicam, seipsam defendit; & aliunde habet aut fortiorem aut certè æquè fortem consuetudinem pro se quàm contra se, non est ergo cur debeat cedere. Eadem ratio applicari potest ad consuetudinem non abrogantem, sed inducentem nouum ius; nam etiam tunc, cùm libertas per se stet pro communitate, certè, vt ea vincatur, necessum est maiorem partem populi contra illam conuenire. Limitationem huius sententiæ vide sect. 3.

11. *Consuetudo abrogatiua legis est à maiori parte populi necessariò.*

Circa quod moueri difficultas ea potest, an leges, quæ sunt communes v.g. pro tota Hispania, vt censeantur abrogatæ, debeant à maiori parte totius Hispaniæ non obseruari? Eadem difficultas est de consuetudinibus Ecclesiasticis obligãtibus pro totâ Ecclesiâ. Respondeo, si debeant abrogari tales leges pro totâ Hispaniâ, aut aliæ pro totâ Ecclesiâ, haud dubiè debere à maiori Ecclesiæ aut Hispaniæ parte induci contrariam consuetudinem: quomodo autem maior pars Ecclesiæ in eam consuetudinem cum eo animo, quem sectione primâ diximus esse necessarium, possint conuenire, non debemus nos decidere, quia non agimus de eius conuentionis possibilitate, sed explicamus ea sine quibus consuetudo non erit valida: quòd si ea omnia non possint aliquando simul reperiri, tunc non poterit consuetudo valida introduci. Addo, vt illæ leges abrogentur pro vnâ particulari Prouinciâ, quæ alioquin sit capax propriarum legum, aut pro vno particulari Episcopatu, sufficere, si maior pars eius Prouinciæ vel Episcopatus eam consuetudinem inducat: eadem enim ratio, quæ affertur de consensu maioris partis totius Hispaniæ pro abrogatione in totâ Hispaniâ, conuincit de maiori vnius Prouinciæ pro abrogatione in eâ Prouinciâ.

12. *Etiam leges Hispaniæ aut totius Ecclesiæ si abrogãdæ sunt, consuetudine cõtrariâ maiꝛis partis tollenda sunt.*

Maior pars Prouinciæ aut Episcopatus consuetudine à se introductale-ges pro se latas abrogat.

Circa secundum sectionis punctum dicimus, actus, quibus consuetudo aliqua inducitur contra legem, ordinariè debere esse malos; quia & debent esse cum scientiâ legis, & sine metu excusante, & ex animo legem auferendi; eo autem ipso sunt mali. Video Diuũ Thomam suprà art. 3. ad 2. docere, etiam per actus bonos posse legem aliquam tolli; quod ita declarat, vt homines occurrente aliquâ necessitate in particulari incipiant sine culpâ non seruare legem: quòd si illa occasio sæpiùs occurrat, per actus illos legi contrarios inducetur consuetudo ostendens legem non esse vtilem, quæ consequenter abrogabitur. Hæc doctrina nõ est visa sufficiens Patri Suarez; nam

13. *Actus, quibus consuetudo contra legem aliquam inducitur, ordinariè malos esse oportet. Qui possit etiam bonis actibus lex tolli.*

Digitized by Google

nam quando quis operatur ex epiikia ob aliquã neceſſitatem occurrentem, non operatur contra legem, & conſequenter non deſtruit legem, nec tales actus dant ius, vt ceſſante eâ neceſſitate poſſit quis operari contra legem, quòd ſi frequẽtes ſint occaſiones illæ, tunc lex ceſſabit non vi conſuetudinis, ſed quia materia legis videtur iam mutata & facta non expediens.

14. Adhuc tamen cenſeo poſſe pro hac ratione D. Thom. ſic reſponderi, vt aliquando tot fuerint occaſiones operandi licitè contra legem, vt vi illius conſuetudinis alij ſucceſſores bonâ fide proceſſerint, non putantes ſe iam teneri, etiamſi ceſſauerit illa neceſſitas; tunc autem, quia etiam illa ſecunda conſuetudo fuit virtualiter ad legem abrogandam, aut ſaltem ad conſeruandum ſuum ius, quod putarunt acquiſitum fuiſſe per priorem conſuetudinem, ſine dubio abrogabunt legem, & tamen non fuêre illi actus mali; ergo in aliquo caſu poteſt conſuetudo contra legem induci per actus bonos.

Oſtẽditur qui poſſit conſuetudo contra legem induci per actus bonos.

Replicabis Primò: Illi actus, qui fundantur in errore, quòd iam ſit lex abrogata per primam conſuetudinem, non inducunt nouam abrogationem, ſed quaſi continuant antiquã: quòd ſi antiqua nulla fuit, neque hi vllam inducent. Reſpondeo, ſi actus orti ex eo errore non includant animum etiam recuperandi ſuam libertatem, caſu quo non ſit recuperata, verum eſſe, non inducere libertatem; at inducent, ſi eum animum includãt, vt reuerà poſſunt includere, quia illi homines poſſunt dicere, *Volumus per hanc conſuetudinem, vt ſi re ipsâ fortè adhuc non eſt ſufficienter lex abrogata, abrogetur.* Quòd ſi conſuetudini malæ, quia habet illum animum abrogandi, cedit Legiſlator, cur non cedet conſuetudini licitæ eumdem animum habenti; eſſe verò eam volitionem licitam patet, quia velle carere lege non eſt malum.

Obuiatur replica.

15. Declaro id meo iudicio manifeſtè: Voluntas peccaminoſa abrogatiua legis duo habet; vnum eſt, velle actu facere contra legem; in quo propriè conſiſtit malitia: alterum eſt, velle à ſe tollere obligationem legis: quod ſecundum ex ſe & ex cõceptu ſuo nullo modo eſt malum. Legiſlator igitur dum annuit illi voluntati, non annuit, quâ parte mala eſt, ſeu quâ parte eſt voluntas frangendi legem: ex hoc enim capite potiùs meretur pœnam quàm fauorem illum tollendi legem: annuit ergo illi voluntati, quâ parte eſt ſignum deſiderij magni in populo carendi eâ lege, quia non vult Legiſlator cum tantâ reſiſtentiâ obligare: & hæc eſt ratio à priori, cur ea conſuetudo tollat legem; atqui ea ratio proteſtandi ſuum animum & deſiderium carẽdi lege poteſt requiri in illis actibus licitè factis, eò quòd putent ſubditi priorem conſuetudinem iam eſſe abrogatam, & ex hoc capite non peccent vllo modo contra legem; perſiſtunt autem in eâ conſuetudine licitâ ſimul oſtendendo ſuum animum de tollendâ lege, ſi adhuc durat: qui animus non eſt peccaminoſus, quia ſolùm habet pro obiecto rẽ, quæ non eſt mala, iuxta dicta paulò antè, ſcil. tollere quantum eſt ex parte ſuâ legem illã; ſicut non eſt mala voluntas tollendi ſibi obligationẽ voti quantum poſſit; eſſet autẽ malum, ſi diceret expreſsè, Volo operari contra legem, aut, Operaror contra illam, etiamſi exiſteret, & ego id ſcirem. Verùm hoc obiectum non pono ego vllo modo in eâ voluntate.

Velle carere lege non eſt malum.

Quibus cõſtet actibus volũtas peccaminoſa abrogatiua legis, & eui eorũ Legiſlator annuat.

16. Replicabis tamen Secundò: Non poteſt vllo modo conſtare de eo animo auferendi ſibi obligationẽ, quando iam ſupponunt illi ipſi eſſe ablatam. Facilè tamen reſpondeo, quoad hoc difficultatem eſſe communem etiamſi non ſupponãt eſſe ablatam: animus enim auferendi legem non eſt coniunctus cum tranſgreſſione externâ, vt eſt in cõfeſſo apud omnes; neq; enim eſt per ſe connexus cum conſuetudine, quia poteſt eſſe cõſuetudo ſine vllo animo tali: ſicut ergo in eo caſu debet ille animus præſumi tum ex cõſtanti operatione contrariâ, tum ex aliis indiciis, quibus ipſi expreſsè fatentur ſe talem legem reputare grauem, eodem modo, etiamſi putent eſſe abrogatam, poſſunt profiteri exteriùs ſe adhuc optare, vt, ſi fortè aliquid deeſt ei abrogationi, compleatur. Denique non oſtendo ego quî poſſit agnoſci ille animus, ſed quòd reuerà poſſit eſſe, & habeat eo ipſo vim inducendi libertatem; manifeſtatio autem poterit ſaltem ex dictis cuiuſlibet ſciri, ſi inuicem ſuum animum ſibi manifeſtent; & ſummùm inferetur hunc modum non poſſe tam facilè inueniri, & propterea ego dixi ſuprà in concluſione, ordinariè & per ſe non niſi per actus malos abrogari poſſe eam conſuetudinem.

Occurritur alteri replicæ. Animus auferendi legem nõ eſt cõnexus cũ tranſgreſſione externâ.

17. Addidi autem hunc modum, vt probarem habere etiam aliquando poſſe locum doctrinam D. Thomæ: qui eodem loco aliter dicit poſſe per conſuetudinem licitam abrogari legem, ſi ea cõſuetudo legi contraria ſit valdè firmata. Secundus tamen hic modus non videtur habere locum, quia, ſi ita firmata ſit ea conſuetudo, vt lex ſit eo in loco admodum difficilis, iam ceſſabit non tam per abrogationem vi conſuetudinis quàm per materiæ mutationem: quòd ſi conſuetudo non ſit adeò obfirmata, tunc non impediet legem; aut certè debebit oſtendi, quid habeat ea conſuetudo, ratione cuius legem deſtruat, aut quâ ratione venerit ad talem ſtatum ſine peccato; debebitque recurri ad vnam è ſolutionibus ſuprà poſitis.

Modus loquẽdi D. Thomæ diſplicet.

Obiici tamen poteſt è contrario, ad probandum per actus malos non poſſe tolli legem; quia lex ſupponitur rationabilis; ergo conſuetudo contra illam erit irrationabilis & peccaminoſa; ſed conſuetudo irrationabilis non tollit legem, ergo. Secundò, quia videtur indignum, vt Princeps annuat voluntati iniquæ ſubditorum tollẽdo ob illam vnam legem iuſtam & honeſtam. Reſpondeo ad Primum, oſtenſum à nobis ſuprà fuiſſe, non eſſe idẽ malum & irrationabile, quia irrationabile eſt quod non poteſt vmquam eſſe honeſtum & vtile: poteſt autem id, quod actu eſt malum contra legem in alio caſu eſſe honeſtum. V. g. lex prohibet, ne quis comedat oua & lacticinia diebus ieiunij, ſine dubio malum eſt durante lege ea comedere; ſi autem populus ob aliquam raritatem piſcium (quæ tamen non reddat ſimpliciter eam legem nimis grauem, alioquin tunc per ſe independenter à conſuetudine ceſſaret) cupiens magis eſſe expeditus ad ſeruandum ieiunium, nitatur, vt ſibi liceant lacticinia, ſine dubio habebit honeſtum finem, & conſuetudo illa dici poterit rationabilis: & tales puto de facto inductas eſſe in hac materiâ aliquibus in locis.

Non eſt idem malũ & irrationabile.

18. Hinc dico neceſſum eſſe aliquod ſimile motiuum honeſtum, vt conſuetudo prævaleat; nec propterea putet quis eam reddi licitam in initio, eò quòd incœperit ſub motiuo honeſto; nam (vt conſtat ex Tomo præcedenti) vt actus ſit honeſtus,

Conſuetudo motiuo honeſto niti debet vt prævaleat.

Digitized by Google

honestus, non debet habere obiectum materiale prohibitum; nam bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Ad Secundum dico posse aliquando intuitu actus mali vt conditionis honestissimè abrogari legem etiam per expressam voluntatem: si enim videat Legislator eam esse occasionem grauium peccatorum, meritò poterit eam tollere, ne illa mala sequantur: & hoc motiuum frequenter intercedit in ea abrogatione per consuetudinem; neque inconueniens est aliquid facere occasione alicuius mali: dummodò id quod fit bonum sit: iam autem ostendimus eam abrogationem ob finem illum honestum esse rationabilem, ergo.

Qui possit ex intuitu actus mali etiam per expressam voluntatem honestissimè lex abrogari.

Sectio III.

Quæ personæ possint consuetudinem inducere.

19. *Vna aut altera persona non inducit consuetudinem. sed communitas aliqua perfecta.*

Respondeo, debere esse non vnam aut alteram solam personam, sed communitatem aliquam perfectam; nam licet aliqua priuata persona sufficiens sit ad præscribendum in materia iustitiæ contra aliam, in ordine tamen ad legem non sufficit. Ratio à priori est facilis; nam vel consuetudo inducit legem nouam, quæ obliget communitatem, vel antiquam abrogat; ad neutrum autem ex his effectibus sufficit priuata persona; ergo: non ad primum, quia vnus subditus, non habens in alios iurisdictionem, non potest illos obligare; neque æquum est, vt inter æquales cedant omnes vni tantùm: neque item ad abrogandam legem; nam si lex habeat plures pro se quàm contra se, non est cur ea debeat cedere, quia & ipsa (vt suprà dixi) se defendit, ex parte verò populi plures sunt pro illa, ergo absolutè erit fortior; ex quo capite suprà insinuaui, debere conuenire vltra mediam partem communitatis. Limitationem huius sententiæ vide paulò pòst.

20. *An quis pro se possit consuetudinem inducere.*

Dices, hinc optimè probari, non posse vnum solùm inducere aut abrogare legem pro aliis, at optimè cum hoc stare, vt eam inducat aut abroget pro se: quod confirmatur; nam iure communi tenetur Episcopus in correptionem subditorum procedere de consilio Capituli, & tamen potest ab ea obligatione legali per consuetudinem ab ipso solo inductam excusari, vt constat ex cap. *Non est.* de consuetudine. Respondeo, legem, eo ipso quòd vigeat, obligare per se omnes; vnde vnus non potest pro se solo illam auferre, aut imponere, licet possit quis promissione aut voto obligare se ad aliquid faciendum. Ad caput citatum dico, ibi Episcopum non propriè liberari per consuetudinem à lege, sed per mutationem matetiæ: ius enim illud commune dicit, *Nullus Episcopus, si non habeat priuilegium aut aliud ius, procedat in talibus causis nisi de consilio Capituli.* In eo ergo casu Episcopus ille per consuetudinem acquisiuit ius, quia hoc acquiritur per præscriptionem etiam priuatam; ideóque eo ipso iam est positus extra materiam legis, quia hæc non se extendebat ad habentes tale ius.

Cap. Non est de consuetudine explicatur.

21. *Qualis quam esse debeat communitas legem inducens.*

Circa hanc autem conditionem vlteriùs quæri potest, qualis debeat esse ea communitas legem inducens: communiter docetur debere esse talem, quæ ex conceptu suo sit capax potestatis legislatiuæ: vbi aduerte non requiri actu esse in eâ communitate talem potestatem, sed ratione communitatis capacem eius potestatis. Id quod videtur probari ex l. *De quibus.* ff. de legibus: vbi ideò dicitur consuetudo inueterata habere vim legis, quia ipsæ leges vim habent, eo quòd iudicio populi receptæ sint: vbi agitur de populo apto ad ferendas leges. Rationem huius sententiæ non video in auctoribus; potest fortè ea esse, quòd si consuetudo inducit veram legem, ergo populus, qui est eius consuetudnis causa debet absolutè posse condere legem. Ego tamen in hoc puncto planè censeo argumentum hoc nullum esse: disparitas est meo iudicio manifesta; nam consuetudo non se habet vt vera & propria causa legis sed vt conditio quam Legislator attendit ad abrogandam legem (vt ex suprà dictis manifestè constat:) cur autem, vt Legislator tollat legem, non potest conditio poni etiam à cómunitate, quę ex se vim non habeat inducendi legem? Ideò dico, per se loquendo, benè potuisse Legislatorem concedere eam vim abrogandi legem consuetudini inductæ etiam à communitate incapaci legis condendæ.

Consuetudo non est propria causa legis, sed magis conditio.

22. *Nō repugnat consuetudinē à minori parte inductam abrogare legem.*

Addo, ex hoc eodem capite etiam ex natura rei non repugnare, vt consuetudo à minori parte inducta posset abrogare legem, maximè si ab vna aut altera ex præcipuis familiis illa fuisset inducta. Et hæc est limitatio, quam superiùs dixi me adhibiturum conclusioni huius sectionis, & ei de qua sectione secunda. In hanc sententiam consentit Panormitanus in Rubrica de consuetudine num. 1. vbi id probat, eò quòd communitas Clericorum non habens vim condendi leges, possit tamen contra Canones consuetudinem inducere. P. Suarez cap. 9. huic instantiæ respondet, communitatem Clericorum posse legem condere saltem non repugnantem Canonibus; inde infert eam esse capacem absolutè condendi leges: eodem modo respondet ad alias instantias de mercatoribus aliisque opificum tribubus, item de feminis, quæ possunt consuetudinem legalē inducere, & non possunt leges condere: respondet, inquam, eas habere capacitatem potestatis condendi, licet actu non habeant eam potestatem; imò addit ipsam populi communitatem esse capacem ad ferendas leges in materia religionis, licet de facto eleuata sit in Prælatis ea potestas ad altiorem ordinem: vnde Prælatis consentientibus benè poterunt etiam de facto inducere ieiunia & Festa, quibus obligentur etiam Ecclesiastici. Has solutiones Patris Suarez sufficientes iudico, ideóque censeo Panormitanum non probasse sufficienter suam sententiam quoad factum: quapropter ego solùm dixi quid ex natura rei fieri posset; vnde addo, de facto à iure, iuxta intelligentiam omnium ferè Doctorum, non fuisse nec per modum conditionis annexam vim abrogandi legem aut nouam instituendi nisi consuetudini, quæ ab vna saltem ciuitate, oppido aut perfecto pago procedat; no oo autem maior communitatis parain consuetudinem consentiat, iuxta dicta suprà.

Quinam sint capaces potestatis condendi leges.

Cui sit de facto annexa vis abrogandi legem aut condendi nouam.

Vnde reiiciendi etiam sunt illi, qui requirunt, vt duæ tertiæ partes conueniant: etenim cùm res hæc pendeat, vt constat ex immediatè dictis, à voluntate Principum, & hi, iuxta communem doctrinam, non requirant nisi maiorem partem, non est cur exigantur duæ partes.

Digitized by Google

SECTIO. IV.

De numero actuum, & de probatione in contradictorio iudicio.

23. *Requiritur actuum multitudo ad inducendã consuetudinem.*

QVærimus circa primum, quot actus necessarij sint ad consuetudinem inducendam, De hoc puncto sæpè diximus suprà, requiri multos actus: alioquin nec est consuetudo, nec frequentia actuum, per quam definitur ipsa consuetudo. Ideò, quod nonnulli dicunt sufficere vnum aut duos actus, planè est improbabile, & contra communem sensum, ac significationem ipsam vocis.

Dices, Quando actus est permanens, vt v. g. per vnum actum ædificandi pontem acquiritur ius, si pons sufficienter duret, & per vnam collationem beneficij inducitur consuetudo, si illa consuetudo durauit, in facto esse tempore sufficienti. Respondeo cum P. Suarez hæc exempla habere locum in propriâ præscriptione, ad quam non est necessarius vsus consistens in operatione humanâ, sed sufficit permanens possessio; vt in possessione diuturnâ beneficij, &c. at legis consuetudo debet esse per actiones proprias, quæ non habent permanentiam nisi solùm denominatiuam, seu quantum ad dignitatem ad pœnam & præmium. Quantus ergo debeat esse numerus actuum, dicimus rem esse valdè incertam, & non posse vniuersaliter definiri, sed debere id iudicio prudentum decidi; quando scil. & sufficienter constiterit de consensu maioris partis populi, item de consensu quasi constanti & permanenti, non verò transeunti.

Nota differentiam consuetudinis iustitia & legalis.

Quot actus esse oporteat, incertum est.

Probatáne esse debeat ea cõsuetudo in iudicio cõtradictorio.

Quoad secundum, an debeat esse ea consuetudo probata in contradictorio iudicio: affirmant nonnulli ob cap. *Abbati.* de verborum significat. in quo quædam consuetudo reprobatur, eò quòd non fuisset in contradictorio iudicio introducta: & fauere videtur lex *Cùm de consuetudine.* ff. de legibus; vbi dicitur, cùm quis allegat consuetudinem, primum omnium explorandum esse, an in contradictorio iudicio firmata sit: & fauent leges Hispaniæ parte 1. tit. 2. l. 5. vbi dicitur, consuetudinem decem aut viginti annorum seruandam, si intra illud tempus lis aliqua secundùm eamdem consuetudinem decisa fuerit.

24. Sententia hæc communiter ab omnibus reiicitur, vt videre est apud Suarez cap. 11. n. 2. Ratio verò efficax contra illam ea est, quòd neque ex naturâ rei est necessaria eiusmodi declaratio ad valorem consuetudinis: hæc enim ex se habet vim non ex iudicio, in quo declaratur; neq; item ex dispositione iuris Canonici id requiritur, sed vt summum illam esse rationabilem, præscriptâ, antiquam; de eo verò iudicio nec verbum dicunt, ergo. Aliam ingeniosam rationem addit Panormitanus, quam P. Suarez iudicat efficacem, quia videtur inuolui repugnantia in eâ conditione: vel enim non poterit dari prima sententia iusta in fauorem consuetudinis in iudicio, & sic nec poterit consuetudo perfecta vnquam induci; cuius oppositum supponunt hi auctores: vel certè ea sententia supponit iam consuetudinem perfectam ante se, & consequenter sententia non erit necessaria ad perfectæ consuetudinis valorem. Prior pars probatur, quia si sententia in fauorem consuetudinis est necessaria ad eius firmitatem, certè ante eam sententiam non poterit esse valida, ideóque nec per sententiam poterit vt valida declarari.

Ingeniosa Panormitani ratio.

Dixi hoc argumentum esse ingeniosum, efficax autem nullo modo censeo esse, nam duo possunt in consuetudine considerari: vnum est quòd sit sufficiens in ratione consuetudinis & facti, seu, quòd per illam satis sit declaratus constans subditorum consensus: aliud, quòd sit iam proximè potens ad inducendã consuetudinẽ iuris seu ius. Dicere ergo possent aduersarij, sententiã in contradictorio iudicio ferendam solum debere esse de priori puncto, & consequenter illud debere esse independens ab ipsâ sententiâ, alioquin non posset vnquam hæc prima iustè ferri, per ipsam autem sententiam debere compleri eam consuetudinem in ratione proximè potentis inducere ius: & certè, quidquid sit de facto, negare non poterit Panormitanus, aut vllus alius, potuisse Principem ad hoc, vt cõsuetudo induceret ius requirere eam esse in iudicio declaratam sufficientẽ ex parte facti: vt enim nunc iudicio prudentum debet declarari sufficiens, cur non potuit exigi vt id in iudicio fieret? Si autem argumentum Panormitani valeret, cùm desumatur à repugnantia, ostenderet sanè numquam id posse fieri. Addo, si res benè consideretur, eamdem repugnantiam esse de facto in iudicio prudentũ (quod tamen requiritur pro his qui tutè sequi volunt eam consuetudinem;) dicam enim ego eodem modo: Vel illud iudicium supponit eam consuetudinem perfectam, & sic illud non erit necessum; vel per illud constituitur in ratione perfectæ, & sic nõ poterit per iudicium declarari iam perfecta. Non ergo id reducendum ad repugnantiam, quia reuerà nulla est, sed ad voluntatem Principis, qui de facto eam conditionem non apposuit pro valore consuetudinis.

25. *Inefficax eius argumentũ. Duo in consuetudine cõsideranda.*

Panormitanus refellitur.

Iam ad textus in contrarium adductos. Ad primum cap. *Abbati.* respondetur communiter & benè Primò, ibi solùm esse sermonem de præscriptione propriâ iuris eligendi; Secundò, verba illa non esse in decisione Pontificis, sed in propositione causæ; Tertiò, solùm ibi decidi, consuetudinem illam non fuisse sufficienter probatam. Ad legem *Cùm de consuetudine.* dicimus in eâ non requiri illud iudicium, sed asseri illud multùm valere ad dignoscendum, sit nec ne consuetudo ea perfecta. Difficilior est lex Hispaniæ; ob quam aliqui putant specialiter in Hispaniâ requiri illud iudicium contradictorium, quod P. Suarez ob repugnantiam paulò antè discussam, putat adeò esse absurdum, vt non possit admitti; & tamen Pater Vasquez eâ disput. 177. censet adeò esse clarum, vt negari non possit: ait ergo Suarez duo in eâ lege contineri, quòd consuetudo sit introducta, & causauerit ius legale: aliud, quòd vi illius legis talis consuetudo sit irreuocabilis: ad hoc secundum dicit postulari eam duplicem sententiam; dubitat tamen, an sit ea lex in vsu quoad hoc secundum. Ego tamen, quia ostendi in eo, quòd talis conditio exigatur, nullam esse contradictionem, satis puto probabile fuisse illud speciale ius Hispaniæ, vt docet Vasquez: placet tamen etiam mihi solutio Patris Suarez: vt verò meliùs duæ illæ partes distinguantur, iam in consuetudine sufficienter introductâ idem videtur esse, *posse obseruari*, & *debere obseruari*; quia si inducit ius legis posse & debere, idem erit: vnde videtur non benè subsistere ea distinctio Patris Suarez. Vt ergo id meliùs intelligamus, aduerte; in eâ lege esse sermonem de consuetudine infringente priorem legem: in qua con

26. *Explicatur cap.* Abbati. *de verb. signific.*

Enucleatur lex Cùm de consuetudine. *ff. de legibus. Dissidium Suarij & Vasquez ratione legis Hispanicæ.*

Explicatur lex Hispanica.

Digitized by Google

consuetudine duo ea sic sunt distinguenda; vt Primò detur licentia subditis non seruandi antiquam legem; Secundò, vt contraria consuetudo, quæ non erat in obligatione etiam post abrogationem legis (nam qui non ieiunando abrogat legem ieiunij, non continuò tenetur ad non ieiunandum) mandetur, vt in legem acciuiatur.

27. Obiicies adhuc: Donec per sententiam consuetudo sit approbata, non potest satis de illâ constare, ergo non valebit ad introducendum ius. Respondetur, posse de eâ consuetudine aliunde constare ex iudicio & assertione prudentum: quod & confirmatur, quia vt sententia ea feratur, iam debent sufficientes esse testes probantes eam dari; ergo illi soli possunt sine sententiâ sufficere, vt homo tutè operetur.

Vnde de consuetudine nobis constare possit.

An sit aliqua consuetudo, ad quam pauciores actus sufficiant introducendo iuri. Affirmant nonnulli meritò à Suario reiecti.

Vnum adhuc in hoc puncto restat dubium, an, si consuetudo, quæ introducitur, sit non tam circa actiones ordinarias subditorum, quàm circa ipsum modum ferendi sententias, quem superiùs diximus vocari stylum, sufficiant pauciores actus vt introducatur ius. Nonnulli affirmant; quorum aliqui ad duos, alij etiam ad vnum descendunt. Pater Suarez meritò asserit sine fundamento id doceri; nam si cum proportione loquamur, sicut subditi se habent respectu immediatorum Legislatorum, ita Iudices se habent respectu Legislatoris supremi, cui ipsi non minùs sunt subditi quàm alij ipsorum legibus: vnde concluditur, sicut, vt contra ipsorum leges præscribatur, non sufficiunt duo aut tres actus, iuxta suprà dicta; ita eadem omnino ratione, vt ipsi præscribant in modo ferendi sententias contra leges datas sibi à supremo Legislatore, non sufficere duos actus iudiciales, sed requiri tot, quot in inferioribus contra ipsorum legem. Ratio à priori, quia in eo modo ferendi sententiam ipsi se habent vt inferiores respectu supremi, ideóque in eo puncto ipsi non faciunt magis quàm subditi contra ipsos. Aduerte me semper locutum de Iudicibus inferioribus: nam si qui fert sententiam sit supremus Iudex, tunc potest vno actu inducere nouum stylum, & quidem obligantem; id tamen non fiet per modum consuetudinis, sed per modum declarantis suam voluntatem vnico illo actu, & constituentis nouam quasi legem scriptam.

Qui supremus Iudex possit vnico actu inducere nouum stylum.

Sectio V.

Quomodo consuetudo se habeat circa irritationem.

28. *Consuetudine induci potest irritatio actuum ex se aliàs validorum.*

Dvæ circa hoc punctum esse possunt difficultates. Prima, an per consuetudinem possit induci irritatio actuum alioquin ex se validorum. Respondeo ex eodem principio posse. De quâ re vide Patrem Sanchez lib. 7. de Matrimonio disput. 4. Salas suprà sect. 10. quia si populus eo animo consuetudinem inducat, vt præscribat contractui aut donationi formam essentialem, potest, accedente Principis vel præsumptâ vel antecedenter declaratâ voluntate, actus sine eâ formâ factus reddi inualidus; & quidem in iure Canonico cap. *Super eo.* de cognatione spirituali, expressè supponit posse esse talem consuetudinem irritantem matrimonium; vnde decipiuntur aliqui qui putant eam consuetudinem non obligare nisi in foro externo: etenim matrimonium in foro interno validum non potest Pontifex rescindere postquam consummatum est.

Dices Primò: Ergo poterunt per consuetudinem induci impedimenta irritantia matrimonium semel validè contractum. P. Thomas Sanchez lib. 7. de Matrimonio disput. 4. num. 2. supponit vt omnino certum inter omnes id nullatenus fieri posse: quod confirmat ex cap. vlt. de sponsa duorum: idem sentit Salas eâ sect. 10 fine, Hi tamen nullatenus ostendunt cur consequentia suprà facta non sit bona.

29. *Obiicitur, inde sequi, consuetudine induci posse impedimenta matrimonium semel validè contractum irritantia. Sanchez & Salas negant. Papa in matrimonio rato dispensare potest.*

Vt verò magis appareat ratio dubitandi, oportet aduertere, Pontificem posse in matrimonio rato dispensare: id quod multis probat ipse P. Thomas Sanchez lib. 2. disput. 15. varios pro ea doctrina auctores citans; esto dicat contrariam sententiam negantem valdè esse probabilem. Hinc ergo sic argumentor, Pontifex per legem scriptam potest statuere, & verò de facto statuit impedimenta, quæ matrimonium ratum non consummatum dissoluant; qualis est professio religiosa: nam si vnus ex coniugibus Religionem ingrediatur, & professionem emittat, alter iam est omnino liber; & (vt suppono ex probabiliori doctrinâ) ea solemnitas, cui annexa est dissolutio matrimonij, non est de iure diuino, sed ab humano: atqui (vt docet ipse P. Thomas eo lib. 7.) quidquid per legem scriptam potest Pontifex vel quilibet alius Princeps statuere, potest etiam per consuetudinem introduci. Quam doctrinam defendit etiam P. Salas suprà. Ergo potuerunt per consuetudinem eadem impedimenta dissoluentia matrimonium ratum introduci: ergo duæ hæ sententiæ non cohærent inter se; vel certè non ostendunt Doctores hi quomodo debeant conciliari.

Vterq; inconsequentia conuincitur.

30. *An possit efficere Papa dissolutionem primi matrimonij per secundum consummatum. Explicatur cap. vlt. de sponsâ duorum.*

Inde autem vlteriùs ratio dubitandi crescit; nam Pontifex videtur posse efficere, vt per secundum matrimonium consummatum dissoluatur primum, quod solùm erat ratum: etenim ipsummet cap. vlt. de sponsa duorum, quod pro se bi auctores citant, videtur esse contra illos & pro obiectione præsenti: nam licet Pontifex Innocentius Tertius ibi id in futurum prohibeat, non aliam tamen dat rationem, quàm quòd contrarium sit in vsu in tota Ecclesia & debeat Salernitana (cuius cum Archiepiscopo ibi loquitur) tamquam pars accommodare se toti; vbi tacitè insinuat ex se, si ea consuetudo generalis non obstaret, posse eam dissolutionem prioris matrimonij non consummati tolli per secundum consummatum. Vrgetur id ipsum ex cap. *licet.* eodem tit. vbi Alexander Tertius expressè fatetur ab aliquibus prædecessoribus suis id ipsum traditum esse: cur ergo per consuetudinem non potuit ea dissolutio matrimonij introduci?

31. *Solutio obiectionis.*

Pro solutione dico, obiectionem ferè esse extra nostrum intentum, quia communis est ad legem scriptam; nam etiam per legem scriptam negatur communiter posse statui ea impedimenta dissoluentia matrimonium ratum: quid ergo mirum si id negetur consuetudini? Absolutè respondeo Primò, Esto per legem scriptam possint ea impedimenta dissoluentia introduci, non ideò posse per consuetudinẽ; quia Pontifex, qui omnem dat consuetudini valorem, noluit illi hunc concedere: id quod colligimus ex Doctorum communi consensu, & ex eis capitibus Iuris, quibus Pontifices reprobant talem dissolutionem, & quidem meritò, quia indissolubilitas matrimonij etiam rati magna est; & non oportebat eam, nisi in vno aut altero casu idque

Nequeunt ea impedimenta induci consuetudine, etsi lege scriptâ possint. Ratio discriminis.

Digitized by Google

cum maturâ deliberatione Pontificis, imminuere, maximè cùm adhuc multi auctores grauissimi censeant, nullo modo eam fieri posse. Iam hinc ad consequentiam de impedimentis irritantibus contrahendum matrimonium respondemus negando illam, quia in hac antecedenti irritatione nihil est contra ipsum matrimonium, imò potiùs conducit, vt maturiùs & solemniùs contrahatur, eis adhibitis nouis conditionibus essentialibus inductis per consuetudinẽ. Secundò respondeo, Esto in matrimonio id repugnaret ob eius specialem excellentiam, non continuò in allis materiis minoris momenti repugnaturum.

32. *Obiectio non leuis.* Dices Secundò, Non apparet, quî possit introduci ea consuetudo: etenim primi actus, imò omnes illi ante perfectam consuetudinem fuêre necessariò validi; quia ex natura rei validi sunt: consuetudo autem nondum habuit vires ad eos inualidandos; quomodo autem fieri potest, vt per actus validos inducatur consuetudo eosdẽ ipsos actus inualidandi? In quo puncto magna videtur inter alias consuetudines & hanc esse disparitas; nam in aliis sufficit, si populus operetur contra legem ex animo se liberandi ab eius onere; aut, si consuetudo non est contra legem; sed præter illam, sufficit animus se obligandi: at in præsenti quoad primos actus non videtur esse posse animus non faciendi actus validos sine tali & tali modo; nam quantumuis eum animum habeant, tunc tamen fiunt validi, quia nondum consuetudo contraria est introducta: ergo non habebit locum ea irritatio per consuetudinem. *Soluitur à pari.* Respondeo, Si res benè consideretur, non esse in præsenti puncto maiorem difficultatem quàm in consuetudine nõ irritante: etenim sicut in illa inducitur consuetudo operando contra legem, & optando se liberare ab obligatione, etiamsi per primos actus quantumuis velint se liberare aut se obligare, non se tamen liberent aut obligent, quousque consuetudo sit perfecta; ita in præsenti dum subditi dicunt, *Volumus vt talis contractus sit inualidus, aut vt talis forma requiratur*, inducunt tandem eam inualidationem, licet primi actus non obtineant effectum, quousque consuetudo sit perfecta.

Quales esse debeant actus inducentes eam abrogationem. Peres, Quales debeant esse illi actus inducentes eam abrogationem? Respondeo, contrahere v. g. cum hac sola solemnitate; item prohibere actus sine ea factos. Dico *prohibere*, quia reiicere vt inualidos non poterunt; etenim reuerà validi sunt ante consuetudinem perfectam; ergo solùm possunt quasi in actu exercito non vtendo eis contractibus eos tandem inualidare.

33. *An lex irritans consuetudine reuocari possit. Fundamenta negantium.* Secunda difficultas est, an è contrario lex irritans possit per consuetudinem reuocari. Multi negant quorum fundamentum est, quia contra aliquas Ecclesiæ leges, ponentes impedimenta v. g. matrimonij, non potest præscribi: id quod probant Primò ex cap. *Quod super his.* de consanguinitate, & affinitate, & ex cap. *Super eo.* de cognatione spirituali. Secundò, quia talis consuetudo est irrationabilis; nam consuetudo contrahendi matrimonium in gradu ab Ecclesiâ prohibito est irrationabilis ob omnes causas, ob quas impedimenta matrimonij ab Ecclesiâ inducta sunt, & necessaria videntur ad matrimonij honestatem: & hinc potest assignari disparitas inter hanc & præcedentem difficultatẽ; nam assignare noua impedimenta potiùs facit magis æstimabile hoc Sacramentum; at tollere antiqua, illúdq; nimium facilitare, maximè inter consanguineos, videtur esse planè irrationabile: ergo per consuetudinem non potest abrogari lex imponens aliquod impedimentum essentiale. Quòd si respondeas cum Patribus Sanchez & Salas suprà, posse ea impedimenta saltem per legem scriptam tolli, vt Tridentinum sess. 24. de matrimo. cap. 2. restrinxit gradus consanguinitatis, ideóq; etiam posse per consuetudinem, quia quidquid potest tollere lex scripta, valet etiam tollere consuetudo: si, inquam, id respondeas, habebit tunc locum obiectio, quam paulò ante circa primam difficultatem fecimus, quod matrimonium ratum dissoluatur in aliquibus casibus per legem scriptam, non tamen possit per consuetudinem; ergo consequentia illa à lege scriptâ ad consuetudinem non est bona. Tertiò argumentantur, 34. Lex irritans facit personas aut materiam incapaces valoris actus; at consuetudo non potest capaciratem restituere, ergo. Dicendum tamen est, consuetudinem non esse minoris efficaciæ ad auferendam irritationem quam ad inducendam, quia eadem videtur esse de vtraque ratio. Et ita sentit P. Thomas Sanchez eo loco citato, vbi multos pro se refert auctores; speciatim autem quæstionem tractat circa impedimenta matrimonij. Eamdem tenet P. Salas suprà, qui citat pro se Couarruuiam 2. p. 4. cap. 6. §. 10. num. 18. Miror tamen vehementer, cùm initio eius sectionis 10. dixerit idem Salas eum omnino esse in contrariâ: citat etiam num. 81. fin. Innocentium & Gabrielem. Pro eâ etiam stat Suarez cap. 19. num. 14. Et quidquid sit de matrimonio ob specialem illius excellentiam (vt diximus præcedenti difficultate) non potest dubitari, quin alias leges in materiis minoris momenti possit consuetudo, etiamsi sint irritantes, abrogare. *Consuetudo est aquè efficax ad conferendam quàm inducendam irritationem.* *Basis huius opinionis est c. vlt. de consuetud.* Fundamentum desumitur ex eo cap. vlt. de consuetud. vbi absolutè dicitur legem positiuam posse abrogari per consuetudinem rationabilẽ & sufficienter præscriptam: neq; est ratio, cur ab ea regula excipiantur leges irritantes: ergo & ad hoc fundamentum reducuntur quæ fusè Sanchez & Salas immediatè antè citati deducunt eis locis.

35. *Explicantur textus oppositi.* Iam ad rationes contrarias. Ad textus dicimus Primò, argumentum ex eis petitum esse ab vno particulari ad vniuersale, & propterea non conuincere: fortè enim in puncto matrimonij non potest eo modo per consuetudinem abrogari impedimentum, quia videtur expressè caueri per legem: vt autem suprà diximus, si lex prohibeat abrogationem, per consuetudinem non potest præscribi. Respondent aliqui Secundò, consuetudines, de quibus ea iura loquuntur, esse irrationabiles, ideóque non posse præscribere. *Diluitur quorumdam responsio.* Sed contrà; nam multa impedimenta irritantia matrimonium sunt per contrariam legem scriptam ablata; vnde euidenter infertur, in eâ materiâ consuetudines contrarias legibus non esse irrationabiles: vt si præscriberetur contra impedimentum in tertio gradu consanguinitatis, aut contra impedimenta ex cognatione spirituali, certè ex naturâ rei non est irrationabile, vt qui tenuit filium Mariæ in Baptismo, posset matrem posteà in vxorem ducere: aut cur, quæso, si, antequam Tridentinum abstuliſſet impedimenta aliquot matrimonij, fuissent ea per consuetudinem ablata, dicenda fuisset ea consuetudo de materiâ irrationabili, quandoquidem talis fuit, vt ea sit à Synodo iudicata iustissima?

Melius tamẽ Secundò respondeo, neq; in ipso matrimonio, per se loquendo, repugnare eam 36.

abro

Digitized by Google

Matrimonio ex se repugnat posse consuetudinem ea abrogari. Consuetudo contrahendi in gradu prohibito ab Ecclesiâ non est irrationabilis.

abrogationem per consuetudinẽ, nisi specialiter id caueatur per legem aliquam reprobantẽ eam consuetudinem; aut nisi durent rationes tales, quæ faciant minùs rationalem eam consuetudinem. Et hinc respondetur ad secundam rationem negando, per se loquendo, consuetudinem contrahendi in gradu prohibito ab Ecclesiâ esse irrationabilẽ; nam licet ea prohibitio habeat causas iustas, non tamen tales, quæ faciant oppositã materiam planè irrationabilem, vt paulò antè ostendi de abrogatione impedimentorũ aliquorum per Tridentinum. Ad eam verò obiectionem de matrimonio rato dixi satis paulò antè.

Qui tolli possit incapacitas personæ ad contrahendum per consuetudinem.

Ad tertium dicimus Primò, non semper in his legibus personam reddi incapacem, nisi cum addito ad tali modo contrahendum; hoc autem claris terminis nihil aliud sonat, quàm talem conditionem requiri ad valorem contractus; auferendo autem per consuetudinem eam conditionem, reddetur persona capax. Secundò respondeo, Etiamsi incapacitas teneat se ex parte personæ, dummodò ea sit solùm per legem positiuam inducta siue per modum pœnæ, siue per modum decentiæ, etiam posse per consuetudinem tolli & reddi eam personam capacem, sicut potest reddi per dispensationem positiuam aut per legem scriptam generalem.

37. Hinc obiter quæri potest, vtrùm consuetudo possit præualere contra ea quæ dicuntur Sacramentalia. Ratio dubitandi est, quia in cap. 2. de temp. ordinationis reprobatur consuetudo conferendi Ordines sacros extra Quatuor Tempora. Dicendum tamen, Etiam in hoc puncto posse consuetudinẽ præualere; quia regula illa ex cap. vlt. de consuetud. est vniuersalis, & non est ratio excipiendi hæc Sacramentalia. Et ita sentiunt communiter Doctores. Eam autem positiuè etiã probat Nauarrus in Summâ cap. 22. n. 83. & eodem cap. 2. de temp. ordinat. ibi enim dicitur, *Nisi multitudo & aliqua consuetudo terræ esset, taliter ordinati non debent*, &c. ergo supponit Pontifex per antiquam consuetudinem posse præscribi contra tempus conferendi Ordines. Et hinc dico malè ab aduersariis asseri in eo capite reprobari simpliciter tales consuetudines; cùm potiùs, si sint, admittantur. Secundò addo, si reprobarentur vt irrationabiles, tunc nihil inde contra nos qui agimus de consuetudine, quam alioquin supponimus rationabilem; vnde eodem modo dicendum, si aliqua talis consuetudo in aliquo capite Canonico vel reiiciatur vel reprobetur, non propterea præiudicium vllum esse pro aliis consuetudinibus rationabilibus.

Consuetudo potest præualere contra Sacramentalia. Explicatur cap 2. de temp. ordinat.

SECTIO. VI.

Quæstiones aliquot circa consuetudinem expediuntur.

38. EX dictis facillimum erit aliquas quæstiunculas minoris momenti, quæ in præsenti desiderantur, expedire. Pro quo supponenda doctrina certa in hoc puncto, scilicet, eosdem effectus, quos habet lex scripta, posse ex se habere legem consuetudinalem: cuius ratio à priori ea est quia consuetudo, vt diximus, habet suam vim à Principe eam cõfirmante vel ante, vel saltem post introductam consuetudinem; si tunc primò præsumitur dare suum consensum. Hoc posito

Lex consuetudinalis eosdem effectus habere potest quos lex scripta.

Prima quæstio sit, vtrùm consuetudo possit obligare ad pœnam. Respondeo ex principio statuto, omnino posse; quia si consuetudo inducere potest obligationem in conscientiâ, inducere etiam potest reatum pœnæ. Neque in hoc video vllam rationem dubitandi, aut diutiùs hærendi.

Consuetudo ad pœnã obligare potest.

Secunda quæstio est, quas personas obliget consuetudo, an existentes extra territorium, an peregrinos intra territoriũ, an etiam ipsos Principes. Respondeo, De his omnibus eodem modo discurrendum est, quo de lege in communi diximus suprà, scilicet, sicut lex pro vnâ Prouinciâ non obligat per se aliam, ita consuetudinem vnius Prouinciæ non obligare alteram; item existentes extra territorium non obligari, aduenas verò intra territorium obligari; item, si consuetudo sit vniuersalis totius Ecclesiæ, obligari omnes Christianos, nisi contrariâ consuetudine in aliquâ speciali Prouinciâ præscriptum sit.

39. *Quos obliget consuetudo.*

Consuetudo vniuersalis totius Ecclesiæ omnes obligat, nisi cõtra eam alicubi sit præscriptum.

Verùm obiicies, ad probandum vnam Prouinciam obligari consuetudinibus alterius, Cap. *Super eo.* de cognat. spirit. suprà citato iubetur Episcopus consuetudinem suæ metropolitanæ Ecclesiæ vel aliarum circumiacentium inquirere & diligentiùs imitari. Posset fortè responderi, ibi Pontificem imponere tali Episcopo legem vt imitetur consuetudines vicinarum Ecclesiarum. Hæc tamen solutio non potest sustineri, quia cùm ibi agatur de valore matrimonij iam initi, & Pontifex mandet, vt si quos inueniat contra eam consuetudinem copulatos, eos separet, iam supponit Pontifex antèa habuisse vim legis in eo Episcopatu, idcóque matrimonium fuisse nullum; nam matrimonio validè inito non potest Pontifex de nouo adiicere impedimentum essentiale. Germana ergo intelligentia eius textus est, Pontificem loqui de consuetudine quæ communis erat in tota Prouincia, & consequenter totam obligabat, etiamsi in aliquo Episcopatu eius Prouinciæ ea consuetudo ignoraretur; nam quoad effectus irritandi contractus lex omnis, siue scripta illa sit, siue consuetudine inducta, vim habet actu etiã vbi ignoratur: nam licet non peccetur contra illam quando est ignorantia inuincibilis, contractus tamen facti contra conditiones requisitas per illam legem sunt inualidi, quantumuis, dum bona fide ineuntur, reputentur validi. Porrò illum Episcopum ibi ignorasse consuetudinem ex ipso textu colligitur.

An vna Prouincia alterius consuetudinibus obligetur.

Explicatur cap. Super eo. de cognatione spirituali.

Tertia quæstio est, an consuetudo laicorum obliget etiam Ecclesiasticos. Huic respondendum ex eodem principio, quo præcedentibus de obligatione legis scriptæ: diximus enim ad leges ciuiles in materia etiam communi Ecclesiasticis, quæ nullo modo præiudicet eorum libertati, obligari etiam Ecclesiasticos; inde in præsenti dicimus, si consuetudo sit in eiusmodi materia non contraria libertati Ecclesiæ & communi omnibus vt conciuibus, tunc obligari etiam Ecclesiasticos, licet lex solùm confirmetur consensu implicito Principis sæcularis; sicut obligaret lex scripta ab eo etiam solo sæculari Principe lata: sin verò materia sit spiritualis, & ab ipsis Clericis simul cum sæcularibus obseruetur, inducet obligationem vtriusque, quatenus ea consuetudo à personis vtriusque fori obseruata censetur approbari à Principe Ecclesiastico & à ciuili: eritque eo casu vna consuetudo virtualiter æquiualens duabus. Denique, si consuetudo, esto sit spiritualis, vt v. g. ieiunium, celebratio Festorum, obseruetur tamen à solis

40. *Consuetudo laicorum non præiudicans Ecclesiasticæ libertati obligat etiam Ecclesiasticos. Quid de consuetudine spirituali sentiendum.*

Digitized by Google

sæcularibus dicimus etiam comprehendere Clericos; quia tunc ea consuetudo inducit legem, quatenus approbatur ab Episcopo, qui etiam habet iurisdictionem supra Clericos; vtrùm autem etiam obligentur Religiosi exempti, dictum est suprà dum egimus de lege scriptâ. Neq; in eo puncto aliquid speciale occurrit hîc dicendum.

41. *An vna consuetudo trahi possit ad aliam materiam similẽ.*

Quarta quæstio est, vtrùm vna consuetudo possit trahi ad aliam materiam ob similitudinem rationis. Respondeo, difficultatem etiam esse communem ad legem scriptam, vtrùm hæc pro similitudine rationis trahi possit; quia non potest esse maior ratio in consuetudine quàm in lege scriptâ: minorem certè putat esse P. Suarez eò quòd lex scripta ampliatur per extensionem verborum iuxta significationem & vsum, quem secundùm ius habent in tali aut tali materiâ. Quæ ratio non videtur mihi ad punctum præsens, quia iam non agimus de extensione per ampliationem verborum sed per similitudinem materiæ, aut per conuenientiam rationis legis in aliâ materiâ. Secundum argumentum addit idem P. Suarez, quòd obligatio legis ex vi solius consuetudinis difficillimè cognoscatur; vnde non videtur posse ad aliam materiam transferri. Ego sanè non video cur debeat ea obligatio, postquam iam est perfectè introducta, minùs benè & distinctè cognosci, quàm cognoscatur obligatio legis scriptæ; ideò dicerem nec maiorem nec minorem esse rationem in consuetudine quàm in lege scriptâ; in neutrâ autem debere propriè eam extensionem admitti, quia cùm obligatio legis sit odiosa, non potest trahi ex vnâ ad alteram materiam, nisi quando planè censerentur quasi vna moraliter: quando autem id contingat non potest à nobis decidi, sed debent leges in indiuiduo ac materiâ illarum considerari, & comparari cum aliis quæ non cadunt directè sub legem.

Suarez negat.

Melius affirmatur.

Quando debeat admitti illa legum harum extensio.

42. *Duplex legis interpretatio.*

Quinta quæstio est, an consuetudo vim habeat interpretandi legem. Respondeo, etiam hanc difficultatem debere decidi eodem modo quo de lege scriptâ, in quâ diximus duplicem posse esse interpretationem legis; Primò declarando hanc fuisse mentem Legislatoris: quo casu, si idem sit Legislator qui suam mentem declarat, habet ea declaratio summam certitudinem, quia nemo meliùs potest dicere quid voluerit quàm ipse qui voluit; si verò diuersa persona sit, quę declarat, nõ poterit tunc declaratio esse omnino certa, sed tamquam si ab vno Doctore proueniret: nam Legislator quà talis non habet melius ingenium, nec meliorem viam cognoscendi quid præcedens Legislator voluerit, quàm habeant alij homines.

Cur consuetudo non possit habere vim declarandi legem omnino certam.

Hinc circa hunc primum modum interpretandi dico, consuetudinem, cùm prouenìat à personis distinctis ab eâ quæ legem condidit, non posse habere vim declarationis omnino certæ, posse tamen habere magnam auctoritatem, maximè si ea consuetudo sit virorum doctorum, qui præsumuntur benè intelligere leges. Aduerte tamen per hanc declarationem vi consuetudinis non augeri vllam obligationem circa eam materiam: declaratio enim legis quà talis non causat nouam obligationem.

43. Alio modo potest lex scripta declarare seu interpretari priorem legem inducendo nouam legem; siue ille sit re ipsa sensus antiquæ, siue non: nam sicut potest Legislator ferre nouam legem nulla sumptâ occasione ex priori lege, ita à fortiori potest, sumendo occasionem ex priori, directè volendo obligare ad obseruationem prioris, prout à se est declarata. Inde eodem modo de consuetudine dicimus, posse inducere obligationem obseruandi aliquam priorem legem prout à se explicatur; nam sicut nouam omnino legem potest inducere, ita etiam potest inducere obligationem ad seruandam legem priorem, prout à se declarata est: & id voluêre aliqui auctores qui dixerunt consuetudinem posse ita interpretari legem, vt licet ex lege non colligatur vlla obligatio grauis, possit tamen consuetudo illam interpretari. Quæ doctrina ita intelligenda est, vt consuetudo non se habeat vt declaratiua, sed vt inductiua obligationis modo explicato.

Consuetudo potest inducere obligationem obseruandi legem priorem prout à se explicatam.

In ordine verò ad leges diuinas & naturales habet consuetudo vim interpretandi solum per modum puræ declarationis, quia in lege diuinâ non potest propriè addere aut minuere, sicuti potest in humanâ; ea autem declaratio fit à consuetudine, sicut fieri posset à Doctoribus: ideóque non habet talis interpretatio infallibilitatem, nisi procedat à Summo Pontifice, qui non potest errare in suis definitionibus.

Qualem interpretandi vim habeat consuetudo in diuinâ lege & naturali.

Sexta quæstio est, vtrùm consuetudo abrogatiua legis extendatur ad legem etiam pœnalem. Quidam dixêre, si pœna sit incurrenda ipso facto, non posse per consuetudinem impediri, secus si sit imponenda à Iudice. Respondendum tamen est, eo ipso quòd consuetudo possit legem quatenus obligantem auferre, posse etiam auferre pœnam, quæ solet solùm ob culpam imponi. Difficilius est, an possit consuetudo abrogare pœnam non abrogatâ culpâ. Respondeo, etiam posse. Ratio à priori, quia plus est tollere culpam quàm tollere obligationem pœnæ; sed potest illud, ergo & hoc: quòd autem relinquat ea consuetudo obligationem ad culpam nihil obest, quia non semper culpa habet annexam pœnam iure humano; cùm ergo ea duo in se sint valdè separabilia, poterit consuetudo vnum adhuc alio manente tollere. Et verò de facto per desuetudinem sunt abrogatæ aliquæ pœnæ, quæ olim erant impositæ ipso facto aliquibus culpis, vt in Extrauagante 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis imponuntur multæ pœnæ in alienantes, quæ iam non sunt in vsu.

44.

Consuetudo abrogatiua legis ipsam etiam pœnam tollere potest.

De facto desuetudo quasdam pœnas sustulit.

Dices, Quomodo fieri poterit, vt si imponatur excommunicatio ipso facto incurrenda, possit contra illam præscribi, cùm semper de facto incurratur, etiam quando consuetudo in contrarium nititur. Respondeo, si ille non se gerat vt excommunicatus, nec ab aliis vt talis habeatur, poterit per tot actus ea consuetudo induci, vt tandem etsi peccent contra legem, non tamen incurrant excommunicationem. Sed quid si consuetudo sit irrationabilis contra legem, poteritne abrogare saltem debitum pœnæ, licet non obligationem culpæ? Affirmant multi Iuristæ absolutè, quos sequitur P. Suarez cum distinctione: vel enim ipsa abrogatio pœnæ est etiam irrationabilis, vel non: si est irrationabilis, tunc nec contra illam poterit præscribi, quia consuetudo in suo genere irrationabilis non potest esse valida: quod si abrogatio pœnæ non sit irrationabilis, poterit tunc quoad hoc esse valida licet quoad ablationem obligationis directæ inualida sit. Quæ responsio mihi valdè placet. Addit præterea, Etiamsi consuetudo sit irrationabilis quoad pœnæ ablationem, posse tamen esse ita communem, vt per modum circumstantiæ vehementer eleuet culpam, & consequenter etiam impediat impo-

45.

An consuetudo de irrationabilibus contra legem possit abrogare saltem debitum pœnæ retentâ obligatione culpæ. Iuristæ asserunt. Suario distinguente. Suarij mens placet.

Digitized by Google

impositionem pœnæ, si hæc non incurritur ipso facto. V.g. tota ferè Respublica committit delictum aliquod, certè hæc est vehemens tentatio, vt aliquis ex eâ Republicâ inducatur ad idem delictum: præterea tunc non potest pœna commodè omnibus imponi; quosdam autem punire, & non omnes, cùm omnes æquè delinquant, nó est expediens: ergo ex eâ circumstantiâ cessabit debitum pœnæ. id quod videtur omnino verũ.

46. *An consuetudine auferri possit obligatio culpa relicto debito pœnæ.*

Circa hoc idem punctum quæri potest, vtrùm è contrario possit per consuetudinem auferri obligatio in conscientiâ, & relinqui debitum pœnæ. Videtur id repugnare, quia pœna in conceptu suo supponit culpam: ergo si culpa tollitur, debet tolli pœna. Hæc tamen ratio nullius est momenti, quia sæpè in superioribus diximus, posse esse pœnam, etiamsi in rigore non sit culpa, sed solùm quasi in foro externo: ideò dicendum est, posse omnino consuetudinem præscribere contra obligationem in conscientiâ, etsi non præscribat contra pœnam: quod fieri potest contrario modo, quo paulò antè diximus de ablatione pœnæ, culpâ manente, in exemplo de excommunicatione ipso facto incurrendâ: dixi enim posse tunc homines nolle se reputare excommunicatos, & vt tales gerere, sicque contra eam pœnam præscribere; ita in præsenti dico, si homines legem transgrediantur animo exuendi à se obligationem in conscientiâ, pœnam verò impositam soluant, tandem liberatum iri ab obligatione directâ, non à pœnâ. Et probabiliter putat P. Suarez multas leges ciuiles imponentes exactiones, vel prohibentes venari, ligna scindere, &c. licet initio obligauerint etiam in conscientiâ, iam tamen factas esse merè pœnales. Excipiendæ tamen sunt ab hac doctrinâ leges, quarum pœna supponit culpam, vt excommunicatio maior: nam in talibus si abrogetur obligatio in conscientiâ, etiam auferetur debitum illius pœnæ.

Affirmat auctor.

Quænam leges Suario teste olim etiam obligatoria nunc solùm facta sint pœnales.

47. *Consuetudo potest simul abrogare priorem legẽ, & obligationem positiuã inducere ad contrarios actus. Simul etiam naturâ potest lex vetus abrogari, & nouæ introduci.*

Septima & vltima quæstio est, an consuetudo simul possit abrogare priorem legem & inducere positiuam obligationem ad actus contrarios. Respondeo posse: si enim populus faciat actus contrarios non solùm animo se liberandi à lege, sed etiam obligandi ad eos actus contrarios, quos de facto facit, non video, cur in vtroque non possit præscribere. Suppono aliunde actus esse rationabiles.

Dices: Priùs debet abrogari antiqua lex quàm inducatur noua; ergo simul non potest id fieri. Respondeo, non esse necessum vt id fiat priùs tempore, imò nec priùs naturâ, vt minùs benè putat P. Suarez eo cap. 19. quia sicut in physicis corruptio non est prior naturâ, sed posterior generatione, ita in moralibus potest idem contingere. Et certè si per positiuum præceptum dicat Legislator, *Mando tibi vt die Veneris comedas carnes*, eo ipso liberaret illum posteriùs naturâ ab obligatione ieiunandi; idem ergo potest per consuetudinem fieri.

SECTIO VII.

Quibus modis possit consuetudo mutari.

48. *Consuetudo mutatur Primò si materia desinat esse honesta: Secundò, si fiat irrationabilis: Tertiò, si lege latâ reuocetur. Cap. Cùm consuetudinis. de consuetudine, à quibusdam præposterè sumitur.*

VNo verbo posset hæc difficultas expediri, si diceremus, tot modis posse quot legẽ scripram, sunt autem hi: Primò, si eius materia desinat iam esse honesta: Secundò, & multò magis è contrario mutabitur, si transeat in irrationabilem. Tertiò reuocari potest per legem latam contrariam. Suppono aliunde potestatem in Principe ad eam reuocationem: nam si consuetudo sit vniuersalis, & supremi Principis auctoritate modo suprà explicato confirmata, non poterit ab inferiori seu particulari Legislatore reuocari. Conclusio nostra probatur à nonnullis ex cap. *Cùm consuetudinis.* de consuetudine; vbi dicitur, non esse tantam vim consuetudinis vt legem vincat: quibus denotatur legem posteriorẽ ipsâ consuetudine non vinci consuetudine; nam præcedens lex haud dubiè vincitur. Hæc probatio non mihi satisfacit, quia ille textus habet aliam sensum, vt scilicet non vincat legem præcedentẽ vi sua seu momento sui, vt suprà diximus. Faciliùs ergo suaderur nostra conclusio ratione à priori; nam cõsuetudo suam vim habet ex voluntate Legislatoris, vt dictũ est sæpè; ergo si hic eam volitionem reuocet per contrariã, non minùs tollit vim consuetudinis, quàm si propriam legem priorem alia subsequente reuocasset.

Ratione magis suadetur.

49. *Lex vnica de feudi cognitione varièà quibusdam sumpta.*

Obijci solet in contrarium lex vnica de feudi cognitione; quæ sic habet; *Legum humanarum non est vilis auctoritas; sed non adeò vim suam extendunt, vt vsum vincant aut mores.* Varias solutiones adhibent auctores ei legi: quidam dicunt, eam solùm loqui de feudis, non tamen assignant rationem; nam etiam in illis videtur lex posse reuocare omnes consuetudines: alij dicunt eam loqui de alijs locis, vbi leges Romanæ non sunt acceptatæ: sed id non est ad rem, quia quid mirum, si non vincant mores, vbi illæ non habent rationem legis? alij dicunt causas feudales non solitas deci di ex legibus Romanorum, sed ex consuetudine: quod ita alij approbant, vt intelligatur non decidi solitas legibus particularibus determinantibus omnino modum feudorũ; vnde dicunt sensum esse, in materia feudorũ seruandas esse consuetudines, non obstantibus legibus vniuersalibus. Ita ex Baldo P. Suarez c. 20. num. 4. Mihi tamen non videtur genuinus sensus esse: nam licet ea lex loquatur de solis feudis, ratio tamen aut quasi ratio, quæ in ea assumitur, est generalis ad omnes leges: neque deciditur in eis verbis, quomodo debeat iudicari causæ feudales, sed declaratur quam vim habeant ex se leges, & supponitur illas esse contrarias consuetudinibus: si enim contrariæ non sint, quid mirum, si illas non vincant? vt autem contrariæ fiant, videtur necessarium, vt in particulari statuant modum contrarium ipsi consuetudini: ergo non est ibi sermo de legibus generalibus nihil in particulari decidentibus.

Suarij ex Baldo huius legis explicatio difficilet.

50. *Sufficitur alia duplex huius legis explicatio prioribus, & melior.*

Mihi duplex explicatio occurrit facilis. Prima est valdè obuia; & miror eam non occurrisse auctoribus: vt sicut dictum illud, *Non est tanta vis consuetudinis vt legem vincat*, intelligunt multi probabiliter (quos P. Suarius sequitur, licet non omnino sit necessaria ea explicatio) intelligunt, inquam, *vt consuetudo non vincat legem subsequentem*; ita in eodem sensu explicemus simile verbum *vincat* in legibus, id est, *Non est tanta vis legum vt consuetudinem subsequentem vincat*: sic enim eadem phrasis vtriusque iuris Canonici & ciuilis eodem modo explicatur facilè & cum consequentia doctrinæ. Altera explicatio sit, vt per *mores & vsum*, quos dicit non vinci à lege, intelligantur non quæcumque consuetudines quasi accidentales & legales, sed illæ, quæ ita sunt propriæ aliquarum Nationum, vt non

Digitized by Google

Cur tam diuersa in Prouincijs sint multa consuetudines difficulter abrogabiles.

nisi cum magnâ violétiâ & difficultate superari possint. Certum enim est, tum ob diuersitatem climatis, tum ob naturales diuersissimas inclinationes, esse consuetudines aliquas in diuersis Prouincijs, quæ cum summâ difficultate possunt auferri. V.g. in his partibus Septemtrionalibus, ob vehementiam & diuturnitatem frigoris, cõsuetudo est vniuersalis habẽdi hypocausta: quòd si Princeps ob aliqua inde secuta incommoda vellet hãc tollere consuetudinem, lex esset iniusta, quia esset nimis violenta & dura: idem est, si nollet vt ceruisia coqueretur, sed vt biberent omnes aquam aut vinum; nam ad hoc, quia sæpè nimis earum, non esset substantia in communi plebe: ad illam, quia ordinariè non est bona, & locus frigidus haustum requirit minùs frigidum, durum esset obligare. Idem proportionaliter posset de similibus consuetudinibus dici; & puto de illis maximè locutam eam legem.

SECTIO VIII.

Quæ clausulæ sint necessariæ, vt per legem censeatur reuocata consuetudo.

§ 1.

Quàm potens sit hac clausula, non obstante consuetudine in contrarium.

CIRCA eam derogationem consuetudinis per subsecutã legem aduertendum est, aliquando in legibus dici, *non obstante consuetudine in contrarium*; vnde oritur dubium proprium consuetudinis, quod hîc debet explicari, scilicet, an si ea clausula non ponatur, abrogetur cõtraria consuetudo; itẽ, an ea sola clausula sine maiori emphasi aut distinctione sufficiat ad abrogandam omnem consuetudinem contrariã. Dico *contrariam*; nam si & consuetudo & lex inter se cohærẽt, nulla est quæstio; vtrumq; enim manebit in robore. Supponendum autem est id quod Bonifacius Octauus cap. 1. de consuetud. in 6. dicit: *Licet Romanus Pontifex (qui omnia iura in scrinio pectoris sui censetur habere) constitutionem condendo posteriorem, priorem (quamuis de ipsâ mentionem non faciat) reuocare noscatur; quia tamen locorum specialium & personarum singulariũ consuetudines & statuta (cùm sint facti, & in facto consistant, potest probabiliter ignorare) ipsis (dũ tamen sint rationabilia) per constitutionem à se nouiter editam, nisi expressè caueatur in ipsâ, non intelligitur in aliquo derogare.* Hæc ille. Quæ ad hõgum posui, quia totus textus est necessarius ad explicandam hanc quæstionem. Igitur hinc Primò constat, seu potiùs expressè eo textu docetur, per legem sequentem non reuocari particulares consuetudines & statuta, nisi minimùm dicatur, *non obstante contrariâ consuetudine*; vtrùm autem hæc sola verba sufficiant, paulò pòst dicetur.

Nota Bonifacij VIII. cap. 1. de consuetudinibus in 6.

Quando lex sequens reuocet particulares consuetudines & quando non.

§ 2.

Id quod verum est, siue ea lex sit vniuersalis pro totâ Ecclesiâ aut Regno; tunc enim censetur Princeps attendisse vtilitatem aliorum Regnorum, vbi ea consuetudo non vigebat; siue etiam ea lex sit particularis pro solo illo loco, vbi contraria illa consuetudo viget: nam etiam tunc habet locum ratio, quam citatis verbis Pontifex dedit, scilicet, ignorantia illius particularis consuetudinis: non enim per hoc, quòd ferat legem particularem, censetur magis scire ea statuta & consuetudines particulares contrarias, quàm si tulisset legem vniuersalem.

An ea Pontificis lex sit otiosa.

Obijcies ergo: Ea lex erit omnino otiosa, quia ibi nullum habebit effectum; ad alia autem loca non extenditur, ergo. Respõdeo, id esse per accidens ratione consuetudinis contrariæ. Secundò dico debere tũc populum monere Principem, vt videat, quid sit absolutè faciendum, vt dicam paulò pòst in simili de Episcopo ignorante sui Episcopatus consuetudinem, & condente legem illi contrariam.

§ 3.

Consuetudines vniuersales totius Ecclesiæ per sequentem legem abrogantur.

Secundò inde infertur, si consuetudines sint leges vniuersales pro totâ Ecclesiâ, eas abrogari per sequentem legem, quia tales non supponitur ignorare Pontifex: & id denotant ea verba, *Priorem, quamuis de illâ mentionem non faciat, reuocare noscatur.* Et ad hoc propositum affertur, quòd habeat in scrinio sui pectoris iura omnia. Doctrina autem hæc cum proportione intelligenda est tum de supremo Legislatore ciuili, quia ille etiam præsumitur in scrinio sui pectoris habere iura ciuilia, tũ de particularibus Legislatoribus tam ciuilibus quàm Ecclesiasticis, respectu suarũ Prouinciarum. V.g. Episcopus supponitur scire consuetudines communes toti suo Episcopatui; & Dux v.g. Saxoniæ consuetudines Saxoniæ: vnde, quando fert legem, iudicatur abrogare omnia statuta & consuetudines illi contrarias, etiamsi nullam faciat de illis mentionem.

Quisque Legislator censetur in scrinio pectoris sui habere iura sua Prouincia tam ciuilis quàm Ecclesiastica.

§ 4.

Video tamen hîc posse obijci ex cap. *Super eo.* de cognatione spirituali, in quo monetur Episcopus pro decisione cuiusdã casus consuetudinem suæ metropolitanæ Ecclesiæ vel aliarũ circumpositarum inquirere. Nos autem diximus eam consuetudinem ibi intelligi, quæ erat communis toti Prouinciæ. Argumentor ergo sic: Ille Episcopus præsumebatur à Papâ ignorare consuetudines proprias sui Episcopatus, ergo malè dictum est, debere è contrario præsumi scientem statuta & constitutiones suæ diœcesis: ergo si ille condidisset legem pro suo Episcopatu re ipsa contrariam consuetudini quam ignorabat, non debuisset censeri eam reuocare, prout diximus de Pontifice: non ergo est eadem ratio de particularibus Legislatoribus quæ de supremo. Respondeo, illum casum esse extraordinarium, & propterea moneri Episcopum, vt quæ ad ipsius officium spectant, inter quæ est scire consuetudines suæ Prouinciæ, diligenter exequatur. Concedo autem, si in eo casu ille condidisset legem, fore vt non abrogaret contrariam consuetudinem, quam ignorabat; sed debuisse eum moneri, vt vel legem mutaret, vel, si iudicaret expedire tolli consuetudinem, adderet clausulam necessariam.

Episcopum oportet scire consuetudines suæ diœcesis.

§ 5.

Consuetudines vniuersali legi non abrogantur, modo sint rationabiles, nisi adijciatur clausula suprà dicta.

Intelligenda etiam est tota hæc doctrina non minùs de cõsuetudine memorabili quàm immemoriali, præscripta & non præscripta; si tamen hæc ad eum statũ peruenit, vt ius induxerit, quia Pontifex verbis suprà relatis, vt ostenderet eas consuetudines non abrogari per legem vniuersalem, non requisiuit, vt illæ essent præscriptæ, sed præcisè vt essent rationabiles. Et ratio est, quia Princeps non supponitur velle ferre legem contrariam moribus Gentium, pro quibus eam fert, nisi expressè id significet: quod autem tempus sufficiat vt censeatur consuetudo illa induxisse ius, si præscripta non est, & consequenter, quando censenda est non abrogari per legem sequentem, nisi ponatur clausula particularis non est huius loci: suprà agentes de consuetudine vt inducente ius id declarauimus.

§ 6.

Dices: Videtur planè otiosum aut implicatorium, requirere eam expressionem, *non obstante consuetudine*, &c. etenim omnis omnino lex videtur supponere consuetudinem contrariã: nam

Digitized by Google

si v. g. præcipiatur ieiunium die Mercurij, supponitur sine dubio anteà homines habuisse cõsuetudinem non ieiunandi ea die; si prohibetur, ne gestent arma, supponitur habuisse consuetudinem ea gestandi, quia quod anteà per legem prohibitum aut imperatum non erat, supponitur vel factum vel omissum. Communiter ergo vel gratis in aliqua lege ponitur particula reuocatoria; vel repugnat, vt dicatur aliquando non necessaria, aliquando verò necessaria, cùm numquam non possit esse necessaria. Respondeo Primò, obiectionem hanc saltem non habere locum, quando consuetudo præcedens induxerat ius; eo enim casu non solùm supponitur consuetudo faciendi actum contrarium, sed talis, quæ non poterat sine peccato omitti; vnde tũc, vt liberarentur ab obligatione faciendi eos actus, necessaria fuit reuocatio eius consuetudinis. Secundò respondeo, consuetudinem contrariam etiam non inducentem ius duplicem esse posse; vnam quasi communem & generalem, fundatam præcisè in obligationis carentia; vt potest supponi comedens carnes ille, cui non sunt prohibitæ; & arma gestans, cui non sunt interdicta; & non audiens Sacrum, cui non est mandata auditio: & in hac consuetudine locum habet obiectio posita, quòd semper præsumatur ante legem: vnde addo, contra talem non esse necessariam clausulam irritantem vllo modo, quia talem consuetudinem præsumitur scire Legislator, imò eam vult per legem formalissimè auferre; ideò de hac nos non loquimur in præsenti, quia nec in iure hæc vocatur consuetudo. Alia est, quando non solùm aliquid licitum est, sed simul homines in illud vehementer propẽdent, vt in exemplo quod tetigi paulò antè de hypocaustis in Germaniâ, certo genere vestium, ciborum, &c. quæ sunt omnibus communia: tales ergo consuetudines etiamsi non obligent in conscientiâ ad sui obseruationem, quia tamen positiuus affectus & propensio populi in eam materiam declaratur per eam consuetudinem, habet sufficiens fundamentum, vt Princeps non censeatur illis violentiam inferre eam consuetudinem impediendo.

Clausula illa non est superflua.

Consuetudo contraria nõ inducens ius est duplex.

Nota contra quã consuetudinem non fit opus ea clausulâ.

57. Iam oportet explicare qualis debeat esse particula quâ comprehendatur contraria consuetudo. In quo puncto certum est, si consuetudo non sit singulariter priuilegiata; vt solet censeri consuetudo immemorialis, tunc sufficere ad reuocationem quòd dicatur, *non obstante consuetudine in contrarium*: quia hæc clausula haud dubiè vult aliquam consuetudinem repellere, non potest autem vllam meliùs quàm quæ non est priuilegiata: certum deinde, si addatur, *non obstante quacumque etiam immemoriali*, tunc & hanc abrogari. Dubium ergo erit, an hæc includatur sub illâ voce indefinitè posita, *consuetudine*; videtur enim includi, quia vox vniuersalis indefinitè posita, maximè cum particula negatiua & non obstante, censetur omnem consuetudinem excludere: & ita sentiunt nonnulli Canonistæ: alij verò dicunt, si in clausula addatur *quacumque consuetudine* comprehendi immemorialem; quia illa particula *quacumque*, necessariò omnem comprehendit: Tertiò tamen multi censent, nec quidem per hanc, sed necessariò expresè nominandam sub voce *immemoriali consuetudine*. Quę opinio ita potest declarari, vt consuetudo illa immemorialis, quia eius initium ignoratur, censeatur esse altioris ordinis: non enim scitur, an fuerit introducta per modum priuilegij, an verò per modum legis scriptæ.

Quali particulâ comprehendi debeat contraria consuetudo.

Varij diuersorũ sensus.

58. Ego tamen ex hoc capite non video cur debeat ea consuetudo eximi; quia quòd sit immemorialis, non extrahit ipsam à ratione consuetudinis; quòd verò ignoretur, quomodo sit introducta, etiam parum iuuat; non enim propterea desijt esse consuetudo; vnde satis probabile censeo eam comprehendi ea particula *quacumque*: id quod sic amplius declaro: Ea particula addit aliquam vim, & denotat aliquid plus, quàm si positum præcisè fuisset, *non obstante consuetudine*, ergo comprehendit consuetudinem immemorialem, quia illa alia particula comprehendebat omnem consuetudinem excepta immemoriali.

Immemorialis comprehẽditur abundè hac particulâ quacumque.

SECTIO IX.

Quomodo consuetudo consuetudine tollatur.

59. CONCLVSIO sit: Antiqua consuetudo potest abrogari per nouam ei contrariam: quod clarius adhuc est, quàm quòd per legem possit; quia, si spectes consensum Principis, qui in lege interuenit, hîc etiam illum inuenies; si quæras consensum populi, hîc & illum inuenies; in lege autem ille sæpè non reperitur: præterea sicut antiqua consuetudo introducta est per consensum populi, connaturale est, vt per eumdem etiam reuocetur.

Consuetudo vetus potest abrogari nouâ illi contrariâ.

Quæri tamen circa hoc Primò potest, quanto tempore debeat consuetudo contraria vigere, vt abroget præcedentem. Respondeo, hanc difficultatem esse communem ipsi primæ consuetudini: illud enim tempus quod fuit necessarium vt prima præscriberet contra legem scriptam, fuit etiam suo modo vt secunda contra primã, quia eiusdem rationis sunt duæ illæ, & non est maior ratio, cur plus in vna quàm in altera requiratur. Hæc tamen exceptio est adhibenda, quando scilicet prima consuetudo introducit nouum ius non abrogando vllum prius, tunc videri minùs requiri in hac prima consuetudine quàm in secunda eam primam abrogante: ratio est; nam prima non petiuit præscriptionẽ, quia non fuit contra ius; suprà enim diximus, tunc solùm, quando contra legem consuetudo inducitur, necessariam esse præscriptionem: in secunda autem consuetudine, quia est derogatiua iuris prioris, videtur omnino necessaria præscriptio, iuxta cap. vlt. de consuetudinibus.

Quanto tempore vigere oporteat nouam consuetudinem vt tollat veterẽ.

Consuetudo tantum introductiua iuris minùs requirit temporis quàm derogatiua iuris prioris.

60. Dices, Illud caput solùm loquitur, quando abroganda est lex scripta, nihil verò de consuetudine ibi dicit: nec deficit pro hac disparitate ratio; nam consuetudines consuetudini resistere posse, cùm sint omnino inter se similes, est lumine naturæ notum; vnde non erat, cur ibi requireretur præscriptio: at quòd legi latæ posset resistere consuetudo, videbatur difficile, ac propterea Pontifex voluit vt ea esset præscripta, vt ex eo capite fieret consuetudo maioris auctoritatis. Respondeo, ob hanc rationem valdè probabile esse, non plus temporis requiri vt consuetudo abroget consuetudinem, quàm vt consuetudo nouum ius inducat, iuxta dicta in conclusione nostra: nihilominùs dico persistendum in exceptione posita. Ad obiectionem respondeo, eo capite vltimo non dici, præscriptionem non esse necessariam ad tollendam legem talem, sed ad

Diluitur obiectio.

Digitized by Google

ad ius positiuum tollendũ: at consuetudo inducit verum ius, & sub nomine iuris cõprehenditur, ergo debet etiã intelligi in eo capite sub ea voce. Deinde ratio etiã fauet, quia facilius est, vt consuetudo, quando nullum inuenit impedimẽtum, inducat ius, quàm quãdo inuenit, siue à lege scripta siue à consuetudine illud proueniat; id enim est per accidens ad punctum præsens: neq; id labefactatur ratione in contrarium facta, quia licet consuetudo sit similis consuetudini in ratione talis, nihilominùs magna est differentia inter eam, quæ ante se nullum inuenit hostem, & eam, quæ inuenit: nam licet homo sit homini similis, quis tamen dubitat, facilius illum, qui nullum inuenit contrarium, posse occupare locum, quàm illum qui debet eijcere ex illo alium hominem, etiamsi non sit ipso fortior.

Facilius ibi consuetudo ius inducit, vbi nullum antè fuit impedimentum, quàm vbi vel exiguum inuenit.

61. Secundò circa eamdem difficultatem quæri potest, vtrùm quando consuetudo, quę debet superari à secunda, est Canonica, debeat tunc hæc secunda habere quadraginta annorum durationem, vt possit contra priorem præscribere, iuxta eam regulam, quòd contra Ecclesiam non præscribitur nisi quadraginta annis. Respondeo, A me suprà ostensum, eos quadraginta annos non esse necessarios ad præscriptionem legalem, sed ad præscriptionem contra res aut iura Ecclesiæ: ex quo capite hîc cessat difficultas; consequenter enim dico, non esse necessarium tam longum tẽpus. Sed quid si loquamur cum communiori sententia requirente in consuetudine contra leges Ecclesiæ eos quadraginta annos. Nonnulli sub distinctione respondent: Vel enim prior consuetudo, quæ abroganda est, fuit præter ius, & tunc censent omnino requiri in secunda spatiũ illud quadraginta annorum; quia reuerà ea secũda consuetudo fuit contra ius Canonicum, licet non scriptum, saltẽ consuetudinale; nam & hoc verè est ius: id quod clariùs cernitur, si prior cõsuetudo fuit vniuersalis, & induxit ius commune: secunda autem abrogans est particularis. Quòd si ea prior consuetudo fuit contra ius, adhuc sub noua distinctione respondent: Vel enim illud ius abrogatum per consuetudinem fuit vniuersale, & consuetudo tantùm particularis abrogans in vna tantùm Prouincia; & tunc dicunt non requiri nisi præscriptionem decem annorum, quia ea secunda consuetudo non videtur esse contra ius, sed potiùs pro iure: restituit enim in eam Prouinciam illud ius Canonicum, quod est commune in alijs: si verò prior consuetudo abrogauit ex integro ius antiquum, & nouum induxit, siue quia tam ius abrogatũ quàm consuetudo abrogans fuêre vniuersalia ad totã Ecclesiam; siue quia ambo fuêre æquè particularia vnius aut alterius Prouinciæ; tunc dicunt hi auctores necessarium esse tempus quadraginta annorum; nam reuerà tunc ea consuetudo est contra ius Canonicum: quod autem ante eam consuetudinem fuerit aliud ius contrariũ, planè per accidens se habet ad punctum præsens: non enim ideò ea consuetudo desinit esse ius Canonicum. Id quod ego sic ampliùs confirmo: Si per legem latam fuisset reuocata alia lex Canonica contraria, non propterea posset præscribi contra hanc, secundam legem infra quadraginta annos, eo prætextu, quòd hæc consuetudo reduceret antiquum ius, ablatum per secundam legem. Idem autem est in consuetudine: siue enim ius sit per legem, siue per consuetudinem ablatum, absolutè iam perinde est ac si non fuisset.

Ad præscriptionem legalem non est opus quadraginta annis, sed solùm ad præscriptionem contra res aut iura Ecclesiæ. Quid in sententiâ quorumdam respondendum.

Opinio quorumdam hac super re.

Confirmatur hæc auctorũ opinio.

Tota hæc resolutio mihi placet, eo solo puncto excepto, quòd si ius auriquum nõ sit omnino abrogatũ in alijs partibus, sed solùm in Bohemiâ v.g. & ibi introductum nouum; non sint necessarij nisi decem anni ad abrogãdum in Bohemiâ eam consuetudinem. Censeo enim maiori cum consequentia discurri, si dicatur etiam tunc esse necessarios quadraginta annos; nam si benè perpendantur rationes factæ, idẽ probant in hoc casu: etenim respectu Bohemiæ per accidẽs omnino est, quòd in alijs locis vigeat aliud ius, aut quòd non vigeat. Prætereà verè & rigorosè ius, quod ea consuetudo in Bohemia induxit, est Canonicum, licet ea non seruetur vbiq;, sed potiùs alibi contraria vigeat: non enim est de ratione legis Canonicæ, vt seruetur vbique: ergo contra eam consuetudinem, quæ iam induxit in Bohemia ius, non poterit præscribi nisi intra quadraginta annos, non secùs ac si ea consuetudo abroganda vniuersalis esset toti Ecclesiæ. Fortè dici posset, Pontificibus, qui illud longum tẽpus pro præscriptione requisiuerunt, gratissimum esse, si Prouincia habens consuetudinem contrariam communi accommodet se communi; ergo nõ est credendum, quòd per hoc requisierint tam longum tempus. Respondeo, fortè antecedens esse falsum: quod probo ex suprà dictis; nam quãdo ferunt legem generalem, nolunt tamen comprehendere Prouincias habentes consuetudines priuatas: ergo non semper optant, vt omnes habeãt eamdem consuetudinẽ, quia sæpè ob contrarias circumstantias oppositum est maximè expediẽs. Respondeo Secundò, quidquid sit de eo antecedente, consequentiam non esse bonam, quia non debemus cogitare, quid illi facerent in hac aut illâ occasione, sed, quid absolutè decreuerint. Textus autẽ vniuersaliter dicit contra ius Ecclesiasticum non præscribi nisi intra quadraginta annos, vt pro hac solutione supponimus; illud autem etiamsi sit vnius Prouinciæ est Ecclesiasticum, ergo debemus dicere requiri vt contra illud præscribatur, quadraginta annos. Et satis de consuetudine.

62. Dixi licet tamen secundùm quid.

De ratione legis Canonicæ non est, vt vbique seruetur.

Papa statuẽs legem generalem non comprehendit ideò Prouincias consuetudinem priuatã habentes.

Ad præscriptionem contra ius Ecclesiasticum sufficiunt quadraginta anni.

DISPVTATIO XXVI.

De interpretatione & extensione legis.

EXPLICVIMVS hucusq; quidquid ad leges in se spectatas pertinet, tam prout sunt scriptæ quàm prout inducuntur per consuetudinem; iam oportet de earum interpretatione & extensione, cessatione ac abrogatione etiam per priuilegia disputare. Primum in hac disputatione expediemus, reliqua in sequentibus. De hac quæstione egit fusè P. Salas disp. 21. & P. Suarez lib. 6. & alij multi.

1. *Series tractatus.*

SECTIO I.

Quid sit & quotuplex legis interpretatio.

2. *Quid propriè sit interpretatio, & quotuplex.*

INTERPRETATIO propriè nihil est aliud quàm explicatio alicuius rei; vnde dicimus interpretes Scripturæ eos qui Scripturam declarant;

Digitized by Google

Quid interpretatio authentica.

declarant; ergo interpretatio legis erit declaratio legis: potest autem ea esse triplex, vna authentica, alia vsualis, tertia doctrinalis; quas breuiter explico. Authentica est, quæ fit per aliam legem latam ad declarandam priorem, siue ea fiat ab ipsomet Legislatore priori, siue à successore ipsius, siue ab alio supra illum habente iurisdictionem: etenim licet (vt superiùs agens de consuetudine dixi) successor aut alius superior Legislator non habeat quà talis maiorem scientiam interioris voluntatis prædecessoris aut inferioris, quàm possint habere alij nõ Legislatores, ideóq; ex eo capite non videatur magis certa eius interpretatio, quàm si traderetur ab alio; quia tamen

Cur Legislatorum interpretatio censeatur authentica.

ille habet potestatem condendi leges, abrogandi etiam præcedentem eámve mutandi, ita vt quidquid decernat, siue re ipsâ tangar sensum prædecessoris, siue nõ, habeat vim legis; ideò eius interpretatio dicitur authentica; & tenentur illi se conformare subditi, non minùs quàm si facta esset ab ipso Legislatore, qui certò potest scire, quid ipse voluerit per priorem legem.

3. *Quæ conditiones hæc interpretatio postulet; & qui per aliam & ipsa explicari possit.*

Debet autem hæc interpretatio vt obliget habere omnes conditiones legum, vt scilicet sit iusta, sufficienter promulgata, &c. quia verò etiam ipsa explicatio potest in aliquibus esse dubia, meritò communiter docetur, in omnibus, quę nõ exprimit, posse eam secundã legem pari alias interpretationes non minùs quàm primã, & quàm ceteras, quæ non sunt interpretatiuæ aliarum.

Interpretatio vsualis qua.

Secunda interpretatio est vsualis, id est per consuetudinẽ introducta; de quâ egimus in præcedentibus, & ostendimus posse inducere ius, quia consuetudo eam habet vim vt ius inducat, non minùs quàm leges scriptæ.

Quid interpretatio doctrinalis; & cur sic dicta

Tertia est doctrinalis, quam maximè hîc declarare intendimus; ea autem est ipsa intelligentia & explicatio verborum, & sensus legis, quæ potest fieri ab omnibus his qui vim intellectiuã habent, & quibus ea lex proponitur: dicitur autẽ doctrinalis, quia maximè ad doctores spectat, & traditur per modum doctrinæ; quæ ex suo cõceptu non habet vim obligandi nisi quatenus

Quanam interpretatio certum legis sensum reddat & consequenter obligetque; quæ verò secus.

præsumitur verum sensum legis tãgere. Hoc posito dicimus, quando communiter omnes in vnâ explicatione conueniunt, moraliter loquẽdo, facere certitudinẽ eius sensus, & ex eo capite posse eam interpretationem inducere obligationem; quâ lo verò est varietas opinionum, & quælibet habet probabilitatem, tunc nullã ex eis explicationibus determinatè inducere obligationẽ: quî autem homo in praxi se debeat gerere, & quam opinionem sequi inter probabiles, dictum est fusè præcedenti Tomo: solum illud explicandum occurrit, quibus argumẽtis aut principijs debeat ea interpretatio, vt bona sit, inniti. Tria solent

Quibus principijs inniti debeat interpretatio vt bona sit.

assignari, verba ipsa legis, mens Legislatoris, & ratio legis, seu quâ Legislator ad ferendam legẽ mouetur. Ego tamen, licet fortè res ad modum loquendi pertinere videatur, loco illius secundi, nempe mens Legislatoris, ponerem alias circũstantias, ex quibus de mente eius iudicari possit; nam mens ipsa in se occulta est, imò, vt meliùs dicam, illa sola est, quam indagare per verba volumus: nam verba non obligant, nisi vt declaratiua mentis: non ergo mens debet poni vt signũ sui, sed potiùs tamquam id quod debet significari: meliùs ergo ponuntur ea alia indicia distincta à verbis, per quæ possumus colligere mentẽ Legislatoris, quando fortè verba eam non declarant sufficienter, vt ampliùs iam explico.

Sectio II.

Declarantur ampliùs ea capita interpretationis.

4. *Verba in naturali suâ significatione vsurpanda sunt, nisi quid obstet.*

IGITVR quod ad verba attinet, prima regula sit, quando aliunde ob grauem causam non cogimur, debere verba vsurpari in suâ naturali significatione, hoc est, in eâ quam habent ex communi impositione hominum; vnde risus v.g. debet accipi pro humano, non pro metaphorico prati; multò minus debet accipi ad significandum cultrum v.g. aut lapidem: vt enim in omnibus alijs scripturis & locutionibus debemus eam regulam seruare, multò magis in legibus; nam Legislator, qui cum multis loquitur, supponitur accipere voces in significatione communi. Dixi quando grauis aliqua causa in contrarium non vrget, quia tunc ex alijs duobus capitibus suprà assignatis debebit ipsemet verborum sensus inquiri: sed quia verba aliquando solent præter eã vulgarem significationem habere aliam, quæ intra ipsum ius solet esse communis, & inde fortè dubitare aliquis posset, an in iure deberent in hoc secundo sensu, an in primo verba accipi.

Verba, nisi quid obstet, in naturali significatione sumenda sũt, non verò in iuridicâ.

Sit Secunda regula, quæ magis declarat Primam, debere accipi, si aliud non obstet in primâ seu naturali significatione, non in alterâ iuridicâ: & ita deciditur in l. vltimâ Cod. *De his qui veniam ætatis.* vbi, dum agitur in particulari, quæ sit intelligenda ætas legitima, respondetur, illam, quæ communiter ita vocatur, non illam, quæ Imperiali beneficio suppletur, seu quæ in iure solet vocari legitima. Ratio verò huius desumitur ex his quæ paulò antè dixi, scilicet, Legislatorem, cùm immediatè agat cum subditis, debere accipere voces in sensu quo subditi vtuntur, non quo aliqui rariores docti eam vsurpant in scholis. Non ago iam de vocibus, quæ non habent aliam significationem nisi intra ius, vt censura, &c. quia pro illis eà ipsa est significatio communis seu naturalis.

Qui Legislator voces sumere debeat.

Si verborum significatio naturaliter sit aequiuoca, determinanda tumerit ex alijs verbis eiusdem legis.

Tertia regula est, si verba illa sint in suâ naturali significatione æquiuoca, vt vox *canis* v.g. debere ex aliis verbis in eâ lege contentis significationem determinari: non enim videtur moraliter possibile, vt tota vna propositio præscribens quid sit faciendum, habeat omnia verba ita æquiuoca, vt vnum ex illis non determinet alterum: quòd si casus talis fingatur, tunc ea lex pro noua lege habenda est, quia pro hominibus perinde est ac si lata non fuisset, vel certè ac si non fuisset promulgata.

5. *Præcipuum indicium legis interpretatiuum est mens Legislatoris.*

Secundum caput, scilicet mens Legislatoris, aut clariùs (vt dixi) alia indicia à verbis distincta, quibus mens Legislatoris colligi potest in rigore, est præcipuum & vnicum: nam neque illa verba aliter valent, quàm vt indicia & signa sunt eius mentis; vnde, licet verba videantur contrarium sonare, si de mente aliunde mihi constet, verba debent omitti, & ad alia signa attendendũ erit. Pro quo aduerte, etiamsi, per se loquendo,

Præter verba multa sunt alia signa mentis legislatiua declaratiua.

verba apud nos sint clarissimum signũ volitionis loquentis, quia directè & determinatè sunt inuenta ad significandos interiores conceptus; nihilominùs, quia sunt multa alia signa quæ possunt etiam mentem declarare, imò & quæ possunt ostendere, à Legislatore verba non accipi in sensu proprio, potest contingere, vt fortius argumentum sæpè ex multis alijs signis simul sũptis

desumatur

Digitized by Google

desumatur quàm ex verbis ipsis præsentibus. Imò per alia verba potest ipse Legislator sequẽtium aut præcedentium sensum turbare, vt si moneat subditum hoc modo, *Licet ego præsente tali aut tali mandem tibi vt hoc facias, scias id me non velle, nisi Speciali aliquo signo amplius id significauero:* quando autem in præsenti sub secundo signo includo alia indicia à verbis, non excludo nisi verba quæ sunt formaliter in ipsâ lege; nam quæ ex aliis legibus aut ex sermone antecedenti Legislatoris colligũtur ad hoc secundum caput pertinẽt: vnde facilè colligitur posse esse hoc secundum caput efficacius longè quàm primum: & huc facit, quod in c. *In his.* de verborum significationibus dicitur, *Non debet aliquis considerare verba, sed voluntatem, cùm non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deseruire:* & eodẽ modo in lege *Non dubium.* Cod. de legibus, dicitur ille contra legem agere, qui per occasionem verborum contra legis nititur voluntatem: id autem intelligendum est modo dicto; id est, agit contra voluntatem cognitam per alia signa à verbis diuersa.

6. *Quæ sint illa signa.*

Quòd si quæras, quæ sint eiusmodi alia signa. Respõdeo posse esse varia: & quidem vix omnia etiam in cõmuni à nobis assignari possunt, quia potest sæpè homo vti re etiam improportionatâ pro arbitrio suo ad significãdum aliquid; ea tamen quæ ordinaria sunt reducuntur ad tria aut quatuor capita. Primũ est materia legis, quia iuxta illam verba debent accommodari, vt in lege *Si verò.* ff. Locati. verbum *donationis* non accipitur in proprio sensu pro liberali datione, sed pro transactione, quaimateria legis non patitur alium sensum. Secundum caput est, quando verba, si in proprio sensu accipiantur, inducunt iniustitiam in lege: cùm enim debeat præsumi lex iusta, debent verba ad eam iustitiam accommodari, etiamsi non retineant rigorosam significationem. Tertium ex aliis iuribus, quando scilicet verba in sensu proprio repugnant aliis iuribus: debent enim tunc in eo sensu accipi, in quo possint cum prioribus cohærere: vbi tamen duplex limitatio est adhibenda; vna, quando Legislator profitetur se velle aliquod antiquius ius abrogare: tunc enim ea contrarietas non obest, quandoquidem illam quærit directè Princeps. Secunda limitatio est, quando potest esse alius sensus in eâ lege probabilis, iustus, &c. nam ex solâ eâ contrarietate non debẽt verba trahi ad sensus planè alienos; potiùs erit dicendum Legislatorem ignoratâ priori lege casu condidisse contrariam, quam fingere significationes planè alienas à verbis ipsis. Quartum caput circa verba est, quãdo illa in aliquâ priori lege sumpta sunt in sensu à naturali diuerso, qui ex aliis capitibus deduci potuit, & in nouâ lege non videtur posse habere locum sensus naturalis, tunc potẽrit vsurpari in eo sensu quo à priori lege verbum idem vsurpatum fuit; si tamen in secundâ lege datâ eâ significatione retineatur sensus commodus, & qui præsumi possit hîc & nunc intentus à Legislatore.

Materia legis verba sũt accommodãda.

Verba ad iustitiam legis trahenda sũt non retentâ etiam rigorosâ eorum significatione. Eadem ita sumẽda sunt vt ius cohæreat prioribus. Nota duplicẽ limitationẽ.

7. *Verba legis posterioris sumenda sũt eo sensu quo prioris, etsi neutra videntur habere posse sensum naturalem.*

Tertium caput interpretationis legis desumitur à ratione illius legis, seu à motiuo, quod duplex esse potest. Primum, si ratio ipsa sit expressa in lege, vel aliunde constet Legislatorem eâ permotum: Secundum, si solùm præsumatur à Doctoribus Legislatorem eâ inductũ fuisse: & quidẽ, si primo modo ratio accipiatur, est ferè præcipuum caput, vnde legis sensus accipiendus sit, quia tunc ea ratio est quasi anima legis: quando dico *ferè præcipuum* non excludo etiã duo priora suprà enumerata. Fortè enim sæpè ex solâ ratione etiam in ipsâ lege expressâ non licebit perfectè intelligere sensum legis, tum quia ipsa ratio in se habet aliquam obscuritatem; tũ quia in applicatione illius ad materiã potest occurrere dubiũ; tum quia in rigore distinguitur à lege, ideóq; non habent inter se infallibilem connexionem.

Duplex motiuum legis.

Ratio anima legis.

Quòd si ratio nõ exprimatur in lege, erit quidem aliquale iudicium, non tamen tam potens quàm si fuisset inclusa; tum quia fieri potest, vt licet viri docti putent Legislatorem eâ ratione permotum, verè tamen ipse eâ non fuerit permotus, sed aliam habuerit diuersam; tum quia in similibus occasionibus vnus inuenit hãc rationẽ, alter illam; vnde non est licitum cuilibet alligare mentem Legislatoris huic rationi, si ea expressa non sit.

8. *Lex, in quâ nõ est expressa ratio, multò est inferior.*

Circa hoc tertium caput aduerte possealiquãdo contingere, vt nulla sit ratio legis in particulari; nã licet omnis lex haud dubiè debeat respicere materiam honestam, ideóq; ex eo capite habere rationem, potest tamen fieri, vt, suppositâ ratione generali ad aliquid imperandũ, nulla sit specialis ratio, cur hoc in particulari potiùs quàm illud imperetur, nisi sola Legislatoris voluntas. V.g. vt eligantur aliqui milites necessitas cogit; vt verò ex duobus hominibus æquè fortibus hic præ altero eligatur, sola facit voluntas Principis: in his ergo & similibus frustrà quæritur ratio legis, quia quoad illud vltimum punctum nulla est, etiamsi fortè aliquæ sint congruentiæ.

Cur sæpè nulla sit ratio legis in particulari.

SECTIO III.

De extensione legis ratione verborum.

EXTENSIO legis dicit duplicẽ quasi acceptionem vel interpretationẽ illius: si enim vnica sit, nõ est extensio, vt per se patet: ergo ad extensionem Primò debet supponi aliquis certus sensus, in quo illa accipi debet: & præterea quæritur de alio secundo, ad quem extendatur: hæc igitur extensio potest fieri ex triplici capite sectione præcedenti enumerato, ex verbis, ex mẽte Legislatoris, & ex ratione: cùm enim dixerimus illa tria capita esse vnde debeat sensus legis colligi, necessarium etiam est, vt ex omnibus & illis solis possit extensio, quæ est quædam species interpretationis, desumi: ergo de extẽsione ratione verborũ in hac sectione, de alijs in sequentibus. Et quidem in hoc puncto prima extensio est vltra naturalem significationem ad ciuilẽ; quærimus enim, an aliquãdo liceat legis verba in vtraque significatione vsurpare. P. Suarez l. 6. c. 2. hãc quæstionem tractans videtur obscurè locutus; etenim conclusione primâ dixit, in omni lege non odiosâ verba esse extendẽda ad omnia quæ in significatione naturali ac propriâ comprehendunt, non autem vltra illam; eodem verò numero vocat fauorabilem legem omnem quæ non est odiosa: vnde ea conclusio videtur esse de lege fauorabili; de quâ tamen paulò pòst, conclusione scilicet secundâ, docet, quòd debeat extendi etiam vltra significationem naturalem ad ciuilem seu iuridicam: quæ duæ conclusiones videntur esse contradictoriæ: specialiter autem hæc vltima videtur etiam contraria

9. *Vnica legis acceptio non facit extensionem.*

Extẽsio legis fit vel ex mente Legislatoris, vel ex ratione. Extensio est species interpretationis. Licéatne verba legis in significatione naturali & ciuili vsurpare.

Suarez hic sibi contrarius.

eiusdem

Digitized by Google

eiusdem doctrinæ cap. 1. vbi tradit n. 10. regulam generalem, quòd in iure verba per se accipiantur in solâ significatione naturali; vt quando dicit lex *legitima ætas*, debet intelligi de legitimâ, vt naturaliter solet vocari, non de legitimâ ex beneficio Imperatoris, seu legitimâ in iure; cui aduersantur exépla quæ hoc secundo capite ponit, quòd legitimus filius non solùm significet qui verè est talis, sed qui est legitimatus; cùm tam illa lex de ætate quàm hæc de filio legitimo sint non odiosæ, seu sint fauorabiles.

10. *Respondet auctor aliquando posse verba sic vsurpari, aliquando non. Quid nobilis in lege tam fauorabili quàm odiosâ sumi possit.*

Ego in hac materiâ non putarem assignandam regulam generalem affirmatiuam, aut è contrario vniuersalem negatiuam, sed dicendum, eam extensionem aliquando fieri, aliquando verò non, iuxta varias circumstantias, ex quibus colligi eius necessitas potest. Pono exemplum: Vox hæc *nobilis* in sua significatione naturali videtur significare natum nobilem; quia tamen ille, qui est nobilitatus, verè & communiter dicitur nobilis, potest optimè intelligi in lege nomine nobilis non solùm in lege fauorabili, sed etiam in odiosâ. Quòd si in lege esset aliqua particula, quæ denotaret sermonem esse de his qui nati sunt nobiles, tunc ea lex nó posset vllo modo extendi ad nobiles factos à iure. Similiter vox *legitimus* significat propriè & naturaliter illum qui ex legitimo matrimonio natus est, non verò nisi (vt sic dicam) fictè eum qui legitimatur per priuilegium: sed quia illa legitimatio facta vi iuris eò ordinatur, vt reddat eam personam capacé omnium eorum quæ solis legitimis concedunt iura, eo ipso debemus nomine legitimi vtrosque comprehendere, alioquin ea legitimatio fuisset inutilis; vnde ex eâ alia ratione cogimur ad extẽsionem: quando autẽ tales rationes cessant, mihi videtur cessare extensionẽ. V.g. in iure mors præter significationem naturalem significat ciuilem mortẽ, qualis reputatur professio religiosa. Certè si lex dicat, *Nullus mortuus potest excommunicari*, non licebit, etiamsi lex sit fauorabilis, id transferre ad Religiosum: id quod verum est, etiãsi ex aliis Canonibus non constaret Religiosos posse excommunicari: & idem probat exemplum superiùs allatum de ætate legitima. Similiter vox *filius* ex se non significat adoptiuum; in iure tamẽ etiam adoptiuus significatur. Certè si lex dicat, *Tenetur parens equaliter diuidere hæreditatem inter filios*, non ideò putarem, esto lex sit fauorabilis, debere illum æqualem partem adoptiuo dare, & non sufficere, si det aliquam, esto minorem. Similiter si dicat lex, *Filij debent præferri filiabus*, non continuò cogitur quis præferre adoptiuum.

Quid naturaliter significet nó legitimus.

Mors in iure quid.

Filius quid.

11. *Reijcitur opinio Baldi. Quando in fauorabilibus filiorum nomine veniant adoptiui.*

Hinc infero, nó esse verum vniuersaliter quod Baldus dicit apud Menochium lib. 4. præsumptione 89. n. 36. in fauorabilibus nomine filiorum venire etiam adoptiuos: putarem enim id ex circumstantiis debere colligi modo explicato, ideóque aliquando locum habere, aliquando verò non: & melior regula mihi videtur, vt consideretur, an non ipsa adoptio aut legitimatio vel actio illa, vnde acquirunt ea nomina, quæ alioquin eis non conueniunt, ordinetur ad reddendas eas personas capaces eorum effectuum, de quibus illæ leges loquuntur: tunc enim, ne tales actiones reputentur inualidæ & inutiles, cogunt vt tales personæ post eam actionem comprehendantur sub terminis legum illarum, vt in legitimatione paulò ante dixi.

Circa extensionem verò verborum vltra sensum naturalem aut iuridicum nihil occurrit dicendum præter illa quæ sectione præcedenti de interpretatione diximus, scil. illum talem sensum non debere admitti, nisi quando aliter lex fuerit aut illusoria, aut iniustitiam vel absurditatem contineret. Aduerto tamen hanc non esse propriè extensionem, quia extensio (vt insinuaui suprà) videtur supponere vnam certam explicationem, vltra quam, dum alia additur, constituitur extensio: hæc acceptio verborum in ea significatione impropria non fit, nisi præcisè, quia non potest inueniri alia explicatio naturalis, quæ legem reddat iustam: si enim hæc inueniatur, iam cessat totum fundamentum eius quæ dicitur extensio; & consequenter etiam ipsa extensio cessabit.

Quando cesset extensio.

SECTIO IV.

De extensione legis ob tertium caput, id est, ob rationem illius.

SVBSECTIO I.

Declaratur status quæstionis; & quædam obseruationes præmittuntur.

12. *Vltra Legislatoris mentẽ nihil extendi potest validè.*

DE extensione legis ex secundo capite, scil. ex mente Legislatoris, nihil dicendum occurrit, quia vltra mentem illius nihil validè potest extendi; non enim potest obligari, nisi quem ille voluit obligatum; de indiciis verò, ex quibus colligitur eius mens, dictum est in extensione vltra verborum sonum: de extensione ergo ob rationem in hac sectione agendum erit. Ratio legis seu motiuum legis idem est. V.g. ob impediendum graue peccatum, & sacrilegium, quod reperitur in occisione Clerici, imponitur excommunicatio maior ipso facto incurrenda in publicum percussorem Clerici; finis legis est punire, & in posterum impedire graue illud sacrilegium; seuvt (sic dicam) finis est honestas reperta in punitione & in impediendo tali peccato. Quærimus ergo, an vbicumque talis honestas seu ratio eius legis inueniatur, censeatur etiam imposita ea pœna. Similiter, ne in Republica fiant fraudes, assignat Legislator certum pretium frumenti, nihil dicens de vino, oleo, panno, &c, quæritur, an ob eamdem rationem censeatur debere determinari pretium aliarum rerum non comprehensarum in lege. De hac quæstione fusè agunt tam Iuristæ quàm Canonistæ, quàm etiam Theologi. Videatur P. Suarez eo lib. 7. cap. 3. & 4. Salas suprà sect. 5. qui multos citant auctores; pro ea tamen solidè & breuiter decidenda tria vel quatuor præmittenda sunt. Primum, quod & suprà notatum est, aliquando rationem legis expressam esse in lege ipsa, aliquando verò solùm præsumi à Doctoribus, maioremque esse difficultatem, quando expressa est, quàm quando præsumpta. Secundum, nó videri esse idem loqui de lege pœnali ac de lege solùm obligatoria. Tertiò statuendum est vnũ principium magni momenti in hac quæstione, scilicet, etiamsi ratio mouens videatur esse eadem genericè in multis materiis, non tamen propterea Legislatorem teneri omnes eas materias aut prohibere aut præcipere, sed posse pro libitu eligere quas velit; quia fortè non expedit omnes prohibere, neque è contrario nullam omnino prohibere; sed debent aliquæ;

Quia finis maioris excõmunicationis in percussores Clerici latæ.

Censeturne pœna imposita vbi ratio legis inuenitur.

Magis est difficilis ratio legis expressa quàm præsumpta.

Quas materias eidẽ motiuo generico subsitãtes Legislator prohibere aut præcipere teneatur; nec enim tenetur omnes.

Digitized by Google

tunc autem in voluntate ipsius est quam velit eligere: & vlterior ratio à priori ea est, quia licet materia legis positiuè debeat esse honesta, non tamen illa honestas tanta est, vt cogat ad imperandâ eam materiam, alioquin iam illę leges magis essent naturales quàm positiuę: quòd si liberę sunt: ergo potuit Legislator pro libitu vnam ponere, non alteram, etiamsi eadem in vtraque videatur esse honestas; eodem modo, quo Deus dás liberaliter dona sua potest, eo ipso quòd nulli teneatur, pro libitu dare huic, non verò illi, etiamsi eadē honestas liberalitatis reperiretur in donando alteri quæ in donando huic: quòd si ille, cui nihil donatur, aut certè non tam multùm conqueratur, responderi ei poterit, *Amice non facio tibi iniuriam, tolle quod tuum est, & vade:* neque ad hanc differentiam requiritur vlla præuisa diuersitas ex parte illorum, vt fusè ostendi Tomo primo contra P. Granadum. Hæc autem doctrina eodem modo locum habet in legibus; quia si potuit decem v.g. materias diuersas, in quibus eadē videtur esse ratio, prohibere, potuit etiam nullā, nemini (vt sic dicam) iniuriam faciendo, poterit quinque omittere, & quinque relinquere, nullā factā alicui iniuriā, neque incurrendo notam contra rationem naturalem: & verò licet eam incurreret, id non esset ad rem, quia, dummodò res præcepta in se sit bona, & in bonum publicum ordinata, non obest, quòd Legislator imprudenter se gesserit eam imperando; non tamen necessarium est ad has angustias venire, quia ad similes determinationes sæpè occurrunt honestissimę rationes: & iam nos vnam attulimus, quòd expediat aliquas, non tamen omnes materias præcipere.

Matth. 20.

13. *Ratio legis in diuersis materijs vel per similitudinē vel per identitatem reperiri potest.*

Quartò & vltimò obseruandum, rationem legis posse in diuersis materiis inueniri vel per similitudinem, vel certè per identitatem, vt notat P. Suarez; ibi tamen aduerte ipsum reliquosque auctores non posse intelligi de identitate verā & reali; hoc enim impossibile est, nisi legem constringamus ad vnum tantùm individuum: nam neque in omnibus Clerici occisionibus eadem numero malitia, nec in omnibus auditionibus Sacri est eadem numero honestas, quam lex intendit, sed in qualibet actione individuali individualis est aut honestas aut malitia ab aliis distincta; ergo intelligenda est ea identitas quasi specifica, quæ tamen ipsa non identitas, sed similitudo quasi summa vocari debet. Alia verò vocatur purè similitudo, quia non est maxima, sed potiùs infima in genere similitudinis: vt v.g honestas quę reperitur in auditione Sacri die festo, non solùm non est eadem realiter cum honestate, quæ reperitur in actu eleemosynæ, liberalitatis, ieiunij &c. sed nec eiusdē speciei: solùm enim conueniunt in ratione generica honestatis vt sic: de vtraque ergo similitudine dicendum est, licet vt statim ex terminis apparet, longè maior sit in vnā difficultas quàm in alterā. His positis,

Quid identitas & similitudo hic.

SVBSECTIO II.

Deciditur quæstio.

14. *Sola similitudo generica in ratione legis non inducit eius extensionem ad materias in ipsā lege nō expressas.*

DICO PRIMÒ, Ex solā generica similitudine in ratione legis nullo modo licet legem extendere ad materias, quæ in ipsā lege non exprimuntur. Hæc mihi videtur tam certa, vt explicatis terminis nec dubitare quidem liceat de illā: & in primis à posteriori manifestissimè suadetur; nam si ea similitudo sufficeret, imperato vno actu virtutis, omnes omnino deberent imperari; quia omnes conueniunt in eā ratione generica: id autem adeò absurdum est, vt sit hæreticum, non enim omnia opera bona sunt sub obligatione legis. Neque puto vllum auctorē huic posse aduersari, etiamsi aliquando videantur sine distinctione dicere, similitudinem rationis sufficere ad extendendam legem: fortè enim eam similitudinem accipiunt magis strictè pro specificā. Quòd dixi de lege præcipiente eodem modo locum habet in lege positiuā prohibente; non enim prohibito vno obiecto, quod est capax prohibitionis, prohibentur omnia etiā quæ sunt capacia prohibitionis, alioquin simul & semel contradictoria deberent prohiberi: quia si prohibitā gestatione armorum prohibentur quæcumque possunt esse in aliquibus casibus digna prohibitione, etiam deberet prohiberi non-gestatio armorum, quia hæc etiam est ex se capax prohibitionis; prohiberentur etiam vestes fericæ, prohiberentur egressus è Regno, quia omnia hæc sæpè possunt prohiberi, & habent conuenientiam genericam in aliquā ratione, ob quam prohibeantur. Ratio à priori in hoc puncto etiam est manifesta; nam sicut in pysicis, non obstante conuenientiā generica, diuersitas tamen specifica operatur effectus valdè diuersos, vt patet in homine & bruto; ita in genere moris, non obstante conuenientiā in genericā bonitate aut malitiā, dantur ob differentiam specificam, effectus valdè diuersi; inter quos potest esse prohibitio aut obligatio vnius, non alterius. Id quod locum habet etiam in ipsamet ratione naturali; nam neque hæc præcipit omnia obiecta, quæ conueniunt in ratione genericā honestatis.

Lex præcipiēs & positiua prohibens pari passu hic ambulant.

Ratio à priori cōclusimus.

15. *Neq; similitudo specifica in ratione legis per se sufficit ad extensionē legis vltra materiā præceptam.*

DICO SECVNDÒ: Neque etiam sufficit per se conuenientia eiusdem speciei in ratione legis ad hoc, vt censeatur lex extendenda vltra materiam quam præcipit. Hæc videtur esse contra multos, qui maximè loquuntur de hac similitudine rationis, quæ censetur summa: videtur etiam esse contra P. Suarez, dum ait, Vbi est identitas rationis, ibi extendendam legem. Nihilominùs tamen puto eam à nemine posse negari explicatis terminis; imò fortè eam esse de fide; nam certum esse imperatam auditionem Sacri diebus festis, & non esse imperatam diebus profestis; item diebus festis esse imperatam vnam auditionem, non duas: certum item videtur, eiusdem speciei esse auditionem Sacri diebus festiuis ac diebus profestis; item, secundam auditionem die festo eiusdem esse rationis cum aliā eodem etiam die. Motiuum item seu ratio Ecclesiæ est illa honestas, quæ in eo vtroque cultu Dei reperitur; ergo non sufficit identitas rationis etiam specifica ad extendendam obligationem legis ad multas materias.

Auditio Sacri diebus festiis ac profestis est eiusdem speciei.

Fortè aliquis diceret id verum esse in præceptis positiuis; quia ibi non possunt omnes materiæ esse sub obligatione (hoc enim intolerabile onus induceret) non autem esse verum in negatiuis: nam ibi prohibito vno obiecto eiusdem speciei, prohibita censentur omnia. Sed contrà Primò, quia in rigore, si discursus ex identitate rationis solidus sit, deberet non minùs in positiuis vrgere quàm in negatiuis: nam sicut se habet ratio honestatis ad imperandum, ita ratio incommodi ad prohibendum, & è contrario; ideoque

Occurritur replica.

Digitized by Google

Ideóque auctores sine distinctione loquuntur, & maximè in legibus fauorabilibus, quæ vt sic non sunt propriè prohibentes: nam prohibere odium est potius quàm fauor. Contrà Secundò, quia in ipsis etiã prohibentibus dicam insistendo eidem exemplo de festis; nam quòd in honorem beatæ Virginis prohibeatur labor externus, pro motiuo habet cultum & celebrationẽ beatæ Virginis; item, quòd prohibeantur carnes in Vigiliâ Assumptionis ipsius, etiam reducitur in cultum illius: hæc autẽ duo præcepta negatiua sunt, & tamen non propterea in omnibus ipsius solemnitatibus prohibetur labor, nec in omnibus Vigiliis prohibentur carnes; ergo nec in præceptis negatiuis habet locum ea paritas rationis etiam intra eamdem speciem, vt debeat materia legis extendi: & quidem hæc ratio locum habet comparando vnum Sanctum cum alio, Petrum cum Antonio, quia vtriusque cultus est idem in specie; & tamen intuitu vnius ieiunatur in Vigiliâ, intuitu verò alterius non. Deinde etiam in legibus ciuilibus id patet manifestè; nam licet fortè physicè differat venditio olei à venditione tritici aut vini, in ordine tamen ad genus moris quasi eiusdem speciei est honestas, quæ reperitur in venditione vini pro pretio æquali, & in venditione olei pro æquali; nam id à quo vendens abstinet in vtroq; casu idem est, nempe pecunia vltra debitum pretium, quæ, vt dixi in Logicâ, non magis attrahit si detur pro vino quàm si pro oleo, & è contrario: vnde etiamsi in aliis materiis ob diuersa obiecta materialia constituerim diuersos habitus acquisitos, in hoc tamen puncto vnum & eumdem dixi per se sufficere ad vendendas iusto pretio omnes merces, quæcumque illæ sint.

Ostenditur conclusionem etiam in præceptis negatiuis vim habere, idque à multis festorũ B. Virginis.

Ostenditur id instãtiâ legũ ciuilium.

16. *Vrgetur.* Hinc sic argumentor: Non obstante eadem specificâ ratione iustitiæ in non vendẽdo tritico vltra iustum pretium, quæ, vt ostensum est, reperitur in non vendendo oleo aut vino vltra iustũ pretium; leges tamen ciuiles sæpè prohibent ne vendatur triticum v.g. vltra tale certum pretium, & non determinant quidquam de aliis materiis, vino, oleo, &c. ergo etiam in legibus prohibentibus non potest extendi materia vltra eam, quam lex assignat, ob similitudinem etiam specificam rationis. Ratio à priori huius est, quia in rebus moralibus, etiamsi detur similitudo physica, potest tamen esse quædam diuersitas indiuidualis, quam specialiter Legislator cõsiderat simul cum ratione specificâ, ita vt ex vtraque faciat vnam rationem totalem motiuam legis; quapropter ab eâ licet indiuiduali diuersitate coarctatur lex, ne extendi à nobis possit vltra materiam ab ipsâ assignatam.

Declaratur, quando non possit extendi lex extra materiã suã, etsi ratio motiua sit generic̃ vel etiã specificè eadẽ in aliis materijs.

Ex his conclusionibus infero aliam tertiam; dicoq; quandocumque Legislator in suâ lege determinat vel certam materiam, certum statum personarum, certum locum, numquam extendi legem extra illas, siue ratio motiua legis sit generic̃, siue etiam specificè eadẽ in aliis materiis, statibus personarum, & locis. V.g. lex dicit, *Religiosus hoc aut illo in concione dicens tali pœnã puniatur*, non extenderetur ad Clericos sæculares eadem in concione dicentes, siue ratio sit eadem in illis, siue maior; similiter dicit alia lex, *Vt melius Nouitij statum Religiosum, quem suscepturi sunt, agnoscant, volumus vt in Societate* IESV *duobus annis in Nouitiatu maneant*; non dubium quin ea lex non obliget cæteros, etiamsi fortè in aliis difficilibus sit sæpè modus viuendi quàm in Societate, & minùs exerceantur Nouitij, minúsq; eis declaretur regula quàm in Societate. Ad hoc propositum etiam facit quod ex D. Gregor. Papâ refertur in cap. *Quia in Insulis.* de regulis, vt scil. *Monachi non admittantur ante decimum octauum annum ad professionem, eò quòd in illis Insulis durior est Monachorum congregatio.* Quæ ratio etsi habere locum à fortiori videatur in Carthusianis, non solùm in Insulis, sed etiam in continente habitantibus; nihilominùs ad illos non extenditur, quidquid dixerit Panormitanus ad illud cap. n. 3. Eiusmodi possunt multa exempla similia manifesta adduci, sed sufficiant hæc.

17. *Manifesta conclusionis ratio.* Ad rationem conclusionis veniamus; ea autem est meo iudicio in re morali manifesta; nam cùm Legislator, si voluisset comprehendere in primo exemplo v.g. omnes Clericos concionantes, tam facilè potuisset dicere, *Quicumque Ecclesiasticus, aut quicumque Concionator talia & talia dicens puniatur*, ac dixit, *Religiosus*, &c. manifestè ostendit mentem suam non fuisse comprehendere alios non religiosos, esto in aliis eadem sit ratio. Et hîc habet locũ notabile tertium à me suprà positum; nã cùm ille potuerit pro suo libitu vel omnes comprehendere, vel nullum, vel hos præ illis, aut è contrario; quod, quæso, maius & euidentius indicium esse potest se noluisse comprehendere omnes, quàm quòd Religiosos specialiter nominauerit? Si dominus aliquis tribus aut quatuor famulis dicat, *Veniat Antonius huc vt me comitetur*, numquid non manifestè ostendit se non obligare Franciscum, vt veniat, siue eadem ratio comitandi sit in Francisco, quæ in Petro, siue non? Idem ostendo ex cap. 1. de temporum ordinatione in 6. vbi cùm fuisset posita ratio generalis vitandi periculum, ne aliqui homines facinorosi & ignoti Episcopis ordinarentur ab eis extra proprias terras: quæ ratio ad omnes omnino Episcopos non solùm per similitudinem genericam, sed specificam & quasi per identitatem extenditur; nihilominùs Pontifex solùm mandat, vt nullus Episcoporum Italiæ ordinet vllum vltramontanum sine testimonio proprij Episcopi: quem textũ fere omnes sentiunt non extendi ad Episcopos vltramontanos respectu Italorum ordinandorm, aut ad Italos Episcopos respectu Italorum hominum, etiamsi ex locis remotis venirent, v.g. ex Siciliâ Mediolanum; cùm tamen ibi fortè esset maius periculum quàm ex vicino loco Germaniæ Mediolanum; quia maior est ibi distantia quàm hîc: & verò Pontificis animum non fuisse tunc nisi illum casum comprehendere videtur euidens, quia alioquin planè otiosè, & dando occasionem dubiis & scrupulis, imò & vt materialiter operarẽtur contra legem, addidisset eam vocem *Italiæ*; nónne breuiùs clariúsque dixisset, *Mandatur Episcopis?* &c.

Idẽ probatur ex cap. 1. de tempor. ordinat. in 6.

18. *Confirmatur id ipsũ è legibus ciuilibus.* Idem dico eodem modo in ciuilibus legibus: nam si Imperator dicat, *Ne detur occasio grauiter decipiendi mentes, mando, vt tritici frumenti, quod vendendum est, pretium determinetur à Senatu*; certè non potest dici, quòd tunc Senatus cogatur etiam taxare pretium vini, olei, fructum, cucumerum, & tamen ratio est eadem in omnibus his rebus: ne enim dicamus Legislatorem ineptè restrinxisse, & quidem contra suum intentum, verba, cùm æquè facile fuit illi dicere, *vt omnia quæ vendenda sunt prius taxentur*; ne, inquam, id dicamus, necessum est fateri, eum voluisse vti eâ ratione vniuersali non in

Digitized by Google

tota sua latitudine, sed eam coarctasse ad certam materiam, ob aliquas particulares circumstantias; quibus meritò impelli potuit, vt eam rationem generalem huc applicaret, non illuc.

SVBSECTIO III.

Respondetur argumentis in oppositum.

19. *Suary obiectio ipsi Suario contradicit.*

VIdeamus iam quid possit contra hæc obiici: & in primis P. Suarez, qui eo cap. 3. n. 6. dicit, vbi est identitas rationis, seu (vt nos suprà explicuimus) vbi est similitudo specifica, ibi debere extendi legem, obiicit communem auctoritatem Canonistarum & Iuristarum, qui contrarium sentiunt. Respondeo in primis, ab ipso Suario ita contrariam conclusionem nostræ tradi, vt per limitationes & additiones, quas n. 19. & 20. ponit, planè in nostram sententiam relabatur, ac deserat sententiam, quam dicit esse communem. Respondeo Secundò, esse etiam multos qui contrariū sentiunt, quos ipso teste refert Tiraquellus in l. *Si vnquam*. verbo *Libertis*. à num. 2. Respondeo Tertiò, etiamsi in generali regula videantur illi omnes conuenire, tamen in casibus particularibus & exemplis à nobis positis ferè omnes nobiscum consentire; vnde cùm per ea exempla regula eorum generalis infirmetur, & vniuersaliter nostra confirmetur, maximè rationibus à nobis allatis, non est cur timendum sit, paucos aliquos plures habere contra se quàm pro se.

20. *Quædã regulæ iuris in 6. explicantur.*

Propriè ergo Primò obiicitur regula Iuris in 6. *In legem committit, qui verba legis complexus contra legis nititur voluntatem*. Respondeo, textum hunc non esse ad rem, quia in eo nihil de extensione ob similitudinem rationis, sed solùm traditur id, quod nos suprà docuimus, scilicet, sæpè ob varia alia signa & indicia debere verba legis accipi non in sensu, quem prima fronte præ se ferunt. Diximus quidem superiùs, rationem legis esse vnum ex his indiciis, at non propterea illa sola sufficit; vt si lex expresè faciat restrictionem, debeat tamen accipi ampliatiuè, alioquin, etiamsi in lege essent verba limitantia, vt si diceret, *Solùm volo hanc materiam*, deberemus contra ea verba omnes materias intelligere, si ratio eius materiæ esset generalis. quod absurdissimum est.

21. *Enucleatur cap. si postquam. de electione in 6.*

Secundò obiicitur cap. *Si postquam*. de electione in 6. in quo dicitur, *Si lex præcipiat alicui venire ad Curiam, intelligatur precipere, ne ille à Curiâ discedat ante finitum negotium*. Respondeo, in eo casu non extendi legem ob paritatem aut identitatem rationis, sed quasi ex ipsis verbis vocantis; nam, vt ibi habetur, præceptum fuerat, *Venias, vt hîc præsentialiter expedias tuum negotium*: vbi autem *vt expedias* est idem ac si esset secunda pars materiæ præceptæ; æquiualetque particulæ *&*, ac si diceret, *Venias & expedias*: si enim diceret quis alicui, *Venias huc, & comedas*, sine dubio mandat illi, vt veniat & comedat. Qui sensus tam est naturalis illis verbis, vt nulla sit ibi, propriè loquendo, nec apparentia extensionis.

22. *Respondetur cap. citato de Monachis in Insulis.*

Tertiò obiici potest auctoritas Gregorij suprà citata de Monachis in Insulis; nã ille Canon extenditur ad omnes Religiosos in Insulis, etiamsi non omnes propriè significentur nomine Monachi. Respondeo Primò, eam extensionem non admitti de facto, alioquin etiam Iesuitas ibi obligaret; quod tamen est falsum. Respondeo Secundò. Esto admitteretur, non fore propriam extensionem, quia vox *Monachus* communissimè significat omnes Religiosos, etiamsi solitarij non sint; sicut Monialis significat omnes feminas religiosas; vnde hæretici nomine Monachismi omnes omnino comprehendunt Religiosos.

23. Quartò obiicitur l. *Cùm mulier* ff. soluto matrimonio: vbi cùm dixisset, *mulierem, quæ mariti lenocinia adulterata fuerit, non priuari dote*, subiungitur, *audiendum esse, qui dixerit ex mente legis virum non posse accusare vxorem in eodẽ casu*. Respondeo ibi non esse propriam extensionem ob rationem legis, sed in primo puncto contineri saltem explicitè secundum: si enim femina tunc non potest puniri priuatione dotis, ergo neque in hoc puncto potest accusari à marito: quia in eo, in quo non potest quis puniri, nec potest accusari.

Excutitur l. Cùm mulier ff. soluto matrimonio.

In quo quis puniri nequit, nec accusari potest

Vrgebis: Lex non solùm dicit vxorem non posse in puncto dotis accusari à marito, sed absolutè non posse accusari; quod longè aliud est, poterat enim ei relinqui dos, & aliter puniri; & in ordine ad eam aliam pœnam accusari. Respondeo, non posse eam esse explicationem legis; nam tunc ratio legis quoad primam partem nullo modo faceret ad secundam; & consequenter improbabiliter ibi diceretur extendi materia ob rationis similitudinem. Patet antecedens; nam ratio, cur non priuetur dote, est, quia non debet in fauorem mariti, qui impulit ad illud crimen, auferri dos feminæ, & relinqui marito, Hæc autem ratio nullo modo habet locum in ordine ad hoc, quòd non accusetur ab eodem marito, vt puniatur aliâ pœnâ, quæ non sit in fauorem mariti; nam complex delicti potest alterum accusare. Meliùs ergo posset dici, ex principio naturali inferri, in eo casu non posse esse eam accusationem, quia ibi lex loquitur de accusatione contra vxorem, quasi fecisset marito iniuriam; atqui ex eâ suppositione legis, quòd scil. maritus eam impulerit, iam supponitur non esse iniuriã, quia scienti & volenti non fit iniuria; ergo altera pars non est ea extensio, de quâ hîc agimus, sed potiùs ostensio ex ratione naturali, quòd ea accusatio esset iniqua.

Cur mulier, qua mariti lenocinio adulterata est, dote priuari nequeat.

24. *An, & quãdo sèrètia Principis in casu vno particulari cõstituat legem in omnibus similibus.*

Quintò obiici potest; & difficiliùs: Nos diximus in superioribus, sententiam Principis in casu vno particulari constituere legem in omnibus casibus similibus; hoc autem non potest aliunde suaderi nisi ex similitudine rationis, ergo. Vrgetur, quia, sicut suprà diximus, eo ipso, quòd Princeps determinet aliquem statum personæ, non extendi legem ad alios status; ita deberemus in sententia dicere, eam non extendi ad alias personas, quia semper nominatur vna individualis, v.g. Petrus aut Antonius; vel certè è contrario, si in sententiâ non obest ea determinatio personæ, neque oberit in ipsâ lege.

Respondeo Primò disparitatem esse manifestam; nam sententia ex suo conceptu fertur circa determinatam personam. esto animus Legislatoris sit omnes in simili casu obligare: vnde cessat ibi argumentum. quod suprà fecimus, cur scilicet Legislator, si vellet obligare omnes, non fuisset vsus verbo vniuersali; nã lex contrario modo fertur quo sententia, scilicet vniuersaliter; vnde eo ipso debet Legislator comprehendere omnes; & non vti verbo restringente, ne det occasionem transgressionibus saltem materialiter. Secundò, & meliùs, respondeo, aliud esse loqui de

indiui

indiuiduo particulari humano fine aliâ circumstãtiâ, Petro v.g. aut Antonio; aliud verò loqui de multis sub certâ circumstantiâ omnibus cõmuni, & quâ ab aliis diuersificantur. In primo casu dico legem seu sententiam respicientem vnum indiuiduum extendi ad omnia alia indiuidua, in secundo casu id nego; in eo autem solo locuti sumus nos hucusque. Explico manifestè hanc disparitatem, & ex ea declaro integrè totã difficultatem. Petrus v.g potest considerari vt est quoddam physicum indiuiduum distinctum à cæteris aliis præcisè sine aliâ ratione status, nobilitatis, Sacerdotij, religionis, &c. in quibus possit cũ aliis conuenire, aut ratione quorum possit haberi maior de illo ratio, quàm de aliis hominibus non habentibus eam circumstantiã: potest item considerari vt vestitus aliquâ ex illis circumstantiis. Quæ duplex consideratio ad genus moris magni est momenti, vt euidenter ostendo; quia homines stante eadem indiuiduatione physicâ ex solâ mutatione earum circumstantiarum aliter longè considerant illud idem indiuiduum: nam idem Petrus non Clericus subiacet ciuili potestati, Clericus ab eâ eximitur; Religiosus factus etiam ab Episcopi auctoritate liberatur: si percutiatur quando est Clericus, delictum censetur alterius speciei, & alias pœnas meretur, quàm si percuteretur dum est laicus. Idem est in ordine ad æstimationem, honorem, &c.

25. *Quando lex aut sententia vnum respiciens extendat se etiam ad alia indiuidua, & quando non.*

Addo, quod magis est ad rem nostram, leges & sententias, etiamsi particulares sint, nullo modo considerare eam indiuiduationem physicam, quâ physicè ab aliis differt nec quidem partialiter; si enim Petrus homicida ad mortem damnatur, certè nec partiale motiuum eius condemnationis est, quòd sit hic homo & ille; habet enim se ad eam sententiam omnino per accidens solùm; ergo attenditur delictum & circumstantiæ aggrauantes aut diminuentes illud.

26. *Lex aut sententia particularis non considerat indiuiduationẽ physicã eius q; differentiam, sed circumstantiarum.*

Vnde in tali casu ea sententia dicit hoc virtualiter; Tale delictum tali modo factum meretur pœnam capitis, &c. vnde illa sententia facit legem ad omnes casus omnino similes. Et in hoc solo sensu potest admitti sententia communis de extensione legis; neque id à me negatum est in præcedentibus; semper enim posui aliquam diuersitatem aut circumstantiam, vnde lex meritò posset determinari ad hos potiùs quàm illos? nunc autem loquimur, quando deficit omnino talis circumstantia: si enim lex diceret, Petrus occidens alium iniustè occidatur ipse; certè tunc non possumus prudenter dicere eam legem solùm illud indiuiduum in particulari designasse; nam id esset planè iniquum; cùm ea differentia sit perinde ac si nõ esset in genere moris, & potiùs debeamus dicere positum per modum exempli, sicut nominatur Caia & Titius à Iuristis, & Petrus & Ioanes ordinariè à Theologis.

27. *Quando sententia nequeat trahi per modũ legis ad alios casus.*

Vbi vlteriùs aduertendum est, quod & suprà notauimus, si sententia ita feratur hîc & nunc in Titium & Caiam, vt vel partialiter videatur innixi non solùm substãtiæ facti, sed alicui eius circumstantiæ; v.g. damnantur, quia proditoriè occiderunt; aut nõ fit illis gratia, quia iam semel ob crimẽ incarcerati fuêre, & factâ eis gratiâ iterùm relapsi sunt; si tales, inquam, circumstantiæ ponantur, non posse vllo modo eam sententiam trahi per modum legis ad alios casus, in quibus ea circumstantia deest, etiamsi substantia facti sit eadem, & per alias leges puniatur; tunc enim id non fiet vi huius sententiæ, sed ratione alicuius legis, quæ eas circumstantias non requirit, seu nõ determinat.

Svbsectio IV.

Obseruationes quædam circa dicta.

28. *Doctrina hæc & in lege pœnali & fauorabili locum habet.*

ADuerte Primò, doctrinam hanc non solùm esse extendendam ad leges pœnales, vt scil. illæ solæ non debeant extrahi vltra sensum verborum ob rationis paritatem, secùs verò fauorabiles; eò quòd communiter dicatur, *Fauores sunt ampliandi, odia verò restringenda.* Aduerte, inquam, eo modo, quo lex comprehendit aliquam materiam aut personam, debere de illis intelligi, per se loquendo, in vtraq; lege tam pœnali quàm fauorabili; quâ verò verba ipsa excludunt aliquâ materiam aut personam, debere etiam excludi in fauorabili & in odiosâ: quando ergo dicitur, *Fauores ampliandi, odia restringenda*, summùm est id intelligendum intra significationem verborum, vt scilicet pro fauore accipiantur verba in totâ latitudine, pro odiis verò solùm in eâ, quæ est magis stricta, & propria: quod tamen ipsum ita intelligendum est, si non constet aliunde ex aliis indiciis de mente Legislatoris; nam in hoc sensu diximus sect. 1. posse, & verò sæpè debere accipi verba in significatione impropriâ, quia aliter lex illa iusta esse non potest; vel certè redditur friuola. Ad quod punctum valdè etiam potest iuuare ratio legis; quia illa est vnum ex indiciis per quæ mentẽ Legislatoris indagamus.

Qui sit intelligendum id scitum, Fauores ampliãdi. odia restringenda.

29. *Qui ratio legis possit esse regula, quam imitentur homines; & qualis.*

Aduerte Secundò, non negari à nobis, rationem legis posse esse regulam, quam homines in aliis materiis imitentur, licet non ex obligatione, tamen ex prudenti directione, & ,vt sic dicam, quasi consilium accipientes ab eâ lege. V.g. Princeps supremus mandat, vt ad vitandas deceptionẽs enormes taxetur à Republicâ pretium frumẽti, nihil præscribens de aliis rebus, posset tunc prudentissimè Magistratus ad imitationem eius legis etiam taxare pretium vini, olei, &c. in quo puncto nihil facit ex obligatione, sed ex directione; licet posteà populus suppositâ eâ taxâ iã obligetur nonvi prioris legis, sed vi eius mandati à Magistratu prouenientis, siue illud sit dicendum lex, siue non: quod per accidens est ad hoc punctum. Eodem modo frequentissimè Iudices diriguntur in causis ciuilibus & criminalibus, de quibus in particulari nihil est in iure dispositum; nã à paritate rationis ex casibus aliis decisis maximè affinibus aliis indecisis eos determinant: & hinc sæpè inducitur consuetudo & tandem obligatio, quæ non debet dici immediatè venire à similitudine rationis, sed à consuetudine; quæ etiãsi id induxisset sine præuiâ ratione simili, nihilominùs eodem modo obligasset.

30. *Ratione legis non expressã in ipsâ lege multò minùs licet extensio.*

Tertiò aduertendũ est, quando ratio legis non est expressa in ipsâ lege, multò adhuc minùs licere eam extensionem, quantumuis certò constet eâ fuisse permotum Legislatorem, quia, si quando ibi continetur expressè, non licet, quî licebit, dum non continetur? Addo vlteriùs, quod benè obseruauit P. Suarez cap. 4. n. 6. quando ratio legis non est posita in ipsâ lege, etiamsi certò constet ea permotum Legislatorem, tamen quia non potest discerni, quomodo ea applicetur ad materiam, & quo sensu eam Legislator vsurpauerit, etiamsi liceret extensionem facere ob rationem in lege expressam, non tamen licere, quando solùm est præsumpta.

Digitized by Google

31. *Extensio materiæ legis ob identitatem rationis variè appellatur à Iuristis.*

Aduerte Quartò, à Iuristis hanc eamdem extensionem materiæ legis ob identitatem rationis variis nominibus apellari, ac si essent diuersi modi, cùm tamen re ipsâ omnes ad eumdem reducantur, quem iam nos explicuimus. Primus vocatur *extensio per correlatiua*: debet autem hæc extensio de illis vt talibus formaliter accipi, v.g. de patre & filio, vxore & marito; nam si accipiantur materialiter, nihil ad rem præsentem ea relatio deseruiit: si v. g. vxor peccet, marito non peccante, non extendetur lex pœnalis in maritum, maximè quoad pœnas corporis; vnde ego addiderim, hæc correlatiua quà talia etiam planè videri impertinentia ad punctum legis, nisi fortè in aliquo extraordinario casu. Ratio est meo iudicio manifesta; nam hęc correlatiua sunt, vt sic dicam, diuersæ speciei, & consequenter diuersis principiis in legibus gubernantur: nã aliæ sunt obligationes parentum, aliæ filiorum erga parentes, aliæ mariti erga vxorem, aliæ vxoris erga maritum: nam licet inter filios & parentes soleant extendi leges. quæ ad infamiam, ad bona, &c. pertinent, id tamẽ independens est à puncto præsenti de extensione legis per similitudinem rationis; quando autem correlatiua fuerint sub eadem voce in lege comprehensa, tunc non per extensionem ex vno ad aliud, sed vi vocis ipsius ambo comprehendẽtur. Fortè aliquando sententia aliqua poterit extendi ad paritatem rationis, vt si filius alicuius rebellis & proditoris in Regem proscribatur eâ ratione, quâ filius illius, dicátque sententia, *Nolumus enim talis radicis vllum in Regno ramum manere*, tunc, si deinde alter filius compareat, censeri poterit etiam proscriptus, quia virtute ea ratio fuit vniuersalis in eâ lege.

Quid sit extensio per correlatiua.

32. *Extensio per radicationem plurium in eadem radice.*

Secundus modus, quem Iuristæ ponunt, est per radicationem plurium in eadem radice: si enim radix prohibetur, tunc omnia, quæ ibi radicantur, censentur prohibita. Verùm hæc non est extensio; aut enim lex expressè prohibet illam causam seu radicem, & tunc naturaliter ibi cætera excluduntur, quia exclusâ causâ excluditur effectus; id quod non fit per extensionem; vel licet duo mala ex eadem radice procedant, lex tamen determinauit prohibitionem ad vnũ ex illis, & tunc non censetur alterum prohibitum: vel denique dicere hi volunt, quòd prohibito vno vitio prohibeatur causa vnde illud manat; & tunc adhuc est distinguendum: si enim illud vitium necessariò oritur ex eâ causâ, procul dubio tunc illa prohibetur non per extensionem, sed, vt sic dicam, directè & immediatè: non enim prohiberi potest combustio domus v. g. nisi prohibendo applicationem ignis: quæ sola nobis est libera: ad combustionem enim in se non non habemus libertatem: vnde, sicut qui prohibet necem alterius, prohibet, ne illi dem vulnus lethale: quæ prohibitio non fit per modum extensionis legis, sed potiùs directè, etiamsi vtamur verbis magis significãtibus ipsum effectum quàm causam quæ prohibetur: ita in præsenti dicendum; Quòd si ea radix non infert necessariò effectum illum prohibitum, tunc non debet censeri prohibita ea causa, etiamsi prohibeatur effectus. V. g. ebrietas solet aliquando causare homicidia, non ideò absolutè ea prohibetur præcepto illo, *Non occides* nisi quando vel præuidetur vel timetur homicidium ex eâ ebrietate.

Hæc non est extensio.

Prohibito effectu nã semper causa prohibetur.

33. *Extensio per connexa quid.*

Hinc colliges aliam tertiam extensionem, quam ijdem vocant *per connexa*, & partim conuenit cum his secundis de causâ & effectu, seu radice & radicatis, partim cum primâ de correlatiuis, non aliter intelligendam quàm de his duabus locuti sumus, vt tunc ea quæ sunt connexa simul comprehendantur, quando vnum alterum necessariò infert; quia, vt dixi, prohibitâ vnâ re prohibentur omnia, quæ ab illâ inferũtur necessariò; si verò connexio tanta non sit, tunc vnius prohibitio non est prohibitio alterius.

Quarta eorumdem regula de extensione legis ex vno ad alterum casum, quando in lege ponitur exempli gratia vnus tantùm casus, posteà verò trahitur ad alios, iam est à me suprà declarata exemplo Titij & Caiæ: quod enim lex facit in personis nominando Titium & Caiam, facere potest in materia nominando vnam speciem, etiamsi totum genus comprehendat; vt si lex imponat pœnam contra omne iuramentum, potest exempli gratia dicere, *Vt si quis dicat, Iuro per Deum, per beatam Virginem:* vbi aduerto, facilè posse agnosci, quando lex ea materia particulari vtatur exempli gratia, quando verò restringendo legem ad illam materiam: si enim dicat, *Iuramentum puniatur; vt si quis iuret per Deum*, tunc ponitur exempli gratiâ; illa enim particula *vt si* significat esse pro declaratione: si autem lex directè dicat, v. g. *Quicumque iurauerit sine necessitate per Deum tali pœnâ puniatur*, tunc non censetur poni exempli gratiâ; ideóque non licebit tunc transferre ad iuramentum per Sanctos. Et sic in similibus casibus discurrendum erit.

Extensio legis ex vno casu ad alterum quid sit.

34. *Quid extensio in personis & locis.*

Quintam regulã de extensione in personis & locis satis declarauimus suprà; & ibi faciliùs colligitur differentia quàm in ipsis materijs: quod autem ad locum attinet res est clarissima; nam si lex dicat, *Qui in templo percusserit alterum sit excommunicatus*, non comprehendit percutientem extra templum. Dices, Potest extendi ad sacellum. Respondeo, illud etiam esse templum re ipsa, licet, quia paruum esse solet, habeat aliud nomen. In particulari autem disputare, quæ loca sub hoc aut sub illo nomine comprehendantur, est impertinens ad punctum præsens; & non potest nisi in particularibus casibus prudentum iudicio decidi, quia infinitæ quæstiones circa eas significationes in ordine ad legem moueri possunt; vt an cœmeterium intelligatur nomine templi; quid nomine ciuitatis, an etiam suburbium; quid nomine Aulæ Principis, quid nomine territorij, &c. discurrendo per omnia nomina locorum, quæ possunt per leges determinari siue in ordine ad fauores, siue in ordine ad odia.

Nomine templi etiam sacellum sumitur.

35. *Mens Suarij de extensione quoad tempus.*

De extensione quoad tempus dicit P. Suarez cap. 4. num. vlt. nullam esse difficultatem, quia lex tempus præteritum non respicit; in ordine verò ad futurum semper per se obligat, item ad præsens, quando iam cognoscitur lex: in hoc tamen non considerauit P. Suarez aliud esse, loqui de tempore, quo ipsa lex in actu exercito obligat, aliud verò, de tempore, quod potest habere pro obiecto seu materia. In quo puncto non video ego quid speciale sit in tempore præ loco; in quo tamen locum habere eam quæstionem de extensione admittit P. Suarez. Pro quo aduerte, sicut aliud est quærere in quibus locis lex obliget, aliud verò quærere, quando lex apponit pœnam pro re facta in tali loco, aut è contrario dat priuilegium pro actione aut pro personâ in tali loco existente, quid intelligatur nomine eius loci; ita eodem modo aliud esse quæ-

Declaratur vsus huius extensionis.

rere,

Digitized by Google

rere, quando obliget lex, & an in hoc patiatur extensionem, aliud verò, quando illa loquitur de tempore, quærere, an illud tempus debeat extendi. Explico: Lex dicat, *Tempori ieiuniorum non liceas hoc aut illud*, quæritur, an tunc debeat illud extendi solùm ad ieiunia Quadragesimalia, an ad alia totius anni. Item lex dicat, *Qui habuerit legitimam ætatem possit emancipari*, quæri potest, quæ tunc sit intelligenda legitima ætas: & eodem modo possumus alias leges loquentes de tempore iuuentutis, infantiæ, &c. adducere; nam in illis habet locum ea difficultas de legis extensione: ergo eadē est ratio dubitandi circa tempus quæ circa locum. Respondendum igitur est ei difficultati iuxta dicta de materiâ, loco & personâ, scil. si lex determinet certū tempus, non debere ob paritatem rationis ad aliud extendi, debereque accipi verba iuxta significationem naturalem, nisi aliunde constet aliter interpretanda iuxta ea quæ de interpretatione diximus sect. 1. neque in hoc puncto de extensione legis crediderim aliquid amplius vllius momenti desiderari posse.

Quando lex certum tēpus determinans non possit ad aliud extēdi.

Disputatio XXVII.

De restrictione legis per interpretationem & epieikiam.

1. DE restrictione legis nunc agendum: licet enim, dum de extensione & interpretatione egimus, eadem viâ de restrictione multa sint tradita, restant tamen nonnulla quæ hanc meritò exigunt disputationem.

Sectio I.

De restrictione legis per interpretationem.

1 CONCLVSIO PRIMA sit: Quando lex vniuersaliter loquitur, & ratio legis etiam se extendit ad omnes illos terminos sub vniuersali contentos, non potest lex restringi, sed vniuersaliter debet accipi; ratio est, quia tunc & verba & ratio legis resistunt restrictioni, ostenduntq; clarè mentem Legislatoris fuisse omnes eos casus comprehendere. Non ago iam de epieikiâ, quia ad hanc vsurpandam debet vel cessare ratio legis, vel certè alia potens in contrarium insurgere. de quo dicam sect. sequenti.

Lex vniuersaliter loquens, & ratio eiusdem ad omnes illos terminos sub vniuersali contentos, so extendens restringi nequit.

2. SECVNDA CONCLVSIO: Quando lex non potest accipi in generalitate verborum, in quâ lata est, nisi reddatur iniusta aut iniqua, aliúdve incommodum inde sequatur, necessariò debet ea lex restringi; hoc patet ex dictis sect. 1. de interpretatione legis; sibi enim ostendimus, ad vitandum eiusmodi absurdum, debere etiam ad sensus improprios recurri; multò ergo maiori titulo debebit restringi, quia id facilius est quàm sensum improprium quærere. V.g. lex absolutè dicit, *Omnes audiant Sacrum die Dominicâ*, verbum *omnes* absolutè nullum excipit; quia tamen iniquum foret, obligare cum dispendio vitæ infirmum vt ad templum veniret, restringitur ea lex ad non infirmos grauiter: & sic de aliis restrictionibus in hac & similibus legibus. Vbi aduerte, in hac conclusione me non dixisse sufficere ad restrictionem, quòd lex esset iusta, etiāsi restringeretur: id enim procul dubio non sufficit, quia lex præcipiens duas materias diuersas specie esset iusta; etiamsi vnam ex illis tantùm præcepisset; non tamē propterea licet eam ad vnam solā coarctare: requiritur ergo, vt, si non restringatur, sit iniusta; quia non debemus præsumere legem obligare ad id quod est iniustum.

Lex necessariò restringēda est, cùm accipi nequit in eâ verborū vniuersalitate quā lata est.

Sola legis iustitia nō sufficit ad restrictionem

Est tamen adhuc circa hanc conclusionem obseruandum simpliciter posse aliquid reputari iniustum aut quasi iniustum: vno modo, quia manifestè est cōtra rationem naturalem, & tunc extra controuersiam est, non posse ad id per legē obligari: alio modo, quia licet absolutè non sit iniustum, est tamen valdè durum, & prudenter quasi irrationabile reputatur: & in hoc casu etiā dicimus, per se loquendo, debere fieri restrictionem saltem per epieikiam (sed de hac dicemus sectione sequenti) quia non præsumimus Legislator velle obligare, quando res est adeò difficilis. 3.

Quid sit iniustum aut quasi iniustū.

Illud hîc specialiter discutiendum, an, quando ratio legis non extenditur ad totam materiam, quam verba significant, debeat fieri restrictio ad eam partem, in quâ ratio legis militat: nam in l. *Prospexit.* ff. qui & à quibus, dicitur, Si ratio legis non videatur procedere; vt si lex prohibet mulieri de adulterio accusatæ alienare seruos, ne quæstioni subiiciantur, dicitur, inquam, comprehendere etiam eos seruos qui sunt ordinariè in agro, & qui post adulterium sunt empti, esto hi testari de adulterio non possint. Ex aliâ verò parte communis valdè sententia contrarium docet; & ratio videtur ei suffragari; nam voluntas Legislatoris supponitur rationabilis, ergo non debet præsumi comprehendisse ea quæ ratione carent. Respondeo Primò, Si ratio non sit expressa in lege ipsâ, cessare quæstionem; quia tunc licet nobis non occurrat ratio adæquata pro totâ illâ materiâ, debemus tamen supponere eam fuisse; nec licitum est nobis tunc dicere, *Hæc sola ratio inadequata mouit Legislatorem ad talem legem:* si verò ratio sit expressa in lege, adhuc oportet distinguere: vel enim est ratio talis, quæ sit intrinseca & adæquata legi, hoc est, vt sola illa planè mouerit; item, vt legis materia per illam solam constituatur iusta; vel est solùm motiuum extrinsecum & partiale: si hoc secundum sit, dicimus non posse restringi materiam, etiamsi ratio non comprehendat illam. V.g. motiuum Ecclesiæ in præcipiendo ieiunio est mortificatio passionum; non tamen est intrinsecum: nam ipsum ieiunium in se intrinsecè, vt est quidam actus temperantiæ, est obiectum honestum & amabile; vnde, etiamsi illud motiuum mortificationis cesset, quia potiùs augentur in homine passiones piscibus & lacticiniis quàm carnibus, vel quia mortificatas habet passiones, non tamen propterea liberatur à ieiunio: & hoc probat ratio dubitandi pro primâ parte: hoc ipsum etiam persuadet lex ibi allata; nam finis ille, ne subiiciantur mancipia torturæ, fuit extrinsecus, non verò constitutiuus intrinsecè obiecti prohibiti: nam independenter ab eo fine posset honestè prohiberi tali feminæ accusatæ, ne venderet mancipia; quia potest, si delictum probetur, dos & vita ipsa illi auferri. Quòd si hæc ratio pro eā lege non placet, dic mediatè saltem in eā ratio-

Ratio non expressa in lege supponi debet esse adæquata.

Quid de ratione in lege expressa sētiendum.

Quodnam sit Ecclesiæ motiuū in præcipiendo ieiunio.

Digitized by Google

riâ locum habuisse rationem legis; nam licet illa mancipia, quæ in agro ordinariè habitarunt, non possint de adulterio testari, non tamen expediuit, vt semina posset illa vendere, nec eo prætextu fingendo ea fuisse in agro venderet etiam domestica: & sic daretur occasio tum aliquibus litibus, tũ fraudibus & veritatis occultationi: sæpè enim aliqua sunt vtilia ad finem, licet non sint simpliciter necessaria: lex autem intendens aliquem finem meritò potest comprehendere etiam eam materiam, quæ licet necessaria ad eum finem non sit, est tamen vtilis. Quòd si ratio legis sit omnino adæquata & constitutiua obiecti imperati intrinsecè in ratione honesti, tunc dicimus, cessante omnino eâ ratione in aliquâ materiâ, eam non comprehendi sub lege, quia non est præsumendum præcipi materiam, quæ ex se non habeat honestatem; & hoc dandum est communi sententiæ & probatur ratione factâ pro secundâ parte in ratione dubitandi.

Multa sint ad finem vtilia, non tamẽ ideò necessaria.

Non præsumitur ea materia præcipi quæ ex se non est honesta.

6. *Legislator nequit plus præcipere de materiâ quàm ratio complectatur.*

Obijcies Primò, Suprà diximus posse Legislatorem, etiamsi ratio sit vniuersalis, præcipere tantùm aliquam materiam sub illâ contentam; ergo è contrario poterit præcipere plus de materia quàm ratio complectatur. Respondeo negando sequelam, quia cùm ratio legis non obliget ad prohibendum quidquã de illâ materiâ etiamsi ad hoc faciat facultatem, potest pro libitu Legislator partem prohibere, partem non: at cùm è contrario nihil possit præcipi nisi sub honestâ ratione, eo ipso quòd constet non esse in materiâ aliquâ rationem honestam, censetur Princeps non voluisse eam præcipere.

Replicabis: Potest fieri, vt licet ea ratio, quam adducit in lege, non se extendat ad omnes casus expressos per verba, nihilominùs ille habuerit pro illis aliam rationem, quâ motus fuerit, ideoque nos debebimus semper illam præsumere.

Diluitur replica.

Respondeo, obiectionem non esse contra nos, quia in conclusione supponimus certò constare, nullam aliam esse rationem constitutiuam obiecti legis: id quod colligi potest ex ipso Principe, qui in ipsâ lege fatetur se non habuisse aliud motiuum præter hoc, vnde addiderim, si res sit dubia, tunc standum potiùs vniuersalitati verborum, quàm ea restringenda.

7. *An, & quando cessante motiuo legis in hoc aut illo casu particulari debemus dicere cessare obligationem legis?*

Obijcies Secundò, Ergo cessante motiuo legis in hoc aut illo casu particulari debemus dicere, cessare obligationem legis: quod videtur esse falsum, & contra communem sententiam. Respondeo, Si solùm finis extrinsecus cesset, dummodò aliqua in obiecto imperato honestas maneat, iam dictum à me paulò antè, legem tunc obligare: quòd si ita cesset, vt hîc & nunc nullo modo ea ratio locũ habeat, nec materia illa siue proximè siue remotè vtilis sit ad eum finem, & aliundè nullam habeat honestatem in se, non dubito, quin tunc lex non obliget ad illam; addo tamen difficulter id posse contingere, maximè quando exceptio est in vno tantùm aut altero casu indiuiduali: sed quia hæc & aliquæ aliæ similes restrictiones ad epieikiam potiùs spectant, ideò de eis commodiùs sectionibus sequentibus.

SECTIO II.

Quædam præmittuntur, vt explicetur cessatio per epieikiam.

8. *Duplex legis defectus est possibilis.*

LEx dupliciter potest deficere; Primò ex se; quatenus omnino vniuersaliter cessat ratio legis; vel nouæ aliquæ circumstantiæ occurrunt quæ materiam legis reddunt iniustam, aut saltem talem, vt hîc & nunc eximatur ab obligatione. Secundo modo, quia stantibus eisdem circumstantijs, ipse Legislator eam legem abrogat. Quilibet autem ex his modis potest esse duplex: vnus vniuersalis pro totâ Republicâ, alius particularis pro vnâ aut altera persona: agendum priùs de particulari, deinde de vniuersali. Aduerte quando particularis hæc non-obligatio legis prouenit ab expressa Legislatoris voluntate, dici dispensationem de qua inferiùs; quando verò cessat ex se ob defectum rationis legis, vel ob alias circumstantias, dici epieikiam: & de hac sola nos agimus in præsenti: de illa agit fusè P. Suarez à cap. 6. vsque ad 9. res tamen meo iudicio est facilis, & ex dictis sæpè in hac materia maiori ex parte discussa, ideò clarè, substantialiter & breuiter eam expediam.

Quid dispensatio & epieikia.

9. *Lex vniuersaliter vim suam retinet; cessare potest in hac indiuiduali occasione, vt & respectu huius aut illius personæ. Probatur id à lege ieiunij & audiendi Sacrum.*

Supponendum autem est, vndecumque id prodeniat, & siue hoc, siue illud requiratur, absolutè tamen posse legem, quæ in vniuersali retinet suam vim, cessare in hac indiuiduali occasione, & respectu huius aut illius personæ; siue etiam id vocetur epieikia, siue alio nomine. De hac doctrina sic posita nemo prudens dubitare potest: nam lex ieiunij, etiamsi maneat in suo vigore, vniuersaliter loquendo, non obligat infirmos grauiter laborantes: lex audiendi Sacrum die festo non item obligat infirmos & eos qui grauiter infirmis assistunt: & idem est in multis alijs legibus. id quod hucusque probatum sæpè & explicatum est.

10. *Ea cessatio non requirit expressam Legislatoris voluntatem.*

Secundò supponendum est, eam cessationem non exigere voluntatem expressam ipsius Legislatoris, aut alterius habentis etiam iurisdictionem qui eam legem explicet. Ita docet D. Thomas quæst. 96. art. 6. & 2. 2. q. 60. art. 5. & alij communiter. Id quod exemplis paulò ante in prima suppositione allatis manifestè constat; nam certum est, in illis legibus eas exceptiones non esse positas in ipso iure, sed prudenti Doctorum iudicio factas, & verò etiam alias sæpè fieri diuersis occurrentibus & rationibus & circumstantijs.

11. *Doctrina hæc respicit & præcepta negatiua & affirmatiua.*

Tertiò supponendum, doctrinam hanc locum habere non solùm in præceptis negatiuis, quæ obligant semper & pro semper, ideóque frequentiùs occurrere possunt occasiones, quibus homo liberetur ab eorum obligatione, sed etiam in affirmatiuis: nam licet hæc non pro semper obligent, contingere tamen potest, vt eo puncto aut tempore, pro quo obligatura alioquin erant, occurrat occasio, aut circumstantia quæ excuset, vt in præcepto audiendi Sacrum, & orandi Horas Canonicas, soluendi pecuniam debitam, &c. contingere potest: quòd si præceptum affirmatiuum non obliget pro aliquo certo tempore, tunc non ita facilè locum habebit hæc excusatio, quia expectari poterit aliud tempus, in quo possit executioni mandari id quod præcipitur; quia tamen contingere fortè potest, vt illud impedimentum duret valdè diu, poterit etiam in tali casu habere locum ea excusatio; ideò non dixi in hac vltima limitatione nunquam id posse contingere, sed *non ita facilè*.

12. *Triplex causa excusationis à lege. Primò, ob cessum alterius legis naturalis magis obligantis, aut alterius circumstantia.*

Quartò supponendum est tripliciter posse contingere eam excusationem. Primo modo, quia tunc ob concursum alterius præcepti naturalis magis obligantis, vel alterius circumstantiæ, non solùm non obligatur homo ad id quod lex præcipiebat, sed nec licitè illud facere potest.

Digitized by Google

sest. V. g. lex mandat vt ieiunem, si pericliter de vita,non solum non teneor ieiunare; sed nec licitè possum. Item lex generalis dicit, *Audias sacrum die festo*: excommunicatur quis publicè, iam non solùm non tenetur,sed nec potest licitè audire. Teneor restituere Petro gladium; video illum actum in furiam, velleque occidere innocentem, ob hunc finem repetere suum gladium, non possum eum tunc illi reddere. Eiusmodi possunt varij casus contingere in diuersis legibus.Et de hoc genere excusationis nulla potest esse ratio dubitandi, quin liceat; quia non potest esse obligatio ad faciendum id quod malum est. Quãdo verò ex hac aut illa circumstantiâ aut concursu alterius præcepti actio, quam lex prohibet, reddatur mala, non est hîc explicandum; breuiter tamen dico id fieri, quando, si actio non fieret, ageretur contra aliam virtutem hîc & nunc magis obligantem, siue id oriatur ex maiori necessitate oppositæ legis, siue ex maiori vtilitate materiæ, siue ex alio capite; de quibus iudicandum est prudenti iudicio in particularibus materijs,iuxta dicta tertio Tomo.

Quando reddatur actio mala, quam lex prohibet, ex concursu alterius præcepti, vel hac aut illâ circumstantia.

13. Secundò modo potest contingere ea excusatio, ita vt non reddatur actio legis mala, sed difficilis nimis & onerosa. Pro quo breuissimè reuocandum in memoriam est quod superiùs diximus agentes de materia legis positiuæ, non posse scilicet humanum Legislatorem imperare omnem materiam honestam,v. g. virginitatem, consilia Euangelica: posui etiam ibi exemplum in statione perpetua Simeonis Stylitæ supra columnam: & in vniuersum id dico de omni materia valdè difficili. Hinc ad propositum nostrum: si lex præcipiat materiam, quæ alioquin ex se proportionata est pro communitate,& consequenter prudenter præcipi potest, respectu tamen huius aut illius intolerabilis sit, aut grauissima;non potest sine dubio tunc Legislator obligare? vt in exemplis positis de excusatione à ieiunio in his qui grauissimè infirmantur,aut qui continuò laborant, vt se sustentent: idem est in præcepto audiendi Sacrum respectu eius qui ex poda gra grauissima iacet; quem prudenter non potest Legislator cogere vt eat ad audiendum Sacrum, aut, vt cum summa difficultate curet se vehi. &c. In hoc etiam modo excusationis non est vlla difficultas, quia si Legislator præcipere illum actum non potest, etiamsi velit, multò minùs censendus est homo obligatus, quando præsumitur Legislator nõ voluisse obligare, aut certè, quando non est fundamentum, vt præsumatur voluisse.

Secundò, ob difficultatem aut onus quod inducit.

14. Tertiò modo potest intelligi ea excusatio in casu quo reuerà Legislator potuisset obligare, si voluisset; quia res præcepta non est tam ardua, vt incapax sit obligationis; nihilominùs tamen ex aliquâ æquitate iudicamus illũ hîc & nunc non velle obligare, & fore contentum, si non fiat id quod verba legis præcipere videntur. Hic autem tertius modus est, in quo tota difficultas præsens versatur, an absolutè licitus sit; & quando.

Tertiò, cùm Legislator hîc & nunc non iudicatur obligare, etsi potuisset.

SECTIO III.

An ad epieikiam sufficiat cessare rationem legis in particulari materiâ.

15. COntingere potest, vt ratio legis vniuersaliter cesset in hac particulari materiâ, quæ adhuc manet licitè & suauiter etiam factibilis; inquirimus ergo, an tunc eo ipso per epijkiam debeamus iudicare cessationem legis. V. g. præcipit lex,ne portæ ciuitatis pateant,eò quòd hostis vicinus timeatur: certè etiamsi hostis non sit proximus hodie aut cras, tamen portæ licitè possunt esse clausæ, & verò eadem etiam cum facilitate,quâ, si hostis esset præsens; quærimus ergo, an tunc liceat portas relinquere patentes.

Status quæstionis.

SVBSECTIO I.

Duæ oppositæ sententæ.

IN quo puncto aliquorum sententia est, omnino licere, ac sufficere vt ea ratio cesset: qui pro se allegant D.Thomam 2.2.q.147.art.1.& 1. Verùm eis duobus articulis planè nec directè nec indirectè de eâ re agit; debuisset articulus quartus citari, vbi agit, an omnes teneantur ad ieiunium, probatque multos excusari; requirit tamen ad id, vt sit aliqua ratio iusta excusans: citatur itè pro eâ sententiâ Caietanus in Opusc. Tractatu 1.art.2.& Nauarrus in Summâ cap.16. num.37. Panormitanus in cap. *Quoniam* de probat.num.6.& in cap. *Quia in Insulis*.de regularibus, Angelus verbo *Lex*.num.4.casu 7.in eam etiam propendet Siluester q.8.& 9.ver.8.Adrianus quodlib. 2. Fundamentum huius sententiæ est, quia ratio legis est quasi anima legis; ergo ea deficiente deficit lex. Secundò, materia legis debet esse honesta; sed deficiente ratione cohonestante deficit honestas, ergo. Tertiò, deficiente generali ratione legis deficit lex generaliter, ergo deficiente ratione in particulari deficiet lex in particulari; quia sicut se habet ratio vniuersalis ad obligationem vniuersalem, ita ratio particularis ad particularem obligationem.

Affirmant quidam citãtes Diuum Thomam sed præpostere.

Triplex eorũdem ratio.

16. Contraria tamen sententia communior est; eam indicat D. Thomas loco citato; quia (vt paulò antè notaui) semper requirit aliquam positiuam rationem,quâ excusetur quis ab eâ obligatione, imò (vt dicemus paulò pòst) nimis multùm videtur requirere, vt liberetur quis ab obligatione legis. Eamdem tenet Caietanus 2.2. q. 120. Sotus etiam pro eâ refertur à P. Suario, qui eamdem defendit cap.7.Duo sunt huius sententiæ fundamenta: vnum, quòd si sola ratio cessat, & (vt diximus) manet adhuc honestum obiectum præceptum, lex illud præcipiens non indigebit emendatione;non enim est emẽdatio, vbi nõ est aliquis defectus. Atqui epieikia,iuxta Aristotelem, non habet locum, nisi quando lex peccat,ergo in tali casu non habet locum epieikia. Hæc tamen ratio debilis valdè est, quia in tertio casu epieikiæ,quem præcedenti subsectione posuimus, & admittitur à Suario & alijs auctoribus huius argumenti, absolutè & simpliciter potest fieri etiam licitè actus præceptus, & Legislator potuit etiam obligare ad illum tunc faciendum, ex æquitate tamen censetur cessare obligatio; ergo sine peccato legis, quod haud dubiè in eo casu nullum est, potest esse locus epieikiæ. Quòd si dicas, esse peccatum largo modo,quatenus ea res esse videtur contra æquitatem; Contrà manifestè, quia eo sensu etiam dicam, eo ipso quòd cesset legis ratio esse contra decentiam, obligare ad illam materiam; quia contra æquitatem videtur esse,obligare sub peccato ad faciendum hîc & nunc aliquid quod est hîc & nunc inutile; ergo ratio hæc nulla est.

16. *Negatiua est communior.*

Duplex basis opinionis huius.

Euertitur prima ratio.

Secundò probari solet,& fortiùs,à posteriori, quia

Digitized by Google

quia sequerentur grauia incommoda ex eâ sententiâ v.g. excusari à ieiunio illum qui non sentit passiones, propter quas mortificandas impositum illud est. Item fornicatio posset censeri non prohibita in casu, in quo cessaret periculum malè educandæ prolis; ob quod solùm censetur mala.

Secunda ratio melior, sed exemplis malè sumta.

Hæc ratio fortior quidem est, exempla tamen duo, quæ affert, non videntur efficacia; nam in ieiunio non solùm attenditur mortificatio, sed aliqua imitatio Christi patientis vel cultus alicuius Sancti. Quæ ratio semper habet locum in omnibus. In fornicatione etiam nulla est difficultas, quia si ex illâ potest instâtia desumi, etiam sequeretur, nec cessante ratione, saltem contrariè, posse vmquam esse epieikiam; quod tamen expressè hi auctores admittunt. Sequela patet, quia fornicatio etiam cum periculo vitæ non est licita; & tamen contra legem ieiunij sine dubio licet comedere in eo periculo, & vti epieikiâ: ergo ex præceptis naturalibus, quæ sunt omnino immutabilia, non benè adfertur instantia ad leges positiuas mutabiles, in quibus non præsumimus Legislatorem voluisse obligare, nisi cùm esset causa iusta.

18. *Eneruatur & tertia ratio.*

Tertia ratio, quâ simul respondetur contrariæ, ea est; nam licet cesset in particulari materia finis Legislatoris quoad rem ipsam, non tamen quoad vim obligandi: honestum enim est, etiam deficiente eâ ratione, obligare in plurimum homines: id quod voluit Legislator, qui licet præuiderit eam rationem aliquando non habituram locum, vniuersaliter tamen voluit obligare. Hæc item ratio mihi videtur infirma, quia in eâ supponitur id quod debet probari, scilicet in eo casu manere vim obligandi; item & Legislatorem velle tunc obligare: hoc enim formalissimè nunc in dubium vertitur, & videtur potiùs negandum quàm asserendum, ob rationes pro primâ sententiâ latas; quæ adhuc suam vim retinent.

SVBSECTIO II.

Quid sit probabilius.

19. *Priori sententia adhæret auctor, sed limitatè sumpta.*

EGo, vt verum fatear, etiamsi iudicem nonnihil esse communiorem hanc secundam sententiam, in primam tamen, vt in probabiliorem propendeo, si cum aliquâ limitatione sumatur: vnde DICO PRIMÒ: Quando purè putè aliqua actio solùm præcipitur aut prohibetur ob finem aliquem distinctum ab illâ, & non attenditur simul aliqua intrinseca honestas, quæ in eâ actione independenter ab eo fine reperiatur, longè probabilius esse, omnino cessante eo fine in particulari casu, etiâ in illo cessare obligationem legis. Quâ de re aliquid dixi suprà agens de lege in communi, & nunc ostendo aliquibus exemplis, quæ mihi videntur ab omnibus, si res prudenter consideretur, admittenda. Nam si prohibeatur v.g. per generale præceptum instar legis in aliquo Monasterio, ne quis se exponat ad fenestras versus plateam, propter ædificationem, aut ob vitandum periculum turpis aspectus, certè non videtur probabile, si quis in mediâ hieme in summis tenebris, sæuiente & pluuiâ & vento, vbi certissimò illud periculum cessat, peccaturum illum contra eam legem. Similiter, si ob seruandum secretum negotium aliquod graue, prohibeatur quis loqui de eâ re, quis dicet eum peccare, qui solus in medio aperto campo de eâ loquatur demissè; & tamen ibi est vera loquela, & talis, quæ, iuxta dicta suprà, sufficiat ad incurrendas pœnas in hæreticos externos impositas, si eodem modo hæresim suam quis prodat. Similiter, si gestare noctu arma sit prohibitum putè putè ad vitandas contentiones, & sciret quis vel ex reuelatione vel aliunde, nullum planè exiturum eâ nocte ex domo, aut (quod magis me iuuat) sciret se solum esse in ciuitate, omnes alios esse procul inde, quis diceret hunc peccaturum, si portet tunc arma? Quartò (& secludamus alioquin scandalum; nam ob hoc fortasse quis tenebitur sæpe etiam cessâte ratione legis) si miles vigil in mœnibus, qui tenetur totâ nocte excubias agere, intelligeret ex Angelo, certò & infallibiliter eâ nocte nullum penitus hostem aut amicum accessurum ad ciuitatem, numquid non posset licitè dormire? Eodē modo in multis alijs exemplis intentum idem probari potest. Et in hac conclusione sic positâ locum habet ratio facta in confirmatione primæ sententiæ, quia ea actio in se non habet bonitatem, nisi vt ad talem finem conducit; ergo, quando cessat euidenter ille finis, etiam cessat honestas; & consequenter planè inutiliter & impertinenter hîc & nunc videtur imperari; & verò non potest tunc suppositâ eâ certitudine de defectu rationis, prudenter præsumi Legislator habuisse voluntatem obligandi.

Tertium, de prohibitâ armorum gestatione.

Quartum, de vigilijs.

20. *Legislator nō imperat actionem, quando non est vtilis, fieri, vt pariatur assuetudo in vtilibus.*

Dices: Potuit id imperare, vt homo, dum eam actionem ponit, etiam quando non est vtilis, facilè assuescat ad eam faciendam quando est vtilis. Sed contrà, quia hæc ratio non potest esse vmquam prudens motiuum legis, nisi in rarissimo aliquo casu: alioquin, vt assuesceret Sacro quis diebus Dominicis, teneretur illud audire diebus profestis; & vt assuesceret diebus prohibitis abstinere à carnibus, deberet alijs diebus abstinere; & sic omnes dies essent sub obligatione; quo dest planè ridiculum; & cessaret ipsa assuefactio ad præcepta, quia omnia essent sub præcepto. Aliam probationem huius sententiæ vide sect. 6. subsect. 3.

Obijcies: Matrimonia clandestina sunt prohibita solùm ob fraudes & lites, quæ possunt postea oriri; & tamen, etiam in particulari casu cesset illud periculum, non propterea ea matrimonia licita sunt, ergo. Respondeo hanc instantiam nimiùm probare; etenim non solùm non sunt licita ea matrimonia, quando præcisè cessat ratio motiua legis, sed nec, etiamsi in contrarium sint grauissima pericula, cùm tamen pro præsenti quæstione admittatur ab omnibus licitam esse epieikiam, saltem quando est aliquod graue onus aut periculū in obseruatione legis: ergo instantia ea nimiùm probat. Respondeo Secundò, in hoc casu manifeste ostendi, non cessare motiuū legis; hoc enim non est, ne suboriantur postea lites, sed, ne possint suboriri: hoc autem periculum ibi non cessat; nam quantumuis de præsenti coniuges vehementer se ament, sintque summè coniuncti, potest postea suboriri dissidium & occasio quærendi diuortium: cui periculo oportet prouidere ea clandestina vbique prohibendo, imò & irritando. Quare autem lex irritans non cesset graui vrgente periculo diximus suprà.

Cur non sint licita matrimonia clandestina.

Motiuum legis clandestina matrimonia prohibentis.

Probatur cōclusio ab exēplis Primum, de prohibito prospectu è Monasterio.

Secundum de seruatione secreti.

SECVNDA CONCLVSIO: Quando actio imperata habet ex se intrinsecā honestatem quam possumus probabiliter suspicari consideratā à Legislatore, vt in ieiunio supra diximus respondēdo instantiæ secundæ sententiæ, & in Religionibus in multis actionibus reperitur; simul enim & ob honestatem, quam in se habent, & ob

21.

alium

Quando non cessat obligatio cessare, etsi in hoc aut illo particulari casu finis extrinsecus cesset.

alium finem, ad quem ordinantur, imperantur; vt silentium, quia in se est quædam magna mortificatio Deo placens, & simul est medium ne teratur tempus pro alijs occupationibus assignatum. In talibus ergo casibus non censetur cessare obligatio, etiamsi in hoc aut illo casu particulari cesset finis extrinsecus; quia tunc non cessat omnino ratio quam Legislator considerauit; insuper tunc manifestè apparet, illud obiectum adhuc manere dignissimum vt imperetur: ergo tunc meritò possumus præsumere de volitione Legislatoris. Et in hoc sensu secundam sententiam puto debere defendi;; & hoc solùm probant eius argumenta, si aliquid valent: neque contra illam sic explicatam vrgent è contrario quæ pro primâ fecimus; nam in eis supponitur cessasse tota ratio legis: hîc autem loquimur in casu contrario. Per hanc etiam conclusionem responderi potest nonnullis instantijs, quas fortè aliquis afferret, in quibus, cessante ratione legis, non tamen cessat obligatio: in eis enim ratio legis vsurpatur pro motiuo extrinseco, & aliunde relinquitur simul in materiâ legis honestas, quæ partialiter est considerata à Legislatore.

22. *An deficiente causâ etiam partiali cesset effectus.*

Obijcies tamen specialiter: Non solùm cessat effectus, quando tota causa cessat; sed etiam quando vna ex partialibus, esto maneat alia partialis. Ratio est facilis, quia per solam eam partialem non potest conseruari effectus: ergo si finis ille extrinsecus est motiuum saltem partiale Legislatoris ad inducendam obligationem, non poterit ea obligatio manere deficiente eo fine extrinseco, etiamsi maneat aliqua honestas extrinseca in ipsâ actione: ergo duæ hę cõclusiones non benè cohærent inter se. Respondeo, licet in causis physicis deficiente vnâ causâ etiam solùm partiali deficiat effectus; in moralibus tamen, seu in ordine ad motiua voluntatis, rem non ita ordinariè contingere: quia etiamsi voluntas videatur sæpè moueri solùm partialiter à duobus finibus, aut à duabus honestatibus, propter quas amat aliquod obiectum materiale; tamen quando erga illas benè afficitur, facilè permanet in volitione illius obiecti materialis saltem per distinctum actum, etiamsi alterutter finis cesset: sic qui facit haustum ob sitim extinguendã, & ob sanitatem, facilè etiam quocumque ex illis finibus cessantibus bibet, dummodò solùm cesset negatiuè vnus ex illis finibus, & non sequatur aliqua difficultas grauis, quæ valdè arduum reddat obiectum materiale: at si vterque finis cesset, cessat etiam volitio, licet nihil in contrariũ insurgat: neque iam valdè curo, an propriè eo tẽpore quilibet ex illis finibus sit dicendus causa partialis, an etiam totalis: quod ad modum loquendi pertinere poterit, maximè si per actus distinctos amentur.

In physicis cessat effectus deficiẽte etiã partiali causâ, secùs in moralibus.

23. *Quando censenda sit manere legis obligatio, etsi motiuũ adæquatum Legislatoris hic & nunc cessare videatur.*

Tertia Conclvsio, Quando finis extrinsecus, qui est motiuum adæquatum Legislatoris, ita videtur cessare hîc & nũnc, vt tamen contingens aliquo modo sit, etiam occurrere posse eius occasionem, aut certè periculosum ex se est omittere eam actionem, censeri adhuc debet manens obligatio legis. V.g. narratur quasi omnino certum, hostem recessisse à ciuitate hac nocte, eo ipso videtur cessare ratio legis aut præcepti mandantis non aperiri vlli prorsus de nocte portas; quia tamen in similibus occasionibus maximæ & frequentissimæ solent esse deceptiones, & dum publica fingitur fuga, insidiæ solent esse viciniores, nullo modo licitum est portas aperire. Similiter scit quis etiam certò intra vnam horam nullum fore hostem, non potest abire ad bibendum vel ludendum eâ horâ, quia sæpissimè, dum homo putat se non nisi vnâ horâ mansurum, inaduertenter occupatur duabus, tribus; aut certè calore lusus, haustus, vel conuersationis non attendit ad tempus: & graue deinde superuenit malum: oportet ergo, vt eâ etiam horâ maneat ibi. Et ad obligandum ad similes actiones honestissima ratio datur ex parte Legislatoris; nã illud morale periculum dignissimum est quòd vitetur per actionem illam imperatam, etiamsi in eâ non sit vlla alia maior ratio honestatis: & hoc do etiam secundæ sententiæ: ac per hanc limitationem possunt explicari multi casus, in quibus videtur manere obligatio etiam cessante motiuo legis. Per hoc tamen nihil dico contra primam conclusionem, quia in eâ locutus sum, quando ita cessat ratio legis, vt omnino moraliter cesset omne periculũ: vt patet in casibus, quos in eâ conclusione adduxi: quòd si fortè illi non possint ita moraliter contingere, vnde etiam nec moraliter haberet locum ea conclusio, seruiet certè ad cognoscendum speculatiuè pũctum difficultatis, præterquam quod aliqui ex illis sæpè possunt contingere, & præter illos possunt excogitari alij multi similes valdè etiam contingentes.

Illustratur id appositis instantijs.

Combinatur hæc conclusio cum prima.

Sectio IV.

Illationes quædam ex dictis: vbi, quomodo cesset obligatio, quando occurrit ratio in contrarium.

24. *Cessante ratione legis & in superinsurgente difficultate cessat obligatio legis à fortiori. Caietani opinio.*

EX dictis præcedenti sectione infertur, quando cessat ratio legis, & insuper è contrario insurgit difficultas alicuius momenti, à fortiori cessare obligationem legis. In quo puncto nobiscum est P. Suarez vbi suprà, & aliqui etiam ex his qui in primo puncto fuêre contrarij: solus Caietanus 2.2.q. 129. art. 1. videtur id negare; docet enim; præterea requiri vt lex non possit licitè obseruari; tunc enim solùm admittit non obligari ad illam. Cui sententiæ satis videtur fauere D. Thomas locis suprà citatis, vbi, quandocumque ponit exempla, in quibus homo liberatur ab obligatione, loquitur, casu quo iniquum esset legem obseruare. Pater Vasquez disput. 176. num. 19. & sequentib. eamdem ferè defendit. Nihilominùs in hoc puncto hærendum ampliùs non est. Vide quæ dixi sect. 2. vbi ostendi sæpè, etiamsi opera sint honestissima, Legislatorem tamen non habere potestatem ea præcipiendi, etiamsi vellet; deinde, etiamsi posset, nolle tamen de facto: vt patet in præceptis multis, v.g. ieiunandi, audiendi Sacrum: à quibus, iuxta communem ferè omnium Doctorum sententiam, liberantur multi ob difficultates aliquas; quibus tamen non obstantibus, si ipsi subditi vellent, possent & ieiunare & audire Sacrum, etiam sine peccato. Ratio à priori huius veritatis est, quia Legislator humanus non censetur velle vti in suis præceptis omni rigore quo potest, sed sæpè admittere, vt eius præcepta nõ seruentur, quando inde sequitur aliquod graue onus; etiamsi ipse in particulari non exceperit illum casum in suâ lege, eò quòd esset impossibile omnes casus excipere. Maximè autem locum habet hæc doctrina, quando res præcepta non ordinatur vt medium necessarium ad magnum aliquod bonum, vt v.g. audire Sacrum, ieiunare: nullum enim inde aliud emolumentum speratur

Legislator multa opera etiam honestissima præciperenequit, etsi vellet, neque vult de facto, etsi posset.

Ostenditur vbi hæc doctrina potissimùm valeat.

Digitized by Google

speratur, nisi quod est in ipsâ obseruatione præcepti. Quod noto propter casus aliquos, in quibus Princeps obligat ad res valdè graues, vt milites ad vigilias nocturnas in grauissimis frigoribus, & allis etiam periculis, id enim fit ob necessitatem grauem totius Reipublicæ: hic autem rigor non supponitur in alijs materijs quæ non habent sibi annexam eam vtilitatem, Cui doctrinæ non repugnat D. Thomas, qui agens de ieiunio expressè ob tales rationes fatetur excusari pueros ante vigesimum primum annum à lege ieiunij; & idem etiam dicit de laborantibus, facientibus iter, &c. quod verò aliquando posuerit exempla, vbi obedire legi esset malum, non obest; hoc enim ideò fecit, vt clarè ostenderet dari sæpè locum epieikiæ ponendo eos casus, qui à nemine negari possent,

Conciliatur nobis D. Thomas.

25. Secundò ex dictis infero, malè aliquos putare, damnum ex obseruatione præcepti secutum, quodque facit locum epieikiæ debere esse commune; etenim in exemplis suprà positis de ieiunio & auditione Missæ clarè ostendi, solùm ob priuatam molestiam illius qui aut ieiunare aut audire Sacrum debebat eum liberari, id quod in multis alijs legibus potest ostendi.

Damnum ex obseruatione præcepti secutum etsi non commune facit locũ epieikia: nec requiritur vt grauamen sit proprium obseruaturi legem.

Tertiò infero, etiam eos falli, qui putant necessarium esse vt grauamen illud sit proprium eius qui erat obseruaturus legem. Constat enim etiam pro iuuando infirmo, pro coquendis pro familiâ cibis & similibus excusari hominem sæpè ab obligatione audiendi Sacrum.

Excusamur à lege ob periculum bonorum non solùm acquisitorum, sed & acquirendorum.

Infero Quartò, etiam eos falli, qui putant neminem excusari, nisi periculum illud quod imminet sit corporale; non autem sufficere, si sit in materiâ bonorum: etenim si comburatur mihi domus, sine dubio potero accurrere, & incendiũ extinguere, etiamsi negligam Sacrum & idem est in alijs multis casibus.

Infero denique, non esse necessum (vt & alij putant) damnum hoc temporale excusans esse in bonis iam acquisitis, sed sufficere etiam in acquirendis, V. g. si lucrum aliquod grande deberem negligere audiendo Sacrum, possum licitè illud omittere, ne lucrum amittam.

26. Dices: Ergo poterunt homines non seruare præcepta; vt suis lucris attendant. Respondeo negando sequelam sic vniuersaliter positam. Pro quo aduerte dupliciter posse illud lucrum sperari; vel ita, vt si hæc occasio huius diei Dominici v.g. negligatur, eo ipso pereat lucrum quod sperabam: & in hoc casu nos admittimus nõ teneri illum audire Sactum, si alioquin lucrum sit magnum & iustum. Vel sperari lucrum potest ita, vt licet mediam illam horam insumam audiendo Sacrum, & res aliquantulùm differatur, poterit tamẽ postea obtineri: & hoc sensu negamus licere non seruare præcepta. Adhuc tamen vrgebis id: Quod rusticus negligit non arando agros suos die Dominicâ, aut non laborando, non potest compensare alijs diebus; nã in eis habet lucrum nouum respondens illis diebus; quodve responderet, etiamsi laborasset die Dominico; ergo, quod diei Dominicæ responsurum erat numquam compensat, ergo licebit illi non seruare Festa. Respondeo Primò (& hæc solutio sit pro totâ hac obiectione) in his casibus non posse locum habere epieikiam; cùm enim hæc, de quâ iam agimus, fundetur in præsumptione voluntatis Legislatoris, non potest habere locum quando ipse Legislator expressè considerans illã difficultatẽ, vult nihilominùs ea non obstante obligare. Certum est autem, eam difficultatem, quæ ordinaria est respectu omnium (vt in eâ obseruatione diei festi) consideratam esse à Legislatore, & nihilominùs voluisse, vt non laborarent rustici, ergo. Respondeo Secundò, illud ipsum otium esse vtile hominibus, ne labore continuo frangantur, & deinceps possint constantiùs laborare, ac etiam plus lucrari. Nos autem loquimur de casu extraordinario, & quem nec Legislator præuidit; nec in eo censetur voluisse obligare ob lucrum singulare tunc occurrens; quod si negligeretur, non posset postea facilè compensari.

Respondetur replica & adæquatè toti obiectioni.

Licéne præcepta negligere lucri gratiâ; & quando.

Ex multe Legislatoris obligatio legis cumprimis est ponderanda.

Ipsum etiam otium hominibus quandoque lucra infert.

Hîc autem restabat declarandum, quando illud lucrum & grauamen erit sufficiens ad eiusmodi epieikiam. Verùm hoc pendet ex circumstantijs propè infinitis, & spectat ad materias particulares de ieiunio, de diebus festis, &c.

SECTIO V.

Quanta debeat esse certitudo de cessatione rationis legis, vt homo excusetur ab eâ seruandâ.

27. MAteriam hanc magnâ ex parte expediuimus Tomo 3. agentes de conscientiâ dubia & probabili; ideò breuiter tantùm eam doctrinam huc applicabimus, & vnum vel alterum punctum huius loci proprium; simul expediemus.

Quædam hic supponuntur. Explicatur quæstio.

Supponenda autem est ea communis diuisio cognitionis in certam, probabilem, dubiam; nam de omnibus tribus hîc erit agendum. Supponendum item, propriam huius loci quæstionem esse, an sit in his casibus necessum consulere ipsum Legislatorem, an non; vel, an in aliquo ex illis; & quis ille sit.

Certa cognitio de excusatione à lege sufficit ad eam non seruandam.

Circa punctum ergo primum, quod ad tertium Tomum spectat, DICO breuissimè, Si detur cognitio certa de excusatione, eam omnino sufficere. In hoc puncto nullum potest esse dubium; nam cùm ostenderimus, aliquando eam excusationem habere locum, nulla autem possit esse maior cognitio quàm certa, non potest non illa sufficere. Quæ doctrina eodem modo vim habet, siue causa, cur cessat ea obligatio, siue, quòd materia legis sit iam illicita, siue, quoòd sit intolerabiliter grauis, siue, quòd sit eo tertio modo (quem diximus ad epieikiam sufficere) difficilis; quia si certitudo est de quacumque ex causis, cùm alioquin quælibet sit sufficiens in se, etiam certitudo sufficiet, solúmque id debebit specialiter obseruari; quòd si est certitudo de mutatione materiæ in iniquam, tunc non solùm non tenebitur quis eam legem seruare, sed nec poterit: hæc tamen differentia iam non ad punctũ cognitionis, de quâ hîc, sed ad dicta superiùs spectat.

Certitudo de mutatione materiæ in iniquam non solùm excusat à lege, sed & obligat ad eam non seruandam.

28. SECVNDÒ DICENDVM, Si cognitio sit probabilis, sufficere etiam vt homo tutè possit non seruare legem; quia docuimus eo loco, posse licitè quemlibet sequi opinionem probabilem, etiamsi sit minùs tuta: neque circa hoc aliquid amplius addendum puto.

Cognitio probabilis tutos nos reddit in non-obseruatione legum.

TERTIÒ DICO, Si dubia sit excusatio, non posse quem liberari ab obligatione legis, quia in dubijs sequendum est id quod tutius est, nisi alicui faueat possessio, vt fusè eo loco tractari in præsenti tutius est seruare legẽ quàm nõ seruare; & aliũde nõ fauet subdito possessio, imò resistit, quia potiùs stat pro lege: illa enim possidet certâ obligationẽ, excusatio verò dubia est, ergo.

Dubia excusatio neminem eximit ab obligatione legis. Quæ in dubijs tutiora sint sequenda; & quando. Quando possessio stet pro homine, & quando contra.

Dixi

Digitized by Google

Dixi enim eo loco tunc possessionem stare pro homine, quando dubium est an intrauerit, vt sic dicam, obligationem; tunc verò stare contra illum, quando certum est intrasse obligationem, dubium verò an sit ab eâ exemptus; at eo ipso quòd lex est valida, & materia est ex se capax, certum est, iam hominē obligari eâ lege, dubium verò an excipiatur ab illâ: ergo possessio stat contra illum, id est pro lege.

29. Aduertendum tamen est, pro hoc tertio puncto multum interesse, an dubium hoc sit tantùm de excusatione ab obligatione legis, manente tamen adhuc iustè eâ materia obseruabili; in hoc enim casu nos locuti sumus; an verò dubium sit, vtrùm ea lex iam non solùm non obliget, sed nec licitè possit seruari; in hoc enim casu homo est in dubio quasi inter duo mala: nam & dubium est, an seruare legem sit peccatum; dubium item, an è contrario non seruare sit peccatum. In hoc ergo casu respondendum est, vt & diximus eo tertio Tomo, debere hominem tunc ex illis duobus eligere id quod absolutè vt minus malum proponitur, aut contra virtutem hîc & nunc minùs obligantem: v. g. lex positiua præcipit, *Non comedas carnes die Veneris*; dubius esset quis, an non comedere sit contra obligationem naturalem de vitâ sustentandâ: in hoc ergo casu, quia præceptum naturale fortiùs obligat quàm positiuum, deberet tunc eo ipso comedere carnes; quia in dubijs id quod minus malum apparet eligendum est: item, concurrente lege naturali & positiuâ semper illa præualet, quia immutabilis; & quia secunda hæc debet se illi primæ accommodare, non contrà. Hæc circa dinersitatem cognitionum.

Quando ex duobus dubijs vnum, & quodnam eligendum sit.

Lex naturalis semper positiua præualet in concursu.

30. Iam circa secundum punctum proprium huius loci, an liceat vti eâ scientiâ certa & probabili circa excusationem independenter à Legislatore, an verò debeat quis eum consulere, maximè si id commodè facere possit: nam si vrgeat tempus operandi, & non possit ille adiri, sine dubio non erit obligatio adeundi; quia tunc habet locum, quòd possit licitè quis sequi opinionem probabilem; vtitur enim tunc bonâ fide, cùm nihil negligat, quod valuerit facere. Est ergo quæstio, quando vel non vrget occasio operandi, sed potest, donec consulatur Legislator, differri; vel certè, si vrgeat, adest etiam ibi Legislator, & consuli potest. Hæc difficultas videtur reduci ad punctum de cognitione solum probabili aut dubiâ, quando scilicet tam seruare quàm non seruare apparet vt peccatum. Si enim cognitio excusationis sit certa, frustrà à Legislatore consulitur; non enim est consulendus propter licentiam, quia independenter ab illâ cessat obligatio; non propter declarandam causam cessationis, quia si hæc est euidens & certa, non requiritur maior declaratio. Tota ergo difficultas deuoluetur ad casum cognitionis probabilis & dubiæ.

An sit consulendus Legislator circa eâ scientiâ certam & probabilem, cùm ad commodè fieri potest.

Ob quæ consuli non possit Legislator.

31. Moderni aliqui, quos sequitur Vasquez eâ disp. 176. à num. 19. distinguunt in casu iudicij probabilis duos modos epiekiæ. Primus est quando ob præsumptam voluntatem Principis non obligatur. Secundus, quando ob præsumptam carentiam potestatis censetur obligatio cessare. In primo ergo casu dicūt debere adiri Principem non solùm quando potest, sed etiamsi non possit, quia tunc non peccatur, etiamsi seruetur lex; & aliunde certum est legem comprehendere illum casum, & non est certum, illum à Legislatore excipi; ergo debebit tunc ille interrogari, vt certò de eius voluntate constet. Opinio hæc quoad hanc partem vltimam, quando scilicet non potest adiri Princeps, iam est reiecta suprà; diximus enim, quando quis nihil negligit, quod tunc possit facere, vt veritatem indaget, ideòque non possit censeri affectans ignorantiam, & aliunde habet probabile iudicium, quòd non teneatur, omnino posse sequi etiam minùs tutam sententiam. Deinde in hac ipsâ doctrinâ non videntur auctores hi consequenter discurrere, vt ostendo paulò pòst, refutando eorum doctrinam quoad secundum casum; nam in primâ parte huius primi casus fortè conueniemus: igitur dicunt, Si dubium sit de potestate Legislatoris circa eam materiam, non esse necessum illum consulere, etiamsi commodè possit; quia quid Legislator possit, non debet ab ipso peti, sed ratione probari: ergo, si habeo probabilem rationem, quòd ea materia sit extra illius potestatem, non teneor eum consulere, vt diximus; ergo neque si præsens, quia præsentia vel absentia non mutat certitudinem iudicij.

Opinio recentiorū & Vasquez.

Cùm nequit adiri Princeps, & probabiliter se iudicat non teneri, excusatur à lege.

Arguūtur hi in consequentia.

Altera eorūdem opinio.

32. Dicendum tamen Primò, discurrendum esse eodem modo, siue cognitio probabilis sit de defectu potestatis, siue de defectu voluntatis; nisi fortè, quando ex defectu potestatis sequeretur, non posse licitè eam materiam seruari. de quo paulò pòst. Probo assumptum eadem ratione, quâ auctores hi vti sunt paulò ante; nam etiamsi dubium sit de potestate, licitum tamen est, per se loquendo, seruare eam legem; esto enim, qui mihi ieiunium imperat, non habeat iurisdictionem, ego tamen licitè possum ieiunare: deinde constat certò, quòd verba legis illum casum comprehendant: ergo per iudicium incertum de defectu potestatis non excusor, sicut non excusor per iudicium incertum de voluntate Legislatoris, vt hi auctores paulò antè argumentabantur, ob quod dixi eos non seruare consequentiam. Neque verum est quod dicunt de potestate, scilicet non esse interrogandum Legislatorem; nam licet id non sit necessarium, quando res est certa, tamen quando est incertum, ipsemet melius sciret dicere quid possit quàm ceteri alij: & verò cùm res sit licitè factibilis, & Superior velit obligare, tunc tenetur subditus obedire; nam eo tempore præualet ius Superioris; ergo tunc etiam vltimò reducitur tota quæstio ad voluntatem ipsius: ergo debet non minùs in vno quàm in altero casu consuli, aut certè in neutro.

Licitè possum ieiunare, etsi mihi ieiunium imperans iurisdictionem non habeat.

33. Dicendum Secundò, probabile esse in neutro casu teneri nos consulere Principem. Contrarium sentit P. Suarez cap. 8. num. 9. vbi eam dicit esse communem sententiam: nescio tamen cur id dicat, cùm solum Caietanum & Sotum citet eius auctores; cæteri verò indiscriminatim dicant, licere vti opinione probabili, etiam minùs tutâ, solùm verò requirant consuli Superiorem, quando ita dubia est exceptio, vt non formetur iudicium probabile de illa. Argumentatur præterea Suarez, quia non debet quis ab obligatione certâ excusari per iudicium incertum: hæc tamen ratio plus iusto videtur probare, scilicet numquam licere sequi opinionem probabilē minùs tutam; quia etiam tunc est certum, si fiat id quod lex præcipit, non esse peccatum: est etiam certum quod lex obligationē saltem in communi inducat; non est autem certa excusatio, ergo.

In neutro casu tenemur Principem consulere.

Refellitur Suarij argumentum primum.

Dices: Eo ipso quòd excusatio sit probabilis, manet incerta obligatio, ergo malè supponimus; tunc esse certam obligationem, incertam verò

34. *Occurritur obiectioni.*

Digitized by Google

excusationē. Sed contrà, quia hoc ipsū ego dicā in nostro casu, malè scilicet supponi certam esse obligationem, cùm excusatio ab illâ incerta sit. Neque obest quòd verba sonent aliquid vniuersale; semper enim ibi intelligitur hæc limitatio. *Nisi hoc vel illud obsit*: vnde si non sit certa carentia eius limitationis, non est certa obligatio; ergo difficultas communis est ad omnem vsum opinionis probabilis minùs tutæ tutiore reiectâ: id quòd maximè habet locum, quando quis ex eâ conscientiâ videtur operari contra præceptum naturale; quod tamen licitum est, vt & ipse P. Suarez alibi optimè defendit. Et per hoc absolutè respondetur argumento, negando tunc hominem à certâ obligatione per incertam excusationem liberari. Secundò argumentatur; nam inordinatum est vti coniecturis, & propter illas solas relinquere verba legis, quando potest haberi certa notitia mentis Legislatoris. Respondeo negando antecedens, quando coniecturæ sufficiunt vt formetur iudicium probabile; etenim tunc homo non operatur temerariè, neque ad maiorem certitudinem quærendam tenetur; vnde communiter docetur, eum, qui in materiâ naturalis legis habet iudiciū probabile, quòd res aliqua licita sit, non teneri, etiamsi possit, quærere aliam cognitionem euidentem: vnde argumentum hoc etiam videtur impugnare communiorem opinionem, quòd liceat sequi minùs tutam sententiam, dummodò probabilis sit.

Solis coniecturis nixus non operatur quis temerariè.

35. *Licitè sequimur opinionem probabilem, etsi minùs tutam.*

Iam ergo pro meâ conclusione sic argumentor: Licitum est sequi opinionem probabilem etiam minùs tutam, neque tenetur quis ad quærendam euidentiam in eâ materiâ: atqui in præsenti datur ea opinio probabilis, etiâsi ille homo non procuret euidentem sctentiam, quam potest habere, quia ad eam, vt dixi, non tenetur; ergo absolutè potest tunc operari etiam non consulendo Principem, cùm posset. Confirmo ratione suprà tactâ, quando Princeps non potest commodè adiri, licitum est sequi eam opinionem; ergo & cùm potest, licitum etiam erit. Patet consequentia; nam probabilitas opinionis eadem est in vtroque casu: quòd verò possit adiri, solùm ad hoc facit, quòd possit quis acquirere certitudinē; ad id tamen non tenetur homo; nam in lege naturali interpretandâ vtimur ratione probabili; neque cogimur adire Pontificem, vt per claues scientiæ decidat euidenter eam quęstionē. Quam rationem cùm tetigisset Suarez contra se, nullum tamen ei posteà responsum adhibuit. & sanè ego non video quod possit ei solidum adhiberi.

In lege naturali interpretandâ nemo cogitur adire Pontificē, sed sufficit ad hoc ratio probabilis. Ostenditur, quando Princeps sit adeundus.

DICENDVM TERTIÒ, Si dubium sit, an peccet quis seruando legem, an verò è contrario peccet non seruando, & possit Princeps adiri, omnino teneri adire Principem; quia in præsenti casu non habet ille qui sic dubitat, vt supponimus, vllum iudicium probabile, sed potiùs est anxius, ex vtraque parte timens malitiam, potestque ab eo dubio exire; ergo tenetur tunc Principem interrogare eâ de re.

36. *Ratio sit replica.*

Dices: Satis est, quòd ille tum faciat id quod inter ea duo apparet minus malum; ibi enim nullum esse potest periculum. Sed contrà, quia aliquando contingit, vt id quod apparet minus malum, sit tamen hîc & nunc magis prohibitum quàm oppositum; quia potest aliquando contrà præcepta positiua sæpè grauiùs peccatur quàm contra naturalia. Et vt exemplum omnino certum ponamus, grauius peccatum est non audire Sacrum die festo quàm mentiri; hoc enim solùm est veniale, illud mortale: si ergo quis in tali dubio esset constitutus, vt putaret, se vel debere mentiri non detegendo occupationem suam, vel, si detegat, neglecturum se Sacrum; certè si aliter non posset se expedire, potiùs in re ipsâ deberet omittere Sacrum quàm mentiri: & tamen si responsio data vera esset, certè cùm ex conscientiâ dubiâ illi appareret maius peccatum omittere tunc Sacrum, debuisset eâ conscientiâ durante potiùs mentiri: vnde licet, quando non potest aliter ex dubio exire, prudenter operetur, efficiendo id quod ei proponitur vt minus malum, quia sine dubio id ex se tutius est: at quia sæpè contingit, vt id quod minus malum apparet, difficilius tamen possit cohonestari, ideoque primo loco sit fugiendū, non potest ille dici prudenter operans, si dubium illud, cùm possit, non deponat: & in hoc solo casu censeo nos teneri ad consulendum Legislatorem.

Dubium malis minus eligendum.

SECTIO VI.

An cesset lex, quando vniuersaliter cessat illius ratio.

DIximus de cessatione legis in casu particulari, iam de cessatione vniuersali ex parte materiæ aut rationis illius; illæ enim mutationes, &, vno verbo, quidquid diximus posse contingere in casu particulari, possunt contingere vniuersaliter, vt scilicet materia, quæ anteà erat honesta, iam ob circumstantias reddatur vniuersaliter illicita, vel vt reddatur nimis grauis, vel denique vt cesset purè negatiuè motiuum legis. V.g. imponit lex tributum pro ædificando ponte, absoluitur pons; iam eo ipso cessat vniuersaliter ratio illius legis. In his ergo casibus quærimus quid sit dicendum.

37. *Qui fieri possit cessatio legis vniuersalis.*

SVBSECTIO I.

Varia sententia, & quædam præmittuntur.

PRæsens difficultas duplex esse potest. Prima, an tunc omnino cesset lex. Secunda, an cesset independenter à volitione ipsius Principis, vel, an ita sit necessaria ea volitio, vt tamen tunc cogatur Princeps ad eam habendam. Multi auctores indistinctè loquuntur, dicuntque cessare legem eo ipso quòd cesset ratio ipsius; ita à fortiori dicent omnes illi, qui sentiunt, cessante eâ ratione legis in particulari, cessare etiam in particulari obligationem legis: nā si particularis cessatio rationis infert particularem cessationē legis, certè vniuersalis inferet vniuersalem potiori adhuc titulo; vnde multi, qui ibi illud negant, hîc tamen concedunt, vt Ledesma 2. par. q. 27. art. 2. dub. 3. ad 4. & q. 18. à dubio duodecimo, Couarruuias in 4. 2. part §. 9. num. 8. & in cap. *Cùm esset*. de testamentis, num. 9. & Caietanus 2. 2. q. 147. art. 5. Sotus tamen lib. 1. de Iustificatione q. 6. art. 8. censet non cessare tunc legem, nisi ex voluntate Principis, qui tamen tenetur eam tollere.

Duplex hic est difficultas.

Sententia quorundam vtrique confundens & affirmans.

Pater Suarez aliam viam ingreditur; supponit enim eam distinctionem duplicis materiæ legis, de quâ nos suprà; vnius scilicet, quando in se habet honestatem propriam, etiamsi ordinetur ad alium finem, vt ieiunij; quod in se est actus honestus, & simul ordinatur ad frenandas passiones; alterius verò, quæ purè purè habet honestatem,

38. *Suarij mens.*

eò

Digitized by Google

eò quòd sit vtilis ad aliquem finem extrinsecum; vt v.g. gestare arma propter periculum hostium, aut propter idem periculum claudere portas ciuitatis. In hoc secundo casu docet cessante fine extrinseco cessare legem, quia iam ea materia est incapax legis; nam licet possit ab aliquo ordinari in alium finem bonum, id tamen est per accidens ad eam legem, quæ nullo modo considerauit eum finem, imò si Legislatori nouus occurrat finis, ad quem eam possit ordinare, debebit id facere per nouam legem nouamque illius promulgationem; ideoque in hoc casu non censet vllo modo necessariam volitionẽ ipsius Principis; erga alteram verò materiam, quæ, ex se habet aliquam honestatem, censet non cessare legem, etiamsi cesset finis extrinsecus, quia tunc non cessat finis totalis seu ratio adæquata legis, quandoquidem manet ea honestas intrinseca, quam præcipuè considerauit Legislator.

Nota duplicem ab eo legis materiam distingui.

39. Quòd si obijcias, Quando Superior imponit præceptum ieiunandi ob aliquem finem extrinsecum, v.g. ob felicem successum alicuius negotij, aut belli, eo ipso quòd cesset ea ratio extrinseca, cessat etiam præceptum, quantumuis maneat intrinseca honestas in eo ieiunio; ergo idem erit in lege de eodem ieiunio; respondet negando consequentiam, quia respectu illius præcepti tota ratio præcipiendi est finis ille extrinsecus, non verò intrinseca honestas, cuius signum est, quòd transgressio talis præcepti non est intemperantia, sed inobedientia, secùs verò in lege, per quam primò intenditur honestas virtutis, sub quâ actus quasi essentialiter constituitur. Hæ sunt omnes in hoc puncto opiniones, de quibus quid sentiendum sit breuiter explico sequentibus subsectionibus: in hac verò prius

Soluit obiectionẽ sibi factam Suarius.

Hæc doctrina Suarij alibi reiecta.

Suppono hanc doctrinã vltimam Patris Suarez, quòd per legem ieiunij v. g. constituatur illud ieiunium vt necessarium ad virtutem temperantiæ, idque non efficiatur per præceptum particulare, à me reiectũ Tomo 3. vbi duo ostendi, & in primis licet vno nomine vocentur illæ abstinentiæ, vnde fortè aliqua occasio æquiuocationis promanere potuit, re tamen ipsâ duas esse virtutes valdè diuersas, & naturalem & eam quæ per legem constituitur: dixi enim totam temperantiam naturalem posse seruari; etiamsi quis easdem carnes comedat die Veneris, quas die Dominico: id quod ostendi fundamento ipso à quo desumitur honestas temperantiæ naturalis, ne scilicet plus comedatur quàm ad vitæ sustentationẽ conducit, ne noceatur sanitati, nè ve etiã homo videatur more bestiarum comedere: id quod comedens carnes die Veneris seruare potest: idem clariùs cernitur in præcepto naturali prohibente ebrietatem ob turpitudinem in cã repertã; cui præcepto nemo dicet contraire illũ, cui per legẽ vinũ esset prohibitũ, etiãsi modicissimè & sine vllo planè ebrietatis periculo eo vtatur.

Temperantia naturalis seruari potest etiam à comedente carnes die Veneris.

40. Dices, Si lex taxet pretium alicuius rei, erit contra iustitiam vendere illam cariori, ergo lex habet vim constituendi suam materiam vt necessariam ad virtutem naturalẽ, Respondeo negando consequentiam, quia in eo casu non prouenit ea iniustitia à lege quà tali, seu quà imperante, sed quà declarante, qualis sit valor illius rei, vnde, etiamsi per legem non sit taxatum pretium, si ego iudico illud esse condignum, etiam faciam contra iustitiam vendendo rem altiori. Pro quo aduerte, valorem rerum non esse in se quid certum & determinatum; vnde oportet vt per rectam rationem aut simul per legem determinetur; ideoque præcisè in materiã iustitiæ habet locum ea determinatio. At temperata comestio v. g. non debet taxari à lege, sed ea est, quam quis experitur sibi esse vtilem & sanam; lex autem, quatumuis mihi prohibeat vinum v.g. non facit vt illud modicè sumptum causet in me ebrietatem; vnde nec indirectè, sicut in materiã iustitiæ, potest ea lex efficere vt ego bibendo illud vinum peccem contra legem prohibentem ebrietatem. Quod mihi tam videtur clarum, vt mirer eas duas virtutes, naturalem & obseruantem legem positiuam prohibentem, confusas esse in vnam. Idem in virtute eleëmosynæ ostenditur; hæc enim, vt est virtus naturalis & obligans, solùm dicit dandam eleëmosynam necessariam, ne pauper extremè patiatur; certè, si præter hoc mandaretur, vt vltrà daretur in eleëmosynam aliquid, non posset quis dici peccans contra naturalem misericordiam, si daret id quo grauis necessitas paupertis subleuaretur, esto nollet dare illud amplius, quod per legem præcipitur. Sed de hoc puncto fusiùs ibi & suprà etiam sæpè aliquid insinuaui, quia sæpè ab aduersarijs vsurpatur ea doctrina contraria.

Curvalor rerũ aut rectâ ratione aut lege determinandus sit.

Lex caret vi constituendi suam materiam vt necessariam ad virtutem naturalem.

Ostenditur id ex virtute eleemosyna.

41. Secundò ostendi, si semel legi concedatur ea vis constituendi suam materiam vt necessariam ad virtutem naturalem, intra quam videntur esse actus præcepti, idem omnino esse dicendum de voto & de præcepto naturali; nam si ego comedens carnes in Quadragesimâ contra legem sum intemperans, planè eadem ratione, nisi gratis abutamur vocibus, debet dici intemperans Religiosus sancti Francisci de Paulâ eas per annum comedens contra votum, cùm in vtroque casu tam votum quàm lex intenderit eam honestatem abstinentiæ ibi repertam. Hinc infero, Patrem Suarez minùs benè in præsenti fecisse eam distinctionem inter particulare præceptum & legẽ; nulla enim ex eo capite desumitur disparitas: id quod sic specialiter confirmo: Nam sicut potest alicui particulari imponi præceptum ieiunandi purè ob aliquem finem extrinsecum (vt dicit P. Suarez) ita potest omnibus per legem idem imponi purè ob finem extrinsecum. V.g. vrgent grauissima bella, imponitur ieiunium singulis septimanis pro felice illorum fine; certè illa impositio est lex, eodem modo quo in hoc eodem capite impositionem tributorum ad ædificandum pontem vocat legem P. Suarez, & ponit pro exemplo legis imperantis materiam, quæ in se non habet intrinsecam honestatem, quæque cessat cessante motiuo extrinseco, nempe finito ponte: ergo etiam eodem modo lex illa de ieiunio finitis iam feliciter bellis cessabit, etiamsi materia ex se habeat aliam honestatem: & denique, quoad hoc non debuisset ex ratione præcepti aut legis disparitatem vllam sumere, sed potiùs ex intento Legislatoris imponentis ieiunium ob hanc aut illam causam, quæ communis esse potest tam ad legem quàm ad præceptum; nam etiam vni indiuiduo potest per præceptum imperari ieiunium ob honestatem intrinsecam sine alio fine extrinseco.

Item de voto & præcepto naturali.

Suarez nõ benè distinguit inter particulare præceptum & legem.

Vrgetur Suarez.

SVBSECTIO II.

Deciditur quæstio.

42. IAm hinc DICO PRIMÒ, si constet Legislatorem habuisse pro motiuo omnino necessario

Conclusio Prima.

Digitized by Google

ad imperandum aliquem actum ex se honestum, finem extrinsecum, ad quem ille actus ordinetur; v. g. si constaret ieiunium ita imperatum ab Ecclesiâ ob frænandas passiones, vt non imperasset illud, nisi eam vtilitatem agnouisset, dico, in eo casu, cessante omnino & per se eo fine, cessare etiam legem, eodem modo, quo quando materia non habet vllam in se honestatẽ: id patet in casu paulò antè insinuato de ieiunio imposito pro felici successu belli: talis enim lex sine dubio eo ipso cessat, quòd bellum feliciter finiatur. Neq; obest, quòd in ea materia ieiunij sit honestas, quæ sola potuerit mouere Legislatorem; nam eo casu fuisset lex alia diuersa ab hac de quâ loquimur, vt P. Suarez benè docet eo casu, quo materia in se indifferens præcipiatur tantùm ob vnum finem; nam licet tunc possit ob alium finem præcipi, id tamen deberet fieri per nouam legem. Quæ doctrina mihi verissima videtur, dubito tamen, an consequenter tradatur à P. Suario: nam eodem modo habet locum, licet in eâ materiâ legis sit aliqua honestas, quando tamen illa non est finis sufficienter mouens hîc & nunc Legislatorẽ; pro præsenti enim quæstione per accidens est amabilitatem obiecti esse intrinsecam aut extrinsecam, quia vtraq; teddit illud obiectum amabile, & vtraque etiam potest hîc & nunc non considerari à lege saltem, ita vt sufficienter moueatur Legislator.

43. *Secunda.*

DICO SECVNDÒ, Quando non constat expressè ex ipsâ lege, aut aliunde, semper debemus præsumere eam materiam, quæ habet intrinsecam honestatem, præcipi etiã propter ipsam, ita vt ea sit motiuum hîc & nunc sufficiens, licet simul attenderit Legislator aliud motiuum. Ratio est, quia (vt sectione primâ dixi) in similibus casibus, quando voluntas mouetur à duobus finibus distinctis, semper supponitur in quolibet ita delectari, vt etiam altero deficiẽte illud medium eligeret; vt in eo, qui & propter sanitatem & propter recreationem it spatiatum. In lege autem ieiunij, quæ posset aliquam difficultatem causare, etiã dixi suprà, habere vt præcipuum finem imitationem Christi, aut honorem Sanctorum; qui finis per se numquam cessat, quidquid sit de vtilitate ad frænandas passiones: qui solùm fuit extrinsecus & secundarius finis, quem Ecclesia in eo ieiunio intendit.

Voluntas mota duobus finibus ita eorum quolibet delectatur, vt etiã deficiente altero adhuc illud mediũ eligeret.

44. *Declaratur quando lex per se cessat.*

DICO TERTIÒ: Quando cessat ratio adæquata motiua Legislatoris, & materia præcepta non habet aliam honestatem quàm vtilitatẽ ad eam materiam, cessat per se lex, neque necessum est, vt ab ipso Principe reuocetur, vt dicebat Sotus. In hac conueniunt omnes suprà relati, excepto Soto, qui eam necessitatem excogitauit. Ratio est manifesta; nam tunc lex non cessat vi voluntatis Legislatoris, sed, vt sic dicam, à se ipsâ: ergo non est necessum expectare consensum Legislatoris. Consequentia est bona. Patet antecedens; nam lex vt talis, & vt obligans debet esse honesta, & ordinari ad bonum commune, ergo quando ea honestas & ea ordinatio ad bonum cessat, etiam eo ipso per se cessat lex, ita vt licet ipse Legislator vellet tunc temporis obligare ad eam materiam, non posset, nisi ordinando illam ad alium finem: id quòd deberet fieri per nouam legem & nouam promulgationem.

45. Obiicies tamẽ, dum egimus suprà de tributis, diximus, etiamsi cesset necessitas, ob quam Primò est aliquod tributum impositum, si tamen sit alia loco illius, posse Principem persistere in exactione eius tributi; atqui tunc materia eius legis solùm fuit bona ratione finis extrinseci, & non cessauit illo cessante, ergo idem poterit esse in aliis legibus. Respondeo, me solùm dixisse suprà, posse ea tributa protrahi; at non negaui id debere fieri per diuersã legẽ, imò, necessum id esse ibi supposui, quia illa noua volitio habet vim nouæ legis: quòd si populo non constaret de eâ nouâ volitione, non teneretur ea tributa soluere, si sciret certò cessasse causam, & non ei constaret de nouo fine: quòd si populus ignoraret causam, ob quam imponuntur, tunc fateor, licere Principi protrahere illa, dummodò noua esset ratio, esto nihil diceret subditis; quia tunc sufficeret prima promulgatio, nec necessum esset rationem eorum tributorum exponere: nam, per se loquendo, non est necessum vt subditi semper sciant finem & motiuum Legislatoris. Vnde addo, esto cessauerit prima causa & totalis, ad quam solùm attendit Legislator, & consequenter cessauerit lex, si tamen ob aliam causam vult protrahere obligationem eiusdem materiæ, nõ esse necessum quidquam de nouo significare populo, si hic ignorauit, quæ fuit causa vnica prioris legis, & consequẽter adhuc bonâ fide reputat perseuerare priorem legem; nam promulgatio solùm requiritur, vt homo sciat se obligari ad hanc materiã; quòd si id sciat, etiamsi ignoret motiuum, ob quod est ea obligatio imposita, non est noua promulgatio necessaria.

Deluitur obiectio.

Quando possit Princeps tributa protrahere causam ignorante populo.

Hinc colliges Primò, cur quãdo communiter cessat finis legis, non sit necessaria promulgatio cessationis, sicut è contrario fuit necessaria promulgatio legis; videbatur enim contrariorum eadem futura ratio. Disparitas ergo ex dictis colligitur: nam promulgatio ideò requiritur præcisè, vt subditi sciant, quid debeant facere aut vitare: quando igitur primò lex fertur, quia voluntas Principis est ex se occulta, debuit publicè manifestari; at cessatio legis ex cessatione communi causæ iam est per se nota & manifesta, ideoque non indiget nouâ promulgatione.

46. *Cur cessante fine legis non sit necessaria cessationis promulgatio, legis verò sit.*

Moueri tamen hîc potest dubium, an sufficiat eam cessationẽ causæ seu rationis notam esse vni aut alteri. P. Suarez videtur insinuare n. 12. id nõ sufficere, quia vt cesset lex pro communitate, debet esse toti communitati nota ea cessatio. Ego respondeo cum distinctione; Vel enim loquimur de scientiâ necessariâ, vt tota communitas sit libera ab obligatione legis, & tunc procul dubio tota illa debet scire, se iam non teneri, alioquin ex ignorantiâ peccabit: vel loquimur de scientiâ necessaria, vt vnus aut alter non peccet, & tunc dico, si causa iam cessauit vniuersaliter, quicumq; id sciat, eo ipso est liber ab obligatione; quia vt ipse sit liber, non requiritur scientia aliorum, sed præcisè, vt reuerà non sit iam lex, etiamsi solus ipse id sciat: fortè tunc ob vitandũ scandalum teneretur in præsentiâ aliorum seruare eam, aut saltem manifestare aliis causam, cur eam non seruet.

Sufficiatne cessationem causæ seu rationis vni tantùm aut alteri notam esse. Distinguit auctor.

Colliges Secundò, regulam superiùs datam habere locum non solùm quando finis extrinsecus legis erat vitare aliqua inconuenientia, sed etiã quando erat vtilitas aliqua positiua, quæ ex eâ materiâ legis sperabatur: nõnulli enim distinguunt ea duo, qui tamen non afferunt vllam rationem pro eâ distinctione, & reuerà nulla est; quia si vtilitas positiua cessat, tam manet materia illa, vt sic dicam, vacua ab omni honestate, quàm altera, quę ordinabatur ad vitãda incõuenientia, manet

47. *Improbatur quorundam error.*

Digitized by Google

Facilius cessat vtilitas positiua quàm omne periculum.

manet vacua cessante periculo. Imò addiderim, facilius posse cessare vtilitatem positiuam quàm periculum omne, quia saltem quasi remotè semper aliquid subest; ergo tam nō erit vna materia sub obligatione quam alia,& è contrario:frustrà ergo hîc distinctio quæritur : id quod verum existimo eodē modo, siue loquamur de cessatione particulari finis in ordine ad cessationem particularem obligationis, siue de cessatione totali causæ in ordine ad cessationem totalem obligationis;hoc est, si dicatur cessatio particularis periculi sufficere,vt quis in particulari non obligetur, eodem modo dicendum sufficere,si in particulari cessat vtilitas, & è contrario, si huius cessatio sufficit,etiam sufficere & illam.

An cessatio particularis periculi sufficias, vt quis in particulari nō obligetur.

48. *Materiā ex circūstantijs impossibili vel malā reddita consensus Principis non requiritur ad cessationem legis.*

Colliges Tertiò,à fortiori nō requiri consensum Principis & positiuam abrogationem legis ab ipsâ factam,quando non solùm cessauit ratio legis, sed è contrario ea materia ex aliqua aduenient circumstantiâ reddita est mala & illicita: in quo puncto etiam Sotus cum cōmuni sentit; non enim ibi requirit vllū Legislatoris consensū. Ratio est manifesta;nā tunc,velit nolit Princeps, non potest esse ibi obligatio : imò nec subditus eam materiā posset exequi:frustrà autem petitur licentia ad omittendum id quod malū est.Quòd si autem, licet non sit reddita ea materia mala, saltem facta est impossibilis; eodem etiam modo non erit necessarius consensus,quia,vt non faciā quod non possum, nullâ indigeo licentiâ.

Svbsectio III.

Quid si ratio legis cesset pro vnâ parte Regni: vbi magis ostenditur consequentia doctrinæ nostræ.

49. *Pro quâ parte Regni vel dioeceses cessauit ratio legis pro eadē cessat lex ipsa.*

Cōclvsio sit, Si contingat vt ratio legis cesset non quidem omnino vniuersaliter pro toto Regno aut Prouinciâ,sed pro vnâ aut alterâ notabili parte Regni,v.g.pro vna ciuitate,vna diœcesi,&c. eo casu obligationem omnino cessare pro eâ parte pro quâ cessauit ratio, non tamen pro aliis. Quæ doctrina non solùm à nobis, qui superiùs diximus cessante ratione pro vno indiuiduo etiam cessare obligationem pro illo, sed etiam ab aliis id ibi negantibus defenditur, specialiter verò à P.Suarez nu.vltimo, licet difficulter possint ipsi inter vnum & alterum casum disparitatem assignare ad discurrendum aliter in vno quàm in altero : fortè quidam dicent,vnum casum vel alterum indiuidualem non posse facere exceptionem;quando tamen in vnâ parte notabili Reipublicæ, quæ alioquin per se poterat sola esse capax legis,cessat ratio moraliter & per se,tunc etiam cessare obligationem. Solutio hæc differentiam aliqualem assignat;sed tamen,si res benè perpendatur, ea non est sufficiens; nam, vt se habet vna ciuitas ad totum Regnum,potest se habere vnus ciuis ad ciuitatem ; & sicut licet in vno ciue cesset periculum , semper iudicatur remotè saltem aliquid subesse,ita eodem modo dicere ego possum de vna ciuitate respectu vnius Regni. Item, sicut deficiente ratione in vno, censetur tamen , vtile vniuersaliter obligare comprehendendo etiam illum vnum; ita eodem modo deberet dici, deficiente ratione in vnâ ciuitatulâ, adhuc videri vtile vniuersaliter totum Regnum obligari,etiam includendo eam ciuitatulam. Denique sicut dicitur, illam legem pro toto Regno esse virtualiter multas leges,vnā circa hanc ciuitatem;alteram circa aliam, ideóq; optimè posse vnam perire altera manente; eodē omnino modo ego dico , legem esse virtualiter multa præcepta,vnum respiciens Petrum,alterum respiciens Paulum, ideóq; etiamsi Paulus liberetur in casu particulari, posse cæteros omnes manere obligatos. Ecce nulla inter vnum & alterū casū disparitas; quapropter nostræ duæ conclusiones magis videntur seruare consequentiæ filum.

Impugnatur aliquorum solutio.

Hic autem habet locum argumentum aliud, quod sectione secunda ad huius finem remisi:desumitur verò ex præcepto seu lege correctionis fraternæ:quæ lex cessat etiā in indiuiduo eo ipso quòd eo casu cesset vtilitas , quæ inde poterat sperari,id quod omnes fatentur.Nam si ego putē certò me nihil omnino effecturum corrigendo Petrum, non teneor illum corrigere;ergo cessare potest lex in indiuiduo cessante solùm in indiuiduo eius fine. Quæ est nostra doctrina ea sectione prima tradita ; quæque maximè consonat ei, quam huius subsectionis initio posuimus.

Lex correctionis fraterna cessat etiam in indiuiduo cessante vtilitate.

Valdè torquentur nonnulli hac instantiâ; quidam respondent primò legem correctionis fraternæ datā esse propter bonum priuatum singulorum,ideóque in vnoquoque cessare,quoties cessat eius finis;secùs in legibus, quarum finis est cōmunis & vniuersalis ; vt lex ieiunij,& similes. Hæc tamen responsio,si voluisset eam distinctionem boni priuati & publici seruare, non debuisset exemplum ponere in ieiunio , quia in hoc nō est aliud bonum publicum quàm bonum singulorum ; neque enim ex meo ieiunio quidquam resultat in Franciscum ; debuisset ergo vti exemplo legis iubentis gestare arma,vt defendatur ciuitas , claudi portas,ne hostis ingrediatur, solui tributa, vt viæ,pontes, &c. reficiantur : ibi enim habere locum posset ea ordinatio diuersa ad bonum commune quasi separatum à bono singulorum : nihilominùs tamen addo , eam ad rem præsentem omnino esse inutilem ; nam, si semel supponamus rationem cessare in hoc indiuiduo, idem omnino est , quòd illa ratio sit bonum publicum , quàm quòd priuatum : nam licet publicum,si verè speretur,fortiùs vrgeat quàm priuatum ; at si illud publicum hîc & nunc omnino cessat, vt supponitur,cur, quæso, magis obligabit ? Sicut leo si vnus sit sine dubio fortior est cane ; at si ambo sint iam annihilati, cur,quæso, magis vnus quàm alter timebitur,aut nocere poterit ? ergo ea disparitas non est ad rem. Secundò ea reiicitur, quia non est vniuersalis ; nam in lege ieiunij, audiendi Sacrum die festo ; & multis aliis , quæ non ordinantur ad bonum commune per modum vnius, sed diuisiuè , non censent tamen cessare obligationem , etiamsi cesset ratio in indiuiduo ; iam ergo assignent disparitatem inter eas leges & alteram de correctione fraternâ.

Reijcitur replica.

Sine ratio legis sit bonum publicū sine priuatum , si tamen cesset vtrumq; neutrū obligabit

51. *An in correctione fraternâ intercedat epieikia aut cessatio legis propter cessationem finis.*

Ideò alij secundò respondent , in correctione fraterna non intercedere epieikiam nec cessationem legis propter cessationem finis,quia est præceptum affirmatiuum, quod nō obligat pro semper,neque habet determinatum tempus, pro quo obliget ; sine ea autem determinatione non habet locū epieikia:quando ergo nō est spes emendationis , non cessat simpliciter obligatio præcepti affirmatiui corrigendi fratrem , sed ad aliquod tempus transfertur : sicut præceptum eleemosynæ obligat ad subueniendum indigenti;si tamen subuentio futura esset nociua,vel certò constaret indigentem ea non vsurum , non

Digitized by Google

obligaret præceptum; non tamen per cessationem rationis aut epieikiam, sed quia non esset occasio, pro quâ illud præceptum obligabat. Hæc solutio ingeniosa est & probabilis, puto tamen non satisfacere difficultati, sed potiùs aliquem in eâ circulum vitiosum committi: & in primis instantia ex eleëmosynâ desumpta eamdem habet difficultatem, & potiùs magis vrget argumentum contrà factum quàm ad eius iuuet solutionem. Ergo pro intelligentiâ meliori aduerte, etiam præcepta affirmatiua esse capacia cessationis per epieikiam, vt suprà ostendimus, & patet in præcepto audiendi Sacrum die festo, & in præcepto restituendi rem alienam, quâ parte dicit actionem positiuam ipsius restitutionis: licet fundetur in præcepto negatiuo, vt expressè Pater Suarez dixerat cessare obligationem restituendi hîc & nunc per epieikiam, si videam, rem illam futuram nociuam domino. Hinc argumentor, & quidem Primò in instantiâ eleëmosynæ: Etenim non minùs obligat virtus, eleëmosynæ ad eam dandam mendico quando indiget, quàm obliget iustitia ad reddendum gladium Petro quando possum; ergo sicut est epieikia non reddere illum, quando scio id futurum in detrimentum ipsius aut aliorum, eodem planè modo erit epieikia non dare eleëmosynam pauperi, quando indiget, si scio illi tunc futuram nociuam: vel, quæso, quid magis ad epieikiam facit, quòd desumatur ex detrimento futuro domino gladij, quàm quòd ex detrimento futuro pauperi, cui eleëmosyna est danda? aut, cur non erit tempus præscriptum pro eleëmosynâ illud quo indiget pauper, sicut pro reddendo gladio tempus est præscriptum illud quo possum?

52. Dices, quia præceptum eleëmosynæ semper includit conditionem, si scilicet sit futura vtilis pauperi. Sed contrà, etiam præceptum restituendi includit conditionem, *nisi restitutio cedat in grauius damnum domini*; ergo eodem modo habebit locum epieikia in vtroque casu. Hinc etiam argumentor: Præceptum correctionis fraternæ præscribit tempus illud, per se loquendo, quo ego possum illum reprehendere, & vt sic dicam, cum primum possum; sicut tempus præscriptum à præcepto audiendi Sacri est dies festus & Dominicus; ergo sicut per epieikiam propriam excusor à Sacro, quando malè valeo, aut debeo alteri negotio magni momenti attendere, ita etiam per epieikiam propriam excusabor à præcepto correctionis, quando iudico non futuram vtilem eam correctionem.

Respondebis, hanc conditionem subintelligi in ipso præcepto, ideò non reduci ad epieikiam. Sed contrà, quia eodem modo ego dicam, in ipso præcepto audiendi Sacrum includi eam conditionem, scilicet, *nisi graui morbo impediar*: & idem est in præcepto ieiunandi, vt scilicet abstineam à cæsibus, nisi grauiter infirmer; ergo ex hoc capite non potest desumi differentia inter vnum & alterum præceptum. Vbi aduerte, quando dicunt aduersarij, præceptum correctionis non obligare, nisi quando ea est futura vtilis, supponere id de quo est tota controuersia; ideóque suprà dixi, committi circulum; nam ego contrarium volo probare ex eâ doctrinâ: formo enim argumentum hoc modo: Lex ieiunij & audiendi Sacrum obligat Petrum, etiam quando illæ materiæ non iudicantur futuræ vtiles ad suum finem, dummodò ea vtilitas solùm in eo casu particulari deficiat; ergo similiter lex correctionis fraternæ obligabit Petrum, etiam quando ea non iudicatur; dummodò ea inutilitas solùm sit in vno casu particulari. Certè hæc paritas valdè fortis est, & cui non potest responderi nisi reddendo conclusionem pro ratione, vt redditur dum dicitur præceptum correctionis non obligare, nisi quando est vtilis materia, alia verò præcepta obligare, etiamsi materia non sit vtilis. Constet ergo argumentum hoc ab eo præcepto desumptum valde esse efficax pro nostrâ sententiâ.

53. Posset fortè aliter responderi Tertiò, illud præceptum correctionis esse naturale, ideóque non habere in illo locum propriam epieikiam vt nos docuimus suprà. Sed contrà, quia hoc est per accidens ad punctum præsens; iam enim non agimus, an sit capax epieikiæ ex eo capite, sed ex altero, quòd scilicet sit affirmatiuum. Contrà Secundò, quia ipsa præcepta naturalia, quando etiam feruntur per legem positiuam vniuersalem, capacia sunt epieikiæ, vt & nos suprà cum Patre Suario docuimus; quia tunc verba illa legis positiuæ, quæ exteriùs sunt vniuersalia, admittunt eam correctionem: atqui esto præceptum correctionis sit naturale, latum tamen est etiam per legem positiuam vniuersalem, quæque videtur denotare certum tempus, illud scilicet quo alter peccat: dixit enim Christus, *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te*, &c. & tamen hæc verba, quæ nullam habent exceptionem expressam, nos per æquitatem interpretamur, vt non sit corripiendus, quando non speratur vtilitas: quid ergo ibi, quæso, deest ad epieikiam?

54. Tandem Quartò responderi posset, eo casu non solùm cessare rationem legis quasi negatiuè, sed etiam eam actionem reddi malam; quia reprehendere illum tunc esset fortè dare illi occasionem vt peior fieret, vel certè esset actio otiosa. Sed contrà, quia etiamsi cesset periculum deteriorationis, dummodò non sit vlla spes emendationis, cessat obligatio corrigendi: quod verò de actione otiosâ dicitur non est ad rem; quia sicut in alijs materijs deficiente hîc & nunc omni vtilitate non censetur ille actus otiosus ab his auctoribus, quia propter conformitatem cum alijs, aut propter rationē generalem legis adhuc permanentem, dicunt illum posse imperari; cur, quæso, non dicent, ob eamdem rationem non esse otiosam eam correctionem, etiamsi hîc & nunc non sit futura vtilis? aut cur, quæso, erit inutile corrigere, quando non est spes emendationis, & non erit inutile gestare arma, quando non est spes vlla futuræ vtilitatis ex eâ gestatione? ego sanè nullam planè in his casibus disparitatem video, ideóque malo vniformiter in eis discurrere; vnde denique concludo, illud principium, *Sicut se habet totum ad totum, ita partem ad partem*, locum habere in præsenti, ideóque sicut cessante pro omnibus ratione totali legis cessat pro omnibus lex, ita cessante totali ratione pro vno, etiam cessare pro illo obligationem, siue iam dicendum sit epieikia, siue non; quod poterit ad quæstionem de nomine pertinere. Et satis de hac cessatione legis quasi ab intrinseco.

Refutatur hæc solutio quantumuis ingeniosa.

Præcepta etiã affirmatiua cessare possunt per epieikiam.

An sit epieikia non dare pauperi eleëmosynam, si sciam ei nociturum.

Soluitur replica.

Vrgetur aduersariorum mens, & reuocatur.

Tertio aliorum responsio, sed inualida reiicitur.

Præcepta naturalia etiã per legem positiuam vniuersalem lata sunt capacia epieikiæ.

Matth. 18.

Nec quarta responsio satisfacit.

Quisnã actus otiosus cessetur.

Vt cessante pro omnibus totali ratione legis cessat lex pro omnibus; ita & pro singulis cessante ratione totali legis cessat & lex ipsa.

Digitized by Google

DISPVTATIO XXVIII.

De essentiâ, materiâ, subiecto & formâ dispensationis.

1. DIXIMVS suprà, legem posse ab extrinseco agente tolli vel ex toto, vel ex parte: nam sicut per auctoritatem humanam introducitur, ita etiam per eamdem potest tolli. Totalis ablatio legis dicitur abrogatio, de quâ vltimo loco; nunc de partiali, in quâ dispensatio consistit. Quia tamen varia circa dispensationem occurrunt discutienda, ideò in aliquot disputationes res tota distribuetur. De dispensatione fusè P. Salas disp. 10. & P. Suarez lib. 6. à ca. 10. vsque ad 27. P. Vasquez disp. 178. & alij apud citatos.

Cessatio legis totalis vocatur abrogatio, partialis dispensatio.

SECTIO I.

Quid sit dispensatio, & an possit dari.

2. MVlta hic misceri solent de nomine; Primò, dum quæritur, an omnis ablatio legis sit dispensatio, de quâ nunc agimus; si v. g. pro vnâ aut altera Prouincia legem ob aliquas rationes Princeps tollat, an dicendus sit tunc dispensare. Secundò, dum quæritur, vtrùm dispensatio sit diuersa ab interpretatione: Tertiò, an ab epieikiâ. His ergo quæstionibus de voce relictis dicendum est, quando lex verè obligabat aliquem, & hic ob gratiam Principis aliámve rationem quæ alioquin sola non tollit legem, eximitur ab obligatione ex voluntate liberâ Legislatoris, tunc verè cum eo dispensari, & in hoc sensu vocem hanc accipi à Iuristis omnibus & Theologis in præsenti, vnde definiri solet, *Dispensatio est iuris communis relaxatio.* vel (vt alij volunt) *iuris humani*; quia etiam in particularibus statutis, quæ non sunt de iure communi dari potest dispensatio. Dices, E contrario etiam in diuinis legibus dari potest saltem ab ipso Deo dispensatio. Respondeo, propterea fortè meliùs definiri, si dicatur, *Est relaxatio iuris positiui.*

Circa vocem dispensatio possunt esse variæ quæstiones de nomine.

Quid sit dispensatio propriè accepta.

Definitio dispensationis.

3. Differt dispensatio ab absolutione tam à culpâ quàm à censuris, quia, hæc non est relaxatio iuris, sed condonatio conformis iuri; nam ipsum ius mandat, vt benè dispositis remittatur culpa, ideò ea absolutio propriè est obseruatio iuris. Quòd si clariùs rem velis explicatam, dic in eo differre, quòd culpa & pœna non est lex; vnde liberari à culpâ & pœnâ non est liberari à iure positiuo.

Quomodo differat ab absolutione à culpâ vel censuris.

Differt item à licentiâ simplici, quę v. g. in Religione datur alicui vt exeat domo; quia hęc propriè nec est nec dicitur dispensatio, sed positio conditionis quâ lex petierat; dicebat enim, *Nemo sine licentiâ foras egrediatur*: at dispensatio est directa exceptio ab ipsâ lege; vnde fit, vt ad licentiam non sit necessaria per se causa iusta, quæ tamen requiritur ad dispensationem, iuxta dicenda infrà. Fateor in hoc ipso puncto aliquid de nomine misceri posse; nam esto regula Religionis diceret, *Nemo exeat domo sine licentiâ ob iustam causam obtentâ*; adhuc eam licentiam exeundi non vocaremus dispensationem: ex alia verò parte saltem virtualiter videtur in omni lege apposita ea conditio, v. g. *Nemo habeat duo beneficia Ecclesiastica*, intelligitur, *sine speciali licentiâ Papæ*: vbicúmq; enim possibilis est dispensatio, necessum est vt intelligatur, *Nemo hoc faciat nisi intercedat dispensatio.* Hanc difficultatem tetigi suprà disp. 8. agens de dispensatione in lege naturali; & suas solutiones ibi assignaui ad ostendendum quomodo differat simplex licentia in dispensatione: videantur ibi.

Quomodo differat à simplici licentiâ.

4. Differt item dispensatio ab abrogatione, quia relaxari vinculum ex acceptione communi non significat idem ac omnino illud tolli; ergo dispensatio, quæ est relaxatio, differt ab abrogatione quæ significat totalem ablationem legis. Verum quidem est aliquando dispensationẽ pro illo, pro quo est, tollere omnino vinculum; vt si dispenset cum aliquo in perpetuum ne ieiunet: & in Hispania etiam dici potest dispensatum vt comedant die Sabbati intestina & extrema animalium, licet in perpetuum eâ dispensatio censeatur facta; sed ne de nomine diu contendamus, siue vocetur abrogatio, siue derogatio, siue relaxatio, iam constat quid per eam intelligamus.

Quomodo differat ab abrogatione.

Denique à priuilegio in eo sensu differt dispensatio, quòd aliquando priuilegium non est contra ius, sed præter ius; tunc autem non est dispensatio; quando verò priuilegium fuerit contra ius, tunc poterit meritò dici dispensatio. Sed de priuilegiis fusiùs infrà 5. vbi de hac diuersitate conuenientiáque disseretur.

Quomodo differat à priuilegio.

Denique quando dicimus dispensationem esse iuris positiui relaxationẽ, agimus non de ipsâ ablatione obligationis, hęc enim effectus est dispensationis, sed de ipso actu seu volitione Principis, qua respectu huius individui, cum quo dispensat, vult contrarium ei quòd primò voluerat, qua occasione disputari hic posset, quod sit obiectum eius dispensationis: sed de hac re satis multa diximus disp. 2. agentes de obiecto volitionis legislatiuæ: videantur ibi.

Quid intelligatur per relaxationẽ iuris positiui.

Hanc dispensationem dari posse communis est omnium sensus, idemq; ostendit frequentissimus vsus illius tam in legibus ciuilibus quàm in Canonicis: ratio etiá id ipsum suadet, quia Legislator, qui potuit, si voluisset, nullo modo imponere eam obligationem, & potest iam iterum auferre totaliter, sine dubio potest ex parte eamdem tollere in vno aut altero, maximè quando occurrunt rationes aliquæ, quæ eam obligationem videntur quodammodò exigere, etiamsi tantæ illę non sint, vt sine voluntate Principis non sufficerent ad iudicandum cessasse ablationem, seu non sufficerent ad epieikiam, de qua præcedenti disputatione.

5. *possibilitas dispensationis vsu & ratione probatur.*

Huic tamen veritati videtur D. Thomas resistere 1.2. q. 97. art. 4. vbi non aliter admittit dispensationem, quàm dum per legem in hoc individuo vel impeditur maius bonum, vel inducitur aliquod malum, Legislatorem verò facit eo casu quasi Doctorem declarantem sequi vnum ex illis duobus damnis ex obseruatione legum, quia periculosum, inquit, esset illud iudicium relinquere multitudini. Pater Suarez miratur valdè cap. 10. quòd aliqui imponant D. Thomæ talem opinionem; & ex aliis locis probat, illum cum communi sensisse, non tamen respondet quidquam ad hunc locum, qui reuerà valdè obscurus est, vt legenti patebit, & ex dictis à me constat; neq; obest

D. Thom. non videtur distinxisse dispensationem

Digitized by Google

quòd in eodem articulo dixat, dari potestatem ad dispensandum in lege humanâ, non verò in naturali: quibus verbis videtur admittere veram dispensationem, de quâ nunc agimus: id, inquam, non obstat; nam in corpore & ad tertium ita eam potestatem explicat D. Thomas, vt potiùs confirmet eam doctrinam quæ ei tribuitur; ait enim potestatem dispensandi in legibus propriis humanis, solùm esse pro casibus in quibus lex deficit, in naturalibus verò ideò non esse dispensationem possibilem, quia lex numquam deficit. Ecce non aliam admittit ibi dispensationem quàm admiserat per epieikiam seu per equitatem. Ego sanè non video quid possit benè responderi ad explicandam eius mentem; illud fortè probabiliter dicetur, D. Thomam admisisse quidem dispensationem, sed tamen nimis multum requisiuisse ex parte causæ ad eam concedendam, quæ ad aliam quæstionem spectat: in quarto item Sententiarum disp. 38. q. 1. art. 4. circa votum solemne castitatis admittit propriam dispensationem, licet etiam ibi maximam pro eâ re causam requirat; vnde consequenter in præceptis positiuis eam dispensationem credendus est admisisse: quidquid verò de illius mente sit, certum est eam veram dispensationem, & talem, quæ etiamsi negaretur, nullum planè absurdum sequeretur, possibilem & frequentem esse, vt suprà dixi in vtroque iure: quid autem ad illam requiratur explicandum est in sequentibus.

Explicatur mens D. Thomæ pro cõmuni sententia.

SECTIO II.

Diuisio dispensationis; & qui eius effectus.

6. *Diuisio dispensationis iuxta leges particulares esset nimis prolixa.*

CIrca diuisionem dispensationis parum occurrit tractandũ, quia de diuisionibus particularibus iuxta legum, in quibus dispensatur, diuersitatem infinitum esset agere, & verò superfluum; quia cùm dispẽsatio sit relaxatio legis, certè intellectâ lege in particulari intelligetur quæ sit in particulari ea relaxatio, seu dispẽsatio: in communi verò, seu non descendendo ad particulares leges, Primò potest diuidi in dispensationem totalem & partialem; totalem intelligo, quando per illam aufertur respectu huius personæ quidquid per legem fuerat impositum. V. g. lex prohibet, ne vllus homicida admittatur ad Ordines, potest Papa dispensare vt admittatur ad minores, non ad maiores, ea erit partialis dispensatio; si verò dispenset vt ad omnes, erit totalis: vbi aliqui diuersos alios terminos inueniunt, semiplenam & plenissimã; omnes tamen continentur sub illis duobus partialis & totalis: nam eitam prima, quæ dicitur plena, est partialis, licet respectu alterius magis partialis dicatur plena; vt dum dispensatio ad Ordines minores dicitur semiplena, ad maiores infra Episcopatum dicitur plena, plenissima denique ad Episcopatum: ea tamen multiplicatio terminorum confusionem parit, & possent in eo sensu pro nouem Ordinibus nouem nomina inueniri maioris & maioris dispensationis, & sic in aliis materiis; ergo duobus terminis ea diuisio cõprehenditur, totalis, partialis.

Prima diuisio in totalem & partialem.

Alij diuidũt in semiplenã & plenissimã, sed coincidit cũ præcedẽti.

7. *Explicatur alio modo dispensatio totalis & partialis.*

Potest item ea diuisio in partialem & totalem aliter explicari in ordine ad duos effectus legis, nempe obligationem sub culpâ, & obligationem sub pœna; si ergo cũ aliquo dispensaretur, vt non incurreret pœnam legis, nõ tamen in obligatione in conscientiâ circa materiam legis esset dispensatio inadæquata, & eodem modo si è contrario dispensaretur in culpa, non in pœna, esset inadæquata, adæquata verò, si in vtroque. Portò posse eodem modo inadæquatam esse dispensationem patet, quia sicut potest esse lex, quæ non imponat pœnam, ita, postquam eam imposuit, potest cum aliquo dispensare, vt non incurrat debitum illius, licet relinquat in actione illa tõtam rationem malitiæ, & consequenter etiam debitum pœnæ æternæ coram Deo.

Potest etiam ea dispensatio fieri postquam incurrit iam debitum pœnæ, eam illi relaxando; hoc autem ego non vocarem propriè dispensationem, sed condonationem: sicut quando reo iã ad mortem damnato remittitur pœna, non vocatur ea propria dispensatio, sed condonatio: sed quidquid sit de modo quo debet vocari, constat iam quid fieri possit. Posse item e contrario eam dispensationem esse inadæquatam, si relaxetur obligatio in conscientiâ, & relinquatur obligatio ad pœnam, licet difficilius sit, potest tamen manifestè probari; nam (vt superiùs probauimus) potest esse lex purè pœnalis, quæ non obliget in conscientia directè, ergo potest Legislator per dispensationem facere pro Petro v. g. legem purè pœnalem eam quæ anteà pœnalis & obligatoria erat respectu illius, & adhuc manet respectu omnium: id quod non est exiguum beneficium, cùm auferatur vnum ex duobus oneribus maximum, nempe obligatio sub peccato.

Remissio debiti pœnæ vel culpæ iam cõtractæ nõ est dispensatio, sed cõdonatio.

Potest relaxari obligatio ad culpam, non relaxatâ obligatione ad pœnam.

Circa effectum dispensationis nihil occurrit dicendum, nisi vno verbo, illum esse, liberare hominem ab obligatione, quam lex induxerat, liberare, inquã, eo modo quo fuerit dispẽsatio, vel totaliter, vel partialiter, iuxta diuisionem paulò antè datam: vbi aduertendum obiter est, quando per dispensationem dicitur aliquid contra legem permitti, debere accipi *tò permitti* non eo sensu quo Deus dicitur permittere peccata, hoc est ea non impedire, cùm possit, sed permittere, vt licitè aliquid fiat: quod alioquin sine dispensatione non potuisset fieri. Et hic est proprius effectus dispensationis.

8. *Effectus dispẽsationis est liberare hominem ab obligatione legũ.*

Circa quem tamen duo vel tria breuiter discuti possunt: Primum, an dispensatio non solùm reddat licitum actum contra legem, sed aliquãdo obliget ad illum. Respondeo quà dispensationem non obligare, nisi simul cum dispensatione imponitur præceptum de cõtrario actu; tunc autem ea non esset pura dispensatio, sed simul haberet aliquid de nouâ seu contrariâ lege aut præcepto. Addendum tamen, aliquando contingere vt ex dispensatione per accidens sequatur obligatio, v. g. per cessationem à diuinis, aut per interdictum prohibentur homines accedere ad Sacrum die festo; dispensatur cum aliquo, vt non obstante eo interdicto possit Sacrum audire, inde per accidẽs sequitur quòd obligetur, quia cùm iam sit ei licitum audire Sacrum, habet locum præceptum commune audiendi Sacrum; hæc autem obligatio solùm per accidens, vt dixi, sequitur ex eâ dispensatione: propriè enim & immediatè solùm illa oritur ex præcepto generali audiẽdi Sacrum, quando quis licitè potest.

Verùm dispensatio obliget ad actum, quem contra legem licitè reddidit.

Non obligat, nisi simul addatur præceptum: obligat tamẽ aliquãdo per accidens.

Secundò potest quæri, an quando quis habet impedimentum ad aliquod beneficiũ v. g. & dispensatur cum ipso, teneatur manifestare dispensationem illã ei à quo debet accipere beneficium illud, an sufficiat ei re ipsâ iã carere impedimẽto. Respondeo, si alter nihil sciat de impedimento,

An oporteat manifestare dispensationẽ impedimenti ei à quo accipitur beneficium. Respondetur negatiuè.

non

Digitized by Google

non esse necessum illi manifestare illam dispensationem, sed relinquere illum in bonâ suâ fide, quia ex parte suscipientis iam non est quod retardet; si verò sciat impedimentũ, debebit ei manifestari dispensatio, vt noscat se posse conferre licitè rem illam. Dico *vt noscat se licitè posse*; nam ad valorem collationis non erit id necessum.

9. *An dispensatio interpretanda sit strictè & per modum legis odiosæ, an cètrà. Interpretanda strictè.*

Tertiò inquiri potest, an quoad suos effectus dispensatio debeat explicari largè, an strictè, hoc est, an debeat reputari per modum legis odiosæ, an per modum fauorabilis. Respondetur cõmuniter, accipiendam esse strictè, quia vulnerat ius, vt videtur loqui Augustin. Epistolâ 5. & suadetur ex regulâ Iuris in 6. *Quæ à iure communi exorbitant non sunt trahenda ad consequentiam*: id quod clariùs deciditur in cap. 1. de filiis Presbyterorum in 6. vbi expressè dispensatio in defectu naturalium dicitur odiosa, quia exorbitat à iure communi, ideóque restringenda. Quæ doctrina intelligenda est, vt non contrahatur dispensatio vltra vim verborum per consequentiam; nam vis verborum, & quidquid necessum est vt ea dispẽsatio suum effectum sortiatur, retinenda omnino sunt: an autem aliquæ dispensationes seu priuilegia ob partiales causas pias sint dicenda fauorabilia, ideóque extendenda, infrà commodiùs tractabitur, dum de priuilegiis; vbi etiam dicetur, an, quando vna lex dispensat in altera priori lege, ea sit dicenda fauorabilis, cùm iam non exorbitet à iure, sed potiùs faciat ius; & an id intelligendum etiam; quando lex solùm permittit vt dispensetur. Circa hoc tamen vltimum nunc breuiter dico, per eam permissionem non reddi fauorabilem dispensationem, quia talis permissio semper est essentialiter inclusa in omni lege; non enim potest Legislator sibi auferre potestatem dispensandi: vnde si ea licentia sufficeret, vt dispensatio esset fauorabilis, certè omnis dispensatio eum fauorem contineret. quod absurdum est.

Dispensatio nunquã dicenda est fauorabilis, ideóque extẽdi ad plura nõ extẽdida.

Sectio III.

De materiâ & subiecto dispensationis.

10. *Quæstio est de dispensatione in solis legibus humanis.*

Svppono non agi de dispensatione in votis & iuramentis; id enim ad materiam de illis spectat; neque item de dispensatione in præceptis diuinis, quæ per se à solo Deo fieri potest, sed purè putè de dispensatione in legibus humanis. Hinc.

Materia dispensationis est id quod materia legis.

Circa materiam dispensationis vno verbo dico illam esse quidquid per legem humanam potest aut prohiberi, aut imperari, aut irritari, vt sunt impedimenta aut cõditiones essentiales, quę pro valore matrimonij aut alterius contractus introducuntur: non dico in omnibus his ab omnibus Principibus posse dispensari, sed esse dispensabilia siue ab inferiori, siue à supremo Principe. Ratio à priori est, quia quidquid homo inducit per legem, potest idem retinens antiquam iurisdictionem vel alter illi in eâ succedens reuocare; non enim interuenit ibi difficultas, quæ in voto reperitur, in quo nõ potest quis se ab obligatione liberare, quam sibi imposuit: id enim prouenit ex eo, quòd votum est per modum donationis, quam alter, id est Deus, acceptat; vnde iam à Deo debet ea relaxari, non à donante: in legibus verò nihil est simile, quia obligatio legis semper est, & durat, quia imponitur & conseruatur ab habente iurisdictionẽ supra subditos; vnde semper manet idem fundamentum reuocationis.

Differentia, cur votũ non possit relaxari ab homine, sic verò lex.

Dices, in ca. *Contra statuta*, 25. q. 11. & in cap. *sicut quædam.* dist. 14. dicitur aliqua statuta Patrũ esse omnino immutabilia: quod in traditionibus maximè locũ videtur habere. Respondeo, si statuta sint per modum definitionum, sine dubio non posse mutari; item, si noscuntur à Christo esse posita, vt circa materiam Sacramentorum, eodem modo non posse, quia non sunt statuta humana, sed diuina; si tamen à solâ Pontificis auctoritate prodierunt, ab eadem etiam possunt reuocari, ob rationem datam. 11.

Statuta Patrũ per modũ definitionum non possunt mutari.

Circa subiectum dispensationis, seu circa personas dicendum etiam breuiter est, illud esse omnes quotquot legibus ligati sunt respectiuè tamẽ ad eum à quo ligantur. Hæc patet ex dictis de materiâ legis, quia dispensatio nõ aliter versatur circa subiectum, quàm auferendo legẽ illi subiecto impositam; ergo soli illi qui ligati sunt legibus, & respectu eius à quo possunt ligari, sunt subiectũ capax dispensationis, siue ille actus dispensationis, dicatur actus iurisdictionis, siue non; de quo nonnulli valdè contendunt: videtur tamẽ ad modum loquendi pertinere, si semel concedatur, dispensationem non posse prouenire nisi ab eo, qui iurisdictionem habet æqualem ei qui legem imposuit; quia (vt dixi) ille solus potest obligationem tollere qui eam posuit, & quasi conseruat; nam vires inferiores non possunt causam fortiorem retardare, ne causet effectum, quem alioquin non potest.

Subiectũ dispẽsationis sũt omnes legis subiecti.

Ea tamen aduertenda est differentia inter subiectum dispensationis & subiectum legis, quòd lex quà talis non fertur nisi in totam aliquã communitatem, dispensatio autem è contrario ordinariè fieri solet in solum vnum aut alterum; per quod tamen non dicimus repugnare illi, vt fiat etiam in totam cõmunitatem in ordine ad tempus, aut vnum vel alterum actum. Dico *ad tẽpus, & vnum vel alterum actum*; nam si in perpetuum concedatur pro totâ communitate, magis erit abrogatio legis quàm dispensatio. 12.

Differentia inter subiectum dispensationis & subiectũ legis.

Illud solùm circa personam capacem dispensationis quærendum, an ipsemet Legislator possit secum dispensare: non loquor de dispensatione in lege ab altiori Superiore positâ; nam respectu illius hic erit quasi subditus, & consequenter ex eo capite non poterit secum dispensare nisi fortè ex commissione alterius; de quo paulò pòst: ergo quæstio est de ipso qui tulit legem, quâ obligatur, aut de successore illius. Non desunt qui id negent; quorum fundamentum aliud non est, quàm quòd dispensatio sit quidam actus iurisdictionis, quem nemo exercere potest erga se, sed erga alterum. Nihilominùs tamen ego in hac re non video maiorem difficultatem, quàm in eo quòd Legislator seipsum obliget suis legibus: tam enim obligare est actus iurisdictionis quàm dispensare: ergo sicut omnes fatentur posse se obligare, ita etiam debent fateri, posse secum dispensare; nisi ex alio capite ostendatur repugnantia aliqua, quæ tamen nec affertur nec potest afferri.

An Legislator possit secũ ipse dispensare in lege à se posita.

Fundamentũ partis negatiuæ. Pars affirmatiua defenditur.

Dices: Dispensatio debet esse ex iusta causa, nemo autẽ potest esse bonus Iudex in suo negotio; vnde facilè potest præsumi iudicare veram causam eam, quæ in re nulla est; ergo non expedit vt vllus possit secum dispensare. Respondeo Primò saltem posse dispensare, si causa detur aliis iudicanda: postquam enim ea esset approba- 13.

Obiectio.

Respondetur obiectioni primò.

ta,

Digitized by Google

Secundò, ta, posset dispensare secum. Respondeo Secundò, sicut Principis prudentiæ permittitur gubernatio totius Reipublicæ, quæ incóparabiliter maioris est momenti quam dispensatio secum, ita etiam posse illi permitti iudicium de æquitate causæ, vt dispenset secum: quod confirmatur ex lege imponente tributa, quæ cùm maximè sit in bonum Principis, tamen eius iudicio & prudentiæ permittitur; ergo ea ratio nullo modo obest. Igitur dicendum est Primò, Pontificem posse secum dispensare in omnibus legibus humanis: de quâ re videri potest P. Thomas Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 3. nu. 3. vbi multos pro eâ auctores refert; & quia, vt dixi, res est clara, non iudico diutiùs in eâ hærendum. Secundò dicendum, eodem modo Principem sæcularem supremum posse in suis legibus dispensare, quia in ordine ad illas comparatur sicut Papa in ordine ad leges Canonicas. Tertiò dicendum, eodem modo inferiores Legislatores, v. g. Episcopos aut sæculares Principes, posse in suis legibus dispensare, quia in ordine ad illas iudicantur ac si essent supremi Principes: hoc tamen inter vtrosque considerandum est discrimen, quòd supremus non potest impediri per vllum ius ne secum dispenset, quia non habet supra se ius fortius, seu à quo id proueniat; at inferior, v. g. Episcopus, potest à Papa impediri ne dispenset secum etiam in suis legibus. Hæc verò differentia etsi certa, non est tamé propria huius loci de dispensatione secum: nam etiam potest applicari ad dispensationem cum subditis: quia etiam potest Pontifex impedire, ne Episcopus dispenset cum suis subditis in legibus etiam purè Episcopalibus; sed si semel eas ferat, dispensationem earum omnino relinquat Papæ: & idem potest suo modo Princeps sæcularis supremus. Maior est difficultas, quando Pontifex concedit Episcopis potestatem vt dispensent cum suis subditis in legibus ipsis Pontificiis, an etiam tunc concedat eis potestatem vt etiam secum dispensent. Respondeo vno verbo, id totum pendere ex voluntate Pontificis concedentis eam facultatem: nam si ille eam limitat ad solos subditos includendo ipsum Episcopum (vt sine dubio facere potest) sanè non poterit Episcopus secum dispensare; si verò eam restrictionem non ponat, intelligitur eam concedere.

Pontifex in omnibus legibus humanis secù dispensare potest: itè Princeps sæcularis supremus in omnibus legibus à se latis. Etiam inferiores Legislatores possunt secum dispensare in suis legibus. Differentia inter supremù & inferiorè Legislatorem.

An Episcopus habens facultatè dispensandi cum subditis possit etiam secum dispensare. Pendet id à voluntate Pontificis, qui, nisi restringat, censetur concedere.

14. *Obiectio.* Dices, Semper ponit eam restrictionem; nam Papa non dat Episcopo potestatem dispensandi cum omnibus sed cũ subditis; ergo per illud verbum excludit semper ipsum Episcopum. Respondeo, eam exclusionem non esse, vt Episcopus non possit secum dispensare, sed vt alij aliorum Episcoporum subditi non includantur; vnde in eo casu, si alia maior exclusio non fiat, non censerè excludi ipsum Episcopum; quia non censetur Pontifex velle illi in hoc puncto minorem fauorem facere quàm faciat omnibus illius.

Solutio.

Obiectioni vrgetur. Dices, Ergo si Episcopus habeat à Papâ potestatè dispensandi in irregularitate & homicidio v. g. & ipse occidat aliquem, poterit secũ dispensare, id quod videtur valdè durum. Respondeo eam potestatem dispensandi in simillibus casibus rarò concedi generaliter Episcopis: quòd si concedatur, quia ea irregularitas supponit culpã, & grauem, crediderim non intelligi concessam Episcopo, vt seipsum ab eâ liberet, licet in aliis materiis, quæ culpam non supponunt, vt v. g. in lege ieiunij, &c. si datur ei licentia dispensandi cum suis, possit dici data & dispensandi secum. Ratio disparitatis inter vtrumq; casum quoad hanc potestatem ea est, quòd quando supponitur crimen, ob quod incurritur irregularitas, permagni interest ad dispensationem concedendam cognitio eius delicti, ac iudicium de illo; id quod ad superiorem spectat; ideóque æquum non fuit vt ipse sibi posset eam pœnam auferre: vnde nisi verba expressè id dicant, non potest præsumi à Pontifice concessa illi talis potestas, vt sibi ipse irregularitatem eam auferret: at quando dispensatio est in aliâ lege, quæ nullam supponit culpam, non est fundamentum vllum vrgens, cur non possit illi committi ius dispensandi secum, sicut committitur cum aliis.

Satisfit obiectioni.

SECTIO IV.

De formâ dispensationis.

15. *Nõ est sermo de formâ cõstitutiuâ dispensationis, sed de signo externo.*

CIrca formam concedendi dispensationem supponendum est, non esse sermonẽ de formâ eo sẽsu quo à Philosophis vsurpatur pro formâ constitutiua rei; hæc enim est ipsamet volitio Principis, quâ vult aliquem eximere ab obligatione, ergo difficultas est de signo externo, quo ea voluntas declaretur. Secundò supponendum, dupliciter posse nobis constare de voluntate Legislatoris, vno modo per expressum signum externum, siue illud in verbis, siue in nutu siue in scriptis consistat; nam ea differentia per accidens est quoad punctum præsens: alio modo solùm ex præsumptione, quia licet nullum det Legislator signum; nos tamen ex aliis capitibus præsumimus eum habere talem volitionem; ergo de vtroque modo breuiter aliquid dicendum est.

Hoc signum duplex est. vel expressũ vel præsumptum.

SVBSECTIO I.

De dispensatione per signum expressum.

16. *Signum expressum debet determinatè significare legẽ in quâ dispensatur.*

CIrca quod DICO PRIMÒ, illud debere esse determinatè significans legem in quâ dispensat seu quam relaxat, nec sufficere vllo modo dicere *Dispẽso*, nisi fortè quia immediatè antè petita erat dispensatio in determinata materiâ; & tunc Legislator, dũ dicit *Dispenso* eo ipso determinat suam mentẽ ad eam materiã de quâ actum fuerat; quòd si ipse dicat absolutè, *Tecum in omni irregularitate* v. g. *dispenso*, tunc etiamsi non eas nominet, omnes in particulari intelligit, quia in verbo *omnes* illæ continentur; nisi fortè aliqua esset talis, de quâ per ius commune cautum esset, vt nisi specialiter nominetur, non censeatur in eâ dispensatum, quantumuis per clausulas generales dispensatio concedatur.

17. *Potest etiam fieri per nutum.*

DICO SECVNDÒ non esse necessum vt hoc signum sit determinatè per verba aut per scripturam; potest enim esse per nutum: si enim quis petit dispensationem, & Princeps annuit capite, iam ibi est expressum signum: sicut enim voces ex acceptione hominum sunt signa rerum, & scriptura signa vocum, ita etiam annuere capite est signum expressum volitionis Legislatoris. In quo puncto illud semper est obseruandum, si sermo sit de dispensante non supremo, posse illum per ius commune aut particulare altius impediri, ne dispensationem nisi sub hac determinatâ forma concedat, ita vt non valeat nisi concessa v. g. in scripto & cum talibus clausulis. Cuius ratio ea est; nam, sicut paulò antè diximus, potest inferior à superiore impediri, ne vllam concedat dispensationem

Potest Superiori inferiori præscribi certa forma dispensandi à Legislatore superiori.

Digitized by Google

fationem etiam in propriis legibus, ita etiam potest apponi illi conditio, sub quâ illam debeat concedere.

Dices: Quî fieri potest, vt vinculum à me positum non possit à me tolli, cùm, iuxta commune axioma, per easdem causas possit res destrui, per quas conseruatur? Respondeo Primò id fieri, quia in eo casu altior Legislator facit quodammodò suam eam legem inferioris, postquam semel lata est. Secundò, quia cùm inferior habeat potestatem delegatam, tollit illi supremus eam potestatem in legem, postquam eam tulit; relinquitque illum perinde ac si esset depositus ab officio quoad illum effectum. Hæc de Legislatore non supremo.

Quomodo Legislator possit destruere legē Superioris inferiorē.

18. Quòd si loquamur de supremo, dicendum est non posse illum coarctari ad vllam formam, sub quâ debeat dispensationem dare, quia in manu ipsius est reuocare illud prius ius: & ita censetur facere, quandocumque eo cognito nihilominùs contrario modo dispensationem concedit. Dixi *eo cognito*, quia si illud ignoret, & non ponat clausulam quâ dicat, *Non obstante vllo iure in contrarium*, &c. non intelligitur derogare præcedenti iuri. Vbi aduerte, si prius ius sit generale, seu commune, tunc supponi à Principe sciri, & consequenter per contrariū modum concedendi dispensationem præsumi illud abrogare; quia in Principe non præsumitur ignorantia iuris communis; at si ius illud sit particulare pro loco, pro quo dispensat, non censetur illud scire, & consequenter nec reuocare, nisi vel expressam illius mentionem faciat, vel certè clausulâ illâ generali vtatur, *Non obstante in contrarium*, &c.

Legislator supremus non potest coarctari ad certam formam dispensationis.

Princeps non præsumitur vnquàm ignorare ius commune, sic verò particulare.

Moueri hîc potest dubium quoddam speculatiuum magis quàm ad praxim vtile: Quid si Pontifex sciens legem præcedentium inualidantium dispensationem nisi sub tali formâ latam, ipse nullum habens animum eam legem reuocandi, daret tamen dispensationem, volens efficere quantum valet, essetne tunc ea dispensatio valida nec ne? Ex vno enim capite non videtur valida, quia etiam Princeps obligatur legibus à se & à præcedentibus latis, nisi ab ipso reuocentur, aut in eis dispenset; hoc autem non facit in præsenti, ergo adhuc obligatur; ergo dispensatio sic data nulla est. Confirmatur: Diximus paulò antè, quando Princeps non scit contrarium ius, non censeri validam dispensationem datam; cuius rationem reddidimus, quia non præsumitur tunc velle illud ius reuocare: ergo si, non obstante eâ notitia contrarij iuris, non vult in eo dispensare, quidquid contra illud facit erit irritum: ex alia verò parte cùm habeat potestatem æqualem precedenti Legislatori, & dispensando eo contrario modo velit ea vti, sine dubio videtur ea volitio habitura effectū. Respondeo in primis, illum tunc

An dispensatio Pontificis in lege inferioris sit aliquando inualida.

19. omnino peccare, quia cùm supponamus obligari etiam propriis legibus, certè si priùs legem non tollat, aut saltem in ea secum non dispenset, eo ipso quòd contra illam faciat peccabit; alioquin ridicula esset obligatio illa. Quoad valorem verò eius actus respondeo eam voluntatem secundam esse virtualiter contrariam primæ, ideóque per illam retractari præcedentem legem, quia cùm dicat, *Volo quantum possum facere, vt hic actus sit validus*, & inter ea quæ potest facere includatur etiam retractatio, illam ibi vult implicitè; quòd si tamen dicat, *Volo facere quidquid possum exceptâ reuocatione legis prioris*, tunc sine dubio non faciet actum validum: & id probat manifestè ratio dubitandi pro priori parte facta, cui non derogat ea quam pro secundâ parte fecimus, quia in eâ supponitur, quòd Princeps velit facere quidquid potest: hîc autem iam loquimur, casu quo in ipsâ secunda volitione excepit eam retractationem, sine qua repugnat, vt actio valida sit.

Valida est, sed nō semper licita.

si videlicet positiuè nolit legē inferioris reuocare & tamen dispenset.

Circa hanc dispensationem expressam mouet nonnulli illud dubium, vtrùm scil. debeat incipi à petitione dispensationis, quandoquidem hæc non soleat dari proprio motu: alij verò etiā quærunt, vtrùm sit necessum vt ab ipso indigente petatur, vel saltem ex eius mādato, an verò, si alius me non vrgente eam petat, sit futura valida. Circa quas difficultates dico, eas non esse proprias huius loci, quia communes sunt tam dispensationi expressæ scriptæ siue per verba quàm etiam tacitæ; si enim ea petitio requiritur ad valorem dispensationis, ergo quomodocumque illa detur, debebit præcedere petitio; ergo ex quæstiones non spectant huc, vbi agimus de dispensatione quà scripta seu expressa.

20. *An vt valeat dispensatio, debeat peti.*

Difficultas est communis etiā dispensationi præsumptæ.

Secundo tamen & absolutè respondeo, sine vllo planè fundamento requiri eam petitionem, quia dispensatio solùm requirit vt sit prudens, & consequenter vt detur ex rationabili causâ, atqui vt causa sit rationabilis, & vt talis cognoscatur à Principe, non est necessum vt ille, cum quo est dispensatum, eam petat; summùm enim requiri posset vt ipse suam necessitatem proponeret: id quod fieri posset eo nihil petente; sed neque illud requiritur; nam potest ipse Princeps, aduertere necessitatem illam: vt si frater Regis esset Religiosus, morereturque Rex sine vlla prole, potest Pontifex ipse agnoscere bonum publicum tunc exigere, vt ille Religiosus ducat vxorem; ideóque & ipsi non petenti imò repugnanti potest concedi dispensatio; & verò etiam obligari poterit vt ducat vxorem. Quod dico de hac dispensatione in voto, eodem modo quoad causæ cognitionem habet locum, etiamsi esset dispensandum in lege, aut si illi fratri per legem esset prohibitum matrimonium; ergo ex natura rei nullum est fundamentum ad requirendam eam petitionem: neque item in iure, præterquam quòd, si ex solo iure veniret ea necessitas, posset à Papa aut supremo Principe ea tolli; quòd verò non sit, patet, quia solùm adducuntur duo cap. vnum, *Cùm nonnulli*, de præscript. in quo annullatur rescriptum impetratum sine mandato; vnde videtur inferri necessitas eius petitionis: hic tamen textus non vrget, quia in eo non agitur de dispensatione, sed de literis ad decidendam quandam quæstionem; item ibi supponitur ille petiuisse eas nomine sui domini, vt ab eo missus; vnde additur, vt tamquam falsarius puniatur, ex quo nihil ad casum nostrum præsentem. Secundò obiici solet cap. *Innotuit*, de electione: minùs tamen illud probat, quia in eo non dicitur dispensatio inualida, sed ea negatur, eò quòd sine mandato fuerit petita; nos autem dicimus, si detur, validam fore: ergo neque iure positiuo, neque naturali requiritur, vt dispensatio petatur ab ipso cui conceditur. Hoc tamen aduertendum est, quando non præcessit vlla postulatio, vix posse intelligi dispensationem expressam, nisi sint verba ex parte concedentis; quia vix potest intelligi, quomodo solis nutibus concedatur licentia nemine priùs aliquid petente: si tamen præcessit petitio, tunc, vt dicebam suprà;

Respondetur absolutè non requiri.

Declaratur in relaxatione voti.

21. *Necessitas petitionis non potest ex iure sufficienter probari.*

22. *Vix potest dari dispensatio sine petitione per se loquendo.*

Digitized by Google

suprà, facile est annuendo capite declarare suam mentem. Dixi *vix posse*, quia non judico absolutè id repugnare; vnde non placet P. Suarez ca. 13. n. 9. absolutè putans id aliter fieri non posse: etenim sicut mutus potest non interrogatus declarare alteri suam mentem, licet difficulter; cur, quæso, non poterit eodem modo sine verbis Superior suam voluntatẽ declarare, etiam non præmissâ petitione; v. g. si die ieiunij nihil dicendo accipiat carnes, detque alteri, ostendens se esse contentum vt eas comedat, vel alio diuerso signo idem ostendat.

Potest tamen absolutè.

Dices. Cap. *Simotu.* de præbendis in 6. dicitur, *Motu proprio tunc solum gratia fieri censetur, cùm hoc expressè cautum fuerit in eodem*; ergo in dispensatione per motum proprium debent esse expressa verba. Respondeo, in eo textu nihil dici de verbis, sed solùm vt debeat declarari, quando fiat gratia specialis, quando verò quasi communis; hoc autem potest procul dubio fieri etiam sine verbis. Nam si Pontifex iam sciat me habere beneficium aliquod, & signo aliquo ostendat se nouum vacans mihi concedere, etiamsi ego nihil petierim, satis expressè ostendit per hoc se dispensare.

SVBSECTIO II.

De dispensatione tacitâ.

23. CIrca dispensationem verò tacitam maior est difficultas, non quia per se verba aut alia signa requirantur: si enim mihi Deo reuelante constaret de voluntate dispensantis, tam essem ego securus, quàm si ipse dispensans eamdem voluntatem mille verbis manifestasset; nam verba ex se nihil faciunt: ergo difficultas præsens inde prouenit, quòd nos sine signis positiuis difficulter agnoscimus voluntatẽ alterius: vnde nonnulli absolutè negarunt tali modo posse vllam dispensationem concedi, sed tamen contraria sententia communis & vera videtur; quia etiam potest præsumi voluntas tacita Principis in ordine ad dispensationem non minùs quàm in ordine ad obligationem legis: & (vt diximus agentes de consuetud.) illa sæpè non aliter tollit obligationem, nisi in vi præsumptę & tacitæ voluntatis Principis; ergo etiam potest præsumi voluntas tacita in ordine ad dispensationem consequendam; quia plus longè est totam legem abrogari, quàm dispensari in vnâ illius parte; sed tota abrogari potest ex tacitâ præsumptâ voluntate, ergo & dispensatio ex tali voluntate oriri potest. Quę ratio meo iudicio vniuersalis est, probatque ex natura rei non solùm supremum Principem, sed etiam inferiorem, tã in suis propriis legibus, respectu quarum censetur ac si esset supremus, quàm etiam in legibus Superiorum, quãdo alioquin habet facultatem in eis dispensandi, posse tacitè dispensare, dummodò sint sufficientia indicia, ex quibus de eius voluntate constare possit; vnde reiiciendos censeo omnes auctores, qui limitationes varias adhibent, nec vniuersaliter & consequenter in hoc pũcto discutiunt, vt ex dicendis magis constabit.

Secus si operaretur quis cum dispensatione tacitâ sibi reuelatâ diuinitus.

Potest præsumi voluntas tacita Superioris in ordine ad dispensationem. Probatur ratione.

24. Dices: Princeps summus potest validè dispensare sine causæ cognitione, inferior verò non potest: atqui, quando est dispensatio tacita, non est causæ cognitio; ergo esto possit supremus, non sequitur posse inferiorem. Respondeo Primò, ex naturâ rei, non magis esse necessariam cognitionem causæ in inferiore quàm in superiore: nos autem loquimur iam ex naturâ rei. Respondeo Secundò, Esto ea cognitio causæ requiratur, posse illam præcedere & dispensationem esse tacitam: si enim Prælatus dicat se optimè scire talem & talem habere irregularitatem, & nihilominùs dicat illi, Eas, & accipias Ordines, sine dubio tacitè dispensare censetur, quia non debet præsumi præcipere illi aliquid illicitum; ergo tunc præsumitur ea volitio: non ergo potest absolutè dubitari de possibilitate eius dispensationis.

Ex naturâ rei non est necessaria cognitio causæ ad dispensationem.

Esto requireretur, adhuc nõ impediret tacitã dispensationem.

Maior est difficultas in determinandis signis, ex quibus potest præsumi voluntas Principis; dubium autem præcipuum est, quando Principe præsente & sciente obligationem subditus aliquid contra illam agit, an Princeps, eo ipso quòd taceat, cùm possit commodè resistere, censeatur dispensare. Affirmant multi, quos refert & sequitur P. Sanchez lib. 3. de Matrimonio disp. 35. num. 20. Fundamentum eorum desumitur ex eâ regulâ 43. Iuris, *Qui tacet consentire videtur.* Cùm enim Princeps ex officio teneatur impedire mala in Republicâ, si ipso præsente aliquid fit, cui non contradicit, cùm possit, debet præsumi illud reddere licitum per dispensationem, ne è contrario præsumatur peccans contra suum officium. Contrariam sententiam tenent multi, quos refert & sequitur Suarez suprà cap. 13. n. 18. cum aliqua tamen limitatione. Eorum fundamentum est, quia taciturnitas Prælati non est semper signum positiuæ volitionis, quod confirmatur ex cap. *Cum iam dubium.* vbi dicitur. *Cùm multa per patientiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint ad iudicium exigente iustitiâ, non debeant tolerari:* idem etiam suadetur ex c. *Super eo.* de cogaitione spirituali, vbi dicitur, *In Ecclesiâ tuâ dissimulare poteris, ita quòd nec contradicere nec tuum videaris præstare assensum.* Pro probatione verò eius sententiæ distinguit Pater Suarez cum communi triplicem ratihabitionem; vnam in ordine ad actum de futuro, alteram ad actum præteritum, tertiam ad actum præsentem; exclusâ autem ratihabitione de præterito, quia illa non potest facere licitum actum præteritum, docet circa alias duas, primam de futuro non sufficere ad dispensationem propriam, nisi quando necessitas cogit, ita vt per epieikiam censeatur actus licere: id quod à simili potest vrgeri; nam præceptum præsumptum in futurum non inducit de præsenti obligationem, ergo neque è contrario dispensatio præsumpta de futuro faciet licitum actum contrarium. Constituit autem differentiam inter dispensationem & simplicem licentiam, quia hæc potest præsumi etiam de futuro. V. g. regula dicit, *Nemo exeat foras sine licentia*, si prudenter iudico Superiorem mihi eam daturum casu quo adesset, & illum conuenire non possum, licitum est mihi tunc ex præsumpta licentia exire; at id censet non sufficere ad dispensationem: disparitatem assignat, quòd præsumpta voluntas absolutè vocatur voluntas, vnde non fit contra voluntatem Superioris, quidquid fit ex eâ voluntate, ergo nec fit contra regulam, quæ non prohibebat actionẽ absolutè, sed ne fieret sine licentiâ. Additetiam, si sermo sit de ratihabitione de præsenti, secundam opinionem, propter communem in eam consensum, esse in foro exteriori probabiliorem, primam verò in foro conscientiæ non esse contemnendam, dummodò non solâ taciturnitate Principis, sed simul aliquâ

25. *Ex quibus signis colligatur voluntas tacita Principis, an ex solo silentio Principis præsentis, & nõ prohibentis violationem legis. Fundamenta affirmantium.*

Fundamentũ negantium.

26. *Differentia P. Suarij inter dispensationẽ & simplicem licentiam.*

Digitized by Google

aliquâ alia coniecturâ vtamur ad præsumendam Principis voluntionem: v.g. quòd iusta sit causa nõ petendi expressum cõsensum; vel ex amicitiâ inter subditum & Principem præsumatur consentire. Denique addit, debere eam præsumptionem esse antequã subditus operetur, alioquin si priùs non ei constitit de licentia, malè facit tentando actionem; vnde concludit non extendendam eã dispensationem ad alia opera similia, sed præcisè ad illud quod Principe præsente fit.

27. *Præsumptio dispensationis debet esse ante opus.*

In hac doctrina Patris Suarez placet mihi quod vltimo loco dicit, debere scilicet esse eam præsumptionem ante inchoatum opus: explico autẽ quomodo id fieri possit, si v.g. quis animo non comedẽdi carnes, casu quo resistat qui possit dispensare, & id exteriùs proponens, nihilominùs curaret eas afferri, & significaret se illas velle comedere, interiùs tamen, vt dixi, & in modo etiam proponendi ostendens se paratum nõ comedere, si resistat ille qui dispẽsare potest; sanè sufficientia indicia tunc erunt, vt Princeps tacens censeatur dare licẽtiam. Dixi subditum debere se ostendere paratum ad non comedendum sine licentia; nam si exteriùs ostendat se eas velle comedere, esto ei negetur licentia, procul dubio taciturnitas Prælati nihil efficiet; quia ille tunc non præsumeretur tacere animo approbandi; sed animo non resistendi gratis & inutiliter.

Præsumpta dispensatio in vno casu non debet extendi ad alios similes.

Secundò mihi placet quod dicit P. Suarez, eam dispensationem nou posse trahi ad alios actus etiam similes; quia sine dubio dispensare vt hodie non ieiunem, non est dispensare vt cras non ieiunem: addo tamen id etiam conuenire dispensationi expressæ; nam si dicat, Do tibi licentiam vt hodie comedas carnes, non trahitur ea licentia ad crastinum. Ea ergo doctrina licet verissima non est specialis huius puncti quod tractamus.

28. *Sententia affirmans est probabilis in conscientiâ, modò nõ fundetur in solâ taciturnitate Principis dispensatio præsumpta.*

Placet item quòd dicat in cõscientia esse probabilem primam opinionem; & quod ea licentia non debeat in sola taciturnitate & præsentia Principis fundari. Quæ doctrina ad multas alias materias necessaria est: & sæpè illam insinuauimus, maximè agentes de voluntate interpretariua. Etenim si vel minima ratio sit, ob quam Princeps prudenter censeatur tacere, non quia non consentiat, sed ob aliud motiuum, non debet vllo modo tunc censeri consentiens. Et in hoc solo sensu iudico admittendam eam sententiam Canonistarum; alioquin primam vniuersaliter & absolutè veram censeo.

Respondetur ad textum iuris allatum pro sententiâ negante.

Ad textus in contrarium dico eis solùm probari limitationẽ à nobis traditam: in primo enim supponebatur electio quodammodò violenter facta, vbi in vanum restitissent, quia alioquin tenebantur resistere; ea autem occasione ponitur illa propositio, *Multa per patientiam tolerantur*. Ex quo ego potiùs probo meã & primã sententiã, quia in eo non negatur vniuersaliter aliquid licere ex præsumpta & tacita dispensatione, sed solùm dicitur, *Multa non valere*; quibus tacitè insinuatur *aliqua valere*: ergo aliquando potest esse ea dispensatio ex præsumpta tacita volitione.

Alterum verò caput de eo Episcopo, qui nec approbare nec reprobare debebat quandã consuetudinem, etiam nõ vrget, quia potiùs ille monetur vt ità se gerat, vt nec approbare videatur; si autem ad approbandum requireretur loqui, solùm illi fuisset dictum, ne positiuè approbaret; ideò ergo monetur ne tacendo approbet, quia id supponitur possibile: debebat ergo se ita gerere, vt fugeret eas circũstantias, in quibus si taceret, approbaret, si loqueretur contra, reprobaret. Ex qua explicatione, quæ mihi videtur genuina, suadetur potiùs nostra sententia; vnde dico me non videre, cur etiã in foro externo in multis casibus non debeat valere ea tacita dispensatio.

29. *In ratihabitione in futurum, quam dixit P. Suarez, latet aequiuocatio.*

Quòd P. Suarez ad initium dicit de ratihabitione in futurum habet meo iudicio aliquam æquiuocationem; si enim dicat, ipsum actum voluntatis non præsumi de præsenti existentẽ, sed solùm de futuro, & quidem quasi conditionaliter, *Si adesset, haberet talem actum*, sine dubio optimè dicit, illũ non valere vt reddatur licitus actus contra legem; quia ibi cessat præcipuum fundamentum, ex quo colligitur ea volitio, scilicet quòd Princeps sit præsens, & taceat; nam hodie non est præsens respectu actus cras habendi: at si ratihabitio sit de præsenti, licet actio sit de futuro, ego non video, cur non possit eodem modo dispẽsatio præsumi, quàm si actus sit præsens. V.g. ego coram Principe, qui potest mihi sine vllo planè respectu resistere, dico, *Cras non ieiunabo ob tales causas*, & ille taceat; certè tam potest tunc de præsenti præsumi ea licentia aut dispensatio in ordine ad comestionem crastinã, quàm si dixissem illi, *Ob has causas nolo hodie ieiunare*; vbi tamen admittit P. Suarez eam tacitam ratihabitionem sufficientem ad excusandum: & per hoc videtur mihi satis declaratum, quid sit circa hunc modum tacitæ dispensationis dicendum.

Potest certo modo præsumi ratihabitio in futurum.

30. *Princeps mandans aliquid cum scientiâ impedimenti præsumitur dispensare.*

Aliter potest, & quidem certiùs, præsumi tacita voluntas Principis, si hic sciens impedimentũ, mandet aliquid, aut conferat id, quod fieri aut acceptari non potest licitè, nisi cum dispensatione; quia tunc non potest præsumi Prælatus mandare aliquid iniustum: in quo modo, quia longè certior est quàm præcedens, non video vllam difficultatem, quæ nos detineat.

Vnde constare possit de scientiâ impedimenti in Principe.

Circa modum verò, quo debeat probari ea scientia impedimenti in Principe, est aliqua difficultas, quæ tamen communis est vtriq; dispensationi tacitæ scil. & expressæ, breuiter dico, id posse colligi, vel quia ius illud, in quo est dispensandum, est commune; quod non censetur ignorari à Principe; vel quia ipsemet, cui dispensatio conceditur, vel alius id dixit Principi; aut quia res est notoria; vel denique quia ipse Princeps vidit contrahi illud impedimentum, &c. hæc in ordine ad forum conscientiæ certa. In ordine autem ad probationem in foro externo erit aliqua difficultas, si gratia sit facta in scripto, & in eâ nihil dicatur de impedimẽto, an tunc valitura sit. Dicimus tamen, tunc in rigore sufficere testes, si per eos probari potest Principem nouisse impedimentum; quia in hac re tam sufficiunt testes viui quàm scriptura mortua, nisi contrarium in aliquo casu per præuium ius expressum caueretur.

Quid sit dicendũ in foro externo.

DISPVTATIO XXIX.

De potestate dispensandi.

NOn ago de potestate Principis ad dispensandum in proprijs legibus, aut latis à prædecessore suo, aut ab inferioribus

Digitized by Google

bus Legislatoribus, sibi tamen subordinatis, quia in eâ non est vlla difficultas. Vt enim suprà diximus, causa, quæ conseruat, potest etiam destruere, & à fortiori id est verum, si ea causa sit supra alteram conseruantem: in illis enim residet talis potestas, & quidem ordinaria (nisi aliquando in inferioribus coarctetur per superiorem:) ex quo capite diximus suprà Papam posse in toto Canonico iure humano etiam Apostolico dispensare. Difficultas ergo tota est circa potestatem inferiorum ad dispensandum in legibus superiorum: circa quam duæ vel tres occurrunt difficultates in hac disputatione discutiendæ.

Sed de dispensatione inferioris in lege superioris.

SECTIO I.

Vtrùm Episcopi per se habeant potestatem dispensandi in iure communi Canonico.

1. *Ex decisione quæstionis præsentis patebit, quid iudicandum de dispensatione superiorum inferiorib. in legibus ciuilibus.*

HÆc difficultas posset suo modo trahi ad Legislatores ciuiles inferiores, vtrùm etiã illi habeant potestatem dispensandi in iure ciuili communi à superiore Legislatore lato. Ex dicendis tamen circa Episcopos intelliget, quid de eis sentiẽdum sit: non defuerunt qui dixerint omnino esse in illis talem potestatẽ, nisi specialiter per Papã prohibeantur: est enim apud multos receptum principium, *Omnia quæcumque potest Papa in totâ Ecclesiâ posse Episcopum in suâ diœcesi.* Probatur autem hæc sententia Primò ex cap. *Nuper*. de sententiâ excommunicationis; dicitur enim, eo ipso quòd Legislator non reseruat sibi absolutionem, eam inferiori concedere. Secundò, quia dispensatio in votis longè est difficilior, eò quòd vota attingant ius diuinum; & tamen Episcopi possunt per se in eis dispensare, ergo etiam in legibus. Tertiò, quia vsus id videtur suadere; nam dispensant sæpè in ieiunio, in obseruatione Festorum. Quartò, quia ea potestas dispensatiua est maximè necessaria ad gubernationem Episcopalem, ergo. Pro hac sententiâ refert P. Salas ea disp. 20. sect. 3. Antoninum, Sotum, Victoriam & multos alios.

Pars affirmatiua.

Quibus fundamentis nitatur. Primum ex cap. Nuper.

Secundum à ratione.

Tertium ab vsu.

3. *Contraria sententia certa.*

Contraria tamen sententia videtur omnino certa: est etiã communissima, vt videre est apud Patrem Salas loco immediatè citato & P. Suarez cap. 14. num. 4. & expressè traditur in Clementinâ *Ne Romani.* de electione; vbi dicitur inferiorem non posse tollere legem superioris abrogando aut dispensando. Ratio huius est manifesta, quia ex naturâ rei certum est id non esse possibile: Legislator enim inferior respectu superioris est propriè subditus (vt ex se constat) ergo non potest illius voluntatem infringere. Quæ ratio locum habet, etiamsi inferior Legislator non sit re ipsâ subditus; si tamen potestate sit inferior; quia inferior potestas quà talis non potest vincere superiorem, id quod lumine naturæ, vt dixi, notum est, ergo neque efficere, vt quod voluit, superior non habeat de facto vim obligandi. Quæ ratio, ex se tam habet vim in iure Canonico quàm in ciuili, & è contrario. Deinde ex iure positiuo non habent Episcopi talem vim, ergo. Dices id esse illis concessum à Christo Domino. Sed contrà. Ergo saltem ea doctrina non habebit locum in alijs Legislatoribus etiam Canonicis. Contrà Secundò, quia gratis & sine vllo omnino fundamento in Scripturâ aut ratione id dicitur; imò ius citatum expressè contrarium habet.

Contraria sententia certa. Probatur ex Clementinâ Ne Romani. Ratio à priori: quia Legislator inferior est subditus respectu superioris.

Ius non concedit Episcopis talem potestatẽ, neque concessa est illis à Christo.

Iam ad opposita argumenta: & quidem illud principium, quod supponitur, omnino est falsũ, alioquin Episcopus posset in suâ diœcesi definire materias fidei, dispensare in voto solemni, & alia facere quæ Papa potest pro totâ Ecclesiâ. quod est absurdum. Ad cap. *Nuper*. dicimus ibi esse sermonem de absolutione à censurâ, quæ longè diuersa est ab obligatione legis: nam absolutio à censurâ est iuxta ius, non contra illud: ius enim non ponit censuram vt non tollatur, sed tantùm in pœnam, donec reus resipiscat; eo autem dante sufficientem satisfactionem, ius ipsi præcipit illum absolui, licet aliquando expressè ipsum ius designet personam, à quâ debeat illa absolutio conferri: eóque sensu aliquando etiam illa dicetur reseruata. At lex ponitur directè vt duret, nec tempus ei præfigitur aut conditio, quâ posità auferatur, licet, si hoc fierer, adhuc non cessaret tunc per dispensationem inferioris, sed per seipsam, aut per voluntatem superioris.

Satisfit argumentis pro parte oppositâ.

Quomodo sit intelligendũ cap. Nupor.

4. *Episcopi non habent ius dispensandi in quouis voto.*

Ad Secundam de dispensatione in votis dicimus Primò falsum esse, eam potestatem absolutè esse in Episcopis; solùm enim est in ordine ad aliquos casus, sicut etiã est in ordine ad aliquas leges, vt explicabimus statim: per quod respondebitur ad tertium & quartum. Addimus ergo in hac materiâ Primò, Episcopum habere eam potestatem dispensandi, quando ea in iure vel aliquâ aliâ viâ conceditur à Papâ: quod eodem modo applicandum est ad alios inferiores Prælatos vel Legislatores. Vbi notatur communiter, quando Papa in aliquâ lege dicit, *quòd possit in ea dispensari*, facere eo ipso potestatem Episcopis dispensandi; alioquin illa verba gratis ponerentur, cùm posse à Papâ dispensari, certum omnino sit: vnde etiam dicitur pœnam, quæ in cap. *In quibusdam.* de pœnis, statuitur in occisores Sacerdotum, esse dispensabilem ab Episcopo, eò quòd addatur ibi, *nisi fuerit cum eis misericorditer dispensatum.*

Quando lex Papa ait in ea posse dispensari, habet Episcopus ius in eâ dispensandi. Cap. In quibusdam. non facit ad præsens punctum.

5.

Ego doctrinam hanc Canonistarum eiúsque rationem censeo veram: hunc verò textum non puto esse ad rem, quia ibi non dat Pontifex licentiam vt dispensetur; sed cùm dixisset, heredes homicidæ ad quartam generationem fore inhabiles ad Ordines, addit, *nisi cum eis fuerit dispensatum*: per quod nemini facit specialem potestatem dispensandi, sed declarat eam inhabilitatem duraturam, nisi per dispensationem ab eo vtique qui eam potest dare tollatur. Neque obest, quod Alphonsus Rex Castellæ citans eum textum in l. 8. tit. 8 parte 1. legerit, *nisi cum eo Episcopus loci dispensauerit*: fortè enim ille opinatus est posse Episcopum in eâ causâ dispensare. Idem etiam dico ad similem clausulam, quæ inuenitur in cap. *Postulastis.* de Clerico excommunicato; vbi dicitur, eos, qui cùm essent excommunicati, beneficia Ecclesiastica obtinuerunt, non posse ea retinere, nisi cum eis misericorditer dispensetur: non enim puto ibi concedi facultatem dispensandi, sed, vt dixi in præcedenti, declarari magis modum quo possint retinere ea beneficia.

neque cap. Postulastis.

Obijcies, Quòd possint ea beneficia per dispẽsationem Papæ obtinere, iam erat per se notum; ergo non fuit necessarium id declarare. Respondeo, Etiãsi in omni rigore nõ fuisset necessarium eam clausulam ponere, tamen nõ omnino esse otiosam, quia per hoc insinuatur eos posse obtinere dispensationẽ: quod fortè multi putassent esse difficillimũ vel impossibile. Et certe

sæpè

sæpè solent Pontifices similem clausulam apponere, *nisi per Nos, vel per successores nostros fuerit aliter statutum.* Quæ clausula non minùs virtualiter intelligebatur, etiamsi non fuisset addita, quàm hæc, de quâ nunc agimus; ergo ex eo capite non licet colligere, ibi factam Episcopis potestatem dispensandi.

6. *Potest dispensare Episcopus in lege Pontificiâ non obligante sub mortali; item in casibus frequentibus, vbi est moraliter impossibilis recursus ad Papam; item in casu graui nõ patiente moram.*

Secundò dicimus Episcopum probabiliter habere potestatem dispensandi in legibus Pontificijs, quando materia est leuis, & non obligat sub culpâ mortali: eo enim ipso quòd Papa noluerit fortiter obligare, videtur etiam permisisse maiorem facultatem dispensandi Episcopis quàm in alijs casibus: Tertiò in casibus frequentibus, & pro quibus esset quasi moraliter impossibile recurrere ad Papam: & id probat tertia ratio suprà pro primâ sententiâ adducta, vt in lege ieiunij, celebratione festorum, &c. frequentes solent esse hi casus, & ita occurrunt, vt non dent commodum locum recurrendi ad Papam: & idem est in dispensatione erga aliqua vota, de quibus in secundâ ratione contrariâ dicebatur. Quartò censetur hæc potestas concessa, quando aliquis casus rarus occurrit magni momenti, quíq; sine grauissimo periculo non patitur moram. Verùm hæc dispensatio ibi magnâ ex parte ad epieikiâ pertinet: id quod docent communiter multi Canonistæ, quos referunt & sequuntur P. Sanchez lib. 2. disp. 40. & lib. 8. disp. 9. num. 22. P. Suarez suprà num. 10. Hos casus posuit P. Salas suprà num. 22. & sunt alioquin receptissimi inter auctores.

Legem Pontificis esse tantùm particularem probat Episcopum posse ineâ dispensare.

Quintus casus additur à Caietano, quando scilicet lex Pontificia non est vniuersalis, sed pro certo Episcopatu; putat enim tunc posse Episcopum eius loci dispensare. Verùm hæc additio non habet solidum fundamentum, quia neque ex naturâ rei, neque ex speciali iure casus excipitur; & etiam in eo manent adhuc omnes rationes, quas suprà nos fecimus ad probandum vniuersaliter, eam potestatem non esse in inferiori Legislatore.

Parochi in defectu Episcopi possunt in rebus leuioribus dispensare.

Consequenter ad hanc materiam solet quæri, an in Parochis v.g. quando Episcopus commodè non potest adiri, sit potestas dispensandi. Respondeo non esse, nisi in aliquibus rebus minoris momenti occurrente necessitate graui, vt circa ieiunia aut labores diebus festis; & fortè neque in his casibus habent vbique eam potestatem: pro quâ re maximè attendendus est vsus, & sæpè etiam ipsa æquitas seu epieikia.

Attendendus tamen vsus & epieikia.

7. *Potestas dispensandi in lege Superioris concessa Episcopis est ordinaria.*

Restat pro complemento huius difficultatis disquirere, vtrùm ea potestas dispensandi in legibus Superiorum sit dicenda ordinaria, an extraordinaria. Quæstio hæc, si ad solum modum loquendi attenderemus, nullius esset momenti, quia de voce non est curandum, sed quia ex illa pendet resolutio alterius quæstionis de re, ideò iudicanda est vtilis; si enim dicamus eam esse ordinariam, dicemus etiam eam posse delegari; si verò extraordinariam, erit consequenter ea delegatio neganda. Respondeo ergo illam, quæ de facto vniuersaliter in eis est, esse ordinariam: nam licet sit à Papâ concessa ex liberalitate (vt sic dicam) quia tamen omnibus iam vniuersaliter & vt perpetuò duratura conceditur, debet dici ordinaria. Quid enim magis ordinarium in aliquo quàm id quod omnibus in eo ordine & perpetuò conuenit? quo sensu etiam id, quod omnibus Legatis Pontificijs communiter conceditur, dicitur pertinere ad potestatem ordinariam illius, etiamsi ex naturâ rei, aut ex iure diuino nihil eis per se conueniat: hinc è contrario infertur, eam, quæ vni aut alteri specialiter conceditur, non esse ordinariam.

SECTIO II.

Vtrùm Episcopus possit dispensare in legibus Conciliorum Prouincialium.

8. *Sermo est de Concilijs nõdum à Papâ approbatis.*

NON ago de generalibus aut Prouincialibus à Papâ approbatis; nam eorum leges iam sunt Pontificiæ, ideóque debet de illis discurri eodẽ planè modo, quo de alijs Canonicis ex iure communi dictum est sect. 1. Est ergo sermo de Concilijs Prouincialibus nondũ approbatis à Papâ; & an ea dispensatio sit tamquam in legibus proprijs, an verò tamquam in legibus Superiorum. Difficultas hæc pendet ab aliâ, quã tetigi disp. 18. agẽs de his qui possunt leges Canonicas condere, an scilicet in eiusmodi Concilijs sit aliqua iurisdictio maior quàm sit in quolibet Episcopo, an verò tantùm sint ibi multæ iurisdictiones, quælibet supra suam tantùm diœcesim: in quo puncto & ibi & hîc cap 15. P. Suarez vt omnino indubitatum asserit dari superiorem eam iurisdictionem: pro quo multos Canones citat, quos ibi examinaui, dixíq; re bene perpensâ nõ habere vim pro eâ doctrinâ; imò, cùm ius videatur supponere, non posse quidquam in eiusmodi Concilijs decerni nisi ex cõsensu omnium: id quod tacitè etiam approbare videtur Pater Suarez, dum num. 7. docet non aliter potuisse Archiepiscopo vim dispensandi in legibus eius Concilij concedi quàm vel à Papâ, quod est extra quæstionem, vel consentientibus omnibus Episcopis; cùm, inquam, hic consensus omnium necessarius sit, meo iudicio euidenter infertur, non esse ibi maiorem vim quàm in quolibet Episcopo seorsim, quia si esset, per illam posset quilibet in particulari cogi ad acceptandas eas leges, quæ à maiori parte ferrentur; solùm in iure videtur Concilio concessa iurisdictio aliqua maior quàm sit cuiuslibet Episcopi in ordine ad puniendos Episcopos, qui in aliquo crimine deliquisse sint deprehensi: at in ordine ad leges ferendas nihil inuenio in omnibus eis capitibus: ne verò hîc de Conciliorum auctoritate ex proposito disseramus, breuiter in hoc puncto meam mentem explico.

Concilium prouinciale non habet maius ius quàm quilibet Episcopus seorsim, habet tamen maius in ordine ad puniendos Episcopos.

9. *Concilia prouincialia ex nullo capite habent maiorem iurisdictionẽ quàm singuli Episcopi.*

DICO ergo PRIMÒ: Ex naturâ rei, etiam supposito ordine gratiæ, ea Concilia non habẽt talem auctoritatem maiorem: hæc patet manifestè, quia, eò quòd Episcopi Hispaniæ, v.g. conueniant ad agendum de rebus ad bonum Hispaniæ pertinentibus, nec Christus cẽsetur illis dedisse nouam quamdam iurisdictionem maiorem quàm anteà habuerint; nec Papa eo ipso cogitur eam dare; nec ipsi eam transferunt in eam communitatem, vt ea est quid fictum; non aliter, quàm si multi sæculares Iudices diuersarũ Prouinciarum conuenirent ad agendum de bono communi, non ideò ex naturâ rei, aut ex concessione Principis censerentur habere nouam iurisdictionem, etiamsi Princeps ipse hortatus sit eos ad talem conuentum propter bonum publicum: id enim potest fieri concurrentibus multis iurisdictionibus, nullâ maiori resultante.

Dices: Episcopi habent maiorem rationem Primatis. Sed contrà, quia ille ex se non habet vllam iurisdictionem maiorem suprà alios; eo autem

Digitized by Google

tem quòd conueniant, non ei conceditur noua; sed quia præcipuus est inter eos omnes, ideò vocatur, vt rectus ordo seruetur.

10. *Episcopus potest dispensare in legibus Concilij prouincialis.*

DICO SECVNDÒ mihi probabilissimum esse rem de facto ita contingere: id quod eo loco citato fusiùs tradidi, ideóque crediderim quemlibet Episcopum pro suo Episcopatu posse vt in legibus proprijs dispensare, etiamsi in eo Concilio latæ sint, & consequenter eas omnino abrogare: id quod à fortiori de ipso Archiepiscopo pro suâ diœcesi dicendum est.

Duo capita, ex quibus Concilium prouinciale potest acquirere iurisdictionẽ supra singulos Episcopos.

DICO TERTIÒ: Potest tamen dupliciter fieri, vt in eis Concilijs reperiatur iurisdictio maior quàm cuiuslibet Episcopi: Primò, si Pontifex eam concedat illi cœtui; in quo nec leuis apparet repugnantia; & propter auctoritatem multorum probabiliter dici potest de facto concessa: Secundò, si ipsi Episcopi conuenientes in vnum suam transferant illi cœtui, eóque ipso illum constituant supra se, eo planè modo quo ciuilis iurisdictio à Republicâ censetur translata vel in Principem vel in Senatum.

Episcopi possunt Concilio dare aliquã iurisdictionẽ in se in ijs in quibus non impediuntur per Pontificem.

Dicet aliquis, Esto id non repugnet ex naturâ rei, de facto tamen non potest contingere, quia in lege gratiæ tota iurisdictio Ecclesiastica est à Christo collata Pontifici; nulla ergo manet in Episcopis, quam possint supra se concedere illi Concilio. Respondeo Primò, me solùm in præcedenti modo declarasse quî fieri possit ex naturâ rei talis translatio, si aliud impedimentum nõ suboriatur. Secundò respondeo, licet Christus Petro eiúsque successoribus dederit adæquatam iurisdictionem Ecclesiasticam in oues ipsius Christi, non tamen inde inferri, easdem oues, quando positiuè non impediuntur per vicarium Christi, non posse etiam dare aliquam iurisdictionem spiritualem in se in ordine ad ea in quibus nullo modo contrariantur Vicario Christi: ex quo capite dixi in superioribus, valdè probabile esse eos Monachos Ægypti, qui etiam inscio Romano Pontifice eligebant suum Abbatem, à quo gubernabantur, subiecisse seipsos illi dando iurisdictionem spiritualem in ordine ad gubernationem spiritualem sui.

11. *De facto non potest præsumi concessa Concilijs talis iurisdictio.*

DICO tamen QVARTÒ, Hic modus non videtur probabiliter de facto posse admitti, quia ad eum requireretur in ipsâ congregatione Concilij aliquod signum, quo eam translationẽ iurisdictionis profiterentur; hoc autem signum non est in vsu, neque de eâ translatione quidquã tunc auditur; ergo non debemus id de facto cõcedere, etiamsi ex se possibile sit: vnde concludo, si debeat ea potestas maior concedi, recurrendum esse ad concessionem factam à Pontifice.

An leges latæ à Concilio censeantur propria Primatis præsidis Concilij. Negat Suarez. Cap. Multis. non fauet P. Suario, quia non agit de potestate legislatiuâ.

Hinc oritur dubium duplex. Primum, an ipse Primas præses Concilij sit ita supra illud, vt cẽseantur leges à Concilio latæ esse proprię illius, non verò alicuius altioris. Pater Suarez num. 5. opinatur etiam ipsum Archiepiscopum ibi esse tamquam subiectum: quod probat auctoritate Glossæ vltimæ in cap. *Sicut*. 2. q. 7. & ex Glosâ vltimâ in cap. penult. de appellationibus in 6. & ex cap. *Multis*. distinct. 17. in quo admittitur appellatio ab Archiepiscopo ad Synodum: ergo Primas est etiam subiectus Synodo. Ego hunc Canonem vltimum nequaquam puto esse ad rẽ præsentẽ: hîc enim agimus de potestate legislatiuâ; in eo autem cap. agi videtur de quæstionibus ad fidem pertinentibus: dicitur enim, Si in qualibet Prouinciâ ortæ fuerint quæstiones, & discrepare cœperit ratio, &c. ad maiorem Sedem referantur: & si illic facilè & iustè non discernuntur, vbi fuerit Synodus regulariter congregata, canonicè & iustè iudicentur. Quæ omnia magis videntur spectare ad quæstiones de fide quàm ad leges. Secundò, & meliùs, ei respondeo, necessarium videri ibi non esse sermonem de Concilio Prouinciali, quia incredibile videtur, vt, cùm in eo capite supponat Pontifex eas quæstiones non potuisse decidi ab Episcopis & Metropolitano, eas remittat decidendas in Concilio prouinciali; vbi non nisi ijdem Episcopi & Metropolitanus conueniunt: debuit ergo aliud Concilium intelligere. Deinde in eo capite, vt patet ex primis verbis, est sermo de Concilio, quod sine Pontificis speciali auctoritate congregari non potest; ergo non est sermo de Prouinciali, sed de generali: nam ad Prouinciale Concilium non est necessaria specialis Papæ licentia, quia iam est generalis; ergo ex eo loco non multùm infertur de subiectione Metropolitani toti Concilio. Adde etiam Tertiò posse responderi, licet subijceretur in ordine ad decidendas eas quæstiones, non tamen subiici in ordine ad leges ferendas.

Non fauet Secundò, quia loquitur de Concilio generali, non Prouinciali.

12. *Iurisdictio specialis cẽssa Concilio conceditur Metropolitano.*

Vnde putarem valdè probabile, si Concilio specialis conceditur iurisdictio supra alios Episcopos, eam concedi Metropolitano vt capiti: etenim licet Concilium habeat auctoritatem ad puniendos reliquos Episcopos, non tamen ipsũ Metropolitanum; sed si contra ipsum aliquid habetur, debet ad Summum Pontificem deferri, vt constat ex cap. *Graue*. de præbendis: cuius rei non aliam meliorem reddere possumus rationem, quàm quòd ille sit supra Concilium.

Obiectio.

Dices, nos paulò antè docuisse, etiamsi Concilium habeat iurisdictionem supra Episcopos quoad punitionem, non ideò sequi, eam habere quoad ferendas leges; ergo è contrario, etiamsi Concilium non habeat iurisdictionem supra Primatem quoad punitionem, poterit habere quoad leges ferendas: non ergo est bonum argumentum à nobis factum. Respondeo consequentiam non esse bonam ab vno casu ad alium. Disparitas est facilis; nam quòd Episcopus subiiceretur quoad punitionem, non quoad leges, potuit esse valdè expediens; nam cùm leges pro illius subditis, quorum mores & dispositiones, &c. ab aliis Episcopis non cognoscuntur, non erat expediens vt illi possent eum cogere ad ferendas leges pro illis; vt verò subiiceretur quoad pœnam expediens fuit, quia de culpâ ipsius non ipse, sed alii debebant iudicare: in Metropolitano autem, si semel admittitur, absoluta subiectio respectu Concilii in ordine ad leges, non videbatur rationabile vt exciperetur in ordine ad causas proprias, cùm non posset meliùs iudicari quàm à Concilio habente aliunde iurisdictionem supra illum, & potente commodissimè causam illius examinare; ergo probabilius est illum assistere vt caput, datâ ipsi à Pontifice speciali auctoritate.

Soluitur, & datur ratio, cur Episcopi subiaceant Cõcilio quoad pœnam, non autem quoad ferendas leges.

13. *Metropolitanus non potest transacto Concilio dispensare in legibus ab eodem latis.*

Indè tamen non potes inferri, illum posteà posse eas leges abrogare; nam Metropolitanus extra Concilium non habet eam auctoritatem, quam in illo habuit; vnde, transacto Concilio, quia iam functus est officio, non poterit eas leges abrogare, aut in eis dispensare tamquam in propriis, sed tamquam in altioribus; vt, si Pontifex renuntiato Pontificatu fieret particularis Episcopus, non posset dispensare in suis legibus tamquam in propriis, quia moraliter sunt ab altiori potestate quam iam de facto habeat.

Denique

Digitized by Google

Etsi Episcopi essent subiecti Concilio, possent nihilominùs dispensare in legibus eiusdem pro suo Episcopatu.

: Denique concludo, etiamsi dicamus Episcopos esse subiectos Concilio, probabiliter asserendum esse, eos habere potestatem dispensandi in eis legibus quemlibet pro suo Episcopatu, quia non creditur Concilium reseruasse sibi eam potestatem; cùm enim rarò ea Concilia conuocentur, esset durum, aut illud expectare, aut ad Pontificem recurrere pro omnibus legibus particularibus, ergo.

Dices: Hìc habet locum ratio, quam suprà fecimus, ad probandum Episcopum non posse dispensare in lege Pontificis, quia inferior non potest prævalere contra superiorem. Quæ ratio eodem modo hìc militat. Respondeo etiam, eam rationem hìc esse bonã: at nos dicimus, eum posse dispensare, non propriâ auctoritate, sed concessâ ab ipsomet Concilio, quam concessionem intulimus probabiliter paulò antè, sicut etiam sectione primâ diximus, ab ipso Papâ esse concessam Episcopis aliquam ordinariam potestatem dispensandi in legibus ipsorum Pontificum.

14. *An Episcopus possit dispensare in legibus Synodalibus. Quid sentiat Suarez.*

Difficultas alia annexa præcedenti est, vtrùm Episcopus possit dispensare in legibus in Synodo Episcopali factis pro suo Episcopatu, an verò etiam ibi Synodus habeat iurisdictionem supra Episcopum. Pater Suarez suprà negat Synodo illi vllam vim dispensandi, & soli Episcopo eam concedit; eò quòd omnes qui concurrunt ad illam Synodum, præter Episcopum, nullam habeant iurisdictionem, esto in Concilio prouinciali, quia omnes habent iurisdictionem, etiam sit iurisdictio aliqua supra quemlibet. Quidquid tamen de substantiâ rei sit, hæc differentia meo iudicio planè nulla est; nam etiam in Concilio prouinciali in ordine ad intentum præsens nullus habet iurisdictionem; nam in primis vnus Episcopus non habet supra alterum: Secundò, supra se nemo habet: quid ergo, quæso, confert, quòd illi habeant iurisdictionẽ supra suas oues, vt propterea in Concilio resultet vna tertia iurisdictio supra ipsos? Meliùs fortè defendetur ea conclusio, si consequenter ad rationem suprà à nobis traditam dicamus, licet in re ipsâ nulla vera detur disparitas à priori, nihilominùs re ipsâ in vno esse eam superiorem iurisdictionem, quia illam concessit Pontifex; quod suadetur probabiliter textibus suprà citatis & communiori sententiâ; in alio verò non dari, quia non habemus fundamentum ad eam ponendam. Fortè per modum congruentiæ poterit sic applicari ratio Patris Suarez, vt cùm in Prouinciali Concilio omnes sint Episcopi, magis sint capaces recipiendi iurisdictionem supra quemlibet, quàm vbi solùm sunt Canonici, vt eam recipiant supra Episcopum. Vide Patrem Sanchez libro 8. de Matrimonio disp. 17. numero 34.

Quomodo defendenda sit pars affirmans.

Sectio III.

Sub quibus conditionibus possit Episcopus dispensare: vbi, an qui potest dispensare possit permutare.

15. *An, vt Episcopus dispenset, requiratur consensus Capituli. Fundamentum partis affirmantis. Non vsu bonũ.*

QVÆRIMVS, an, quando Episcopus dispensare potest in iure tam communi quàm proprio, indigeat cõsilio & cõsensu Capituli. Affirmant nonnulli, eò quòd dispensatio computetur inter res arduas & magnas, iuxta cap. *Didici.* 1. q. 7. atqui grauiora negotia Episcopus non potest sine suo Capitulo expedire, vt dicitur in c. penult. 15. q. 7 & c. 4 de his quæ fiunt à Prælato, ergo. Hoc tamen argumentum vtramq; propositionem falsam videtur habere: etenim per se dispensatio, nisi materia grauissima sit, non computatur inter ardua; malè autem citatur c. illud *Didici.* quia in eo nihil penitus de eâ quæstione, sed purè putè Cyrillus, è cuius Epistolâ desumptum est, docet, non valdè solicitè inquirendum de culpis præcedentibus eorum qui seriò ad fidẽ Catholicam redeunt. Minor etiam vera non est; neque in eis capitibus sub eâ vniuersalitate continetur, sed purè dicitur, vt in iudicijs & in causis pertinentibus ad Ecclesiam & bona illius præsentes sint Canonici; neque requiritur ibi eorum suffragium, sed consilium.

Defenditur pars negatiua.

Dicendum igitur est, Episcopum posse dispensare sine consilio & consensu Capituli: patet, quia ex naturâ rei ille consensus non requiritur; ipse enim Episcopus solus est, qui iurisdictionẽ habet: ex iure autem positiuo nullum fundamẽtũ affertur, quo id reijciatur; imò potiùs contrarium videtur probari. Nam iura Canonica, quando concedunt Episcopo facultatem dispensandi, semper videntur cum eo solo loqui, vt in c. *Etsi.* de iudicijs. & in cap. *Cùm ex eo.* de electione in 6. & eodem modo Tridentinum loquitur sessione 14. cap. 7. & sessione 24. c. 6. Denique, cùm ferre legem grauius sit quàm in ea dispensare, & suprà ostenderimus, Episcopum ad ferendas leges non indigere consensu Capituli, multò minùs indigebit ad dispensandum: quod eodem modo intelligendum est de dispensatione in suis ac in altioribus legibus, quando ad dispensandum in eis facultatem habuerit.

An qui potest dispensare possit commutare.

In secunda sectionis parte quærimus, an qui potestatem habet dispensandi in legibus, habeat etiam commutandi obligationem in aliam, siue illæ leges sint propriæ, siue altiorum Legislatorum. De hac quæstione agit P. Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 14. num. 1. & P. Suarez suprà cap. 16. Meo iudicio res est facilis, ideóque breuiter expedienda.

16. *Legislator in proprijs legibus potest cõmutare. Ratio à priori.*

DICO PRIMÒ: Eam potestatem commutandi in proprijs legibus non possumus vlli Legislatori negare: rationem à priori reddo manifestam, relictis aliorum probationibus; nam ad omne id, ad quod faciendum nemo tenetur, potest, si petatur ab eo vt faciat, apponere licitè cõditionem aliquam petenti onerosam, dummodò in se honesta sit, & non sit improportionata fauori aut gratiæ quam præstat. Hæc propositio in terminis videtur nota: nam si ea conditio non placuerit ei qui gratiam petit, poterit eã non acceptare, & ea gratia carere, sicq; nulla ei fiet iniuria. Quæ propositio vera est, etiamsi tanti momenti sit conditio apposita quàm gratia quę fit; quia sæpè homines vnam aliquam rem æstimãt & reputant sibi pro magna gratia, si concedatur eis, esto debeãt alia æqualis valoris priuari, quia hanc, qua priuantur, non ita curant; & id manifestè patet in omni emptione aut permutatione æquali: quòd si conditio, quæ apponitur, sit minoris difficultatis & momenti, tunc clariùs apparet eam posse peti honestè. Subsumo minorem: Atqui omnis dispẽsatio est gratia & fauor, ad quem Legislator non tenetur: nam licet debeant esse rationes, quæ reddant rationabilem eam dispensationem; de quo infrà; non tamen est necessum, vt illæ sint tales, vt non possit Legislator eis non obstantibus negare eam dispẽsationem; ergo eam concedens poterit apponere conditionem aliquam honestam & onerosam, quæ eo ipso erit permutatio.

Digitized by Google

17. *Obiectio. Quot modis dispensatio possit esse debita.*

Dices Primò: Sæpè potest dispensatio esse debita, vt constat ex Panormitano, Decio, Felino & alijs in cap. *Etsi.* de iudicijs, & ex Glossâ in cap. *Dispensationem.* 1. q. 7. id quod contingit variis modis; Primò, quando ius assignando causam iustam mandat vt dispensatio detur: id quod significatur verbo *Debet dari*, vel, *Ordinamus vt detur*, &c. Secundò potest esse debita per præceptũ particulare; vt si Pontifex specialiter alicui committat vt cognita causa dispenser. Tertiò potest esse debita ex iustitiâ, quando est necessaria ad commune bonum, vel vitandum publicum scãdalum; vel quando aliter non potest spirituali bono & saluti postulantis consuli. Quartò potest esse ex misericordia debita, quando proximus grauiter indiget, etiamsi non in eo gradu, qui sufficiat ad inducendam obligationem ex iustitia; ergo saltem in omnibus his casibus non poterit fieri commutatio. Respondeo Primò pro his omnibus casibus aliam à me reddendã rationem dum respondeo primo fundamento diuersæ partis. Respondeo Secundò, per se loquendo, etiam tunc licere eam appositionem conditionis; quia etiam tunc aliquo modo conceditur liberè, ideóque apponi poterit onus aliquod, licet leuius.

Etiam quando dispensatio est debita potest ei apponi conditio.

Dices: Dispensatio tunc quodammodò vendetur. Nego suppositum. Primò, quia si conditio apposita non pertineat ad materiam pecuniariã aut bonorum temporalium, sed sit purè spiritualis, non erit simonia: si enim ego illi confero beneficium Ecclesiasticum cum hoc onere, vt singulis diebus media hora v. g. meditetur de passione Christi, aut de gloria, quæ erit ibi, quæso, simonia? Secundò respondeo, Esto ea conditio sit in materia pecuniæ, si tamen non pro se aut suis, sed in pauperes v.g. applicatur, vt scilicet singulis mensibus largiatur pauperibus aliquam eleemosynam, vbi erit vel vmbra simoniæ?

Conditio apposita potest etiam esse in materiâ pecuniariâ.

18. *Quo sensu Tridentinum dicat dispensationem debere concedi gratis.*

Dices Secundò, Tridentinum sess. 25. cap. 18. de reformatione præcipit dispensationes gratis dari; ergo non licebit eis apponere vllam conditionem onerosam. Respondeo, *τὸ gratis* non denotare, nisi vt ipse concedens dispensationem donis aut muneribus ad eam concedendam non inducatur, & ne pecuniam aut in materia pecuniæ solutionem aliquã pro ea exigat: nam alioquin qui dispensans nihil penitus pro se petit, si alterum obliget vt oret singulis diebus, certè gratis illi dat dispensationem.

Etiam in lege Superioris semper potest dispensationi apponi conditio, nisi id expressè prohibeat Legislator superior.

Hinc DICO SECVNDÒ discurrendum eodem modo in dispensatione circa leges Superiorum, quia ratio immediatè facta etiam in illa dispensatione locum habet; nam neque ad eam dandam tenetur dispensans; & ex parte conditionis appositæ nullum est obstaculum, ergo. Addenda tamen hîc ea ordinaria limitatio, quã sæpè tetigimus, nisi scilicet superior Legislator dum fecit potestatem dispensandi, simul etiam prohibuerit vllam conditionem apponi; tunc enim haud dubiè non poterit apponi: quamdiu autem de hoc speciali iure non constat, argumentum à me factum totam suam vim retinet. Hanc secundam conclusionem negant nonnulli; inter quos est P. Sanchez suprà n. 2. & lib. 3. disp. 10. à num. 3. vbi ait eam vim commutandi non concedi, etsi concedatur vis dispensandi in legibus Superiorum.

Fundamenta pro parte negatiuâ non subsistunt.

Quæ doctrina nec traditur consequenter, vt ex ratione à me facta constat; neque veritati consona est: duo enim vel tria fundamenta, quibus vtitur, & leuia sunt, & æqualiter in vtraque dispensatione vim habent, vt ex eorum solutione constabit, vbi simul magis roborabitur nostra conclusio, & afferetur ratio pro casibus paulò antè nobis obiectis.

SECTIO IV.

Soluuntur argumenta opposita: vbi, an in aliquo casu sit illicita permutatio.

19. *Primum argumentum. Non vrget Primò, quia sequeretur, neq; Papam posse apponere dispensationi conditionem. Secundò, quia etiã vbi est necessaria dispensatio, potest ei apponi conditio.*

PRIMVM est, quia si causa dispensandi est iusta, ergo iniustè aliquid aliud petitur, seu iniustè aliud onus imponitur. Respondeo Primò, rationem hanc eodem modo vrgere contra ipsum Papam dispensantem in votis; vbi nemo negat licitam esse eam permutationem per conditionem aliquam onerosam. Respondeo Secundò, Esto causa sit iusta vt possit concedi dispensatio, non inde inferri, iniustam fore appositionem conditionis, quia (vt dixi) etiam supposita iusta causa adhuc potest non dari dispensatio: deinde, etiamsi ea causa existente negari non posset dispensatio, non inde inferri non posse honestam conditionem apponi, tum quia in bonum publicum id expedit sæpè, ne illæ dispensationes vilescant; tum quia, vt aliqualiter ille homo conformetur cum reliqua communitate; meritò ablato ei onere, quod non potest sustinere, imponitur ei aliud leuius, ne omnino sit quasi exlex: sic ei qui non habet visum sufficientem vt sine grauissima molestia legat totum Officium diuinum, potest imponi vt oret rosarium beatæ Virginis, &c.

Secundum argumentũ. Nimis multum probat.

Secundum argumentum est, quia ea permutatio vix potest à simoniæ labe excusari: sed huic argumento superiùs satisfactum est, nunc addo illud, eodem modo vrgere contra Papam aut cõtra Episcopum in suis proprijs legibus dispensantem; cur enim magis arguetur simoniæ Episcopus quàm Papa? aut, cur Episcopus in alienâ lege, non in propria?

Tertium argumentum falsum assumit.

Tertium sit, quia ea permutatio excedit potestatem Episcopi; iam tamen ostendi ex naturâ rei id non esse supra illius vires, neque item ex iure quidquam in contrarium inferri.

Quartũ argumentum. Non est bona consequẽtia, Episcopus potest commutare obligationem legis ex iustâ causâ, ergo etiã sine illâ.

Quartum argumentum, quia inde sequeretur posse Episcopum sine causa mutare obligationem legis in aliam æquiualentem, sicut potest in votis. id quod est absurdum. Respondeo negando consequentiam; nam ex eo, quòd quando dispensat ex iusta causa possit addere conditionem aliquam onerosam, nullatenus sequitur eum posse dispensare sine causa, & consequenter nec sequitur posse fieri eam permutationem sine causa; neque video vllo modo vim illationis. Ad instantiam de voto respondeo, illam ab omnibus soluendam, & eodem modo vrgere contra Papam dispensantem permutatiuè in suis legibus. Hoc vltimum ex se patet; illud verò probo; nam independenter ab hac sententia sic ego argumentabor: Potest Episcopus sine causa mutare votum in rem æquiualentem, ergo & legem. Vides instantiam esse absolutè independentem à sententia nostra præsenti. Respondetur ei absolutè, votum ideò posse in rem euidenter meliorẽ permutari, quia Deus, qui illud acceptauerat, semper est magis contentus re ex se meliori, ideóque semper censetur cedere iuri suo in ordine ad eam permutationem; in legibus autem ea ratio non v. get alio-

Ratio, cur vota possint ab Episcopo commutari sine causâ in rem meliorẽ, & non obligatio legis.

Digitized by Google

alioquin subditus ipse posset etiam sibi permutare legem: quod est absurdum. Ideò autem in lege non habet locum ea ratio, quia lex non attendit ad materiam ex se meliorem, sed quæ magis pro bono publico expediat, aut propter alias speciales rationes, quæ non inueniuntur in alia materia etiam honestiori; ideóque sine causa non est licita ea permutatio.

20. *P. Sanchez ideò negat Episcopũ posse commutare in lege Superioris, quia potestas dispensandi non est idem cũ potestate commutandi.*

Pater Thomas Sanchez eo lib.8. disp.2. contrarium (vt dixi) sentiens maximè hac nititur ratione: Potestas dispensandi ex conceptu suo non dicit potestatem commutandi, quia ea duo inter se separabilia sunt; ergo ex eo quòd vna concedatur alicui inferiori Legislatori, non sequitur concessa altera. Consequentia videtur bona. Antecedens autem probatur, quia potestas dispensandi non includit vt partem potestatem commutandi; vnde potest Papa dare alicui illã negando hanc: quod & nos paulò ante insinuauimus.

Respondetur fundamento P. Sanchez. Primò.

Respondeo tamen Primò ex ratione superiùs à me data, etiamsi non includatur ea commutatio in dispensatione, nullo tamen modo illi repugnare, ideóque, quando proximè dispensans liberaliter agit, posse apponere conditionem onerosam modo à nobis explicato.

Respondetur Secundò.

Secundò respondeo ex Patre Suario, Quando alicui datur potestas ad maiorem ablationem vnius rei, censeri datam etiam ad minorem ablationem illius eiusdem rei, nisi contrarium insinuetur in ipsa donatione. Pro quo aduerte, dispensantem agere causam auctoris legis condonando id, quod ei quodãmodò debebatur: vnde sicut dominus licentiam dans administratori bonorum, vt, si iudicauerit ex prudenti causa remittat subditis debitum illorum, sine dubio à fortiori dat ei potestatem, vt, si possit, permutando in aliquam aliam actionem, quæ & subditis sit suauior, & in domini bonum cedat, remittat ea debita, quia tunc magis consulitur domino; ita in legum dispensatione, quia magis consulitur bono publico, quod Princeps reputat suum, si ea permutatio fiat; à fortiori censetur ad eam dedisse licentiam. Quam instantiam benè Suarez suprà tetigit. Constet ergo non esse vllam rationem, cur vniuersaliter negetur ea potestas permutandi.

Exemplo declaratur quomodo potestas dispensandi soleat esse cõiuncta cum potestate cõmutandi.

21. *Quando liceat dispensationi apponere onus pecuniarium dijudicabit prudentia. Duæ regulæ P. Suarij ad hoc cognoscendum. Prima quando lex non est onerosa, non licet eius obligationem mutare in onus pecuniarium.*

Vtrùm autem in aliquibus dispensationibus non liceat apponere pecuniarium aliquod onus, in fabricam v. g. templi, aut in eleëmosynam pauperum, debet prudenti iudicio in casibus particularibus decidi. P. Suarez n.9. & 10. duas regulas tradit. Prima est, si materia legis, in quâ est dispensatio, non sit propriè onerosa, sed imposita propter vitanda aliqua incommoda, vel propter fines alios honestos spectantes ad bonum commune; vt v.g. lex præcipiens denuntiationes publicè fieri ante matrimonium: actus enim ille non postulatur propter se, sed propter vitanda pericula: si, inquam, talis sit materia, dicit non debere fieri permutationem aliquam in rem pecuniariam, quia ea permutatio non habet proportionem cum materiâ dispensationis, sed casu quo iustas ob causas dispensetur, id debere fieri, vel nullâ appositâ conditione, vel certè, quæ ordinetur ad eumdem finem legis: vt si ei præciperetur abstinere à copulâ, donec diligentiâ sufficienti adhibita certò deprehenderetur an alteri promisisset.

Secunda regula quandò lex in quâ fit permutatio, fuit onerosa, potest apponi onus pecuniarium.

Secunda regula Patris Suarez est quando lex est onerosa, cùm tunc liberatio ab eo onere proportionem habeat cum onere aliquo in materia pecuniæ; quo redimatur grauamen legis, posse iustè illud onus imponi.

Hæc Secunda regula mihi placet, Prima non ita, quin video praxim maximè contrariam; nam lex prohibens matrimonium intra certos gradus affinitatis aut cõsanguinitatis non fertur directè ad grauandas personas, sed propter bonum publicum, vel propter honestatem in ipsa actione repertam; & tamen certum omnino est, in eiusmodi dispensationibus imponi frequenter permutationem in eleëmosynam aut in pecuniam ad causas pias; & idem est in aliis similibus legibus: vnde in hac materia non putarem posse vllam certam regulam tradi, sed debere diligenter ponderari & personarum, cum quibus fit dispensatio, qualitatem, & grauitatem rei in qua dispensatur, & vtilitatem, quæ inde resultat illi personæ. Ex quibus capitibus fortè posset alia magis apparens regula tradi, vt scilicet, si vtilitas inde veniens sit corporalis, vt in dispensatione ad contrahendum cum consanguineâ, in liberatione ab obligatione ieiunij, &c. possit meliori titulo aliquod onus pecuniarium imponi. At si dispensatio sit in ordine ad rem spiritualem, vt v.g. quòd possit ordinari extra tempus, ex quo nullum per se physicum accipit lucrum, sed sacros Ordines spirituales vno aut altero mẽse citiùs, non videtur habere proportionem permutatio in pecuniâ; secùs esset, si simul cum anticipatione Ordinum dispensaretur in accipiendo citiùs beneficio aliquo & eius fructibus; tunc enim meritò illi posset imponi, vt aliquam ex eis fructibus eleëmosynam faceret, vel ad causas pias designaret. Quæ doctrina vniuersalis est tam ad dispensationem in legibus propriis quàm in legibus Superiorum.

22. *Prima regula P. Suary praxis repugnat: Secunda bona est.*

Quando ex dispensatione prouenit vtilitas corporalis videtur posse apponi onus pecuniarium: non item, quando prouenit vtilitas spiritualis.

SECTIO V.

Cuius iuris sit potestas dispensatiua.

23. *An sit iuris stricti, an fauorabilis.*

VLtimò circa potestatem dispensandi quæritur, qualis sit iuris, an stricti, seu odiosi, an verò fauorabilis. Quæ difficultas licet ad modum loquendi videatur pertinere, est tamen necessaria vt sciatur, an debeamus illam interpretari cum extensione seu largè, an verò strictè & rigorosè.

SVBSECTIO I.

Status quæstionis & varia sententia proponuntur.

Potestas dispensandi duplex est: alia in Legislatore respectu suarum legum, alia delegata. Delegata alia est ordinaria, alia extraordinaria. Ordinaria est iuris fauorabilis. Varij modi quibus concedi potest potestas extraordinaria delegata.

PRo hac difficultate distinguenda est duplex potestas dispensandi: vna, quæ est in ipsomet Legislatore respectu suarum legum: & de hac certum est esse iuris fauorabilis, & extendi debere, quia ex naturâ rei inest Legislatori, &, vt suprà diximus, extenditur ad omnia ad quæ ipsa potestas legislatiua. Alia potestas est delegata ad dispensandum in legibus Superiorum, de quâ in præcedentibus; & in eâ solâ locum habet difficultas præsens. Aduertendum item Secundò hanc eamdem potestatem delegatam esse posse duplicem, vnam ordinariã, aliam verò, quæ solet absolutè vocari delegata, quia est extraordinariã; Ordinaria ab omnibus communiter iudicatur fauorabilis, quia per eam constituitur ius quoddam; ius autem omne est fauorabile: solùm ergo restat altera quæ delegata est. Circa quam rursus

obseruandum eam variis modis posse concedi; Primò ad instantiam eius, cum quo est dispensandum: id quod fieri potest dupliciter; vel determinatiuè, assignando eum qui debet dispensare, vel dando optionem vt eligat quem velit, vt secum dispenset. Secundo modo potest delegari ea potestas sine petitione eius cum quo est dispensandum: id quod rursus fieri potest duobus modis, vel determinando illi personam & casum in quo debeat dispensari, siue id fiat obligando illum vt dispenset, siue relinquendo illi liberum, vt, si nolit, non dispenset. vel non determinando illi vllam personam, sed dando illi potestatem dispensandi cum eis qui petierint Hoc supposito.

24. *Prima sententia affirmans omnem potestatē extraordinariam esse odiosam. Secundo affirmans esse fauorabilem. Alia tres sententia distinguentes inter potestatem extraordinariam.*

Tot ferè sunt diuersæ sententiæ quot sunt ij modi quibus fieri potest hæc concessio. Prima opinio vniuersaliter dicit, omnem eam potestatē esse odiosam, quia dispensatio, quæ est actus illius, odiosa est. Secunda sententia extremè opposita dicit omnem esse fauorabilem, quia non est iuri contraria; & est beneficium Principis. Tertia sententia dicit, si sit potestas data immediatè ipsi dispensatori, indifferenter esse fauorabilem, omnem aliam esse odiosam. Ita P. Suarez cap. 17. num. 7. & sequentibus. Quarta sententia dicit, etiam eam esse fauorabilem, quæ datur ad instantiam seu in fauorem dispensantis. Quinta sententia dicit etiam esse fauorabilem omnem quæ datur dispensanti sine obligatione, & cum libertate ad non dispensandum, si velit.

Tertia & quarta sententia inconsequentia arguuntur.

Ego (vt sincerè quid sentiam dicam) censeo tertiam & quartam sententiam non videri loqui consequenter, ideóque vel dicendum absolutè omnem talem potestatem esse odiosam, vel omnem esse fauorabilem, excepto casu quintæ sententiæ: id quod facilè ostendo discurrendo per rationes differentiæ, quæ in illis afferuntur; & quidem illi, qui aliquam potestatem dispensandi dicunt odiosam, eò quòd ipsa dispensatio, quæ est actus illius sit odiosa, & tamen in aliquâ id negant, manifestè videntur consequentiam deserere, nam ea ratio, quòd actus illius potestatis sit odiosus, ad omnem eam potestatem se extendit: ergo si natura actus transfertur in causam, omnis ea potestas erit odiosa: & verò hinc addiderim, quod fortè paradoxum videbitur, magis esse odiosam eam, quæ daretur indifferenter ad dispensandum cum quocumque, quàm illam, quæ ad vnum casum particularem; quia si ob actum odiosum dicitur odiosa potestas, ergo quo ad pluses actus odiosos extenditur, magis erit odiosa: multiplicatâ enim ratione odij, odium ipsum multiplicari necessum est.

25. *Non est fundamentum dicendi omnem potestatem determinatam esse odiosam indeterminatā, verò fauorabilem.*

Secundò, item illi, qui dicunt omnem determinatam esse odiosam, indeterminatam verò fauorabilem (vt P. Suarez suprà) non assignant sufficientem rationem disparitatis. Quòd enim Primò dicunt eam potestatem ordinariam seu generalem non esse odiosam, quia non est contra ius, eodē modo vrget contra omnem aliam; nam licet actus in ordine, ad quem datur, sit contra ius, in quo etiam conuenit hæc cum ordinariâ, vt immediatè antè dixi; ipsa tamen potestas non est contra ius prohibens, ne detur ordinaria potestas; ita neque est ius prohibens, ne detur particularis potestas; ergo ex hoc capite nulla est differentia. Quòd item secundo loco dicunt, eam quasi ordinariam esse in bonum commune, ideóque non esse odiosam, alias verò, quæ particularem personam respiciunt, esse in bonum particulare, & ideò esse inuidiosas, & restringēdas, hoc etiam nullo modo satisfacit; Primò, quia expresè ipse P. Suarez sequenti capite num. 18. ait,

Potestas determinata tam respicit bonum commune quam indeterminata.

Etiamsi dispensatio non ordinetur immediatè in bonum publicum, eo ipso censeri redundare in bonum commune; quia bonum partis in bonum totius corporis redundat: nam dispensator ita debet habere curam boni communis, vt etiam habeat singulorum. Hæc ille ibi. Ergo etiam potestas ad dispensandum in vnâ solâ personâ est in bonum commune, ergo non est odiosa. Secundò idem reiicio, quia sæpè potest esse dispentio erga vnam particularem personam, & tamen esse quasi immediatè in bonum commune. Si v. g. non esset persona apta pro Episcoparu & pro bono publico diœcesis nisi vnus, qui esset bigamus, certè dispensatio in eo, à quo speratur summum bonum totius Episcoparus, respiceret immediatè bonum commune, & quidem longè magis, quàm dispensare communiter in obligatione ieiunij: quòd si eo casu daret Pontifex alicui Primati potestatem dispensandi cum tali viro in ordine ad sacros Ordines, &c. quis posset re prudenter examinatâ dicere, hanc potestatem dispensandi odiosam esse, & non ordinari in bonum publicum, alteram verò dispensandi indifferenter in lege ieiunij esse in bonū publicum & fauorabilem? Idem dicendum est in aliis diuersis casibus, quando homini de Republicâ benè merito fit quasi in præmium aliqua gratia, quæ sine dubio ad bonum commune ordinatur; quo casu alibi diximus cum eodem P. Suario, etiam ex bonis communibus seu ex tributis esse licitum ei magnum aliquem fauorem præstare: ergo non potest, eò quòd potestas dispensandi respiciat in particulari determinatam personam, dici odiosa præ alterâ quæ respicit multas. Quæ ratio & eius instantiæ eodem modo habent vim, siue in eis casibus eam potestatem dispensandi petat ipse cui est conferenda dispensatio, siue illam petat Respublca pro illo, siue ipse, cui deleganda est vis dispensandi; vnde reiiciuntur, qui illas alias distinctiones in quarta & quinta sententia positas inuenere.

Declaratur id amplius exemplo particulari.

26. *Ratio disparitatis de bono publico & priuato amplius refutatur.*

Tertiò reiicio eam disparitatem tertiæ sententiæ, quia si potestas dispensandi cum multis ideò est in bonum commune, quia per illam potest cum hoc & illo in particulari dispensari, ergo quælibet dispensatio in particulari saltem inadæquatè est in bonum commune: patet, quia si quælibet inadæquatè & particulariter non esset in bonum commune, omnes simul non facerent adæquatè vnum bonum commune; ergo ex eo capite nulla differentia sufficiens colligitur.

Doctrina quarta sententia refutatur.

Quod item tradit quarta sententia, scilicet eam solam potestatem dispensandi esse fauorabilem, quæ datur ad instantiam dispensatoris, facilè reiicitur: nam (vt benè P. Suarez num. 8. docet) gratis ea differentia adstruitur; nam illa facultas in se eadem est, & semper habet respectum ad dispensantē, & ad alterum, cum quo est dispensandū: item fieri potest, vt persona, cui est facienda gratia, sit magis digna eo fauore, quàm persona quæ illam datura est; vt optimè probatur instantia à nobis contra eundem Patrem Suarez allata de ea persona bigama pro Episcopatu; imò petitio eius facultatis ex parte personæ indigentis est magis fauorabilis, quia oritur ab indigentia & ab humiliatione sui, qui se eo ipso ostendit miserabilem: in dispensante verò videtur ea petitio esse ex fastu & superbia, nisi fortè

Ratio disparitatis reiicitur.

Digitized by Google

fortè ipse etiam moueatur ad petendum ex eâ miseria alteriùs cognita, & illam proponat Papæ: quo casu licet non sit magis fauorabilis præ indigente, saltem non est minùs.

27. *Quinta sententia ex parte approbatur.*

Magis videtur accedere ad veritatem quinta sententia, quæ eam solam dicit odiosam potestatem, quæ datur cum obligatione conferendi dispensationem cognita causa; nam tunc ea potestas, moraliter loquendo, videtur esse actualis dispensatio in iure,& solùm desiderari examen aut disquisitionem faciendam ab eo cui committitur dispensatio;vt cùm quis petit secum dispensari in gradu prohibito ad matrimonium; Pontifex verò remittens alicui, siue certæ siue incertæ personæ examen causarum, ei mandat, vt si deprehenderit rem ita se habere,dispenset;ideóque solùm hunc casum puto excipiendum, quia reuerà,si moraliter res consideretur,tunc temporis immediatè ipse Pontifex dispensat, alter verò non nisi vt examinator causæ iudicandus est: vnde etiam obiter noto, in tali dispensante non esse eam potestatem, quam suprà diximus,apponendi vllam conditionem onerosam ei dispensationi, quia in rigore non est dispensans: quod non ita contingit, quando ex integro cõmittitur alicui dispensatio liberè concedenda. etiamsi determinetur certa persona: hoc enim ad iurisdictionem per accidens se habet.

Quãdo Papa iubet dispensari cum aliquo cognitâ causâ, is qui causam cognouit non est propriè dispensans.

Dices: Ergo,si quis habeat à Pontifice licentiam,vt possit eligere Confessarium qui absoluat à peccatis, non poterit tunc Confessarius dici illum absoluere propriè, sed id debet tribui Pontifici. Respondeo negando consequentiam, quia in foro pœnitentiæ Sacerdos quilibet,qui absoluit, habet veram & propriã iurisdictionem, ideò dicit *Ego te absoluo*; licet eam accepecit à Pontifice simul & à Christo per Sacramentum Ordinis: de quo egimus suprà: at in ordine ad dispensationem in lege alia est ratio, quia potest Pontifex ipse dare dispensationem immediatè sub hac vel illa conditione:& id videtur in præsenti casu contingere.

Soluitur obiectio.

Svbsectio II.

Deciditur omnino quæstio.

28. *Omnis potestas dispensandi, excepta vltimâ, est fauorabilis.*

IGitur dicendum est in hac materiâ omnem potestatem dispensandi, excepta hac vltima, esse fauorabilem, quia licet actus ipse dispensationis sit odiosus,potestas tamen ad illũ non est odiosa:id quod suprà probauimus;nam dispensatio ideò est odiosa, quia excipit aliquem ab obligatione, quam ius imposuit:omne autem quod exorbitat à iure dicitur odiosum. At potestas dispensandi non exorbitat à iure; nam ius non prohibet,ne detur ea potestas:ergo potestas non est contraria iuri, ergo est fauorabilis.

Potestas dispensandi non est eiusdem ordinis cum actu dispensationis.

Dices: Ea potestas censetur esse eiusdẽ ordinis cum actu,ad quem est;sed actus est odiosus,ergo & potestas. Pauci respondent sufficienter huic argumento, licet illud ferè omnes tangant; & suprà illud nos posuimus: ego inprimis respondeo, manifestè esse falsam eam maiorem;etenim potestas peccandi non censetur esse in eodẽ ordine cum ipso peccato:&ne longiùs à materia præsenti abeamus, in ipso Summo Pontifice potestas dispensandi non est odiosa(vt omnes concedunt;) & tamen ipse actus dispensationis est odiosus; ergo non sunt semper in eodem ordine actus & potentia ad illum. Ratio à priori facilis est,& paulò antè tacta, quia potestas non est contra ius; at dispensatio verè est contra ius.

Ratio disparitatis inter actum & potestatem dispensandi.

Replicabis, malè dici ipsam dispensationem esse contra ius; nam per legem non prohibetur dispensatio, sed opus,quod est obiectum dispensationis,v. g. comedere carnes die Veneris. Respondeo, dispensationem non dici contra ius, quia ipsummet dispensare sit contrarium iuri, sed quia dat licentiam ad rem contrariam iuri; hoc autem non habet datio potestatis, quia neque in se, neque ratione sui termini est contra ius:

Soluitur obiectio.

Hinc infero, si esset aliquod ius commune, quod prohiberet, ne ad dispensandum in tali lege daretur vlli potestas, nisi Archiepiscopo v.g. & nihilomuùs Papa eam concederet alteri inferiori, tunc eam potestatem futuram odiosam, quia esset dispensatio in iure;quòd si per nouum ius ordinariè concederetur Episcopis, iam non esset odiosa, quia quidquid iure communi conceditur est fauorabile, cùm non exorbitet à iure. Neque obest, quòd priùs contrarium fuerit per ius dispositum; nam secundum ius abrogans prius facit vt hoc secundum sit iam verum ius, vt antiquum perinde petierit ac si numquam fuisset. Adhuc posset contra hanc doctrinam obiici cap. *Si cui nulla.* de præbendis in 6. in eo enim dicitur gratiam concessam Episcopo ad prouidendum de beneficiis, nulla facta personarum expressione, non expirare per mortẽ concedentis,etiamsi causa adhuc sit integra, facultatẽ autem concessam alicui super prouisione certæ personæ expirare per mortem, si res sit integra: additur autẽ limitatio, si ea potestas concessa est in gratiam eius cui prouidendum esset,non verò in grariam prouisoris.Hinc enim inferunt multi, potestatem dispensandi pro certa persona datam ad illius instantiam esse stricti iuris, quia non est permanens. Respõdeo tamen Primò,potestatem prouidendi de beneficiis non esse potestatem dispensandi; vnde argumentum illud non est contra nos. Secundò respondeo cum Patre Suario, non esse idem,eam potestatẽ esse permanentem & esse fauorabilem, nec è contrario idem esse, eam non permanere,& esse odiosam:vnde etiam P. Sanchez supra disput. 28. licet dicat eam potestatem dispensandi cum determinatâ personâ esse iuris stricti, censet manere mortuo concedente, etiamsi causa sit integra: quod etiam P. Suarez reputat probabilius. Respondeo ergo absolutè, ibi Pontificem eam conditionem specialem apposuisse ei gratiæ,cùm potuisset, si voluisset, contrarium dicere, vt scilicet, si esset in fauorem eius, cui esset prouidendum, maneret: fortè habuit hanc considerationem, quòd quando gratia fit prouidenti, iam ipse habet illud priuilegium perfectè, etiamsi adhuc non prouiderit; priuilegium autem, quod iam possidetur ante mortem concedentis, non debet per mortem reuocari:at si alteri fiat gratia, non censetur ille eam possidere perfectè, donec aliquo modo designetur; vnde potest tunc meritò eâ spoliari, vel,vt meliùs dicam, eam non acquirere, si moriatur concedens. Quæ ratio licet non sit ita efficax,vt non patiatur aliquam replicam, sufficit tamen pro congruentia, vt Legislator liberè voluerit hoc potiùs quàm illud facere.

29. *Si alicui concederetur potestas dispensandi contraria iuri,ea esset odiosa.*

Obiectio ex cap Si cui nulla.*de præbend. in 6.*

Respondetur ad obiectionem.

Non sunt idem,potestatem esse permanentem & esse fauorabilem.

*Cap.*Si cui nulla. *explicatur.*

DISP

Digitized by Google

DISPVTATIO XXX.

De his quæ ex parte recipientis requiruntur ad dispensandum: vbi de causis dispensationis.

1. EIMVS de causa efficienti, seu de potestate requisitâ ex parte personæ dispensantis, iam de causa quasi materiali, seu per modum mouentis ad dispensandum, ac se tenentis ex parte ipsius qui dispensationem recipit.

SECTIO I.

An dispensatio data sine causâ sit licita.

Communis sententia requirit causam ad licitè dispensandũ.

COmmunis sententia docet, causam iustam requiri etiam in supremo Principe, vt licitè dispenset. Ita D. Thomas 1.2. quæst. 97. art. 4. Caietanus & Thomistæ communiter ibi, Sotus lib. 10. de Iustitia quæst. 7. art. 3. & alij, quos P. Suarez refert cap. 18. num. 4. & fusè Patres Salas eâ disput. 2. sect. 5. ac Sanchez lib. 8. disp. 18. num. 3. Insinuatur hæc sententia cap. *Necessaria.* & seq. 1. quæst. 7. maximè cap. *Quod pro remedio.* ibidem. Tridentinum item sess. 24. cap. 18. de reformatione ait, dispensare sine iustâ causâ nihil aliud esse, quàm vnicuiq; ad leges transgrediendas aditum aperire.

Fundamentum ex iure, & Tridentino.

SVBSECTIO I.

Examinantur communes rationes pro eâ doctrinâ.

2. QVam hæc doctina communis est, tam sunt variæ rationes, quibus probatur, quia vix vlla inuenitur satis solida. D. Thomas suprà & Patres Salas ac Suarez cum ipso id probant ex principio naturali: quod colligitur ex verbis Christi Domini Lucæ 12. *Quis putas est fidelis dispensator & prudens?* Nam Princeps, etiamsi sit auctor legum, non est illarum dominus, sed dispensator; ergo debet se gerere vt fidelis & prudens, non vt absolutus dominus; ergo non debet in legibus sine causa iusta dispensare: quòd verò Princeps non sit dominus legum patet, quia non est absolutus dominus communitatis sibi subditæ, sed pastor & rector; vnde non potest leges in suam vtilitatem, sed pro communi bono ferre. Confirmatur: Actus ferendi legem non est actus dominij, sed iurisdictionis, ergo actus dispensandi etiam erit iurisdictionis, quia ad eamdem potestatem pertinet & legem ferre, & in ea dispensare: quòd item dispensatio facta sine causa non sit prudens, manifestum est, quia non est consentanea rationi; non enim tendit ad bonum commune. Confirmatur Secundò, quia vniformitas ac proportio inter membra corporis per se spectat ad totius corporis bonum. Quam rationem Pater Sanchez tetigit eo num. 3. sub aliis terminis, quia scilicet per talem dispensationem violatur ius naturæ, dictans partem debere suo toti conformari: addit etiam confirmationem, quam ego non puto aliam esse à præcedenti nisi solis vocibus, quòd scilicet violetur iustitia, quæ requirit vniformitatem. Dixi hanc rationem non esse aliam à priori, quia partem toti non conformari, & non seruari vniformitatem, idem omnino est. Addit etiam tertiam, quòd scilicet hæc dispensatio cedat in aliorum iniuriam, quia vna ex legis conditionibus est, vt sit pro omnibus; per dispensationem autem aufertur legi ea extensio, ergo. Hæc etiam ratio videtur eadem cum præcedenti; nam æqualitas, conformitas, vniformitas idem significant in præsenti.

Ratio Diui Thomæ P. Suarij & Salas pro communi sententiâ.

Ratio Diui Thomæ variè deducitur.

Ratio Patris Sanchez coincidit cum præcedenti

3. Ego has rationes non puto admodum solidas; in primis locum Christi de dispensatione non puto esse ad rem, quia ibi non de hac dispensatione, sed de distributione bonorum agitur: in quibus non potest œconomus esse partialis; nam si dominus det dispensatori decem aureos distribuendos pauperibus qui ad portam expectant, non potest ille inæqualitatem ex se facere, quia voluntas domini virtualiter saltem subintellecta est, vt det æqualiter pro necessitatis magnitudine: hinc autem nihil infertur ad legis dispensationem: id quod magis constabit respondendo aliis rationibus: est etiam alia disparitas clara; nam œconomus faceret iniuriam aliis, quia quòd plus dat vni, eò plus subtrahit cæteris. Quæ ratio in præsenti non habet locum; nam quòd ego ex libertate Principis eximar ab obligatione iuuandi v.g. nihil penitus lædit cæteros. Quod dicitur, Legislatorem non esse dominum legis, ni fallor, est illud ipsum quod in præsenti vertitur in dubium: rogo enim quid intelligatur hîc nomine domini; certè nihil aliud, quàm quòd non possit pro sola sua voluntate sine iusta causa tollere legem, seu dispensare in eâ: quia dominus alicuius rei ille est, qui potest eâ re vti pro libitu; hoc autẽ est de quo formalissimè disputamus, an in eo sensu Legislator sit dominus: ergo probatur idem per idem sine ratione clariori, imò per nomen obscurius. Neque vrget quod dicitur Legislatorem non esse dominum communitatis: etenim licet communitatis dominus non sit, legis tamen eo sensu dominus esse potest; nam licet communitatem totam non possit extinguere, imò nullum ex communitate, potest tamen legem abrogare: sicut parens nõ est dominus filiorum impuberum, nec Prælatus subditorum, possunt tamen eorum vota abrogare etiam sine causâ. Vnde dico, licet potestas ferendi legem sit potestas iurisdictionis respectu personarum, respectu tamen legis ipsius esse posse potestatem dominij; quod non videtur benè distinctum ab auctoribus; vel certè, quòd respectu legis sit ea potestas iurisdictionis, non probatur sufficienter ex eo quòd in ipsas personas non habeat Legislator dominium, sed iurisdictionem.

Malè supposuit D. Thom. Legislatorem non esse dominum legis; hoc enim est in quæstione.

Potestas iurisdictionis in personas distinguitur à potestate dominij respectu legis.

4. Hinc autem respondetur ad id quod de imprudentia talis dispensationis asseritur; negatur enim fore imprudentem: sicut quòd quis ex suis bonis donet Petro aliquid, non verò Paulo, pro sola sua voluntate, nulla planè est imprudentia; vt patet manifestè in ipso Deo, qui ex sola sua voluntate sine vlla causa diuersitatis ex parte nostra elegit nos præ aliis possibilibus, vt nos crearet, reliquit vero alios sine existentiâ: item ex his ipsis, quos creauit, cùm animæ essent omnino

Non ageret contra prudentiam Legislator, si sine iustâ eam causâ dispensaret.

Digitized by Google

nino ex se æquales, aliquibus dedit auxilia congrua, aliis non; aliquos elegit ad dignitatem summam, alios non: cuius rei ratio sæpè à nobis reddita est, quia si ex indebitis alicui aliquid detur, aliis verò non, nulli fit iniuria. *Amice non facio tibi iniuriam; tolle quod tuum est*, &c.

Matth.20.

Examinatur ratio desumpta à conformitate cum toto.

Illa verò ratio de conformitate, vniformitate, æqualitate, & quòd pars non debeat discrepare à toto, quæ est vnica ratio multis terminis explicata non multum vrget: & in primis ipse P. Suarez, dum quæreret, an Legislator teneatur suis legibus, reiecit hanc rationem de conformitate totius cum capite, qua vtitur Pater Vasquez pro eâ obligatione Principis; nam illud principium, *Turpis est pars quæ discrepat à toto*, non est verum vllo modo nisi in his, qui tenentur se toti accommodare; alioquin in vestitu, in cibo, in modo loquendi, in gestibus, in virtute, &c. omnes tenerentur sub peccato inuicem accommodari; quod est ridiculum; ergo debet supponi, quòd teneantur omnes se accommodare inuicem in obseruatione eius legis: hoc autem ipsum est in controuersia, quia quærimus, an eo ipso, quòd sit ea dispensatio ex liberali voluntate sine vllâ aliâ iustâ causâ, teneatur quis se accommodare toti; aut certè, an teneatur Princeps cogere omnes, vt se accommodent, nec possit pro libitu vnum aut alterum excipere: ergo per illud principium nihil in præsenti suadetur.

Non semper est turpis, discrepantia partis a toto.

5. Maiorem apparentiam habet ratio desumpta à simili ex ipsâ institutione legis: scilicet, sicut hæc non potest fieri nisi in bonum publicum, ita è contrario non posse dispensationem dari nisi in bonum publicum. Confirmatur: Non potest lex imponi, nisi causa iusta suppetat, ergo neq; in eâ dispensari, nisi etiam iusta causa suppetat; quia contrariorum videtur eadem esse ratio. Nihilominùs neque hæc probatio sufficit; nam impositio legis, cùm obliget omnes, debet esse per se ad bonum omnium; at dispensatio per se habet, quòd sit in bonũ eius cui datur; id quod fortè sufficit, vt dicatur dari in bonum commune: nam, vt superiùs diximus, bonum singulorum redundat quodammodò in totam communitatem. Quod item dicitur debere esse causam iustam pro impositione legis, etiam non vrget; nam ad grauandum requiritur iusta causa: non enim accipit Legislator iurisdictionem, vt sine causa grauet populum; at ad tollendam obligationem, seu ad dispensandum in obligatione, sufficit, quòd ea materia non sit intrinsecè necessaria: quod vel ex ipsâ latione legis constat; nam vt feratur lex, causa debet esse sufficiens, at non obstante eâ causâ potest non ferri, quia ea materia non est necessaria simpliciter; ergo ob eamdem causam poterit dispensari cùm aliquo, eo ipso quòd materia non sit intrinsecè mala. Quod dicebatur de iniuriâ aliorum nihil valet; nam ea ratio solùm habet locum quando lex imponeret aliquod tributum aut laborem, qui deberet augeri in aliis, eò quòd vnus liberaretur; tunc enim clatior esset ratio, cur talis dispensatio non esset licita, quia non censetur Respublica transtulisse in Principem suam voluntatem ad simile grauamen: non enim præsumitur vllus dixisse, *Do tibi ius vt me graues amplius eò fine, vt alterum sine vllâ aliâ causâ leues*: at in ordine ad illud leuamen, quod nullatenus cedit in aliorum detrimentum, non est cur non præsumatur concessa ea iurisdictio. Quid enim v.g. me grauat in ordine ad orandum Officium diuinum, quòd Petrus teneatur vel non teneatur etiam ad illud? Ergo in his legibus non est cur ea dispensatio capiatur iniuriosa aliis, & ex eo capite illicita, etiamsi sit sine causâ. Deniq; quod de iustitia & fidelitate dicebatur, soluitur eodem modo quo præcedens, scilicet non esse iniustum nec infidelem ex eo, quòd sine præiudicio aliorum faciat vni in particulari fauorem, quem non facit aliis: nam id ipsum in aliorum etiam bonum cedit, quia possunt etiam sperare sibi vel in eadem lege, vel in alterâ simili etiam dandam dispensationem.

Alia ratio pro eamdem sententiâ.

Non est bona consequela. Lex non potest ferri nisi ex iustâ causâ, ergo neque dispensari in eâ sine iustâ causâ.

6. *Dispensatio in legibus, quæ non sunt onerosa communitati, non potest censeri iniuriosa communitati.*

Dispensatio non cedens in præiudicium alterius non potest dici infidelis.

Svbsectio II.

Probabilior ratio: & explicatur quæ debeat esse ea causa.

7. *Ea desumitur ex Tridentino.*

MElior videtur ratio, quam Tridentinum insinuat suprà eo cap. 18. de reformatione, quòd scilicet eam dispensationem concedere sine causa, sit aperire viam ad transgrediendas leges: quod non ita debet intelligi, vt de formali transgressione loquatur; hæc enim nõ est, quãdo datur dispensatio: ex eo ergo, quòd hæc detur sine causa, solùm infertur, quemlibet posse vrgere, vt sibi etiam detur: licet autem hoc fiat, non propterea erit transgressio formalis legis: non ergo de formali transgressione intelligendum est Concilium, sed quòd per eas dispensationes via aperiatur, vt omnes eam dispensationem petant, & sic leges reddantur ridiculæ: hæc autem sine dubio malitiam aliquam includit; cùm enim censeatur expediens pro Republicâ vt leges seruentur, quia ea legibus conseruatur, certè aperire portam, vt leges non seruentur, videtur in damnum cedere Reipublicæ; ideóque ex eo capite Legislator illicitè operabitur.

Quia aperitur via ad non seruandas leges.

8. *Obiectio.*

Dices: Huic malo facile est adhibere remedium, si Legislator ipse efficaciter decernat, etiãsi alij petant, non tamen dare multis eam dispensationem; nam cùm semper id sit in eius potestate, poterit, etiamsi vni concesserit gratiam illam, negare cæteris: vel certè dici potest hanc rationem solùm habere locum, quando est aliquod periculum scandali; at si dispensatio sit in re secretâ, vt nemini innotescat, nisi ei cui fit, non habere vllam malitiam. Respondeo, eam dispensationem de se esse expositam eis periculis; quia si Legislator alteri sine causa concessit, difficulter potest illam aliis negare; quia semper inde timet, ne in odium aliorum incidat, no reputetur partialis, vel malè illis volens, vel certè vt importunitates vitet; quòd verò res sit secreta, non sufficit ad excusandum; nam facillimè eiusmodi dispensationes publicantur. Deinde si constet, licitam esse secretam dispensationem, quilibet eam peret pro se in secreto; vnde illud inconueniens, quod posuimus, licet non oriatur ex actuali dispensatione secreta, saltem orietur ex facultate seu iure ad eam concedendam: quæ facultas & ius necessariò debet esse publicum; & sufficit (vt dixi) ad molestandum Principem. Hæc mihi videtur esse probabilior eius communis sententiæ probatio: quam maximè propter communem auctoritatem defendo; simul tamen addo, probabilem etiam esse contrariam, tum quia satis multi auctores eam defendunt, quos Sanchez refert num. 2. tum quia, vt ex discursu præcedenti facto constat, non facilè ratione aliqua efficaci ea sententia reiicitur.

Solutio. Legislator cessâ semel dispensatione sine causâ difficulter potest eam secundò negare. Neque iuuat concessio secreta.

Argumenta autem, quæ contra communem afferri 9.

Digitized by Google

Argumenta probantia non requiri iustam causam ad licitè dispensandi.

afferri solent, facilia sunt, ideóq; breui expedientur. Primum est, quia si esset necessaria causa ad dispensandum, non haberet locum dispensatio, sed epieikia; vel certè Principis auctoritas solùm requireretur vt declarans tunc occurrere necessitatem, quæ excuset ab obligatione: & verò (vt suprà diximus) Sanctus Thomas eâ q. 97. art. 4. hoc solo modo videtur admittere dispensationem. Respondeo, triplicem posse intelligi causam dispensationis; vnam, quæ planè excuset hominem certò, quia materia respectu illius vel iam est reddita illicita, vel certè adeò grauis, vt non cadat sub legē, quam suprà diximus sufficere ad epieikiam; & hanc fatemur non esse necessariam vllo modo ad dispensandum. Alia ergo potest esse, quæ licet non sufficiat, vt per epieikiam tollat obligationem inconsulto Principe, est tamen tanti momenti, vt Princeps teneatur eam concedere auditâ causâ, ideò superiùs diximus aliquando esse debitam dispensationem, assignauimúsque triplex caput vnde possit deberi: addimus autem in præsenti posse eam causam esse talē, vt si Princeps non queat facilè adiri, excuset ab obligatione; si tamen adeatur, & eam neget, standum sit eius iudicio, nisi res sit valdè onerosa, de quâ paulò antè: hæc causa non est etiam simpliciter necessaria ad dispensationem. Erit ergo tertia causa quæ licet nec ad epieikiam sufficiat, nec obliget etiam Legislatorem ad dispensandum, est tamen adeò decens & honesta, vt det Principi fundamentum ad hoc, vt ei annuendo, seu dispensando, prudenter faciat; & tunc habet locum propriissima dispensatio; potest autem hæc causa ex capitibus diuersis desumi tum intrinsecis, tum extrinsecis, ex aliquâ difficultate rei præceptæ respectu huius aut illius personæ, aut ex aliis occupationibus maioris momenti aliquo modo incompossibilibus cum obseruatione legis; extrinsecæ verò causæ respectu ipsius materiæ legis desumentur ex dignitate personæ, nobilitate, doctrina: & adhuc magis erunt extrinsecæ, si desumantur ex intercessione alicuius Principis, &c. Potest item esse causa dispensationis ex parte ipsius Principis, vt in eius coronatione, in natali: quando item aliquam victoriam notabilem obtinuit, &c. De quibus in particulari non possumus nos iam agere, neque dare regulam fixam, vt sciamus quando veniat ad eum gradum, vt sit iusta: hoc addiderim, cùm etiam sententia contraria non requirens causam non sit omnino improbabilis, in praxi posse iuuare, vt, etiamsi dubitetur, an causa sit sufficiens, possit tamen licitè concedi dispensatio.

Qualis causa intelligatur requiri ad licitè dispensandum. Non requiritur causa requisita ad epieikiam.

Neque requiritur causa tam grauis, vt Princeps teneatur dispensare.

10. *Sufficit causa qua denominet dispensationem honestam & prudenter concessam.*

Etiamsi dubitetur de iustitia causæ, licita erit dispensatio.

11. Secunda obiectio contra communem sententiam sit ea, quam nos suprà tetigimus; nam lex à Principis voluntate pendet in fieri & conseruari, ergo per solam suam voluntatem poterit dispensare in illa. Responderent aliqui, etiam in primo fieri legis requiri causam; sed iam dixi suprà hanc rationem non esse ad rem, quia ad obligandum plus est necessum, quàm ad tollendam obligationem, hac ergo solutione omissa dico, ex eo quòd Princeps non ferat legem; per se loquendo, nulla incommoda sequi: sequuntur verò, si in lege sine causa dispenset, vt suprà nos declarauimus.

Plus requiritur ad obligandū quàm ad tollendam obligationem.

Tertia obiectio sit, quia dispensatio sine causa non est mala, eò quòd lege positiua sit prohibita, neque ex natura rei, ergo. Verùm iam est explicatum vnde ea malitia veniat.

Quarta, quia passim Legislatores dispensant, scienter sine causa; non debemus autem præsumere illos peccare. Respondeo, vbicumque reperitur licita dispensatio etiam reperiri causam aliquam ex illis, quas suprà posuimus. Addo cum Patre Thoma Sanchez & Patre Suatio locis citatis, etiamsi antecedenter non sit causa, ex modo tamen conferendi dispensationem eam posse compleri; quia v. g. dat eam Pontifex commutando illam in materiam aliam ferè moraliter æquè vtilem, aut aliquam pecuniæ summam pro Ecclesiæ necessitate exigendo; quomodo dantur in Hispania dispensationes, quæ in Bulla Cruciatæ continentur: nec per hoc vlla ibi simoniæ labes reperitur, vt suprà ostendi.

Dispensatio illicita ex causa potest reddi licita ex modo eam conferendi.

SVBSECTIO III.

An ea obligatio non dispensandi sine causâ sit sub peccato graui.

SVpereſt nunc explicemus, quanta sit ea obligatio non dispensandi sine iusta causa. Respondeo breuiter, mihi longè esse probabilius, eam non esse mortalem ex se, secluso scandalo; quia (vt ostendi paulò antè) rationes omnes, quæ afferuntur ad probandum, absolutè esse illicitam, valdè parum probant; & licet ob ea pericula, quæ nos ibi tetigimus, concedamus ei malitiam aliquam; at, vt dicamus eam esse mortalem, reuerà non habemus sufficiens fundamentum: & ita sentit P. Sanchez suprà & Salas ea sect. 5. n. 54. cum multis aliis quos ipsi referunt. Contrarium docet P. Sanchez suprà & Salas eâ sect. 5. Cum multis alijs quos ipsi referunt. Contrarium docet P. Suarez duobus nixus fundamentis, quæ nos non premunt. Primum est, quia ea obligatio non dispensandi sine causâ iustâ est iustitiæ; sed iustitia ex se obligat sub mortali, ergo. Respondeo tamen Primò, posse sæpè aliquas actiones esse contra vnam virtutem, quæ ex se obligare possit sub mortali; quia tamen illæ parum ex natura sua opponuntur ei virtuti, non esse ex se peccatum mortale: sic delectatio morosa (excipio iam venereas) habet sine dubio malitiam contra eam virtutem, in cuius contrario obiecto homo delectatur; & tamen ex se semper est solùm veniale peccatum, quantumuis materia sit grauis: sic distractio in oratione contraria est religioni, & tamen, quantumuis magna sit distractio, si tamen oratio ipsa non sit sub obligatione graui numquam est mortalis. Secundò respondeo, eam obligationem non pertinere ad iustitiam propriè, sed esse quamdam, vt sic dicam, desidiam aut negligentiam Principis in suo munere exercendo; quæ dum non transit ad maiora inconuenientia, solùm est venialis. Dico semper *dum non transit ad maiora*, quia nullo modo nego, aliquando ob scandalum aliásue rationes extrinsecas esse posse mortale. Replicabis, Ergo dispensare sine causa, vt quis non ieiunet tota Quadragesima, non erit mortale. Respondeo, si secludas scandalum, non esse.

12. *Non est mortale dispensare sine causa.*

quia non est fundamentū id dicendi.

Fundamenta P. Suarij pro sententiâ contrariâ.

Primum, quia talis dispensatio est contra iustitiam, ergo ex genere suo mortalis. Non omnis actio opposita virtuti obligāti sub mortali est mortalis.

Obligatio non dispēsandi sine causâ non spectat ad iustitiam. Quomodo possit dispensatio sine causâ reddi mortalis.

Secunda obiectio sit, quia ex opposita sententia sequeretur Principem numquam teneri sub mortali ad seruandam suam legem; hoc autem est absurdum, ergo. Patet sequela, quia si potest sine causa dispensare, ne alij seruent suam legem, solùm venialiter peccando in eâ dispensatione, eodem modo poterit secum dispensare etiam sine causa solùm peccando venialiter; non enim potest vlla ratio adferri, quî possit minùs secum quàm cum aliis dispensare: si autem potest, ergo ridicula est obligatio ipsius sub mortali ad seruandam

13. *Alterū fundamentum pro contrariâ sententiâ.*

Digitized by Google

uandam legem;quando quidem solùm peccando venialiter potest se ab eâ obligatione eximere dispensando secum priùs:quis autem erit,qui cùm possit solùm peccando venialiter rem aliquâ facere,velit mortaliter peccare eam faciendo? Respondeo,in sententiâ Patris Suarez hoc argumentum nullũ esse,quia ipse expressè cap.19.sequenti docet, Principem non posse secum validè dispensare sine causâ,esto possit cum subditis;ergo licet solùm venialiter peccet dispensando, quia præterea inualidè id facit quando secum dispensat,nõ sequitur esse in potestate ipsius sine causâ liberare se ab obligatione graui legis,quãdoquidem non potest validam habere pro se dispensationem.Respondeo Secundò absolutè,hoc argumentum esse ingeniosum, non tamen vrgere; Primò, quia fortè sæpè non reflectit se Legislator ad dispensandum,& tamen datâ occasione admittit materiam contra legem; & tunc erit peccatum graue contra illam.Secundò,quia non debet censeri inutilis ea obligatio grauis, etiamsi peccãdo solùm venialiter possit auferri:sæpè enim quis potest teneri ad aliquid sub mortali, à quo tamen solùm committẽdo vnum veniale peccatum in aliâ materiâ liberetur. Et pono exẽplum in eadem dispensatione;supponit enim P.Suarez non esse mortale vti dispensatione datâ sine causâ;sic ergo argumentor vlteriùs:Si non cooperetur quis,vt Legislator formaliter iniustè dispenset;non peccat mortaliter;si v.g.quis dicat Legislatori se magnam difficultatem experiri in ieiunio, & in hoc mentiatur, obtineatque dispensationem,certè nullum est ibi peccatum mortale; non ex parte dispensantis,quia ille secundùm allegata benè procedit; non ex parte petentis,quia illud mendacium nemini fuit nociuum, & ex genere suo leue est.

Argumẽtum nõ habet vim in sententiâ P. Suarij.

Quomodo possit Legislator peccare mortaliter contra suam legem.

Potest quis cũ peccato veniali tantùm se liberare ab mortali.

14. *Non est grauis iniuria Prælati obtinere ab eo dispensationem cum mendacio.*

Dices : Fuit iniuria grauis in Prælatum. Sed contrà,quia si id ipsum dixisset Prælato sine animo obtinendi dispensationem,nemo dixisset esse grauem iniuriam; ergo etiamsi dicat animo obtinendi : patet, quia per illum animum nullam grauem iniuriam infert; quòd enim dicatur posteà Prælatus dispensasse ex eâ causâ, non vertetur vitio ipsi Principi,qui in tali re non potuit prudentiùs procedere ; , ergo Prælato nulla iniuria grauis irrogatur, non ergo peccat mortaliter; quod magis constabit ex dicendis paulò post in secundâ difficultate: & tamen per hoc peccatum leue excusatur ab obligatione graui, ergo.

Secundam nunc adfero instantiam : Ille qui die ieiunij talem causam haberet faciendi iter pedes, vt non sufficeret ad omnino excusandum ab itinere,sed venialiter in eo arripiendo peccaret, nihilominùs ab obligatione ieiunij omnino excusaretur:& ita docẽt multi auctores:ergo potest esse obligatio aliqua sub mortali,quæ tollatur per peccatum veniale præuiũ in aliâ materiâ.

15. *Subditus petendi dispensationem sine causâ peccat.*

Hîc discutienda occurrit altera quæstio paulò antè tacta,quomodo scilicet subditus peccet petendo dispensationem sine causâ. Respondeo, supposità communi doctrinâ,quòd ea dispensatio sit iniusta,necessariò dicendum esse,in eâ petitione esse peccatum. In hoc tamen ipso aduertendũ est posse considerari dupliciter eam petitionem;Primò,vt inducit Prælatũ ad concedendum scienter eam dispẽsationem sine causâ:quo sensu tanquam inductiua in peccatum erit etiam peccatum mortale vel veniale, iuxta varietates sententiarum circa modũ quo ipse Princeps peccat:id quod docet benè Pater Suarez suprà cum Patre Thomâ Sãchez: & est alioqui in se certissimum;nemo enim cooperans vt aliquis peccet, peccat per se grauiùs quàm alter, quem inducit. Hinc infero, quod paulò antè dicebam,mendacium illud non posse esse peccatum mortale (id quod minùs consequenter ibi negat Pater Suarez;) nam mendacium illud non est maior iniuria respectu Principis, ex eo quòd hic teneatur sub mortali ad non dispensandum sine iusta causa sibi proposita,quàm si solùm teneretur sub veniali:nam re ipsa excusatur tunc Prælatus ab omni culpa;ergo ex hoc capite nõ patitur damnum: ex parte item irreuerentiæ in mentiendo eadem est ratio in vtroque casu, quia hæc non desumitur ex ea obligatione residente in Principe ; ex parte verò ipsius subditi non est graue peccatum eriam sine causa velle se eximere , quia (vt ipse P.Suarez num.12.benè docet) non tenetur propriâ obligatione iustitiæ ad conformitatem cum toto seruandam;ergo nullum est in eo mendacio peccatum mortale,vt suprà dicebamus.Alio modo potest considerari voluntas subditi, quatenus optat esse liber etiam sine causa , non vult tamen dare causam & cooperari Prælato vt dispenset ; in hoc autem sensu nec leue peccatum erit in ea voluntatè: quòd si aliquod tamen sit, solùm erit veniale , esto Princeps sub mortali obligetur ad non dispensandum sine causa:quod & P. Suarez docet sine eius num.13.

iuxta varietatem sententiarum de dispensatione sine causâ.

Ex nullo capite probari potest dispensationem obtentam per fraudem leuem esse peccatum mortale.

Desiderare esse liberum ab obligatione legis etiam sine causâ non est vllo modo peccatum.

Sed quid si subditus dicat expressè, *Ego non habeo vllam iustam causam;si tamen mihi concederes dispensationem,esset gratissimum*,peccatne tũc? Respondeo non peccare,quia per hoc non inducit Prælatum ad dispensandum, sed ei exponit totum statum tam ex defectu causæ quàm ex parte sui desiderij, ergo non peccat.

16. *Non peccat qui solâ expositione sui desiderij inducit alterũ ad dispensandum sine causâ.*

Dices : Illud ipsum desiderium inducit quodammodò Principem vt dispenset. Respondeo Primò, illam esse remotissimam inductionem. Secundò respondeo,posse fortè in eo casu Principem inuenire medium terminum non dispensando purè , sed commutando : quod sine dubio sufficeret, iuxta dicta suprà , ad satisfaciendum ei desiderio, & nihil efficiendum contra legem; quia tunc causa iusta suppleretur per illud onus quod imponeretur in dispensatione.

Illud vltimò in præsenti quæri potest , quid si Prælatus peccãs sine causa vlla offerat dispensationem,poteritne eam subditus acceptare licitè ? P. Sanchez suprà num.8.putat eum peccare iuxta grauitatem peccati in ipso dispensãte,quia tunc ille cooperatur ei iniquæ dispensationi,quæ non haberet effectum suum,nisi ab hoc acceptaretur; P. verò Suarez è contrario negat , Primò, quia tota malitia dispensationis iam est commissa ante acceptationem : quòd verò hæc dicatur consũmare dispensationem parum abest;nam ea consummatio est per modum conditionis extra totam essentiam dispensationis, estque conditio ex se licita subdito, quia hic non tenetur solicitus esse de communi bono.Hæc sententia Patris Suarez mihi magis placet; vt verò consequenter tradatur,supponendum etiam est,eum subditum tunc non peccaturum in vsu eius dispensationis : si enim peccat in vsu, non video quomodo in acceptatione excusetur , cùm non alio animo videatur aceptare dispensationem,quàm vt vtatur illa ; alioquin videretur esse planè ridicula acceptatio , cùm esto postea constaret esse causas sufficientes , si tamen eis non est motus Legislator , ea dispensatio non idcò esset iusta , vt

17. *An liceat acceptare dispensationem oblatam sine causâ. Negat Sanchez Affirmat Suarez.*

P. Suarij sententia approbatur;ex quâ sequitur licitum etiam fore vti tali dispensatione.

Inducẽs Prælatum scientem ad iniustam dispensationem peccat vel mortaliter vel venialiter.

Digitized by Google

propterea dicere possemus, illum acceptare non quidem animo vtendi, sed tamen animo retinendi ius, si fortè postea deprehendatur aliquæ causæ iustę; hic enim finis nullum habet locum; nam tunc non operaretur hęc dispensatio, sed deberet alia dari; vtrùm autem subditus tunc peccet nec ne, diximus paulò antè non peccare, quia ille non tenetur eam conformitatem cum toto seruare. id quod ex dicendis magis declaratur.

SECTIO II.

An dispensatio sine causâ sit valida.

18. EGimus huc vsque, an dispensatio sine causâ sit licita, iã videndum, vtrùm sit valida: multa enim valida sunt quæ illicitè fiunt, vt in superioribus sæpè insinuatum est: estque in se res certissima, licet fortè in præsenti aliquam habeat difficultatem ob dicenda inferiùs. Ante decisionem verò supponendum est, posse considerari Legislatorem dispensantem in suis propriis legibus aut alterius inferioris, vel posse considerari vt dispensantem in legibus altioris potestatis.

SVBSECTIO I.

Quid dicendum, si dispensatio sit in legibus altioris potestatis.

Cõmunis sententia negat esse validam

COmmuniter omnes docent eam dispensationem non esse validam, nisi detur ex causa iusta, quia non censetur à superiori facta inferiori potestas dispensandi nisi ex causa rationabili, ergo cùm ille non habeat eam potestatem nisi dependentem ab alio, non poterit eâ vti nisi sub ea conditione, sub quâ illam accepit: addunt etiam Iuristæ communiter, illum non posse dispensare nisi causa cognita; quod vt speciale aliquid denotet in inferiori Legislatore præ supremo, qui etiam, iuxta dicta suprà, debet cognoscere causam, videtur intelligendum de cognitione in foro iudiciali. Meritò tamen hoc reiicit Pater Suarez cap. 19. n. 2. nam ad dispensandum in foro conscientiæ id non requiritur, cùm neque ex naturâ rei, neque ex iure positiuo talis modus cognoscendi sit sub obligatione: neque item in foro externo id requiritur, tum quia sæpè eiusmodi dispensationes sunt de rebus priuatis & occultis, quæ non reuocantur ad forum iudiciale; tũ quia, etiamsi sit necessaria aliqua probatio eius causę, posset per testes vel alio modo exhiberi, etiamsi dum data est dispensatio non fuerit res deducta ad eam iuridicam probationem.

Nõ est tamen opus cognitione iudiciali ad validè dispensandum.

19. *Ratio dubitandi de veritate cõmunis sententiæ*

Circa primam verò partem huius doctrinæ, quòd scil. dispensatio inferioris non sit valida, nisi subsit iusta causa, habeo aliquam difficultatem, ob quam puto eam doctrinam non esse tam certam quàm supponitur: nam licet, si altior Legislator concessit facultatem dispensandi sub eâ conditione vt valida non sit, nisi detur ex iustâ causa, negari nequeat illam esse inualidam deficiente iusta causa, est tamen in ipsâ suppositione magna difficultas; nam sæpè concedit supremus Legislator amplissimè eam potestatę planè vtendo termino vniuersali, *Damus tibi totam potestatem dispensandi in hoc negotio quam nos habemus*; ergo cùm ipse habeat potestatem validè dispensandi sine causâ, etiam eam cẽsetur illi communicasse, quia totam dedit; non dedisset autem totam, si negasset potestatem dispensandi sine causâ.

Quia Legislator sæpè dat potestatem dispensandi terminis vniuersalibus.

Confirmatur, quia potestas dispẽsandi est fauorabilis.

Confirmo ex dictis suprà (& est ratio meo iudicio efficax:) Potestas dispẽsandi, maximè quando indifferenter datur non nominando vllam personã est fauorabilis, ergo debet ampliari iuxta totam capacitatem verborum; atqui ea verba, *Do tibi potestatem dispensandi in hac lege*, ampliantur ad potestatem dispensandi validè, licet illicitè sine causâ; ergo eam censetur concessisse, quando in ipsâ potestate expressè non additur limitatio, *Do tibi potestatem dispensandi tantùm ex iustâ causâ.*

20. Dices: Ea cõcessio potestatis esset iniqua, ergo nõ debet præsumi de supremo Principe, quia non debet de illo præsumi peccatum. Respondeo negando antecedens; etenim eam potestatem concessit Christus Papæ, vt fatentur omnes qui dicunt, quemlibet Legislatorem posse in suis legibus sine causa dispensare validè; ergo ea concessio nõ est iniqua: infinities enim magis repugnat Christo concessio iniqua quàm Legislatori humano supremo. Et ita P. Salas eâ disp. 20. sect. 4. obiter rem tangens supponit vt omnino certum, eam posse concedi; putat tamen de facto non dari; ego verò ob rationes datas probabile valdè censeo etiam de facto sic concedi.

Concessio dispensationis sine causâ nõ est iniqua.

Quando non limitatur potestas dispensandi, censetur etiam se extendere ad dispensandum sine causâ. Probatur exẽplo cõcessionis factæ à Christo Pontifici.

Ob instantiam autem de Christo paulò antè allatam dico, quandocumq; verba non habent eã limitationem debere intelligi concessam talem facultatem: pro quo sic argumẽtor, Christus concedens Petro potestatem dispensandi in legibus Ecclesiasticis, etsi nõ dixerit expressè, *Do vt possis validè, esto nulla sit dispensandi causa*, & aliunde potuisset eam limitationem addere etiam circa leges ab ipsomet Põtifice ferendas; esset enim iustissima limitatio hæc, *Non habebis tamen potestatem in legibus dispensandi iure sine iustâ causa*; cùm, inquam, id potuisset prohibere, non tamen creditur fecisse, quia id non expressit: ergo nec Princeps dans facultatem dispensandi inferiori in legibus ipsius dantis præsumendus est apponere limitationem illam, nisi eam exprimat; quia non debemus de Principe alio purè humano maiorem iustitiam quàm de Christo præsumere. Ratio à priori huius doctrinæ, quâ perfectè satisfit obiectioni suprà positæ, ea est; nam potestas dispensandi validè sine causâ non est mala in se; reperitur enim in omnibus supremis Legislatoribus, vt fatentur hi cum quibus ago; ergo eius concessio & trãslatio ad inferiores non est mala; ergo ex eo capite non debet excludi, quando per verba non excluditur expressè. Hinc dico, nisi in ipsâ concessione facultatis dispensandi ea clausula ponatur, aut ex aliis capitibus probetur intellecta, non debere præsumi, ideóque eodem modo sentiendum de dispensatione sine causâ concessâ ab inferiori in lege superioris, quo de concessâ à supremo in suâ lege, aut ab inferiori etiam in suâ; nam quoad hanc comparatur vt supremus.

Ratio à priori, quia potestas dispẽsandi sine causâ validè nõ est mala in se.

SVBSECTIO II.

Duæ sententiæ de dispensatione Principis in proprijs legibus.

21. VEniamus iam ad concessam à Legislatore in sua lege aut in lege inferioris. Non defuerunt qui dicerent eam dispensationem sine iusta causa esse etiam inualidam. Fundamentum est; nam lex iniusta non est lex, ergo dispensatio iniusta nulla est: id quod Bernardus lib. 3. Conside

Prima sententia negans esse validam. Fundamenta huius sententiæ.

Digitized by Google

Consideratione ad Eugenium cap. 4. docet eam vocans dissipationem, non dispensationem. Secundò, quia, iuxta dicta suprà, Legislator non est dominus legis, sed fidelis & prudens dispensator; ergo non habet potestatem concedendi validè dispensationem sine causâ: quod maximè debet intelligi in eâ potestate quę a Deo censetur concessa: Deus enim non dedit potestatem ad eiusmodi iniquam dispensationem. Tertiò, quia subditus non est tutus in conscientiâ vtens ea dispensatione datâ sine causâ, vt supponitur communiter, ergo ea non fuit valida; quia si valeret, eo ipso subditus verè esset liber à lege, & consequenter tutus: quòd enim aliqui dicunt illum tunc non esse tutum, quia tenetur tamquam pars se accommodare toti, nullo modo obest, quia (vt dixi suprâ) ea conformitas non obligat, nisi aliunde supponatur obligatio; alioquin si omnes ex deuotione ieiunarent vnâ die, idque ego scirem, teneter sub peccato me conformare illis: quod enim ipsi id faciant ex obligatione, vel liberaliter in ordine ad punctum me illis accommodandi, omnino est per accidens. Quartò denique, quia si Princeps posset validè in aliis dispensare sine causa, etiam posset in seipso; hoc autem est absurdum; alioquin vno peccato semel commisso liberaretur à perpetuâ obseruatione legis. quod est absurdum. Huius sententiæ auctores refert P. Vasq. disp. 178. cap. 4. num. vltimo; vbi ita in eam inclinat, vt solùm propter auctoritatem contrariam communem ferè omnium rem aliis decidendam relinquat; eosdem auctores refert P. Suarez suprâ & Pater Sanchez eo lib. 8. disp. 17. Salas sect. 4. Cótraria sententia communissima est, vt videre licet apud eumdē Sanchez, quam etiam ipse defendit, itē P. Suarez & Salas locis citatis; apud quos innumeros auctores videre licebit. Fundamentum autem commune, quod latè deducit Suarez, desumitur ex eo, quòd obligatio legis prouenit à voluntate positiuâ Legislatoris: ergo si ipse nolit eam obligationem respectu huius personæ manere, verè non manebit: Declaratur: Si tulisset legem ab initio excludendo aliquem etiam sine causa, ea tamen lex fuisset valida, & pullo modo inclusisset eum subditum: quomodo enim potuit ille includi contra voluntatē Legislatoris, cùm à solâ eâ voluntate includi possit? Ergo eodem modo, si post latam legem illum excipiat, quia eadem est ratio in exceptione post legem quæ ante legem; neque enim obest quod nonnulli obiiciunt, tunc eum obligari à lege ipsâ adhuc manente: hoc, inquam, non obest; nam ea lex ex parte voluntatis Legislatoris, à quâ vim habet obligandi, non est indiuisibilis, sed quasi multiplex, ideóque potest manere respectu aliquorum, etiamsi non respectu vnius alterius; vt potest, quando dispensatio datur cum causa: si enim lex esset per modum rei indiuisibilis indiuisibiliter obligantis, tunc nec cum causa posset respectu vnius auferri, & non respectu omnium: item ea difficultas etiam est in ipsâ primâ latione legis; vbi tamen validè potuit imponi cum exceptione vnius etiam sine causa. Deniq; sicut Princeps potest totam legem abrogare sine causa, etiamsi malè faciat, poterit partialiter dispensando in vna persona, quia eadem est ratio de totali quæ de partiali abrogatione.

Altera sententia & cōmunis affertes esse validam. Fundamentū huius sententiæ.

SVBSECTIO III.

Quid sit in his sententijs difficile.

22. *Neutra sententia ex relatis satis firmo fundamento nititur.*

IN hac materiâ dicendum censeo, nullam planè solidam rationem esse pro vnâ aut pro alterâ parte, sed (liceat sic dicere) penitus diuinari in hoc puncto: nam quod pro parte affirmante dicunt, multa iustè fieri quæ sunt valida, certissimū quidem est; vnde ex hoc capite fateor non rectè argumentari eos qui volunt probare eam dispensationem esse inualidam, quia est iniusta: addo tamen hinc nihil è contrario inferri in fauorem communis sententiæ, quia etiam multa sunt inualida simul & iniusta; non ostenditur autem positiuè, dispensationē, de quâ agimus, esse potiùs è numero rerum iniustarum & validarum quàm è numero iniustarū simul & inualidarum. Quod item dicitur obligationem omnem legis in fieri & conseruari à voluntate Legislatoris pendere quoad valorem, licet non quoad rationem honestæ, hoc, inquam, solidum non est, sed potiùs arbitrarium, quia nos diuinamus hîc de dictaminibus naturæ, illi tribuendo hoc potiùs quàm illud sine solido fundamento: asseritur enim naturam dictare, illam dispensationem sine causa esse iniustam, non tamē esse inualidā: vbi ergo interrogo est illud dictamen? aut cur, quęso, non dicimus naturā, sicuti non permisit licitè eam dispensationem fieri, etiā simpliciter non dedisse potestatem vt validè fieret? quod enim primò inducta sit legis obligatio per voluntatem Legislatoris, non probat eam posse posteà validè per illam solam auferri: quod probo manifestè ex eodem capite; nā Legislator, antequam imponeret legem, etsi habuerit causam iustam, potuit tamen ea nō vti, & pro libitu licitè non imponere legem; at semel impositā non potest licitè sine causa abrogare, id impediente naturę dictamine: sicut ergo natura dedit Legislatori potestatē vt licitè non imponeret legem, non tamen dedit vt licitè auferret impositam, cur, quæso, non dicam, eodē modo dictamen naturæ permisisse illi validè ab initio non includere aliquem, semel tamen inclusum non dedisse illi potestatem, vt eumdem sine causa exciperet validè?

Primò, quia nō ostenditur eiusmodi dispensationem excipi à numero actionū iniustarum simul & inualidarum.

Secundò, quia nō ostenditur cur sit iniusta, & nō etiā inualida.

Tertiò, quia non sequitur benè, Legislator potuit validè non imponere legem, ergo etiā poterit validè auferre.

23. *Ostenditur id amplius in legibus Canonicis.*

Quòd si loquamur de legibus Canonicis, ad quas imponendas Christus immediatè dedit potestatem Petro, difficultas clariùs apparet; cùm enim (vt suprà obseruaui) potuerit Christus dare eam potestatem cum tali limitatione, vt neminē validè posset Pontifex excipere per dispensationem; sicut dedit eum limitatione, vt nullum licitè exciperet; & textus nullus sit, ex quo colligamus ab ipso magis vnam quàm alteram conditionem appositam, nónne diuinamus vnam affirmando, alteram negando? idem est, si recurramus ad Legislatores ciuiles, qui suam iurisdictionem accepēre à communitate; certè clarissimè constat, eam communitatem potuisse sub tali conditione transferre ius in Principem, vt sine causa neminē validè excipere posset; sicut dicitur dedisse, vt neminē licitè sine eâ causa exciperet: etenim si tota communitas dans iurisdictionem dixisset, se esse contentam vt Legislator pro solo suo libitu exciperet quemcumq; vellet, nemo posset dubitare, eum tunc licitè dispensaturum sine causâ; ergo si id de facto non potest, ratio est, quia non præsumitur communitas eam potestatem tam amplam dedisse; cur ergo etiam non præsumetur non dedisse, vt validè excipiat sine causa? Certè qui

ieem in legibus aliquibus ciuilibus.

Digitized by Google

rē diligenter ponderauerit, deprehendet non nisi diuinando nos in eâ distinctione procedere.

24. *Argumētum pro communi sententiâ. Soluitur.*

Fortè respondebis, hoc discursu probari manifestè, potuisse fieri vt cum eâ limitatione concesserit communitas eam potestatem, nō tamen debere nos asserere ita factum, quamdiu non constiterit positiuè de eâ limitatione. Sed contrà; nam etiam non constat de alterâ limitatione, vt scil. nec licitè posset, & tamen illam asserimus, cur ergo non hanc secundam? Quòd si tamen id reducatur in communem auctoritatem quæ vnam conditionem admittit, alteram negat, quid, quæso, defatigamur id probando ex principiis naturalibus aliisve argumentis ex naturâ rei petitis?

Alia difficultas desumpta ex sententia P. Suarez.

Nouam adhuc in hoc pūcto difficultatem inuenio ex doctrinâ P. Suarez circa leges irritantes contractus, matrimonia, &c. dicit enim in his legibus posse Principem validè dispensare secum sine causâ, in aliis tamen legibus non posse, etiāsi cum subditis validè dispenset: rationem autem disparitatis eam assignat, quòd hæ leges, cùm sint ordinariè pœnales, includunt aliquam coactionem; neque in his naturalis obligatio seruandi conformitatem extenditur ad hos effectus. hæc ille n. 19. in quibus quis non iterùm videat, quod paulò antè dixi, planè pro libitu tribui naturæ hoc dictamen & negari illud: vnde enim, quæso, constat quòd naturalis ratio, quæ in sententiâ P. Suarez immediatè obligat Principem positâ aliâ lege tamquā conditione, non etiā obliget eumdē Principem posita lege irritante? aut quare sine causa Princeps poterit ducere consanguineam, & non poterit sine causa omittere Sacrum die Dominico? Quòd si lege naturali prohibetur tunc licitè ducere consanguineam, vnde scit P. Suarez, quòd illa lex naturalis non transiuerit vlteriùs ad inualidandum etiam illum contractum? Nec video, cur debeat magis dici lex pœnalis aut cogēs ea quæ prohibet, ne quis validè contrahat cum consanguinea, quàm ea quæ prohibet, ne quis omittat Sacrum die festo. Dices, quia illa cogit, ne validè contrahat. Sed contrà, quia hæc alia etiam cogit, ne licitè omittat: cur ergo ibi plus de pœna quàm hîc.

Argumentū pro P Suarez refutatur.

25. *Alia doctrina P. Suarez circa præsens punctū refutatur Primò, quia arbitraria.*

Denique, quod idem P. Suarez ait in legibus præcipientibus & prohibentibus validè nō posse secum Legislatorē dispensare sine causâ, eò quòd Legislator nō obligatur legibus ex vi suæ voluntatis, sed vi legis naturalis; quam legē naturalem non potest ipse infringere validè sine causa; hoc, inquam, nullo modo placet, Primò, quia licet naturalis sit obligatio non dispensandi secum, non tamen inde vllo modo probatur, non posse validè contra illam fieri: multa enim sunt (vt expressè ipse P. Suarez in hac materiâ sæpè fatetur) contra legem naturalem, quæ si fiant, erunt quidem illicita, tenebunt tamen. Claram instantiam desumo ex hac eadem materia; nam dispensatio cum subdito sine causa est iniusta, vt supponimus, & tamen non inualida; cur ergo non dicemus obligationem naturalem Principis esse solùm, ne licitè secum dispenset sine causa, nihil tamen in ea lege contineri de inualidatione? Certè quo iurè vnum asseritur, potest & aliud.

26. *Refutatur, Secundò, quia non est consequēs ad alias doctrinas.*

Secundò reiicio eam doctrinam, quia ipse P. Suarez agens hoc eodem lib. cap. 12. n. 9. & 10. de personis, quę sunt capaces dispensationis, expressè docet Principem posse dispensare secum non minùs propriè quàm cum aliis; nam licet non sit à se distinctus realiter, ad iurisdictionem tamen veram & propriam non requiritur distinctio realis voluntatis, sed sufficit distinctio rationis: nam si Princeps consideratur vt priuatus homo, concipitur vt à seipso distinctus quatenus est Legislator, ideóque non repugnare, vt seipsum obliget, dummodò non sit per vim coactiuam: hęc autem contraria omnino videtur his quæ in præsenti docet, probans Legislatorē non posse habere vllam iurisdictionem supra se ad se obligandum, neque ad dispensandum, sed illum à sola lege naturali obligari, & ab ea sola accipere dispēsationem: nam reuerà nullo penitus modo Legislator in eius sententia secum dispensat: si enim nō detur causa iusta, quantumuis velit, nulla est eius dispensatio; si autem datur causa iusta, eo ipso lex naturalis dispensat cum illo: ex parte verò ipsius Principis nihil aliud requiritur nisi acceptatio eius dispensationis; nullus autem actus iurisdictionis amplius est necessarius; ergo duæ illę sententiæ nullo modo cohærent. Nec miror in hac materia deesse consequentiam aliquando, si harum difficultatum quærantur rigidæ rationes ex natura rei desumptæ; cùm enim (vt diximus) nullæ tales sint, sed tota res videatur planè arbitraria, difficillimum est vtrobique per rationem naturalem velle quæstionem explicare, & non deficere alicubi.

SVBSECTIO IV.

Quid videatur in hoc puncto probabilius.

27. *Prima cōclusio defendens communem sententiam.*

IGitur materiam hanc concludo, ac DICO PRIMÒ, Mihi solùm ob extrinsecam auctoritatem videri probabilius eam dispensationem iniustam, esse tamen validam: quod sic probandum est; Ratio naturalis nō dictat eam esse inualidam, licet dictet esse iniustam, ergo non debemus illā dicere inualidam: non enim infertur (vt suprà diximus) esse inualidam, eò quòd sit iniusta; aliunde autem argumentum ad asserendam eam esse inualidam non datur; ergo sine fundamento dicitur inualida, quidquid sit de puncto licitæ aut illicitæ. Hoc meo iudicio est vnicum argumentum pro hac opinione, per quod reducitur quæstio ad sua momenta, neque emendicata ei additur confirmatio vlla.

Solidior probatio cōmunis sententiæ.

Secunda cōclusio extendens cōmunē sententiā ad Legislatorem etiam circa seipsum.

SECVNDÒ DICO longè probabilius esse, idem sentiendū de dispensatione Principis in propriâ causa; nam ratio P. Suarez sufficienter est reiecta paulò antè; & ita sentit Caietanus ea q. 96. art. 5. neque video cur debeamus peioris conditionis in hoc puncto facere ipsum Legislatorem quàm subditos.

Tertia cōclusio docens id etiam intelligendum de legibus irritantibus.

TERTIÒ DICO, idem asserendum de legibus irritantibus, quia eadem est quoad punctum dispensationis difficultas in irritatione, quæ in præcepto aut prohibitione; id quod & ad subditos & ad Principem, dum secum in eis irritantibus dispensat, extendendum est: quoad has leges nobiscum sentit P. Suarez, vt paulò antè insinuaui, licet non videatur consequenter discurrere dum in aliis negat.

28. *Quarta cōclusio docens vtentes tali dispensatione esse tutos in conscientiâ.*

QVARTÒ DICO cum eodem P. Suario, subditos, data semel dispensatione, etiā sine iusta causa, quia tamen valida est, planè esse tutos in conscientia, & posse ea vti, siue peccauerint malè illā petendo, siue non. Ratio est manifesta, quia eam dispēsationem esse validam nihil est aliud, quàm per eam ablatam fuisse obligationem seruandi legem; si autem est ablata obligatio, ergo non tenetur subditus ea lege, ergo.

Dices:

Digitized by Google

Dices: Debet se conformare toti. Sed contrà, quia hæc conformatio non obligat quando est ratio excipiens, hîc autem illum excepit dispensatio, ergo non tenetur legem seruare, vnde secluso scandalo, neque venialiter peccabit vtendo eâ dispensatione.

Quinta conclusio. Legislator tenetur reuocare dispensationem iniustam:

QVINTO DICO valdè probabile esse, Legislatorem teneri reuocare dispensationem iniustam seu datam sine causa, quia cùm teneatur ex officio neminem excipere sine causa, tenebitur illam exceptionem reuocare, quia semper moraliter ab ipso conseruatur; sicut qui accepit pallium Petri, tenetur semper ad restitutionem illius: & ita sentit P. Suarez suprà: id quod etiam intelligendum est, si secum iniustè dispensauerit; vnde vlteriùs colligo, Legislatorem semper peccare dum vtitur dispensatione pro se, non quidem immediatè contra legem, quia in hac iam est validè dispensatum, sed in ipsâ quasi continuatione dispensationis, quam eo vsu confirmat. In quo puncto magnum est discrimen inter subditum & inter Legislatorem, quòd subditus non est causa conseruans dispensationẽ, ideò non est obligatus eam reuocare; quamdiu autem ea non reuocatur, non peccat neque contra legem, quia in ea est validè dispensatum, neque contra dispensationem, quia circa illam non se habet vt causa: at Legislator operans vi dispensationis illam iterùm in se confirmat, ergo peccat contra illam: in quo puncto acquiesco Patri Suario suprà.

quę potest ille sic vti sine suo peccato;

potest tamen vti subditus.

Aduerto tamen Primò consequenter ad ea quæ suprà diximus, cùm Legislator in dispensatione datâ sine causâ non peccet nisi solùm venialiter, & per eam liberetur validè à directâ obligatione, quâ circa legem habebat sub mortali, non peccare tunc temporis post dispensationem datam sine causâ, comedendo carnes v.g. die Veneris, nisi solùm venialiter; quia non peccat contra legem, quæ obligabat sub mortali, sed contra alteram prohibentem dispensationem sine causâ, quæ solùm obligabat sub mortali. In quo puncto P. Suarez, qui putat peccare mortaliter in tali dispensatione, consequenter docet Legislatorem semper peccare grauiter in vsu talis dispensationis; sed tamen etiam in eius sententiâ aduertendum est, illud peccatum non esse contra legem ieiunij, sed contra alteram reflexam, *Ne dispenses in vllâ lege sine causâ.*

29. *Non tenetur Legislator reuocare dispensationẽ iniustè sub mortali.*

Quid dicendum sit circa dispensationẽ in lege inferioris.

Restabat dicendum de dispensatione superioris in lege inferioris, sed id vno verbo explicatur si enim sit verè & propriè Superior, vt Pontifex respectu Episcoporum, Generalis Religionis respectu Prouincialium, & hic respectu Priorum, Guardianorum, aut Rectorum, potest meliori adhuc titulo dispensare quam in suis legibus; si verò solùm sit altior dignitate, non tamen habeat immediatam iurisdictionem supra eos qui dicuntur inferiores, non poterit in eorum legibus dispensare, sicut Primas ordinariè non potest in legibus Episcopi, nisi fortè aliquando in gradu appellationis, iuxta modum in iure constitutum.

SVBSECTIO. V.

Aliquæ quæstiuncule præcedentibus annexæ soluuntur.

30. *Prima quæstio, an dispensatio obtenta per causam falsè sit valida. Respondetur negatiuè.*

DVo vel tria dubia circa præterita occurrunt explicanda. Primum est, quia si causa iusta non est necessaria ad valorem dispensationis, sequitur, inde casu quo allegaret quis causam falsam, adhuc tamen obtenturum validam dispensationem, quod videtur absurdum. Respondeo negando consequentiam, quia tunc ea dispensatio est inualida ex defectu voluntatis: etenim Legislator non præsumitur vllo modo tunc habere peccaminosam voluntatem, quâ dicat, *Dispenso, etiamsi nullam habeas causam*; si enim id vellet absolutè, certè valida esset dispensatio; habet ergo tunc voluntatem quasi conditionatam, *Si ita est, dispenso tecum*, vel, *quia ita est, dispenso tecum*; hæc autem volitio non se extendit ad dispensandum, si ea conditio non subsistit; ideóque tunc inualida est dispensatio: quod eodem modo dicendum est, etiamsi re ipsâ subsit causa iusta, quæ tamen non sit Legislatori proposita; nam ob causam non cognitam non censetur moueri.

Ratio responsionis.

Hinc autem oritur secundum dubium, quis scil. error commissus in allegatione causæ impediat valorẽ dispensationis. Respondeo vno verbo, si re ipsâ causa, quæ subest, non est iusta, additur autẽ illi, aut è contrario demitur falsò quidquid necessum est vt appareat valida, eo ipso errorem esse substantialem & impedientem dispensationis valorem; si verò re ipsâ causa sit iusta, & solùm addatur aliquis ornatus, vt magis efficaciter repræsenteretur, non erit deceptio impediens valorem. Quòd si proponendo vnam causam, veram tamen & sufficientem, simul addatur alia, vt multiplicatis rationibus facilius obtineatur dispensatio, adhuc probabiliter dici potest eam futuram validam: nam licet aliquando posset contingere, vt Legislator non dispensaret actu propter vnam causam solam, esto sufficientem, dispenset verò propter duas; non tamen debemus id præsumere, nisi expresè ita ipse protestetur; nã si sufficiens vna proponitur, debet præsumi ab illa moueri; si item duæ, à qualibet moueri taliter, vt etiam aliâ deficiente dispensaret.

Secunda, qualis error in allegatione causæ tollat valorem dispensationis. Responsio, quando illi demitur vel additur falsò quod necessarium est vt appareat valida.

Obiicies in eo casu, Non sunt duæ volitiones ex parte Legislatoris, sed vna indiuisibilis, quæ dicit, *Volo tecum dispensare, quia duas has causas censeo esse veras*; hęc autem volitio cùm essentialiter pendeat ab vtriusque causæ veritate, non potest præsumi habere suum effectum, nisi vtraque conditio subsistat: quòd autem, si non fuisset proposita alia causa, haberet Legislator aliam volitionem diuersam dispensandi ob vnam solam ex eis causis, parum efficit de præsenti: non enim liberatur homo de facto ab obligatione legis per dispensationem, quæ esset data alia suppositione, sed per illam quæ de facto est; ergo in eo casu simpliciter nulla est dispensatio. Hoc argumentum non caret difficultate; nihilominùs non cogit nos recedere à resolutione posita: ei ergo respondeo, etiamsi physicè loquendo ille actus pendeat ab existentia vtriusque causæ, in ordine tamen ad effectus morales illum considerari, ac si essent duo actus, quorum vnus vnum moriuum, alter alterum haberet. Quòd enim Legislator vnico actu se determinet de facto ad id volendũ, vel è contrario duobus, est per accidens ad genus moris; quod verò dicitur, neminem liberari ab obligatione per actum qui non est, sed esset data tali conditione, non vrget, quia in præsenti casu non liberatur per actum qui esset, sed per illum qui est de facto, & quo de facto vult liberare ob causam eam allegatam iustam & veram: qui actus de præsenti satis declarat animum dispensantis esse liberare ob quamlibet ex illis, quia

31. *Obiectio,*

Soluitur.

Digitized by Google

quælibet vt iusta & sufficiens proponitur; vnde etiamsi in vnâ sit error, & ex eâ parte ille actus sit inuoluntarius, manet tamen voluntarius ex parte alterius, & ex eâ sufficiens.

32. Alius error excogitari posset non ex parte causæ dispensationis, sed ex parte malæ explicationis ipsius obligationis auferendæ; qui tamen rarò potest contingere in hac materiâ, frequentiùs verò in dispensatione à votis; nam votum cùm sit quid priuatum, ab ipsomet petente dispensationē emissum, potest ipse illud malè narrare diminuendo circumstantias aliasve apponendo, quæ planè immutent; at in lege quia ea supponitur cognita ipsi dispensanti, non est ea occasio deceptionis; nihilominùs tamen aliquando potest etiam reperiri, si v. g. petat ab altiori Superiore dispensari secum in lege inferioris; tunc enim quia Papa v.g. non scit, quæ sint leges particulares Episcopatuum, posset qui dispensationem petit ita fraudulenter legem proponere, vt notabiliter eam redderet minoris momenti, & ex eo capite leui ex causâ dispensabilem: quo casu eodem planè modo est discurrendum, quo de deceptione in causæ propositione discurrimus paulò antè, dicendumque, si talis sit error, quo ablato, non posset iusta præsumi dispensatio, eo ipso eam reddi nullam, si verò adhuc ablato errore præsumi potuisset ex allegatis obtinenda dispensatio, licet fortè cū aliquâ maiori difficultate, potest non obstante errore reputari valida.

Quomodo error ortus ex malâ explicatione obligationis auferenda impediat valorem dispensationis.

33. Tertium dubium, licet non propriè spectans ad causam dispensationis, ad valorem tamen illius pertinens est, an si vi & metu cadente in constantem virum obtineatur, censenda sit valida. Respondeo breuiter, Si Legislator tunc interiùs nullam habet veram volitionem dispensandi, sed oretenus illam profert, tunc re ipsâ nullam esse dispensationem; id quod ex se est manifestum; nam verba sine intentione nihil penitus efficiunt; extorquēs verò, si probabiliter suspicetur non fuisse in dispensante verā intentionem, sine dubio non poterit vti tali dispensatione; an verò, si putet fuisse veram intentionem, possit, pendet ex secundâ parte huius dubij: quod maximè in eo versatur, an si Legislator tunc temporis veram & absolutam haberet voluntatem, licet metu extortam, sufficiat ad valorem dispensationis. Ratio dubitandi est, quia ea voluntas est absolutè & simpliciter voluntas, & quidem libera, quæ non excusat à culpâ; ergo sufficiet ad valorem dispensationis; ex aliâ verò parte contractus matrimoniales eo metu initi non censentur validi, ergo.

Tertia quæstio, an dispensatio obtenta vi & metu sit valida. Si Legislator non habuit volitionem internam dispensandi, non est valida:

at si habuit, eritne valida?

Sententia P. Suarez.

Pater Suarez eamdem reputans difficultatem cum alterâ de dispensatione in votis eadem vi & metu extortâ, breuiter hîc rem expediens remittit se ad secundum Tomum de Religione lib. 6. de Voto cap. 27. vbi ait validam esse, quia ex naturâ rei ille metus non inualidat: ex iure autem nihil est de eâ inualidatione, sicut est pro alijs contractibus: addit tamen hîc Primò Si metus sit iniurioſus, directè illatus ab obtinendum consensum, & iniuria fiat ab eodem, qui dispensationem desiderat, & iusta causa illius non adferatur, eam esse nullam: addit Secundò, Esto concedatur esse validam, facile esse remedium, si Princeps ad libertatem restitutus statim eam reuocet: ex quo capite maior est difficultas in dispensatione à votis; nā voti obligatio non potest iterùm imponi, nisi ipsa persona dispensata iterùm vouerat, at obligatio legis potest imponi iterùm renouando legem respectu illius hominis.

Ego hanc quæstionem puto pendere ab illâ generali difficultate, vtrum contractus ob grauem metū iniustè incussum initi sint iure naturæ irriti, an verò ex solo iure positiuo; si enim dicamus illos esse iure naturæ irritos in odium eorum qui metum incutiunt, non dubito, idem dicendum esse de valore dispensationis: nam licet, ob rationem paulò antè assignatam, quod scilicet dispensator possit renouare facilè legem, cùm primum suæ libertati restituitur, videatur non esse tanti periculi, quòd dispensatio sic data sit valida; quia tamen ea irritatio, si quæ est, non tam desumitur ex reuocabilitate actionis quàm in odium eam extorquentis per iniustum metum incussum, videtur etiam habitura locum in dispensatione, esto hæc reuocabilis sit. Secundò, quia sæpè non habet locum in dispensatione regula ea Patris Suarez: etenim si obtineatur talis dispensatio in lege prohibente matrimonium inter cōsanguineos inter secundum vel tertium gradum, & illi statim vi eius dispensationis contrahant, profectò iam non proderit ea reuocatio, & idem est in lege prohibente, ne ante decimum sextum annum validè fiat professio religiosa: etenim si semel ibi extortâ dispensatione professio fiat, iam non proderit eius reuocatio; ergo etiam in ipsis legibus habet locum, quod de dispensatione in votis P. Suarez notauit, & quod in contractibus aliquibus reperitur; ergo ex eo capite meritò dici potest, eam dispensationem esse iure naturæ irritam, si alij contractus sub eo metu initi sint inualidi ex naturâ rei.

34. *Si contractus metu iniusto extorti sint irriti, ipso iure etiā erunt irrita tales dispensationes.*

Quòd si dicatur, eos solùm solo iure positiuo inualidari, facilè in præsenti respondetur, dispensationem eo modo obtentam validam esse; duplici enim ex capite assignatur differentia inter eam & contractus; Primò, quòd de contractibus sit ius positiuum eos irritans, de dispensationibus verò nihil inuenitur. Secundò, quia esto esset ius commune irritans talē dispensationem, posset ipsemet supremus Legislator eam dispensationem concedens censeri etiam reuocare hîc & nunc illud ipsum ius, & velle vt eo non obstante adhuc valida esset dispensatio. Verum quidem est, hanc disparitatem non habere locum in Legislatore inferiori dispensante, nam hic non posset abrogare illud alterum commune ius; in eo ergo sufficit prior disparitas assignata.

35. *Si contractus metu iniusto extorti sint irriti tantùm iure positiuo, adhuc valida erit dispēsatio metu iniusto extorta.*

Hæc dicta sint iuxta diuersas sententias circa irritationem eorum contractuum; quid autem absolutè sentiendum sit, nondum determino, quia non spectat huc ea quæstio: breuiter insinuo, etiamsi probabile valdè sit tales contractus nullos esse iure naturæ, in odium eorum qui metum iniustum incutiunt, mihi tamen absolutè videri probabilius validos esse, quia non habemus fundamentum sufficiens, vt tribuamus naturæ eam irritationem, cùm adhuc volitio tunc habita maneat absolutè libera; & licet hæc ratio non conuincat esse debere validam, valdè tamen id persuader, quando in contrarium nihil efficax adfertur; ergo non debemus extendere eam quæstionem vsque ad irritationem.

Absolutè loquendo contractus metu iniusto extorti videntur esse validi.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO III.

An dispensatio ex iustâ causâ concessa cesset causâ cessante.

SVBSECTIO I.

In quo sit punctum difficultatis; & duæ oppositæ sententiæ.

36. *Si dispensatio fuit ad aliquem actum, ea executioni mandatâ non potest cessare dispensatio.*

IN hac quæstione certum est, actus, ad quem facta fuit dispensatio, nam est executioni mandatus, eam dispensationem iam non posse cessare. V. g. si dispensatio est, vt quis accipiat Ordines, & causa dispensationis cessat receptis iam Ordinibus, non posse tunc dispensationem cessare, imò frustrà quæri an cesset dispensatio, cùm iam ille actus nequeat reddi infectus; & idem est, etiamsi alioquin actus ille, etiam postquam est factus, posset absolutè reuocari auctoritate humanâ, vt v.g cõtractus emptionis & venditionis, nam etiam ille, si initus est vi dispensationis, non amplius iam potest cessare, etiamsi cesset causa, quia perseuerantia contractus validè initi non prohibetur per vllam legem, quæ dispensationem requirat. Quòd si ea continuatio etiam penderet à lege, tunc dispensatio non haberet totum suum effectum antequam cessaret causa, quia ea continuatio esset pars materiæ dispensationis, ideoque saltem secundùm eam partem non esset redacta ad vsum ea dispensatio, ac propterea pertineret ad secundam, de quâ iam.

nisi moralis continuatio illius actus sit pars materiæ dispensationis.

Quæstio est de dispensatione nõdum redacta ad omnem vsu ante cessationẽ causæ, ob quam data est.

Igitur tota difficultas est in dispensatione, quæ nondum est redacta ad omnem vsum ante cessationem causæ, ob quam datur, Dico *ad omnem*, quia si ex parte sit redacta, de illâ parte non erit difficultas, quia illa iam non potest esse infecta; tota ergo difficultas erit de eâ quæ non est redacta: dispensatur v. g. mecum propter infirmitatem, vt in Quadragesimâ possim carnes comedere; circà medium Quadragesimæ bene perfectè ad sanitatem, quæritur, an duret dispensatio pro totâ Quadragesimâ, an verò iam teneat ieiunare perinde ac si dispensatio data non esset.

37. *Dispensatio eiusmodi potest dupliciter considerari, vel vt concessa absolutè ante cessationẽ causæ, vel vt cõcessa ex suppositione causæ existentis.*

Pro huius difficultatis decisione supponendum est, eam dispensationem dupliciter posse considerari, vel vt iam in se absolutè concessam ante cessationem causæ; vel quòd solùm sit delegata potestas alicui ad concedendam dispensationem, si causa subsistiterit; vt cùm Pontifex committit alicui dispensationem in gradu aliquo matrimonium impediente, si deprehenderit verum esse quòd non sit alia femina talem personam decens, vel, quod nisi tale matrimonium fiat, consanguinei vtriusque partis inter se grauibus odijs concertabunt, &c. si in hoc & simili casu, antequam delegatus det dispensationem deprehendatur cessasse causa, quia iam sunt aliæ feminæ ei pares, quæ volunt illi nubere; & tota ratio discordiarum inter consanguineos penitus cessauit; quærimus, an vtraque dispensatio retineat suum valorem.

Sententia Suarez docens, dispensationẽ absolutam nõ cessare cessante causâ, secus verò alteram.

P. Suarez cap. 20. num. 13. & sequentibus docet, in hoc secundo casu non posse validè dispensationem concedi à delegato; in primo verò censet perseuerare dispensationẽ etiam deficiente causâ: disparitatem assignat, quia in primo iam est completa validè omnino & iustè ea dispensatio, solumque restat vsus illius: ad quem vsum non requiritur formaliter causa iusta: id quod confirmat variis exemplis, illius scilicet, cui propter paupertatem maximam parentum dispensatum est, vt non obstãte aliquâ irregularitate accipiat Ordines; etenim etiamsi contingat ante eos susceptos parentes ditari, nihilominùs potest Ordines suscipere: quòd verò è contrario, si dispensatio non est data absolutè, non possit concedi cessante causâ, inde probat, quia causa debet tunc esse, quando dispensatio fit, vt tunc moueatur Legislator siue per se immediatè siue per delegatum ad vulnerandam legem: neque potest præsumi delegans dare talem auctoritatem, vt possit delegatus, etiamsi nullam deprehendat causam, dispensare. Viget id; nam quando Papa ita committit alicui vt dispenset, si inuenerit preces veritati respondere, non dicit, *Si inueneris ita fuisse olim quando petita est dispensatio*; sed perinde ac si diceret, *Si inueneris ita esse quando feceris eâ de re diligentem inquisitionem*; ergo si tunc deprehendat iam nullam esse causam, manifestè expirat eius potestas: addit tamen, si causa iterùm redeat, posse vi eius commissionis dispensationem concedi.

38. *P. Sãchez docet etiam dispensationem absolutè concessam cessare cessante causa.*

P. Thomas Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 30. num. 4. priorem partem huius sententiæ Patris Suarez reiicit, multos pro se referens auctores; pro oppositâ verò etiam aliquos retulerat num. 43. Fundamentum illius est, quia iniquus esset dispensans, qui daret faculatem operandi contra legem sine causâ. Secundò, quia alioquin in exemplo suprà posito de ieiunio, ille, cui ab initio Quadragesimæ dispensatum esset in ieiunio propter debilitatem, posset totâ Quadragesimâ non ieiunare, etiamsi secundâ aut tertiâ hebdomada perfectas vires recuperasset. id quod videtur planè absurdum. Respondet P. Suarez ad rationem primam non esse iniquum eum dispensatorem, qui, quando dat dispensationem, causam habet iustam; non enim tenetur ille in futurum prospicere: ad instantiam de ieiunio respondet, eam dispensationem esse virtute multiplicem: vt enim ipsa lex ieiunij est multiplex, & singulis diebus nouam quasi legem imponit, ita dispensatio è contrario quasi singulis diebus de nouo traditur.

Examinatur quædam doctrina P. Suarij. Perfectam esse dispensationem & esse perfectum illius vsum nõ sunt idem.

Ego tamen hanc secundam solutionem non bene intelligo, & puto esse contrariam ipsi Patri Suario: pro quo aduerte, duo valdè diuersa esse, dispensationem iam in seipsâ esse perfectam, aliud verò, vsum illius iam esse perfectum: vt patet manifestè in dispensatione ad Ordines: etenim etiamsi hodie fit mihi ex integro facta dispensatio, vsus illius non erit hodie, sed posteà suo tempore: & licet ipsi Ordines successiuè sint conferendi, dispensatio tamen tota simul & indiuisibiliter conferetur: & idem dico è contrario de lege in ordine ad obligationem; nam licet materia sit successiua, lex tamen in se non est successiua; & licet materia sit primò eras exequenda, hodie tamen existit obligatio ad illam: hinc eodem modo dico me nullâ penitus videre disparitatem inter dispensationem datam ad Ordines & datam ad non ieiunandum, quoad punctum præsens; nam etiam illi Ordines sunt successiui, sicut ieiunium est successiuum: & è contrario sicut hodie est tota dispensatio ad eos Ordines, & quidem integra, ita etiam hodie est tota dispensatio in lege ieiunij: & sicut, quando debeo vti ea dispensatione ieiunij, iam non est causa, ob quam ea fuit data, ita quando debeo vti ea dispensatione pro Ordinibus iam non est

Digitized by Google

causa, ob quam fuit data: denique sicut è contrario in lege imperante ieiunium inuenitur multiplicitas virtualis, ita eadem inuenitur in lege prohibente Ordines: vbi ergo, quæso, potest assignari disparitas? & verò non est necessarium recurrere ad materiam subcessiuam; nam etiamsi de solo vno ordine loquamur, eadem est ratio, dummodò dispensatio sit ad illum accipiendum de futuro: tunc enim eodem modo comparatur ea dispensatio in se de præsenti & omnino perfecta cum ordinis futuri susceptione, sicut comparatur dispensatio hodie de præsenti in se perfecta ad non ieiunandum crastinâ die.

39. *Obiectio pro defensione Suarij.*

Dices: In hac dispensatione semper requiritur, vt causa ita se habeat, quando est futurus illius vsus, quia non datur licentia non ieiunandi propter debilitatem quæ tunc est, quando petitur, sed quę erit adueniente ieiunandi tempore: benè; at hoc ipsum dicet (& quidem eodem planè iure) P. Suarez de illâ aliâ dispensatione in irregularitatę ad susciendos Ordines ob necessitatem parentum; non enim consideratur necessitas præsens, quia illam non subleuat dispensatio, sed ea quæ putatur futura, quâdo ille suscipiet Ordines, & poterit exercere officium Parochi, & per illud iuuare parentes. Quòd si benè responderetur, tam impertinens est dispensatio præsens ad Ordines suscipiendos posteà parentibus iam non egentibus, quàm dispensatio præsens ad non ieiunandum posteà maturâ iam non indigente cibo eo prohibito.

Solutio.

SVBSECTIO II.

Quî sit difficultas expedienda.

40. *Dispensatio tollens obstaculum à lege positum ab eadē moraliter distinctū non cessat cessante causa dispensationis.*

PVtarem ego quæstionem hanc decidendam, aliter, vt quando dispensatio ideò facit aliquid licitum, quia tollit aliquod obstaculum per legem positum, quasi quodammodò moraliter à lege distinctum, tunc etiam cessante causa dispensationis ante vsum illius, illam semper manere validam; è contrario verò, si dispensatio nullum aliud obstaculum tollat quàm ipsam legem, tunc cessante causâ haud valere dispensationem. Explico: Lex ciuilis puniens aliquem ob delictum infame reddit ipsum omnesque successores illius vsque ad quartam generationem incapaces officiorum; aduertendum tamen quomodo id præstet, certè non tantùm mandando illi ne accipiat eas dignitates, sicut alij cuilibet posset dicere, *Non accipias*, sed causando in illo infamiam quæ repugnat illis officiis; idem est, suo modo in irregularitate; non enim incapacitas ad Ordines præcisè debet concipi proueniens; eò quòd lex dicat, *Non accipias*, sicut posset alteri non habenti vllam irregularitatem Legislator ob diuersos fines dicere, *Mando tibi ne accipias Ordines, sed eas ad bellum, aut ducas talem in uxorem*: prouenit ergo ea incapacitas ex quadam aut infamiâ aut indecentiâ morali, cui lex annexuit incapacitatem Ordinum ex defectu naturalium, vel ob crimen commissum: in hoc ergo casu, quando Princeps iustam ob causam abstulit forensibilem infamiam, iam eo ipso, etiamsi posteà causa cessat, quia infamia iam remissa, aut indecentia iam ablata non potest redire, nisi nouum committatur delictum ab illo homine, semper manet capax eorum effectuum: idem est, si incapacitas sit per modum pœnæ, etiamsi non sit per modum alicuius maculæ adhærentis; nam quâdo Princeps semel remittit pœnam quacumque ex causâ, non potest, nec censetur eam de nouo producere, nisi nouum delictum committatur ab eo homine; ergo ea tunc dispensatio, quæ magis est per modum remissionis pœnæ & ablationis infamiæ, &c. non redibit, quantumuis cesset causa ante vsum illius, quia iam ille homo est (vt sic dicam) factus honestus: quòd si nullam dat de nouo causam, non debet iterùm inhonestus reddi. Et in hoc solo sensu admitto ego sententiam Patris Suarez, neque puto in eo negandam à Patre Thomâ Sanchez aut vllo alio.

41. *Dispensatio non tollens aliquid distinctè ab obligatione ipsius legis cessat cessante causâ.*

Quòd si dispensatio sit in tali lege, quæ non imponendo pœnam pro vllâ culpâ aut infamiam, sed immediatè per se ob bonum publicum prohibet aut præcipit aliquam actionem, vt v. g. lex audiendi Sacrum, lex ieiunandi, lex non contrahendi clandestinum matrimonium, non accipiendi consanguineam intra certum gradum; omnino censeo dicendum dispensationem cessare, etiamsi anteà valida fuerit; si tamen ante vsum illius causa, ob quam est data, cessauit. Ratio est, quia eo casu Legislator nihil abstulit quod reuocari non possit; & verò non poterat id prudenter facere; ratione cuius homo iam ille esset immunis: quia non ob aliquem effectum moralem reddebatur obligatus subditus, sed formalissimè & immediatè per ipsam legem; hanc autem non abstulit absolutè, sed intuitu causæ suspendit, quamdiu scilicet causa durat: ergo hac cessante redit obligatio per se. In hoc sensu defendo sententiam Patris Sanchez suprà.

Obiectio.

Dices: irregularitas ex homicidio casuali, aut ex defectu aliquo notabili corporis, non est per modum infamiæ aut pœnæ; & tamen si semel in eâ dispensatur, non redit, etiamsi cesset causa ante dispensationem vsus, ergo.

Solutio.

Respondeo negando antecedens quoad secundam partem; dico enim omnino redire, non secùs ac in dispensatione ieiunij: id quod clarè constat ex his quæ suprà dixi probando eamdem esse de vtraque rationem.

Obiectio.

Dices: Suprà traditum est dispensationem datam sine causâ validam esse, etiamsi sit iniusta; ergo à fortiori erit valida, si data fuit cum iusta causâ, esto ea posteà cessauerit.

Solutio.

Respondeo, dispensationem sine causa tunc esse validam, quando Legislator vult dispensare non obstante causæ carentiâ; at quando intuitu causæ dispensat, non aliter certè dispensat quàm se accommodando causæ, seu quamdiu hæc durauerit.

42. *Non omnis dispensatio potest ante vsum illius reuocari.*

Ex his circa reuocationem dispensationis ex parte ipsius concedentis infero, Si ea dispensatio fuit per modum ablationis infamiæ & indecentiæ, non solùm non redire de facto cessante causa, sed nec posse Legislatorem, esto velit, eam validè reuocare, nisi nouum committatur crimen ab eo homine: factus enim aliquis Nobilis non potest iure eâ nobilitate priuari, nisi causam det ex parte suâ: id quod non videntur considerasse auctores, qui sine vllâ distinctione docent, omnem dispensationem ante vsum illius posse reuocari.

Obiectio.

Obiicies: Potest quis tali modo eâ infamiam tollere, *Facio te Nobilem quamdiu causa tales durauerint*; tunc autem, eo ipso quòd illæ cessauerint, cessabit etiam nobilitas, ergo.

Solutio.

Respondeo, me non inuenire vllam repugnantiam in tali volitione, imò agens de condonatione peccati dixi suo loco posse Deum sic remittere, *Condo-*

Digitized by Google

eo tibi peccatum hoc quamdiu aliud non commiseris nouum; si enim illud commiseris propter hoc & propter nouum ero tibi inimicus; nihilominùs addo, eas volitiones non haberi ab hominibus ordinariè, sed de facto remitti absolutè culpã aut infamiam, & concedi nobilitatem non apposita vlla conditione aut certo durationis tempore, ideóq; iam non esse in potestate illius condonantis suscitare iniuriam de nouo; sicut supposito modo, quo Deus de facto remittit peccatum, non est in illius potestate ipsum reuocare: & in hoc sensu loquor in hac illatione: nã si Princeps sub eâ conditione dispensaret, non solùm posset ipse reuocare dispensationem causa deficiente, sed verè per seipsam illa reuocaretur, quia per voluntatem antecedentem erat alligata durationi illius causæ. Hæc circa dispensationem per modum remissionis culpæ, pœnæ & infamiæ. Reliquę enim dispensationes etiamsi concedantur cum voluntate generali & independente ab omni causa, ideóque iuxta dicta suprà, validæ sint etiam causa deficiente, semper tamen reuocabilitatẽ habent: quia Princeps habet semper potestatem reuocandi eam suam voluntatem; vel, vt melius iã explicem, habet potestatem ferendi legẽ quasi de nouo pro eo homine, & sic eum hominẽ obligandi; & licet non tolleret dispensationem priorẽ, ideoque respectu legis vt ante dispensationem latæ semper homo esset liber; attamen liber non esset ab impositâ nouâ lege seu nouo præcepto, quod moraliter coniunctum cum lege antiquâ debet dici pars legis. Secundò infero, omnia quæ suprà dicta sunt à fortiori habere locum, quando dispensatio nondum est lata, sed adhuc est in fieri; tunc enim procul dubio cessante causa redditur inualida: in quo **P. Suarez** conuenit cum P. Sanchez: & sufficienter suprà probatum est, ideóque non indiget vlteriori probatione.

Quænam dispensationes possint reuocari.

Sectio IV.

Quomodo dispensatio requirat, ne ei renuntietur formaliter aut virtualiter, ab ipso cui conceditur.

45. *Quid sit formaliter renuntiare, & quid virtualiter. Subditus non potest ex naturâ rei validè renuntiare dispensationi.*

EXpressa renuntiatio ea est quãdo quis dicit, *Nolo amplius frui hac dispensatione*; virtualis verò, quando efficit aliquid, quod videtur habere repugnantiam cum illâ, aut cum vsu illius: & de vtroque modo in præsenti disputandum est; priùs tamen vt certum supponi debet, ex naturâ rei non esse in potestate subditi validè renuntiare dispensationi, nam cùm obligatio legis proueniat ex voluntate Superioris, non verò ex voluntate ipsius subditi; hic enim sibi non imperat; sanè eo ipso quòd Superior nolit obligare, id quod facit dispensando, non potest subditus, etiamsi velit, se obligare per legem. Dico *per legem*; nam voto aut promissione poterit, si velit, sibi inducere de nouo obligationem, Confirmatur: Si nulla esset lex, non posset, licet vellet, obligari lege; ergo etiã non poterit nunc, quando lex pro ipso ablata est, perinde ac si non fuisset lata.

Etiamsi verbo vel signis ostendat se nolle habere dispensationem.

Hinc infertur Primò, quantumuis ille subditus eam suam voluntatem renuntiandi significet vel verbis, vel facto vel lacerando instrumentum dispensationis, nihilominùs tamen ex naturâ rei illum omnino esse liberum ab obligatione, ita vt nullus, excepto ipso dispensante, possit eum cogere ad obseruandam legem, quantumuis sciant instrumentum laceratum, &c. Ratio à priori est, quia ea omnia signa nihil penitus aliud faciunt quàm publicare voluntatem subditi; atqui ea voluntas non habet vim inducendi obligationem, vt ostensum est, ergo multò minùs ea signa.

Hinc Secũdò infero, sine causa multos auctores hic defatigari operosè explicando, quæ sint signa eius renuntiationis; id enim ad punctum præsens nihil iuuat; nam quæcumque illa sint; nõ possunt plus facere quàm nolitio, imò re ipsâ nihil aliud præstant quàm declarare nolitionem; quibus autem modis quis possit suam volitionẽ internam declarare, quæstio est generalis & communis omni materiæ, non solùm quando agitur de voluntate renuntiatiuâ, sed de donatiuâ, de optatiuâ, &c. ideò ea de re nihil cogito ampliùs hîc dicere; nam id duobus verbis insinuaui, scil. scripto, seu verbis, facto, item non vtendo ea dispensatione; quod tamen non est certum signum, quia potest quis multa facere ex supererogatione, licet non teneatur; potest item id protestari abiiciendo aut lacerando instrumentum dispensationis.

Vbi obiter hoc solùm noto, optimè à P. Suario doceri contra nonnullos, si quis v. g. habeat dispensationem, vt possit consanguineam ducere, non ideò ostendere animum renuntiandi ei dispensationi, etiamsi ducat aliam feminam, nam licet simul vtramque non possit habere, potest tamen velle retinere eam dispensationem, vt casu quo vxor moriatur, possit consanguineam accipere.

44. *Qui habet potestatẽ ducendi cõsanguineam non censetur renuntiare dispẽsationi ducendo aliam.*

Secundò supponendum, si Legislator ipse, vel dum dat dispensationem, habeat animum obligandi illum hominem, casu quo ille renuntiet dispensationi, vel certè postea, quando scit illum renuntiasse, renuntiationem accepter, ac de nouo velit illum obligare, non dubium quin ille sit obligatus. Difficultas ergo solùm potest reduci ad factum ipsum, an scil. debeat de Legislatore is animus acceptans renuntiationem, aut cum ea conditione dispensans de facto præsumi, ideóque subditus censendus sit obligatus posita renuntiatione, an verò adhuc iudicandus omnino liber. Respondeo, si in ipsa dispensatione non habuit talem animum Legislator, tunc ex solo facto subditi non posse eam volitionem nouam obligandi in Legislatore præsumi, nisi primùm constet de renuntiatione; non enim potest de nouo moueri ad aliquid volendum ratione alterius, nisi illi constet de eo motiuo: neque tamen hoc sufficit; nam licet sciat, potest adhuc non acceptare; ergo debet, vt vlteriùs de ea volitione constet, dare aliquod illius signum; nam licet fortè ipse habeat eam volitionem, & re ipsa iam alter sit obligatus, quia tamen illam volitionem in se non possumus noscere, nisi exteriùs proponatur, certè, quamdiu non proponitur, saltem ex ignorantia inuincibili, liber erit subditus ab obligatione. Desiderari ergo nunc videtur, vt explicemus quibus modis ea acceptatio interior Principis manifestetur; sed quia iam egimus suprà satis de manifestatione voluntatis Principis quoad dispensationem, &, vt dixi paulò antè, difficultas est communis omni volitioni internæ, nihil amplius in hoc puncto addendum iudico.

Si Legislator acceptet renuntiationẽ, vel dispenset cũ animo obligandi, si acceptãs renuntiauerit dispensationi, obligabitur renuntians.

Quãdiu certò nõ cõstat Legislatorẽ acceptasse renuntiationẽ, aut dispensasse cum cõditione, nisi renuntietur, licitum erit vti dispensatione.

SECTIO

SECTIO V.

Vtrùm, quando petitur secunda dispensatio in eadem materiâ, nullâ factâ mentione prioris, censeantur ambæ validæ.

45. *Explicatur status quæstionis.*

ILlud tamen potest nouam habere difficultatem, vtrùm, si quis habens dispensationem in vna materia petat aliam, in eadē censeatur Princeps concedens secundam reuocare primam. Aliqui affirmant eo casu primam perire ob renuntiationem ipsius petentis; quod ita extendunt; vt licet secunda negetur, prior pereat; sed quia ex parte ipsius petentis non potest tolli ea quæ validè data est (vt diximus) relinquo eum modum dicendi, & venio ad probabiliorem, qui in voluntatem ipsius Legislatoris id reducit; priùs tamē addo circa illum primum, malè eius auctores docere, eam petitionem esse signum renuntiationis primæ: nam ille non petit secundam, nisi fortè vt sit certior, aut vt obtineat ampliorem facultatem; ergo si non obtineat secundam, aut si hæc sit minùs ampla, non cēsetur renuntiare primæ, saltem quoad illius maiorem extensionem.

Petitio secundæ dispēsationis non est signū renuntiationis primæ.

SVBSECTIO I.

Fundamenta communia communis sententiæ.

46. *Cōmunis sententia docet Principem dando secundā dispensationem reuocare eo ipso primam.*

AD voluntatem ergo Principis redeundo, multi iudicant illum censeri reuocare priorem dispensationem dando secundam in eo genere, quia non creditur velle duas dare in eadem materia; imò licet non sint planè in eadem materia, si tamen sint quasi contrariæ, dicunt Principem vnam reuocare dando alteram; si v.g. obtinuit quis dispensationem vt ducat vnam consanguineam, ac deinde ante matrimonium obtinet aliam, vt ducat alteram consanguineam, censent hi per hanc secundam amitti primam. Ita P. Sanchez lib. 8. disp. 22. nu. 19. quia non præsumitur Princeps in re tam graui duas dare eidem personæ tales dispensationes, vnde eo tempore sola posterior reputanda est valida: quod vltimum absolutè approbat P. Suarez fine nu. 9. licet non consequenter; nam posteà cap. 23. contrarium sentit; & potiùs secundam sentit inualidam. Quæstio hæc grauis momenti est, & valdè fusè ab auctoribus agitata, habetque varios casus per modum illationum; quos omnes oportet distinctè proponere, & in quo totus cardo rei ex vtraque parte voluatur benè explicare, vt faciliùs quilibet possit de totâ re iudicium formare.

47. *Fundamenta communis sententiæ ex iure.*

Ergo sententia præcedens, quæ secundam dispensationem negat validam, nititur duobus capitibus iuris. Primum est, quod est 2. de filiis presbyt in 6. vbi Bonifacius dicit, Si illegitimus, qui priùs ad omnes Ordines & vnum beneficium etiam curatum dispensationem obtinuit, posteà petat ad duo beneficia, simul & non explicet primum defectum, inualidè secundam dispensationem obtinere, quia non præsumitur Sedes in pluralitate beneficiorum cum patiente illum defectum voluisse dispensare. Hic tamen textus (vt benè notauit P. Suarez cap. 23. nu. 3. & 4. cum Dominic. & Francis.) non videtur esse ad rem præsentem, quia ibi Pontifex non reddidit pro causa inualidæ dispensationis, quòd reticuerit priorem; quod solùm fuisset ad rem nostram; sed quòd nō declarauerit defectum illegitimi, quem habuerat: & ita expressè in ratione ipsâ posuit Pontifex, *Cùm non sit verisimile Sedem ipsam cū illo dictum defectum patiente voluisse*, &c. vnde si ille suum defectum proposuisset, dum secundā petiit dispensationem, licet nihil dixisset de priori, potuisset secundam validam obtinere vi huius textus.

Textus iuris modò citatus non fauet huius sententiæ.

Vna tantùm videtur esse hîc difficultas ex doctrina à nobis superiùs traditâ; ostendimus enim, semel ablato impedimento, quod est per modum infamiæ, iam non posse ampliùs reuocari etiam ab ipso Principe; quia perinde se habet ac si nūquam anteà fuisset; ergo cùm per eam priorem dispensationem fuisset iam omnino ea infamia illegitimi ablata, non fuit necessum mentionem posteà de eâ facere, quia iam nihil operabatur. Respondeo, Si ea infamia fuisset ablata simpliciter & ex integro, non futurum necessarium quidquam de ea dicere; at per dispensationem priorem non fuisse ablatam nisi secundùm quid. id est, in ordine tantùm ad vnum beneficium habendum simul, ita vt ad duo simul adhuc haberet ille duo impedimenta; vnum commune cæteris, alterum proprium. Id quod explico ex eodem titulo cap. 1. vbi expressè traditur, dispensationem ad beneficium pro filio presbyteri vt odiosam & exorbitantem à iure solùm intelligi ad vnum tantùm beneficium: quòd si in priori dispensatione Pontifex dixisset, *Ita dispenso tecum in hoc impedimento, vt perinde se habeat ac si non fuisset*, tunc fateor, etiā tacitâ priori dispensatione & impedimento, habuisse locum secundam, ob rationem in obiectione factam. Et ita absolutè docet Suarez suprà cum Couarruuiâ & Ioanne Andreâ.

Obiectio pro hoc textu ex sententiâ auctoris deducta.

Solutio.

48. *Alter textus pro hac sententiâ examinatur.*

Ad secundum ergo textum veniamus ex cap. penult. de præscript. in quo duo video quæ possent ei sententiæ fauere: Primum, quod dicitur, *Non obstante priuilegio Clemētis Papæ*; per quod priuilegiis suorum prædecessorum non extitit derogatum, cùm de ipsis nullam fecerit mentionem. Hunc textum, quem communis sententia extendit vniuersaliter ad omnes dispensationes, meritò in eâ acceptione reiicit P. Suarez num. 6. & 7. cum Innocentio Cardinali, Felino & Baldo; nam in eo nihil dicitur vniuersaliter de dispensatione præcedenti, sed quod priuilegium sequens non reuocat præcedens, nisi de eo fiat expressa & specialis mentio. Ego addo, hunc textum potiùs videri contra præcedentem sententiā; nam in eo potiùs supponitur vtrumque priuilegium manere, & præcedens & nouum: de præcedenti patet, quia expressè dicitur non reuocari per sequens: de sequenti etiam patet, quia supponitur esse priuilegium, & nihil insinuatur quod denotet illud esse inualidum; quomodo ergo hic textus afferri potest ad probandam secundam dispensationem esse inualidam, quando reticetur prima? Secundò dico, ideò illum textum non esse ad rem, quia in eo nihil de silentio petentis priuilegium secundum: de quo solo silentio hîc agimus: sed ratio desumitur ex eo, quòd ipse Pontifex non expresserit antiquum priuilegium. Tertiò dico sensum eius loci hunc esse, si Pontifex v.g. mihi dedit aliquod priuilegium, & posteà Petrus petit aliud pro se, per quod meo derogatur ex parte, tunc per secundum illud non intelligi mihi

Etiam hic textus non fauet cōmuni sententiæ.

Textus explicatur.

Digitized by Google

Explicatio Patet Suarij reijcitur.

mihi in priori quidquam derogatum: non enim approbo quod P. Suarez & citati paulò antè dicunt, sermonem esse de duplici priuilegio, eidem tamen personæ facto, ita vt primum fuerit limitatum ob fauorem alterius, cui voluit Pontifex seruare ius commune: quem fauorem non censetur illi tertiæ personæ auferre Pontifex per secundum priuilegium magis amplum: hoc (inquam) non probo; nam licet ad ostendendum eum textum non fauere communi sententiæ ea sit bona solutio, vt paulò antè dixi, tamen absolutè non puto ibi eam esse mentem Pontificis,

49. *Rationes ad improbandã explicationẽ Patris Suarij.*

sed quam nos diximus. Moueor, quia respectu eiusdem personæ non poterat dubitare per secundum priuilegium non auferri prius: quod patet Primò, quia vel is casus numquam contigit, vt quis petat priuilegium derogans suo proprio priori; vel si petit, tunc vix potest euenire, vt in concessione non sit de eâ reuocatione mentio facta. Secundò, quia ea verba applicantur immediatè post licentiam datã Religiosis sancti Martini de Pannoniâ, vt si proprius Episcopus nollet eis dare Ordines, possent à quocumque alio Catholico Episcopo illos petere: sicut in priuilegio Paschalis & Alexandri continetur; post quæ immediatè additur, *Non obstante priuilegio Clementis Papæ*, &c. vnde inducor vt credam, illud priuilegium Clementis, quod non debet obstare, fuisse datum ipsi Episcopo, vt scil. illi Monachi non possent ab alio quàm ab ipso petere Ordines: quod ostendo manifestè; nam hoc Clementis fuit contrarium illi Paschalis & Alexandri; hoc autem, vt textus dicit, dabat facultatem Monachis petendi à quocumque alio Episcopo Ordines, ergo illud Clementis fuit datum Episcopo, vt non nisi ab ipso illi peterent. Innocent. autem Tertius declarat ideò hoc secundum esse nullum, quia non reuocat antiquum. & ideò existente antiquo non habet locum illud nouum. Sanè re totâ benè inspectâ, manifestè videtur hæc esse eius loci genuina explicatio; & certè tum ex hac, tum ex illa priori Innocentij constat, textum non esse vllo modo pro sententiâ communi.

50. *Afferuntur alia verba textus qua possunt fauere communi sententia.*

Alia video verba in eo capite, quæ possent fortè communi sententiæ fauere; nam in illius fine ideò reiicitur Abbas ille S. Martini à iure petendi decimas totius Comitatus, in quo erat situm Monasterium: nam si quando ab Alexandro Papâ petiit priuilegium pro eâ re, præscripserat iam in exactione decimarum; renuntiauit ei præscriptioni petendo aliud priuilegium; si verò nondũ consummata erat præscriptio, sed in fieri; ergo post impetratum priuilegium non habuit bonã fidem, & ideò secundum Canones non præscripsit: ex hoc enim loco potest sic formari argumentum: Dispensatio seu priuilegium illud secundum non habuit vim, si præscriptio erat consummata, nisi renuntiaretur ei præscriptioni; ergo nouum priuilegium non valet nisi antiquò pereunte. Respondeo tamen Primò, hunc textum non tam videri contra præsentem quæstionem quàm contra id quod suprà diximus, per solam scilicet ipsius subditi renuntiationem non cessare priuilegium; cuius oppositum hîc traditur; addo tamen neque contra illam resolutionem esse, quia hîc non est sermo de dispensatione, sed de præscriptione in materiâ iustitiæ, nempe ad accipiendas decimas, quæ alioquin ad Episcopum videbantur pertinere; huic autem titulo, vtpote in materia iustitiæ, sine dubio potest validè renuntiare ille qui est ipsius dominus; titulo autem libertatis à lege prouenientis ex voluntate Legislatoris non potest quis renuntiare, quia non potest se obligare per legem; ergo textus hic nec est cõtra eam doctrinam à nobis traditam. Respondeo Secundò non esse ideò ad casum præsentem, quia in eo nõ negatur, priuilegium vel dispensationem secundã esse validam, eò quòd de primâ non sit facta mentio quando est petita, quin potiùs semper videtur supponi, secundũ priuilegium fuisse validum, & primum, quod in præscriptione fundabatur, periisse, si erat integrum, vel non potuisse ad complementum venire, si tantùm erat inchoatum; ergo ex eo capite, nihil pro sententiâ communi suprà positâ, quin potiùs contra illam videtur inferri, secundum priuilegium esse validum & primum petire; sed quia, vt dixi, ibi agitur de præscriptione in materiâ iustitiæ, nec contra eam sententiam est.

Sed etiã ille non fauet cõmuni sententiæ.

Imò textus videtur esse contra cõmunem sententiam.

Præter hos textus nihil affertur pro eâ sententia quod vrgeat nisi ea præsumptio, quod scil. nõ credatur Princeps dare duas dispensationes circa eamdem rem: quid autem momenti habeat hæc ratio ex conclusionibus sequentibus expono.

Svbsectio II.

Tres primæ conclusiones.

51. *Valida est dispensatio in eadem materiâ, & ob eadem causas petita, etsi prior non manifestè.*

Dico Primò, Si dispensatio secunda sit in eadem omnino materiâ, ob eadem causas in se sufficientes non potest iudicari inualida, eò quòd dum petita fuit non sit manifestata prior dispensatio. Ratio à priori, quæ pro sequentibus conclusionibus debet valdè põderari, ea est, quia quando id, quod Principi dispensaturo occultatur, non reddit difficiliorem, sed potiùs faciliorem dispensationem, non potest prudenter præsumi reddere illam inuoluntariam: si enim ob vnam bonitatem ego tale aut tale obiectum amplector, procul dubio debeo præsumi amplexurus illud idem, si simul sciuissem aliquid, quod magis amabile redderet tale obiectum; vel certè, non possum præsumi cessaturus ab amore, si illud sciuissem; quod principium lumine naturæ videtur notum; atqui mecum v.g. fuisse dispensatum vt suscipiam Ordines, non reddit difficiliorem secundam dispensationem, sed potiùs faciliorem, quia facilius est concedere per secundã dispensationem id quod concessum est per primam, quàm illud omnino de nouo concedere, ergo.

52. *Obiectio, quia videtur secunda dispensatio otiosa, ideóq; Principi inuoluntaria.*

Vnam tamen video obiectionem dignam consideratione, nam licet ex parte rei seu gratiæ concedendæ locum habeat hic discursus, ex alio tamen capite videtur talis dispensatio difficilior, quia est omnino otiosa: si enim iã habeo à Papâ certam licentiam ad talem rem, inutiliter secunda mpetro; & licet in me tunc præsumatur actus ille peccaminosus vt otiosus, quia re ipsâ illum exerceo sciens, ex parte tamen Principis non est præsumendus talis; si enim sciret iam esse perfectè dispensatum, responderet petenti, *Vt quid nouam petis, secunda enim otiosa est; nolo otiosè dispensare, vtaris primâ.* Respondeo morale non esse ex parte petentis, vt, si prima sit omnino certa, quærat aliam omnino similem, sed id ordinariè fieri, quia vel de primâ dubitat, an validè data, an posteà cessauerit, &c. vel certè, quia petitur ab altiore potestate, vt sit durabilior, &c. in eis autẽ casibus nõ est cẽsenda otiosa ea secũda, sed vtilis;

Soluitur, & ostenditur in quibus casibus secunda dispensatio nõ sit otiosa

ergo

Digitized by Google

ergo ex hoc capite benè potest præsumi ea voliţio iusta ex parte Principis: quòd si casus ita ponatur, vt planè nulla videatur vtilitas sequi ex eâ secundâ, quia prima est omnino certa, clara, ab eodē Legislatore, &c. non dubitarē dicere, eam secundam esse inualidā, quia nō debeo præsumere otiosam omnino voluntatem in Legislatore.

Textus quidam iuris cōclusioni contrarius reijcitur.

Ex quo capite mihi minùs placet additio quędam ad Rotam decis. 2. de filijs presbyt. de quâ P. Sanchez & Suarez; in eâ autem dicitur, Si secunda dispensatio sit propter eumdem effectum, validam esse, etiamsi non declaretur prima; secùs verò si sit ob diuersos effectus: quam additionem P. Sanchez num. 5. dicit se non intelligere; P. verò Suarez illam explicat, quando secunda dispensatio obtinetur ad eamdem rem propter maiorem certitudinem & firmitatem. Ego autem censeo hanc explicationem Patris Suarez non cadere in eam additionem; nam in eâ (vt vidimus) negatur diuersus effectus nouæ dispensationis: at si fiat ob maiorem firmitatem, &c. eo ipso reperitur nouus effectus; ergo nō loquitur in eo casu ea additio, sed quando est summa similitudo; tunc autem ratione otiositatis ea secunda dispensatio reijcienda est, vt diximus, ergo ea additio non videtur posse commodè defendi.

53. *Dispensatio ex causâ iustâ petita ob maiorem extensionem prioris valida est, etsi non fiat mentio prioris.*

SECVNDA CONCLVSIO ex præcedenti illata: Si ea secunda dispensatio petatur ob maiorem extensionem prioris, causâ tamen sufficienti allatâ pro eâ extensione, siue causa illa anteà fuerit posita, eique Legislator noluerit annuere quoad extensionem, siue iam primò proponatur, omnino valida erit secunda dispensatio, licet de primâ obtenta nihil dicatur. Ratio est, quia, quòd pars eius gratiæ, quæ nunc petitur, fuerit concessa priùs, faciliorem potiùs quàm difficiliorem reddit dispensationem secundam; quia iam solùm in parte dispensandum est, ideoque locum habet ratio pro prima conclusione facta, aliunde autem nulla est hîc otiositas, ergo.

Neque est opus nouam causā ad obtinendam extensionē prioris dispensationis allegare.

Dices hanc conclusionem locum habere, si causa noua proponatur, secùs si antiqua, quia non debet præsumi Princeps sine noua causa animum suum mutasse. Sed contrà, quia ea mutatio non est indigna Principe, imò neque Deo; nam quòd quis non potuit à Rege prima petitione obtinere, obtinet secunda, obtinet etiam per importunitatem à Deo, iuxta eam parabolam amici de nocte panes petentis: ex quo facto nulla in concedentem redundat mutabilitas, sed demus id arguere aliquam instabilitatem, certè eam passim in Principibus creatis supponimus, ergo. Limitanda tamen est hæc conclusio, quando scilicet ea ampliatio non est in præiudicium tertij; nam si sit, videtur valdè probabile necessarium esse manifestare Principi illud detrimētum; & quòd eius intuitu præcedens dispensatio sit denegata, quia valdè hoc posset Principem retardare: & hîc habet locum ratio Innocentij & eorum, quos Suarez citat & sequitur, vt suprà vidimus, quòd Princeps, qui in priori dispensatione negauit ampliationem, ne tertio noceret, videtur quodammodò illi tertio dedisse priuilegium circa eam rem, quam intuitu ipsius negauit alteri petenti dispensationem.

Si ampliatio dispensationis cedat in damnum tertij, id manifestandum erit.

54. *Quando sine notitiâ prioris dispensationis agnosci nequit qualitas gratiæ conferendæ, ea manifestari debet.*

TERTIA CONCLVSIO: Quando declaratio prioris dispensationis est necessaria vt Princeps agnoscat qualitatem gratiæ, quam præstat, videtur omnino necessarium ad valorem secundæ declarare priorem. In hoc sensu potest defendi sententia communis; & ita eam declarat P. Suarez suprà num. 11. Ratio eius videtur esse, quia non præsumitur Princeps eam gratiam facere, quam ignorat. Exemplis id declaratur: Si Beneficiatus, qui cogitur residere, obtinuerit dispensationem ad non residendum per quinquennium, & eo elapso pro nouo quinquennio petat, non potest Papa præsumi daturus, si sciuisset eum iam abfuisse per quinquennium; nam tunc ea esset virtualiter gratia per decennium: similiter si quis habens votum castitatis obtineat dispensationem pro vno matrimonio, & mortua ea vxore petat pro alio matrimonio, non obtinebit validè, nisi declaret priorem dispensationem; quia aliter non concipit Princeps quantam relaxationem faciat in illo voto. Tertiò, si quis semel obtinuit dispensationem ad matrimonium in crimine occisæ vxoris ob promissum cum altero matrimonium, & posteà in idem crimen relabatur, non obtinebit validam dispensationem secundam, nisi declaret priorem, vt inde appareat magnitudo gratiæ.

SVBSECTIO III.

Discutitur grauis obiectio, & magis declaratur hæc tertia conclusio.

55. *Obiectionis vis proponitur.*

DIces, Ergo si quis vna Quadragesima obtinuit dispensationem ad non ieiunandum, & posteà pro secunda petat aliam dispensationem, non poterit hanc validè obtinere, nisi declaret priorem: quod est absurdum: & idem dici potest de eo qui obtinuerat dispensationem ad non orandū vna die; teneretur enim, si pro secunda peteret, declarare priorem: quod est durissimum. P. Suarez suprà num. 18. negat consequentiam: disparitatem assignat, quòd illæ materiæ ieiuniorum non vniuntur inter se, neque vna aggrauat aliam, & vnaquæque potest habere suam propriam causam; vnde in primo exemplo de dispensatione in residentia dicit, si petens interponat aliquod tempus post primū quinquennium, non esse necessarium ad obtinendam dispensationem pro secundō declarare, se aliam habuisse pro vno quinquennio. Ego tamen (vt verum fatear) non satis capio hanc disparitatem: & quidem videtur manifestè reiici per exempla illa de dispensatione in voto castitatis ad secundas nuptias: etenim tam secundum matrimonium non facit vnum quid cum primo, quàm ieiunium aut non ieiunium vnius Quadragesimæ non facit vnum quid cum altero ieiunio aut non ieiunio alterius Quadragesimæ: quòd si dicatur secūdum matrimonū aggrauari per prius, etiamsi sex, octo annis post mortem prioris vxoris contrahatur, cur, quęso, non aggrauabitur vna comestio carnis vnius Quadragesimæ per aliam priorem alterius anni, etiamsi interceſſerint decem menses? & sicut potest esse distincta causa pro vna Quadragesima ac pro alia, nempe eadem debilitas corporis durans, ita planè potest esse distincta causa pro secundo matrimonio, scilicet eadem tentatio carnis & debilitas ad ei resistendum quæ fuit pro primo, & adhuc moraliter perseuerat. Præterea, sicut ignorando priorem dispensationem in voto, nescit Legislator, quantam relaxationem faciat in voto, ita ignorando priorem dispensationem in ieiunio ignorat, quam relaxationem faciat in lege ieiunandi. Denique, sicut lex ieiunij est virtualiter multiplex, hoc est, prohibens hoc

Quid respondeat Suarez.

Responsio Suarez impugnatur.

anno

Digitized by Google

anno & prohibens sequenti comestionem carnis, &c. ita votum est virtualiter multiplex prohibens hoc matrimonium & sequens &c. rogo ergo iam quæ possit inter hæc duo exempla disparitas excogitari pro præsenti puncto.

56. *Eadem repetitio P. Suarez amplius impugnatur.*

Secundò argumentor in eodem ieiunio Quadragesimæ: Si duæ Quadragesimę venirent simul vna post alteram, tunc obtentâ dispensatione pro vnâ debuissem eam declarare, si pro alterâ vellem eam dispensationem obtinere, vt docet P. Suarez: quid ergo iam, quæso, moraliter facit, quòd inter vnam Quadragesimam & alteram interponatur aliquod tempus? Certè per hoc nec numerus dierum, in quibus dispensatur; minuitur neq; ex parte causarum est diuersitas, imò facilius potest præsumi continuata eadē debilitas, si tempus etiam continuetur, quàm iterùm redire anno sequenti; neque propterea dies illi inter se sunt connexi: quòd autem dicantur facete vnum quid, est omnino per accidens: & illud posset impediri, si vel duo dies pro carnibus interponerentur. Quis autem, quæso, dicet, si Quadragesimæ essent omnino continuæ, fore necessarium declarare priorem dispensationem, secùs verò, si vel vna dies interposita esset carnium? quid quæso, illam diem Legislator curabit? & idem dico cum proportione de eâ residentia in Ecclesiâ, etiamsi finito primo quinquennio resedisset per mensem: & verò ad rationem, quâ P. Suarez benè vtitur in hac materiâ, ea interruptio nihil iuuat; ratio enim desumitur ex relaxatione, quæ fit in lege, seu (vt leges loquuntur) quantum vulneretur lex: atqui lex ieiunandi respectu mei tam multum vulneratur, si non ieiuno duabus Quadragesimis disiunctis, quàm si illæ Quadragesimæ fuissent coniunctæ, aut vna vel altera dies inter vtramque interposita. Nec dubito quin hæc ratio moraliter rem ponderanti demonstret, ob eam interpositionem non desumi vllius momenti disparitatem.

57. *Quid ad obiectionem respondendum sit.*

Ergo ad obiectionem suprà positam planè censeo concedendam sequelam, quia, vt verum fatear, disparitatem non video; neque in consequenti reputandum est vllum absurdum, cùm id doceat cōmunis sententia, & P. Suarez, qui contrarium sentit, ponat tamen alia principia, ex quibus, vt ostendimus, videtur sequi, redeundum necessariò ad communem sententiam; vel certè, si in his casibus censetur valida ea secunda dispensatio, debebit etiam in aliis prioribus censeri. Hinc infero eodem modo dicendum, si quis etiam obtineat dispensationem contrahendi cum consanguineâ, & eâ mortuâ petat dispensationem secundam, vt contrahat cum alterâ, non declaratâ priori dispensatione; infero, inquam, secundam esse inualidam; cuius contrarium docet P. Suarez n. 19. citans pro se Patrem Sanchez lib. 8. disp. 22. n. 13. verùm ibi P. Sanchez non vniuersaliter, sed in feminâ loquitur ob grauem defectum dotis: quidquid verò sit de eius mente, iudico, etiam in hac non habere locum; quia eadem est planè ratio cum secundâ dispensatione in voto castitatis ad accipiendam secundam vxorem; ibi autem P. Suarez & Pater Sanchez negant esse validam eam dispensationem, ergo & debent negare hîc.

58. *Quando causa allegata pro secundâ dispensatione est eadem cū causâ allegatâ pro primâ, manifestanda erit prima dispensatio.*

Fortasse posset tertia nostra conclusio sic limitari, vt solùm habeat locum, quando causa, quæ allegatur pro dispensatione secundâ, licet aliquin sit ex se ad illam sufficiens, est tamen eadem numero moraliter & physicè cum eâ quæ allegata est pro priori dispensatione; tunc enim non censebitur dispensatio secunda valida, nisi declaretur prima. V.g. petit quis ob parentū merita eam dispensationem primam, eadem merita allegat pro secunda dispensatione, non dicendo iam ea merita esse remunerata; in hoc casu putarem extra controuersiam esse, quòd non sit valida ea dispensatio, nisi declaretur prior: sed tamen id ita extendendum, vt locum habeat, etiamsi dispensatio secunda non sit in eadem materia, sed in diuersa, quia in ordine ad eam causam meritorum parentum aut nobilitatis, &c. illæ duæ dispensationes, licet in materia diuersa, faciunt vnum quid: & esto ea merita parentum in rigore ad vtrumque habeat congruitatem, tamen fortè non moueretur ita Legislator, si sciret iam aliquo modo esse præmio affecta.

etiamsi petatur dispensatio in materiâ diuersâ.

Quòd si è contrario causa, quæ allegatur, vel est omnino noua, vel saltem æquiualenter distincta, ita vt per dispensationem præcedentem ei causæ non satisfiat, tunc potest probabiliter dici non esse necessum declarare priorem dispensationem: & per hanc limitationem possemus exempla Patrum Suarez & Sanchez, saluare. V.g. causa, quare ego hac Quadragesima peto dispensationem, est ob debilitatem, quam iam patior; si anno sequenti eamdem patior, iam est noua causa virtualiter, quia planè est noua debilitas: & quidem huic causæ nullo modo satisfit per dispensationem priorem anni præcedentis, ergo tunc repræsentata hac secunda debilitate non erit necessarium quidquam dicere de priori concessa dispensatione. Idem est in eo exemplo de dispensatione secunda cum consanguinea ob defectum dotis; est enim ibi noua causa, cui non fit satis per priorem dispensationem. Illud tamen est aduertendum, supposita hac limitatione, quæ sine dubio valdè est probabilis, idem debere dici in aliis exemplis; in quibus P. Suarez omnino putat esse necessum vt explicetur prima dispensatio, v.g. in eo, qui in voto castitatis obtinuit dispensationem vt contraheret matrimonium, & vxore mortua petit secundam: si enim id petit ob causam nunc moraliter permanentem, v.g. ob graue periculum incontinentiæ aliúdve simile, cui per priorem dispensationem non satisfacit, haud dubiè erit eadem ratio quæ pro dispensatione in ieiunio: item pro ista regula nihil valet, quod de coniunctione aut separatione quinquenniorum dicebatur, quia pro causa v.g. pro negotio graui, quod non potest expediri, nisi ipso Beneficiato alibi suam causam agente, sine dubio per accidens est, quòd coniungantur aut diuidantur dies, vt fusiùs suprà ostendi: quòd si è contrario pro secundo quinquennio eadem, vt dicebamus, causa meritorum aut parentis aut propriorum allegetur, quæ pro prima dispensatione, nullum omnino momentum affert, quod interpositi sint aliquot dies residentiæ.

59. *Quòd si causa est noua, vel æquiualenter distincta, non est opus manifestare priorem dispensationem.*

SVBSECTIO IV.

Concluditur quæstio.

60. *Quando dispensationes & causæ earum sunt diuersa non est opus manifestare priorem.*

HINC DICO QVARTÒ: Quando dispensationes sunt planè diuersæ, & habent distinctas causas, non est necessum, dum petitur secunda, declarare priorem.

Dices: Etiam illæ duæ gratiæ, licet disparatæ, faciunt vnum quid in ratione gratiæ; & fortasse Princeps nollet tot gratias vni conferre: si enim

Digitized by Google

enim peteret simul omnes eas dispensationes, esto daret causas de se ad illas omnes sufficientes, nollet tamen Legislator tot vni dispensationes concedere. Respondeo, hoc quidem esse aliquod fundamentum præsumptionis, non tamen cogens, quia fortè etiam omnes daret; in dubio autem magis est standū pro voluntate expressâ, quam nunc habet, quam pro volitione solùm sub dubio præsumptâ, maximè cùm, etiamsi tunc omnes illas simul daret, esset honesta ea dispensatio, vt supponimus, quia haberet sufficientes causas pro omnibus illis.

61. *Dispensatio secunda incompossibilis cum priore, & petita ante vsum illius, non est valida, nisi prior manifestetur.*

DICO QVINTÒ, Si antequam quis vtatur vnâ dispensatione, petit aliam ad materiam tamen incompossibilem cum priori, non puto secundam esse validam, si non declaret se iam habere aliam. V. g. femina ob defectum dotis petit dispensationem pro matrimonio cum consanguineo Petro, qui eam vult dotare; antè tamen quàm nubat petit pro altero consanguineo ob eundem defectum dotis; dico eam esse inualidam, & relictis aliorum rationibus, id inde probo manifestè: nam ille defectus moraliter iam nullus est, quia iam habet dotem; ergo in rigore allegauit causam falsam, ergo subreptitia est dispensatio, vnde addo contra aliquos, etiamsi contingeret mori tunc Petrum, nō posse eam vti secunda dispensatione, quia si hæc ab inicio fuit inualida, certè non reddetur valida posteà per positionem causæ, quia defectus voluntarij, qui in Legislatore fuit, non reparatur nisi ipso posteà ob causam veram renouante suam volitionem. Hæc ratio à me data longè magis rem explicat, quàm ea quam P. Suarez affert, inde desumpta, quòd ea duplex dispensatio sit gratia nimis extraordinaria; facilè enim posset id negari, quandoquidem non potest nisi in vna materia reduci ad actum: quod item P. Sanchez docet, priorem tunc extingui per renuntiationem, nullo modo placet, quia iam diximus suprà, renuntiationem non sufficere ad inualidandam dispensationem, nisi acceptetur à Principe; in præsenti autem nullum est fundamentum asserendæ eius acceptationis. Deinde, neque ex parte ipsius petentis ea secunda petitio est signum sufficiens renuntiationis; posset enim petere secundam, vt si moreretur prima vxor, posset habere secundam, vt diximus suprà in simili, ergo ea ratio non valet.

Ratio P. Suarij non probatur.

neque Patris Sanchez.

62. Aduerte tamen iuxta hunc nostrum discursum, si, antequam petatur secunda dispensatio, mortua est aut facta religiosa ea persona consanguinea, pro qua ducenda dispensatio erat obtenta, tunc sufficere repræsentare iterùm priorem causam, quia ea moraliter adhuc vrget, nisi causa illa fuerit desumpta ex nobilitate, aut parentum meritis, aut ex aliquo capite, quod planè formaliter & æquialenter sit idem; quia tunc per priorem gratiam, etiamsi ipsa femina non fuerit vsus illa, videtur illi titulo abundè satisfactum; quod non contingit quando titulus est defectus dotis, aut periculum incontinentiæ.

An in secundâ petitione dispensationis necesse sit dicere primam fuisse negatam.

Illud restat pro complemento, an si priùs petita fuisset dispensatio, & negata, necessum sit id declarare pro secunda. Ratio dubitandi est; ex vna enim parte, si Princeps sciret se contrarium prius voluisse, & non videat nouam causam, mansurus creditur in eadem volitione; ex alia verò parte, quia, vt suprà diximus, sæpè secunda vice conceditur, quod prima negatum erat, non videtur obstare illud silentium. Nonnulli censent omnino esse tunc eam dispensationem inualidam: eos refert P. Sanchez suprà num. 14. qui meritò contrarium docet: eum sequitur Suarez cap. 22. n. 1. id quod breuissimè hac ratione persuadeo, quam immediatè antè insinuaui; quia sæpè eam gratiam, quam homo prima vice negauit, etiamsi nulla noua causa afferatur, concedit, & quidem prudenter, si secundò petatur: quod cōfirmaui ex parabola illius, qui ab amico panes extorsit sua importunitate: ergo etiamsi Principi constaret illam dispensationem à se negatam, adhuc posset prudenter eam concedere, ergo, eò quòd id ignoret, non debet præsumi inuoluntariè dispensare; id quod ex natura rei videtur manifestissimum; ex iure verò nihil adducitur quod contrarium probet; non est ergo cur de eo puncto dubitetur. Quòd si Legislator negans dispensationem fuit supremus, & alter, à quo secundò petitur dispensatio, est inferior, licet res non sit tam clara, quia superior, dum negat dispensationem, quodammodò videtur tollere inferiori potestatem dispensandi; ob quam rationem. P. Sanchez putat tunc esse inualidam, si non declaretur negatam esse priorem dispensationem; adhuc tamen iudico cum Patre Suario omnino esse validam, quia non debet iudicari ac si esset idem, *Nolo dispensare*, & *Nolo vt alij dispensent*: potest enim ille ex sua voluntate nolle moueri eis causis, & tamen permittere vt alij eis moueantur, quia licet non moueatur, iudicat tamen eas esse sufficientes & consequenter dignas vt possit alius moueri; ergo poterit inferior, siue potestatem habeat ordinariam, siue delegatam, dispensare in eo casu. Addo vlteriùs, si ei potestas deesset, vt P. Sanchez dicit, certè, etiamsi declararetur negatio primæ dispensationis, eum non posse validè dispensare, vt benè obseruauit P. Suarez; quia per eam manifestationem negationis prioris non conceditur ei potestas qua carebat.

Negat Sanchez & Suarez, & benè.

63. *Etiamsi dispensatio negata à supremo Legislatore concedatur ab inferiore, adhuc valida erit, quamuis non dicatur fuisse negata à supremo.*

Obiectio.

Dices: Si supremus Iudex damnauit aliquem, non potest inferior eum absoluere; ergo si supremus negauit dispensationem, non poterit eam inferior concedere. Respondetur negando consequentiam. Disparitas est manifesta; nam condemnatio fit per sententiam, quæ obligat inferiores ad executionem: continet item præceptū, & imponit obligationem, quam non potest auferre inferior: at pura negatio dispensationis solùm relinquit legem in suo antiquo statu; vnde, si anteà erat dispensabilis ab inferiori, etiam nunc erit, nisi superior simul dum negat dispensationem imponat nouum positiuum præceptum particulare; tunc enim ratione huius non posset inferior dispensare.

Solutio.

SECTIO VI.

Vtrùm dispensatio obtenta in vno impedimento alijs tacitis subreptitia sit.

64. *Non est sermo de impedimentis respectu diuersorum.*

ADuerto, sermonem non esse, quando impedimenta non sunt respectu eiusdem rei, sed respectu diuersorum. V. g. habet quis votum castitatis, nemo docet, quando petit dispensationē pro lege ieiunij, debere eum declarare alterum vinculum voti castitatis: quia ea duo inter se sunt planè impertinentia; si tamen votū fuisset de ieiunando, tunc locum haberet quæstio præsens: in quâ difficultate Pater Suarez suprà disp. 23. num. 2. absolutè docet, inualidam esse eam

Sanchez opinatur esse subreptitiā.

dispen

dispensationem, citátque multos auctores pro se: vnicum autem huius doctrinæ fundamentum est, quòd, vt Princeps tollat vinculum, debet noscere illius grauitatem, quam non cognoscit, si alterum vinculum ignorat, quia vnum valdè aggrauatur per aliud; vt in delictis patet: longè enim grauius redditur secundum homicidium etiam quoad sui remissionem, ex coniunctione cum alio, quàm si solum fuisset; ergo si quis petat remissionē irregularitatis ex tali homicidio, difficiliùs eam obtinebit, si sciatur alterum, quàm si ignoretur.

65. *Idem sentit Suarez.* Hanc sententiam tenet P. Suarez præcipuè in materiâ matrimonij, vbi dicit, in praxi debere omnino seruari propter periculum faciendi irritum matrimonium ratione dispensationis malæ impetratæ: verùm hoc periculum mihi nullum videtur; nam si ex se ea declaratio alterius vinculi in aliis materiis non esset necessaria, certè sine morali periculo hic homo procederet, quia sequeretur opinionem probabilem minimùm, si non probabiliorem: aliam addit meliorem rationem; quæ tamen non solùm ad casum matrimonij, sed vniuersaliter ad omnem aliam materiam se extendit, siue illa impedimenta sint à voto, siue aliunde: est autem hæc; nam Princeps dispensans in eo impedimento videtur hîc & nunc supponere, se omnino habilitare personam ad rem pro quâ dispensat: si v.g. quis petit in voto castitatis, supponit Princeps illū animo nubendi petere, & obtentâ dispensatione nullum iam restare impedimentum: ergo si hoc ei occultatur, sine dubio præsumitur in Legislatore inuoluntarium circa substantiam, vt sic dicam, rei, seu circa substantiale motiuum.

Ratio eiusdem non probatur.

Alia & melior eiusdem ratio.

66. *Quomodo P. Suarez suam doctrinam limitet.* Limitat tamen hanc doctrinam P. Suarez, vt locum non habeat, quando, licet impedimenta ea duo sint in ordine ad eumdem finem, potest tamen vtiliter vnum vinculū tolli sine alio ob diuersos fines. V.g. qui habet votum castitatis duo habet impedimenta ad contrahendum cum consanguineâ; vnum ex voto, alterum ex consanguinitate; at cùm contrahat cum non consanguineâ, solùm habet vnum: si ergo ille priùs petat dispensationem à voto ob causam independentē à matrimonio cum consanguineâ, valida erit dispensatio, etiamsi nihil dicatur de consanguineâ: & quidem si non eo animo petat vt illam ducat res est extra controuersiam, vt benè etiam docet P. Sanchez; alioquin quilibet petens dispensationem voti deberet Papæ declarare omnes suas consanguineas & affines: quod sine dubio ridiculum est; quia si non cogitat de illis ducendis, sed de alia, quid, quæso, ea declaratio importabit momenti? si verò cogitet consanguineam ducere, & eo animo petat dispensationem, res est difficilior; nihilominùs tamen si causa, quæ tunc pro eâ dispensatione adfertur, sit independens ab eo matrimonio, meritò etiam docet P. Suarez adhuc esse validam, quia intentio petentis non obest, quādo datur causa sufficiens ab eâ intentione independens; finis enim remotus est per accidens ad eam actionem.

67. *Obiectio.* Dices, ergo poterit quis è contrario incipere petendo dispensationem in consanguinitate, retinendo impedimentum voti; quia quòd hoc vel illo modo incipiat, planè videtur esse quid materiale in ordine ad valorem dispensationis. *Solutio.* Respondeo negando consequentiam. Disparitas debet desumi ex ratione iam datâ; nam dispensatio in consanguinitate non potest habere iustam causam, nisi vinculum voti soluatur, quia eo manente altera dispensatio est impertinens: at è contrario dispensatio in voto ex se est vtilis ad alia matrimonia, etiamsi maneat impedimentum consanguinitatis; quod idem habuisset, etiamsi non vouisset. Quòd verò ille intendat consanguineam, iam dixi esse per accidens: quod ampliùs inde patet, quia, non obstante tunc eâ volitione, potest deinde mutare animum, & vti eâ dispensatione pro aliâ non consanguineâ. Vbi addendum iudico, si ille præter votum castitatis haberet etiam votum non ducendi aliam nisi hanc consanguineam, supponamus item illud votum esse validum, non posse esse validam dispensationem in voto castitatis, nisi declarando alterum votum; neq; è contrario dispensationem in voto non accipiendi aliam non valere, nisi votum castitatis explicetur, quia tunc duo illa vota ita sunt inter se connexa, vt solutio ab vno sit inutilis, nisi etiam concedatur solutio ab altero.

68. *Qui habet votum castitatis & religionis potest petere dispensationē à voto religionis tacito voto castitatis, non tamen è contra.* Hinc infertur, Si quis habens votum religionis & votum castitatis petat primò dispensationem in voto religionis, validam eam posse esse, etiamsi nihil dicat de voto castitatis, quia ea dispensatio vtilis est; nam manens in seculo ob asperitatem religionis potest seruare castitatem, & fieri, si velit, Ecclesiasticus; at si è contrario petat dispensationem in voto castitatis tacendo votum religionis, eam dispensationem esse nullam; quia si necessariò debet intrare religionem, eámque profiteri, quid, quæso, illum iuuat carere voto castitatis, quandoquidem adhuc eodem modo manet incapax matrimonij?

An petens dispensationem in voto castitatis teneatur manifestare dispensationem quæ facta est in voto religionis. Negat Suarez, & benè, licet inconsequenter ad sua principia. Rogabis, an eo casu, si quis secundam dispensationem à voto castitatis peteret post obtentam in voto religionis, deberet priorem manifestare: idem est, si, obtentâ dispensatione in voto castitatis, petat pro consanguineâ. Respondet P. Suarez non esse necessariam eam declarationem, quia iam primum impedimentum voti est perfectè sublatum, & sine ordine ad consanguineam, ergo. Hæc responsio mihi quidem placet; puto tamen in Patris Suarez principiis non esse bonam, quia, vt suprà vidimus, docuerat expressè cap. 23. num. 12. post dispensationem in voto castitatis pro vno matrimonio, si mortua vxore petatur pro secunda, debere priorem dispensationem manifestari, vt Princeps sciat, quantam relaxationem faciat in impedimentis huius matrimonij: quòd enim ea impedimenta à diuersis legibus veniant, nihil obest, quia omnia sunt in ordine ad idem matrimonium impediendum. Nos verò, qui superiùs diximus, in eâ duplici dispensatione, si diuersæ sint causæ, posse esse valorem, etiamsi, quando petitur secunda, non declaretur prior obtenta, consequenter in præsenti admittimus eam solutionem Patris Suarez, qui addit num. 1. in materia irregularitatum non esse necessarium vllo modo, ad obtinendam dispensationem, in vna declarare alteram, eò quòd hæ irregularitates non sint inter se connexæ: neque taciturnitas vnius obesse potest, nisi fortè quatenus aliqua maior difficultas esset in eâ dispensatione: quod non sufficit, vt censeatur subreptitia; quia nec ex iure talis iudicatur: neque ratio id probat, ergo. Ego tamen adhuc in his censeo idem dicendum, quod de impedimentis inter se connexis diximus paulò antè; & verò id manifestè ostendo ratione, quam immediatè præcedenti numero benè tradidit Pater Suarez de impedi-

Pars negatiua approbatur.

69. *Circa irregularitatis dispensationem eodem modo discurrendū sicut circa impedimenta matrimonij.*

Digitized by Google

mentis matrimonij; ait enim, Cùm quodlibet impedimentum impediat totum matrimonium, de se inutilis est dispensatio vnius sine aliis; nec seruire potest, nisi fortè ad decipiendum dispensantem vt per partes concedat, quod simul non faceret: nec videtur habere posse causam legitimã sine cognitione aliorum, quia talis causa sumitur ex vtilitate matrimonij: de quâ vtilitate iudicari nequit non cognitis aliis impedimẽtis. Hæc ille; ob quæ meritò anteà docuerat, nullam esse dispensationem in voto castitatis pro eo qui habet votũ religionis. Ex his ergo manifestè argumentor ad irregularitatem, in quibus eadem omnino ratio est, & fortè clarior; quia cum irregularitas nullum alium effectum habeat quàm impedire Ordines; quis non videat quãlibet irregularitatẽ impedire omnes Ordines, sicut dicit Suar. quodlibet impedimentũ matrimonij impedire totum matrimoniũ; & præterea inutilis est de se dispensatio in vnâ irregularitate, si non in aliâ: & hîc habet locum deceptio, vt per partes obtineatur, quod simul nõ posset: item qui sic petit, non habet causam iustam, quia ea dispensatio datur ob vtilitatem Ordinum; hæc autem vtilitas non noscitur, nisi de aliis impedimentis constet; est ergo eadem omnino ratio sine vllâ vel minimâ differentiâ; idem ergo vtrobique sentiendum.

70. *Quo sensu dici possit irregularitates non esse connexas inter se.*

Quod verò dicitur eas irregularitates non esse connexas, duplicem habere potest sensum; vnum verum, non tamen ad rem nostram; alterum ad rem, sed falsum. Primus est, quòd quælibet ex illis in se sit independens ab aliis: & hoc admittimus libenter; at non est ad rem, quia etiam in eo sensu impedimenta illa matrimonij sunt inter se independentia. Nam Mariam esse consanguinem Petri independens est ab eo, quòd Petrus habeat votum solemne religionis; aut quod cum eadem Mariâ conuenerit de occidendâ propriâ vxore, vt Mariam habere possit; & tamen in his impedimentis sic in se non connexis contrarium sentit P. Suarez, ergo. Quòd si loquamur de connexione earum irregularitatum in ordine ad vnum idem tertium, seu in ordine ad eumdem omnino effectum, tunc falsum est non connecti: etenim non minùs eosdem omnino Ordines impedit vna irregularitas, quos impedit alia, quàm idem omnino matrimonium impediunt quælibet ex illis impedimentis: est ergo etiam in hoc puncto summa paritas.

71. *Obiectio. Solutio Non est idem absolutio ab excommunicatione & dispensatio. Differentia.*

Dices, Ergo qui habet multas excommunicationes non poterit absolui ab vnâ, nisi declarando alias: quod videtur absurdum. Respondeo negando consequentiam; est enim quoad hoc magna disparitas inter absolutionem ab excommunicatione, & inter dispensationem; quam sæpè P. Suarez in superioribus benè tetigit; vnde non debuisset hîc vti tali exemplo: in eo ergo consistit differentia, quòd absolutio datur secundùm ius, non contra ius; vnde ibi posità conditione à iure requisità non potest absolutio negari; ius autem excommunicans me v. g. eò quòd nolim restituere, solùm petit vt satisfaciam parti; & tunc mandat vt soluar ab eâ excommunicatione, siue habeam alias in aliâ materia, siue non; vnde fit vt Sacerdos, etiãsi illi constet de aliis excommunicationibus, si habeat potestatem absoluendi me ab hac, non possit negare absolutionem, si perfectè satisfaciam parti: vt quid ergo necessarium erit illi declarare alias excommunicationes, quandoquidem siue illas sciat, siue non, tenetur mihi dare absolutionem? profectò ex terminis apparet inutilem esse eam scientiam. At in dispensatione, quæ est gratia, & per quam vulneratur ius, non debemus præsumere de Principe quòd gratiam faciat & vulneret ius inutiliter, quandoquidem adhuc relinquit illum hominem impeditum simpliciter & absolutè, ad Ordines v. g. Deinde, alia ratio est exigendi in eo scientiam; quæ si adesset, moraliter ferè dispensationẽ impediuisset, alia verò exigendi eam notitiam in altero; vbi (vt dixi) esto adesset, non solùm non impediuisset, sed nec iustè potuisset; ergo instantia ab excommunicatione petita non vrget: neq; item rationes aliæ superiùs pro Patre Suarez tactæ; nam licet iure positiuo illa taciturnitas non obsit, obest tamen iure naturæ, ob rationes datas.

Alia differentia inter absolutionem ab excommunicatione & dispensationem.

Obiicies cum Nauarro apud P. Sanchez & Suarez suprà, stylum Curiæ esse, vt non sit necessarium vtrumq; vinculum reuelare. Respondeo Primò, si sit talis consuetudo, debere intelligi de vinculis quæ possunt vtiliter solui aliis manentibus, vt diximus de voto castitatis non petitâ dispensatione pro impedimento consanguinitatis. Respondeo Secundò, me valdè dubitare, quomodo possit ille stylus in Curiâ esse: nam si alia vincula sunt occulta, quando petitur dispensatio, non potest eorum silentium inducere consuetudinem; nam actio occulta non inducit stylum publicum; si verò sint nota ea alia vincula, saltem illis qui dispensationes expediunt, tunc moraliter præsumitur ipse Princeps id intelligere; & consequenter iam nõ dispensabit ignorans ea impedimenta. Ergo ex his omnibus hanc formo regulam per se vniuersalem, Quandocumq; duo vincula ita sunt inter se ratione tertij coniuncta, vt vnius ablatio sit planè inutilis, nisi aliud auferatur, debere tunc pro valore dispensationis etiam in vno solo impedimento aliud declarari; siue illa omnia sint eiusdem speciei, vt irregularitates ex multis homicidiis; siue diuersæ, vt vna ex homicidio, alia ex defectu natalium, alia ex bigamia, quia in omnibus his eadem militat ratio; nec potest consequenter in vno casu negari, in altero affirmari. Quòd si vinculum sit tale, vt in eo dispensetur vtiliter altero manente, & afferatur causa sufficiens eius dispensationis, tunc omnino videtur dicendum, non esse necessum declarare alia vincula ad hoc vt dispensatio validè obtineatur. Quæ doctrina mediam viam, quæ omnes difficultates vitet, & quidem consequenter inter aliorum sententias, tenere videtur.

72. *Obiectio. Solutio; & quomodo accipiendus stylus Curiæ, qui videtur doctrinæ contrarius.*

Regula vniuersalis, quando vna dispensatio valeat vel non valeat sine altera.

SECTIO. VII.

Appendix de abrogatione legis.

QVatenus abrogatio legis potest dici dispensatio generalis cum omnibus, meritò de ea aliquid fine disputationum de dispensatione dicendum erit: non loquimur de reuocatione legis antequã promulgetur, quia tunc nõ habet adhuc suum perfectum statum, sed postquam fuit in vigore suo, & causæ illius adhuc durant; nam quid sit dicendum cessante causa aliunde est suprà explicatum. In quo tria sunt explicanda: Primum, quis possit eam abrogare: Secundum, quando, seu ob quas causas: Tertium, quid efficiat ea abrogatio.

73. *Non est sermo de reuocatione legis antequã promulgetur.*

SVBSE

Svbsectio I.

Quis possit legem abrogare.

Princeps supremus aut ei æqualis potest legem abrogare: item Legislator suam legem, nisi impediatur:

Prima conclvsio: Supremus ipse Princeps eiusque successor, qui illi est æqualis in potestate, haud dubiè potest legem abrogare; nam si in aliquo potest esse ea potestas, certè in supremo Principe debet esse: eodem modo discurrendum est de quolibet Legislatore respectu suæ legis, quia circa illam se gerit ac si esset supremus, nisi fortè per altiorem potestatem impediatur; quia tunc sine dubio non poterit etiam suam propriã legem abrogare; vt in simili diximus de dispensatione.

item superior Legislator legem inferioris.

Secvnda conclvsio: Superior habet potestatem abrogandi legem inferioris. *Inferioris* dico, qui propriè est illi in eo genere subiectus: quod addo propter leges ciuiles, quæ per se abrogari non possunt à Papâ, etiamsi sit nobilior in iurisdictione quàm Imperator, quia hic propriè non est illi subiectus in legibus ciuilibus nisi indirectè, iuxta dicta suprà. Conclusio nostra sic explicata facilis est, quia inferior potestas subest superiori, ideóq; possunt omnes eius actus impediri, annullari, &c. à superiori.

Inferior non potest abrogare legem superioris.

Tertia conclvsio è contrario: Inferior non potest abrogare legem superioris, quia non potest debilior vis destruere id quod conseruatur per fortiorem: ex quo capite diximus suprà, neque dispensare posse ex naturâ rei inferiorem in legibus superiorum, multò ergo minùs poterit legem abrogare, quia id longè plus est quàm dispensare.

74. *Aliqui censent, Legislatorem inferiorem posse cedere legem contrariam legi superioris.*

Mouetur tamen circa hoc à nonnullis difficultas; censent enim, inferiores habentes potestatem ad ferendas leges in suis Prouinciis aut diœcesibus habere etiam vim condendi leges contrarias legibus superioris, per quas ex parte abrogent ius commune, seu illi derogent: quod aliqui limitant ad solos superiores ciuiles; alij verò è contrario ita extendunt, vt laicis personis concedant eã vim contra leges Canonicas. Verùm omnes hæ sententiæ vno verbo reiiciuntur, quia ex naturâ rei certissimum est non esse in inferiore Legislatore talem potestatem: ratio enim à me facta euidenter ostendit id fieri non posse, nisi ex delegatione ipsius altioris Principis: deinde neq; ex iure positiuo illis conuenit talis potestas per se, quia nullum tale ius affertur, imò contrarium ex iure colligitur, ergo. Consequentia est bona; altera verò pars antecedentis suadetur Primò, quia in cap. *Super his.* de maioritate & obedientiâ, cap. *Quòd canonicis obuiet institutis.* cap. *Institutionũ.* cap. *Amputato.* cap. *Ecclesia.* 25. q. 2. & Clementinâ, *Ne Romani.* de electione, dicitur Episcopum & inferiores nihil posse statuere, quod Canonicis obuiet institutis; vnde à fortiori colligitur, multò minùs id posse laicos facere; imò in eo cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ.* de constitutionibus, statutum quoddam à sæculari factum in fauorem Ecclesiæ non censetur validum, nisi approbetur à Pontifice: quid ergo esset de decreto contrario? vnde mirandum est, quod aliqui ex aduersatiis citent hoc cap. pro sua sententia.

Auctoritas iuris contra hanc sententiam.

75. *Obiectio-nes.*

Dices: Lex *Omnes populi.* ff. de iustitiâ & iure, dat eam potestatem laicis; quod ideò factum esse credunt Canonistæ, quòd cùm Imperatores acceperint à populis vim legislatiuam, in gratiarum actionem eis concedunt talem potestatem. Respondemus Primò eam potestatem vniuersalem sic intellectam esse omnino iniustam & contrariam regiminí, quia tunc nihil omnino ipsi Imperatores possent mandare, quod non posset statim reiici à plebe; quod est valdè absurdum: in eâ ergo lege non conceditur potestas laicis pro legibus contrariis ipsorum Romanorum legibus, sed pro aliis præter ius commune sibi accommodatis: fortè etiam intelligi potest de additione facta illis legibus, quæ tamen non sit illis contraria.

Respondetur & textus iuris explicatur.

An inferior possit dispensare in suâ lege postquã est approbata à superiore. Aliquorum sententia.

Alterum occurrit dubium, an si lex inferioris sit approbata à superiore, eo ipso debeat reputari lex superioris, ideóque inferior non possit in eâ dispensare. Aliqui absolutè negant; affirmant alij absolutè; mediâ viâ incedunt alij distinguentes inter leges, quæ non respiciunt vtilitatem eorum qui illas ferunt, & leges eam vtilitatem respicientes; qualis esset facta à Capitulo Cathedrali, quæ deinde approbatur à Papâ, vt v. g. diminuatur Canonicorum numerus: quæ haud dubiè in ipsorum Canonicorum bonum redundat, quatenus per hoc augentur eorum redditus: in primis legibus dicunt non posse inferiorem dispensare, in secundis affirmant, quia fauori & gratiæ vnusquisque potest renuntiare validè: id quod confirmatur ex cap. *Cùm accessissem.* de constitut. num. 2. vbi casus positus de statuto Capituli continetur.

76. *Quid sentiat Bartolus.*

Vt hanc difficultatem expediat Bartolus ad legem *Omnes populi.* suprà citatam, eam ponit distinctionẽ: Vel enim inferior potestatem non habet propriâ auctoritate condendi leges aut statuta, sed proponendi ea superiori altiori, vt hic legem statuat in eâ materia; & tunc dicit Bartolus, non posse eam legem ab inferiori, qui illam petiit, abrogari, quia verè & propriè non est lex ipsius, sed altioris superioris. Quæ doctrina mihi placet; nec videtur maiori indigere probatione. Ab hac regulâ excipit casum, quo per abrogationem eius legis redeatur ad ius commune, eò quòd lex abrogata erat ei communi iuri contraria: excipiunt item aliqui casum, quo illa lex fuisset in fauorem inferiorum, quia tunc ipsi potuerunt fauori proprio validè renuntiare. Quòd si vrgeas, Etiam in eo casu illam esse veram legem Principis, ergo non poterit eam abrogare inferior; respondebunt, eam abrogari vi voluntatis ipsius superioris ibi virtualiter intellectæ; quia cùm dederit eam legem ad instantiam illorum, non præsumitur eam voluisse confirmare nisi pro tempore quo ipsi, qui illam petierunt, voluerint eam durare. Duæ hæ exceptiones habent aliquam difficultatem ob dicenda paulò pòst. Veniamus iam ad alium modum ferendi leges, quem ponit Bartolus, est autem is, Quando inferior ille Princeps veram habet potestatem condendi proprias leges, ac solùm recurrit ad altiorem potestatem, vt maiorem eis det auctoritatem & confirmationem; in quo casu docet omnino posse eum inferiorem Legislatorem abrogare eam legem, quia tunc superior noluit nisi solemnitatem accidentalem illis legibus conferre, eas relinquendo quoad substantiam subiectas ipsi inferiori; ea autem solemnitas perit ex defectu subiecti, si lex ab inferiori reuocetur. Excipitur tamen casus, in quo ipse supremus Legislator ob singularem aliquam vtilitatem iudicet eam legem sibi reseruandam, idque declaret in ipsa lege; vt si addat, *Quidquid verò in contrarium factum sit, irritum censeatur,* vel similem aliquam clausulam.

Sententia Bartoli ex parte approbatur.

Digitized by Google

77. Hæc vltima doctrina Bartoli mihi valdè videtur probabilis, nec indiget maiori probatione aut explicatione. Iam ad exceptiones suprà positas, quas habere aliquam difficultatem dixi: ratio, quæ mihi difficultatem ingerit, est; nam licet sine dubio supremus Princeps, quando ad petitionem inferioris Magistratus statuit legem contrariam iuri aut in vtilitatem petentis, possit ipsius Magistratus iudicio relinquere eius legis abrogationem, id tamen ex naturâ rei non infertur, quin potiùs contrarium; quia ea lex ex se etiam tunc est ab altiori potestate; & propterea ex se & ex natura rei reseruata est eidem potestati: & sicut, eò quòd populus petat à Principe vt aliquam legem statuat, non propterea hic eam statuendo subiicit illam populi potestati, esto ea sit antiquo iuri contraria; ita dico eam non subiici Magistratui inferiori, etiamsi ad eius instantiam detur, eáq; sit iuri antiquo contraria.

Etiam altera pars doctrinæ Bartoli admittitur Exceptiones duæ factæ à primâ parte impugnantur.

78. Video quidem posse hîc aliquam disparitatem afferri inter populum & Legislatorem inferiorem; nam subiicere legem voluntati populi non videtur vllo modo expediens, etiamsi detur ad eius petitionem; at si ea lex feratur ad petitionem Magistratus, qui populum gubernat, potest eius abrogatio ei prudentissimè committi, sicut committitur gubernatio ipsius populi. Fateor, ex hoc capite longè esse disparem rationem inter eos duos casus; vnde ea instantia ex subditis, quâ maximè aliqui vtuntur contra eam doctrinam Bartoli, non est admodum efficax; nihilominùs tamen addo, etiamsi ea differentia sit sufficiens, vt absolutè possit Princeps subiicere eam legem Magistratui, non tamen probare, quòd ita de facto faciat; vnde censeo in hoc puncto maximè attendendam mentem illius, quæ ex modo ferendi legem cognosci poterit; quòd si exteriùs non det vllum determinatum signum eius factæ potestatis, tunc censerem eam legem ipsi Principi manere reseruatam.

Quando censeatur Princeps subiicere legem potestati Magistratus.

Non ideò, quia lex cadit in bonum subditorum, potest ab iis abrogari.

Idem videtur de lege, quæ cedat in bonum ipsorum petentium; nam omnis lex quodammodò cedit in bonum subditorum, & tamen licet hi petierint eam legem, non propterea illis subdetur; ergo neque etiam subdetur ipsis inferioribus Gubernatoribus qui eam petierunt; præterquam, quòd lex, vt sit iusta, non debet esse in bonum gubernantium, sed subditorum, quibus imponitur.

79. Huic instantiæ, posset responderi eo modo quo præcedenti, scilicet, non expedire vt lex subiaceat subditus, sic verò Gubernatoribus, qui eam petierunt. Hæc tamen solutio reiecta est vt insufficiens ad asserendum, sine alio fundamento talem esse de facto in Principe voluntatem. Potest item responderi; sæpè legem esse in bonum Gubernatorum: vt si Papa daret potestatem Episcopo imponendi pro suâ mensâ omnibus Ecclesiasticis tale aut tale tributũ; vel vt magis ad rem nostram loquamur, si ipse Papa ea imponeret, petente Episcopo, vel alio, qui non haberet potestatem ferendi leges; in hoc casu crediderim, planè talem posse abrogari per ipsos inferiores Magistratus eam petentes, quia ibi Pontifex non tam eos videtur velle obligare quàm facere illis gratiã, vt alij in fauorem ipsorum obligentur: id quod maximè cernitur in eâ lege, tributo & similibus; quia si Episcopus nolit perere neque acceptare oblatam contributionem, sine dubio licitè operabitur; & poterit per hoc subditos etiã eximere ab obligatione: & in hoc sensu explicandum est cap. illud *Cùm accessissent.* de constitutionibus; quia ibi statutum erat pura gratia Canonicorum; ideò Pontifex noluit illud manere, etiamsi fuisset à se approbatum, quia ei gratiæ Canonici renuntiauerant. Video posse etiam ei textui aliter responderi, vt quasi in pœnam non seruati statuti reuocetur id, quod in fauorem illorum datum erat: quod denotant illa verba, *Nisi posteà dicti Canonici contrauenerint:* contrauenire enim aliquam denotat culpam.

Quando lex data in bonũ alterius possit abrogari ab eo in cuius fauorem data est.

Textus iuris explicatur.

Obiicies, Suprà dictum, non posse quem renuntiare dispensationi, quia hæc conceditur à potestate altiori; ergo neque poterit renuntiare statuto ab altiori confirmato. Respondeo negando consequentiam. Disparitas est magna; nam si princeps aliquem nolit obligare dispensando cum ipso, non potest subditus se obligare lege, vt fusius suprà deductum est; at in præsenti lex illa non fertur pro inferiori Magistratu, sed pro subditis; quia verò in eâ lege causa agitur ipsius Magistratus, relinquit Princeps in eius potestate eius legis abrogationem.

80. *Obiectio.*

Solutio, & differentia, cur non possit quis renuntiare dispensationi, sic verò legi.

SVBSECTIO II.

Quando, & quâ de causâ lex possit abrogari.

81. FOrtasse diceret aliquis, gratis nos de potestate abrogatiuâ legis egisse, cùm non possit ea abrogari: si enim materia legis est mutata, & facta vel iniusta vel impossibilis moraliter, vel inutilis, tunc per se cessabit lex sine abrogatione; si verò adhuc est iusta, honesta, &c. eius abrogatio erit iniqua, ergo inualida; quia sicut lex iniusta nulla est, ita è contrario abrogatio iniusta nulla erit: nihilominùs tamen certum est apud omnes auctores posse legem abrogari: nec argumentum factum vllius est momenti, quia plus requiritur ad obligandum quàm ad deobligandum: obligatio enim non cadit nisi supra rem bonam; at non eo ipso quòd res sit bona, necessariò cadit sub obligationem, maximè humanam.

Quæstionis statum non esse inutilis.

Legislator etiam sine causâ potest suam legem abrogare.

DICENDVM ergo PRIMÒ, Etiamsi nulla detur iusta causa abrogationis, posse Principem validè abrogare vel ex toto vel ex parte legem, vt suprà diximus de dispensatione. Ratio à priori est, quia sicut suâ voluntate obligat, ita cessante voluntate potest deobligare, siue ea voluntas cesset sine causa, siue cum illa. Hæc ratio non est tam efficax quàm multi putant; vt in simili tractaui suprà agens de dispensatione; nam vel Christus dans iurisdictionem Petro, vel Respublica iurisdictionem transferens in Principem, potuerunt sub eâ conditione dare, vt licet liberè posset Legislator imponere aut non imponere leges, semel tamen impositas, si adhuc honestæ & vtiles essent, non posset validè abrogare sine causa; nihilominùs quia de tali limitatione potestatis non constat, dicimus eam non esse asserendam. Addo, Esto id diceremus, posse saltem ipsam Rempublicam auferre eam limitationem, & sic dare Principi potestatem validè abrogandi legem sine causa: quod ipsum etiam Christus facere posset, esto priùs cum limitatione eam dedisset.

82. *Ad iustè abrogandã legem sufficit causa honesta, etsi non sufficiens ad epieikiam. Vt lex licitè abrogetur debet esse causa honesta.*

SECVNDÒ DICO, Vt lex iustè abrogetur, non est necessaria causa talis, quæ sufficiat, vt per se lex sine voluntate Principis cesset, sed sufficere aliam longè minorem, vt suo modo de dispensatione diximus; ad quam ostendimus non requiri tantam causam, quæ sufficiat, vt per epieikiam lex cesset, sed aliam longè minorem sufficere.

Dua

Digitized by Google

Duas partes continet hæc conclusio,& vtrumq; facilem, & quidem debere aliquam esse causam, vt licitè abrogetur lex. Probatur facilè, quia (vt Plato docet dialogo 7. de Legibus) mutatio in magnis rebus (inter quas est lex) solet esse periculosa ; causat enim in Republicâ turbationes. Secundò, quia consuetudine firmantur leges;ergo indignum est illas abrogare, quãdo iam maximè sunt in vsu & vigore,ac homines illis assuescre.Tertiò,quia si lex adhuc vtilis est pro communi bono, neque ratio est,cur auferatur,minimùm erit actus otiosus eam auferre. Et hinc sumitur differentia inter primam positionem legis & ablationem ; nam licet initio non fuerit proposita minor honestas in materiâ legis quàm iam sit, potuit tamen sine vllâ culpâ non ferri lex,quia tunc prædictæ rationes non habuissent locum;at quando iam est lata,licet ex parte materiæ non sit maior ratio conseruandi quàm fuerit ponendi, sunt tamen aliæ rationes, quæ probant non posse licitè auferri, etsi potuerit licitè non poni.

83. *An sit graue an leue peccatum abrogare legem sine causâ.*

Illud circa hanc obligationem non auferendi legem quæri potest, an sit grauis,an verò solùm sub veniali, sicut diximus de dispensatione sine causâ: qui ibi dixerunt illam esse grauem,videntur idem hîc dicturi à fortiori, quia maior videtur esse indecentia in ablatione totius legis quàm in dispensatione cum vno : nihilominùs neque hoc absolutè certum est,quia fortè dum eximitur vnus, ceteris manentibus, aliqua exercetur iniustitia & inæqualitas,datúrque querelis occasio, potéstque maior esse indecentia, quàm si vniformiter pro omnibus auferretur. Ego absolutè putarem, per se non esse mortale, quia quòd sit actus otiosus, non facit culpam grauẽ; illa autem incommoda certè non sunt tanta, vt debeat iudicari graue peccatum : non enim magna esset turbatio in Republicâ, si præceptum audiendi Sacrum diebus festis auferretur,aut si lex de decimis mutaretur in vigesimam partem fructuum ; imò fortè suauissimum id esset Reipublicæ; aliunde autem non apparet,cur debeat esse ea obligatio sub mortali,ergo.

Non est nisi peccatum veniale.

84. *Quæ causa possint esse ad abrogandum licitè legem.*

Circa causas verò, quæ eam abrogationem reddũt iustam, solùm possumus in communi dicere, eas desumi vel ex eo, quòd iam non sit tam vtilis ea materia quàm in initio, & aliunde sint aliqua inconuenientia in eius executione; vel quòd possit eâ ablatâ maior sperari vtilitas Reipublicæ; vel quòd ipsis hominibus iam est aliquo modo difficilis,&c. Vbi aduerto cum Patre Suario cap. 25. num. 9. si causæ pro abrogatione legum frequenter concurrant, tunc posse etiam frequenter eas abrogari; id est, si vno v.g. anno pro vnâ;alio pro alterâ aut etiam frequentiùs: quod enim aliqui docent, vnam ex conditionibus necessarijs, vt abrogatio legis sit iusta, esse, quòd rarò fiat, & longo tempore post legem latam,eò quòd leges non ponantur ad durandum per breue tempus;hoc,inquam,non debet intelligi verum,nisi quatenus supponitur rarò occurrere rationes quæ faciant iustam abrogationem legum : nam si hæ frequentes sint, vt in legibus taxantibus pretia rerum, quæ ob sterilitatem vel abundantiam fructuum, frumenti,vini,&c.possunt etiam singulis annis diuersas mutationes exigere, optimè ostendit ibidem P. Suarez; estque res in se facilis & certa,licitè fieri eas frequentes mutationes.

85. Iam ad primam conclusionis suprà positæ partem, quòd non sit necessaria ad licitam abrogationem legis tam grauis causa,quę sufficiat, vt per se lex cesset : est autem facilis ea ratio, quia non omnia motiua, quæ sufficiunt vt licitè accedat voluntas Principis de auferendâ lege, debent sufficere,vt independenter ab eâ volitione lex tollatur: vt patet in multis alijs materijs; nam motiua,quæ sufficiunt vt Petrus honestè velit mihi aliquam rem donare, non sufficiunt,vt sine eius voluntate ego faciam meam eam rem: idem est in omnibus licentijs : idem in ipsâ impositione legis; nam motiua, quæ sufficiunt, vt iustè velit eam legem ferre, non sufficiunt, vt sine eius voluntate lex obliget. Ratio à priori est, quia voluntas coniuncta cum eo motiuo plus debet valere quàm motiuum solum.

Ratio cur nõ requiratur ad abrogatio. nẽ legu causa requisita ad epieikiã.

Svbsectio III.

Quibus modis fieri possit ea abrogatio.

86. Circa modos, quibus Princeps potest abrogare legem, breuiter dico duos esse; vnum purè priuatiuum auferendo obligationem antiquam, nullam aliam loco illius substituendo:in quo nulla apparet difficultas; solùm enim requirit declarationem voluntatis ipsius Legislatoris. Addunt aliqui requiri minorem causam ad hanc abrogationem, quàm si loco illius alia contraria poneretur:ita P. Suarez cap. 27. num. 2. id tamen mihi difficile creditu videtur. Vt enim ipsemet P. Suarez agens de dispensatione docuit, minùs longè requiritur ad commutandam obligationem, quàm ad dispensandum purè in lege;ita etiam videtur longè minorem requiri causam ad commutandam materiam legis in aliam, quàm ad omnino eam auferendam. Nihilominùs addo eam doctrinam Patris Suarez aliquando esse veram, quia ad auferendam obligationem non imponendo aliam nouam,non est necessaria causa,quę iustificet impositionem alterius: at si noua imponatur, debent esse duæ causæ ; vna quæ reddat iustam abrogationem antiquæ legis; altera,quæ reddat iustam nouam legem : quia tamen sæpè ipsa permutatio materiæ potest reputari pro motiuo sufficienti abrogationis alterius, quando sibi æquiualent illæ materiæ & sæpè videtur aliquantulùm magis necessaria ea quæ de nouo imperatur, ideò dico absolutè non esse veram eam doctrinam Patris Suarez : id quod ex votis suadetur; sæpè enim, si non semper, facilior est permutatio quàm omnimoda relaxatio.

Duo modi abrogandi legem. Vnus priuatiuus.

Maior causa requiritur aliquando ad commutationẽ legis quàm ad eius abrogationem.

87. Ad rationem verò suprà factam, quatenus vniuersaliter probare videtur semper in lege faciliorem esse permutationem; respondeo, in dispensatione ideò semper esse faciliorem commutationem, quia cùm ceteri subeunt onus legis, minùs lædit Princeps vniformitatem, &c. non omnino liberando illum,sed ei imponendo aliquod aliud onus loco prioris, quàm si planè immunem relinqueret. In abrogatione autem cessat hæc ratio, quia cùm omnes vniformitèr liberentur,non est ibi vlla ratio, quæ specialiter semper petat commutationẽ. Fortè ea ratio locum habebit in derogatione legis pro vnâ aliquâ Prouinciâ, manente lege in rigore pro alijs; tunc enim ad maiorem vniformitatem,ac ne ceteri conqueri possint, facilior esset semper permutatio quàm pura derogatio.

Alter modus positiuus abrogandi legem.

Alter modus abrogandi est per legem oppositam,quæ vel dicat,*Obligo ne hoc facias.* V.g. prior

Digitized by Google

prior lex iubebat arma gestari, reuocatur hæc lex per aliam, quæ mandat expresè, ne gestētur; vel potest per aliam, quæ sit solùm virtualiter contraria: vt lex mandat me audire Sacrum die Dominico, si loco illius ferretur altera, quæ diebus Dominicis cogeret ad laborandum in agro, tunc solùm per incompossibilitatem eius materiæ secunda abrogaret primam. Vnde obiter noto, si in ipso agro, vbi laborandum esset, fieret Sacrum, possémque ego laborando vtrique satisfacere, me ad id obligandū probabiliter; nam lex præcipiens illo modo laborem nihil diceret de abrogatione obligationis audiendi Sacrum, ergo ego teneret illud audire, casu quo simul, vt dixi, possem & audire & laborare. Fortè potest etiam probabiliter dici, eò quòd repugnantia illa in materiâ secundæ legis cum materiâ prioris est per se vt in dicto casu, debere intelligi abrogatam priorem legem, ideóq; etiamsi tunc possem laborando audire Sacrum, non tamen ad id teneri; si verò illa repugnantia sit per accidens, & ego possum vtrique legi satisfacere, tunc sine dubio tenebor vtramq; seruare, quando expresè prior non est abrogata. Disparitas est; nam quando repugnantia inter vtramque materiam est per se, censetur nota Principi, ideóque etiam censetur abstulisse obligationem priorem, quia non potest esse per se obligatio ad duo incompossibilia; vnde esto aliquando per accidens vtrumque posset fieri, non tamen erit obligatio ad illud faciendum; quando autem incompossibilitas est per accidens, tunc non est cur Princeps censeatur reuocasse priorem legem, sed per rectum iudicium infertur eo casu, quo vtrique obligationi non potest satisfieri, debere ei quæ maior est.

Quando materia duarū legum per se est incompossibilis, vna censetur abrogata.

88. *Abrogatio legis per subsequentem censeri debet odiosa.*

Circa hanc abrogationem prioris per subsequentem legem obseruandum est, eam communiter censeri odiosam, quia correctio iuris vitanda est quantum fieri potest; vnde semper restringenda est ea abrogatio: id quod eodem modo cum proportione intelligendum est de derogatione quæ est partialis abrogatio; nam etiam illa est iuris violatio: hæc tamen restrictio ita intelligenda est, vt semper proprietas verborum retineatur; in quo puncto malè nonnulli dixerunt, ad vitandam contrarietatem nouæ cum antiquâ lege, debere, si aliter fieri non possit, explicari impropriè legem nouam. Ita P. Sanchez lib. 1. de Matrimonio disp. 17. num. 6. Dixi malè id doceri, quia si liceat hoc modo interpretari impropriè verba, cùm eiusmodi interpretatio latissimè pateat, sequeretur numquam planè vnam legem fore alteri contrariam, quia semper per sensus improprios possent conciliari: quod benè notauit Suarez cap. 21. num. 11. Confirmatur, quia nisi lex manifestam iniustitiam contineret explicata in sensu proprio, semper debet in eo explicari; alioquin nihil certum erit in legibus.

In interpretatione legū contrariarū proprietas verborum retinenda.

89. Secundò inde argumentor, quia, cur, quæso, debeo magis explicare impropriè secundam quàm primam ad vitandam contrarietatem, cùm potiùs Legislator, qui supponitur scire priorem, si voluisset conseruare concordiam, declarasset eam alijs terminis; cúmque ipse habeat vim corrigendi antiquam legem, & è contrario antiquus non habuerit ad corrigendam hanc, potiùs illa deberet ad sensum improprium trahi quàm hęc.

Obiectio.

Dices: Antiqua iam fuit intellecta in sensu proprio; ergo si ad improprium trahatur, iam fit mutatio iuris. Nego consequentiam; non enim fieret nisi mutatio in intelligētiâ iuris: & facilius præsens Legislator tolerabit priores leges impropriè intelligi, quàm sua verba trahi ad violentum sensum.

Solutio.

Secundò obseruandum est, legem abrogantem aliam ob aliquam incompossibilitatem non posse extendi propter similitudinem materiæ ad alias leges cum quibus non pugnat, quia ea extensio est valdè odiosa, & derogaret incredibiliter iuri.

Lex abrogās vnam legem non potest extendi ad alias cum quibus non pugnat.

Tertiò obseruandum est, quando lex abrogans priorem reducit rem ad antiquum ius, tūc, iuxta multorum sententiam, eam abrogationem censeri fauorabilem. Quæ doctrina duas patitur difficultates: vna est, quòd si prima lex seu antiquum ius iam fuerat omnino extinctum, & loco illius successerat secundum, quod nunc abrogatur per tertiam legem, sanè antiquum illud non potest dici vllo modo ius; quod enim olim fuerit, per accidens est: neque ob eam denominationem extrinsecam puram impeditur, quò minùs secunda lex iam esset verissimum ius; ergo dum ea nunc abrogatur, verè læditur ius, & consequenter læsio illa est odiosa. Potest fortè ea obseruatio sustineri, si antiquum ius illud non erat omnino abrogatum, sed ex parte illi derogatum; tunc enim, dum ad illud reditur, verè potest dici rediri ad ius actu existens, ideóque lex, quæ eum reditum causat, non dicetur odiosa: vt si in Hispaniâ abrogaretur consuetudo comedendi extremitates animalium die Sabbati, rediretur ad ius commune, quod adhuc viget in alijs partibus.

Lex abrogans si reducat rē ad antiquum ius, censetur fauorabilis. Duæ circa hanc doctrinam difficultates. Prima,

90. *Altera difficultas.*

Secunda difficultas, quam ea doctrina patitur, est; nam sæpè contingit, vt notauit Tiraquellus in Præfatione ad retractationem num. 59. primam illam legem olim abrogatam, ad quam reditur abrogando nunc secundam, fuisse odiosam; ergo reditus ad illam non debet censeri fauorabilis. Hæc ratio manifestè ostendit vniuersaliter non esse veram eam obseruationem, sed debere cum addito intelligi, quando scilicet lex, ad quam reditur, fuit fauorabilis.

Lex abrogās destruit antequam sub ea vniuersalitate quam in se habet. Aliqua limitationes.

Quartò obseruandum est, legem nouam contrariam virtualiter antiquæ destruere antiquam sub eâ vniuersalitate aut limitatione, quam in se habet: si v. g. noua est generalis, destruit antiquam generalem; si noua est specialis, & antiqua specialis pro eodem loco, antiqua abrogatur per secundam pro illo loco; quod tamen intelligendum est, quando ille, qui condidit specialem secundam legem aut statutum, est etiam eius loci particularis Princeps, vt possit præsumi scire cōsuetudinem & leges eius loci: vnde, si Pontifex specialem legem statuat pro vno Episcopatu, & non ponat clausulam quæ deroget contrariæ, non derogabit illi, sed hæc secunda erit sine robore: ob hanc eamdem causam, si lex, quæ secundo loco fertur, sit generalis, non derogat particularibus statutis, quia non supponitur Princeps quidquam velle de antiquo iure detrahere, nisi vel præsupponatur illud scire; quod tamen non præsupponitur respectu particularium iurium; vel expresè ponat clausulam derogatoriam; qualis illa est, *Non obstante quacumque lege, statuto aut consuetudine contrariâ.* Quæ doctrina expresè cum fundamento allato traditur à Bonifacio VIII. cap. 1. de constitut. in 6. & nos suprà ad diuersa proposita notauimus.

SVM

Subsectio. IV.

De promulgatione abrogationis.

91. PRo complemento huius materiæ restat aliquid de promulgatione abrogationis dicendum: & quidem attendendo ipsam rei naturam non est vlla in hac re difficultas; nam lex, vt verè in se desinat esse, sufficit sola ipsa interior voluntas Legislatoris eam legem reuocantis; eo enim ipso cessat propriè vinculum, quod saltem inadæquatè ab eâ voluntate manabat. Dixi *inadæquatè*, vt quæstionem de nomine vitarem, an etiam ipsa legis promulgatio præcedens fuerit pars legis & pars vinculi: pro me autem sufficit eam volitionem esse inadæquatam partem legis; nam, ablatâ vnâ causâ necessariâ, etiamsi inadæquata sit, totus aufertur effectus: vnde si Iudex suam eam occultam retractationem non manifestaret, reuerà nulla esset obligatio legis subditi, licet hic ex ignorantiâ teneretur eam legem seruare non minùs quàm si reuocata non esset; & eodem modo dixi suprà, si Legislator interiùs velit me obligare, iam esse re ipsâ obligationem totam licet ego, quia illam ignoro, nullo modo proximè tenear ad legem seruandam, quia obligatio aut deobligatio, malitia aut bonitas obiecti non immutant nos immediatè, neque dant malitiam aut bonitatem actui, nisi interueniente cognitione: & licet aliqui magnum mysterium faciant in eo puncto, an promulgatio sit pars legis nécne, reuerà tamen quæstio est de nomine, vt suo loco dixi; cui sic deberet responderi, vt legis secundùm se & secundùm essentiam non sit pars ea promulgatio, legis verò vt proximè potentis obligare sit pars. Hinc ad punctum præsens dico, ex naturâ rei non aliam requiri abrogationis promulgationem ad hoc, vt subditus sit actu liber, quàm vt illi certò vel saltem probabiliter de eâ voluntate abrogante constet, vndecumque ea signa abrogationis desumantur. Hæc ex naturâ rei.

Sola interior voluntas Legislatoris sufficit absolutè ad reuocandam legem.

Promulgatio non est pars legis secundùm se, sed tantùm vt potentis proximè obligare.

Ad promulgationem abrogationis ex naturâ rei sufficit vt subdito innotescat.

Sed quia ex iure positiuo leges, etiamsi innotescant subditis, non tamen obligant, nisi post solemnem promulgationem, & sæpè etiam requirunt determinatum tempus, dubitari posset, vtrùm idem sit dicendum de abrogatione, eam scilicet solemniter debere promulgari, nec statim à promulgatione fauere, nisi certo elapso tempore. Affirmant aliqui, quia seruandum censent eumdem ordinem in reuocatione legis, quem in eiusdem institutione; contrariorum enim eadem videtur esse ratio. Ita P. Vasquez disp. 156. cap. 4. qui tamen eam sententiam sic defendit, vt solùm videatur requirere intimationem eius volitionis, quam nos paulò antè diximus ex naturâ rei esse necessariam; expressè enim fatetur num. 25. solo suo verbo posse Principem id manifestare, & abstrahit à promulgatione illâ solemni, deinde de tempore nihil dicit: quorumcumque verò ea sententia sit.

An sicut ad obligationem legis requiritur solemnis promulgatio & certum tempus, ita etiam ad abrogationem.

Affirmant aliqui & P. Vasquez.

92. Dicendum est, Si abrogatio fiat per contrariam legem positiuam præcipientem obiectum incompossibile cum priori, tunc necessariam esse solemnem promulgationem & certum aliquod tempus, eodem planè modo quoad alias leges, quia hæc secunda etiam est verissima lex, ergo non minùs solemnitatis per se requirit quàm ceteræ: si verò reuocatio fiat putè putè tollendo antiquam legem immediatè per volitionem solam non ampliùs obligandi, non videri necessariam eam solemnitatem aut dilationem temporis, quia ex naturâ rei id non requiritur (vt superiùs diximus:) ex iure etiam positiuo non requiritur, quia in hoc puncto nihil est determinatum circa abrogationem hanc; à paritate verò rationis ex ipsâ lege positiuâ non benè trahitur argumentum; nam lex, eò quòd onus inducat, maiori indiget promulgatione & solemnitate quàm ablatio oneris. Solùm ergo requirenda est manifestatio voluntatis Principis, siue ea sit per verba, siue per scriptum, siue per aliud signum; debet autem esse certa, non dubia, alioquin passim daretur occasio iudicandi legem esse abrogatam, & sub eo prætextu illam violandi. Quando dico *certa* non requiro omnimodam certitudinem, sed quæ sufficiat ad iudicium saltem probabile & prudens, iuxta ea quæ diximus Tomo 3. agentes de cognitione necessariâ ad operandum honestè. Hinc benè inferunt aliqui, valdè vtile esse, vt aliquo publico & communi signo ab ipso Principe determinando manifesterur ea reuocatio, ne cuilibet liceat dicere, legem esse abrogatam, sequantúrque in Republicâ aliqua scandala.

Si abrogatio fiat per contrariam legem positiuam, necessaria est solemnis promulgatio: secùs si fiat putè tollendo antiquam legem.

tunc tantùm requiritur manifestatio voluntatis Principis:

qua debet certò innotescere.

93. Circa tempus, à quo debeat valere abrogatio, potest adhuc specialis esse difficultas, quam non video motam; desumitur autem ex valore contractuum: si enim lex abrogata præscribebat formam essentialem contractibus, vel alijs actionibus, ergo abrogatio iam reddit validos eos actus etiam sine tali solemnitate aut formâ factos: vt ergo nulla sit litium occasio, deberet illa reuocatio aliquod assignare tempus, à quo inciperent esse validi; & certè illud saltem tempus esset assignandum, quod moraliter necessarium est, vt possit per se abrogatio venire ad notitiam totius prouinciæ. Respondeo mihi ex hoc capite, quia planè est eadem ratio in legis irritantis reuocatione, quæ in ipsâ lege irritante fuit, necessarium esse illud idem tempus, quod fuit pro lege ipsâ: quòd si tamen hoc nolimus asserere, dici tunc poterit ab ipso momento reuocationis in Curiâ aliquo modo promulgatæ non fuisse requisitam antiquam solemnitatem; vnde si deprehendantur ab eo tempore contractus aliqui facti sine eâ solemnitate, debere illos censeri validos, & posse subditos cogi ad eos sustinendos, nisi vtraque pars voluntariè velit eos rescindere: id enim semper per se est licitum; quantumuis validi & validissimi fuerint.

De tempore à quo valet reuocatio.

Tantum temporis requiritur ad abrogandam legē quantum ad ferendam.

De effectibus abrogationis nihil occurrit dicendum, quia si pura est, aufert quidquid intulerat prior lex, & nihil aliud; per accidens autem, vt immediate dixi, restituit aliquas actiones ad suum valorem, quando lex abrogata erat irritans: si verò abrogatio sit per contrariam legem, tunc præter effectus negatiuos addit alios positiuos circa materiam quam præcipit: in quo puncto conuenit cum alijs legibus, ideò quæ de illarum effectibus dicta sunt, habent in præsenti locum.

Quales effectus habeat abrogatio.

DISP

DISPVTATIO XXXI.

De definitione & diuisione priuilegij.

1. MATERIA hæc valdè necessaria est pro praxi: de eâ fusè tractant omnes Iuristæ & Canonistæ in suis proprijs titulis; Theologi verò in præsenti, Casustæ variis in locis: nos more solito breuiter complectemur quidquid vllius est momenti, quæ aliquando addenda occurrerint non prætermittentes.

SECTIO I.

Definitio priuilegij.

Communis definitio priuilegij. PRIVILEGIVM videtur componi ex *lege* & *priuatâ*; ac si diceretur *lex priuata:* vnde etiam definiri solet, *Priuata lex aliquid specialiter concedens.* Duo solent obijci contra eam definitionem. Primum, quòd lex ex suo conceptu respiciat communitatem; ergo non potest esse lex & simul priuata. Respondetur, non dici priuatam legem, quia tantùm vnam personam obliget; nam quæ lex est extenditur ad multas (vt infrà dicam;) sed quia gratia & fauor, quem concedit, est priuatus, & non respicit omnes.

Obiectio contra definitionem.

Solutio.

Altera obiectio. Secundum quod obijcitur est, quòd lex debet esse stabilis & perpetua, priuilegium autem id non requirit; nam si alicui concedatur, vt ad duos annos possit in Quadragesimâ carnes comedere, erit verum priuilegium, & non erit perpetuũ, ergo. Respondetur, hoc argumento conuinci, non omne priuilegium habere propriè & in rigore totam essentiam legis; sufficit tamen, quòd in alijs conueniat, vt absolutè vocetur lex, ne in quæstione de nomine hæreamus.

Solutio.

Tertia obiectio. Tertiò etiam possumus obijcere, priuilegium esse potiùs fauorem, & sæpè esse speciem quamdã dispensationis (vt dicemus) ergo non est propriè lex, quia hæc obligat ad sui obseruationem, fauor autem non. Respondetur, ideò dici legem, quia quasi indirectè obligat alios, vt eũ, cui priuilegium conceditur, permittant eo frui, vel vt præstent illi ea ad quę habet ius ob tale priuilegium; vtrùm autem hic modus obligandi sit sufficiens ad veram rationem legis constituendam, quæstio est de nomine: de qua iam non disputo.

Solutio.

2. *Vnde propriè possit deriuari priuilegium.* Ideò fortasse quis diceret (& verò cũ magno fundamento ex communi modo loquendi desumpto) priuilegium potiùs dici à *priua* & *lege*, quasi priuans lege, seu tollens obligationem legis: communiter enim ad id priuilegia conceduntur, & videntur magis vocari fauor seu exceptio quàm lex seu obligatio; verùm iam dixi id ad vocem pertinere, neq; esse magni momenti.

Quod per priuilegium conceditur fauorabile esse debet. Ex definitione suprà posita sequitur, id quod alicui datur per priuilegium debere esse ipsi fauorabile, quia non dicitur concedi alicui, nisi id quod est bonum illius, & ab ipso vt tale acceptatur: & ita omnes omnino eam vocem vsurpant; & alioquin ex solo hoc capite videtur priuilegium à lege, statuto, præcepto, &c. differre.

Obiectio. Obijci solet Gregorius Papa cap. *Hinc est.* 16. quæst. 1. vbi priuilegium Monasterij dicit esse incapacitatem Abbatis, ne fiat Episcopus. Respondetur tamen, eam incapacitatem reputari magnum bonum Monasterij, ne occasione Episcopatus Abbatia aliquod patiatur detrimentum.

Solutio.

3. *Bonum, quod per priuilegium conceditur, non debet esse aliàs ex iure debitum.* Secũdò infertur ex ea definitione (vel potiùs magis declaratur prior illatio) bonum, quod per priuilegium cõceditur, debere esse tale, vt homo alioquin non haberet illud ex iure communi: si enim iam illud habet, ergo nulla ei gratia fit; non enim potest dici priuilegium Petri, quòd possit ire ad templum, cùm omnes id habeant.

Obiectio. Dices: Innocentius III. cap. *Quia.* de procurator. concedit per modũ priuilegij Vniuersitati Parisiensi, quòd possit constituere procuratorem. Respondeo, ideò aliquos dubitare, an dicendum sit ibi contineri verum priuilegium, alios negare, nonnullos affirmare: quibus assentior, eò quòd ipsa confirmatio specialis Pontificis addit aliquam auctoritatem specialem: est enim admonitio Principis respectu aliorum, vt seruent Vniuersitati illud commune ius; & secundùm hoc est priuilegium. Potest etiam ex illo capite dici fauor, quòd si casu alius inferior Princeps tentasset capacitatem eligendi procuratorem ei Vniuersitati tollere, non potuisset: quo sensu, si in Religione Generalis v.g. det specialem licentiam alicui faciendi aliquid, quod alioquin non est regulis prohibitum, dici potest gratia, quia talem personam non possunt impedire inferiores Prælati. Addo ego aliam in eiusmodi concessione gratiam esse, quòd si posteà etiam ipse Pontifex generali lege prohibuisset omnibus Vniuersitatibus eligere procuratorem, & non posuisset clausulam derogatoriam; adhuc ea Vniuersitas potuisset eligere: & hinc respondetur obiectioni, quæ sic formari posset; sequi scilicet, si Pontifex diceret alicui, Do tibi facultatem vt possis arare Deum, collaturum illi priuilegium, quia specialiter illi confirmaret, quod alioquin ex natura rei illi permittebatur: id quod iuxta dicta videtur sufficere ad rationem priuilegij: talem autem concessionem vocare priuilegium est absurdum.

Obiectio contra solutionem.

Solutio. Respondeo negata consequentia, quia ea potestas amandi Deum numquam potest impediri, ideò è contrario ea concessio numquam potest esse vtilis: præterea, ea concessio nihil operatur in aliis personis respectu huius, sicut operatur illa prior; vnde è contrario licet iure naturæ nemo possit iniustè Clericum percutere, prohibere tamen hoc ipsum per excommunicationem impositam cõtra percussorem priuilegium est verum, quia per eam prohibitionem magis impeditur percussio. Illud tamen aduertendum cum communi sententia, quando Princeps concedit priuilegium, debere illud, si fieri possit, attenta significatione verborum & extensione intra totam suam significationem explicari de noua gratia non solùm quoad modum, sed quoad rem; semper enim debet de Principe præsumi fauor quoad rem ipsã, nisi verba necessariò exigant restrictionem ad solam gratiam ex parte modi, vt eam suprà explicuimus in eo priuilegio Innocentii.

4. *Concessio priuilegij debet explicari de nouâ gratiâ non tantùm quoad modũ, sed etiã quoad rem; nisi verba restringãt ad solum modum.*

An priuilegium debeat concedere aliquid cõtra ius, an sufficiat præter ius. Hinc decidetur alia quæstiuncula etiam de nomine, vtrùm sit necessarium ad rationem veri priuilegij, vt concedat aliquid contra ius, an verò sufficiat, vt sit aliquid præter ius, hoc est nec repugnatis iuri antiquo, nec iuxta illud. Fortasse aliquis diceret, gratis ab auctoribus id disputari;

Digitized by Google

putari; nam (quidquid sit de modo loquendi) nõ videtur re ipsâ posse beneficium conferri, quod sit præter ius, & non sit contra ius; nam beneficium hoc debet esse (vt paulò pòst dicemus) per modum facultatis aut iuris alicuius ad faciendũ aliquid, & quidé non vnâ aut alterâ tantùm vice, sed frequenter: vel ergo ius commune prohibet mihi illum vsum, vel non; si prohibet, ergo, dum mihi conceditur, fit aliquid contra ius cõmune; si non prohibet, ergo mihi liber erit vsus, & consequenter non erit beneficium, quòd mihi talis vsus concedatur: nihilominùs tamẽ supponendũ est vt omnino certum dari posse talia beneficia media, & ea meritò vocari communiter priuilegia: quòd dentur patet, quia aliud est me non habere à iure aliquâ facultatem, aliud, à iure prohiberi ne eam habeam; sicut aliud est, hominem à naturâ non habere diuitias, aliud, naturâ prohibere ne illas habeat. Hinc ergo ad rationem dubitandi dico, Etiamsi potestatem ad talem vel talem rem faciendam ius non negauerit mihi, non ideò sequi me illam habere, quia ad id sufficit, quòd nec illam dederit, nec ego à naturâ illam habeam; ergo si Princeps eam concedat, sine dubio beneficium fauet, & quidem tale, quod debeat vocari priuilegium: sic enim facultas absoluendi, dispensandi & similia Religiosis aliisve concessa priuilegium communiter appellantur, non sunt autem contra, sed præter ius; sic etiam ea quæ sæculares Principes liberaliter concedunt subditis, etiamsi non sint contra ius, dici possunt priuilegia.

Datur medium inter esse contra ius, & esse permissum à iure.

Satis est ad rationem priuilegij, si aliquid cõcedat præter ius.

5. *Obiectio.* Dices, Ergo dum Episcopus aliquem ordinat, dicetur illi dare priuilegium, quia etiam dat illi potestatem, quam anteà non habebat. Negaret fortè quis consequentiam, quia id est commune omnibus Cleticis; sed contrà, quia etiam exceptio à iure ciuili est priuilegium, & tamen est commune omnibus Clericis. Meliùs respondebitur, in rigore esse priuilegium, non tamen tam ab Episcopo quàm à Christo concessum. In præsenti autem non agimus de his quæ sunt annexa essentialiter Ordinibus ex institutione Christi, sed de his quæ quasi propriè ab humano Principe procedunt.

Solutio.

Priuilegium debet se extendere ad multos actus. Aduerte, ad rationem priuilegii necessum item esse vt extendatur ad multos actus; nam licentia data, vt semel v. g. comedam carnes die prohibito, non solet vocari priuilegium; si autem detur per modum stabilis facultatis ad aliquas Quadragesimas, iam dicetur priuilegium: fortè propter dierum multitudinem etiam dici poterit priuilegium ad totam vnam Quadragesimam: sed hoc multum habet de voce, nec vllius est momenti.

6. *An ad priuilegium requiratur scriptura. Ad valorem beneficij non requiritur scriptura.* Vtrùm autem ad priuilegium requiratur scriptura, controuerti solet à Doctoribus: in vno tamen sensu res est clara, in altero de solo nomine, & parui momenti. Primus sensus est, si de valore beneficii collati quætatur, an ad illud sit necessaria scriptura; & in hoc sensu extra controuersiam est, non requiri, quia gratia prouenit à voluntate Principis, manifestatio verò solùm requiritur, vt de eâ interiori voluntate nobis constet; ad hoc autem nullatenus est per se necessaria scriptura, sed verba aliáve signa, quę voluntatem sufficienter expresserint, erunt sufficientissima: sicut ex se ad legis valorem nulla requiritur scriptura, neque item ex iure positiuo necessaria est scriptura, ergo.

Obiecti. Obiici possunt, aliqua capita iuris, in quibus videtur pro priuilegiis scriptura requiri. Verùm facilè respondetur, ibi scripturam vel solùm requisitam ad probationem priuilegii in foro externo ob defectum alterius solidæ probationis; vel certè solùm ibi doceri, ex scripturâ colligi qualis fuerit mens concedentis beneficium. Vbi tamen aduertendum est, aliquando ius decernere, vt aliquæ gratiæ non valeant, nisi confirmatæ in scriptis; vt in Tridentino sess. 23. cap. 1. de reformatione, & sessione 25. cap. 5. de regularibus: quæ tamen doctrina non debet ad omnes alias gratias extendi: vnde cùm quis à Papa aliquam gratiam petit, eámque Pontifex concedit per verbum *Fiat*, potest quis ea vti etiam ante scripturam: non enim τὸ *Fiat* (vt aliqui sine fundamento docuerunt) significat, *Fiat instrumentum gratiæ*, sed, *Fiat gratia*.

Aliquæ gratiæ ad sui valorem requirunt scripturã ob definitionem iuris.

Iam ad alteram quæstionem, quâ dixi esse de nomine. Posset enim aliquis contendere, gratiam non scriptam, etiamsi validam, non tamen debere vocari priuilegium: verùm id sine fundamento diceretur, & contra communem modum sentiendi; vtrùm autem ad probationem priuilegii in foro externo exigatur scriptura, quæstio est communis ad omnes gratias, & non magni momenti; cui communiter respondetur, non esse simpliciter necessariam, quando sunt aliunde sufficientia testimonia, quibus probetur.

7. *Vt beneficiũ aliquod dicatur priuilegium non requiritur scriptura.*

Quomodo priuilegium differat à rescripto & dispensatione. Hac occasione explicandum videtur, quomodo priuilegium à rescripto & dispensatione differat. Communis sententia docet, rescriptum necessariò requirere scripturam; id enim ipsum nomen exigit; imò videtur solùm significare secundam scriptionem; licet alii dicant deriuari à verbo *responsum* & *scriptum*, quia Principum responsa dabantur in scripto. Verùm hæc explicatio secunda omni caret fundamento; sæpè enim dantur responsa Principis sine scripto, &, si ipse velit, habebunt eamdem vim, quàm si essent scripta. Meliùs ergo dicetur, rescriptum esse in vno sensu quid vniuersalius quàm priuilegium, secundùm quid verò magis particulare; quatenus ergo priuilegium non requirit scripturam (vt diximus) eam autem (vt nomen ipsum præ se fert) requirit rescriptum, priuilegium erit quid vniuersalius; quatenus verò rescriptum potest esse tam non fauorabile quàm fauorabile, item determinatum ad vnicum actum, vel è contrario se extendens ad plures; priuilegium autem solum est fauorabile, & respiciens multos actus: in hoc sensu rescriptum è contrario erit quid vniuersalius priuilegio.

Quomodo differat à rescripto.

8. *Duplex potest esse rescriptum, iustitiæ & gratiæ.* Vbi aduerte, rescriptum posse esse duplex, iustitiæ & gratiæ: illud ad explicandum ius vel ferendam sententiam inter partes, hoc ad beneficia conferenda extenditur, siue ea beneficia constituant priuilegium, siue non; quia licet omne priuilegium sit gratia, non tamen omnis gratia est priuilegium. Et hoc satis pro distinctione eorum inter se.

Quomodo differat à dispẽsatione. Quomodo autem priuilegium à dispensatione differat, insinuatum est suprà; dixi enim dispensationem ex se petere vt sit contra ius; id quod non petit priuilegium; ex quo capite latius patet priuilegium; è contrario verò, quia dispensatio non requirit nisi vnicum actum, priuilegium verò se extendit ad plura, latiùs patet dispensatio quàm priuilegium. Hinc dico, omne priuilegium contra ius esse dispensationem, & omnem dispensationem per modum rei permanentis, & ad diuersos actus esse priuilegium.

Dicen

Obiectio. Dices: Dispensatio in irregularitate est per modum alicuius gratiæ permanentis; datur enim ad Ordines suscipiendos & exercendos, & tamen non dicitur priuilegium. *Solutio.* Respondeo, illam non esse per modum rei permanentis, sed per modum auferentis vnicâ vice impedimentum quod in eo homine erat; quo ablato, iam ille eos multos actus non tam efficit virtute dispensationis quàm vi iuris communis, quod concedit non habenti eum defectum talem potestatem: quòd si adhuc volueris eam vocare priuilegium; dissensio solùm erit de puro nomine, & parui momenti.

SECTIO II.

Diuisio priuilegij in reale & personale.

9. DIVIDI Primò posset in diuinum & humanum; sed quia hîc non agimus de diuino, sed de humano, eam diuisionem omittimus; abstrahimus etiam ab eis quæstionibus, an quæ Christus Ecclesiæ concessit sint dicenda priuilegia nec ne, quia id ad vocem pertinet; & cum sint aliunde nota, & sciatur ad quæ se extendãt, quósve effectus operentur, non est necessaria eorum explicatio in præsenti materiâ: ergo ad humanum veniamus; quod Primò diuidi solet in reale & personale, non quia aliqua sint priuilegia quæ propriè conueniant rebus inanimatis aut brutis; illa enim non sunt priuilegiorum capacia; omnia ergo personis conueniunt; & in hoc sensu omnia sunt personalia; & è contrario, quia etiam personæ omnes sunt res, omnia sunt realia: quia tamen quædam conueniunt homini, Petro v.g. non quia Petrus est, sed ratione alicuius rei ab ipso distinctæ, quam possidet, dicuntur priuilegia realia; alia verò, quæ conueniunt personæ ratione indiuiduæ ipsius naturæ, dicuntur personalia. V.g. quòd talis persona possit conferre Ordines, excommunicare, &c. non est gratia personalis, sed realis; est enim annexa Episcopatui: idem est de omni dignitate, Regiâ, Imperatoriâ, &c. Quæcumque enim Ferdinandus III. potest vt Imperator facere sunt realia, quia ei rei seu dignitati, quam habet, annexa sunt. Proueniunt etiam aliquando ea priuilegia ex rebus homini extrinsecis: sæpè enim domibus, agris, vineis, &c. est annexum illud priuilegium, quo fruitur ille, qui domum, agrum, vineam illam possidet: & hæc magis clarè noscuntur esse realia, quia veniunt à re magis homini extrinsecâ.

Priuilegium Primò diuidi solet in reale & personale.

Quare dicãtur realia vel personalia.

SVBSECTIO I.

Prima regula ad dignoscendum priuilegium reale à personali.

10. VT autem noscantur quæ sint realia, quæ personalia, iuuat valdè communis ille in iure modus distinguendi personam in fictam & realem: fictam aliqui non benè confundunt cum mystico aliquo corpore; quale est Collegium, Vniuersitas, Monasterium, &c. etenim vna sola persona esse potest ficta; vt Episcopus, Rex, Imperator, Sacerdos, Senator, &c. Dico ergo personam fictam eam esse, quæ concipitur non ob specialem humanam aut indiuidualem naturam, sed ratione alicuius accidentis, seu denominationis moralis; vt v.g. Papa, Episcopus, Imperator, Rex, Religiosus, Canonicus, Doctor, Iudex, &c. quas personas concipimus abstrahendo planè ab hoc & illo indiuiduo humano, &c. Persona realis est, quando concipio Petrum, Antonium, &c. ea ergo priuilegia, quæ conueniunt personæ fictæ quà tali, sunt realia, quæ verò personæ veræ, sunt personalia.

Requiritur necessaria distinctionis persona ficta à reali.

Quid sit persona ficta.

quid realis.

Vbi miror Patrem Suarez lib. 8. cap. 3. cum aliquibus Iuristis, quos ibi citat, specialem difficultatem inuenisse in his personis, vxor, maritus, pupillus, &c. vt dubitauerit, an quæ talibus conueniunt sint priuilegia personalia, & verò asseruerit esse absolutè talia, licet multum habeant de realibus; rationem autem videtur hanc reddere, quòd tale priuilegium singulis personis veris sub illâ communi appellatione conceditur non ratione communitatis talium personarum aut alicuius corporis mystici ex illis compositi, sed ratione sui, & prout in vnaquaque est, illi soli prodest, & cum illâ extinguitur: quæ sunt conditiones priuilegij personalis: miror, inquã, hæc dici; nam eodem planè modo omnia hæc habent vim in Cardinalatu, Episcopatu, & omnibus alijs personis summè fictis: nam (vt paulò antè notaui) ad punctum præsens idem est cum proportione corpus fictum & persona ficta, nisi quod corpus fictum dicit aggregationem multorum vt Collegium, Monasterium, &c. persona verò ficta non requirit multitudinem, sed in vnâ solâ saluatur, vt Episcopus, Papa, &c. ad priuilegia autem realia constituenda non requiritur, vt quod fingitur sit corpus, sed sufficit, si sit persona: non enim solum Collegiũ, sed etiam ipse Abbas vt Abbas est, & vnus, & fictus, habere potest priuilegia propriè & in omni rigore realia; item Episcopus, Clericus, Religiosus, &c. Deinde malè insinuatur, priuilegia realia non conuenire ipsis veris personis sub aliquâ cõmuni appellatione; etenim contrarium meritò obseruauerat idẽ auctor num. 3. quia solus homo verus potest à parte rei priuilegium habere: & probo id clarè in Episcopatu, Cardinalatu, Papatu, &c. nã ea priuilegia conueniunt veræ personæ, v.g. Maphæo Barberino, Ernesto, Antonio, &c. licet illis conueniãt ob rationem Papatus, Cardinalatus, non aliter planè quàm Petro, qui est pupillus, conueniunt priuilegia pupillorum; conueniunt (inquam) sub denominatione pupilli; vnde, eo ipso quòd desinat esse pupillus, desinit frui eis priuilegijs: sicut si Antonius desineret esse Cardinalis, & Maphæus desineret esse Papa, desineret etiam frui eis priuilegiis: voco iam pro præsenti dignitatẽ priuilegium quoad rationem personæ fictæ: ergo non est vlla disparitas inter illas duas personas: & idem est in vxore, marito, &c.

11. *Doctrina P. Suarez refutatur*

Priuilegia realia possunt conuenire veris personis sub aliquâ communi appellatione.

Item, sicut potestas seu priuilegia à Christo Papæ concessa transeunt ad successorem mortuo Maphæo, ita priuilegia vxoris transeunt ad aliam vxorem, si succedat; & priuilegia pupilli transeunt ad nouum pupillũ, si aliquis de nouo est. Vbi aduerte, aliquam esse differentiam inter hæc duo exempla, non tamen vtilem ad rem præsentem: etenim priuilegia Papatus censentur eadem numero, quæ non pereunt mortuo Maphæo, sed quasi suspensa manent, donec alter eligitur, in quem reponuntur: item ea non multiplicantur in duabus personis simul: at priuilegiũ pupilli videtur mori cum Petro, & illud non expectat successorem, nec transire ad alium, qui incipit de nouo esse pupillus, sed in eo insurgit priuilegium aliud numero distinctum; vnde, etiamsi

12. *Doctrina Suarij ãplius refutatur.*

Digitized by Google

etiãsi ipse maneat pupillus, adhuc in Antonio de nouo facto pupillo nouũ aliud priuilegiũ insurgit. Hæc omnia benè aduerto esse diuersa; at pro præsenti quæstione sunt (vt dixi) planè impertinẽtia; nam in primis patiuntur instãciam manifestã in Collegio, Monasterio, Vniuersitate, &c. quæ sunt purè fictæ personæ. Deinde priuilegia quæ Collegio v.g. Societatis conueniunt, non sunt eodem modo in omnibus Collegiis, sed distincta: vnde si nouum erigatur Collegium, noua in illo insurgunt priuilegia; si extinguatur, extinguuntur, nec manent suspensa, &c. Deinde idem est in Cardinalatu; & suppono id quod certum est, numerum eorum esse ad libitum Papæ: nam non sunt in omnibus eadem numero, sed distincta priuilegia: item, si vnus moriatur, non manent ea suspensa pro priè, sed pereunt, quia non est de iure vt omnibus detur successor: sicut mortuâ vxore nõ est de iure vt maritus alteram accipiat: & sicut in obiectione dicitur, si noua adueniat vxor, resultare in eâ noua, licet omnino similia, priuilegia; ita dicam, si Papa nouum creet Cardinalem, etiam noua, omnino tamen similia, in eo resultare priuilegia, & priora, prout in Ernesto v.g. extitêre, cum ipso periisse: ergo tota ea differentia, quæ in Papatu ponitur, est impertinens ad præsentem difficultatem, quia non reperitur in aliis; quæ tamen sunt rigorosissimæ personæ fictæ.

Facilis est etiam ratio à priori contra eam doctrinam, quòd ea priuilegia simul non possint conuenire nisi vni soli personæ reali, & quòd illa necessariò debeat habere successorem, parum iuuat in ordine ad cõceptum personæ fictæ: quia ille conceptus non ex vnitate aut successione desumitur, sed ex eo quòd abstrahat ab indiuiduali efficutiâ, & soluta proueniat, iuxta dicta suprà, ab aliquâ denominatione, ob dignitatem, domum, agrum, virtutem, quam possidet. Constet ergo ea etiam priuilegia debere omnino inter purè realia annumerari.

13. *Ratio à priori contra doctrinam Suarij.*

SVBSECTIO II.

Cætera regula pro eâ differentiâ.

14. *Distinctio priuilegij personalis à reali desumẽdi ex causis.*

SEcundò, ad cognoscendum, quando priuilegium sit reale, quando personale, addi solet alia regula, vt scilicet consideretur causa, quæ ad dandum priuilegium mouit Principem: si enim causa desumitur ex personali merito aut egregio facinore, priuilegium erit personale; si verò desumitur ex dignitate, quam ex personâ habet, erit priuilegium reale; hæc tamen consideratio manifestè passim non subsistit: etenim sæpè personæ veræ ob facinora propria acquirunt priuilegia realia annexa alicui dignitati: sæpè enim Imperator dat alicui titulum Comitis, Ducis, &c. cum priuilegiis magnis, vt transeant ad omnes hæredes, sæpè item, ob merita alicuius particularis Episcopi, concedit Pontifex gratiam seu priuilegium, quod annexum manet ei dignitati: quod cùm benè notauerit P. Suarez num. 8. & 9. & ad sequentem regulam à nobis tradendam recurrerit, miror eum eo ipso capite in fine num. 12. contrarium docuisse, scilicet, etiamsi priuilegium dirigatur nõ ad indiuiduam personam, sed ad dignitatem, esse tamen personale, si pro causa eius priuilegij ponantur particularia merita eius personæ: in quâ regula iam

sed non est vniuersalis.

recurrit ad motiuum concedentis, ad quod antè dixerat non recurrendum. Quidquid verò de eius mente sit, dicendum est, si ad intentionem concedentis attendatur, id variis modis contingere: aliquando enim Princeps dat priuilegium ipsi indiuiduæ personæ veræ & reali determinatæ, vt quando Rex Hispaniæ v.g. alicui Magnati dicit, *Tegatia Dux, Marchio*, &c. tunc enim annectit eam gratiam Marchionatui, Ducatui, &c. estque priuilegium reale transiens ad omnes, qui in eo statu successerint: id quod locum habet etiamsi motiuum Principis fuerit ex meritis & facinoribus talis personæ indiuidualis desumptum; imò ordinariè ex solis eis desumitur fundamentum talis gratiæ: aliquando verò dicit, *Tegatis Antoni, Petre*, &c. tunc autem est priuilegium personale, nec transiens ad hæredes: quo exemplo clarissimè hæc res intelligitur, habet autem locum etiam in aliis Principibus; nam si Pontifex loquẽs cum aliquo Episcopo v.g. dicat, *Facio tibi hanc gratiam, vel hoc priuilegium*, censetur esse tantùm personale, & cum illo perire; si verò dicat, *Ob tua merita hoc concedo tuæ dignitati Episcopali*, iam erit reale priuilegium; ad id autem cognoscendum ipsa verba priuilegij maximè sunt ponderanda; vt per se patet. Tolletur autẽ magis omnis ratio dubitandi, si Princeps addat verba ampliatiua aut restrictiua; vt v.g. si dicat, *Tibi & hæredibus aut successoribus*; nam eo ipso erit reale priuilegium, etiamsi non designauerit dignitatem, sed personam indiuiduam; si verò è contrario dicat, *Concedo tuo Episcopatui pro te hoc vel illud*, erit priuilegium purè personale.

15. *Quomodo colligi possit mẽs concedentis circa priuilegium reale vel personale.*

Perpendenda sũt ipsa verba priuilegij.

Circa verbum *in perpetuum* aliqua esse potest ratio dubitandi, an absolutè denotet priuilegium reale. Felinus in cap. *Quoniam Abbas*, de offic. delegat nu. 11. sentit denotare reale; quod etiam defendit; & inde confirmat P. Suarez, quia priuilegium etiam personale perpetuum est, per se loquendo, quoad vitam eius cui conceditur: ergo quando additur *hoc in perpetuum* maiorem durationem denotat, scilicet post mortem illius in hæredibus; alioquin planè gratis illud verbum adderetur. Alij tamen negant sufficere, quia sæpè dicitur *in perpetuum* id quod pro tota vita conceditur; alij tandem vtuntur distinctione: si enim priuilegia sint remuneratiua, putant esse realia, quando verbum illud *in perpetuum* in eis ponitur: quòd si sint liberalia, censent non ideò esse realia.

An verbum In perpetuũ *denotet priuilegium reale.*

Mihi sanè non videtur vlla ex his sententiis rem declarare; & in primis, quæ vniuersaliter affirmat, denotari reale priuilegium per eam particulam, videtur esse falsa: nam si Pontifex nominando Ernestum, qui est Archiepiscopus Pragensis, dicat, *Concedo tibi Ernesto in perpetuum vt possis conferre Ordines extra tempora*, aut, *vt nõ tenearis in perpetuum ieiunare*: certè nemo dicet, ea priuilegia transire ad successores; ergo non sunt realia. Secundò, nec placet sententia absolutè negans; nam ea videtur sufficienter reiecta ratione Patris Suarez suprà posita. Tertia verò distinguens inter priuilegia liberalia & remuneratiua nullo modo placet, quia planè videtur impertinens ea distinctio ad significationem vocis *in perpetuum* restringendam vel coarctandam: quare enim liberaliter non poterit aliquid concedi vt annexum alicui dignitati? & è contrario, quare remunerando non poterit solam hanc personam respicere? Et verò potiùs videtur restrin-

16. *Non denotat semper priuilegium reale.*

neque semper personale.

Reijcitur tertia sententia quadã media.

Digitized by Google

restringenda ea vox in remuneratoribus quàm in aliis, quia in illis motiuum est personale, ergo gratia personalis; sed neque hanc rationem sufficere paulò antè ostensum est.

17. *Regula ad noscendum, quãdo vocula* in perpetuum *signet priuilegium reale vel personale.*

Vrendum ergo censeo alia distinctione vtiliori pro re præsente. Pro quo considerandum est, aliquando gratiam factam à Principe esse talem, vt ex se semel concessa tamdiu duret quamdiu persona, cui conceditur, viuit: vt si aliquis fiat Comes, Marchio, Episcopus, &c. non enim hæ dignitates vnquam ad tempus conceduntur, & postea eidem auferuntur: in his ergo si addatur *in perpetuum*, censeo priuilegium esse reale, & transire ad hæredes seu successores: id mihi persuadet ratio pro P. Suarez allata, quia ea particula *in perpetuum* non ponitur gratis; si autem de solâ vitâ eius cui conceditur intelligeretur, nihil significaret, vnde si Pontifex dicat, *Te Abbatem Cassinensem constituo in perpetuum Episcopum Cassinensem*, certè denotat illam dignitatem Episcopalem manere annexam Abbatibus Cassinensibus: idem est, si Rex dicat Petro, *Te facio in perpetuum Comitem*, eo enim ipso intelligitur gratia ad hæredes transire, & in hoc sensu defendo sententiam Petini. Aliæ autem sunt gratiæ, quæ ex se non sunt perpetuæ, etiam pro vitâ eius cui conceduntur: vt in exemplis suprà à me positis manifestè patet; nam gratia concedendi Ordines extra tempora non est perpetua: item licentia ad non ieiunandum conceditur sæpè ad vnum annum, non ad plures, aliquando ad duos, tres, &c. Idem in sæcularibus; nam in Hispania v. g. officium Prætoris, quod *Corregidor* vocamus, non est pro tota vita: idem de Viceregibus, Legatis, &c. intelligendum. In his ergo gratiis, censeo particulam *in perpetuum* solùm significare, priuilegium durare pro tota vita eius personæ, non verò esse vllo modo reale; ergo si dicat Rex, *Facio te Pretorem huius ciuitatis in perpetuum*; *Facio te Vicegerem Neapolis, Siciliæ, &c. in perpetuum*, nihil planè denotatur de perpetuitate in familia, sed in persona: idem, si Papa dicat alicui, *Concedo tibi priuilegium dandi Ordines extra tempora in perpetuum*; non intelligitur datum priuilegium successoribus, sed illi soli. Loquor iam vi eius vocis *in perpetuum*; nam de aliis signis dictum est suprà. Et hæc mihi videtur esse clarissima explicatio eius vocis *in perpetuum*.

18. *In gratijs ex se non perpetuis, ne quidẽ ad vitã, vox* in perpetuũ *signat priuilegium personale.*

19. *Ad dignoscẽdum priuilegium reale à personali pẽderanda est etiã materia priuilegij.*

Præter verba, quæ intentionem designant, ponderanda est etiam materia priuilegij, an sit talis, vt possit transire ad successores, an verò id ei repugnet; nam si materia sit quasi determinata, tunc, non obstante designatione dignitatis, censetur esse personale: vt si v.g. Rex dicat alicui denotando dignitatem illius, *Dux, vos constituo Generalem huius belli contra Turcam*; certè non censetur talè priuilegium reale, sed personale; non aliter quàm si dixisset, *Petre, Antoni*, &c. quia materia illa belli contra Turcam non est res perpetua: & ad similia munia maximè attenditur individualis prudentia, fortitudo, &c. quæ actu sunt in Generali necessaria, & non supponuntur transire ad hæredes, &c. idem est, quando Papa alicui etiam sub titulo Episcopi talis loci committit illi rem aliquam individuã perficiendam, quæ non censetur transire ad successores. In confirmatione huius regulæ citatur cap. *Dilecti*. de foro competenti, & cap. *Aduersus*. de immunitate Ecclesiarũ, in quibus tamẽ nec verbum video ea de re: quod enim in hoc vltimo circa finem ponantur hæc verba, *Cùm succedat in onere qui in honore substituitur*, non videtur esse ad rem præsentem; quia ibi agitur de obligatione soluendi, quam prædecessor incurrerat, non de priuilegio; neque si de hoc ageretur vlla ponitur regula, vnde cognoscatur quando sit personale, quando reale, de quo solo puncto nunc agimus.

Cap. Dilecti. *& cap.* Aduersus. *non faciunt ad rẽ præsentem.*

SVBSECTIO III.

Quid sit dicendum in dubio realis aut personalis priuilegij.

20. Quæritur, quando dubium est, vtrum priuilegium sit reale, an personale, quale debeat reputari. Quidam affirmant esse præsumendum reale; nullum tamen afferunt solidum fundamẽtũ huius doctrinæ: leges enim quædam, quas pro se citant, solùm probant priuilegium rebus concessum esse reale; personis verò concessum esse personale: caput item *Cùm venissent*. de institut. quod ab eis citatur, nihil aliud dicit, quàm in dubio posse aliquando esse coniecturas maiores pro realitate priuilegij; vbi go ipso supponit aliquando posse esse minores, aliquando æquales; vnde ex eo capite nihil suadetur: ideò alij è contrario iudicant, in dubio supponendum esse personale, quia priuilegium est stricti iuris, ideòque in dubijs debet restringi.

Quidã aiunt esse præsumendũ reale.

Alij putant præsumẽdum esse personale.

Notandum pro intelligentia quæstionis, non esse in ea sermonem, quando verba concedentis diriguntur ad rem, & cetera sunt dubia, aut è contrario diriguntur ad personam, ac reliqua sunt dubia; eo enim casu ex regulâ superiùs traditâ dicẽdum est in primo priuilegium esse reale, in secundo personale: est ergo difficultas, quid sit dicendum, quando, omnibus pensatis rei est dubia. In hac quæstione breuiter respondendum cum P. Suario præmissâ distinctione priuilegij in illud, quod est purũ beneficium, & in illud quod est contra ius commune, aut contra ius tertiæ alicuius personæ: illud ergo primum, quia fauorabile, & nullo modo odiosum, debet extendi & dici reale: quod ex ea regula iuris confirmatur, *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum*: quam sententiam tenuerunt etiam Bartolus & Baldus; ille in l. vlt. ff. de seruitute legis, num. 4. hic verò in l. 3. ff. de constitutionibus Principum.

Pro solutione distinguitur priuilegium duplex, fauorabile & odiosũ. Quãdo priuilegium est purum, beneficium censetur esse reale.

21. *Quando est odiosum, & in dubio pro nulla parte rationes suppetũt, censeri debet personale.*

Quòd si priuilegium sit odiosum, quatenus est contra ius commune aut ius tertij, addenda est adhuc alia distinctio: vel enim dubium circa illud tale est, vt nullæ planè rationes sint nec pro vnâ nec pro alterâ parte; & tunc debebit restringi & iudicari personale, quia in dubio odia sunt restringenda.

Obiectio.

Obijcies: Id quod est odiosum respectu vnius, est fauor respectu alterius; sicut autem odia sunt restringenda, ita è contrario fauor ampliandus; ergo tãta erit etiam tunc ratio extendendi quanta coarctandi. Respondeo, fortius esse pro restrictione odium quàm pro ampliatione fauorem, quia maius ius habet quis vt retineat quæ suã sunt, seu, non vt ipsi inferatur damnum, quàm alter ad fauorem & gratiam; quia fauor est quid supererogationis, ablatio autem rei propriæ videtur esse contra naturam. Quòd si dubium tale sit, vt vtraque pars sit probabilis, videtur tunc posse iudicari reale & perpetuum; nam (vt tertio Tom. diximus) quando ambæ partes sunt probabiles, potest quis quamlibet sequi,

Solutio.

Quòd si circa priuilegium odiosum dubium vtrimque est probabile, reputabitur reale.

etiamsi

etiamsi minùs tuta sit, imò, etiamsi sit minùs probabilis, dum tamen verè sit probabilis; ergo, si probabilis est opinio de realitate seu perpetuitate priuilegij, poterit quis in conscientiâ eo vti.

22. *Obiectio difficilis ex eo, quia melior est semper conditio possidentis.*

Contra hanc doctrinam video difficultatem hanc satis grauem, quam ex doctrinâ communi & certâ à Pater Suarez hîc suppositâ desumo; ait enim præcedentem doctrinam esse intelligendam regulariter, nisi sit possessio vel vsus in alterutrâ partem, quia tunc succedit alia regula iuris, quòd in dubiis melior sit conditio possidentis. Hinc ego argumentor: In casu, de quo loquimur, semper possidetur contra priuilegium; agimus enim de priuilegio contra ius commune & ius tertij; ergo ante priuilegium ius commune & ius tertij possident suam vim obligandi & retinendi libertatem; ergo numquam poterit in eo dubio priuilegiũ reputari reale, sed purè personale. Quæ ratio non solùm vrget, quando probabilitas circa realitatem est minor quàm circa rationem personalis priuilegij, sed etiam quãdo est æqualis: ideò solum videtur posse iudicari reale, quando de hac parte maior est probabilitas; tunc enim per illam compensatur ratio possessionis, quæ se tenet ex parte aduersâ. Respondeo, illud principium, *In dubijs melior est conditio possidentis*, intelligi debere, quando dubium est planè negatiuum, quòd nõ sunt rationes probabiles pro vllâ parte; quando enim sunt, iam non est propriè dubium, & consequenter tunc poterit quis amplecti opinionem quam velit; alioquin non liceret vmquam amplecti opinionem æquè probabilem minùs tutam, quia tunc semper operaremur contra præceptum, quod esset in possessione; & consequenter iam ex hoc capite melior esset conditio præcepti, idcóque malè ageremus nos operando contra illud.

Solutio.

23. *Replica, quia sequeretur posse dari bellũ vtrinque iustum.*

Adhuc tamen replicabis, Si sub hac probabilitate licet priuilegiato reputare reale & perpetuũ illud priuilegium, quod est in præiudicium tertij, sequeretur bellum iustum ex vtraque parte: quod absurdum est: sequela patet, quia etiam alter, contra quem est priuilegium, habet rationes probabiles, vt iudicet, priuilegium fuisse solùm personale, & iam periisse, ac proinde, se non teneri ad illud detrimentum; ergo poterit eis rationibus se accommodando resistere vsui priuilegij, eritque bellum ex vtraque parte iustum. Respondebis, hoc inconueniens non esse speciale huius materiæ: etenim si duo probabiliter reputent rem aliquam in vitâ v.g. repertam esse suam, erit idem bellum iustum ex vtraque parte; nam quilibet nitens eis probabilibus rationibus, poterit rem illam apprehendere, & vnus contra alterum de eâ certare: sicut ergo hîc debet hoc admitti: ac responderi, posse per accidens ex eâ opinione probabili esse bellum iustum, ex vtraque parte sine inconuenienti etiam idem posse in casu nostro concedi. Hæc tamen solutio non videtur satisfacere; nam in casu responsionis dicetur rem illam futuram primò occupantis, à quo iam alter non poterit eam violenter extorquere, quia iam possessio stat pro illo; quia autẽ quilibet ex illis habet ius ad primò occupandam eam rem, si possit, meritò potest vterque dici habere absolutè ius: at in nostro casu, cùm vnus semper iam supponatur in possessione, non potest dici alter habere ius ad rem illam, quia non potest illum ex possessione deiicere.

Quid responderi posset.

Responsio allata impugnatur.

Responsio verior ad replicam.

Ad hanc vltimam replicam, nam per priorem solutionẽ sufficienter responsum est argumento, dico, in nostro casu non sequi vllum speciale inconueniens, imò multò minùs quàm in aliis casibus admittatur ab omnibus; dico enim priuilegiatum, eo ipso quòd alter resistat nixus opinione probabili, quod tale priuilegium non sit reale, non posse eo vti contra ius tertij: & in hoc sensu admitto, illud priuilegium non valere, seu non esse reale: si tamen alter, contra quem priuilegium est, non vtatur opinione eâ probabili, tunc licitum fore in conscientiâ & foro externo vti eo priuilegio: & verò si aliquoties vtatur altero non resistente, iam contra illum præscribet, & non licebit alteri resistere vi suæ possessionis, quia iam excidit ab illâ per actus contrarios, quos permisit in altero.

Sectio III.

Tres aliæ diuisiones priuilegij.

24. *Diuiditur in remuneratiuum & non-remuneratiuum.*

Altera diuisio priuilegij est in remuneratiuum & in non-remuneratiuum: illud est, quod datur vt præmium intuitu meritorum ex parte personæ, cui conceditur, siue ea merita sint propria, siue aliena, ei tamen aliqualiter applicata. Dixi *datur vt præmium*, quia contingere potest, vt Princeps alicui ob magna talenta concedat aliquod priuilegium, non quidem volens propriè ea remunerare, sed volens eis vti da commune bonum: vt si Papa daret alicui Sacerdoti sancto, docto, zeloso priuilegium, vt posset sine alia licentia vbique concionari & audire confessiones, absoluere éque ab omnibus casibus reseruatis, non esset priuilegium remuneratiuum; quia id non facit Papa animo propriè illum præmiandi, sed per ea talenta promouendi bonum aliorum.

Priuilegium esse remuneratiuum non probat esse personale potiùs quàm reale.

Priuilegium non-remuneratiuum est, quod non datur vt præmium. Circa quam diuisionem fusè disputãt aliqui vtrùm omne remuneratiuum sit personale, quandoquidem habet pro motiuo causam personalem, id est merita personalia eius cui conceditur. Ego tamen ab hac quæstione omnino hîc abstineo; nam est omnino eadem cum ea, quam suprà cum his auctoribus tractauimus, an ex eo, quòd causa motiua ad priuilegium concedendum sit particularis, vt v.g. particularia merita, inferatur inde priuilegium esse personale; diximus enim, ex eo capite non inferri esse personale aut reale determinatè, quia in præmium meritorum Petri v.g. dari potest ei aliquid pro ipso & successoribus, & è contrario potest etiam dari ipsi solùm ad vitam.

25.

Duo tamen hic breuissimè addenda. Primum est, legem 1. ff. de constitutionibus Principum, in qua dicitur, *Quæ Princeps alicui ob merita induisit, vel si quam pœnam irrogauit, vel si cui sine exemplo subuenit, personam non egreditur*; hanc, inquam, legem non probare vllo modo (prout aliqui contendunt) omne priuilegium remuneratiuum esse personale in sensu, de quo nunc loquimur; nam quando Vlpianus dicit *personam non egreditur*, seu, *non trahitur in exemplum*, solùm voluit dicere, non debere ad alias personas per similitudinem trahi; at ea priuilegia non posse in hæredibus manere, quandoquidem non alia persona, sed moraliter eadem cum priori reputantur, nullo modo negat. V. g. si Rex aliquem insignem Capitaneum fecit Comitẽ, non licet sine nouâ & speciali voluntate, Principis alterum Capitaneum similẽ priori reputare

Negatur illatio ex iure odiosa.

Digitized by Google

Comitem: hoc solum docet Vlpianus; per quod nec per vmbram asserit filios eius Capitanei iam facti Comitis non successuros parenti in nobilitate, Comitatu & bonis, quæ parenti Princeps concessit.

26. *Potiori iure debet priuilegium non remuneratiuum dici personale quàm remuneratiuum.* Alterum quod obseruo est, potius è contrario, si priuilegium non sit remuneratiuum: & detur intuitu talentorum particularium, quatenus ea sperantur futura Reipublicæ vtilia, esse priuilegium personale; vt in exemplo quod posui de facultate concionandi, &c. alicui concessâ ob doctrinam; &c. item, si Rex aliquem faciat Generalé exercitus attendendo ad prudentiam, vires, &c. Ratio huius est manifesta, quia tũc Princeps non mouetur ob ea talenta, nisi quatenus reddunt subiectum illud aptum ad finem præcipuè intentum, scil. ad Reipublicæ defensionem, animarum conuersionem, &c. ergo cùm non supponantur ea talenta transire per se ad heredes, neque etiam censebitur Princeps concedere priuilegiũ illud pro hæredibus: in quo non est eadem ratio de priuilegio remuneratiuo; nam ad finem præmiandi, quem tunc Princeps intendit, congruum est vt priuilegium transeat ad hæredes; per hoc enim ipsum præmiatur valdè parens, quòd filius & nepos, &c. eadem gratiâ fruatur; & Episcopus, eò quòd priuilegium maneat intuitu ipsius annexum Sedi; ergo ex hoc capite longè maius fundamentum est ad dicendum, priuilegium remuneratiuum esse perpetuum, quàm alterum non remuneratiuum, datum tamen intuitu boni publici ob talenta, quæ in persona ad bonum illud publicum promouendum agnoscuntur. Dico *datum ob talenta*, quia si motiuum est aliud independés à particulari talento, & solùm desumitur ex officio aut dignitate, tunc, vt diximus suprà, esse poterit reale.

27. *Tertiò diuiditur priuilegium in cõuentionale & non conuentionale.* Tertia priuilegij diuisio est in conuentionale & non conuentionale: illud est, quod habet aliquid de mutuo pacto; vt si Pontifex alicui Sacerdoti dicat, *Ego tibi do licentiam absoluendi vbique ob omnibus reseruatis, hac solâ conditione, vt ostendas prius Parocho hoc priuilegium:* potest item illud pactum esse magis accedens ad contractum; vt si Imperator facere velit aliquem Nobilem ob pecuniæ summam aliquam sibi concessam, dicatque, *Si dederis mihi hanc pecuniam ego*, &c. Non conuentionale est illud, quod sine vllo contractu aut conditione conceditur. Circa quam diuisionem aduerto, etiamsi nonnulli dicant huiusmodi priuilegia conuentionalia non esse vera priuilegia (quod ad vocem spectat) absolutè tamen talia esse censenda, quia in definitione priuilegij non requiritur, vt gratis omnino concedatur. Ratio etiam à priori est facilis, quia esto intercedat aliquod onus, verè tamen fit gratiâ magnâ ei cui talis res conceditur; ergo reperietur ibi vera ratio beneficij. Secundò aduerto, malè aliquos docere, priuilegium conditionale esse reale, eò quòd contractus ex se fit perpetuus; malè, inquam, id doceri, quia possum ego ob pecuniam v.g. præstare alteri gratiam solùm ad vitam: vt si dicat Imperator, *Si dederis mihi decem millia, faciam te Comitem pro tuâ tantùm vitâ*; & idem est de aliis gratiis & priuilegiis. Quod verò aliqui obiiciunt, contractum seu pactum de se esse perpetuum, non est ad rem; nam perpetuitas non est maior quàm voluerunt contrahentes; si ergo illi solum voluêre ad vitam, certè hanc solùm habebit pactum.

Priuilegium conuentionale est verè priuilegium.

Priuilegium cõuentionale non necessariò est reale.

28. Quinta diuisio priuilegij est in temporale & perpetuum: hæc licet videatur coincidere cum diuisione in reale & personale, multùm tamen ab eâ differt; etenim circa ipsam personam potest esse priuilegium temporale & perpetuum: illud ergo erit temporale, quod non ad totam vitam, sed ad aliquot tantùm annos conceditur: dicitur verò secundùm quid perpetuum, quod ad totam vitam conceditur; licet hoc in rigore sit temporale: item aliquod reale erit temporale, si ad duos v. g. vel tres tantùm hæredes transeat, non in perpetuum ad omnes, vel si ad centum v. g. annos, non plures, siue duo siue plures hæredes intra illud tempus futuri sint: vno verbo, illud est priuilegium perpetuum, quod ex se durabile est in perpetuum, nisi reuocetur; etenim posse reuocari, non tollit rationem perpetui, quia ex se omnia priuilegia habent reuocabilitatem: illud autem erit temporale, quod à se habet rationem defectibilis, vel quòd ad vnam aut determinatas personas, aut ad certos annos, &c. & non plures conceditur, vel quod sub conditione defectibili; quâ positâ statim cessat.

Quartò diuiditur in temporale & perpetuum.

Quid sit priuilegium, petit vnumquid temporale.

29. *An priuilegium cõcessũ vsq; ad beneplacitũ concedentis pereat mortuo cõcedente. Sententia Suarez & Sanchez affirmatiua. Negant alij.* Circa hanc diuisionem illud solet in dubium verti Primò, an si concedens dicat, *Do tibi hoc priuilegium vsque ad beneplacitum meum*, censeatur dare priuilegium, quod pereat mortuo concedente. Affirmant aliqui; quos P. Suarez sequitur cap. 5. & P. Sanchez fusè lib. 8. disp. 28. n. 50. quia virtute includitur in eâ conditione, vt semper pendeat à voluntate concedentis: ergo cùm primùm hic moritur, quia iam desinit ab eo pendere, desinit etiam esse: quòd si dicatur *vsque ad beneplacitum Sedis*, censent esse perpetuum, quia Sedes semper durat, & semper potest illud reuocare. Alij tamen putant esse probabilius, etiam illud primum esse perpetuum; nam vò *vsque ad beneplacitum meum*, non videtur denotare, necessariam esse positiuam perseuerantiam physicam eius beneplaciti; alioquin cùm primùm concedens vel dormiendo vel alio modo cessaret ab ea volitione & beneplacito, periret priuilegium; quod absurdum est; solùm ergo censent, eis verbis significari, necessum esse, ne ipse concedens retractet voluntatem; ergo si eam non retractat ante mortem, semper censebitur priuilegium prodire ab eâ voluntate non retractatâ; & consequenter adhuc manebit post mortem.

30. *Obiectio. Solutio.* Dices, Quid ergo speciale ea verba significãt, cùm semper intelligatur posse concedentem retractare voluntatem? Responderi potest Primò ideò poni, vt lõgè minor causa requiratur ad abrogandum illud, quàm si omnino absolutè concessum fuisset; nam priuilegia sine eâ limitatione concessa auferri non possunt, nisi datâ aliqua vrgenti causa ex parte eius cui conceditur. Si v. g. Rex euexit aliquem absolutè ad dignitatem Comitis, non potest ab eo auferre eam dignitatem nulla planè commissa culpa, ob quam id mereatur; at si dixisset, *Facio te Comitem quamdiu ego contrarium non voluero*, seu, *vsque ad beneplacitum meum*, certè sine vlla culpa reuocare posset eam voluntatem; idem est, si ego alteri do pallium vsque ad meum placitũ; non enim oportet ideò censeri pallium non fore illius post meã mortem, si non reuocaui voluntatem illam; sed ideò posita est ea clausula, vt mihi semper sit liberum rescindere donationem; quòd si non fecero, transibit in absolutam, vel certè in priuilegiis retinebit eam reuocabilitatem à successore, quam

Digitized by Google

quam habuit à concedente: id quod eodem modo dicendum est, esto priuilegium sit in præiudicium tertij, aut contra ius commune, quia quoad hoc impertinens omnino videtur ea consideratio, cùm non obstante eo præiudicio Princeps possit dare priuilegium perpetuum; &, vt diximus verba id significant, ergo.

31. *Sententia negans perire est probabilis, affirmans autem probabilior.*

Hæc secunda sententia non caret probabilitate; nihilominùs tenenda est prior, quia expressè cap. *gratiosè*. de rescriptis in 6. ita deciditur; & additur ea ratio, quòd scil. exspiret ea voluntas morte concedentis: ex quo capite benè colligit P. Sanchez suprà eam regulam extendi ad omnia priuilegia etiam non odiosa; nam si causa, cur pereant odiosa, est defectus voluntatis, quæ per mortem impeditur, idem erit in non-odiosis; quia etiam hæc non possunt sine voluntate concedentis perseuerare. Vide Sanchez eo loco.

Quid respondendum ad fundamenta negatiua sententiæ.

Hinc autè respondemus his quæ pro contrariâ sententiâ allata sunt; negamus enim eum esse sensum illorum verborum, quem illi auctores ponunt; quia dicere, *vsque ad beneplacitum meum*, idem est ac dicere, *quamdiu moraliter voluero*; ea autem volitio cessat cùm primùm non potest ampliùs velle.

32. *Quomodo pereant priuilegia in perpetuum concessa deficiente subiecto.*

Secundò circa eam priuilegij perpetuitatem verti potest in dubium, quomodo priuilegium, alioquin ex se perpetuum, pereat, si planè deficiat persona aut subiectum, cui conceditur; quomodo pereant priuilegia v.g. templi, si omnino hoc diruatur; priuilegia Religionis, si hæc extinguatur; vt Templarij olim extincti fuêre. Quidam respondent sub distinctione; si enim extinguatur res illa ex mandato Principis, putant omnino perire priuilegia ei annexa, secùs verò, si vel inimici diruant templum; aut per se ruat, vel Religio deficiat ex defectu personarum. Probabilius tamen videtur, si planè omnino pereat subiectum, licèat sic dicere, tam in se quàm in semine, vel (vt alij dicunt) in spe, omnino perire ea priuilegia: etenim illa debent iudicari velut accidentia, quæ omnino pereunte subiecto necessariò debent perire; quando autem subiectum illud quasi in virtute aut semine, aut in spe manet moraliter, iam censetur perseuerare; ideóque etiam priuilegia illius eo modo perseuerant, vt scil. sint suspensa vsquedum restituatur illa res; tunc autem cum illâ resurgent.

Non pereunt, nisi subiectũ tam in se quàm in semine pereat.

33. *Destructâ aut exustâ Ecclesiâ non pereunt illius priuilegia:*

Hinc fit, vt captâ ac destructâ Ecclesiâ ab hoste adhuc Episcopus illius retineat sua priuilegia, & possit denominari eius loci Episcopus: idè de Canonicis, quia tunc in his personis manent vt in subiecto ea priuilegia, manet etiam ius ad eam rem, licet sit ea in manu hostis aut furis, & verò etiamsi sit combusta; quia potest repetere illi æquiualens. Colligitur, etiam, illa priuilegia, quæ sunt annexa ipsi territorio, seu loco, manere actu, quia territorium semper manet; nam fundus manet, etiâsi ab hoste occupetur; ea verò quæ erant ipsi Ecclesiæ vt tali annexa, v.g. indulgentias, non manere actu, quamdiu non est Ecclesia; si verò sit spes eam extruendi, etiam in spe, priuilegia v.g. indulgentias manere.

nisi ab habite auctoritatem omnino abeatur vel aliò transferatur.

Quòd si omnino destruatur templum ab habente auctoritatè, vel transferatur alio, tunc, quia etiá moraliter omnino cessauit subiectum, cessabunt etiam omnino, vel simul cum Ecclesiâ ad alterum locum tranferentur: vnde si Religio aliqua siue ab extrinseco, siue per se cessaret omnino, etiam cessarét priuilegia; vt cessarunt priuilegia Templariorum: vnde, etiâsi aliquis sub eadem regulâ vellet de nouo simile Religionem erigere, non propterea eo ipso excitaret ea priuilegia.

Obiectio.

Dices: Ergo Monasteria illa exempta, quæ cum alijs non faciunt vnum corpus, si ex defectu personarum pereant, vt in his partibus Septemtrionalibus multa præcedenti sæculo perière, non poterunt recipere sua antiqua priuilegia, etiamsi alij velint ibi sub eâ regulâ fieri Religiosi. Respondeo negando consequentiam, *Solutio.* quia si templum, domus, &c. manst, saltem ratione illorum mans êre priuilegia in spe: quòd si ita casus fingatur, vt & templum, & domus, & Religiosi, & omnia bona perierint, sine debio non poterunt ibi resurgere ea omnia priuilegia, etiamsi in eo loco aliud postea Monasterium nouum extruatur.

SECTIO IV.

Quatuor aliæ diuisiones priuilegij.

34. *Quinto diuiditur in priuilegium datum priuato quâ tali, & datum communitati.*

QVinta diuisio priuilegij est in illud quod datur in fauorem vnius priuatæ personæ quâ talis independenter ab aliis; vt v.g. si Petro datur Priuilegium comedendi lacticinia diebus Quadragesimæ; & in illud quod datur alicui cómunitati & cuilibet membro illius, vt immunitas Clericorum à sæculari, & Religiosorum ab Episcopali iurisdictione: nam licet priuilegium videatur exigere, vt respiciat priuatâ personam, id tamen intelligendum moraliter, vt *priuata persona*, dicatur respectiuè ad alios non priuilegiatos: sic autem Clerici respectu omnium hominum censentur esse quid priuatum; & Religiosi respectu aliorum Ecclesiasticorum etiam sunt aliquid priuatum.

Differentia cómunis circa effectus horum duorũ priuilegiorũ.

Circa hanc diuisionem obseruari solet hæc quoad effectus differentia, quòd priuilegio dato in bonum totius communitatis renuntiare non possit quilibet priuatus, quia per hoc præiudicare censeretur bono alterius: quo sensu, si priuilegium est in bonum duorum, & vnus non potest renuntiare, nisi præiudicando alteri, non licet illi renuntiare, nisi de consensu alterius. Ego tamen *Reijcitur vniuersaliter.* hanc doctrinam sic vniuersaliter traditam non censeo veram: potest enim sæpè talis renuntiatio in primo casu reperiri: si v.g. in bonum publicum concedatur Religioni alicui & omnibus eius membris, vt non teneatur ieiunare diebus Quadragesimæ v.g. certè illud esset priuilegium commune, & tamen nemo dicet, non posse ei priuilegio renuntiari à priuato Religioso, & ieiunare eodem modo ac si careret eo priuilegio: idemq; in multis aliis exemplis ostendi posset; v. g. de facto nó est necessarium Religioso significare aliquid Imperatori antequam exeat ex Regno ipsius, si tamen velit id facere: poterit: item ex priuilegio Iesuitæ possumus absoluere à casibus Papæ reseruatis, etiamsi Episcopo de eâ facultate nihil significemus; potest tamen quilibet ex nostris nolle eâ vti nisi significando; ergo non est absolutè verum, non posse renuntiare priuilegio communi.

Potest subinde priuatus renuntiare priuilegio dato communitati.

35. *Aliqua limitationes doctrinæ præcedentis.*

Iudico ergo intelligendam eam sententiam cum limitatione: Primò, quando renuntiatio est per ius commune aut priuatum interdicta; sicut interdictum est Clerico & Religioso se subiicere alienæ iurisdictioni. Secundò, quando ea renuntiatio habet aliquam indecentiam, aut in detrimentum aliorum eo priuilegio gaudentium vergere

Digitized by Google

vergere potest, vt in eodem exemplo manifestè constat; certum enim est, indecens esse Sacerdotem à laicis puniri: potest item alijs inde præiudicium generari, quia facilè trahetur in exemplũ ea cessio: quia verò fieri potest, vt nec renuntiatio sit prohibita, nec in præiudicium tertij, nec indecẽs (vt in exemplis positis contra communem sententiam constat;) nam in renuntiatione priuilegij non ieiunandi, &c. nihil horũ reperitur; tunc sine dubio potest locum habere cessio, etiamsi priuilegium sit datum cõmunitati.

Quando priuilegium est simul lex irritans aliquã actionem non potest ei renũciari.

Aduertendum, aliquãdo priuilegium ita concedi, vt propriè sit lex irritans actionem aliquam; sicut in fauorem minorennis inualidatur professio ante decimum sextum annum facta; tunc autem certum est, non posse ei renuntiari validè (vt docuimus suprà) quia tunc illa inhabilitatio, licet sit in fauorem eius personæ, sortitur tamen rationem legis etiam respectu minorennis; à lege autem non potest subditus se liberare solâ suâ voluntate, ergo nec ei priuilegio, si tamen illud propriè & in rigore dicendum sit priuilegium, renuntiare.

36. *Sextò diuiditur in priuilegiũ purè fauorabile & mixtũ ex fauore & odio:*

Sexta diuisio est in priuilegium putè fauorabile, & in mixtum ex fauore & odio: illud est, quod ita cedit in fauorem personæ, cui datur, vt nulli alteri damnum vllum inferat; vt facultas comedendi carnes diebus prohibitis, laborandi diebus festis, &c. quam facultatem malè aliqui dicunt non esse priuilegium, sed purum beneficium; nam cùm ad modum loquendi id pertineat, & fetè omnes vniformiter eiusmodi fauores vocent priuilegia, non sunt audiendi pauci aliqui docentes oppositum. Priuilegium mixtum illud est, quod indirectè in aliquod damnum alterius vergit; vt si quis eximatur à debito soluendi decimas Parocho, à vectigalibus ordinarijs, &c. Circa quod nihil speciale occurrit dicendum, nisi quòd odiosum sit hoc priuilegium, ideoque strictè interpretandum, iuxta dicta suprà.

Septimò in affirmatiuum & negatiuũ:

Septimò loco ponitur alia diuisio minoris momenti in affirmatiuum & negatiuum: illud est ad faciendum aliquid vel licitè vel validè, quod anteà non poterat; vt facultas comedendi carnes die Veneris, quas sine priuilegio licitè comedere non poterat; item potestas absoluendi, sine quâ nec validè nec licitè poterat absoluere. Negatiuum est, quando datur licentia ad omittendum id, ad quod alias tenebatur; vt si quis liberaretur ab obligatione audiendi Sacrum, recitandi Officium diuinum, soluendi decimas, &c. Circa quam diuisionem nihil amplius occurrit.

37. *Octauò in priuilegium fori interni & fori externi.*

Octaua diuisio est in priuilegium fori interni & priuilegium fori externi; circa quam Primò statim occurrit, an possit esse vllum priuilegium solius fori externi, quod tamen in foro interno nihil efficiat: si enim non potest esse, certè ea diuisio non erit in mẽbra se excludentia. Dicimus ergo, omnino posse esse tale priuilegium: id quod probatur; nam qui deprehendit vxorem in actuali adulterio, habet priuilegium in foro externo eam occidendi impunè, licet in foro interno sine dubio peccet: similiter meretrices publicæ gaudent fori externi priuilegio, cùm tamen apud Deum grauissimè peccent. Posset tamen hîc certari de voce, an eiusmodi permissio sit dicenda priuilegium, nec ne. Ego sanè cum addito *fori externi* non video cur non possint talia dici; cumque iuuet valdè hæc acceptio ad meliùs explicandam prædictam diuisionẽ, potest absolutè sustineri: quidquid verò de hoc sit, priuilegium fori externi est illud, quod in iudicio externo valet, siue in conscientiâ simul valeat, siue non, iuxta paulò antè dicta; & siue ille valor proueniat per accidens, ex eo quòd deficiant probationes contrariæ contra valorem illius actionis: vt in foro externo valet donatio exteriùs facta, etiamsi donator interiùs nullum habuerit animum, & reuerà in se inualida sit donatio; quia tamen exteriùs nulla est probatio sufficiens, ob eius defectum reputatur valida: quod idem in priuilegio contingere potest, si in concedente animus defecerit, aut in recipiente aliqua conditio secreta necessaria ad valorem illius; de cuius tamen defectu nihil probari potest exteriùs.

Quid priuilegium fori externi:

Priuilegium verò fori interni erit, quòd conceditur expresè, vt in foro interiori valeat, non in exteriori: id quòd debet declarari ab ipso concedente; alioquin si absolutè concedatur, supponitur esse etiã pro foro externo. Huius exemplum sit, si Princeps concederet alicui, vt in conscientiâ non obligaretur soluere tributa, si exactor obliuiscereturr; valeret enim in foro interno, at in externo nullo modo.

quid fori interni.

38. *Quomodo forum internũ in iure comparetur cum foro pœnitentiæ.*

Occasione huius diuisionis inquiritur, quomodo forum internum seu conscientiæ comparetur in iure cum foro pœnitentiæ, an distinguatur, & in quo, an verò sint idem: difficultas hæc non est propria huius loci; quia tamen ad intelligentiam diuersorum priuilegiorum conducit, breuissimè eam explico. DICO QVOD PRIMÒ, forum conscientiæ latiùs patere quàm forum pœnitentiæ: nam multa sunt, quæ ad forum conscientiæ spectant, non verò ad pœnitentiale; vt lucrari Indulgentias; licitè hanc vel illam actionem facere coram Deo, dispensatio ab irregularitate, &c.

Forum conscientiæ latiùs patet quàm forum pœnitentiæ.

DICO SECVNDÒ contra aliquos, Etiam forum pœnitentiale non conuertitur cum foro Sacramentali, sed latius patet, quia sæpè Ecclesia imponit pœnitentias extra forum Sacramentale, vt excommunicatio & absolutio ab illâ, suspensio, &c. Hinc infertur Primò, Etiamsi in priuilegio dicatur, *Valeat in foro conscientiæ*, non esse necessarium recurrere ad pœnitentiale & Sacramentale. Infertur Secundò, Etiamsi dicatur, *Valeat in foro pœnitentiæ*, seu, *Concedatur in foro pœnitentiæ*, non ideò debere recurri ad forum Sacramentale, sed posse concedi impositâ salutari pœnitentiâ etiam extra forum confessionis: quod benè extendit P. Suarez, vt, esto executio priuilegij concedatur Sacerdoti soli in foro pœnitentiæ, imò etiamsi addatur *Confessario*, non propterea requiratur confessio Sacramentalis, quia per ea verba solùm denotatur qualitas officij ex parte personæ concessuræ vsum priuilegij; non verò requiritur ipse actualis vsus Sacramenti: vnde, nisi expresè dicatur *in foro Sacramentali*, non debet exigi Sacramentum ipsum confessionis.

Etiam forum pœnitẽtiæ latiùs patet quã forum Sacramentale. Aliquæ illationes.

SECTIO V.

Vltima diuisio priuilegij.

39. *Vltimò diuiditur in scriptum & non scriptũ. Quid sit scriptum.*

NOnò & vltimò priuilegium diuiditur in scriptum & non-scriptum. Per scriptũ non solùm intelligo illud quod verò scriptum est, siue incorporatum sit in ius commune, quod eo ipso fortius est, & difficiliùs reuocatur, quia iam constituit ius, siue solùm extet in particulari Bullâ, sed etiam omne illud quod expresâ voluntate

Digitized by Google

voluntate Principis datum est; & quantum est in vi eius signi, potuit omnino esse scriptum. Per non-scriptum intelligo illud, quod sine expressâ voluntate Principis tacitè per consuetudinem acquisitum est. Circa quod dubitari potest, vtrùm tale priuilegium possibile sit. Hac de re fusè P. Suarez cap. 7. Meo tamen iudicio iam res tota à nobis cum ipso decisa est, dum de lege per consuetudinem abrogatâ egimus; nam cùm ostenderimus ibi, posse legem per consuetudinem abrogari, vt in Hispaniâ per consuetudinem abrogata est lex non comedendi extremitates & interiora animantium diebus Sabbatinis, sine dubio eo ipso obtentum est per consuetudinem priuilegium eas res comedendi; non ergo est, quòd in hoc puncto ampliùs hæreamus. Ratio item à priori desumitur ex sæpè dictis; nam præsumitur ibi consensus Principis vel antè declaratus, dum dedit eam vim consuetudini, vel posteà per tacitam conniuentiam ostensus. Ergo hac veritate suppositâ, obseruanda sunt aliqua huius materiæ propria.

quid non-scriptum.

An sit possibile priuilegium non-scriptum.

Pars affirmatiua defenditur.

Ratio à priori.

Quædam obseruanda.

40. Primum est, priuilegium contra ius in vnâ solâ persona non posse hoc modo obtineri, eò quòd consuetudo in vna sola persona non sufficit ad abrogandam legem; solùm ergo poterit hoc fieri etiam in vna per præscriptionem contra ius alterius; nam præscriptio potest esse ab vno solo. Et de hoc puncto nihil video ampliùs hîc dicendum.

40. Primùm consuetudinem in vnicâ persona non posse abrogare legem.

Secundò obseruandum est, hoc priuilegium consuetudine acquisitum esse verum & proprium, non fictum, vt quidam docuêre, asserentes illud non esse priuilegium, sed ei comparari, seu æquiparari: quos P. Suarez cap. 7. n. 6. benè reiicit. Vt enim lex consuetudine inducta non est ficta lex, nec æquiparatur legi, sed verè est species quædam legis, sicut equus est species animalis; ita eodem modo priuilegium consuetudine introductum est verum & rigorosum priuilegium, & cum scripto comparatur, vt cum altera specie sub priuilegio vt sic; ita leo comparatur cum homine & equo in natura animalis, sicut conspecies illius: vnde infertur manifestè, nomine priuilegij absolutè dicti, nisi aliunde coarctetur, venire etiam priuilegium consuetudine aut præscriptione acquisitum; sicut nomine legis venit ea lex, quæ per consuetudinem est inducta; & nomine dispensationis & abrogationis illa etiam venit quæ est obtenta per consuetudinem.

Secundum. priuilegium consuetudine acquisitum est verum priuilegium.

41. Tertiò obseruandum est, in aliquo sensu priuilegium acquisitum consuetudine esse fortius quàm priuilegium acquisitum expressè à Principe, quoad reuocabilitatem scilicet; nam Princeps difficiliùs tollit id, quod videt communi consensu populi introductum, quàm quod sola propria sua voluntate ipse introduxit: & ratio seu æquitas naturalis exigit, vt id ita fiat, ne detur in Republica aliqua occasio turbationis. Aliam rationem pro hac veritate adducit Decius apud Suarez; quem benè ipse refutat; desumit autem illam ex eo, quòd priuilegium ex consuetudine sit iure communi approbatum: hæc, inquam, ratio non vrget, quia etiam ipsa priuilegia scripta possunt esse approbata reflexè iure communi.

41. Tertium priuilegium consuetudine acquisitum esse fortius aliquando priuilegio expressè acquisito à Principe.

Ex hac obseruatione infert probabiliter Pater Suarez, quando per clausulam aliquam generalem reuocantur priuilegia, non comprehendi ibi ea quæ sunt per consuetudinem obtenta; non quia hæc non sint priuilegia, sed quia sunt magis tenacia, nec Princeps censetur ea sub eo nomine reuocare, ob maiorem in hoc assignatam difficultatem.

Quando per aliquam clausulam generaliter reuocantur priuilegia, non ea

ineluduntur consuetudine acquisita.

Quartò obseruandum est, priuilegium ex consuetudine, etiamsi tenacius sit, vt diximus, nihilominùs non extendi ad tam multa, quàm extendatur priuilegium ex voluntate expressâ Principis concessum: & quidem, quòd non extendatur ampliùs (vt è contrario aliqui dixêre) facilè suaderur; nam illud non habet efficaciam, nisi vi voluntatis Principis præsumptæ: at vbicumq; præsumi potest ea tacita voluntas, potest esse voluntas expressa id ipsum concedens: ergo non est magis vniuersale priuilegium ex consuetudine quàm alterum.

Quartum, priuilegium consuetudine acquisitum minùs latè patet quàm scriptum.

Obiicies, Consuetudine acquiritur iurisdictio, & tollitur ab alio, sicut per consuetudinem præscriptam transfertur dominium ex vno in alium, quę non possunt fieri per voluntatem expressam Principis. Respondet benè P. Suarez, etiam ad eiusmodi non deesse in Principe potestatem, si causa adsit; nam in omni priuilegio requiritur causa iusta vt concedatur; quia ergo ipsa consuetudo sæpè constituit causam iustam, ea autem consuetudine ablata nulla alia causa esset, ideò tunc non ex defectu potestatis, sed aliunde, id quod fit per consuetudinem, non potest fieri per aliud priuilegium: addo ego tamen, sæpè id ipsum alia occurrente causa iusta fieri per priuilegium expressum: in pœnam enim, vel ob defectum sufficientiæ, aufertur ab vno priuilegium & datur alteri, sicut auferuntur dominia, bona, &c.

42. *Obiectio.*

Solutio P. Suarez approbatur.

Quòd verò è contrario priuilegium ex consuetudine non extendatur tam multùm, vt in suppositione diximus, probatur; nam aliqua sunt, quæ non possunt per consuetudinem acquiri, possunt autem per voluntatem expressam: id ego ostendo in priuilegio particulari pro vna sola persona: nam (vt diximus sæpè) vna sola non facit consuetudinem; & tamen vni etiam soli potest dari expressum priuilegium non reiunandi, &c. Vnde minùs benè aliqui à regula generali, quòd quidquid potest priuilegium possit consuetudo, excipiunt solos duos alios casus, quos statim assignabimus; cùm hic à nobis positus maximè obuius & ordinarius sit. Est ergo primus casus, qui communiter ponitur, facultas concedendi Ordines minores, vel Sacramentum Confirmationis; quæ potest per voluntatem expressam permitti simplici Sacerdoti, non potest autem consuetudine acquiri, vt constat ex cap. *Quanto*. de consuetudine: cuius rationem reddunt aliqui, quia talis consuetudo esset iniqua & iuri diuino contraria; ergo præscribi non potest. Hanc tamen rationem ego non censeo efficacem: Primò, quia per consuetudinem in se malam derogari solet legi; & verò non potest in multorum sententia id fieri nisi per malam, ergo. Quod verò dicitur, consuetudinem hanc esse iuri diuino contrariam, non vrget; nam omnis consuetudo mala est contraria iuri diuino: sine dubio enim Deus iubet obedire Præpositis, & nihil facere contra illorum mandata; & tamen faciendo contra illa, potest per consuetudinem abrogari lex, ergo. Quòd si auctores argumenti intelligant ita esse contrariam iuri diuino, quasi Christus ipse expressè mandarit, ne dentur illi Ordines nisi ab Episcopo, falsum omnino supponunt; nam eo sensu, nec delegari ea potestas posset per expressum priuilegium simplici Sacer-

43. *Probatur, priuilegium non-scriptum minùs latè patere quàm scriptum.*

Duo casus, in quibus patet consuetudinem non posse omne id quod potest priuilegium.

Digitized by Google

doti; quod nullus dicet: & in argumento contrarium supponitur: si denique in eâ ratione dicatur, fuisse à Christo mandatum, vt ea facultas dandi Ordines minores & Confirmationem per solam expressam voluntatem Pontificis concederetur, & non posset per vllam consuetudinem acquiri, ideoque Christi voluntati dicatur contraria talis consuetudo, supponitur sine dubio omnino gratis id, in quo tota difficultas consistit: neque enim inuenitur vllibi tale diuinum præceptum.

44. *Potest absolutè Papa cõcedere, vt per consuetudinẽ habeant simplices Sacerdotes facultatem conferendi Ordines minores vel Confirmationem.*

Ego crediderim in hoc puncto non esse quærendam repugnantiam ex ipsâ rei naturâ; imò, si potentiam consideremus, nullo modo repugnare Pontificem Summum eam vim concedere alicui consuetudini cõmuni, vt per eam acquireretur similis facultas; nam cùm sit in potestate ipsius concedere cuilibet simplici Sacerdoti eam potestatem sub quacumque velit conditione, cur, quæso, non poterit dicere, *Ego sum contentus, vt per consuetudinem præscriptam, triginta annorum v.g. habeant simplices Sacerdotes eiusmodi facultatem.* Ratio ergo huius rei reducenda est ad primũ principium in materiâ consuetudinis; diximus enim suo loco, illam non aliunde habere suam vim, quam quòd Princeps eam voluerit prævalere etiam contra proprias leges: vnde fit, vt si Princeps contrarium velit, non possit consuetudo prævalere, & vniuersaliter non prævaleat, nisi in eis rebus, in quibus Princeps voluit: cùm ergo in hoc puncto, vt Ordines minores conferantur à Sacerdote, constet, Pontifices non voluisse vt per consuetudinem acquiratur talis potestas, sed necessarium esse, vt expressa concessio Pontificis interueniat, id quod ex communi sensu constat, non est mirandum, si per consuetudinem contrariam non præscribatur.

Ratio, cur de facto ea facultas per cõsuetudinem non possit obtineri.

45. *Alter casus, in quo plus potest priuilegium quàm consuetudo.*

Alius casus solet poni pro doctrinâ suprà traditâ, quem Ioannes Andreas in cap. 2. de præbendis in 6. tetigit, quòd per consuetudinem non possit laicus præscribere vt beneficia conferat; quod tamen potest ei concedi per priuilegium. De huius exempli veritate non ago, quia in præsenti non tam exempla quàm regulam tradimus; hoc solùm aduerto, si illud concedatur, non tamen admittendum ob rationem, quam Ioannes Andreas affert, quod scilicet laicus sit persona incapax ad conferenda talia beneficia; etenim hæc ratio etiam probaret, nec per priuilegium expressum posse; nam incapaci priuilegij non potest illud dari.

46. *Textus iuris, qui videtur probare consuetudine nõ posse acquiri priuilegium. Probabilior illius explicatio.*

Respondebis fieri capacem per concessionem, Sed contrà, cur ergo non etiam fiet per consuetudinem, quæ etiam includit voluntatem Pontificis? Vide quæ paulò antè dixi in alio exemplo. Dico ergo, si exemplum subsistat, rationem illius esse, quòd noluerint Pontifices consuetudini permittere præscriptionem in hac materiâ.

Restabat nunc explicare aliquas obiectiones, quæ fieri solent, ad probandum, per consuetudinem non posse acquiri priuilegium; sed quia ferè omnes illæ desumuntur ex eo quòd consuetudo sit ab inferiori, id est, à subdito, &c. solutæ sunt superiùs, dum ostendimus, quo pacto per consuetudinem possit abrogari lex, & quomodo per consuetudinem particularem possit abrogari generalis consuetudo: ideò solùm restat textus quidam ex cap. *Contra morem.* d. 100. vbi Gregorius Papa docet, necessarium esse contra generalem consuetudinem scripto priuilegio se tueri; ergo per consuetudinem non obtinetur vllum priuilegium. Varias huic textui solutiones adhibent auctores, quas tetigit Pater Suarez eo cap. num. vlt. Mihi maximè inter eas placet, quam ibi ponit ex Turrecrematâ, Gregorium scilicet non agere, an consuetudo possit priuilegium parere; sed malè à Ioanne Rauennatensi vsurpatum vsum pallij extra Missarum solemnia, quasi ad id haberet priuilegium, cùm tamen nullum posset ostendere: supponit autem ibi Gregorius, à Ioanne Patriarchâ in excusatione affirmatum se habere priuilegium à Ioanne Papâ Gregorij prædecessore, cùm tamen nullum ostenderet. Addo ego aliam solutionem meo iudicio clariorem, scilicet, eam consuetudinem Ioannis fuisse vnius tantùm personæ, seu, vt sic dicam, priuatam, nam respectu aliorum omniũ Archiepiscoporum ille vnus erat; vnus autẽ non potest inducere consuetudinem sufficientẽ ad abrogandum ius, vt diximus agentes de consuetudine: & patet; nam si ieiunium quis semper omittat, non ideò poterit obtinere priuilegium quo liberetur ab obligatione ieiunandi, ergo ex eo capite nihil infertur contra doctrinam nostram datam.

Alia clarior textus explicatio.

Quæri posset, quantum temporis sit necessarium, vt per consuetudinem obtineatur priuilegium. Respondeo breuissimè, si priuilegium sit contra ius, requiri illud tempus, quod ad legem abrogandam per consuetudinem necessarium esse diximus suprà, de quo hîc nec verbum ampliùs: si verò priuilegium non sit contrà ius, quia tunc obtinetur per modum præscriptionis, exigetur maius aut minus tempus iuxta materiæ diuersitatem, item iuxta multitudinem personarum ac frequentiam actuum ad præscriptionem concurrentium, de quibus nunc in particulari agere non possumus. Et satis de hoc priuilegio.

47. *Quantum temporis requiratur vt per consuetudinem acquiratur priuilegium.*

DISPVTATIO XXXII.

De causis priuilegiorum, & de formâ quâ concedi debent.

SECTIO I.

De causâ efficiente priuilegij, seu de personâ quæ illud potest concedere.

INTER causas priuilegij prima & præcipua est, quæ illud concedit; quæ dici etiam potest causa efficiens. Aduerto autem, quoad præsens, per accidens esse quòd illud concedat immediatè per se, vel quòd concedat mediâ consuetudine, quia etiam tunc interuenit eius saltem tacita voluntas. Igitur circa hanc causam vnica regula est, Omnis & solus ille qui potest legem ferre, potest priuilegium concedere. In hac conueniunt omnes auctores, estque satis manifesta; nam si priuilegium sumatur vt est exceptio à lege, clarum est, eum solùm posse priuilegium concedere, qui potest legem auferre; solus autem ille auferre potest, qui potest concedere, vt sæpè in superioribus dictum est; vbi diximus consuetudinem non abrogare legem, nisi quatenus roboratur voluntate ipsius Legislatoris, Quòd si priuilegium accipiatur in

Solus ille qui potest legem ferre potest priuilegium concedere.

altero

Digitized by Google

altero sensu, quatenus est priuata lex, clariùs apparet, non posse illud concedi, nisi ab habente vim legislatiuam, vel ab aliquo ex eius commissione; tunc enim non operatur ille inferior nisi nomine superioris.

Quando concedunt priuilegia, qui leges ferre non possunt, id faciunt vi altioris potestatis.

Ex hac vltimâ clausulâ explicantur aliquæ difficultates desumptæ ex nonnullis priuilegijs, quæ conceduntur ab aliquibus v.g. Comitibus, Marchionibus, qui leges ferre non possunt, conferre tamen possunt priuilegia nobilitatis; dicimus enim id fieri solùm vi concessionis Imperatoris aut Regis, qui eis Magnatibus dedit eam potestatem concedendi eiusmodi priuilegia.

2. *Legislator inferior non potest dare priuilegium contra ius superioris aut æqualis.*

Hinc infertur Primò, nullum Legislatorem inferiorem posse concedere priuilegia contra ius altioris Principis; imò neque contra ius alterius æqualis, distincti tamen, aut etiam inferioris dignitate, nisi sit subiectus: ideò non potest Episcopus contra ius Canonicum, neque vnus Episcopus contra ius alterius in suo Episcopatu, neque item Archiepiscopus contra infimũ alium Episcopum, nisi hic sit in eo iure, contra quod dat priuilegium, subiectus Archiepiscopo. Hæc omnia constant ex dictis suprà de dispensatione. Nam eiusmodi concessio priuilegij est formaliter dispensatio; & quidem maior quàm ordinaria, quia hæc reperitur in ordine ad vnum actum; priuilegium autem (vt insinuaui suprà) est in ordine ad multos actus, ideóque est dispensatio quædam virtute multiplex; ergo omnia, quæ de dispensatione dicta sunt, debent huc applicari. Intelligenda autem est hæc doctrina, nisi ex commissione superioris aliud ei tribuatur, vt & paulò antè obseruatum est: intelligenda item non solùm de Ecclesiasticis Legislatoribus, sed de sæcularibus suo modo.

nisi ex commissione superioris aliud ei concedatur.

3. *Obiectio.*

Dices: Si Rex concedat priuilegia nobilitatis vni suo subdito, faciatque illum Comitem, Marchionem, &c. quocumque hic eat, etiam ad terras alterius Regis non subiecti, aut etiam altioris, retinet secum ea priuilegia, & debet tractari vt Nobilis; ergo potest quia dare priuilegia etiam respectu alterius non subiecti. Respondeo Primò, ea non esse priuilegia contra ius, sed extra illud; in eis autem in rigore dici fortè posset, in alijs Prouincijs non teneri Reges permittere talem Nobilem frui priuilegijs eius nobilitatis, licet de facto ex decentiâ quadam & quasi mutuâ conuentione ita fiat. Secundò respondeo, Etiamsi teneantur alienigenæ hunc vt Nobilem respicere, id non esse per modum priuilegij contra alios, sed indirectè, quia data huic nobilitate, factaque propriâ, iam alij ex naturâ rei tenentur eum tractare iuxta ea quæ nobilitatis sunt propria: sicut, quando ego dono Petro aliquam rem, eo ipso sequitur ex naturâ rei, quòd ille possit eâ vti pro libitu, & quòd cæteri teneantur eum permittere in eis vsibus; per hoc tamen non dedi ego illi proprium aliquod priuilegium contra alios.

Duplex huius obiectionis solutio. Prima

Secunda.

4. *Replica.*

Dices, Ergo nec Princeps faciens aliquem Nobilem concedit illi proprium priuilegium, sed debet ea donatio considerari perinde ac donatio pallij, quam dixi non esse priuilegium; hoc autem est contra communẽ sensum, omnes enim nobilitatem vocant priuilegium; & dum Rex aliquem facit Nobilem, non aliter id explicatur quàm dicendo, *Dedit ei priuilegia nobilitatis*. Respondeo, ob hoc argumentum videri mihi secundam hanc solutionem minùs bonam, & magis standum primæ. Ad exemplum de donatione dico, vsum rei propriæ seu facultatem ad eiusmodi vsus esse ex naturâ rei certam non vi alicuius legis positiuæ, ideoque neminem conferendo alteri rem aliquam, cuius vsus ad iustitiam pertineat, propriè conferre illi priuilegium; at in honore, quia tota ea res est ex iure positiuo. & quòd hos aut illos actus facere possit Nobilis, pendet ex voluntate Principum, rectè collatio honoris dicitur collatio priuilegij, quia facultas tota, quæ in eo honore conceditur, est à Rege, & obligatio tractandi illum vt Nobilem tali aut tali modo etiam est à Rege, ideóque non transit ex rigore ea obligatio ad alia Regna, licet fortè secundum quamdam maiorem æstimationem illis debitam dici possit transire; at quoad hanc æstimationem non erit priuilegium, sed per modum donationis liberalis honoris: & in hoc sensu æquiparatur ea donatio donationi pallij.

Solutio.

Hinc autem apparet, non posse priuilegium etiamsi non sit contra ius, concedi nisi ab habente iurisdictionem, quia cùm priuilegium debeat dare ius seu facultatem vtendi aliquâ re, & alios obligare vi eius priuilegij ad eum vsum permittendum; ea autem obligatio induci non possit nisi ab habente iurisdictionem, manifestum est, non posse dari tale priuilegium proprium nisi ab habente iurisdictionem.

5. *Priuilegium etsi non sit contra ius, non potest concedi nisi ab habente iurisdictionem.*

Posset hic quæri primò, an & quomodo Summus Pontifex posset dare priuilegia temporalia. Dico *temporalia*; nam de spiritualibus non est vllum dubium, cùm ipse sit supremum caput spirituale. Breuiter respondeo in primis, in Regnis, vbi ipse est Dominus temporalis, posse eodem modo, quo alij Reges: Secundò in alijs Regnis posse indirectè eo sensu quo agentes de legibus temporalibus diximus, ipsum posse indirectè aliquando vel tollere, vel etiam ponere leges, si ad Religionis augmentum necessarium fuerit. Quæ omnia eodem modo locum habent circa priuilegia.

Quomodo Pontifex possit dare priuilegia temporalia.

6. *An possit Princeps dare priuilegium contra se, præcipuè Pontifex.*

Secundò quæri posset, an possit Princeps dare priuilegium contra se; specialiter autem id de Papâ discutitur. Respondeo breuissimè, quoad priuilegium, quo sibi Pontifex demat aliquid de bonis temporalibus, vel de immediatâ facultate eligendi Canonicos, Episcopos, &c. sine dubio posse, quia potest alteri ius suum cedere in aliquot redditus, item dare facultatem nominandi Episcopos, &c. vt eam habent multi Reges: Capitula Ecclesiarum; at verò non posse dare priuilegia, quæ sint contraria ipsius dignitati ac decentiæ gubernationi Ecclesiæ, quia id esset abuti suâ potestate, neque habet ipse facultatem ad diuidendam vel minuendam suam dignitatem, ita communiter docetur. Ego verò hanc doctrinam vltimam valdè obscuram censeo; non enim declarat, quæ priuilegia diminuerent eius dignitatem; & fortè vix inuenirentur aliqua, quæ non posset conferre, exceptâ facultate decidendi res fidei, & facultate reflexâ suprà ipsum Pontificem, & exemptione omnium aliorum ab ipsius iurisdictione; nam quidquid attinet ad Episcoporum electionem, &c. olim multis annis fuit in Ecclesiâ concessum priuatis Ecclesijs, etiam sine vllo recursu, ne quidem pro confirmatione, ad Summum Pontificem: sed de hac materiâ non est hîc agendum.

7. *An princeps secularis possit dare priuilegium spirituale.*

Tertiò quæri possit de sæcularibus Principibus, an possint dare aliquod priuilegium spirituale. Respondeo breuiter non posse, nisi fortè ex commissione speciali Summi Pontificis, aut alterius

alterius Ecclesiastici superioris; quomodo autem possint concedere priuilegia personis Ecclesiasticis statim dicemus. Et satis hæc de causâ efficiente seu concedente priuilegium, de quo nonnihil ampliùs in sequente difficultate, dum de causâ subiectiuâ, seu de personâ, cui potest priuilegium concedi.

SECTIO. II.

De causâ subiectiuâ priuilegij, seu de personâ cui conceditur.

8. DVPLEX potest esse difficultas in præsenti: Prima de possibili, id est, quæ personæ sint subiectum capax priuilegij; Secunda verò quæ de facto illud habeant.

SVBSECTIO I.

Quid circa capacitatem priuilegiorum.

Omnis homo aliquo modo inferior donante est capax priuilegij.

BREVISSIME dicimus, esse omnem hominem aliquo modo inferiorem donante; non loquimur iam de priuilegijs quæ Deus immediatè per seipsum conferre potest, quæ etiam possunt respicere hominē supremum inter omnes alios; nam etiam illi Deus dare potest priuilegia multa, quæ non sint homini connaturalia; quia ergo in præsenti solùm agimus de priuilegijs humanis, idcò dixi *aliquo modo inferiorem*: sub quâ particulâ includuntur in primis omnes subditi, quibus maximè concedi possunt priuilegia; & verò ea quæ sunt contra ius non possunt nisi subditis concedi; quia sicut soli subditi sunt sub lege Principis, ita soli illi eximi à lege possunt per Principem, vbi tamen aduerto, nomine subditi etiam intelligi eos, qui intra territorium proprium manent; nam cùm, iuxta dicta suprà, illi etiam obligentur tunc legibus eius Principis, etiam possunt ab illis eximi, & tunc possunt pro eo tempore subditi denominari, & priuilegia recipere; vnde obiter infero, minùs benè ex hoc exemplo aliquos intulisse, etiam non-subditis posse priuilegium concedi: etenim illi, prout priuilegia accipiunt, seu pro tempore, pro quo ea accipiunt, verè sunt subditi. Addo tamen, licet eo exemplo non probetur posse non-subditis priuilegia concedi, nihilominùs absolutè id verum esse; vnde solùm requisiui personam aliquo modo inferiorem. Probatur id manifestè; nam potest vnus Rex concedere alteri Regi sibi nullo modo subiecto priuilegium, vt possit à subditis concedentis hoc aut illud exigere: pro quo priuilegio sufficit, personam, contra quam datur priuilegium, esse subiectam: quo sensu potest etiam persona in se longè ignobilior alteri altiori priuilegium concedere; vt si sit aliquis Comes nullo modo alteri subiectus in temporalibus, absolutè tamen valdè pauper, potest supremo Imperatori concedere priuilegium ili suos subditos,

9. *Etiam non-subditis aliquo tamen modo inferioribus concedi possunt priuilegia.*

Item nobilioribus ab ignobiliori.

Obiectio.

Verùm hinc replicabis: Talis Imperator non est vllo modo inferior eo Comite, ergo male requisitum est pro facultate concedendi priuilegium, vt concedens sit superior eo cui conceditur. Respondeo, in eo puncto in quo conceditur priuilegium, proculdubio esse inferiorem, nā respectu suorum subditorum plus potest ille Comes quàm Imperator; ergo hic in eo puncto inferior est Comite: in quo sensu Ecclesiastici, & vero etiam ipse Summus Pontifex potest accipere priuilegium à sæcularibus, ab Imperatore & alijs Principibus, dū potest ab eis accipere aliquā facultatē accipiendi cōtributiones, aut eos ad labores vocādi, aut certū genus honoris exigēdi, &c.

Solutio.

Circa quod quæri possit, an aliquis sibi ipsi dare possit priuilegium. Ratio dubitandi est, quia dispensatio in lege ieiunij v. g. vt non teneatur ieiunare, est priuilegium; & sic proportione seruatâ de dispensatione in alijs legibus tam temporalibus quàm Ecclesiasticis: nam si mihi à Papâ cōcedatur ea dispensatio, erit verum priuilegium; cur ergo, quæso, si ipse Papa secum dispenset, non erit priuilegium? Quod enim P. Suarez dicit cap. 9. num. 9. per dispensationem non se eximere à lege, sed ex iustâ causâ cōtrarium ipso facto potiùs exercere, quàm speciale ius circa se cōstituere; hoc, inquam nullo modo placet; nam etiā circa alios non potest dispēsare nisi ex iustâ causâ, & quantum causa postulauerit: deinde, circa se non solùm exercet factum, sed aufert ius seu obligationem ieiunandi v. g. eodem modo, quo circa alios: ex quo capite sequitur in alijs obligatio: vt esto ille deinde fuerit subditus, non possit tamen puniri vllo modo, eò quòd non seruauerit illam legem, potuisset tamen, si sine dispensatione eam legē fuisset transgressus: vnde dico, licet quæstio sine dubio sit de solo nomine, me nō videre, cur nō debeat talis dispēsatio vocari verū priuilegiū.

10. *An possit quis sibi ipsi dare priuilegium.*

Pars affirmatiua vt probabiliter defenditur.

Dices: Ille non est inferior seipso, ergo non potest sibi dare priuilegiū (iuxta paulò antè dicta.) Respondeo, illum hominem moraliter tunc æquiualere duabus personis, & subditi subiecti ei legi, & Principis potentis in eâ dispensare: secundùm primam igitur considerationem non solùm est inferior seipso, sed etiam quasi subiectus, ideóque potest sibi conferre priuilegium.

SVBSECTIO II.

Quid circa personas quæ de facto habent priuilegium.

QVÆSTIO. hæc in vno sensu facillima; dicimus enim omnes illas habere, quibus de facto concessum est, & eo modo quo concessum; in alio sensu difficillima erit, si deberet in particulari tractari de varijs tum personis, quæ de facto fruuntur priuilegijs, tum de diuersis earum priuilegijs, v. g. Ecclesiasticis, Religiosis, Doctoribus, Militibus, Nobilibus, &c. ast in hoc sensu quæstio non est huius loci; non enim tradimus nisi generalia principia pertinentia ad priuilegia, quatenus hæc ad leges spectant: videri possunt eiusmodi apud varios: qui enim agunt de Vniuersitatibus, explicare solent quæ pertinent ad Doctores & scholares, qui de Religiosis, quæ ad Religiones, &c.

11. *Duplex sensus quæstionis.*

Solæ ergo nobis restant duæ aut tres quæstiones generales explicandæ circa intelligentiam personarum, quæ comprehenduntur de facto in priuilegijs: Prima est, an solæ illæ, quæ in eis expressè nominantur; an verò possint ad alias trahi; & quæ illæ sint: de quā re Pater Suarez cap. 10. & 11. Res est haud difficilis, ideò breuiter eam expedio; & in primis, priuilegia eis prodesse qui expressè nominatur, est extra controuersiam; dubitari tamen posset, an possent aliquando aliqui etiam nominati in priuilegio ab eo excludi ob aliquā causam. Respōdeo posse, quia

Ad quales personas se extendant verba priuilegij. Primò ad eas quæ ex presse nominantur.

Digitized by Google

quia per aliud ius sæpè reddiuntur ob aliqua crimina aut defectus aliquos incapaces; vnde, eo ipso quòd in eos defectus aut crimina incidant, licet alioquin nominentur, reijciuntur à priuilegio. Ratio est, quia tùc non habet certas omnes conditiones, quas ius petit pro valore eius priuilegij. De quo puncto nihil amplius occurrit.

Potest etiam expressè nominata persona in priuilegio ab eodem subinde excludi.

Et hinc fit quòd possint priuilegia cedere, quæ verba priuilegij comprehendant.

12. Regula generalis, in quâ omnes auctores tacitè conueniunt, est, eos tantùm frui posse priuilegio quos verba priuilegij comprehendunt. Ratio est clara; nam priuilegia tantùm valent, & non ampliùs quàm sonant, quia totum suum valorem habent ex intentione concedentis: quæ intentio solùm declaratur per verba. Dixi *conuenire tacitè omnes auctores in hac regulâ*; nam licet eam negare Doctores aliqui videantur, re tamen ipsâ non negant; sed significationem ipsam verborum extendunt magis ob varios textus, quibus probant, sub nomine expressè denotante tantùm hos, significari etiam illos; vnde non docent vnquam extendi priuilegium extra illos, quos significatio verborum comprehendit.

Quædam notata ad intelligendū, quatenus se extendant verba priuilegij.

Vt ergo res tota intelligatur, supponendum est Primò vocem aliquam, licet in rigore Latino & proprio sæpè non tantùm eam significet, nihilominùs ex vsu sæpè accipi in vniuersaliori significatione, vel certè aliter in iure, aliter ordinariè: sic vox *filius* in rigore solùm significat filium masculum; quando autem in plurali vsurpatur, vt cùm quis dicit, Filios non habeo, vel Filij mei, &c. intelliguntur etiam filiæ: vox *vir* significat tantùm masculum, tamen in Scripturâ passim pro vtroque sexu accipitur; vt *Beatus vir qui timet Dominum: Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum*: innumeráque alia loca similia reperiuntur. In his ergo & similibus vocibus quæri potest, vtrùm debeant in priuilegijs vsurpari in rigorosâ significatione, an in latâ.

Psal 111. Ptalm. 1.

Secundò supponendum, aliquando ratione ipsius materiæ cõprehendi aliquam personam, quæ in priuilegio non nominatur: quod etiam è contrario de lege ipsâ eodem modo dicendum est; etenim si priuilegium dicat, *Concedo tibi etiamsi sis cessatio à diuinis, vt possis celebrare*, sine dubio ibi conceditur priuilegium vocandi ministrum, sine quo Sacrum fieri non potest; conceditur item priuilegium Sacristano, vt licitè possit omnia ad Sacrum necessaria tali Sacerdoti suppeditare: similiter si datur alicui facultas legendi libros hæreticos, etiam datur facultas eos emendi: quæ extensio potest etiam fieri ad mercatorem, aut ad illum, qui tales libros habet; nam licet alijs vendere eos non posset, poterit tamen his, qui tale priuilegium habent: & sic in multis alijs materijs.

13. *Quando materia priuilegij per se petit aliam personam, etiam ad illam extenditur.*

His suppositis dicimus Primò, quandocumque materia priuilegij petit per se aliam personam, etiamsi ea non sit nominata, priuilegium tamen illam comprehendere; vt in exemplo de celebratione Missæ immediatè posito constat: idem est, si detur alicui priuilegium, vt celebret intra clausuram Monialium, datur priuilegium, vt accipiat secum ministrum, quia Moniales non possunt id munus exercere.

Vtrùm priuilegium comprehendat illas personas quæ præcisè ad decentiam actionis requiruntur.

Secunda quæstio in præsenti est, vtrùm non solùm comprehendatur ille qui omnino necessarius est ad talem actionem efficiendam, sed qui ad decentiam illius spectat; vt cum datur Confessario licentia intrandi Monasterium, an etiam pro decentiâ possit accipere socium. Respondeo, in Religiosis, quia per se semper cum socijs incedunt: omnino id supponi, in sæcularibus non esse ita clarum, quia illi soli ordinariè incedunt; tamen putarem omnino concedi, quia sic honestior longè est ille ingressus, dum testem habet suarum omnium actionum. Aliud exemplum ponit Pater Suarez in Sacerdote, qui obtinuerat priuilegium orandi Matutinum sequentis diei paulò post meridiem, vbi declaratum dicit à Nuntio Pontificis etiã ad socium simul orantem extendi: rationem putat esse, quia illud priuilegium datum videbatur ob iuuandam senecturem & labores priuilegiati: ad quod patum valuisset illud priuilegium, si non potuisset socium accipere. Ego tamen hanc extensionem valdè difficilem puto; alioquin eodē iure dicere possemus, si quis haberet priuilegium orandi vnâ die pro totâ septimanâ, vt nam ita pridem audiui fuisse cuidam concessum, posse illum accipere quemcumque alium Sacerdotem qui se iuuaret, ac eo ipso vnâ die pro totâ hebdomadâ satisfaceret: id quod haud dubiè difficile est creditu licitum esse. Ratio est meo iudicio clara, quia recitare etiam solum sine socio vnâ die, quamcumq; quis velit eligere, pro totâ hebdomadâ, aut eligere horam quam velit, est magna gratia: cur ergo debet extendi ad socium? quod enim faciliùs cum socio id fiat, non continuò eximit socium; posset enim ille (esto maiorē hunc fauorem vellemus illi concedere) aliquem alium, qui non teneretur orare, vocare, vt secum Horas absolueret; sed neque necessum est recurrere ad eum maiorem fauorem; nam faciens aliquâ gratiam non censetur facere omnē quæ potest excogitari. Ideò faciliùs mihi persuadeo, Nuntium illum auctoritate, quâ fungebatur, extendisse illam gratiam, quàm declarasse ex vi prioris gratiæ extensionē illam sequi.

Affirmatiua pars approbatur.

Exemplum P. Suarij.

sed reijcitur.

14. *Obiectio ex iure.*

Dices: In cap. *Licet.* de priuilegijs in 6. priuilegium datum singulari personæ ad celebrandum tempore interdicti extenditur ad familiares & domesticos eius, vt possint cum ipsâ audire diuina, vel ei assistere, eò quòd talis persona supponitur esse illustris; æquumque est vt assistat iuxta suam dignitatem. Respondeo, ex hoc casu non benè inferri consequentiam ad alterum nostrum; nam legere Horas Canonicas solent soli etiam magni viri & senes: neque id est contra eorum auctoritatem: at exire foras ad templum, aut celebrare non solent nisi cum suis familiaribus: vel certè dici potest, eam facultatem ibi specialiter concessam in ordine ad audiendum Sacrum, quia res illa est valdè fauorabilis; hinc autem nullatenus potest inferri, licitum esse anticipare tempus orandi, quia per hoc non exercetur aliquis actus specialis religionis; alioquin eodem modo deberet dicere Pater Suarez, si vni Episcopo ea gratia conferatur anticipandi Horas, & habeat sex vel septem familiares, qui teneantur orare, posse omnes illos tempus anticipare. quod penitus incredibile est.

Solutio

Vox significās vnam personam, si priuilegium non sit contra commune ius potest extendi ad plures.

Secundò dicendum est, quando vox in priuilegio posita, licet in rigore vnam tantùm personam significet, solet tamen frequenter accipi pro duabus; vt in nomine *filius* paulò antè diximus, si priuilegium non sit contra ius commune aut tertij, posse extendi ad vniuersaliorem significationem, nisi ex ipso contextu aut aliunde contrarium inferatur; si verò fuerit odiosum, tunc debet restringi, quia odia restringenda sunt quantum fieri potest.

Ex his infertur, priuilegium datū filijs & Religiosis etiã sub masculinâ terminatione, si quæ fauorabile

Digitized by Google

15. *Priuilegium datum filijs aut Religiosis sub nomine masculino, si purè fauorabile sit, potest extendi ad filias & Religiosas. Nomen vir rarò potest accipi pro fœminâ;*

fauorabile sit, extendi ad filias & Religiosas, prout illius capaces fuerint: idem est de nomine *fratrum*, sub quo frequentissimè veniunt etiam sorores: circa nomen *viri* aliqua est difficultas; nam licet in Scripturâ (vt suprà diximus) vtrumque significet, in iure tamen Canonico & ciuili ratiò ita extenditur, imò videtur præcisè poni ad faciendam distinctionem inter masculos & feminas; nam ius cum maiori diligentiâ vtitur nominibus, maximè in priuilegijs, quæ cùm sint exceptiones quædam à communi regulâ, debent poni per determinatas significationes, ne pariant dubia; vnde ratiò eam extensionem in hac voce admitterem.

neque nomen masculus extendi ad fœminam.

Infertur hinc Secundò in verbo *masculus* non posse fieri extensionem ad feminam, quia ea extensio in omni modo loquendi est planè extra vsum, quia est vltimus terminus magis explicitè differentiam vtriusque sexus significans; sicut è contrario ex feminâ non potest fieri ad masculum ob eamdem rationem: vnde si suprà nomen alioquin indifferens, vt filius, ponatur masculus; euidentissimè apparet fieri distinctionem à feminis.

16. *An nomen vxor comprehendat maritum, & è contrà: item, an nomen filius nepotes, aut nomen pater filios. Si priuilegiũ sit odiosum, negatiua sequenda.*

Maior est difficultas circa voces *vxor* & *maritus*, an priuilegium sub vnâ datum comprehendat aliam; item an vox *filius* comprehendat etiam nepotes, & vox *pater* filios. Multa circa hæc tractant Iuristæ, maximè Barbosa in lege *Quia tale*. ff. soluto matrimonio. Nos ex hucusque dictis facilè respondere possumus; dicimus ergo, Si priuilegium sit odiosum, & non constet aliunde ex ratione illius debere extendi, tunc restrictè accipiendum; nam hæ voces non significant ex se vtrumque coniugem: & minus fundamentum extensionis est in eis, quàm in ijs quas coarctandas esse paulò antè diximus; sed maximè locum habebit, quando motiuum priuilegij non reperitur nisi in solâ personâ expressè per eam vocem significatâ: quòd si purè sit fauorabile,

imò etiam si fauorabile sit, nisi aliunde constet eas voces hoc modo extendendas.

esto maior ratio sit extensionis, non tamen debet extendi, nisi ex alio iure aut ex ratione illius constet extendendum. Ob hanc limitationem, si maritus fiat Nobilis, etiam vocatur vxor Nobilis; nam in iure communi vxor Comitis est Comitissa, & vxor Regis Regina; respectu verò filiorum licet hi tituli non semper transeant, titulus tamen Nobilis, nisi aliquod superueniat impedimentum, semper transit & in posteritatem deriuatur. Est tamen hæc doctrina intelligenda, quando nobilitas, quæ datur marito, est perpetua, non verò ad tempus: vt contingere solet, quando durante aliquo officio censetur Nobilis, depositâ verò eâ dignitate cessat nobilitas, tunc enim etiam vxor & filij non sunt Nobiles nisi eo tempore quo maritus: non enim esset rationabile, vt filij denominarentur nobiles à nobilitate parentis; & tamen quando hic Nobilis non esset, illi adhuc retinerent eam nobilitatem; non enim obtinere eam potuêre cum maiori extensione quàm illorum caput eam habuerit. Priuilegijs autem alijs, quæ non in nobilitate, sed in officio fundantur, non gaudet vxor aut filij: vt v.g. si maritus sit in minoribus Ordinibus, incedátque in habitu Ecclesiastico, non potest puniri à brachio sæculari: idem est, si sit Religiosus militaris sancti Iacobi, Calatrauæ, &c. tunc enim est exemptus à Iudice ordinario, & Ordinum consilio subiectus; non tamen propterea filij aut vxor est exempta vi eius priuilegij, si aliunde specialiter id non habeat.

Priuilegijs, quæ non fundantur in nobilitate, sed officio, nõ gaudet vxor aut filij.

Tertia quæstio est, an, si in priuilegio expressè admittantur filij ac posteritas, ita sit intelligendum, vt solùm eo fruantur mortuo parente, an verò possint etiam viuente eo vti. Respondetur, si priuilegium tantùm possit esse in vnâ personâ, simul tunc filios non succedere, nisi mortuo parente; & verò nec tunc vtrũque simul, sed vnum tantùm, illo verò mortuo alterum, aut certè illius filium, prout fuerit dispositum in priuilegio; si verò, vt ordinariè contingit, vsus possit esse in multis simul, & per priuilegium id expressè non prohibeatur, tunc censendi sunt filij frui eo priuilegio viuo parre. Dixi, *nisi aliunde prohibeatur*, quia licet titulus Comitis v. g. & priuilegium, quod in Hispaniâ *Grandes* habent, possit esse simul ex se in multis, & ita in Germaniâ sit moris, vt omnes filij Comitis, Ducis, Marchionis, &c. dicantur Comites, Marchiones Duces; iuxta constitutiones tamen Hispaniæ, filius non accipit titulum nisi mortuo parente, ideóque priuilegiis Comitis, Marchionis, Grandis, &c. non fruitur nisi parente mortuo; & quidem non nisi filius primogenitus: vnde licet de facto Rex ibi aliquem creet Comitem, & in posteritatem id concedat, non tamen poterit filius nisi mortuo parente, iuxta commune ius Hispaniæ, eo titulo frui; & verò non omnes filij, sed præcisè primogenitus, vt dixi, & hoc mortuo eius filius: quo deficiente ad viciniorem vel ex fratribus vel patruis ea dignitas deuoluitur.

17. *An priuilegio extenso ad filios fruantur filij mortuo parente, an viuo: si priuilegium non potest esse nisi in vnâ personâ, non fruentur nisi mortuo patre: si vsus priuilegij possit esse in multis, & aliunde non prohibeatur, fruentur etiã viui.*

SECTIO III.

De his quæ requiruntur per modum dispositionis ex parte subiecti priuilegiorum.

17. *Dicta de dispensatione huc applicãda.*

QVia priuilegium magnâ ex parte coincidit cum dispensatione, quâ verò differt ab illâ, vix spectat ad rem præsentem, ideò omnia quæ superiùs de modo, seu formâ, quâ conceditur dispensatio, dicta sunt, debent ad priuilegium applicari, breuiter reliqua, quæ hîc specialiter tractari possunt, expediemus; nihil autem dicam de modo, quo per exteriora signa mens concedentis est deprehendenda, quia id & dispensationi & abrogationi & ipsi impositioni legis commune est, & suprà abundè declaratum; an item, & quomodo requiratur scriptura pro valore priuilegij, suprà declaratum est, ergo ad propria quæ desiderantur veniamus.

Priuilegium aliud datur ad instantiã partis, aliud motu proprio.

Pro quo supponendum est, priuilegium aliquando dari ad petitionem partis; aut certè alicuius tertij, aliquando verò ex purâ liberalitate Principis, seu, vt dici in iure solet, ex motu proprio; nam licet quidam non vocent priuilegium, sed dispensationẽ illud quod cõceditur ad instantiam partis, id quod ad quæstionem de voce pertinet, certum tamen esse debet, meritò posse & debere vocari priuilegium; tum quia dispensatio etiã potest concedi ex motu proprio, vt suo loco diximus, & res est manifesta; tum quia ratio liberalis beneficij non tollitur, eò quòd sit ad petitionem alicuius; tum quia in priuilegio rigoroso, quod est contra ius, non minùs debet intercedere instantia quam in dispensatione: cùm ergo sæpè concessio fiat ad sensum petentis, oportet primo loco explicare, quomodo ex petitione inferatur mẽs cõcedẽtis, aut quo differãt priuilegia motu proprio cõcessa ab his quæ ad instantiam;

item,

Digitized by Google

item, quando ex culpâ in petitione nullum sit priuilegium.

19 *Idem priuilegium potest vtroque titulo dari.*

Supponendum Secundò, eam distinctionem priuilegij dati ex motu proprio & ad instantiam partis, ita esse intelligendam, vt tamen aliquando possit vtroque titulo dari, quatenus ipse Princeps illud beneficium daturus erat, licet pars non petijsset; & tamen simul concurrit petitio partis; vel quando, licet daturus non fuisset, quia de eâ re non cogitabat, petitio tamen partis se habuit magis per modum excitantis speciem; & tunc Princeps à seipso decernit dare, vt licet iam pars desisteret à petitione, ille tamen adhuc vellet illud concedere: quare, si diuisio deberet omnino rigorosè tradi, triplex esset assignandum membrum; vnum beneficij puri ad instantiam, alterum purè ex motu proprio, & tertium priuilegij mixti, iuxta paulò antè dicta: quando autem Princeps in concessione priuilegii se dicit motu proprio illud conferre, intelligendum est, vel purè ex motu proprio, vel saltem inadæquatè, iuxta dicta; quando verò in priuilegio nihil dicitur de motu proprio, supponendum est dari ad instantiam partis, quia Princeps non supponitur facere à se gratiam huic potiùs quàm illi, nisi ad alicuius petitionem, quando ipse nihil dicit de eâ liberalitate: quod maximè locum habet, quando in tenore priuilegii ponitur petitio, & nihil posteà additur de motu proprio; habet tamen locum, etiamsi petitio non ponatur, vt deciditur in cap. *Si motu proprio.* de præbendis in 6. His positis.

Quando in priuilegio nõ fit mẽtio motus proprij, censeri debet datũ ad instantiã partis.

20. *Tres differẽtiæ inter hæc duo priuilegia.*

Tres differentiæ præcipuæ assignari solent inter vtrumque priuilegium. Prima est, quòd, quando in motu proprio conceditur, est longè maius beneficium, quia magis liberaliter datum, & magis ab intrinseco procedit; ideò est magis ampliandum, semper tamen intra rigorem verborum, quàm aliud, quod quasi extortum videtur, dum ad instantiam conceditur.

Prima.

Secunda.

Secunda differentia communiter ponitur, quòd priuilegium ad instantiam, etiamsi contingat non esse posteà valdè vtile ipsi priuilegiato, potest tamen in illum retorqueri, iuxta illud, Quod quisque iuris in alterum statuerit, vt ipse eodem iure vtatur: id tamen intelligendum est, quando ipse immediatè vrsit, non verò, quando alius eo inscio priuilegium pro ipso obtinuit; tunc enim ipse non statuit illud ius: illud verò quod motu proprio datur, non debet vmquam retorqueri contra ipsum priuilegiatum.

Tertia.

Tertia differentia, & maioris momenti, est, quòd priuilegium ad instantiam non valet, si sit per subreptionem obtentũ, vt deciditur in citato cap. *Si motu proprio*, datum verò ex motu proprio valeat, esto interim aliquid latere videatur; quod si Princeps sciret, fortè impediuisset eam gratiã: quæ etiam pars satis colligitur ex eodem cap. *Si motu.* In hac differentiã explicandâ varij sunt auctores: quidam enim censent, etiamsi concessio fiat ex motu proprio, eam esse inualidam, si preces veritate non nitantur: alij verò sub distinctione dicunt, si præcisè intercedat taciturnitas veritatis, validum esse priuilegiũ ex motu proprio, inualidum verò, si falsum aliquod sit narratum: discrimen inde desumunt, quòd falsitas causat errorem in mente Principis, & consequenter tollit voluntarium: id quod non efficit taciturnitas veritatis.

Quomodo aliqui hanc differentiam explicent.

21. *Reijciuntur.*

Hæc tamen differentia omnino caret fundamento; nam si narratio veritatis ideò requiritur in motu proprio non quidem vt motiuum, sed ad rationem voluntarij, vt hi dicunt, certè tam potest sæpè ex taciturnitate veritatis causari illud inuoluntarium quàm ex positiuo errore: si enim Sacerdos aliquis habens beneficium aliquod (licet illud coram Papâ, allegando ea quę possent Papam saltem indirectè mouere, & tunc ex motu proprio, putans illum carere beneficio sufficienti, conferat aliquod; non dubium, tam inuoluntariam esse eam collationem vi eius ignorantiæ, quàm [illegible] in alio casu vi erroris. Ratio etiam desumi[illegible] ex dictis in tertio Tomo, vbi ostendimus cum communi, non solùm positiuũ errorem, sed etiam ignorantiam positiuam causare sæpè inuoluntarium. Loquor, quando ignorantia est circa rem substantialem; nam si sit circa rem leuem, tunc etiam error positiuus non causabit inuoluntarium absolutè: quia sicut non mutatur substantia, etiamsi aliqua accidentalis mutatio fiat; ita per errorem circa accidentia non redditur inuoluntaria substantia; ergo quoad hoc punctum assignari non debet differentia inter errorem positiuum & carentiam scientiæ.

Ignorantia circa rẽ substantialem causat inuoluntarium.

22. *Quomodo huic difficultati respondendum. Quando priuilegium non est petitum, non potest esse subreptitium.*

Vt huic difficultati respondeamus, aduertendum est, quod benè notauit Pater Suarez, aliud esse quærere, vtrùm priuilegium motu proprio datum sit nullum ob subreptionem; aliud, an ex defectu voluntarij nullum sit: quo supposito in primis certum videtur, si nulla facta sit petitio, nulla data informatio pro beneficio seu priuilegio, non posse dici tunc vllam intercedere subreptionem, siue priuilegium valeat, siue non; de quo statim; & siue ipse concedens priuilegium ignorauerit veritatem, siue positiuè errauerit. Ratio est manifesta, quia subreptio in præsenti vsurpatur pro deceptione quâ petens beneficium vsus est ad illud obtinendum; ergo vbi nihil ille egit, nõ potest esse subreptio; ergo ex hoc capite, & quasi in culpam petentis, non potest dici priuilegium nullum, quando modo prædicto datur ex motu proprio.

Esto priuilegium sit partialiter datũ motu proprio, si tamen fuit error substãtialis in petitione, non est validum.

Secvndò dico, Esto detur partialiter ex motu proprio (iam enim diximus suprà posse vtroque titulo simul dari;) si tamen ex parte petitionis & propositionis causæ fuit error substantialis, non videtur priuilegium reddi validũ per hoc, quòd dicatur in eo ex motu proprio, quia etiam tunc temporis ea informatio fuit causa motiua Principis, tum quà erat petitio, quia saltem inadæquatè, vt diximus, ab eâ motus est Princeps, tum quà erat propositio meritorum aut motiuorum concedendi priuilegium: nam licet Princeps non moueatur petitione alienâ, debet tamen habere aliquod motiuum honestum v. g. vel merita vel extremam necessitatem personæ; ergo, si in hoc motiuo proponendo deliquit persona cui conceditur priuilegium, aut ille, qui pro ipso proposuit causam, sine dubio grauem induxit errorem; & consequenter etiam effecit, vt non fuerit valida ea donatio priuilegii in eo errore fundata.

23. *Quando priuilegium datur purè motu proprio validum est, esto error intercedat.*

Tertiò dicendvm est: Quando Princeps præcisè à seipso priuilegium confert, tunc, etiamsi ignoret aliquid, quod si sciret, fortè non concederet; nihilominùs tamen beneficiũ valet: ita est expressum eo citato, *Si motu proprio.* in eo enim dicitur, Si Papa motu proprio alicui conferat beneficium Ecclesiasticum, per hoc non auferri alterum, si priùs aliquod habebat; quia tunc præsumitur benè informatus

Digitized by Google

gratiam liberaliter velle exercere. Hanc doctrinâ limitant communiter Doctores, vt solùm intelligatur de ignorantiâ eius circumstantiæ, in quâ videtur esse subreptio; non autem, si ignoret illud priuilegium esse contra alia iura specialia, aut in præiudicium tertij. de quo paulò pòst.

Priuilegium datũ ex motiuo erroris positiui inualidum est.

QVARTÒ DICENDVM: Si Princeps moueatur positiuo errore, v.g. dicat, Quia aliunde ei de sustentatione necessariâ prouisum non est, ideò tale aut tale beneficium illi conferimus, procul dubio, tunc ea donatio erit irrita, quia re ipsâ est inuoluntaria, si talis supponatur aliunde habere iam aliud beneficium, quo abundantissimè ipsi prouisum est.

24. *Obiectio.*

Dices: Etiamsi in ipso beneficio nihil dicatur de eo errore, sed supponatur Princeps ignorare illum habere tale beneficium, eodem planè modo erit inuoluntaria donatio alterius: malè ergo distinguimus in præsenti inter errorem eum positiuum & priuatiuum. Obiectio hæc, etsi ab auctoribus non ponatur, mihi videtur valdè difficilis; nihilominùs tamen potest ei responderi, Si de eo puncto Princeps cogitat, non posse esse ignorantiam eam solam priuatiuam, sed necessariò debere esse positiuam, casu quo moueatur ob eam causam ad conferendum beneficium: nam si non iudicat illum carere sufficienti sustentatione, non mouebitur ex eo titulo, etiâsi id ignoret: tunc autem, licet in foro externo priuilegium sit validum, quia nihil dicitur vnde colligatur illud esse nullum, re tamen ipsâ nullum erit, quia Principi inuoluntarium est: quòd si ei non occurrat talis cogitatio, ideóque verè habeat ignorantiam priuatiuam, tunc facilè intelligitur, cur sit validũ beneficium, quia scilicet habuit aliud motiuum, ob quod beneficium contulit; nam de illo defectu non cogitauit; ergo ille non fuit motiuum; ergo in motiuo substantiali non fuit error; ergo valida est donatio: hinc dico, quando error est positiuus, censeri Principem ab illo motum; quãdo verò est negatiuus, cẽseri non cogitasse eâ de re, ac propterea aliunde motum sufficienter, ideóque priuilegium esse validum. Et de præuiâ petitione satis.

Solutio.

Ratio, cur priuilegium datũ ex errore priuatiuo sit validum.

SECTIO IV.

De formâ quâ priuilegium debet concedi.

25. *Priuilegium aliquãdo datur absolutè; aliquando conditionatè, idque dupliciter: vel vt ponatur conditio ante vsum priuilegij; vel vt ponatur post vsum illius.*

CIRCA formam, quâ ipsum priuilegium conceditur, dicimus, aliquando dari absolutè sine vllâ restrictione vel conditione, & tunc nullam esse difficultatem specialem, sed vtendum eo absolutè vt sonat; aliquando verò dari sub conditione: id quod dupliciter fieri potest; Primò, vt conditio debeat priùs poni quàm sit vsus priuilegii; & tunc dicendum est ordinariè, si ea non ponatur, inualidum esse vsum priuilegii: vt cùm Pontifex dicit, *Qui orauerit hoc aut illud, obtineat Indulgentias*; sanè si ea oratio non ponatur non obtinebuntur Indulgentiæ. Aliquando verò conditio seu onus impositum est post vsum priuilegii, vt cùm Pontifex concedens Iubileum dat licentiam eligendi Confessarium in ordine ad illum finem: certè si quis eo animo eligat Confessarium, validè confitebitur, & absoluetur, etiamsi posteà non impleat conditiones alias ad Iubilcum requisitas; peccabit quidem in hoc: at vsus præcedentis Iubilei non redditur inualidus, quia nec potest iam inualidari. Hæc doctrina clara est, & communis etiam dispensationi.

26. *Verba, quæ onus aut conditionem significãt, strictè accipienda sunt.*

Circa verba verò, quæ onus aut conditionem aliquam significant, aduertendum, ea debere strictè accipi, non vltra propriam significationem; vnde benè docetur communiter, si pro vsu priuilegii dicatur, *vt sit cum consilio tertij.* aut, *de eius consilio*, aut, *ex consilio*, sufficere adhibere eam personam in consilium; etiamsi non sequatur quis illius sententiam: sic in Societate nostrâ, etiamsi Rector non teneatur sequi consilium Consultorum, sæpè tamen tenetur cum consilio eorum rem decernere, quia supponitur ille illuminandus ad rem benè decernendam. Fateor, quando dicimus. *Ex consilio illius hoc feci*, solere denotare idem ac *sequendo consilium*, seu, *Impulsus consilio eius hoc feci:* & fortasse, si ea conditio fuisset fauorabilis, potuisset ampliari: atqui non necessariò id significant ea verba; & dum onus imponunt debent restringi, locum habet resolutio data. Quòd si dicatur, *de consensu illius* vel *cum consensu*, iam planè videtur necessum, vt quis sequatur sententiam illius, quia id denotat per se vox *consensus*.

27. *An in priuilegio contra ius oporteat esse verba, nõ obstante, &c. Aliquorum sententia affirmatiua, aliorum negatiua.*

Illud circa hanc formam in dubium verti potest, an quando priuilegium est contra ius aliquod, necessarium sit in eo exprimi derogationem eius iuris per verba *non obstante*, &c. Multi affirmant, quos refert Pater Suarez cap. 14. num. 1. Horum sententia fundatur in cap. *Ex parte.* de capel. Monach. vbi Honotius Tertius reprobat priuilegium quoddam Monachorum, eò quòd esset contrarium decreto Concilii Lateranensis, & in eo non fieret mentio reuocationis talis decreti: alii verò censent, non esse necessum id ponere, quia priuilegium ex suo conceptu est contra ius; ergo iam supponitur Princeps velle illud ius ex parte abrogare: id quòd clarè videtur confirmari ex cap. 1. de constitutionibus in 6. vbi Pontifex supponit per nouam constitutionem abrogari ex parte priorem illi contrariam, etiamsi de eâ non fiat mentio, eò quòd Princeps supponatur scire ius commune: vbi etiam dicitur, per talem constitutionem non derogari iuri priuato, quod Princeps non supponitur scire.

Quando priuilegium potest stare sine derogatione iuris, non ad illud extendendum.

DICO PRIMÒ: Si priuilegium tale est, vt possit habere aliquos effectus saluo iure communi, & quidem omnes illos, quos verba priuilegii strictè denotant, non debet extendi ad derogationem iuris, quia ea derogatio est odiosa; ergo pro ea non est facienda vlla ampliatio: in quo puncto nullam video difficultatem.

28. *secùs verò, si verba priuilegij non possint explicari sine derogatione iuris.*

SECVNDÒ DICENDVM: Si verba priuilegij non possint explicari, nisi derogando iuri communi, omnino dicendum est debere derogari, etiamsi de eo non fiat mentio. Hæc meo iudicio manifestè colligitur ex citato cap. de constitutionibus, quia quoad reuocationem antiqui iuris, non facta eius mentione, eadem omnino ratio est de noua constitutione ac de priuilegio, & è contrario, maximè cùm eodem modo supponatur Princeps scire antiquum ius: quæ fuit ratio Pontificis eo cap. si autem scit & dat priuilegium, procul dubio vult illi ex parte derogare.

Iuri priuato non derogat priuilegium, nisi in eo ponatur. non obstãte quocumque iure, &c.

Hinc DICO TERTIÒ: Si ius, cui derogatur, non sit commune, sed priuatum, non cẽsetur illi voluisse derogare, nisi apponatur clausula, *nõ obstante quocumque iure*, &c. Hæc etiam colligitur ex eodem cap. 1. de constitutionibus, & ex ratione illius; nam Princeps censetur ignorare illud ius; ergo non censetur illud velle reuocare, nisi

Digitized by Google

nisi id dicat expresè; sicut per ius nouum non derogatur antiquo priuato; non enim debet esse maioris efficaciæ ad derogandum iuri priuilegium quàm sit noua constitutio.

29. Illud posset in præsenti Primò quæri, an sufficiat ad derogandum, quòd ponatur clausula generalis, *non obstante quocumque iure in contrarium*, an verò debeat fieri specialis mentio eius iuris. Respondeo illam clausulam generalem sufficere: etenim repugnat, vt specialem Princeps faciat mentionem eius iuris quod ignorat; vnde sequeretur esse impossibilem eam derogationem, quantumuis vellet Princeps derogare, nisi priùs inquireret vbique de talibus iuribus; quod est absurdum; ergo sufficit clausula illa generalis.

Non est tamen opus, vt fiat specialis mẽtio illius iuris.

An contra commune ius qualificatum valeat priuilegium carens partis illâ non obstante.

Secundò potest quæri, an si antiquum ius cõmune sit qualificatũ, quòd scilicet dicatur in eo, vt non valeat contra ipsum vllum priuilegiũ, nisi expresè aut saltem verbis generalibus illud reuocetur; an, inquam, tunc priuilegium sit validum, etiamsi non dicat, *non obstante*: videtur quidem non valiturum; nam ea clausula in eo iure addita aliquem habet effectũ; non enim est otiosa; alium autem non potest habere quàm hunc, ergo. Ob hanc rationem Pater Suarez suprà n.6. cum Felino & aliis omnino censet esse inane; & iuxta hanc doctrinam interpretatur l. Codicis de precibus Imperatori offerendis; in quâ dicitur, *Rescripta contra ius elicita ab omnibus Iudicibus præcipimus refutari.* Quæ regula etiam habetur in iure Canonico cap. *Rescripta* 25. quæst. 2. huic conclusioni dicit etiam fauere coniecturam Panormitani, quod præsumitur Princeps in talia priuilegia inductus importunitate & inaduertentiâ. Mihi tamen probabilius videtur contrarium: vt verò res tota intelligatur aduerte, malè dici, hæc priuilegia esse importunitate extorta: etenim quoad hoc nulla planè ratio specialis est de his priuilegiis præ omnibus aliis: cur enim, quæso, magis erit extortum priuilegium contra ius habens clausulam, vt ei non derogetur, nisi facta illius mentione, quàm priuilegium contra aliud ius ea clausula carens? Certè clausula illa antiqui priuilegii non operatur de facto rationẽ importunitatis, aut inconsiderationis; malè ergo huc applicatur ea coniectura Panormitani. Id quod clarè Secundò probatur; nam concedere etiam potest Princeps motu proprio talia priuilegia non minùs quàm alia; ergo saltem in his non habebit locum ea coniectura; nam quando est motus proprius, non intercedit importunitas.

Negat Suarez.

30. *Affirmatiuã eligit auctor.*

Secundò supponendum est, Si Princeps sciens actu tale ius, quod dicit v. g. vt omnes teneantur ieiunare, nec valeat dispensatio, nisi expresè derogetur illi iuri, nihilominùs diceret alicui, *Do tibi facultatem vt non ieiunes*; supponendum; inquam, omnino valituram illam dispensationem; nam cùm hic Legislator habeat tantam auctoritatem quantam alter, qui condidit illud ius; quãtumuis ille voluerit, ne derogetur, nisi expressa facta mentione, potest hic ei derogare sine vlla mentione: & certè in casu à me posito nemo dicet non derogari, quia non est censendus tunc Princeps ridiculè concedere illud priuilegium: si autem non valeret priuilegium, cùm id ipse Princeps sciret ob clausulam eam antiquam, quã supponimus noscere, eo ipso ridiculè daret id quod sciret nihil valere: quod absurdum est, maximè si id faceret motu proprio.

Fundamentũ dicteris.

31. Hinc dico, cùm Princeps supponatur scire illam ipsam clausulã, quia illa etiam est in corpore iuris cõmunis, & consequenter est ius commune, quod Princeps habet in scrinio pectoris sui, non minùs censetur abrogare eam clausulam reflexam quàm alia iura directa. Et certè ratio Bonifacii eo cap. 1. de constitutionibus generalis est ad omne ius commune, siue illud sit reflexum, siue directum.

Dices: Illa clausula non est ordinarium ius, sed extraordinarium, ergo non supponitur Princeps contra illam aliquid concedere. Sed contrà, quia in eo antecedente est magna æquiuocatio: si enim dicatur illa clausula non esse pars iuris communis, sicut quælibet lex est pars iuris communis, falsum est antecedens; si verò dicatur illa sola non esse totum ius commune, est verissimum: at in eo sensu, nulla lex particularis est ius commune, & tamen supponitur sciri à Principe, ideóque per contrarium priuilegium derogari, ergo.

Obiectio.

Solutio.

Restat iam respondere ad ea quæ in contrarium obiecta sunt; quorum vnum erat vniuersale ad probandum, nullum priuilegium præualere contra ius commune, nisi ponatur clausula derogans; desumebatur autem ex dicto cap. *Ex parte.* de capell. Monach. ei respondent aliqui, leges conciliares habere hoc priuilegium, vt non derogetur eis nisi per clausulam expressam. Verùm hæc suppositio meo iudicio falsa est; cur enim illæ leges, cùm non aliunde quàm à Pontifice, à quo aliæ communes habeant suam auctoritatem, debent dici habere eiusmodi priuilegium præ aliis? Pater Suarez respondet eo loco non declarari nullum illud priuilegium, sed reuocari; vnde potiùs supponitur antea fuisse validum. Sed neque hæc solutio omnino placet, quia ibi nulla mentio est reuocationis, sed solùm dicitur, Quòd si tale priuilegium emanauit, nolit vt per illud derogetur Concilio; ac si dixisset, Non habet vires illud priuilegium ad derogandum. Tertiò alii respondent reprobari illud priuilegium tamquam minùs honestum. Sed contrà, quia si res ita se haberet, gratis à Papa recurreretur ad hoc, quòd in eo non fiat mentio clausulæ Concilii; nam esto ea fieret, non propterea magis honestum foret, Monachos habitare solos in parochiis: de quo in eo agebatur. Putarem respondendum, Honorium ipsum, à quo dicebatur illud priuilegium emanasse, vt constat ex narratione infrà facta, declarasse, se non habuisse animum derogandi ei clausulæ: vnde duobus modis respondet; Primò, non credere à se datum tale priuilegium; Secundò, fortè emanasse in mediis occupationibus: vnde tacitè dicit se tunc non habuisse in pectore ius commune, cui derogabatur per priuilegium, ac proinde non voluisse illi derogatum. Per quod nihil infertur quoad alios casus vbi maior est consideratio: cui solutioni coniungi potest præcedens de minori decentia illius priuilegii, ratione cuius declarat Pontifex se in eo speciali priuilegio non habuisse talem animum.

32. *Respondetur ad fundamẽta negatiua partu ex c. Ex parte de capell. Monach. Quid ad hoc cap. alij respondeant.*

Probabilior explicatio.

Secunda obiectio specialis erat contra nos, ratione illius, *vt non derogetur, nisi*, &c. Dico ergo, quando in iure communi ponitur clausula, vt non derogetur, nisi specialiter reuocetur, solùm ostendere Legislatorem maiorem animum ad conseruationem eius legis: per quod non tollit potestatem successoris, nec etiam per se tollit scientiam eius clausulæ; ita dico eam absolutè non impedire, quò minùs possit derogari sine clausula

33. *Particula in lege*, vt non derogetur, *non impedit quò minùs possit illi derogari sine clausulâ expressâ.*

Digitized by Google

clausulâ expressâ. Quòd si ius sit speciale, quod præsupponatur Princeps ignorare, tunc efficiet, vt, esto Princeps sciat esse ius particulare contrarium, si etiam non sciat eam secundam clausulam, non deroget illi, nisi specialiter id explicet: id quod in iure communi non habet locũ, quia supponitur, vt diximus, Princeps etiam eam secũdam scire, ac consequenter, eo ipso quòd illâ non obstante dat priuilegium, velle illi derogare, non seruatâ conditione, quam prædecessor requisiuit, & ad quam seruandam successor non tenetur.

34. *Quid sit dicendũ ad secundam regulã ex iure cõtra doctrinam positam illatam.*

Secundus locus contra eandem nostram doctrinam desumptus ex eâ regulâ generali in primis non vrget nos specialiter, sed vniuersaliter videtur esse contra omne priuilegium contrarium iuri communi. Fortasse posset absolutè responderi, ibi non tam esse sermonem de priuilegijs quæ sunt contra ius, quàm de ijs quæ malè & iniquè extorta sunt. Secundò, & meliùs, respõdetur, ibi solùm esse sermonem de rescriptis in ordine ad lites; vnde eorum refutationem dirigit ad Iudices. Hinc autem non benè infertur, idem dicendum esse de priuilegijs, quia Princeps disposuit specialiter de rescriptis, non autem de priuilegijs. Addi deniq; potest, in eadem lege cõtineri exceptionem seu limitationẽ, vt id solùm intelligatur, quando rescriptum est in præiudiciũ tertij; vnde manifestè ab eâ regulâ excipere voluit Princeps priuilegia, etsi sint contra ius, dũmodò non sint contra tertiũ; vnde miror ad omnia priuilegia habentia clausulã, vt eis non derogetur, fuisse extensam eam regulam ab Archidiacono & Patre Suario, etiamsi ea non sint nociua tertio: id enim expressè est contra verba textus.

SECTIO IV.

De formâ concedendi priuilegium ad instar.

35. QVIA sæpè concedi solent priuilegia cum hac clausulâ *ad instar alterius priuilegij*, oportet breuiter declarare, quid ea particula efficiat.

Particula ad instar *denotat omnimodam similitudinem cum altero priuilegio. Priuilegium* ad instar *non augetur vel minuitur, etiamsi augeatur vel minuatur exemplar.*

DICENDVM igitur PRIMÒ est, eam vocem denotare omnimodam similitudinem cum altero priuilegio; alioquin ea particula esset valdè æquiuoca & ambigua.

SECVNDÒ DICENDVM, Etiamsi post datum priuilegium *ad instar*, alterum, quod vocare possumus exemplar, augeatur, aut diminuatur, vel certè omnino amittatur, non augeri, minui aut amitti priuilegium *ad instar*. Ratio est manifesta, quia ea particula *ad instar* non denotat dependentiam causæ ab exemplari, sed ponitur pro declaratione priuilegii ad euitandam largiorem explicationem secundam; in se autem est priuilegium omnino à primo independens; eam autem imitationem vult Princeps solùm esse respectu exemplaris, prout erat quando secundum concessit, nisi per alia verba diceret se velle vt augeatur aut minuatur, &c. prout exemplar auctum fuerit.

Exemplar nõ augetur vel minuitur pro augmẽto vel diminutione secundi priuilegij.

DICENDVM TERTIÒ, id longè cum maiori fundamento intelligendum è contrario, vt exemplar non augeatur nec minuatur pro augmento aut diminutione secundi priuilegii. Ratio est hîc euidentissima; nam exemplar est antiquius altero, & consequenter in omni genere independens à secundo; nec Princeps tunc cogitabat, an essent posteà alia concedenda ad instar illius; ergo tunc non voluit vt augeretur aut minueretur iuxta priuilegia posteà concedenda. Hæc omnia videntur omnino certa.

36. *Quid sentiẽdũ sit, quando non extat exẽplar priuilegij* ad instar. *Si in priuilegio* ad instar *non fiat mentio alicuius materiæ, & exemplar non extet, inualidum erit.*

Illud Primò posset esse dubium, an si concesso huiusmodi priuilegio *ad instar* non cõpareat illud exemplar, quid sit tunc dicendũ? Respondeo, Si in exemplari nihil in peculiari dicatur de materiâ priuilegii, tunc manifestè nullum fore priuilegium, quia res est omnino indeterminata, & perinde ac si Princeps diceret, *Do tibi priuilegiũ*, vel *Do licentiam*, nihil autem determinaret, nulla planè esset donatio: neque enim tunc posset esse liberum ipsi priuilegiato determinare sibi quamcumque vellet materiam; eo ergo casu deberet consuli Princeps vel eius successor: crediderim tamen hunc casũ moraliter non esse possibilem, quia non videtur vmquam dari priuilegium ita confusè, sed referendo se ad hanc aut illam materiam: v.g. *Concedo tibi priuilegium non ieiunandi ad instar priuilegij talis*, & sic de aliis materiis. Adhuc verò in eo casu, licet aliqua maior sit determinatio, quia tamen in ipso puncto non ieiunandi est maxima latitudo tum quoad dies, tum quoad modum, tum quoad onera, non putarem vllo modo valere nisi factâ determinatione à Principe; nam id non debet in voluntate subditi relinqui: esset enim expositum grauibus inconuenientibus. Secundò tamen respondeo, Si in priuilegio ipso declaretur materia; v.g. *Concedo, vt diebus ieiunij possis vesci lacticinijs sicut talis & talis potest, seu ad instar illius*; tunc, etiamsi alter deprehenderetur non habere priuilegium, nihilominùs hoc valeret, quia, vt diximus, *tò ad instar* non ponitur ad denotandam vllam dependentiam, sed pro declaratione maiori: quando autem ea declaratio iam est vtcumque in ipso priuilegio facta, videtur ea sufficere: vbi benè aliqui notant, quodammodò plus valere tunc illud priuilegium, eò quòd possit accipi prout sonant verba: fortè autem, si exemplar inueniretur magis coarctatum, debuisset tunc coarctari; ex quo tamen capite etiam per *fortè* dici potest è contrario minùs extensum: quia si exemplar habuisset maiorem extensionem, potuisset etiam hoc magis extendi quàm verba sonent.

Secùs erit, si declaretur in priuilegio ad instar *certa materia.*

37. *An priuilegiatus* ad instar *possit vti eodem contra habentẽ exemplar. An verba,* Concedimus Episcopatum tibi sicut tuo prædecessori, *sit priuilegium* ad instar.

Duo circa hoc quæri possunt; Primò, an priuilegiatus *ad instar* possit vti contra alterum, in quo est exẽplar, si in eo priuilegio detur ius aliquod in tertium: sed quæstio est generalis ad omnes æquali priuilegio gaudentes, an vnus possit vti eo priuilegio in alterum: de quâ dicemus infrà. Secundò quæri potest, an hæc verba, *Concedimus tibi Episcopatum sicut tuus prædecessor habuit*, sit priuilegium *ad instar*, & concedat omnia extraordinaria priuilegia, quæ prior habuit in Episcopatu. Negant aliqui, quia ea verba solùm videntur referri ad modum ordinarium, seu ad ius ordinarium, quo obtinetur Episcopatus: sicut hęres non succedit in gratiis & fauoribus extraordinariis defuncti.

Hæc instantia non multum vrget; nam successio illa heredis tantùm est ex iure cõmuni; vnde non extenditur nisi ad ea, quæ quasi iure communi erant defuncti; vnde libenter fatemur, si mortuo Episcopo sufficiatur alius vlâ ordinariâ, non successurũ in priuilegia extraordinaria quæ ille habebat; at cùm ea verba, *sicut tuus prædecessor habuit*, videantur speciale aliquid denotare, & singularem concessionem facere,

meritò

Digitized by Google

meritò dubitare possumus, an etiam extendatur ad specialia privilegia quæ ille habuit. Probabilius ergo respondetur cum Patre Suario, *si rò si-cut tuus prædecessor habuit* sit quasi ordinaria forma, sub quâ confertur talis dignitas aut privilegium, tunc non extendi ad extraordinarias gratias, quia forma, quæ est communis, quâdo nullæ sunt gratiæ extraordinariæ, non comprehendit vi suâ eas extraordinarias; si verò ea forma sit extraordinaria, tunc, ne dicatur otiosa, probabiliter extenditur ad omnem gratiam specialē, maximè, si ejusmodi gratiæ nō fuerint odiosæ, nec in præjudicium tertij; tunc enim facilius possunt verba illa extendi ad eas comprehendendas.

38. *Quid probabilius respōdendum.*

Quæres tamen, quid sit absolutè respondendum quæstioni. Dico nos non posse assignare regulam generalem, quomodo soleant quælibet dignitates & privilegia concedi, sed id specialiter in qualibet inspiciendum esse, inde posteà discurrendum iuxta regulam datam.

39. *Privilegia specialia cēcessa prædecessori ob singulares dotes, quæ non apparent in successore, nō transeunt ad illum.*

Addendam etiam ego putarem aliam regulam, vt quando ea privilegia specialia, quæ prædecessor habuit, fuere ei concessa ob singularem doctrinam, labores, &c. & in successore non appareat aliquid simile exigens tantum favorem, sed præcisè ea, quæ requiruntur vt eam dignitatem teneat modo ordinario, non debere præsumi Principem concedere eam gratiam singularem, ne dicamus illum esse prodigum & iniquū administratorem; si verò vel ferè eadem talenta vel alia æquivalentia reperiantur in eâ personâ, probabilissimè ea verba, *sicut tuus*, &c. ad illas gratias extendi possunt.

SECTIO V.

De formâ concedendi privilegium per communicationem.

40. CIRCA hæc privilegia, quæ communissima sunt, maximè inter Religiosos, aliqua occurrunt consideratione digna.

SVBSECTIO I.

Duæ priores quæstiones.

An communicatio privilegiorum inter Religiosos se extendat ad privilegia particularia domorum. Negativa amplectenda est, nisi contrarium cōstet ex verbis.

PRIMA est, an quando vni Religioni conceditur vt communicet in privilegiis cum aliâ, intelligatur cū solis privilegiis, quæ sunt toti et alteri Religioni communia, an verò etiam cū his quæ sunt propria aliquarum domorum eius Religionis? Respondeo, per se loquendo, nisi verba aliud denotent, non intelligi hæc particularia privilegia: quod hac ratione meo iudicio moraliter euidenti probo, quia quando per communicationem conceduntur Dominicanis privilegia Franciscanorum, v. g. non potest præsumi ea concedi Dominicanis cum maiori extensione quàm sint apud ipsos Franciscanos: quæ propositio mihi videtur valdè clara: atqui apud illos nō est ea communicatio, vt quæ vni domui aut Monasterio conueniunt, eo ipso toti Ordini conueniant; ergo nec etiam toti Franciscanorū Ordini ea communicabuntur. Dixi, *nisi verba contrarium significent*, quia in potestate erit Principis, si velit, eam etiam extensionem facere.

41. *An, & quomodo cōmunicatio differat à privilegio ad instar.*

Secunda difficultas est, an concessio *per communicationem* sit eadem cum concessione *ad instar*, an verò differant, & in quo. Circa hāc difficultatem disputant fusè nonnulli, vtrùm privilegium communicatum sit vnum in vtroque, *ad instar* verò duplex. Sed meo iudicio res est nullius momenti; nam in primis privilegium *ad instar*, manifestè est duo numero distincta, & vnum independens ab alio, vt paulò antè diximus: idem autem esse in communicatione, patet, quia ea cōmunicatio non est, moraliter nisi per donationē alterius similis; vnde fit, vt ita maneant inter se numero distincta ea privilegia, vt licet vnum pereat, alterum maneat. Nam postquam Societas communicauit in privilegiis Franciscanorum, etiamsi hæc illis auferantur, manebunt in Societate, & è contrario, sicut de privilegio *ad instar* dictum est; vtrùm autem propter eam similitudinem dicendum sit vnum in duobus subiectis, est quæstio de nomine & leuis momēti. Certum autē est, moraliter perinde omnino se habere ac si essent duo: vnde cùm totum eorum esse sit morale, debent etiam vt duo reputari: & idem est de privilegiis *ad instar & per communicationē*. Quòd si obiiciatur, privilegium *ad instar* non exigere omnimodam similitudinem, quam tamen requirit communicatio, facilè respondebitur negato antecedente, quia suprà ostendi eam similitudinē debere esse in privilegio *ad instar* summam, nisi quando per alia verba limitatur: quo sensu etiā in communicatione privilegiorum possunt poni variæ limitationes.

Tam privilegium ad instar *quàm* per communicationem *includit duo privilegia numero moraliter distincta.*

Et privilegium ad instar *& communicatio requirunt omnimodam similitudinē cum exemplari.*

Obiectio.

Obiicies, Aliquando, vt in Bullâ quadā Pii V. pro Societate nostrâ, dū agitur de communicatione privilegiorum aliorum Ordinum, dicitur, *non solùm ad illorū instar, sed pariformiter & æquè principaliter*, &c. vnde infertur *rò ad illorū instar* non significare omnimodam æqualitatem. Respondeo tamen sæpè talia verba poni non quia diuersum significent, sed maioris confirmationis & declarationis gratiā; vt patet ibidem: nam præter communicationem, quæ tamen significat æqualitatem, adduntur alii termini, vt pariformiter, æquè principaliter, absque vllā differentiā; quæ omnia sunt synonyma.

Solutio.

Fortè ideò Pontifex dixit, *non solùm ad instar*, vt ostenderet Societatem non solùm esse instar Religionum mendicantium, sed verè & propriè esse mendicantem. Pro quo aduerte Primò aliquos effectus esse, quibus homines non possunt alios statim omnino physicè similes producere, etiamsi æquiualenter possint. V. g. vt Petrus, qui est iuuenis, sit senex, non potest Princeps efficere; at vt fruatur privilegiis senum, & fictione, vt dicitur, iuris reputetur senex, efficere optimè potest. Idem est in legitimatione; non enim potest Princeps efficere vt spurius sit naturaliter legitimus, aut vt rusticus sit antiquus Nobilis; potest tamē illis conferre privilegia omnia legitimi & antiqui Nobilis; & tunc dicetur Nobilis & legitimus fictione iuris: quando ergo Princeps dat privilegia per comparationem ad similes naturales donationes, & vtitur verbo *ad instar*, aut etiam *cōmunicamus*, non censetur dare moraliter eamdem omnino denominationem, quia nec potest, esto velit, vt dixi, sed aliam analogam: in eo ergo casu verbum illud non denotat omnimodam similitudinem, sed imperfectam: & idem est de privilegiis concessis Nouitiis Religionum, perinde ac si essent veri Religiosi, cùm tamen re ipsâ non sint. Ob hanc ergo similitudinem imperfectam, quæ potest aliquando significari per verbum *ad instar*, solet Princeps aliis verbis vti, quæ declarant omnimodam conuenientiam. Et in specie Pius Quintus, ne

In aliquibus effectibus nō potest Princeps per privilegium alterum omnino similem facere.

42.

Cur in privilegijs præter verbum ad instar *solent poni alij clariores termini.*

Digitized by Google

fortè quis putaret Societatem re ipsâ non esse Religionem mendicantem, sed solùm fictione iuris, vsus est tantâ aggregatione verborum.

43. *Aliqui sunt effectus, inquibus potest Princeps alterum omnino similem facere.*

Aliquæ è contrario res sunt, quibus potest Princeps alias omnino similes efficere quando velit: si v. g. vnum rusticum fecit Nobilem ex priuilegio, sine dubio potest alterum rusticum efficere Nobilem non solùm ad instar prioris per eam fictionem iuris, quam diximus, & per analogiam, sed omnino eodem modo, quo primùm fecit: & in talibus casibus, quando secundo datur priuilegium ad instar primi, debet intelligi omnino simile eiusdémque rationis. Idem est in omnibus effectibus, quando ambo immediatè adæquatè proueniunt à iure; tunc enim sicut ius fecit vnum, potest eodem modo alterum facere. Dixi, *quando adæquatè proueniunt à iure*; nam si etiam inadæquatè proueniunt ab aliis causis naturalibus, quarum defectum ius non potest physicè supplere, tunc discurrendum de illis sicut de naturalibus diximus. V.g. nobilitas antiqua Petri fortè item olim à iure sumpsit initium; quia tamen interuenêre multi anni & prædecessores multi Nobiles, à quibus iam ea nobilitas est reddita naturalis, & altioris ordinis, ius autem supplere non potest physicè eos annos, poterit quidem dare huic alteri initium, vt successu temporis nobilitas illius fiat eiusdem omnino rationis cum illâ Petri: at de facto non potest illam statim facere omnino similem, sed ad instar per fictionem iuris.

si nempe ambo effectus immediatè proueniant à iure.

44. *Communicatio priuilegiorum aliquando fit ex eo, quia persona reputantur eadem.*

Secundò supponendum est, communicationē priuilegiorum aliquando fieri non per propriā aut æquiualentem donationem priuilegiorū ei cui communicantur, sed quia hæc persona reputatur quodammodò eadem cum illâ, ideóque per modum vnius priuilegii cadit supra vtramq; sicut priuilegium, quod datur domino, sæpè extenditur ad familiares & domesticos vt quid ad illum pertinentes, vt suprà diximus de priuilegio nobilitatis ad tempus dato marito, quod communicatur filiis & vxori; item de priuilegio celebrandi tempore interdicto, quod etiam transit ad ministrum, quatenus sine illo Sacrum fieri nequit: est autem inter hanc communicationem & præcedens priuilegium diuersitas, quod illud est vnum moraliter; vnde si pereat in eo, cui præcipuè datur, eo ipso perit in aliis; at priuilegium *ad instar*, siue fit per rigorosam similitudinem, siue per fictionem iuris, iuxta dicta, est omnino duplex, & in quolibet redditur independens ab alio. His positis.

45. *Priuilegium ad instar, quod non est per fictionem iuris, non differt à communicatione: socius, si sit per fictionem iuris.*

PRIMÒ DICENDVM est, priuilegium *ad instar*, quod non est per fictionem iuris, sed per omnimodam similitudinem, modo suprà explicato, non differre vllo modo à priuilegio per veram communicationem, & è contrario hoc nullo modo ab illo. Hæc resolutio clarè constat ex suprà dictis, neque indiget nouâ probatione.

SECVNDÒ DICENDVM est, priuilegium *ad instar* per fictionem iuris differre à priuilegio per veram communicationem. Hæc etiā illatio clara est; nam vera communicatio significat omnimodam similitudinem, quam non habet priuilegium *ad instar* ex fictione iuris, vt declaratum est.

Priuilegium ad instar per fictionem differt aliquando à communicatione imperfectâ, aliquando non differt.

TERTIÒ DICENDVM, priuilegium *ad instar* per fictionem iuris aliquando conuenire cum priuilegio per communicationem imperfectam suprà declaratam, aliquando verò ab eâ differre: quòd differat aliquando, ostendi paulò antè; nam sæpè illud est distinctum planè priuilegium à primo: nam si rusticus fiat Nobilis ad instar Petri antiqui Nobilis, iam ille, licet in iure sit fictus Nobilis, ea tamen nobilitas est distincta ab alterâ Petri, & ab eâ omnino independens; vnde etiamsi Petrus suam omnino amittat, alter tamen suam retinebit à iure concessam: sunt ergo iam duæ nobilitates & duo quasi priuilegia; at in communicatione imperfectâ vnicum tantùm est, vt dixi. Quòd verò hæc priuilegia aliquando conueniant, imò quòd omne per communicationem imperfectam sit ad instar per fictionem iuris, licet non è contrario, omne ad instar sit per eam communicationem, probo facilè, quia ea communicatio in eo fundatur, quòd ea persona, ad quam extenditur priuilegium, reputatur ad instar alterius, quia censetur esse aliquid illius: sic priuilegia Nouitiorum sunt ad instar Religiosorū, cùm tamen non sint Religiosi, & simul sunt per communicationem imperfectam: nam si Religiosis omnibus auferātur, eo ipso auferuntur Nouitiis: idem est de priuilegiis famulorum ratione domini; quibus etiā vti possunt ad instar domini per fictionem iuris: ita tamen è contrario ea priuilegia sunt in principali subiecto, vt licet auferantur Nouitiis vel famulis v. g. non ideò Religiosis & dominis.

SVBSECTIO II.

Reliqua difficultates.

46. *An priuilegia concessa Religioni communicet quilibet Religiosus in particulari. Quæstio est de nomine, & affirmatiua eligitur.*

PRIMA est, vtrùm priuilegia concessa Religioni vt sic, v.g. Societati, conueniant huic vel illi Iesuitæ per communicationem illam inadæquatam, an verò per propriam. Respondeo quæstionem esse de solo nomine; de re enim constat ea dari abstrahēdo ab hoc vel illo Religioso in particulari, ideóque hunc vel illum in tantum eis frui in quantum sunt intra Religionem; vnde, si Religioni auferantur, etiam auferuntur Religiosis omnibus: quo sensu dici possunt ea priuilegia *ad instar & per communicationem*, ac si quilibet Religiosus tota esset Religio: aliunde verò, quia Princeps donans ea priuilegia non intendit vsum illorum exerceri ab aliquo corpore abstracto ab omnibus Religiosis in particulari, sed immediatè ea concedit cuilibet ex illis, qui soli eis possunt vti, meritò etiā dici possunt multum habere de priuilegio directo & immediato.

Priuilegium per communicationem non augetur vel minuitur pro augmento vel decremento exemplaris.

Vbi aduerte, sicut suprà diximus, priuilegium *ad instar* non augeri aut minui ob augmentum aut diminutionem exemplaris, eodem modo de priuilegio *per communicationem* dicendum, si v.g. Pontifex Societati concessit, vt communicet in priuilegiis cum Patribus Fráciscanis, & clausula non sit magis generalis, nihilque expresè dicat de futuro, non debere per hoc auctis priuilegiis Franciscanorum augeri etiam in Societate. Dico *vi illius concessionis*, quia si expresè dicatur, *Communicet in concessis & concedendis*, tunc res est extra controuersiam. Et ita Societati expresè dedit tale priuilegium Pius V. in Bullâ editâ anno 1571.

47. *Vtrùm priuilegium communicetur cū restrictionibus, quibus datum est primo priuilegiato. Triplex restrictio ab aliquibus assignari solita.*

Vltima circa præsentem materiam difficultas est, vtrùm quando alicui communicatur priuilegium alterius, censeatur etiam communicari cum restrictione illius priuilegii, quæ erat in primo priuilegiato. Pro explicatione huius difficultatis distinguunt quidam triplicem restrictionem; vnam, quæ fit ratione conuenientis moderatio-

Digitized by Google

moderationis in priuilegio, seu ad cauendum nouum cumentum aliorum, vel certè ad vitandam perturbationem, quæ ex maioti licentia oriri posset; secundam restrictionem eam dicunt, quæ additur in fauorem Religionis per modum relaxationis disciplinæ religiosæ, ob vitanda graviora incommoda: sicut Religiosis militaribus concessum est priuilegium habendi vxores, & aliquibus mendicantibus Ordinibus concessum est priuilegium habendi proprium saltem in communi. Aliquando verò è contrario conceduntur alia priuilegia purè in fauorem Religionis, vt melius suum finē consequantur; in quibus nihil est de relaxatione; vt priuilegia absoluendi à casibus reseruatis, concionandi, celebrandi in altari portatili, &c. in his autem poni solet clausula restrictiua, *dummodò regulari obseruantiæ non repugnet*: quæ non ponitur in primâ concessione, quia illa concessio essentialiter est relaxatiua, licet habeat motiuum cauere maiora mala: vnde miror, Patrem Suarez cap. 17. post datam hanc duplicem differentiam priuilegij, dicere, ideò in primo non poni eam clausulam, quia in eo subintelligitur: miror, inquam; nam si priuilegium ipsum est relaxatiuum, vt ex explicatione supponimus; quomodo, quæso, in eo potest subintelligi clausula, quòd non relaxet, cùm potiùs contraria debeat intelligi?

48. *Rationes quarundam ex doctrinâ positâ de triplici restrictione.*

Tertia restrictio ponitur ab his auctoribus, quando priuilegium conceditur cum respectu ad res spectantes specialiter ad personam, cui conceditur; vt cùm datur priuilegium Religiosis S. Dominici celebrandi tempore interdicti, in festiuitatibus tamen tantùm propriorum Sanctorum: nam hoc priuilegium habet restrictionem talem, quæ eadem numero non conuenit aliis Religionibus; nam festa Dominicanorum non sunt festa Iesuitarum aut Franciscanorum.

Hoc posito respondent, primam restrictionem transire cum communicatione priuilegiorum, quia eadem ratio, quæ coëgit Principem ad primum priuilegium limitandum, vrget etiam pro secundo. Secundam autem dicunt transire, casu quo eadem ratio vrgeat in altero; nam contingere potest, vt priuilegium, quod est contrarium regulari obseruantiæ Iesuitarum, non sit contrarium obseruantiæ Benedictinorum, & è contrario; vnde etiam fit, vt ea restrictio, quæ adhibetur in Societate vi eius clausulæ, *Dummodò regulari obseruantiæ non repugnet*, non debeat adhiberi apud Benedictinos, apud quos illud priuilegium nullam habet repugnantiam. Ego addiderim ex hoc capite etiam contrarium posse contingere, vt in eo, ad quem transfertur, adhibenda sit restrictio, quæ in primo non fuit adhibita: vt si è contrario illud idem priuilegium (de quo antè) ex Benedictinis, vbi nullam habebat contrarietatem, translatum esset per communicationem ad Iesuitas, in quibus habuisset illam contrarietatem. Tertiam denique restrictionem dicunt etiam transire suo modo, non tamen eodem omnino, sed respectiuè; vt si apud Dominicanos priuilegium est restrictum ad Festa illorum, v.g. ad sanctum Dominicum, Thomam, &c. in Societate non restringatur ad ea numero Festa, sed ad Iesuitis propria, sanctum Ignatium, Xauerium, &c. ita Emanuel Rodriguez quæst. 55. art. 2. docet declaratum esse à Iulio II. & ratio ipsa videtur id exigere, alioqui nullo modo posset Iesuitis illud priuilegium communicari.

49. Iudico totam hanc doctrinam veram quidem esse; crediderim tamen pro præsenti difficultate non esse necessariam; & verò minus bene vocari restrictionem eam quæ tertio loco est posita, cùm potiùs sit ipsum priuilegium: si enim Pontifex det mihi priuilegium, vt die Iouis & die Dominica comedam carnes in Quadragesima, non debet ea licentia dici restrictio, sed potiùs formalissimum priuilegium: quod enim non det simul ad omnes alios dies, non est restrictio, sed negatio maioris priuilegij: restringere enim propriè significat id, quod fuit aut debebat esse latius, coangustare; at in præsenti neque ego antè habui magis extensum priuilegium, nec debebam habere latius; ergo ibi non est restrictio, sed pura laxatio, & purè fauorabilis: vt si quis erat strictissimè ligatus; ego verò illum ad vnum palmum soluo, nullo modo dici possum restringere, sed purè putè laxare, licet non tantum quantum possem: priuilegium ergo celebrandi tempore interdicti in festis Sanctorum non est restrictio, sed formalissima laxatio; vnde concludo, malè dici tunc illud transferri cum restrictione, quia tunc nihil penitus aliud transfertur quam priuilegium. Frustrà item quæritur, an debeat transferri non limitatum ad festiuitates proprias, sed cum extensione ad totum tempus interdicti, quia id purè putè esset quærere, an si ego haberem priuilegium comedendi carnes in Quadragesima die Dominicâ & die Iouis, & id alteri cõmunicaretur, transferretur in illũ priuilegium comedendi totâ Quadragesimâ: quæ quæstio esset planè ridicula, quia (vt dixi) circa alios dies ego non habui restrictionem per priuilegium, sed per legem ieiunij, à quâ inadæquatè me liberauit priuilegium: vnde, quando hoc alteri communicatur, non communicatur restrictio, quam ipse habebat, iuxta dicta, sed conceditur priuilegium pro illis diebus; pro aliis autem non poterat concedi vi communicationis, quia ego nullum tale habui priuilegium.

Doctrina iam posita approbatur, cum aliquâ tamè limitatione.

50. *An priuilegium restrictum communicetur cum totâ suâ latitudine quâ primò habuit.*

Magis ad rem & rigorem significationis quæstio posset hic discuti, vtrùm, si aliquod priuilegium mihi primò concedatur valdè amplum, & posteà ob aliquas causas restringatur, communicetur verò Petro tale priuilegium post restrictionem in me factam, an Petro concedatur cum eâ restrictione, an cum extensione totâ vt fuerat primò concessum: in hoc autem sensu habere locum potest illa duplex restrictionis consideratio, scilicet, quòd fuerit in me facta, ne illud priuilegium tam amplum scandalum causaret, & ne esset nociuum mihi; quo casu censeo omnino dicendum, etiam transferri cum eâ restrictione, quòd si hæc facta in me fuit ob congruentiam aliquam specialem, quæ in me solo, cui communicandum est, non verò in aliis locum haberet, probabilissimè dici, sine restrictione transferri, quia ratio restrictionis cessat in altero; probabilissimè tamen dici potest, etiam tunc eam restrictionem transire, quia communicans priuilegium non habet respectum ad illud vt antea fuerat, sed prout nunc illud inuenit; ergo non debet censeri illud transferre nisi prout nunc est; sicuti è contrario, si illud inuenisset magis dilatatum, non censeretur concedere cũ restrictione, sed cum eâ extensione, quia cum eâ tunc reperitur; & quale inuenit de facto, tale communicat; secùs, si coarctatio aut extensio prioris esset post communicationem alteri factam; nam in hoc casu diximus suprà non immutari in eo cui communicatur, quia non considerauit Princeps

Quid sit in hac quæstione probabilius.

Probabilius est communicari cum restrictione.

Digitized by Google

quid tempore futuro circa illud priuilegiũ esset euenturum, sed quid haberet de præsenti. Quæ ratio, meo iudicio, etiam probat in ordine ad tempus præcedens ante restrictionem, illud scil. non debere considerari.

§ 1. *An priuilegium, cui annexum est ne cõmunicetur, censeatur cõmunicari generalibus terminis concedentibus cõmunicationem omnium priuilegiorum. Affirmat Rodriguez. Negat Suarez. Eius fundamenta,*

Restat nobis iam discurrendum, an quando in aliquo priuilegio cauetur, ne communicetur aliis, etiamsi in omnibus aliis fiat communicatio, vt Gregorius XIII. & XIV. in duabus Bullis pro Societate expressè cauerũt; an, inquam si secunda postea Bulla edatur concedens aliis communicationem in nostris priuilegiis, quæ tamen nullam omnino clausulam addat, *non obstante*, &c. censeri debeat illud priuilegium per eam secundam Bullam communicatũ. Emanuel Rodrig. suprà tract. 27. cum formidine affirmat concedi: probabiliùs negat Pater Suarez, eò quòd generi per speciem derogetur, etiamsi species præcesserit. Secundò, quia non censetur Princeps in generali clausulâ concedere id, quòd si sciret, non esset verò similiter concessurus. Hæc tamen ratio debilis est, quia fortè etiamsi de eâ clausulâ particulari sciret, adhuc tamen concederet communicationem in eo priuilegio. Tertiam addit rationem, quæ etiam non placet, quod alioquin etiam vi clausulæ generalis antecedentis possit dici communicatum illud priuilegium; quod est absurdum: hæc inquam, ratio etiam non placet, quia aliud est, loqui de clausulâ posteriori, quæ non videtur posse per priorem impediri, aliud è contrario de priori, quæ potest per posteriorẽ: vnde ratio hæc, vt vim habeat, debet ad primam reduci.

§ 2. *Obiectio.*

Obiicies: Nos diximus suprà, etiamsi in aliquâ lege iuris communis dicatur, vt non valeat priuilegium contra illam, nisi expressè ei priuilegio derogetur, nihilominùs tamen, etiamsi non ponatur ea clausula *non obstante*, derogari illi iuri per priuilegium, ergo idem erit in præsenti dicendum de alterâ clausulâ; est enim eadem vtrobique ratio. Respondeo magnam esse disparitatem; nam in eo casu iuris communis illud priuilegium non poterat habere alium effectum, quàm derogare tali iuri; cúmque, vt ibi diximus, Princeps supponatur scire illud ius & clausulam reflexam, ac nihilominùs priuilegium dare contra illud, debemus dicere, ipsum voluisse ei derogare, ne dicamus illum mentitum esse ostendendo se velle dispensare, cùm tamen re ipsâ nollet. At in præsenti illa secunda Bulla eiúsque concessio habere potest effectum suum in communicatione aliorum omnium priuilegiorum, quæ non sunt per specialem illam clausulam quasi impedita; quid ergo mirum, quòd hæc non extendatur? Vnde dico, si Pontifex supponeretur scire eam clausulam talis priuilegij, & nihilominùs diceret in particulari, *communicamus vobis hoc priuilegium quod Societas habet*, etiamsi non diceret, *non obstante, quod Gregorius noluerit*, &c. re tamen ipsâ communicandum, quia & Pontifex habuit potestatem faciendi eam communicationem etiam sine clausulâ *non obstante*; & cùm ex perfectâ scientiâ posuerit verba, quæ eam communicationem clarè significant, non video, cur debeat negari communicatum. Et hic casus est omnino similis alteri de priuilegio contra ius, quod in obiectione ponitur, ideóque vtrobique nos eodem modo discurrimus.

Solutio.

Si Papa communicans omnia priuilegia censeatur scisse illud cui fuit annexa clausula ne communicetur, etiam illud communicabit,

Disputatio XXXIII.

De confirmatione, innouatione, publicatione, valore, ampliatione & restrictione priuilegij.

1. Post explicatam primam concessionem priuilegij oportet de eius confirmatione, innouatione & valore disputare; nam hæc omnia ex suo conceptu supponunt iam priuilegium concessum: & videntur pertinere ad roborandum magis illud & effectus illius.

Sectio I.

De confirmatione priuilegij.

Non est sermo de confirmatione prout significat vltimam approbationem

Svpponendum, non esse hîc sermonem de confirmatione, vt solet significare vltimam approbationem, necessariam tamen ad valorem actus, sicut, postquam quis aut à Rege aut à Capitulo est electus in Episcopum, adhuc debet approbari à Pontifice, vt absolutè sit Episcopus; & in aliis materiis aliquid simile contingit: non ergo de confirmatione hac agimus, quia hæc non supponit perfectam rei possessionem, sed partialem in suo genere validam. Confirmatio igitur, de quâ agimus, supponit ordinariè iam perfectam possessionem priuilegij; solúmque datur ad melius esse, vt declarabimus paulò post.

sed de confirmatione, quæ supponit perfectam rei possessionem.

Svbsectio I.

Quî distinguatur confirmatio communis à speciali.

2. *Confirmatio diuiditur in communem & specialem. Quibus verbis hæ confirmationes distinguantur.*

Hæc confirmatio diuiditur communiter à Iuristis in communem & specialem, seu in forma communi, & in formâ speciali: illa est minoris momenti, hæc longè maioris: est autem dissensio inter auctores circa verba, quibus debent eæ duæ confirmationes distingui; quidam enim cẽsent, vt sit communis & imperfecta, debere poni verba aliqua quæ limitent *tò confirmo*; ea autem dicunt esse, *Sicut prouidè factũ est*, vel, *Prout sunt in vsu*, quia per hæc Pontifex ostendit se nihil speciale velle supplere, sed rem in antiquis terminis relinquere. Quòd si absolutè sine limitatione ponatur verbum *confirmo*, tunc significat specialem confirmationem. Ita Ioannes Andreas in cap. *Examinata*. de confirmatione vtili & inualidâ. Vrgetur id ex eodem cap. vbi quædam confirmatio dicitur in forma communi, eò quòd in eâ confirmetur priuilegium sub his verbis, *sicut iustè & pacificè possidentur*; vnde licet inferre, Ergo si ea verba non essent posita, non fuisset confirmatio communis. Idem sentit Panormitanus in eodem cap. *Examinata* num. 1. cum restrictione ad priuilegia quæ non sunt contra ius; nam in contrariis iuri verbum *confirmo* solitariè positum censet non facere confirmationem specialem. Alij autem dicunt, confirmationem specialem esse illam solam, quæ fit ex certâ scientiâ

Digitized by Google

entiâ, communem verò, quæ eâ scientiâ careat; tunc autem dicunt, confirmationem esse ex certa scientia, quando in ipso tenore priuilegij Princeps dicit se ex certâ scientiâ confirmare, vel quando in ipsa confirmatione priuilegii infertur totus ille tenor; tunc enim sufficienter Princeps in actu exercito ostendit se ex certâ scientiâ & re benè examinatâ procedere. Quam doctrinam extendunt etiam ad casum, quo dicatur in ipso priuilegio, *Sicut prouidè factum est*; nam sicut hæc verba non tollunt priuilegium esse ex certâ scientiâ, ita nec tollunt, esse in formâ speciali. Addunt etiam ijdem aliam clausulam æquiualentem, vt si loco *ex certâ scientiâ* dicatur, *de plenitudine potestatis*, vel, *non obstante lege disponente in contrarium*: quæ vltima etiam denotat eum vti plenitudine potestatis: cæteras ergo omnes confirmationes, quæ aliquam ex his clausulis non habuerint, dicunt esse communes, etiamsi non habeant illa verba, *Sicut prouidè factum est*, aut, *Sicut iustè & pacificè possidetur*.

Posterior sententia approbatur.

Vltima hæc sententia, quia communior est, teneri debet; agimus enim nunc de solâ significatione vocum; in huiusmodi verò quæstionibus communior sententia præferenda est: potrò quæstionem hanc esse de nomine patet; quærimus enim vtrùm confirmatio communis declaretur his aut illis verbis. Hac ergo doctrinâ positâ.

Svbsectio II.

De diuersis effectibus harum confirmationum.

3. *Duæ regulæ ad internoscendos hos effectus. Prima, quòd cõfirmatio communis nouum ius non conferat, neque suppleat defectus in primâ donatione priuilegij admissos. Obiectio. Solutio.*

Dvæ regulæ assignari solent circa effectus diuersos eius duplicis confirmationis: Prima est, confirmationem communem non conferre vllum nouum ius, nec supplere vllum defectum, si quis fuit in primâ donatione priuilegij. Ratio est, quia confirmatio communis supponit rem, quæ dicitur confirmari, esse validam; quòd si nullam inueniat, non producit illam de nouo: & id constat ex cap. *Examinata.* suprà citato, & ex cap. *Quia diuersitatem.* de concessione præbendarum, & ex cap. *Dudum.* de decimis.

Dices, Ergo ea confirmatio erit planè ridicula: quod non debemus vllo modo præsumere de Principe. Respondeo, Si cadat supra actum nullum, nihil penitus addere, quia est confirmatio solùm conditionata, ideò conditione non subsistente nihil valet; si verò actus sit confirmabilis, eáq; confirmatio sit ab altiori potestate quàm fuerit illa, quæ primò concessit priuilegium, si v. g. concessum ab Episcopo, posteà à Papâ confirmetur, iuuat ad maiorem firmitatem, vt tunc temporis non possit reuocari illud priuilegium ab Episcopo, quia factum est quodammodò Papale: id quod suadetur ex cap. 2. de confirmatione vtili; in quo absolutè loquitur Alexander III. de omnibus confirmationibus, nullâ factâ distinctione inter confirmationem ex certa scientia, & in forma communi. Vbi aduerte, esto sententia communis dicat, Si Papa conferat in forma communi priuilegium, non ideò impediri infetiores Iudices, quo minùs sententiam ferant circa illud sine Papæ mandato: per quod videtur doceri, illam confirmationem in forma communi non addere speciale robur priuilegio, aduerte, inquam, per hoc nihil contrarium doceri conclusioni nostræ: quod non benè videtur distinxisse P. Suarez hîc cap. 18. num. 10. nam si priuilegium est dubium, & sub lite, quódque possit per Iudicis sententiam declarari nullum, iam non est priuilegium, de quo nos agimus, scilicet verum & reale, verè & validè datum ab Episcopo v. g. & extra lites omnes: hoc enim dicimus fieri Papale per eam confirmationem; dicet enim ea confirmatio, *Si est validè & iustè datum, nos illud roboramus*, &c. ergo cùm supponatur vera ea conditio, tenebit etiã sine dubio cõfirmatio; at in altero dubio sicut non facit ea confirmatio certum illud priuilegium, ita nec tollit inferioribus Iudicibus potestatem de eo iudicandi, vt docet communis sententia, etiamsi hoc ipsum adhuc dubium sit, vt benè notauit Pater Suarez ibidem; nam cap. 1. de cõfirmatione vtili vel inutili contrarium videtur doceri; dicitur enim in eo, Quòd si quis pacificè possidens rem aliquam petat confirmationem illius à Sede Apostolica, non possit posteà, ob quæstionem exortam de eâ re, sine Summi Pontificis licentia ferri sententia. Quæ verba de priuilegio in formâ communi intelligenda videntur, cum de eiusmodi confirmatione loquatur prima pars eius cap. quia tamen communis sententia secundam partem solùm intelligit de confirmatione in forma speciali, & consequenter eam vim muniendi contra inferiorum Iudicum sententias negat confirmationi in forma communi, standum ei erit. Ea autem alia vis, quam nos ei tribuimus, erit modò paulò antè prædicto explicanda; & hæc quando confirmatio est à persona superiore: quæ tamen eodem modo intelligenda, etiamsi sit ab eadem physicè persona, dignitate tamen sibi inæquali; vt si priuilegium dedit dum erat Episcopus, posteà verò illud confirmauit existens Papa; quo casu ea confirmatio habere potest vim specialem, ex eo quòd, cùm eadem sit persona, supponitur recordari illius priuilegij, & consequenter in forma speciali illud confirmare, vt docet Bartolus consilio 196. vniuersaliter tamen id verum non est, quia etiam propria priuilegia, quæ Papa contulit si sint particularia, seu non inserta in ius commune, non censetur scire: vt ergo ea confirmatio habeat vim specialis confirmationis, necessum erit ab ipso Papa fieri mentionem concessi à se olim priuilegij, dum in minoribus esset.

Declaratur doctrina cap. 1. de cõfirmatione vtili vel inutili.

Priuilegia à Papa collata & in ius cõmune non inserta non cẽsentur specialiter confirmata, nisi fiat eorum mentio.

Denique si ea communis confirmatio fiat ab alio omnino æquali in potestate, tunc vix vllum alium effectum habebit, quam maiorem quamdam auctoritatem, quatenus per eam magis declaratur voluntas Principis de eo beneficio & priuilegio conferendo: quod eodem modo intelligendum est, siue ea secunda confirmatio à diuerso successore in eadem dignitate, siue ab eodem permanente in ea prouenerit.

5. *Confirmatio facta ab æquali nil addit præter maiorem auctoritatem.*

4. *Quomodo verum sit, priuilegio dato à Papâ in formâ communi non posse contrauenire sententiam Iudicum inferiorum.*

Circa confirmationem verò in forma speciali generalis regula tradi solet, illam æquiualere nouæ donationi priuilegij, ita vt, esto priùs nullum fuerit, iam de nouo concedatur: nam si supponitur Princeps habere scientiã illius, vel supponitur noscere esse nullum, vel scire esse validum; si validum, illi credendũ est, & vt validum reputandum; si verò noscat esse inualidum, & tamen dicat se illud confirmare; debet necessario præsumi illud primò concedere, alioquin faceret scienter actum planè otiosum & inutilem: quod non est ei tribuendum. Adducuntur in confirmationem huius sententiæ cap. 1. & cap. *Veniens.* de transact. dubito an sint ad rem; nam in primo expresè addidit Pontifex hanc clausulam, *Vt si quid fortè incuriâ vel imperitiâ minus firmitatis insertum est, vires plenissimæ notionis ex hac nostrâ auctoritate suscipiat.* Nemo autem dubitare potest,

Confirmatio in forma speciali aquiualet donationi priuilegij.

Cap. Veni. & de transact. & cap. 1. non faciunt hic ad præsentem quæstionem.

Digitized by Google

test,si Pontifex ipse dicat, *Volo,vt si nullũ fuit illud priuilegium,ab hoc tamen tempore validum sit*, illud fore validum:at cum alia priuilegia speciabia non habeant necessariò talem expressam clausulam,non potest ex hoc capite probatio vniuersalis eius conclusionis inferri. Cap. *Veniens*. etiam non vrget,tum quia in eo non est sermo de confirmatione in formâ speciali,sed absolutè de omni confirmatione; tũ quia ibi non agitur de confirmatione priuilegij,sed transactionis inter priuatas personas Ecclesiasticas;quæ non videbatur habere vim,nisi ex confirmatione Papæ : in quo eodem sensu loquitur cap.2. de pactis : meliùs id suadetur ex cap. *Examinata*. de confirmatione vtili;quod suprà citauimus : in illo enim ob eam præcisè rationem videtur confirmatio vnius priuilegij inualidi reiici, quòd data fuerit in formâ communi;ergo è contrario supponit Pontifex, si fuisset data in formâ speciali,futuram efficacem, esto priuilegium primum nullum fuisset.

Melius probari potest ex cap Examinata.

6. *Obiectio.*

Dices,Verbum *confirmamus* non habet vim significandi nouâ concessionẽ, ergo gratis eo modo extenduntur priuilegia. Respõdeo,ex aliis cap. subintelligi eam explicationem,maximè ex scientiâ,quam supponitur Princeps tunc habere.

Solutio.

An confirmatio facta per verba ex certa scientia *sit valida si Princeps nescijt priuilegium esse inutile. Affirmatiua tenenda.*

Rogabis, Quid si ergo re ipsâ Princeps non sciat illud fuisse inutile,etiamsi alioquin testetur se ex certâ scientiâ illud confirmare? Aliqui dicũt non valere eam confirmationem. Verùm hæc doctrina est valdè scrupulosa, quia esset moraliter reddere incerta omnia talia priuilegia : deberet enim semper interrogari Princeps,an sciuerit eam nullitatem. Ratio etiam suffragatur; nam quando dicit *ex certâ scientiâ*, vult supplere aliquem defectum,quem suspicatur posse ibi interuenire:ad hoc autem sufficit voluntas conditionata supplendi,*si sit*,quæ virtualiter ibi includitur;etiamsi non sciat absolutè fuisse defectum.

7. *Duæ quorundam limitationes, sed non necessariæ.*

Duæ limitationes solent addi, quæ meo iudicio non sunt necessariæ: vna est,quòd res confirmabilis pendeat in sua validatione à Principe solo:si enim matrimoniũ v.g.est inualidum, non potest Papa suâ voluntate illud facere validum, licet possit tollere impedimenta ad illud. Hæc regula in præsenti non est necessaria, quia hîc agimus de priuilegiis,quæ à solo Principe accipiunt suum valorem. Secundò,quia ea limitatio ex naturâ rei est nota ; nec necessum est eam specialiter adhibere. Secunda est,in ea confirmatione ex certa scientia non debere addi verba, quæ denotent nolle Pontificem illud priuilegium innouare, si inualidum sit ; sed neq; hæc est necessaria, quia ex terminis notum est, quòd si Pontifex id dicat,non validabuntur priuilegia.

An verba prout sunt in vsu *significẽt non confirmari priuilegia inualida.*

Potest tamen citra hoc dubitari Primò, an, si dicat Pontifex, *prout sunt in vsu*,denotet se nolle confirmare omnia quæ sunt inualida. Affirmant nonnulli: nihilominùs dicendũ, si ea sunt in vsu, esto inualida sint,non excludi per eam clausulã; vt patet ex eius significatione. Secundò potest in dubium verti:quid si addat Pontifex, *Dummodo sub nullis reuocationibus sint comprehensa*. Respondeo intelligenda prout sonant,vt scil.non sint ab vllo Pontifice aut Concilio reuocata:& idem de similibus clausulis dicendũ : debet enim attendi earum significatio. Aduertit autem Emanuel Rodriguez, quem sequitur & refert Suarius n. vlt. etsi Pontifex dicat, *Dummodò non sint contraria Concilio Tridentino* v.g.nõ propterea nolle inualidare ea priuilegia quæ sunt contra leges in eo Concilio statutas, sed præcisè ea priuilegia, quæ sunt reuocata per illud Concilium : aliud enim est,priuilegium esse contrariũ Tridentino, aliud, esse per illud reuocatum:& licet verba Pontificis vniuersalia sint, extendantúrque etiam ad contraria, tamen ea priuilegia, quæ non reprobat Concilium, sed permittit concedi, non videntur esse propriè contraria illi, etiamsi sint exceptiones ab eis legibus ; quo sensu explicant Bullam Pij IV. quæ incipit, *In Principis Apostolorum*, &c. in quâ reuocantur priuilegia contraria Tridentino, hoc est, quæ reuocata sunt per Tridentinum, inquiunt hi auctores.

Sententia Suarij circa verba, Dummodò non *sint contraria Concilio Tridentino.*

Ego tamen non possum probare hanc explicationem; Primò, quia est valdè violenta ; nam *contraria Tridentino* significat propriè ea quæ sunt contra Tridentinũ, siue ab eo reuocata sint, siue non : sicut quando dicimus *priuilegium contra ius commune*, non intelligimus præcisè priuilegium annullatum per ius cõmune, sed vniuersaliter priuilegium dispensans in iure communi: si ergo in aliis locis Canonicis, quando dicimus *contraria iuri*, id intelligimus, quo fundamento possumus aliter sentire, quando dicitur *contraria Tridentino?* Secundò,quod de Bulla Pij IV. dicitur multò magis displicet; nam si Pius IV. ea solùm intellexisset quæ erant reiecta per Tridentinum,ergo frustrà edidit illam Bullam; nam talia priuilegia,eo ipso quòd à Pontifice Tridentinum approbatũ fuit,erant iam reiecta & reprobata, ergo non fuit necessum vllo modo nouam Bullã conficere;ergo non solùm intellexit ea priuilegia quæ à Tridẽtino erant reprobata,sed quæ erant contraria Tridentini statutis directis:& hoc ipsum Pontifex in illâ Bullâ insinuat,dum cõmendat varia & salubria decreta & statuta Concilij, quibus dicit contrariari ea priuilegia:at varia & salubria statuta ea maximè intelligũtur, quæ directè cõtra mores versantur, non autẽ illud quasi vnicũ,quod reprobat priuilegia;ergo agit de priuilegiis quę sunt contraria directè eis statutis, etiamsi reflexè non sunt per Tridentinũ reuocata.

8. *Reijcitur.*

Dices:Fortè hæc difficultas etiam est cõtra me, quia in Tridentino omnia ea priuilegia reuocantur quæ sunt contra Canones ipsius Cõcilij,ergo idem est esse contra Tridentinũ & esse ab eo reuocata. Respondeo negando assumptũ;nam genus,vt dicunt Iuristæ,non derogat speciei,etiamsi sit posterius : ergo cùm non in omnibus decretis dixerit Tridentinum *non obstantibus priuilegijs*, &c.sanè non omnia cõtraria priuilegia reprobauit:debuit ergo edi posteà Bulla eâ de re:vt autẽ Bulla intelligit *tò contraria Tridentino*, ita intelligunt cæteri Pontifices. Et satis de hoc puncto.

Obiectio.

Solutio.

SVBSECTIO III.

Vtrùm confirmatio ex certâ scientiâ reualidet priuilegia iam reuocata.

9. *Affirmatiua reijcitur.*

AFfirmant aliqui; quos benè P. Suarez reiicit cap.9 n.2. Nam si Pontifex ex certâ scientiâ reualidans omnia priuilegia Religionis sine ea limitatione, *Dũmodò Tridentino non sint contraria*, censeatur contraria reualidare, sequeretur inde, reualidari in eâ Religione omnia priuilegia quæ per Tridentinũ fuerant reuocata: id quod absurdum est; nã tales confirmationes habet Societas à Pio V. Gregorio XIII. & XIV. ac Paulo IV. & tamen non possumus dicere,in Societate esse ea omnia priuilegia quæ fuerunt olim in Religionibus omnibus & per participationem in Societate, quãtumuis ea fuerint per Tridentinũ reuocata. Ergo huic quæstioni respondendũ est Primò,

Priuilegium falsum & subreptitium nõ reualidatur per confirmationem ex certâ scientiâ.

Digitized by Google

si priuilegium fuit falsum & subreptitium, non reualidari vllo modo per confirmationē etiam ex certâ sciētiâ, quia Princeps non videtur tunc velle fauere nequitiæ & fraudibus extorquentiū anteà priuilegium. Aduerto tamen meo iudicio minùs benè à P. Suario addi, *Non reualidari priuilegium, quod aliquo ex capite nullum fuit*; etenim, si hoc verum est, quomodo, quæso, stat hæc conclusio cum alterâ, quòd confirmatio ex certâ scientiâ habet vim confirmandi actum nullum efficiendo illum validum, quam tradiderat cum communi idem P. Suarez cap. 18. num. 12.

10. Dicendum ergo in præsenti est, illud solùm priuilegium non reualidari per confirmationem etiam ex certa scientia, quod nullum fuit ex subreptione & falsitate, aut, quod nullo planè modo à Principe concessum erat, sed in petitione confirmationis fingebatur fuisse concessum; reualidari autem omnia quæ verè data erant à Principe, esto ex aliquo alio capite nulla essent; v.g. quia contraria erant iuri alicui particulari, vel quia non erant iam in vsu, &c. Addendum tamen, quod alioquin est perse manifestum, si Princeps dicat se illud concedere, etiamsi ex subreptione vel alio ex capite nullum fuerit, tunc eo casu verè illud de nouo concedi; quia id potest Papa efficere, & ostendit se velle, ergo.

Priuilegia data à Principe & ex aliquo capite nulla reualidantur per confirmationem ex certâ scientia.

Si confirmationis forma desumatur ex tenore priuilegij, nō verò addatur ex certâ scientiâ, non reualidantur priuilegia ab homine reuocata. Si addatur ex certâ scientiâ, *& fiat mentio priuilegij, reualidatur priuilegium ab homine reuocatum.*

Secundò dicendum est, Si forma specialis confirmationis solùm desumatur ex eo, quòd in ea inseratur tenor priuilegij, non verò addatur *ex certa scientia*, non videtur reualidare priuilegiū reuocatum ab homine; quia quoad reuocationē non videtur procedere ex certa scientia, quandoquidem nec de ea facit mentionē in ipsa narratione (vt supponimus;) neq; per verbum *ex certa scientia* declarat se illam scire; & cùm sit priuata reuocatio, non præsumitur sciri à Principe, ergo non putatur supplere illius defectum.

Tertiò dicendum, si in confirmatione sint hæc verba, *ex certa scientia*, & specialis mentio fiat eius priuilegij, omnino illud reualidari, quia per *tò ex certa scientia* debeo ego intelligere Principem sciuisse iam illud esse reuocatum. Addidi, *si fiat mentio in particulari illius priuilegij*; nam ea conclusio vniuersalis & sine hac exceptione, vt traditur cōmuniter, non mihi placet vllo modo: nam priuilegia, quæ Dominicani aut Benedictini habuēre ante 400. aut mille annos, & statim fuēre reuocata, non possunt iam de præsenti vllo prorsus modo dici priuilegia Dominicanorū aut Benedictinorū: neq; præsumitur Princeps per clausulam vniuersalem, qua dicit, *Approbo omnia priuilegia Dominicanorū*, ex certa scientia alludere ad ea priuilegia à tanto tēpore reuocata; at quādo de illo priuilegio facit mentionem, & dicit se ex certa scientia illud confirmare, iam necessariò debet supponi eius intentio dirigi ad illud, & aliunde ipsum scire reuocationem illius; ergo censetur de nouo illud reualidare: id confirmabitur ampliùs ex dicendis infrà de innouatione.

11. Ex hac mea limitatione decidetur clarè vna alia difficultas, quam P. Suarez & Emanuel Rodriguez apud ipsum non videntur satis consequenter explicare; ea autem est, vtrùm, quando reuocatio priuilegij facta est iure communi, reualidetur per confirmationem ex certa scientia: cùm enim ex vna parte Princeps censeatur habere in pectore ius commune, censetur etiam scire eam reuocationem factam iure communi: quod si scit, & nihilominùs confirmat priuilegiū, haud dubiè illud restituit; alioquin nihil tunc ageret;

Vtrùm priuilegium reuocatum iure communi reualidetur per confirmationem ex certâ scientiâ. Ratio dubitandi.

ex alia verò parte, cùm reuocatio per Tridentinū facta sit iuris communis, iam eo ipso quòd Pontifex confirmauit sine restrictione ex certa scientia priuilegia Societatis, videretur reualidasse omnia quæ per Tridentinum erant reuocata: id quod vt graue absurdum paulò antè illatum fuit à nobis. Huic difficultati respondent hi auctores, non intelligi Pontificem derogare iuri Concilij, nisi facta expressa mentione illius, licet alij iuri communi sine ea mentione derogetur. Solutio hæc mihi non placet, quia si Pontifex scit reuocationem Concilij (vt hi auctores supponunt præsumi de Pontifice) & nihilominùs confirmat illud priuilegium, necessum est fateri vnum è duobus, vel illum serió velle reualidare tale priuilegium, vt contendo; vel ridiculè dare illam confirmationem: quod est absurdum: addo, quod suprà dixi, cùm decreta Conciliorum non habeant aliam vim obligandi quàm ex voluntate Sūmi Pontificis, tam videri irreuocabile ius commune à Pontifice solo inductū quàm priùs propositum à Concilio, & posteà à Pontifice confirmatum; nam licet negare nequeam, aliquam auctoritatem ex eo capite habere, quòd sit à tantis viris res proposita; at ea auctoritas quoad vim obligandi & irreuocabilitatem quasi intrinsecam nihil iuuat; ergo ea solutio non est sufficiens.

Sententia Suarij & Rodriguez.

Reijcitur.

12. Meliùs ergo & clariùs ex limitatione à nobis proposita respondetur, eo ipso, quòd ea priuilegia iam sint reuocata, non censeri Principem agere de illis per clausulam vniuersalem, qua confirmat omnia priuilegia Societatis v.g. etiamsi dicat, *ex certa scientia*; quia hic terminus referendus est ad actualia, non ad ea quæ planè iam non sunt, nisi ea in particulari commemoret, iuxta dicta paulò antè: cùm ergo in confirmandis priuilegiis Societatis Pontifices non fecerint mentionem eorum, quæ per Tridentinum erant reuocata, etiamsi addiderint *ex certa scientia*, nullatenus censentur ea reualidasse. Neque contra hanc solutionem habet locum ea obiectio, quòd scilicet Princeps præsumatur scire eam reuocationem; nam id admittimus libenter; quia tamen verba nullo modo ad ea reuocata diriguntur, sed potiùs ea excludunt, ea enim iam non sunt priuilegia, fit, vt ex scientia eius reuocationis non inferatur Pontifex restituere illud priuilegium; quia id solùm infertur, quando ad illud verba diriguntur.

Soluitur quæstio.

Occurritur cuidam obiectioni.

Dices, Ergo priuilegia, quæ per non-vsum sunt quasi obliterata, etiam non renouabuntur per illam clausulam: cuius tamen contrarium suprà diximus. Nego consequentiam, quia ea re ipsa non sunt planè abolita, sed verè manent, licet (vt sic dicam) sepulta, nisi tamdiu ille non-vsus fuerit continuatus, vt sufficerit ad destruendum omnino priuilegium, iuxta ea quæ inferiùs dicturi sumus de cessatione priuilegij per non-vsum, vel per actum contrarium.

Obiectio.

Solutio.

Secundò dices, vt quid ergo in aliquibus Bullis specialiter additur, *Dummodo non sint per Tridentinum reuocata*, quandoquidē, etiamsi ea clausula non addatur, semper tamen subintelligitur? Respondeo Primò, etiam teneri huic difficultati P. Suarez satisfacere, qui, licet ex alio fundamento, asserit tamen (vt diximus) eam intelligi in omni cōfirmatione ex certa scientia, etiāsi expressè non addatur. Respondēt ergo absolutè nonnulli, positam ad excludenda alia Concilia, contra quæ Pontifex ostendit se dare priuilegia, quæ exceptio firmat regulam in contrarium: id quod confir

Altera obiectio.

13. *Quorumdam solutio.*

Digitized by Google

confirmant; nam licet in generali facultate absoluendi non includantur casus reseruati; si tamen in particulari excipiantur aliqui ex eis, censetur data facultas absoluendi à reliquis. Hæc solutio, etsi vtcumque ingeniosa, non tamen videtur sustinenda; Primò, quia ex eâ sequeretur, eiusmodi particulam ampliare potiùs absolutè priuilegium quàm restringere, quod est valdè durum, cùm ex ipsâ voce *Dummodò non sint*, &c. constet poni ad limitandum: sequela verò probatur, quia si ea particula non fuisset posita, essent excluſa omnia priuilegia contra omnia Concilia, vt hi auctores admittunt; at positâ eâ solùm excluduntur quæ sunt Tridentino contraria, cætera admittuntur, ergo extenderetur potiùs priuilegium quàm coarctatur. Faciliùs respondeo, etiamsi ea clausula intelligatur semper virtualiter, nihilominùs poni ad maiorem declarationem, specialiter verò fieri mentionem Tridentini, quia recentius est, & magis exactè de moribus egit, pluráque priuilegia retractauit. Ea verò ratio, quòd exceptio firmet regulam in contrarium, non habet locum, quando exceptio maioris claritatis gratiâ ponitur; vnde in eodem exemplo de casibus reseruatis dico, etiamsi Pontifex, dans licentiam ad absoluendum à peccatis, faceret exceptionem alicuius reseruati, non propterea censeri cæteros casus inclusos, nisi aliunde de mente concedentis constaret.

Reijcitur.

Satisfit obiectioni.

SVBSECTIO IV.

Quomodo extendatur confirmatio ex certâ scientiâ.

14. *Status quæstionis explicatur.*

QVærimus, vtrùm, quando Pontifex confirmat priuilegia Societatis v. g. censeatur etiam confirmare omnia priuilegia aliarum Religionum, quæ cum Societate in priuilegiis communicant, ideóq; ea confirmatio admittat extensionem. Pro solutione aduertendum, eam vim communicandi in priuilegiis posse esse vel solùm circa concessa, & tunc sine dubio non communicari eam confirmationem, quam supponimus esse priuilegium posterius: & hoc probatur ex dictis suprà de priuilegio *ad instar*; nam si, postquam illud est communicatum, augeatur exemplar, non transit illud augmentum in priuilegium *ad instar*, nisi in eo dicatur, *ad instar alterius nunc & in futurum*: si verò ius communicandi in priuilegiis extendatur etiam ad futura, vt de facto est in multis Religionibus, dicendum est, omnino communicari eam confirmationem, quia ea est vera gratia; ergo participatur ab aliis vi eius virtutis communicatiuæ in gratiis etiam futuris: id quod ob eamdem rationem dicendum videtur de confirmatione in formâ communi; nam etiam illa qualisqualis est priuilegium, ergo eodem modo debet ad alios transire. Doctrina autem hæc maximè habet locum in his priuilegiis Societatis v. g. quæ etiam communicantur aliis; nam in illis clarissimè apparet, quòd, factâ eorum confirmatione in Societate, fiat etiam pro aliis.

Distinguitur duplex vis cõmunicandi in priuilegijs.

15. *An, dum confirmãtur priuilegia particularia, confirmentur etiam omnia particularia & cõmunia eorum qui cõmunicant. Aliqui affirmant.*

Difficilius erit, si Societas habeat singularia aliqua, quæ ob specialem clausulam non cõmunicentur aliis, an tunc, factâ eorum singularium confirmatione, confirmentur omnia aliarum Religionum tam singularia quàm cõmunia; vel è contrario, an, factâ confirmatione priuilegiorum Societatis, confirmentur ea quæ Dominicanorum sunt propria, & in quibus non cõmunicant cum Societate. Aliqui omnino affirmant, quia ea confirmatio est fauor; atqui ea Religio habet priuilegium participandi omnes fauores, ergo Confirmant: Si Pontifex det Iesuitis priuilegium pro festiuitate suorum Sanctorum, censetur illud cum proportione transire ad Dominicanos in ordine ad eorum festiuitates, ergo eodem modo in præsenti. Ego tamen contrarium puto probabilius, & quidem, si confirmatio sit eorum priuilegiorum specialium, certè non transit ad alias Religiones quoad communia priuilegia: si enim, vt supponimus, non confirmat Pontifex omnia Societatis, sed ea quæ sunt propria illius, multò minùs eo ipso dicendus erit extra Societatem confirmare communia: non enim potest vi communicationis transire ad alios quod Societati non conceditur. Secundò, ob eamdem rationem non videtur transire ea confirmatio ad alia specialia Dominicanorum v. g. quia Pontifex confirmans ea quæ sunt propria Societatis, etiamsi id faciat ex certâ scientiâ, non censetur noscere quæ sint propria Dominicanorum, quia ea ab his quæ confirmat sunt diuersa; ergo neque ea censetur confirmare: neq; ratio in contrarium de cõmunicatione obest; nam sicut, non obstante eâ cõmunicatione, sunt aliqua priuilegia specificalia, quæ non communicantur, ita nec eorum confirmatio debet communicari, quia confirmatio sequitur naturam ipsorum priuilegiorum, éstq; per modum nouæ donationis eorum: ergo sicut prima donatio eorum particularium pro Iesuitis non fuit donatio particularium pro Dominicanis, ita neque confirmatio seu secunda donatio particularium Iesuitarum fuit confirmatio aut donatio particularium pro Dominicanis.

Negatiua pars est probabilior.

Ratio.

Ratio conclusionis ampliùs deducitur.

16. *Quid sentiendum sit de confirmatione priuilegiorũ communium, an ea cõmunicetur & extendatur ad specialia. Negatiua cum Suario defenditur.*

In secundo sensu, si sit confirmatio priuilegiorum communium, difficultas tractatur à P. Suario suprà n. 11. & 12. contra Mendosam affirmantem tunc extendi ad alias Religiones quoad priuilegia etiam specialia, negatiua autem resolutio approbatur, & probatur à P. Suario, quia Papa volens confirmare omnia priuilegia Iesuitarum, non cogitat vllo modo de propriis Franciscanorum, seu, vt clariùs dicam, non cogitat (implicitè loquor) de Franciscanis, nisi quatenus communicant cum Societate in priuilegiis, nam quatenus sunt omnino à Iesuitis diuersi, non communicantes cum eis, non potest eos comprehendere Pontifex nec expressè neque implicitè, dum solùm agit de Iesuitis. Confirmatur ratione à me paulò antè factâ: vt enim ea priuilegia sunt extraordinaria, & in quibus non communicant Dominicani cum aliis, ita etiam non gaudent priuilegio communicationis in confirmatione. Qui discursus mihi placet, neque maiori indiget declaratione.

17. *Respondetur ad fundamenta & instantias sententiæ oppositæ.*

Iam ad rationem oppositam dicimus, etiàm Dominicanos tunc frui eâ confirmatione non quoad priuilegia specialia, id enim propter dicta non potest fieri, sed quoad cõmunia. Ad instantiam de cõmunicatione circa festa propriæ Religionis in primis respondeo, fortasse malè id supponi in argumento; non enim ex eo, quòd dentur Patribus Franciscanis Indulgentiæ pro sancti Francisci festo, dantur Iesuitis pro festo sancti Ignatij: sed quidquid de hoc sit, secundò respondetur, ea priuilegia esse communia omnibus suo modo seu sub ratione generali celebrandi festa Religionis; tunc enim vna Religio illa applicet ad sanctũ Dominicum, altèra ad sanctũ Ignatium, & sic de aliis: nos autem loquimur de priuilegiis

quæ

Digitized by Google

quæ sunt potè pòtè particularia; ad quæ dicimus non transire vllo modo confirmationem factam pro priuilegiis alterius Religionis.

Obiectio. Dices: Ergo non erunt æquales illæ duæ Religiones in priuilegiis, quia vna habet cõfirmationem suorum omnium etiã specialium & propriorum, altera verò solùm communium; hoc autẽ est absurdum. Respondeo negando id esse absurdum; *Sciutio.* omnes enim necessariò debent fateri, posse Religiones esse in priuilegiis inæquales: etenim ea ipsa specialia & propria non sunt in omnibus æqualia; quid ergo mirũ, si nec in confirmatione illorum æquales sint? Secundò respondeo in hoc posse esse æquales, quatenus posteà, si cõfirmentur omnia alterius Ordinis, nõ confirmantur specialia huius, sicut è contrario priùs euenerat.

SECTIO II.

De innouatione priuilegiorum.

18. QVia aliquando post verbum *confirmamus* additur *innouamus*, seu, *de nouo concedimus*, oportet aliquid de eius verbi efficaciã dicere. Cõmunis sententia tenet innouationem non distingui à confirmatione; & verò Latinè idem fere significant; ideò distingui solet duplex innouatio; vnã in formã cõmuni, non ex certã scientiã, altera verò in formã speciali seu ex certa scientiã. De prima dicitur communiter vix aliquid efficere, vt & de confirmatione in eadem forma traditũ est, idcóq; nõ restituere priuilegia reuocata, aut quomodolibet amissa, vt patet ex cap. *Quia intentionis*, de priuilegiis; vbi hæc habentur, *Cùm innouatio nec sua nouit conferat, nec etiam tollat vetus*: vnde quando in cap. *Ex parte*, de priuilegiis dicitur, *duximus innouandum, ita tamen vt per innouationem ipsius eidem Ecclesiæ non plus iuris accedat*; illa particula *ita tamen* non est accipienda vt coarctans vim innouationis, quasi, casu quo posita non fuisset, vt *innouare* contulisset maius ius; hoc enim contrarium est alteri cap. posita est ergo pro maiori declaratione innouationis. Hæc eadem conclusio patet ex Bulla Iulij II. an. 1504. quæ incipit, *Si militantis*: vbi rogatus Iulius quid significaret verbum *innouo* à Sixto IV. positum, an scil. reuocares antiqua priuilegia; respondet, per ea verba solummodò esse confirmata priuilegia concessa eidem Ordini & aliàs non reuocata. Nonnulli tamen huic innouationi etiam in forma communi assignant hunc specialem effectum, quòd ad præscribendum contra illud priuilegium sic confirmatum necessarium sit cõputari tempus à die innouationis; ita vt si anteà inceptæ erat præscriptio, & nondum cõpleta, cessetur per innouationem omnino interrupta, vt iam debeat de nouo inchoari. Verùm hi auctores, cùm nullam rationem huius pro eo effectu adducant, non videntur benè discurrere.

Communis sententia nõ distinguit innouationem à confirmatione.

Innouatio alia est in formã communi, alia in formã speciali. Innouatio in forma cõmuni nõ reualidat priuilegia reuocata.

Probatur ex Bullã Iulij II. an. 1504.

Aliqui specialis effectus, qui ob aliquibus datus innouationi in formã cõmuni:

sed sine fundamento.

19. *Obiectio.* Dices: Innouatio est restitutio priuilegij ad statum pristinum, ergo per eam impeditur præscriptio. Sed contrà, quia sicut cõfirmatio in forma communi non habet hunc effectum, vt suprà ostẽsum, ita nec illum habebit innouatio in eadem forma. Ad rationem respondeo, Esto priuilegium relinquat in valore, non ideò impedire eam inchoatam præscriptionem; nam quamdiu præscriptio non est perfecta, priuilegium est in valore.

Innouatio ex certã scientiã nõ reualidat priuilegia reuocata. Ratio.

Circa innouationem ex certa scientia dicunt multi, per eam reualidari priuilegia etiã reuocata. Verùm id mihi minùs probatur ob dicta suprà de cõfirmatione ex certã scientiã; nam priuilegia, non plus quingentos annos ante reuocata in Ordine sancti Benedicti, non potest censeri Princeps nunc comprehendere inter priuilegia Benedictorum, quia reuerà iam nõ sunt eorum priuilegia, & certa scientia, ex quâ dicitur conferre eam confirmationem aut innouationem, non debet cadere supra ea antiqua priuilegia, sed supra illa quæ tempore concessionis sunt quasi in dubio, an sint eorum; & consequenter possunt tunc aliquo modo vocari eorum priuilegia, nisi fortè ea specialiter & determinatè enumeret Pontifex. Id autem clarè confirmatur ex declaratione allata Iulij II. quæ fuit de innouatione ex certa scientia: quòd enim respondent aliqui, quos sequitur P. Suarez, eam Bullã fuisse datam ex mala informatione, & consequenter in rei veritate esse inualidam, mihi videtur improbabile; nam si semel eo modo liceat interpretari Bullam Pontificum, omnes planè eorum definitiones subruere poterimus. Et sanè non est præsumendum, Patres Franciscanos proponentes Iulio verba Sixti IV. solùm propofuisse verbum *innouo* non propositâ eâ clausulâ *ex certâ scientiâ*: vt enim sensum verbi colligere possent, debebant sine dubio saltem integram clausulam proponere.

Confirmatur ex Bullã Iulij II.

20. *Obiectio.* Dices, Necessariò debemus fateri per Sixtum IV. fuisse reualidata ea priuilegia etiam antè reuocata, quia id insinuat eius verba; ergo Iulium, qui contrarium videtur declarare, debemus ita explicare, vt faciat sensum omnino contrarium. *Solutio.* Respondeo Primò, Si Sixtus IV. in eâ Bullâ dicat se reualidare priuilegia etiam reuocata, tunc eum effectum non tribuendũ verbo *innouando*, de quo nunc agimus, sed illis aliis, quæ clarè significant eam reualidationem etiam reuocatorum. Non enim negamus, Papam id posse facere (est enim id extra controuersiam) sed dicimus, per verbum *innouare* etiam ex certâ scientiâ id nullo modo significari. Secundò respondeo, ea verba non intelligenda de priuilegiis omnino olim reuocatis per ius, sed de iis quæ tunc temporis aliquo modo dici poterãt illorum: vt enim P. Suarez & alij fatentur, etiam si ea verba sint supplentia omnes defectus iuris & facti, &c. non tamen per eiusmodi comprehendi defectus subreptionis, doli, &c. ita eodẽ modo dico, non intelligi priuilegia, quæ fuerant ità reuocata, vt ità nullo modo conferentur eorum Religiosorum: & quidem maius fundamentum ego habeo ad eam restrictionem, quia illa non dicuntur tunc iam priuilegia eorũ, quàm ad dicendum in eis quæ dicuntur illorum non suppleri defectum subreptionis, cùm circa talia Pontifex maximè vniuersalem clausulam ponat, *Omnes & quoscumque defectus iuris & facti*, &c. per quod (vt dixi) non nego posse, si velit Princeps, eos defectu supplere de plenitudine potestatis.

SECTIO III.

Aliquæ difficultates circa valorem & effectum priuilegij.

21. EXpedire hîc breuissimè quæstiunculas aliquas, quæ superiùs fere in aliis materiis factæ sunt; quas qui fusiùs tractatas videre voluerit, legat Patrem Suarez à cap. 21. Prima est, an ad concedendum priuilegium sit necessaria causa iusta. Respondeo, Cùm priuilegium sit rigorosum

An ad concedendum priuilegium requiratur iusta causa.

Digitized by Google

Si priuilegiũ sit cõtra ius, idẽ dicendum quod de dispensatione; si verò sit præter ius, requiritur alia causa, minor tamen quàm si esset contra ius.

sit contra ius, & eo ipso sit dispensatio propria in iure, ex eo capite eodem planè modo requiri ad priu legium causam iustam, quo suprà de dispensatione diximus: de quo puncto, ne eadem repetamus, nihil amplius addendum censeo. Lege quę in disput. de dispensatione suprà dicta sunt. Quâ parte verò priuilegium est præter ius, dicimus etiam requirere aliquam causam iustam, nõ quidem tantam, quantam primum; quia hoc secundum cùm sit donatio nulli contraria aut nociua, sine dubio faciliùs exerceri potest licitè quàm illa; quia tamen ex his priuilegiis excitari in aliis solent inuidiæ, quæ valdè perturbant pacem; ne item Princeps prodigè dispergat bona & beneficia, debet aliqua iusta causa intercenire.

22. *Quando censeatur priuilegiũ ex subreptione nullum.*

Posset circa hoc quæri, quando ex subreptione priuilegium censeatur nullum. Respondeo, discurrẽdum sicut de dispensatione: si ergo Princeps ex motu proprio illud dat, validum erit, etiamsi nulla detur causa; si verò detur ad instantiam, & in proponendis aut reticendis causis vel impedimentis committatur error substantialis & sufficiens vt reddatur inuoluntaria concessio, eo ipso priuilegium nullum erit vt de dispensatione dictum est.

Priuilegium præter ius datum sine causâ validum est si dolus abfuit.

Illud specialiter notandum, etiãsi cum aliquibus dicamus, dispensationem & consequenter priuilegium contra ius sine causâ sufficienti datum esse non solùm illicitum, sed etiam inualidũ, nihilominùs priuilegium præter ius etiam sine causâ datum validum esse, quando non interuenit dolus quo decipiatur concedens, vt paulò antè diximus. Disparitas inter hæc duo ea est, quòd in primo fit aliquid contrarium legi, in quâ iuxta eam opinionem non habet Princeps vim dispensandi sine causâ; at in secundo nihil fit contra legem, sed est quædam donatio vt summùm prodiga; quæ tamen valida est, esto nulla sit causa donandi. Quæ autem causæ requirantur & sufficiant ad concedendum validè primum priuilegium, non potest per generalem regulam determinari, sed id prudenter considerandum, attentâ qualitate personæ, materiâ priuilegij, & cæteris occurrentibus circumstantiis.

23. *Qui & quot sint effectus priuilegij. Pater Suarez ponit tres;*

Secũda præcipua difficultas circa effectus priuilegij est, quot illi, & qui sint. P. Suarez cap. 23. dicit esse tres, etiamsi à nullo auctore in terminis eos viderit numerari; addit tamẽ re ipsâ apud omnes inueniri; sunt autem; Primus in ipso priuilegiato, cui dat facultatem faciẽdi hoc aut illud; Secundus in reliquis personis, quas obligat ad seruandum priuilegiato illud ius: Tertius derogatio iuris; qui tamen effectus non conuenit nisi priuilegio, quod est contra ius. Ego tamen hunc non censerem vllo modo esse distinctum à primo, ideóq; propriè non esse nisi duos effectus; etenim derogari legi me obliganti ad ieiunandum v. g. nihil aliud est formalissimè, quàm me licitè posse non ieiunare, non obstante eâ lege generali: hic autem est primus effectus, id est facultas faciendi quod antè non poteram, licet diuersis verbis explicetur. Sed res est parui momenti, & fortè de modo loquendi.

sed in rigore nõ videntur esse nisi duo.

Quid cõferat priuilegium ecclesiæ ad rem alioquin licitam.

Iam in particulari circa quemlibet ex his aliquid dicamus: in primis quæri potest, quomodo sit priuilegium illud, quod datur, ad pacandas conscientias, vel etiam aduersarios, quas alioquin homo poterat sine priuilegio facere. Sed de hac difficultate suprà fusiùs, vbi diximus, per illud conferri auctoritatẽ aliquam ei actioni, & valere; vt si postea per generalem legem ea actio prohibeatur, nihilominùs, qui priuilegiũ illud habet, adhuc possit licitè exercere eam actionem, nisi in particulari illud priuilegium reuocetur per clausulam *non obstante*, &c. iuxta dicta suprà. Addo tamen, si verba priuilegij exigãt fauorem specialem etiam quoad rem ipsam, debere ita intelligi, & non solùm explicanda de priuilegio quoad modum aliquem eamdem rem alioquin anteà licitam exercendi, esto in ipso priuilegio fiat mẽtio eius noui modi seu noui tituli; tunc enim duo censendum est conferre, & nouum ius ad rem priùs licitam, & ius ad rem anteà illicitam; de quâ in priuilegio fit mentio. Imò si verba priuilegij sint vniuersalia, & comprehendant in sua significatione tam rem anteà iam licitam quàm non licitam, debere explicari de vtraque; esto absolutè potuisset vtcumq; limitari sensus ad solam rem licitam; quia non debemus eum fauorem ad solos nouos titulos limitare, vt diximus suprà. Hinc colligitur, si detur simplici Sacerdoti facultas audiendi confessionem, nõ debere intelligi solùm dari nouum titulum vt absoluat à venialibus, à quibus alioquin per se omnes Sacerdotes possunt, sed intelligendum est priuilegium de potestate absoluendi etiam à mortalibus; quia hæc simpliciter comprehenduntur sub eâ voce.

Verba vniuersalia priuilegij cõprehendentia rem licitam quàm illicit. ad vtrãq; extendi debent. Illatio ex dictis posita.

24. *Obiectio.* Replicabis, Ergo si quis habẽs potestatem absoluendi iam à mortalibus accipiat priuilegium audiendi confessiones, debet id intelligi de vi absoluẽdi à reseruatis; nam à non reseruatis iam anteà habuerat. Respondeo non dari vmquam Sacerdoti iam habenti facultatem tale priuilegium sic nudè sumptum nisi fortè, quia cõcedens ignorat illum habere eam facultatem; sed vel, si à Papâ concedatur, addi, vt in quocumque Episcopatu possit, vel, vt non indigeat nouo examine, &c. Quòd si poneremus ex certa scientia dari sub illis terminis, ego planè dicerem extendi ad reseruatos casus.

Solutio.

An priuilegiũ cõmunicans fauorẽ nisi derogetur, iuri communi, censeatur illi derogare. Sententia Suarez.

Difficilius est, an si priuilegij tenor nihil significet extraordinarium, in quo consistat fauor, nisi simul deroget iuri communi, debeat de eâ derogatione explicari. Suppono tamen illam non esse necessariam pro veritate verborum: si enim necessaria est, diximus in resolutione prima debere de ea intelligi. P. Suarez eo cap. 22. n. 9. satis dubiè respõdet; & videtur propendere ad dicendum non extendi, cùm tamen agens de forma priuilegij cap. 14. nu. 4. & 5. absolutè docuerit, si priuilegium sit inutile, nisi det aliquid contra ius, quod tamẽ cadat in proprietatem verborum, debere ad id extendi, etiamsi non habeat clausulam derogatoriã, *nisi ius sit qualificatum*; nos idem docuimus suprà, excepta limitatione de iure qualificato, quam ibi explicuimus; ideò in præsenti idem dico, neque aliud quod addam huic puncto video.

Ei subscribitur, cũ aliquâ limitatione.

25. *An priuilegij effectus fiant solâ fictione iuris, an verè & realiter. Solutur cum distinctione.*

Tertia præcipua difficultas est, an effectus priuilegij fiant solùm fictione iuris, an verè & realiter. Hanc etiam tetigi suprà declarando quid ius possit realiter, quid solùm per fictionem; diximus enim, si effectus sint quasi naturales, vt esse legitimum, antiquum Nobilem, non posse priuilegium similes efficere nisi per fictionem iuris; si verò sint ab ipso iure facti, nec requirant aliam conditionem physicam, quã ius non possit statim verò efficere, posse etiam facere similes effectus verè & realiter: vnde facultas ad licitè comedendas carnes per priuilegium obtenta verè est,

Digitized by Google

& non per fictionem iuris: in quo puncto nihil etiam video addendum.

An effectus fictione iuris causati æquiparentur effectui naturali. Respondetur affirmatiuè quoad effectus morales.

Moueri verò inde posset quæstio de nomine, an effectus fictione iuris causatus per priuilegium æquiparetur omnino etiam in appellatione effectui naturali. Respondeo, quoad effectus morales posse omnino cõparari, si Princeps extendat priuilegium; vt si nobilitando aliquem rusticum dicat, Volo, vt in omnibus effectibus, etiam pro illis locis, quæ requirunt nobilitatem antiquam, tua valeat non minùs quàm illa, &c. potest etiam dare cum minori extentione, quando autem de facto seu in quibus materiis sub nomine absolutè posito veniãt effectus tam qui sunt ex priuilegio quàm ex fictione iuris, v. g. quando nomine filij legitimi veniãt etiã legitimati, quãdo nomine Nobilis veniat Nobilis antiquus, &c. magis pertinet ad Iuristas; nec potest per regulam generalem, sed in particularibus materiis decidi.

26.

An priuilegium obliget priuilegiatũ aliquando ad aliquid faciendum. Potest obligare id que duobus modis. Primus.

Circa eosdẽ effectus in priuilegiato quæri potest an etiam aliquando priuilegiũ obliget ipsum qui eo fruitur ad aliquid faciendum. Respondeo, duobus modis posse obligare; Primo quando non potest quis renuntiare suo priuilegio: vt non potest Clericus renuntiare suo foro; & licet id magnâ ex parte inde proueniat, quòd in aliorum Sacerdotum præiudicium ea renũtiatio vertatur, absolutè tamen etiam ex indecentiâ in eo repertâ, quòd Sacerdos à laicis iudicetur, oriri credendum est. Vide quæ diximus suprà de renuntiatione priuilegij.

Secundus.

Secundo modo priuilegiũ per accidẽs obligare potest ipsum cui inest; vt quando per illud fit ei licita aliqua actio, & eo ipso ratione alterius legis obligatur ad eã actionem; vt qui habet priuilegium tempore interdicti audiendi Sacrum, obligatur die Dominicâ ad illud audiendum; vbi obligatio nõ à priuilegio, sed ab aliâ lege oritur: sicut infirmus non tenetur audire Sacrum, quia non potest; sanus verò tenetur, non quia sanitas obliget, sed quia facit possibilem actum: possumus autem eam sanitatem concipere quoad punctum præsens per modum priuilegij.

27.

An duo æqualiter priuilegiati teneantur ius mutuum seruare.

Iam ad alterum effectum obligandi alios: circa quem in genere illud debet dici, teneri cæteros seruare priuilegiato suum ius. Moueri autem dubium potest, vtrùm, si sint duo æqualiter priuilegiati, teneatur vnus alteri ius seruare; & quomodo. Breuiter respondeo, duobus modis posse aliquos esse simul priuilegiatos; Primò, vt omnino pares; vt duos Doctores, duos Episcopos, duos Nobiles, &c. Secundo modo respectiue, & quasi contrariè, si vnus habeat priuilegium vt possit omnes suos debitores incarcerare, alter habeat, vt à nemine possit incarcerari; tunc enim, si contingat hunc esse debitorem habebit priuilegium contrà alterum, ne ab eo incarceretur; & ille habebit, ve possit hunc incarcerare. In hoc puncto dubium etiam est, quis eorum præualere debeat.

28.

Si priuilegia sint omnino pares v. g. duo Doctores, tenetur mutuũ ius seruare.

DICENDVM breuiter Primò: Si priuilegia sint primi generis, certum esse, vtrumque priuilegiatum teneri seruare alteri suum priuilegium. Ponunt aliqui exemplum in duabus Religionibus; quarum quælibet habet priuilegium, vt professus nõ possit transire ad alium Ordinem: debent enim sibi attendere, vt neutra accipiat professum ex alterâ ad seruientem, item si habeant priuilegium non soluendi decimas, vbi vna gaudet priuilegio contra alteram, ideoq; non tenebitur alteri soluere, etiam si contra ipsam habeat illa altera ius decimarum. Hæc exempla mihi non videntur pertinere ad primi generis compriuilegiatos, sed ad secundos; nam in eo exemplo Religio habet ius accipiendi alios professos, sicut in exemplo suprà posito habet creditor incarcerandi omnes suos debitores: altera verò Religio habet ius non permittendi eum transitum, sicut debitor habet ius, vt non incarceretur: & idem dico de altero exemplo circa decimas, quia vnus habet ius petendi, alter non soluendi. Faciliùs ergo ponetur exemplum in Nobilibus; si v.g. habent ius, vt tali vel tali titulo tractentur; tunc enim vnus habet ius vt ab alio eo modo, alter vicissim; vt v. g. Comes hic vocet illum Comitem Illustrissimum, & è contrario; quia in eiusmodi vsu priuilegiorum nulla est contrarietas.

Reijciuntur quædam exempla vt impertinentia ad præsentem casum.

In concurrentiâ verò aliquo modo contrariâ dicendum est, tunc vnum priuilegiatum non gaudere suo iure contra alterum: & hîc habent locũ exempla suprà posita de Religiosis, de creditore & debitore; nam tunc non potest creditor incarcerare debitorem suum habentem priuilegiũ, ne incarceretur ob debita. Quia verò posset obijci repugnare in terminis nostram conclusionem; nam saltem ille, qui incarcerari non potest, gaudet suo priuilegio contra alterum priuilegiatum, ergo vniuersaliter non est vera ea decisio, quòd non gaudeant eis priuilegiis; ideò explico ampliùs conclusionem, vt priuilegium actiuum non valeat contra passiuum; seu contra illud quod resistit è cõtrario verò valeat. Ratio huius desumitur ex principio naturali lumine naturę euidenti; nam quando duo concurrunt æquè fortia, vnum resistendo, alterum agendo; quod resistit præualet, quia nemo superatur nisi à fortiori; resistere autem non est propriè vincere aut superare, ideò non requirit maiores vires, sed sufficiunt æquales: id ipsum in moralibus contingit; si enim quis habeat æquale priuilegium cum altero, licet non possit illum proprie vincere, ad resistendum tamen illi satis virium habet: hoc autem resistere vocari potest quodammodò præualere; nam qui inuasus non vincitur, dicitur præualere: hoc tamen intelligendum est, quando ea duo priuilegia sunt ab æquali potestate; nam si illud, quod actiuum vocatur, sit à Papâ, alterum verò sit ab Episcopo particulari, illudque sit antiquius, non poterit hoc secundum resistere; si verò è cõtrario illud speciale sit antiquius, adhuc resistet, ob rationes suprà datas; quòd scilicet lex generalis non deroget particulari iam vigenti, nisi ea reuocetur per clausulam *non obstante*, &c.

29.

Quãdo priuilegiati habẽt priuilegia contraria, nõ tenetur vnus ius alterius seruare.

Explicatur melius conclusio.

Aliquæ limitationes doctrinæ positæ.

SECTIO IV.

De publicatione necessariâ ad valorem priuilegij.

MVlta sub hoc titulo includuntur; quæ breuiter explicari debent.

SVBSECTIO I.

Prima difficultas expeditur.

30.

An priuilegium debeat publicari.

EA est, an priuilegium, quando quidem, fortitur quodammodò naturam legis, debeat solemniter publicari. Respondetur cum distinctione, duplex esse priuilegium; vnũ, quòd priuatim conceditur per particularia indulta vel rescripta,

Digitized by Google

vt vni aut alteri personæ aut Religioni; alterum verò, quod per leges publicas.

Priuilegium cõcessum priuatim nõ est opus vt publicetur. Ratio.

Circa primum cõmunis & certa sententia est non requiri vllam publicam & solemnem promulgationem: id quod facto ipso comprobatur; nõ enim vmquam talia priuilegia eo modo promulgantur. Ratio verò quasi à priori ea est; nam eiusmodi priuilegia vel compatantur cum eo cui concedunt fauorem, & vt sic non est necessum vt promulgentur solemniter; eo enim ipso quòd illi constet certò; habet enim instrumentum priuilegij, vel Princeps oretenus id ei concessit; tutissimus est in conscientia, potestque eo vti; si autem comparetur cum aliis, qui vi illius priuilegij tenentur eum non turbare in possessione, non est etiam necessaria promulgatio; quia ea obligatio non respicit directè bonum commune, sed priuilegiati; vnde sufficit, si ipse ostendat aliis testimonium priuilegij, vel alio modo id probet: eo enim ipso alter tenetur non resistere; habet enim se ea obligatio tunc per modum particularis præcepti, ad quod non est necessaria solemnis promulgatio. Quòd verò priuilegium dicatur lex non probat, debere habere omnes conditiones legis: sicut enim non dicitur lex publica, sed priuata, ita etiam sufficit, si habeat conditiones legis priuatæ seu præcepti priuati; quod non requirit talem solemnem promulgationem. Quòd si

31. *Qualis debeat esse intimatio priuata ad priuilegiũ priuatũ.*

quæras, qualis debeat esse ea intimatio priuata, respondeo ex dictis, posse esse vel per exhibitionẽ & ostensionem authentici instrumenti: quo casu alter ita obligabitur, vt si priuilegium contineat excommunicationem contra inquietantes, planè eam incurrat tali instrumento non credens, vel certè debet per testes fide dignos aliove modo sufficiente ad faciendam fidem ostendi priuilegium; ipsius autem priuilegiati solius dicto nemo tenetur credere, quia in causa propria nemo est testis sufficiens; poterit autem, qui velit ei credere, maximè si attenta sanctitate, prudentia & veracitate illius, constare moraliter posset eum non mentiri. Ad obligandum verò in foro exteriori eodem modo, & fortè cum maiori rigore, requiritur ea iuridica probatio; quia in eo foro multò difficiliùs talia extraordinaria præsumuntur.

Priuilegium concessum per leges publicas debet non minùs quam lex promulgari.

Circa priuilegia verò secundi generis communis etiam sententia docet, esse necessariam eam promulgationem, quę est pro legibus: vt enim ea priuilegia annexa sunt legibus publicis, ita earũ natutam consequuntur. V.g. in fauorem Ecclesiasticorum, vt magis tuti sint, imposita est pœna excommunicationis in percutientem eos; lex non obligat nisi po st promulgationem sufficientem: eodem modo in eorumdem Ecclesiasticorum fauorem lex est lata, qua eximuntur à Iudice sæculari, cui interdicitur, ne se immisceat in eorum causas. hoc priuilegiũ non operatur nisi post publicam promulgationem: & sic de aliis vniuersalibus priuilegiis annexis legibus publicis dicendum est. Neque in hoc puncto video quid amplius sit discutiendum.

SVBSECTIO II.

Secunda difficultas in vno sensu discutitur.

32. *Vtrum priuilegium nondũ notum priuilegiato possit in eo aliquid operari.*

EA est, vtrum priuilegium nondum priuilegiato notum possit in eo aliquem effectũ operari: & quidem de effectu licitè efficiendi eam actionem, ad quam est priuilegium, dubium esse nõ potest, quia nemo potest licitè operari vi alicuius gratiæ, si illam ignorat: etenim voluntas non dirigitur immediatè nisi per cognitionem: ergo quæstio erit de aliis effectibus, qui non pendẽt ab eâ cognitione: quâ de re fusè valdè & eruditè P. Suarez cap. 25. Ego puto rẽ breuiter posse decidi, & fortè in eâ aliquid esse de nomine, vt statim declarabo; agam autem potiùs de possibili in hac subsectione, deinde de facto in tertiâ.

Quæstio est de possibili. Quadã præmittuntur.

Pro intelligẽtia aduerte, duplex esse posse priuilegium; vnum eximens ab onere seu obligatione legis tam pœnali quàm faciendi aut non faciendi, v.g. ab obligatione non ieiunandi aut audiendi Sacrum; aliud verò esse priuilegium conferens aliquod ius seu gratiam vltra legem; & de vtroque posse esse dubium præsens, an scil. possit esse perfectum ante notitiam illius. Aduerte Secundò duplicem esse posse eius priuilegij notitiam; vnam per publicam promulgationem, aliam verò per priuatam scientiam ipsius priuilegiati.

33. *Cõmunis sententia docet, priuilegium eximẽs à lege posse aliquid operari antequã innotescat priuilegiato.*

Hoc posito, communior sentẽtia affirmat, priuilegium eximens seu dispensans in lege aliqua posse habere suum effectum, etiam antequam veniat ad notitiam priuilegiati. Hanc tradidit expresè Sotus in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. Veracruz in Speculo, prima parte, dubio 19. in appendice, §. *At si post dispensationem.* & Ludou. Lopez 2. par. Tractatu de Matrimonio cap. 42. qui omnes loquuntur etiam de facto; eos verò P. Suarez n. 11. sequitur quoad possibilitarem, de qua nunc agimus; vbi alios qui specialiter eum defendunt refert. Fundamentum verò eius sententiæ est, quia exemptio ab onere non pendet ab acceptatione subditi; etenim etiam eo renitente potest obligatio auferri: nam (vt diximus suprà agentes de abrogatione legis) etiamsi subditus nolit, potest Princeps legem tollere: quo casu sine dubio in subdito cessat ea obligatio legis; & licet hic velit, non potest obligationem legis retinere, quia sibi imponere legem non potest, poterit quidem se voto aut iuramento ad eam rem obligare, at legis obligationem nullam habebit. Hanc doctrinam euidentiorem censet P. Suarez in dispensatione seu priuilegio auferente tantùm onus pœnale, quia id potest conferri sine periculo conscientiæ, & sine indecentia; in ablatione verò obligationis aliquid faciendi maiorem difficultatem reperit, quia fortè ea dispensatio sic valida fieri non potest sine periculo conscientiæ, vnde ait, fortasse licitè dari non posse, etsi valida sit.

Fundamentum.

Ego circa hanc doctrinam PVTO PRIMÒ totam quæstionem esse de puro nomine, de re verò nullum penitus posse esse inter auctores dissidiũ. Fortasse id primo aspectu paradoxum videbitur alicui, est tamen ipsamet veritas, si res attentè considerẽtur; etenim neque qui negat, neque qui affirmat ponunt aut negant vllam entitatem realem aut moralem; sed vnus volitionem absolutam liberandi vocat completum priuilegium, alter solùm inchoatum: quod sine dubio ad vocem spectat. Certum enim est re ipsa eum, qui nullo modo scit Pontificem voluisse, vt ipse non teneatur ad ieiunium, de facto moraliter ita obligatum esse, vt si non ieiunet, non minùs peccet, quàm si Papa re ipsa non habuisset eam voluntatem: hoc omnes concedunt: concedunt item omnes esse talem voluntatem in Legislatore, quam si nosceret subditus, non peccaret non

34. *Iudicium auctoris de præsenti quæstione.*

Videtur esse pura quæstio de nomine.

ieiunan-

Digitized by Google

seiunando: hæc de re certâ; iam autem de nomine erit quærere, an ea voluntas sit dicenda adæquata dispensatio seu priuilegium re ipsâ nec ne: per quod nec qui affirmat dat illi aliam entitatem aut vim, quàm quòd, si sciretur, tederet actum licitum; nec è contrario, qui illam non vocat adæquatam, negat illi eam entitatẽ & vim, sed quia actu & absolutè eam potestatem nõ confert, ideò non vult vocare dispensationem absolutam.

quæstio est de nomine, an sint dicenda priuilegia ante notitiã priuilegiati.

Dices: Re ipsâ est talis, licet ob ignorantiam nõ operetur illum effectum. Sed contrà, quia per tẽ *re ipsâ est*, nihil illi plus das, si termini declarẽtur, quàm qui non vult eã sic vocare, quia re ipsâ esse dispensationem, nihil est, quàm re ipsâ esse voluntatem efficacem liberandi subditum: quod alij concedunt. Hæc dico circa dispensationem in ordine ad operandum; nam in ordine ad pœnam alia erit ratio, vt insinuabo paulò pòst.

Soluitur obiectio.

35. Secvndò Dico, me nullatenus videre, quomodo, si dicamus talẽ dispensationem esse adæquatam, reperiatur in illâ specialis aliqua indecentia aut periculum animarum (prout dicebat Suarez:) etenim ex eo quòd Papa nunc habeat volitionem dispensandi mecum in obligatione orãdi, de qua hîc Pragæ mihi nihil omnino constat, & quòd ille velit vt valeat antequam ego illam sciam, quale, quæso, periculum in mea conscientia sequitur? si enim nihil omnino scio ego, ergo pergo sicut antè sine nouo periculo; siverò de ea volitione mihi constat sufficienter, aut saltẽ probabiliter, iam possum licitè operari vi eius priuilegij; si autem habeo dubium, non possum licitè vti, vbi ergo est speciale periculum?

Ex eo quòd valeat dispensatio antequam mihi innotescat, nõ sequitur vllum animæ periculum.

Hinc Dico Tertiò, quoad factum ipsum attinet, etiam hanc quæstionem esse de solo nomine; quia siue dicamus de facto dari talẽ volitionem, siue non, nihil ampliùs de re in ipso subdito aut in Principe ponimus; ergo non est cur de ea quæstione simus solliciti: quod ideò nunc obseruo, quia ex dictis hîc sequitur, etiamsi pertinere videatur ad subsectionem sequentem, ne ibi repetere id cogamur.

Dico Qvartò, Si tamen exemptio sit à pœna etiam incurrenda, tunc quæstio potest esse de re, quia tũc potest retrotrahi ad tempus actionis: id quod in ordine ad vitandam aut non vitandam malitiam in ipsa actione locum non habet: & hinc disparitas sumitur inter vnum & alterum priuilegium: posse verò retrotrahi patet; nam si hodie Romæ Papa me eximat à iurisdictione mei Prælati, multum interest an ea volitio habeat hodie suum effectum, quia si habet, etiamsi eras me excommunicaret Prælatus, ea excommunicatio nõ esset valida; si verò non valeat exemptio quousque mihi de ea constiterit, certè valida erit talis excommunicatio facta post voluntatem Papæ eximentis & ante scientiam meã de illa. In hoc ergo sensu de re ipsa verissimam censeo sententiam communem suprà positam, & credo ibi sufficienter esse probatam; neque quoad possibilitatem video quid possit contra eam obiici.

36. *Priuilegia eximentia à pœnâ possunt habere effectũ antequã innotescant priuilegiato per retrotractionem.*

Circa priuilegia concessiua iuris alicuius res non est ita clara, etiam quoad possibile, quia cùm tale priuilegium sit per modum donationis, non videtur habere posse locum antequam sit acceptatio; nemo enim fit dominus rei antequam illam acceptet; nihilominùs tamen.

Quid dicendũ sit de priuilegijs cõcessiuis alicuius iuris:

37. Dico Qvintò, Etiam in his priuilegiis, quæ parce sæpè dant facultatem moralem faciendi licitè, quod anteà sine eo priuilegio ex natura rei fieri non poterat; eodem modo dici potest quæstionẽ esse de nomine, vtrùm sit dicẽdum integrũ priuilegium nec ne ante meam scientiam de illo: ratio est, quia in ordine ad vim faciendi licitè eã actionem nihil operatur actu illud priuilegium; & licet nõ sit propriè dispensatiuum in lege, sed mutatiuum materiæ, quoad punctum tamen præsens habet se ac si dispensaret: etenim vt ego licitè vtar pallio Petri, parum est, quod ille donet mihi illud, si ego id non sciam, dico ad licitum vsum, quia ad validum, qui est alius effectus, alia est quæstio de qua iam.

si dent facultatẽ purè aliquid faciẽdi,

In ordine ad aliquos effectus morales possunt valere antequam innotescant priuilegiato.

Dico ergo Sextò, in ordine ad effectus morales, v. g. valoris in donatione, &c. non video vllam vel leuem repugnantiam in eo quòd concedatur priuilegium, ita vt valeat statim à puncto concessionis, etiamsi ad alterius notitiam non venerit. Et verò id ego ex priuilegiis diuinis clarè ostendo; nã vis efficiendi verum Baptismum collata omnibus hominibus à Christo sine dubio dici potest priuilegium, ea autẽ non pendet vllo modo à scientia vnde priuilegiati, etiamsi ille id ignoret, videns tamẽ aliũ baptizare proferat verba, & abluat, cum intentione faciendi idem quod alter facit, cõficiet verum Baptismum. Ratio autem à priori huius rei est, quia priuilegium, vt significat vim faciendi validè aliquam actionem moralem, nequaquam pendet à scientia illius qui facturus est eam actionem; sufficit enim quòd ea vis quasi ponatur moraliter in eo ad quem præcipuè spectat eam actionem exercere: si enim dicat Princeps *Volo vt quæ ille facit habeant hunc aut illum valorem*, etiamsi subditus nolit acceptare eam potestatem, tamen illam habebit, vt quandocumque talem actionem fecerit, sit eius valoris. Eodem modo, si ego dico alteri, *Do tibi facultatem, si velis, dandi alteri validè hoc pallium*; certè, quamdiu maneo in ea voluntate, etiamsi ille dicat, *Nolo acceptare*, procul dubio habet vim moralem donandi licitè alteri pallium: & licet dicat, *Non accepto*, si tamen per possibile vel impossibile donet alteri, eo ipso valida est ea donatio: id autem à fortiori locum habet, quando alter non resistit, sed solùm ignorat eam potestatem. Idem patet in potestate v. g. creandi Nobiles; si enim Imperator dicat, *Ego volo vt quos Petrus creauerit Nobiles sint verè Nobiles*, certè si ipse Petrus nihil de hac grãtia sciens, voluerit eos creare quantum est ex parte ipsius; & ignorans dicat, *Volo quantum est ex mea parte seu quantum possum te facere Nobilem*, eo ipso vi illius voluntatis Imperatoris erit verus Nobilis ille quem Petrus creauit. Rationem vlteriorem à priori meo iudicio euidentem hanc ego inuenio, quod in similibus casibus ille, qui dat priuilegium, habet se vt causa principalis ad effectum eius priuilegij, ita tamẽ vt illum effectum, quem priuilegiatus est effecturus, posset efficere immediatè per se ipse Princeps; si ergo potest ipse per se immediatè efficere, poterit etiam illum efficere requirendo pro cõditione solam voluntatem effectiuam ipsius priuilegiati, etiamsi hic nõ acceperit facultatem. Explico id in exemplo posito de nobilitate: Imperator immediatè per se potest nobilitare Antonium, Ioannem, &c. cùm ergo non poterit dicere, *Ego eos volo nobilitare ipso facto quòd Petrus eos velit nobilitare, siue id velit sciens meam hanc voluntatẽ, siue eam ignorans:* Ecce in tali casu iam eo ipso Petrus habet vim nobilitandi; nam Imperatorem dicere, *Volo vt sint Nobiles, si Petrus eos velit facere Nobiles,*

38. *Ratio à priori.*

Declaratur amplius exemplo.

Ratio alia à priori.

39. *Explicatur exemplo.*

Digitized by Google

&, Do Petro facultatem vt eos nobiliset, idem sunt formalissimè meo iudicio. Eadem ratio est in donatione: ego enim qui sum dominus pallij, possum illud immediatè per meipsum donare cuicũque velim; possum ergo dicere, *Ego volo vt sit donatum illi cui Petrus voluerit dare, sine sciat de hac meâ voluntate, sive non*; hoc autem idem est ac dare Petro facultatem donandi cui velit. Constet ergo, ex naturâ rei & attento effectu formali eius potestatis moralis, nullam planè esse repugnantiam in eo, quòd concedatur ignoranti, imò & resistenti.

Sententia cõtraria falso nititur fundamento.

Hinc infero, omnes auctores, qui negant de facto conferri nescienti, & mouentur fundamentis, quæ tendunt ad ostendendum id esse impossibile, non rectè discurrere: eos citat Pater Suarez cap. 25. numero 2. non video autem aliud argumentum pro eis, quàm quod simpliciter sine probatione asserunt; ad eam facultatem necessariam esse acceptationem priuilegiati; hoc autem falsum esse, iam est à me sufficienter probatum: neque quoad possibilitatem ampliùs desideratur.

SVBSECTIO. III.

Quid sit dicendum de facto.

40. *Si agatur de priuilegio cẽcedente aliquã actionem antèà illicitã, quæstio est de nomine.*

SVppono, quod dixi suprà in priuilegiis ad operandum aut non operandum licitè, quæstionem esse de solo nomine; idem dico de aliâ difficultate omnino ei affini, vtrùm scilicet ad effectum eius dispensationis sufficiat acceptatio illius per nuntium vel instrumentum; an verò requiratur propria & personalis; de quâ re fusè agit P. Suarez eo cap. 25. n. 24. 25. 26. probans id de facto non expedire. Verùm eùm, antequam ipse priuilegiatus sciat se habere eam dispẽsationem, non possit licitè operari, sive ea data sit, sive non, quæstio est de voce, quærere, an sit valida postquam est acceptata per nuntium; quòd verò dicatur sequi inde, posse ipsum priuilegiatum vti coniecturis, quòd iam sit concessa; in quo modo operandi magnum subest periculum; hoc, inquam, non est ad rem, quia totum quantum est independens à puncto præsenti: etenim illæ coniecturæ possunt esse, sive re ipsâ data sit sive non sit data dispensatio; idemque periculum erit, etiamsi re ipsâ non sit data. Deinde, ea difficultas est omnino generalis independensque ab hac quæstione; petit, enim, quæ notitia probationis libertatis, &c. sit necessaria ad hoc, vt homo licitè operetur; ei autem respondendum est, si non sit probabilis, non sufficere; id quod in præsenti etiam dicendum est; ergo de hac quæstione nihil amplius dico.

41. *In priuilegiis eximentibus à pœnâ aut cẽcedentibus aliquid vltra ius commune, attendendum ad verba priuilegij.*

Igitur ad quæstionem de priuilegio eximente à pœnâ iam debita, aut incurrenda; item de priuilegio concedente aliquid vltra ius commune, dicendum est, suppositâ possibilitate talis concessionis respectu ignorantis, suppositâ item è contrario possibilitate non-concessionis nisi sciẽti, vt dignoscamus quî de facto id fiat, recurrendum esse ad voluntatem Principis priuilegium concedentis, & ad verba ipsius; si enim dicat, *Volumus vt fortiantur effectum à puncto donationis*, tunc certò eum effectum sortiẽtur; si verò dicat, *Volumus vt à tempore quoad manus illorum veniat*, erit etiam certum è contrario non habere effectum vsq; ad illum diem: quòd si neutrum dicat, considerandæ erit materia ipsa: nam in materia legationum & donationum communis & probabilior opinio affirmat, etiam ante

Quòd si ex verbis nil colligi possit, attendendum ad materiam priuilegij.

scientiam ipsius legatarij fieri rem illam propriam: & in donationibus factis infantibus res est certa. Vide Patrem Thomam Sanchez lib. 1. de Matrimonio disp. 6. num. 15. & 16 Si item priuilegium sit per modum collationis beneficij, videtur etiam de facto conferri beneficium à puncto, quo gratia est facta à Pontifice aut Episcopo: & idem est in Episcopatibus: ab eo enim puncto quo Bullæ expediuntur Romæ sunt fructus proprij illius. Quoad primum exemplum de beneficio clarus est textus in cap. 1. de concessione præbendarum in 6. Ad secundum de Episcopatu fortè responderet quis tunc sciri eam donationem per ipsum accipientem Bullas. Sed hæc solutio non videtur esse sufficiens; quia si illæ darentur non interueniente procuratore, eodem modo fierent redditus proprij sicut in exemplo beneficij.

42. *Priuilegium concedens facultatem faciendi validè aliquã actionem nõ habet effectum antequam innotescat.*

Quòd si priuilegium sit concedens facultatem validè efficiendi aliquam actionem, v. g. absoluendi à casibus reseruatis, probabilissimum iudico, numquam dari completè, nisi postquam venerit ad notitiam priuilegiati: quod inde probo, quia si alio modo daretur, fortè esset occasio, vt multi absoluerent sub conditione, *Si fortè habeo tale priuilegium*: id quod valdè graue esset. Ratio etiam à priori id persuadet; nam cùm tale priuilegium detur simul ad licitè faciendã eam actionem; licitè autem, vt suprà diximus, non fiat, nisi post notitiam priuilegij, non est credibile datum esse priuilegium eo animo à Principe, vt citiùs possit ea actio esse valida quàm licita; vnde dicunt multi auctores apud P. Sanchez, quos ipse etiam sequitur lib. 3. de Matrimonio disp. 36. n. 8. absolutionem à casibus reseruatis etiam à nesciente se habere facultatem absoluendi esse nullam: quod tamen ego non putarem vniuersaliter verum, nisi quando nulla facta est promulgatio eius priuilegij; nam si facta est quasi generalis, etiamsi hic in particulari eam ignoret: actus erit validus. V. g. concedit Pontifex toti Religioni & omnibus eius Religiosis potestatem absoluendi à reseruatis, eáque iam est acceptata à Religione; priuatus tamen Religiosus eam ignorat, & absoluit volens exercere quantum potest, vel fortè aliunde putans casum non esse reseruatum, censeo validam esse absolutionem, quia tunc videtur Papa consentus ea scientia totius Religionis. Et licet in illo particulari Religioso sit periculum paulò antè à me notatum, quòd priùs sit possibilis in illo actus ille validus quàm licitus, id debet reputari quasi per accidens, quia per se illud priuilegium respicit communitatem, cui iam supponitur notum.

Absolutio à reseruatis data à nesciente se habere facultatẽ absoluendi nulla est. Quomodo hoc intelligendum sit.

43. *Priuilegium eximens ab alterius iurisdictione habere potest effectum, etsi ignoretur ab eo à cuius iurisdictione eximit.*

Denique, si priuilegium concedat exemptionem ab alterius iurisdictione Episcopi v. g. aut alterius cuiuslibet, cùm exemptio non acquiratur ipsi Episcopo, sed potiùs sit contra illum, non videtur esse necessum vt Episcopus illam sciat; vnde, si putans adhuc alterum esse suum subditum, illum excommunicet, nulla erit excommunicatio: & ita frequentissimè contingit, vt Episcopi excommunicent aliquos Religiosos, quos putant non esse exemptos: eo autem ipso quòd exemptio ostenditur, agnoscitur excommunicationem fuisse nullam. In contrarium stant nonnulli Iuristæ, quos refert Pater Suarez num. 37. qui fundatur in cap. *Cùm personæ* de priuilegiis in 6. vbi dicitur, Si Iudici petenti ostensionem priuilegij aliàs non publici non detur ab ipso priuilegiato, futuram validam excommunicationem

Respon-

Digitized by Google

Fundamento contrario ex iure desumpto respondetur.

Respondeo tamen eam esse decisionem specialem pro eo casu, quia si legitimè à Iudice rogatus non exhibet priuilegium, certè vel supponitur illud non habere; possentq; multi eo modo terrere excommunicantem, etiamsi re ipsâ carerent priuilegio: vel certè præsumitur irreuerenter agere cũ Episcopo: in cuius culpæ pœnam disponit ius vt valeat excommunicatio, quæ alioquin non fuisset valitura etiam non exhibito priuilegio, si petitum non fuisset.

44. *Neq; requiritur notitia ipsius priuilegiati,*

Quòd verò nec requiratur notitia in ipso priuilegiato patet; nam etiamsi Clericus ignoret se gaudere priuilegio fori, nihilominùs trahi non potest ad sæculare: & qui exemptus est re ipsâ ab Episcopo, non potest validè ab eo excommunicari, etiamsi id ignoret: & ita multi tenent, quos refert P. Suarez nu.28. ipse verò cum limitatione hanc doctrinam defendit n. vlt. vt scilicet sufficiat acceptatio per tertiam personam, licet ad vsum illius, seu vt resistat Episcopo volenti excommunicare, necessaria sit scientia in propriâ personâ. Ego tamen cum illis auctoribus non video cur debeat esse necessaria ea procuratoris acceptatio, cùm ad effectũ moralis retrotractionis sufficere ex se videatur concessio à Principe facta iuridicè, etiam non intercueniente procuratore; aliunde verò nullus textus est qui eam notitiam requirat.

Quid sit dicendũ ad sententias oppositas. Quid ad Primam negantem absolutè. Quid ad Secundam affirmantem absolutè.

Ex his breuissimè colliges quid sentiendum de variis sententiis, quæ in hac quęstione adduci solent. Prima vniuersalis negans vllum effectum habere, aut posse habere locum ante scientiam ipsius priuilegiati, satis reiecta est. Secunda è contrario vniuersaliter affirmans semper valere, etiá reiecta est paulò antè tum ex priuilegio dispensante, licet ibi posset esse quæstio de nomine, vt dixi, tum ex priuilegio dante facultatem ad validè & licitè aliquid faciendum: quod de facto non operatur ante scientiam in priuilegiato, vt paulò antè ostendi.

45. *Quid ad Tertiam, distinguentem inter priuilegium concessum per legem publicã & concessũ per priuatã.*

Tertia verò sententia media distinguens inter priuilegium concessum per statutum seu legẽ publicam, & inter concessum per legem priuatam, docensque illud habere effectum ante notitiam, hoc verò non, eò quòd priuilegium datum per statutum publicum habet rationem præmij, quod Princeps confert ei qui benè se gerit, non est autem minùs dignus eo præmio, qui illud ignorans operatur, quàm qui illud scit; hæc, inquam, sententia meritò reiicitur à P. Suario nu.5. eò quòd etiam per priuatam concessionem potest aliquid promitti in præmium, si alicui determinatæ personæ Rex velit dare hoc aut illud, si se in bello strenuè gesserit; ergo tunc etiam in eo priuato priuilegio locum habebit ratio illa communis. Secundò, quia ratio præmij est impertinens ad punctum præsens; omne enim priuilegium habet aliquam rationem præmij. Denique, si concessio non habet locum antequam acceptetur, eodem modo vrgebit ea ratio contra concessionem per publicam legem, quo contra alteram per particularem faubrem.

46. *Quid ad Quartam distinguentem inter priuilegia eximentia ab onere & concedentia ius.*

Quarta sententia distinguens inter priuilegia eximentia ab aliquo onere, & inter concedentia nouum aliquod ius, docensque illa sortiri effectum ante notitiam, hæc verò non, iam est à nobis declarata & ostensum in quo illa ad quæstionem de voce reducatur, in quo verò locum habeat.

Quinta sententia docet priuilegium ante scientiam solùm habere inchoatum effectum, nõ tamen integrum; explicat autem eam inchoationem in hoc, quòd concessio illa licet priuilegiato non concesserit ius, retractari tamen non possit: quod confirmatur ex cap. *Si tibi absenti.* de præbendis in 6. vbi dicitur facta electione alicuius pro aliquo beneficio non posse illud reputari proprium electi antequam consentiat; Episcopum tamen non posse retractare electionem. Hæc sententia leui nititur fundamẽto; nam collatio beneficij non est priuilegium, ideóq; ex illâ nõ licet trahere argumentum ad nostram materiam, quia Prælatus tenetur ex officio suo conferre beneficium; postquam autem semel est functus officio suo, nõ potest retractare actum: sicut Cardinales Electores Papæ semel vno electo nõ possunt, antequam ille vel consentiat vel renuntiet electioni, alium eligere: in priuilegiis autem non est, cur non possit Princeps ante acceptatum priuilegium illud retractare, imò etiam postquam donauit; si tamen aliqua causa subsit, de quâ infrà.

Quid ad Quintam asserentem priuilegium ante scientiam habere tantùm effectum inchoatum.

Sexta & vltima sententia, docet quando datur priuilegium ad instantiam partis, siue immediatè per se illud petentis, siue per procuratorem statim valere à puncto concessionis; quia illa eadem petitio est acceptatio saltem conditionalis, si Princeps voluerit; vnde positâ huius acceptatione iam transit in absolutam; quando verò gratia illa confertur ex purâ liberalitate Principis sine vllâ petitione, tunc nõ habere effectum, quousq; sciatur de illâ ab ipso priuilegiato. Hæc sententia ex dictis suprà partim reiecta est partim approbata; nam quoad facultatem licitè vtendi aliquâ re, aut omittendi actionem, iam ostendi quęstionem esse de nomine, & re ipsâ illud priuilegium nihil operari, quousque sciatur ab ipso qui illo vsurus est: quoad priuilegia verò eximentia à pœnâ, & dantia ius ad bona aliqua aut beneficia, ostendi sufficere eam scientiam per procuratorem, vt ad illud tempus retrahatur possessio; an verò etiam sit semper necessaria talis acceptatio, dixi dubium esse, & probabiliter non semper requiri. Et satis de hac notitia.

47. *Quid ad Sextã distinguẽtem inter priuilegium datum ad instantiam partis & cõcessũ ex merâ liberalitate.*

Sectio V.

An priuilegium vbique valeat.

Subsectio I.

Deciditur quæstio.

48.

PRo hac quæstione aduertendum est, aliquando priuilegia oriri ab habente iurisdictionem vbique, vt à Papa pro priuilegiis Ecclesiasticis, & ab Imperatore pro omnibus locis Imperio subiectis; aliquando verò à Superiore magis determinato, vt ab Episcopo aut particulari Principe: si ergo priuilegium sit à Papa, & concedatur sine limitatione ad vllum locum, poterit vbique exerceri licitè; eodem modo, si Episcopus concedit suo subdito priuilegium, absolutè sine limitatione locũ habebit in omnibus locis eius Episcopatus, quia quoad hoc eadem ratio est de Episcopo respectu rectus sui Episcopatus, quæ de Papa respectu totius Ecclesiæ. Dixi *si non sit concessum cum limitatione*, nã si cõcedens determinet locum, vbi debeat exerceri, sine dubio non licebit alibi, quia priuilegium non plus valet quàm sonat; vel nisi etiam ex alio capite constet concedentem

Priuilegium concessum à Papâ sine limitatione vbiq; valet.

Secùs dicendum, si locus aut expresè aut tacitè determinetur

Digitized by Google

cedentem determinasse certum locum: nam cùm priuilegium totum suum valorem habeat ex voluntate concedentis, quæ (iuxta sæpè dicta) non ex solis verbis, sed aliunde etiam colligitur, certum est, si aliunde constet de eâ determinatione, non posse priuilegium extendi; posset autem fortè ea limitatio colligi ex ipsâ præuiâ petitione priuilegij, quæ fuit determinata; & in eo solùm sensu censetur concessa à Principe, licet verba determinata non sint. Quæ limitationes etiam debent applicari ad Episcopos & alios inferiores, pro locis tamen intra illorum territoria.

49. *An priuilegium datum ab vno Archiepiscopo valeat in alterius Archiepiscopi diœcesi. Sententia quorundam distinguentium inter priuilegia contra ius commune vtriusque diœcesis & ius particulare.*

Ergo tota difficultas eò deuoluitur, an priuilegium ab Archiepiscopo Pragensi v. g. concessum valeat in Morauiâ, & è contrario. Pro quâ difficultate soluendâ nonnulli duo distinguunt priuilegia; vnum præcisè contrarium iuri communi, quod ad vtramque diœcesim extenditur; sicut præceptum ieiunandi extenditur ad omnes Episcopatus, & non prouenit specialiter ab eis Episcopis, sed à iure communi: alterum, quod est contra ius speciale promanans æquè ab vno Episcopo ac ab altero; quia & Pragensis v.g. mandauit ibi ieiunari in Vigiliâ sancti Venceslai, & idem mandauit Olomucensis in suâ diœcesi: hac distinctione suppositâ docent, si Pragensis in hac secundâ materiâ det alicui priuilegium illud, non valere in Olomucensi, secùs si in primâ: disparitatem inde assignant, quòd in speciali iure Olomucensi nullam habet potestatem dispensandi Episcopus Pragensis; aliunde autem Bohemus, dum existit in Morauiâ, tenetur ibi seruare ius Olomucense (vt diximus superiùs agentes, an qui sunt in alieno territorio teneantur legibus illius;) ergo etiamsi ille sit liberatus per dispensationem ab eâ lege, quatenus est Pragẽsis, adhuc tamen tenebitur eadem quatenus est Olomucensis, seu residet Olomucij: quando verò ius est commune, & Episcopus Pragensis non dispensat cum subdito determinatè ad vnum locum, sed absolutè cum personâ, ob rationes annexas personæ, quæque illam comitantur quocumque eat; v. g. dispensat in ieiunio ob illius debilitatem, &c. tunc quocumque eat, censent habere priuilegium non ieiunandi.

50. *Illationes quorundam ex doctrinâ positâ.*

Ex primâ regulâ inferunt, eum, qui habet priuilegium legendi libros prohibitos in Castellâ concessum ab Inquisitoribus Castellæ, non posse in Lusitaniâ eo vti, eosque libros legere, quia ibi specialiter sunt prohibiti ab Inquisitoribus Lusitaniæ; & qui in Hispaniâ habet priuilegium gestandi arma prohibita, non posse ea gestare in Galliâ, si ibidem etiam prohibita sint specialiter; & sic de similibus casibus. Hanc autem regulam limitant, casu quo quis ob debilitatem vel aliâ de causâ haberet à suo Episcopo priuilegium non ieiunandi; si enim veniret ad alium Episcopatum, ibique esset ieiunium speciale eius Episcopatus, putant ibi posse non ieiunare, quia præsumitur Episcopus acceptare etiam priuilegium datum ab altero ob eas causas ituitas: posuerunt autem hanc exceptionem, eò quòd videretur absurdum, eum qui haberet ab Episcopo Olomucensi v.g. priuilegium non ieiunandi, non teneri, si veniat Pragam, ieiunare diebus ab vniuersâ Ecclesiâ præscriptis, teneri verò diebus ex statuto speciali Pragensi præceptis quod sequebatur manifestè ex duabus conclusionibus horum auctorum, qui non assignant vllam disparitatem, cur Castellanus in Lusitaniâ non teneatur abstinere à carnibus etiam diebus specialiter ibi prohibitis, si habeat priuilegium ab Episcopo Castellano, teneatur verò non legere libros specialiter ibi prohibitos, quantumuis habeat à Castellano Inquisitore priuilegium eos legendi? & verò difficulter valdè ea disparitas assignari poterit, ac consequenter valdè difficulter ea limitatio subsistit, saluis duabus illis sententijs.

51. *Episcopus nõ potest dare priuilegium liberans à lege alterius territorij.*

Ego igitur longè probabilius IVDICO PRIMÒ, vnum Episcopum non habere potestatem vt det priuilegium, quo aliquem liberet ab obligatione legum propriarum alterius territorij, quando in eo futurus est: quod consequenter ad ea quæ diximus suprà videtur manifestum; nam si semel statuatur peregrinum transeuntem per alienum territorium obligari eius territorij legibus, quantumuis omnino liber anteà ab omni lege fuisset; ergo multò magis eis obligabitur, si solùm liber sit vi priuilegij: atqui Episcopus proprius dispensans in lege sui Episcopatus, summum quod præstat est, illum hominem constituere immunem ab eâ lege, quæ ibi est: per quod non causat in eo maius impedimentum ad leges noui territorij quàm si anteà nulla fuisset talis in proprio, in quâ dispensaretur; ergo veniens ad nouum cum dispensatione tenebitur non minùs quàm si veniisset liber, sine dispensatione tamen.

52. *Quæ doctrina etiam extendenda ad legem de ieiunio.*

Hinc DICO SECVNDÒ, minùs benè ab illis auctoribus excipi illum casum de ieiunio; quia reuerà ille includitur in regulâ hac nostrâ generali; & nulla videtur esse ratio specialis, cur debeat excipi.

Obiectio.

Dices: Non est credibile, Prælatum velle obligare personam habentem legitimam causam excusationis iam probatam per propriam dispensationem. Sed contrà euidenter, quia hæc ratio etiam est vniuersalis, & habet locum in omni materiâ; & consequenter semper deberet valere ea dispensatio in alieno territorio. Probabiliùs fortè posset responderi, quando priuilegium fundatur in aliquâ naturæ necessitate, vt v.g. priuilegium non ieiunandi ob debilitatem, ob morbos, &c. quia multum habet de epieikiâ, quæ vbique locorum valet, etiam censeri moraliter transire ad alienum Episcopatum; alia verò priuilegia, quorum vsus non est necessarius vllo modo, quia ob singularem fauorem, etiamsi fundatum in meritis priuilegiati, concessa sunt, non transire ad alienum territorium; huiusmodi autem esse illud legendi libros prohibitos, gestandi arma prohibita noctu, &c. Adhuc tamen non satisfacit. Primò quia, huiusmodi valor non est à priuilegio propriè, de quo hic disputamus, sed ab epieikiâ. Secundò: quia etiam in eo sensu res est valdè difficilis: etenim etiamsi meus Superior ob similem causam debilitatis, &c. dispensasset mecum in ieiunio in perpetuum; si tamen ego ad aliam Prouinciam abirem, ibique manerem, non possem censeri adhuc ibi non indigere priuilegio ad non ieiunandum. Tertiò, quia etiam in alijs materijs similis necessitas moraliter potest reperiri; & tamen priuilegium non valet. Si v.g. homo doctus scribens contra hæreticos habeat ob eam causam priuilegium ab Inquisitoribus Castellæ legendi libros prohibitos, sanè si veniat in Lusitaniam ibidem scriptionem continuaturus, planè videtur eadem necessitate vrgeri, vt habeat etiam ibidem simile priuilegium; & tamen id non admittitur ab his cum quibus ago, ergo.

Solutio.

Occurritur tacitæ cuidã obiectioni.

DICO ergo TERTIÒ, probabilius esse etiam

53.

Digitized by Google

53. *Etiam in iure communi non valet priuilegium Episcopi extra proprium territorium.*

etiam in iure communi non valere dispensationem Episcopi extra proprium Episcopatum. Ratio est, quia licet ea facultas dispensandi in iure communi veniat à Pontifice, qui habet facultatem dispensandi pro totâ Ecclesiâ; vnde si cum eâ amplitudine velit eam dare Episcopo, haud dubiè poterit hic validè dispensare pro alijs Episcopatibus; non tamen videtur de facto Episcopis data iure ordinario ea potestas, nisi respectiuè in ordine ad oues, & quà oues sunt: vt enim iure ordinario non possunt Episcopi obligare suis legibus nisi suas oues quà tales, quando verò sunt extra territorium, imperare eis nihil possunt, iuxta opinionem quam iam sequimur; ita etiam dare priuilegia non possunt nisi ouibus, & quamdiu oues sunt. Confirmatur, quia Episcopus Pragensis non dat priuilegium suo subdito existenti in Morauiâ, vt non teneatur ad ieiunia eius Prouinciæ, ergo nec dare poterit, vt ibidem non teneatur ad ieiunia Ecclesiæ. Fortè negabis consequentiam, quia licet præceptum generale ieiunij grauius sit quàm particulare Morauiæ; quia tamen illius dispensatio est commissa aliquo modo Pragensi Archiepiscopo, huius verò non, ideò, licet possit ibi, non tamen posse in hoc. Sed contrà, quia, quòd sit commissa dispensatio pro Pragensibus ouibus, nullatenus probat esse commissam pro illis, quando actu non sunt oues Pragenses, sed Olomucenses: si enim ad potestatem Papæ committentis conijciamus oculos, etiam potuit dare Pragensi vim dispensandi in proprijs legibus Morauiæ, si verò ad actualem commissionem recurramus, pro neutrâ est vllum fundamentum; ergo debemus æqualiter vtrobique discurrere. Id amplius ex solutione obiectionum confirmabitur.

Confirmatio doctrinæ præcedentis.

Svbsectio II.

Respondetur obiectionibus in contrarium.

54. *Obiectio. Prima.*

PRima: Praxis videtur esse in contrarium, quia Religiosus habens dispẽsationem à suo Prouinciali, illâ vtitur vbicumque peregrinetur, non solùm quia est exemptus & caret Superiore, sed etiamsi ad aliam Prouinciam vel domum perueniat. Sed contrà, quia retorqueo argumentum, & dico potiùs contrarium probari ipso vsu: etenim in exemplo legendi libros in Lusitania & Portugalliâ admittunt hoc hi auctores, & tamen illud præceptum non legendi non est speciale, vt malè ijdem supponunt, sed est iuris communis obli[illegible]is pro totâ Ecclesiâ per se: quòd verò Inqu[illegible] illud specialiter promulgent, non facit nou[illegible] speciale præceptum; alioquin, etiam Episcopus quilibet promulgans ieiunia communia faceret ibi speciale præceptum: quod est absurdum, & contra hos auctores. Secundò, si quis Religiosus habeat à suo Rectore, Priore aut Guardiano priuilegium exeundi foras sine licentiâ, non potest illo vti, si veniat ad aliud Collegium aut Monasterium, vt hi expressè docent, adducentes hoc exemplum pro priuilegio circa statuta particularia. In quo puncto mihi minùs benè videntur discurrere; nam non posse exire ex domo sine licentiâ ius commune est in Religione, non minùs quàm abstinere à carnibus die Veneris est ius commune Ecclesiæ. Quòd enim dicunt, eam prohibitionem esse specialem respectiuè ad Prælatum illius loci, hoc, inquam, nullo modo placet; nam esto licentia debeat à Prælato illo peti, ius tamen non exeundi commune est, eo ferè modo quo de ieiunio: nam etiam in illo præcepto subintelligitur de facto hæc conditio, nisi habeat à suo Episcopo dispensationem: quæ etiam est specialis ad proprium Episcopum: ergo, quando est in alieno territorio, vbi iam alter non est actu proprius Episcopus, non valebit eius dispensatio, sicut in Religioso ad non eundum foras. Declaro id amplius; nam ideò in eâ regulâ non exeundi ex domo licentia debet esse à proprio Superiore, quia supponitur alter non dare validè; quia nemo dat validè non sibi subdito: sed hæc tota ratio eadem est in ordine ad dispensationem pro non ieiunando, quia nullus Episcopus supponitur dare validè nisi suæ oui, ergo: idem est in alijs priuilegijs non surgendi cum cæteris horâ ordinariâ, non veniendi tali tempore ad mensam, &c. vnde nego omnino id quod in antecedenti obiectionis ponitur, scilicet, vsu probari eam praxim.

Retorquetur argumẽtum.

Impugnatur ea obiectio argumento à pari.

Declaratur amplius allata instantia.

Secundò obijcies, Per dispensationem in eo iure communi factam ab Episcopo sublata est simpliciter lex à subdito, ergo, vbicumque hic sit, erit ab eâ liber. Confirmatur exemplo voti: quod si semel aufertur ab Episcopo, vbicumque sit persona cum quâ est dispensatum, semper est ab eo liber: item, si semel est dispensatum cum aliquo in irregularitate, est eo ipso dispensatum pro toto mundo: & Legatus habilitans aliquem ad plura beneficia, habilitat etiam pro terrâ extra locum suæ legationis. Congruentiæ etiam duæ optimæ adduci possunt: vna ex eo, quòd ea potestas dispensandi est à Pontifice, saltem mediatè; ergo habet eamdem extensionem, quam haberet, si immediatè ab ipso prodijsset; si autem eam immediatè dedisset, fuisset vniuersalis, ergo. Secunda congruentia est, quòd ille subditus supponitur suo Prælato declarasse causas sufficientes ad eam dispensationem; est autem valdè durum eum obligare, vt vbique debeat eas causas manifestare, si velit vti priuilegio. Respondeo negando antecedens; non enim ea lex aufertur per Episcopum, nisi eo modo quo per ipsum poterat poni, quia non habet aliter vim dispensandi quàm habuisset obligandi; sed obligare non potest subditum absentem, ergo neque dispensare, vt, cùm absens fuerit, non teneatur legibus, quæ vim suam obligandi ibi retinent. Hinc ad instantias facillimè respondetur. Et quidem illa Prima de voto nihil vrget; nam votum me non obligat ratione loci aut ratione Episcopi, cui subsum, sed ratione meæ voluntatis à Christo acceptatæ: si autem semel ex potestate à Christo datâ ad dispensandum vtatur Episcopus, vtitur iam pro totâ Ecclesiâ, pro toto mundo: in legibus autem est longè diuersa ratio; nam hæ obligant vi potestatis legislatiuæ diuersæ in hoc, & illo, & illo loco; à quâ potestate non eximit Prælatus, nisi quatenus ibi poterat obligare. Per quod tamen non nego, si vel ipse Episcopus aut Pontifex vellet eam dispensationem etiam in voto coarctare ad hunc aut illum Episcopatum, non posse id fieri; tamen ordinariè ex sensu Ecclesiæ ea potestas à Papâ concessa est Episcopis ad generalem pro omnibus locis dispensationem, requisita tamen tamquam conditione pro tempore dispensationis subiectione eius personæ, non verò pro duratione eiusdem dispensationis: quod in legibus aliter fit; sicut enim obligatio earum ab ipsis Prælatis prouenit, ita dispensatio in eis legibus datur magis respectiuè

55. *Secunda. Obiectio. Confirmatur exemplo voti.*

Congruentia pro eadem obiectione.

Respondetur ad obiectionem.

56. *Satisfit instantia Prima de voto.*

Digitized by Google

Satisfit Secundæ instantiæ de irregularitate:

ctiuè ad illos. Ad Secundam instantiam de dispensatione in irregularitate dico eam non vrgere, quia Pontifex dans Episcopis facultatem in eâ dispensandi, non dat respectiuè, sed absolutè & simpliciter auferendi illam: fateor, si vellet, posset solùm respectiuè; at id fuisset minus congruum & durum ipsi homini; deberet enim vel naturales vel morales suos defectus manifestare vbique: quod difficile esse nemo dubitauit: at in dispensatione seu priuilegio, quæ non dantur ob peccata, sed potiùs ob merita, nulla est difficultas, si aliquando cogatur Principi dicere se habere tale aut tale priuilegium. Et hinc obiter responsum est ad Secundam congruentiam, quod scilicet obligare subditum dicere alijs causas pro priuilegio esset arduum; iam enim ostēdi non esse. Contingere fortè aliquando poterit, vt aliquæ tales causæ sint morbi; sed id est per accidēs: & talium manifestatio non tangit honorem. Ad Tertiam instantiam de Legato respondeo valdè dubium esse, an validum sit illud priuilegium. Secundò dico, si valeat, esse manifestam disparitatem à nostro casu; quia cùm illud officium Legati sit ad tempus, valdè fuisset ea dispensatio ad habenda duo beneficia imperfecta, si solum valuisset alteri, quamdiu esset sub iurisdictione illius; finito enim tempore legationis non haberet locum, quia à nullâ potestate æquali succedente conseruaretur ea dispensatio: quòd si valet, quando iam à nullâ potestate æquali conseruatur, cur quæso, non valebit extra territorium? hæc autem ratio non habet locum in dispensatione; nam etiamsi non valeat extra territorium quæ concessa est ab Episcopo proprio, possum eam petere ab altero Episcopo: quod in Legato non potest habere locum, quia, vt dixi, nullus ei succedit; neque in alieno loco est, qui concedere illud possit aut confirmare. Quòd si hæc disparitas non satisfacit, dic ex speciali fauore ob singularem gratiam Legatis factum id locum habere in ipsis, inde tamen nihil inferri ad alios communes casus.

Item Tertia instantia de Legatis.

Respondetur ad congruentiam.

Ad primam confirmationem seu congruentiam dictum est suprà, etiamsi ea facultas à Papâ veniat, esse tamen restrictam ad proprias oues, ob ea quæ suprà diximus; sicut etiam potestas ferendi leges, quam habent Episcopi, est à Papâ; restricta tamen ad proprias oues, & pro tempore quo sunt. Ad Secundam iam est responsum paulò antè; nunc solùm addo, eam etiam vrgere contra aduersarios, quia, etiamsi lex ieiunij sit specialis alterius Episcopatus, esset difficile teneri ad manifestandum alijs suas causas: sed iam est ostensum id non esse per se difficile.

SECTIO VI.

De restrictione & ampliatione priuilegij.

57. QVæ ad hanc difficultatē spectant ferè à nobis sunt in superioribus explicata, ideò breuissimè ea perstringemus: qui rē fusè deductam videre voluerit, legat P. Suarez cap. 27. & 28. Regulæ ergo generales sunt in primis, standum verbis ipsius priuilegij, quæ mētem Legislatoris declarant; idcóque, quod verba necessariò significant, ita vt non possit nisi violentè illis explicatis negari, dicendum concedi per priuilegium, siue illud odiosum sit, siue fauorabile, nisi manifestam iniustitiam aut tertij iniuriam contineret; tunc enim ad eam vitandā licebit in sensu improprio priuilegij verba interpretari. de quo fusè suprà,

Prima regula. Standum verbis ipsius priuilegij.

Quòd si priuilegium sit purè fauorabile, nec contra ius commune, nec in præiudicium tertij, tunc debebit extendi quantum verba pati possunt, iuxta sæpè dicta in hac totâ materiâ, ob regulam eam iuris receptam, *Fauores sunt ampliandi*: nec dici potest, omne priuilegium, eo ipso quòd specialē fauorem contineat, esse odiosum, quatenus causat singularitatem aliquam: respondetur enim id esse per accidens, quia re ipsâ ego nemini noceo, etiamsi ex meis bonis liberaliter dem vni quod alijs non do: dicetur enim murmuratori, *Amice non facio tibi iniuriam*, &c. si verò priuilegium sit odiosum, iuri aut tertiæ personæ contrarium, tunc etiam regula communis est, restringendum illud, retentâ tamen propriâ significatione verborum, vt paulò antè diximus: quòd si ex ampliatione, intra significationem tamen verborum, non sequitur noua oppositio cum iure communi, tunc ea ampliatio vt purus nouus fauor admittenda erit.

Si priuilegium sit purè fauorabile, extendenda verba quantum possunt.

Matth. 20.

Si sit odiosum, restringēdum quantum significatio verborum patitur.

Addi solent duæ limitationes eius regulæ; vna, vt in fauorem causæ piæ, etiamsi priuilegium sit contra ius commune, possit ampliari: nam in causâ piâ filius legitimus intelligitur etiam ille qui legitimatus est; cùm alioquin non veniant sub eâ voce in his quæ sunt contra ius, nisi qui verè nati sunt legitimi. Secunda limitatio est, quando priuilegium odiosum datum est motu proprio; censetur enim tunc Princeps velle facere singularem fauorem, ideóque ampliandum erit, nisi fortè illud priuilegium sit in præiudicium tertij, tunc enim non debet ampliari, etiamsi ex motu proprio sit datum.

Priuilegium in fauorem causæ piæ, etiā sit contra ius cōmune, ampliari potest: item quando datum est ex motu proprio, modò tertio non præiudicet:

Aliæ regulæ, quas tradit P. Suarez cap. 28. seruandæ in restrictione, vt, quòd ita ea restrictio fiat, vt priuilegium non reddatur inutile, & quòd propria verborum significatio tenenda sit, iam sunt à nobis declaratæ suprà. Deinde, quòd priuilegium debeat ita restringi, vt non concedat aliquid quod sit suprà potestatem concedentis, ex naturâ rei videtur esse nota, quia nemo potest dare quod non habet.

Secunda regula.

Tertia.

Quarta, quòd debeat virari iniustitia, etiam est declarata. Aduertendum tamen duplicem in priuilegio iniustitiam posse excogitari; vnam, quæ in vsu illius reperiatur: & hæc sine dubio vitanda est, etiamsi aliter non possit quàm dicendo priuilegium esse nullum, quia ad rem iniustam non potest esse facultas licita, & consequenter nec potest esse priuilegium, nisi fortè vsus ille non esset malus cōtra legem naturalem, sed contra positiuam, quæ per ipsum priuilegium tolli posset: quo casu, iam vsus ille supposito priuilegio non esset malus. Altera iniustitia, quæ in priuilegio excogitari potest [illegible] ipsâ datione illius; vel quia sine causâ, vel [illegible] est nimia prodigalitas, esto detur ad vsum rectum. Hanc etiam dicimus vitandam esse quantum retentâ proprietate verborum fieri potest, quia non debemus de Principe malum præsumere; si tamen verba eam iniustitiam necessariò significent, admittenda; & priuilegium iudicandum validum.

58. *Quarta. Vitanda est in ampliatione priuilegij iniustitia quæ reperiri potest in vsu illius:*

item iniustitia, quæ fuit in ipsâ datione priuilegij.

Quinta regula, quòd si aliunde constet de voluntate Principis restringente, etiam sit restringendum, communis est tam restrictioni quàm extensioni, tam priuilegio quàm legi, &c. & satis suprà declarata.

Quinta regula. Priuilegium ampliandum vel restringendū, si aliunde innotescat voluntate Principis. Sexta regula.

Sexta denique, vt quando priuilegium derogat iuri tertij debeat restringi, est insinuata suprà, quia nō censetur Princeps, quando id non declarat, velle derogare alterius iuri, maximè cū illud, quia

Quando priuilegium derogat tertio, restringendum.

Digitized by Google

Priuilegium strictè in causâ pijs non est extendendum ad alios propter paritatem rationis.

quia priuatum ius, censeatur à principe ignorari. Circa extensionem verò in primis dicendum, propter paritatem rationis etiam in causâ piâ non esse extendendum ad alias personas: id quòd videtur omnino certum, quidquid aliqui dicant. Nam Princeps, etiamsi faciat vnum opus pium, seu vnum fauorem pium, non ideò censetur omnes velle facere; ideò, etiamsi vni infirmo det vnum priuilegium, non propterea dat omnibus. Per hoc autem non negamus id quod fusiùs suprà diximus, aliquando in verbis contineri implicitè aliquas personas in eis non nominatas; vt in priuilegio celebrandi tempore interdicti includitur etiam minister; & in priuilegio vt dominus audiat Sacrum, intelliguntur familiares illius. Vide quæ suprà hac de re diximus.

Obiectio ex cap. Cùm dilecta.

59. Obijcies cap. *Cùm dilecta*, de confirmatione vtili vel inutili, in quo dicit Pontifex, se id facere ad imitationem alterius fauoris. Respondeo hoc caput esse potiùs pro nobis; nam si illud priuilegium vi prioris fuisset concessum, non fuisset necessum, vt Pontifex posteà illud concederet; ergo ibi solùm dicit, se imitari aliud, quod sine dubio licitè ab eo fit; at iam ibi noua interuenit voluntas Principis: agimus ergo tantùm hîc de extensione vi prioris voluntatis sine nouâ concessione Principis; & illam extensionem negamus.

Solutio.

Ampliatio priuilegij stricte debet esse intrà significationem verborum.

Secunda regula solet esse, vt ea ampliatio semper sit intra significationem propriam verborum, nisi necessum sit vt aliquid operetur, seu ne sit inutile ad aliquam impropriam significationem recurrere; quomodo autem verba specialia in iure accipiantur, & consequenter, quomodo sint in priuilegio extendenda vel coarctanda, non spectat ad nos, sed in ipsis particularibus materijs, id fusè discutitur à Iuristis.

DISPVTATIO XXXIV.

De interitu priuilegij.

1. HVcusque de priuilegij essentiâ, causis & effectibus, iam de illius interitu, cui omnia ferè creata subiacet; possumus autem varia capita distinguere, ex quibus prouenire possit, vt priuilegium pereat: quæ paulatim explicanda sunt.

SECTIO I.

Explicantur aliqui modi quibus priuilegium perire potest.

Iterum est de vero priuilegio.

Interitus potest esse totalis vel partialis.

Potest priuilegium. Primò ex parte rei ipsius, v. g. quia datum ad certum tempus.

SVpponendum Primò agere nos de priuilegio, quod aliquando verum fuit, habuitque suum valorem; nam quod ab initio nullum extitit, proprie perire non potest. Secundò supponendum, posse priuilegium dupliciter perire; vel totaliter, si quoad omnes suos effectus valere desinat; vel partialiter tantùm quoad vnum aut alterum; his positis.

Primo modo priuilegium perire potest ex parte rei ipsius, quia datum est vsque ad certum tempus, & non vltra, v. g. vsque ad annum; quo elapso sine dubio cessat, quia voluntas concedentis limitauit illud ad tale tempus. In quo puncto nulla est difficultas; vt autem sciatur, an tale sit priuilegium, verba illius & mens concedentis attendenda sunt. Simile est priuilegium, quod habet conditionem aliquam pro sui duratione: vt, *Do tibi priuilegium non ieiunandi quamdiu fueris in hac occupatione*; eo enim ipso quòd occupationem hic deserat, cessat eius priuilegium: vbi aduerte posse conditionem aliquando necessariam esse in fieri priuilegij, non verò in seruari, quia ita voluit concedens; vt si Rex dicat alicui, *Si consenserint mei Consiliarij, facio te Comitem*; certè si semel illi dent suum consensum, & fiat Comes, iam posteà, licet illos pœniteat, reuocentque voluntatem, dignitas non auferetur; secùs, si dixisset Rex, *Facio te Comitem quamdiu illi fuerint contenti.* Ad hæc priuilegia reducuntur ea quæ conueniunt homini ratione alicuius status, à quo si excidat, amittit priuilegium; vt si quis desinat esse Religiosus, amittit Religionis priuilegia; & sic de alijs. Reducuntur item ea priuilegia, quæ dantur tantùm ad vnum actum, seu vt vnâ tantùm vice homo eis vtatur; cùm primùm enim vtitur, eo ipso priuilegium perit: quòd si non detur cum eâ limitatione, tunc non censetur perire, siue illud odiosum sit, siue fauorabile; quia etiam odiosa priuilegia possunt esse perpetua & dari ad multos actus, vt benè notat P. Suarez cap. 29. contra aliquos Iuristas, qui minùs benè rem distinguentes dixerunt priuilegium odiosum perire post vnum actum illius, secùs fauorabile, non enim ad hoc debet considerari odium aut fauor illius, sed quantâ cum extensione fuerit à Principe datum. quod ex terminis videtur notum.

vel quia desinit conditio, cui annexum fuit priuilegium.

Eodem spectant priuilegia annexa certa statui.

2. Secundò modo priuilegium perire potest ex cessatione causæ finalis seu motiuæ, ob quam Princeps adæquatè inductus est, vt priuilegium concederet. In quo puncto communis sententia docet, cessante eâ causâ etiam priuilegium cessare, ex regulâ Iuris, *Cessante causâ cessat effectus.* Ratio verò à priori videtur esse, quia sicut effectus in fieri requisiuit verâ causam, ita & in conseruari requirit permanentiam eius causæ; nâ per easdem causas, per quas res fit, conseruatur.

Secundò perit priuilegium pereunte causâ finali;

Circa hanc quæstionem aliqua sunt certa, vnum vel alterum dubium. Primò ergo certum est, si priuilegium iam est reductum ad actum, & manet actus illius, non posse retractari, etiamsi causa concessionis cesset. Quam doctrinam suprà tradidimus agentes de dispensatione. V. g. si ob paupertatem Clerici dedit illi Pontifex priuilegium, vt posset habere duo beneficia, accepto autem iam eo beneficio aliûde ditatur, non propterea debet renunciare beneficio; quia illa duratio non est priuilegium, sed effectus illius, in quem iam acquisiuit ius; idcóque non amittitur, etiamsi causa cesset: sicut si ob amicitiam alicui donorem aliquam, non propterea cessante amicitiâ donatio redditur nulla; & idem est in nobilitate, legitimatione, &c. quod idem cum proportione dicendum, si priuilegium, antequam cesset causa, iam sortitum est vnum effectum, nondum tamen omnes quos potest; dicendum, inquam, licet cesset quoad illos alios nondum executioni mandatos, non tamen quoad illum, qui iam est positus, quia respectu illius iam est perfectum.

nisi iam sit reductum ad actum, & ille duret.

3. Obijcitur in contrarium lex *Ex pacto. ff.* vbi priuilegium datum ad substituendum pro filio amente retractatur, si filius ad se redeat, etiam postquam facta iam est substitutio. Respondetur tamen

Obiectio ex l. Ex pacto. Solutio.

Digitized by Google

tamen illud priuilegium fuisse semper conditionatum non solùm quoad actualem substitutionem, sed quoad vsum illius, vt substitutio non valeret, si filius ad se rediret, quia iniquum esset illum relinqui sine heredicate; in alijs autem priuilegijs nullo modo subintelligitur ea conditio.

Eo ipso quòd vsus priuilegij reddatur iniquus cessat priuilegium.

Secundò in hac quæstione certum est, si ita cesset causa finalis priuilegij, vt iam sit factus priuilegij vsus iniquus; eo ipso priuilegium cessare, quia non potest esse licentia ad rem iniquam: quo sensu agentes de legibus diximus, si materia legis sit facta iniusta ob temporis mutationem aliasve circumstantias, cessare eo ipso legem.

4. *An cessante causâ finali, & manente vsu priuilegij non malo, cesset priuilegium. Negat absolutè Suarez, cum aliquâ tamen exceptione.*

Illud aliquantulùm difficilius, verùm si præcisè cesset causa finalis, manèat tamen adhuc priuilegij vsus in se non malus, censeatur perire priuilegium. Quæ difficultas habere potest locum tam in priuilegio fauorabili quàm in odioso. Eam fusè tractat P. Suarez cap. 30. vbi absolutè docet non perire priuilegium; excipit tamen aliquot, vt v.g. priuilegium non ieiunandi ob debilitatem corporis: quod censet non durare, cùm primùm homo acquisiuit sufficientes vires; non dat autem rationem disparitatis inter hoc & cætera priuilegia: dicit quidem doctrinam suam pari exceptionem in dispensationibus habentibus tractum successiuum, non tamen explicat quid sit hoc, & quare aliæ dispensationes seu priuilegia ad diuersos actus per longum tempus exercendos non sint dicenda habere tractum successiuum; nec videtur in hac ipsâ distinctione consequenter locutus, vt ostendam.

5. *Duplex potest esse causa finalis priuilegij; per modum meriti, & per modum repugnantis cum lege.*

Ego igitur aliter hanc difficultatem expediendam censeo: partim adhærebo sententiæ communi, partim sententiæ Patris Suarez; & fortasse ostendam in paucis Suarez à communi dissidere: igitur obseruo, duplicem esse posse causam finalem, seu motiuum priuilegiorum; vnam per modum meriti, aliam verò per modum rei repugnantis quodámodò cum obseruatione legis, ob quam oportuit in eâ lege per priuilegium dispensare. Exemplis res fiet manifesta: datur alicui priuilegium non ieiunandi ob debilitatem corporis; certè ea causa non est per modum meriti, sed quia repugnat quodammodò cum ieiunio: similiter alicui Sacerdoti occupato in negotio magni momenti datur priuilegium non orandi, non datur per modum præmij, sed quasi ex contrarietate aliquâ orationis & negotij: alia priuilegia dantur per modum præmij, ob doctrinam, labores pro Regno, Rege aut Ecclesiâ toleratos, ob parentum merita, &c. vt si alicui ob præcedentes labores, etiamsi alioqui sanus perfectè sit, daretur priuilegium non ieiunandi; si ob egregia facinora in bello patrata dantur priuilegia Nobilium, Comitum, Ducum, &c. Ex hac distinctione videor ego rem totam facilè decidere.

Quando causa priuilegij fuerunt merita, manet priuilegium ijs cessantibus.

Dico ergo Primò: Si causa priuilegij fuêre merita ipsius personæ, labores, obsequia, &c. priuilegium manet, etiamsi iam amplius non præstet noua obsequia. In hac consentio cum Patre Suario; nec puto eam negari ab vllo. Quando enim Rex ob facinora in bello patrata aliquem efficit Comitem, Ducem, &c. fauor ille durat, etiâsi posteà nihil amplius efficiat. Ratio à priori est etiam clara; nam illud meritum habet condignitatem pro duratione perpetuâ præmij; vt apud Deum manifestè constat, qui per æternitatem præmiat & punit opera durantia etiam solo vnico instanti. In eo autem casu dici meritò potest causa priuilegij semper durare, quia illud meritum æquiualenter durat ratione suæ condignitatis; vnde puto communem sententiam non loqui in hoc casu, nec solùm agere de cessatione hac physicâ causæ, sed quando etiam moraliter illa perijt, vt iam declaro.

6. *Quando causa est per modum rei pugnantis cum lege, perueniente causâ perit priuilegium.*

Dico ergo Secundò, Quando causa est secundi generis per modum repugnantiæ alicuius cum opere, à quo per priuilegium homo eximitur, tunc cessante eâ causâ etiam cessare priuilegium. Et in hoc sensu intelligo communem sententiam; & praxis manifesta videtur id suadere: ex parte etiam in hac conclusione conuenit P. Suarez, quatenus vnum exemplum illius admittit, licet disparitatem non assignet, vt suprà vidimus, & alia exempla, quæ pertinent ad hanc cõclusionem, omnino ab eâ excipiat; vt est priuilegium datum alicui Sacerdoti ad anticipandas Horas præcisè ob occupationes, certum enim mihi est, & puto etiam futurum omnino rectè diligenter consideranti, eamdem esse rationem de occupatione respectu anticipationis officij, quæ est de debilitate in ordine ad non ieiunandum, nec posse magis hoc priuilegiũ dici habere tractum successiuum quàm illud; non ergo benè illud dicitur permanere etiam cessantibus occupationibus; hoc verò negatur cessante debilitate. Sed debet in omnibus his eodem modo discurri.

7. *Ratio conclusionis à priori.*

Ratio à priori cõclusionis meo iudicio est manifesta; nam eiusmodi causæ nihil post se moraliter aut physicè relinquũt, quod petat eius priuilegij continuationem; nam ea contrarietas omnino cessat cùm primùm debilitas, occupatio, &c. cessat; alia autem causa, quæ petat tale priuilegium, planè non est; cur, quæso, debet continuari? Confirmatur, quia tale priuilegium potest comparari meritò priuilegijs sub conditione; de quibus suprà, quæ dantur alicui quamdiu est Religiosus, quamdiu est in officio; quæ, vt & P. Suarez cum omnibus supponit, cessante cõditione cessant: ita enim hæc dantur, vt v.g. non ieiunes, quia non potes ob debilitatem, seu quamdiu impedierit te debilitas; & non ores, quia es occupatus graui negotio, seu quamdiu illo fueris occupatus. Et sanè praxis videtur esse, vt tali modo eiusmodi priuilegia explicentur; habetque hîc locum ratio quæ communiter fit, & non benè soluitur à P. Suario, scilicet, iniquam esse continuationem liberratis à ieiunio, si iam quis sit perfectè sanus; dico enim ego etiam esse iniquam absolutionem ab obligatione orandi, si iam nullam habet occupationem: quid enim, quæso efficit habuisse olim occupationem, si iam nulla est? certè cùm non detur illud priuilegium tamquam præmium, non video quid iam possit iuuari per præcedentes occupationes magis quàm per præcedentem debilitatem; nec valet dicere, multò minus, sæpè requiri ad conseruationem rei quàm ad primam productionem: concedo enim id libentissimè, non video tamen quomodò inde inferatur, debere conseruari tale priuilegium, cùm non solùm minor iam causa sit quàm fuerit pro prima productione, sed planè nulla: certum autem est ad conseruationem etiam requiri aliquas causas: de, hanc rationem etiam in ieiunio vrgere.

Confirmatur exemplo priuilegiorum conditionatorum.

Occurritur tacitæ repugnãtiæ.

Per hoc tamen non nego posse Principem; si velit, dare priuilegia talia quæ durent etiam deficiente eâ causâ; at etiam primo potuit sine vllâ causâ eâ: nam, vt suprà docuimus, potest dispensatio esse valida, licet detur sine causa: si ergo ab initio dare potuit sine causâ, potuit etiam dare, vt maneret priuilegium etiam cessante causâ; esseque

8. *Potest Princeps dare priuilegia quæ durent perueniente causâ finali.*

Digitized by Google

esséq; iniustum seu illicitum ex parte Principis, valeret tamen, vt subditus sine culpâ eo posset vti; vt de dispensatione diximus suo loco. Addo tamen, non debere præsumi de Principe dedisse de facto tale priuilegium, sed potiùs iudicandum esse dedisse iuxta necessitatem causæ, seu iuxta illius exigentiam tam in fieri quàm in conseruari.

de facto tamen non debet præsumi id fecisse.

Sectio II.

Satisfit obiectionibus contra dicta.

9. *Obiectio Prima.*

Obiicies tamen pro Patre Suario Primò: Priuilegium non derogans iuri communi, neq; nocens tertiæ personæ censetur durare, etiamsi causa cesset; ergo doctrina nostra vniuersaliter non est vera. Respondeo negando consequentiam, quia tale priuilegium, eo ipso quòd non sit derogatiuum iuris, non datur ob repugnantiam aliquam cum materia, in quâ dispensatur; quo solùm casu locuti nos sumus in secunda conclusione: eiusmodi ergo priuilegia sunt vel per modum remunerationis, ideóq; pertinent ad ea, de quibus in conclusione primâ: vel quia Princeps habet motiua exercendi suam liberalitatem, eámque vult permanentem facere iuxta illud principium commune, *Oportet beneficium Principis esse mansurum.*

Secunda, desumpta à decimis & pluralitate beneficiorum.

Obiicies Secundò in contrarium aliqua exempla: Primum est, priuilegium non soluendi decimas datum Monasterio propter indigentiam non cessat, etiamsi Monasterium iam non indigeat, sed aliunde habeat vnde sufficienter ali possit: item priuilegium retinendi plura beneficia simul, eò quòd neutrum sufficiebat ad sustentationem, non extinguitur, etiamsi vnum ita crescat vt sufficiat: item in Religionibus sunt multa priuilegia propter causas & rationes, quæ reuerà per temporum varietatem cessarunt. Præterea, si concedatur fœminæ dispensatio in voto castitatis vnico propter periculum incontinentiæ, & hæc posteà nubat, non obligatur ad non petendum debitum, etiamsi pro certo supponamus quoad hoc cessasse periculum incontinentiæ, quia sufficit si possit reddere; nam honestæ fœminæ non solent petere. Vrgetur, Si illa fœmina fuit vidua ea ætate qua iam non sit tale periculum, adhuc tamen poterit secundò nubere; ergo ea dispensatio valet, etiamsi cessauerit causa: idem ergo dicendum erit de priuilegio seu de dispensatione in lege humanâ.

item ab aliquibus priuilegijs Religionum; item à dispensatione in voto castitatis.

10. *Respondetur ad exemplũ de decimis.*

Primùm vniuersaliter respondeo, hæc etiam vrgere contra priuilegium non ieiunandi; vbi tamen, vt sæpè diximus, negat Suarez eam perseuerantiam. Specialiter verò respondeo ad primum de decimis, fortè priuilegium illud non esse in rigore contra ius commune; nam hoc solùm petit, vt soluantur decimæ Ecclesiæ: quòd autem hæc aut illa persona Ecclesiastica eas acquirat, pendet à designatione Pontificis, ideóq; eiusmodi beneficium velut purum fauorem esse debere perpetuum: quòd enim auferantur Ecclesiæ, non est propriè odium illius, quia nondum Ecclesia acquisiuerat ius in illas, donec Pontifex designaret cui essent soluendæ. Quidquid verò de hac solutione sit, respondeo Secundò, me non videre, quomodo P. Suarez hoc priuilegium dicat durare, cùm eodem capite num. 6. dixisset, priuilegium concessum Monasterio vt partem decimarum acciperet, eò quòd Ecclesia, ad quam alioquin illæ decimæ pertinebant, posset sine eâ parte decimarum sustentari; hoc, inquam, dicit cessare, eo ipso quòd iam ampliùs non possit Ecclesia ex reliqua parte decimarum sustentari; hic verò doceat priuilegium datum Monasterio circa easdem decimas, quia non poterat sustentari sine illis; non perite, etiamsi iam possit sustentari: vtrobique enim causa solùm perit negatiuè; nam in vno fuit, quòd Ecclesia posset sustentari; in altero, quòd non posset sustentari Monasterium: atqui si mutatio ex posse ad non posse est solùm negatiua, & non contraria, eodem modo mutatio ex non posse ad posse erit solùm negatiua, quia habet eosdem terminos; qui si semel non sunt contrarij, numquam sunt, siue transitus fiat ab hoc ad illum, siue ab illo ad hoc; ergo vtrobique debet vi regulæ ipsius eodem modo discurri. Sed quia fortè dicet, iniquum esse vt Ecclesia relinquatur sine sufficienti sustentatione, Tertiò respondeo, illud priuilegium omnino periisse, si vnica illius causa fuit defectus sustentationis Religiosorum; quia verò in similibus non solùm Pontifex intendit eam sustentationem, sed etiam facere ipsis Religiosis fauorem aliquem per modum præmij ob singulares eorum labores in Ecclesia; item, vt eis maiorem quietem concedat, dum liberi sunt ab exactionibus Clericorum sæcularium, ideò non pereunt similes concessiones.

P. Suarez inconsequentia arguitur.

11. *Respondetur ad exemplũ de priuilegio retinendi duo beneficia.*

Ad Secundum, de priuilegio retinendi duo beneficia simul ob vnius tenuitatem: respondeo casum non esse contra nos; nam in eo iam priuilegij vsus est positus à parte rei; priuilegiũ enim erat ad acquirenda duo beneficia; eis autem acquisitis iam priuilegium perit, & manet eius effectus, qui durabilior est quam priuilegium, vt ipsemet P. Suarez ostenderat benè eodem capite num. 3. 4. & 5.

Replica contra solutionem.

Fortè replicabis, dicéſque hoc priuilegium fuisse ad retinendum, retentionem autem nondum esse positam in actu secundo. Sed contrà, quia ordinariè talia priuilegia non dantur nisi ad iustè acquirenda duo ea beneficia, quia alioquin ex iure Canonico beneficium semel acquisitum est perpetuum, nisi illud habens se ita gerat, vt mereatur eo spoliari: & in hoc puncto ea collatio est per modum donationis in materia iustitiæ, quæ semel facta perpetua est; vnde nihil inde infertur ad nostrum casum, in quo facultas v.g. non orandi, non ieiunandi, &c. nihil habet de tali donatione in materia iustitiæ & bonorum. Non negamus, potuisse à Principe ita concedi, vt crescente vno beneficio non posset alterum retinere; dicimus tamen id non fieri de facto, ob rationem vniuersalem, quòd ea beneficia semper conferãtur inamissibiliter ex iustissima praxi Ecclesiæ: quæ consuetudo non debet violari ob casum illum accidentalem, quòd scilicet creuerint redditus vnius beneficij.

12. *Respondetur ad instantiã de priuilegijs Religionum.*

Ad Tertiam instantiam de priuilegijs Religionum, quæ durant mutatis causis, respondeo Primò, non facilè ostendi posse talia, quæ nullo modo retineant causam; fuêre enim sæpè data vel per modum præmij, vel per modum incitamenti, vel ob maiorem Religiosorum quietem: quæ rationes semper aliquo modo durant: multa item sunt per modum donationum, quæ semel factæ semper durant. Respondeo Secundò, Esto concedatur aliquando omnino cessasse causas, dico ea priuilegia valere vel ob præscriptionẽ; vel quia ipse Pontifex videns ea esse in vsu, censetur ea approbare; nam causæ illæ vix ita cessant, vt aliquo modo non sit id in Ecclesiâ notum.

Altera responsio ad idem.

Digitized by Google

Respondetur ad instantiã de dispensatione voti.

Ad vltimum de dispensatione in voto, Primùm dico illud esse contra Patrem Suarez; nam ita ponit casum, vt non fuerit etiam ab initio causa sufficiens dispensandi cum eâ feminâ ad petendum debitum, sed solùm ad reddendum; & tamen dicit valere ad vtrumque: hoc autem falsum est, quia saltem ab initio requiritur, vt causa sit sufficiens. Secundò respondeo etiamsi in votis posset cùm eâ restrictione dispensari cum quâ diximus dari priuilegia, non tamen ita fieri communiter, rationémque esse valdè bonam pro hac differentiâ; nam dispensatio in legibus causat singularitatem; extrahit enim hominem à regulâ generali aliorum: in quo puncto non est rationi expediens vt fiat dispensatio etiam pro tempore, pro quo causa non vrget, quia per se id est magnis scandalis expositum: quid enim dicetur, si videatur homo robustissimus comedere carnes in quadragesimâ, eò quòd ante decem annos fuerit infirmus? aut si Sacerdos sanissimus, & omnino otiosus, excusatus dicatur ab officio orandi, eò quòd ante eos decem annos ob debilitatem capitis, aut ob multitudinem occupationum, fuisset liberatus ab ea obligatione? & idem cum proportione dico de aliis similibus priuilegiis, de quibus nos agimus. At in voto, cum sit obligatio priuata, & per se occulta, ac per dispensationem in illo non fiat homo quasi singularis; sed potiùs è contrario reddatur quales cæteri sunt, debuit fieri cum eâ maiori extensione, etiamsi aliquando fiat satis restrictè, & tantùm ad priores nuptias, &c. Secundò respondeo, quando dispensatio datur ob periculum incontinentiæ v.g. quia de carentiâ seu cessatione eius periculi non potest ita certò constare, non esse expediens dari cum eis limitationibus: at in ordine ad alias materias, vt v. g. ad ieiunium, orandum Officium diuinum, & similes, faciliùs certò cognoscitur cessasse causam; ac propterea faciliùs potest Princeps eam limitationem adhibere.

Altera responsio ad idem.

SECTIO III.

Alia capita, ex quibus perire potest priuilegium.

13. *Priuilegium, nisi limitetur non perit morte concedentis.*

PRimum inter hæc sit mors ipsius concedentis: circa quod tamen dicendum est, per se loquendo, nisi ex intentione concedentis limitetur priuilegium, non perire etiam post mortem concedentis. Quæ est omnium sententia, vt videre licet apud Patrem Suarez cap. 31. & praxis id ipsum manifestè ostendit. Congruentia posset esse, quòd ea facultas est quasi quædam donatio, quæ sicut durat etiam quando donator iam de eâ re nihil cogitat, ita debet durare post illius mortem: idem suadetur ex regulâ iuris quod gratia non expiret morte concedentis, cap. *Si super gratia.* de officio delegati in 6. idem colligitur ex cap. *Si cui nulla.* de præbendis etiam in 6.

Textus iuris pro hac sententiâ.

Hæc regula etiam extenditur ad priuilegia odiosa.

Hæc autem regula etiam est intelligenda de priuilegiis odiosis seu contra ius, quia iura absolutè omnes has gratias comprehendunt: vt patet etiam in dispensatione, quæ non expirat morte concedentis: si enim quis obtineat dispensationem pro ieiunio Quadragesimæ, moriatur autem concedens ante elapsam Quadragesimam, haud dubiè valebit ea dispensatio: & idem est de dispensatione commissa Episcopo pro matrimonio contrahendo: valet enim, si Episcopus dispensaret; etiamsi ante contractum matrimonium Papa moriatur: quod etiam extenditur ad mandatum commissario datum vt dispenset, si preces veritate nitantur.

14. *An vt data regula valeat debeat priuilegium esse firmatum aliquo vsu. Fundamentum pro parte affirmatiua. Negatiua sententia communis est probabilior.*

Difficilius est, an etiam debeat ea regulâ intelligi casu quo res sit integra, id est, casu quo priuilegiatus adhuc nõ incœperit vti priuilegio, an verò debeat, hoc iam esse firmatum aliquo vsu; non desunt qui hoc vltimum affirment; quorum fundamentum desumitur ex cap. *Licet.* cap. *Relatum.* cap. *Gratum.* de officio Legati; vbi dicitur, Si post factam commissionem re adhuc integrâ moriatur delegans, eo ipso expirare eam cõmissionem. Ratio autem hæc eodem modo videtur extendenda ad alias gratias & priuilegia; nihilominùs communis sententia contrarium tenet, quia iura superiùs allegata pro generali regulâ absoluta sunt, vt magis constabit ex cap. *Si cui nulla.* statim ponderando: exceptio autem, quæ in immediatè citatis capitibus ponitur, non debet extendi vltra casum, de quo ibi est sermo: est autem is casus solùm in rescriptis iustitiæ; per quæ delegatur iurisdictio: & fortè non aberrant, qui censent neque vniuersaliter in omni delegatione iurisdictionis, sed solùm contentiosæ, ea debere intelligi, quia de illâ solâ delegatione agunt. Vide P. Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp 28. num. 8.

15. *Obiectio ex cap. Si cui nulla.*

Obiici potest citatum cap. *Si cui nulla.* in quo Pontifex dicit, Si cui sit facta potestas prouidendi de variis personis, nullâ determinatè nominatâ, in præbendas alicuius Ecclesiæ, etiamsi moriatur Pontifex ante prouisionem factam, eam tamen gratiam non expirare: vnde obiter infero, malè auctores paulò antè impugnatos voluisse, vt priuilegium firmatum sit aliquo actu; contrarium enim in hoc capite supponitur manifestè: sed

Monetur peculiaris difficultas.

Additur item ibi, Quòd si priuilegium sit datum pro determinata persona in gratiam prouidendi, non prouisuri, tunc expiret morte concedẽtis, si res adhuc sit integra. Ex quo textu colligitur priuilegiũ, saltem quando non est in fauorẽ proprium, expirare, si res sit integra: quod videmur suprà negasse. Ante solutionem aduerte moueri posse hîc grauem difficultatem, quam fusè prosequitur P. Suarez ca. 31, quomodo gratia facta Episcopo vt Petro det Canonicatum, non sit etiam fauor ipsius Episcopi; aut, cur magis sit fauor Episcopi dare illi potestatem indeterminatam quàm determinatam: denique, cur, si immediatè datum esset priuilegium Petro, vt eligeretur in Canonicum, non expiret morte concedentis; si verò detur priuilegium Episcopo vt illum eligat, debeat expirare; cùm re ipsâ idem omnino sit, dare Petro priuilegium vt prouideatur ei de Canonicatu proximè vacaturo, & dare Episcopo priuilegium & mandatum vt Petro det primum Canonicatum; sicut idem est me posse eligere Petrum in Confessarium, & Petrum posse me absoluere sacramentaliter; & eo ipso quòd Petrò sit facta potestas me absoluendi, iam eo ipso mihi est facta ex integro gratia vt possim absolui, habeóque iam ius seu licentiam; si autem iam ego eam perfectè possideo, ergo iuxta regulam generalem debet dici non expirare morte concedentis: & verò gratia alicui facta vt possit eligere Confessarium non expirat morte concedentis; est autem eadem cum alterâ datâ Petro vt possit me absoluere: ergo idem de vtraque gratiâ dicendum erit. Confirmatur ex Patre Thomâ Sanchez suprà num.

Digitized by Google

num. 87. vbi docet, rescriptum, per quod committitur prudenti Confessario facultas dispensandi cum Petro in voto aut impedimento matrimonij vel Ordinum, non expirare morte concedentis, etiam re integrâ: & licet quidam eius rei causam dicant esse mandatum tali delegationi adiunctum, meritò P. Suarez ostendit, eam rationem potiùs probare, quòd debeat perire illa commissio; nam mandatum particulare expirat morte imperantis.

16. *Quid respondeat Pater Suarez.*

Dupliciter ipse respondet; Primò, in omnibus casibus, exceptâ eâ commissione ad conferendam aliquam præbendam, de quâ solâ loquitur citatum caput, manere gratiam semel concessam, etiam post mortem concedentis: disparitatem autem ait primò & per se petendam ex dispositione Pontificum; de quâ nobis constat ex ipsis Canonibus, congruentias autem posse assignari, eò quòd gratiæ ad res concernentes animam debent esse magis amplæ, quàm quæ ad beneficia & præbendas ordinantur. Hunc modum dicendi non audet absolutè Pater Suarez defendere, quia in nullo auctore illum inuenit: mihi valdè placet, estque planè consentaneus discursui, quem in præcedente difficultate tenuimus, vt scilicet solum illi casus excipiantur, de quibus singulariter iura loquuntur. Neque video quid possit vllius momenti contra hanc solutionem obiici.

Responsio P. Suarez approbatur.

17. *Altera responsio P. Suarez.*

Alium modum ponit assignando differentiam inter priuilegium datum vni in fauorem tertij, v.g. Episcopo, vt det Petro Canonicatum, & datum ipsi Petro, vt accipiat ab Episcopo Canonicatum; quòd scilicet in primo casu non sit facta gratia Petro, sed paretur via vt ea fiat; in secundo verò iam est facta, ideòq; in primo casu perit, si interueniat mors, secus in secundo. Hæc tamen solutio mihi non placet; nam expresse cap. citatum. *Si cui nulla*, supponit illud rescriptum datum Episcopo esse in gratiam alterius tertij, & consequenter iam supponit gratiam tertio factam. Secundò, quia reuerà, si moraliter res consideretur, eadem gratia pauperis est, quòd dicat dominus famulo, *Da huic pauperi florenum*, vel quòd dicat ipsi pauperi, *Petas ab hoc famulo florenum, quem volo vt tibi det*; imò fortasse diceret quis, priorem esse malorem gratiam, quia minus requiritur de labore ex parte pauperis ad eam accipiendâ; ergo ex eo capite negari nequit iam suo modo gratiam esse factam tertio; ergo non possumus rationem huius refundere in eo, quòd sit aut non sit facta gratia. Tertiò mihi displicet, quia cùm optimè idem doceat num. 19. rescriptum datum Confessario in gratiam tertij, vt audiat illius confessionem, non perire, etiamsi re integrâ moriatur concedens; non video, quomodo stare possit illo principio generali, quòd talis gratia non sit concessa, ideòq; pereat: consequentiùs ergo respondetur iuxta priorem solutionem.

Reijcitur.

18. *Respondetur ad rationem dubitandi in positâ supra difficultate allatam.*

Quòd verò supra petebatur in ratione dubitandi, cur aliquando talis concessio sit priuilegium ipsius quasi distributoris, aliquando verò non, facilè ego explico, breuiter aduertendo, non omnia, quæ etiam mihi videntur profutura, reputari beneficium meum, si non ob me, sed ob alium dentur. Secundò aduerto, in moralibus longè aliud esse dare mihi licentiam distribuendi cui velim pecuniam, aliud dicere, Da huic determinatò; nam in primo casu ob eam libertatem conciliare quodammodò mihi possum homines, qui, eò quòd à me eligantur, reputant, & merito, se aliquam à me gratiam recipere; quando verò determinatur persona, censeor ego vt purus executor, ideòq; nullæ mihi redduntur gratiæ: Tertiò, in hac ipsâ determinatione posse contingere, vt Princeps ad instantiam alterius, cui præstat gratiam, me designet executorem, vt dominus annuens pauperi petenti eleëmosynam dicit famulo, *Da illi*: in quo puncto nulla planè gratia fit famulo: & talis est casus de collatione beneficij, de quo loquitur cap. *Si cui nulla*, aliquando è contrario, vt videar liberalis, & possim alterum mihi conciliare, dicit mihi Princeps, *hoc tibi do, vt quasi tuo nomine illi concedas*; & hoc casu dicit Pontifex non perire gratiam factam Petro, etiamsi sit in bonum Petri, & re integra moriatur concedens. Et quoad hoc punctum nihil amplius desiderari crediderim.

19. *An vt priuilegium non pereat morte concedentis, debeat esse scriptum; item, an acceptatum à priuilegiato. Respondetur negatiuè.*

Duo tamen vel tria minoris momenti dubia adhuc restant explicanda: Primum, an vt priuilegium non pereat mortuo concedente ante eius vsum, necessum sit illud esse scriptum, an verò sufficiat esse perfectè declaratam voluntatem concedentem Principis. Secundum, an saltem requiratur, illud esse acceptatum ab eo, in cuius fauorem datur vel per ipsum vel per ipsius procuratorem. Vtrique dubio respondeo breuissimè, nec esse necessariam acceptationem nec scripturam, quia iura, quæ de permanentiâ harum gratiarum loquuntur, nullo modo petunt conditiones has, neque in aliis iuribus quidquam de illis reperitur; ex naturâ verò rei non sunt vllo modo necessariæ, vt per se patet: ad quid ergo requirerentur? Fortè acceptatio necessaria erit in foro exteriori, vt sufficienter probetur, quod adhuc non est vniuersaliter verum, quando aliunde sunt testes sufficientes; at in foro interiori nullo modo est necessaria. Vide P. Sanchez eo lib. 8. disput. 28. num. 43. & 69. & disput. 29.

20. *Qua verba significet perpetuitatem priuilegij.*

Tertia quæstio, per quæ verba declarare soleat Pontifex se non concedere gratiam illam in perpetuum, sed ad tempus: Breuiter respondeo ex verbis id esse colligendum. Superiùs autem egi de illâ formâ, *vsquè ad beneplacitum meum*, & *donec reuocauero*; de quâ iam nihil addendum censeo; illud tamen restat, an si concedens dicat, *Ego Petrus v.g. do tibi gratiam*, denotetur non dari vltra vitam, sicut suprà diximus *ad beneplacitum nostrum* denotare defectibilitatem, *ad beneplacitum autem Sedis* denotare perpetuitatem. Respondeo ex parte concedentis in hoc puncto nullum esse discrimen; nam etiam illa determinata persona Petrus potest dare vtroque modo priuilegium, ergo si ex parte ipsius priuilegij concessi non apponat verba determinantia, nihil inde colligetur de defectibilitate.

An verba, Concedimus tibi ad annum ad beneplacitum nostrum, faciãt priuilegium elapso anno expirare.

Deinde quæri posset, an si in formâ ponatur, *Concedimus tibi ad annum, ad beneplacitum nostrũ*, censeatur elapso anno perire. Negant aliqui, qui ea verba sic interpretantur, ad annum & vltra, iuxta nostrum beneplacitum: mihi tamen longè magis placet aliorum explicatio, quam sequitur Pater Suarez cap. 32. num. 12. & 13. quòd sicut illa particula *ad beneplacitum* posita supra absolutam concessionem, illam limitat, non auget, ita posita supra concessionem ad certum tempus non augeat, sed limiter eam donationem; alioquin plus esset dicere, *Ad annum iuxta beneplacitum nostrum*, quàm si absolutè dixisset *ad annum* sine eo addito; quod apertè falsum est; ergo ea gratia non extenditur vltra annum, sed in eo durat, nisi renouetur; quòd si ante finem

Digitized by Google

nem anni moriatur concedens, quia iam cessat eius beneplacitum, etiam cessare gratiam, iuxta dicta de illa concessione habente eadem verba *ad beneplacitum*, non tamen præfigente expressè aliquod tempus: si verò dicatur, *Ex beneplacito meo concedo*, &c. tunc nulla fit limitatio, quia non ponuntur ea verba nisi ad denotandum liberalitatem concedentis: à qua procedit priuilegium; per quod nihil de dependentia illius in futurum.

SECTIO IV.

De renuntiatione priuilegij per ipsum priuilegiatum.

21. DE hac difficultate fusè valdè agit P. Suarez à cap. 33. ad 37. & P. Salas sect. 13. meo tamen iudicio res ita potest reduci ad certa quædã principia, vt breuiter ac dilucidè expediatur.

Priuilegiatus non potest validè renuntiare priuilegio.

Et in primis supponenda est doctrina, quam tradidimus suprà agentes de dispensatione; diximus enim non posse illi renuntiari validè ab ipso cum quo dispensatum est; id quod intelligendum est ex natura rei; & probatur ratione suprà factâ ad ostendendum, posse, priuilegium concedi etiam inuito: quia si priuilegium auferat obligationem legis, eò quòd Legislator eam tollit pro me, etiamsi ego nolim tolli, verè tamen tolletur; quia non est in mea potestate imponere mihi legem, etiamsi alio modo obligare me possim ad rem illam faciendam: quæ ratiõ eodem modo probat de conseruatione dispensationis & priuilegij quo de primâ productione. Quòd si priuilegium sit per modum facultatis moralis, vt validè aut licitè possim aliquid facere, etiam illud non à meâ, sed à Principis voluntate pendet, ideò, si ille velit efficaciter, mea resistentia nihil oberit. Hæc doctrina videtur omnino certa & clara; ex illâ autem colligo, non aliter per voluntatem illius priuilegiati posse priuilegium perdi quàm ex acceptatione ipsius concedentis, positâ renuntiatione ex parte priuilegiati, ideóq; immeritò in hac quæstione recurri ad vllas rationes fundatas in ipsâ naturâ rei, sed solùm debere considerari quid circa hoc iura disponant: ea enim iura declarant, quando concedens acceptar dispensationem, quando non.

Neque per voluntatem intrinsecam potest priuilegiatus renuntiare validè concesso priuilegio. Priuilegium concessum sub conditione, nisi ei renuntiatum, potest per renuntiationem.

Hinc breuissimè decido quæstionem vnam, de quâ valdè fusè agit Pater Suarez, an scilicet per solam voluntatem interiorem possit quis renunciare priuilegio. Multiplicantur autem argumenta pro parte affirmante desumpta ex ipsa rei natura; quod meo iudicio frustrà fit, quia ex natura rei, vt dixi, non solùm illa voluntas purè intrinseca, sed nec quomodocumque manifestata sufficit ad eam renuntiationem. Dico ergo breuissimè ad quæstionem, Si Princeps dans priuilegium antecedenter diceret, *Ego illud do, ita tamen, vt si priuilegiatus volitione etiam purè intrinsecâ ei renuntiauerit, nolim illud valere*, sine dubio peritурum illud etiam per solam volitionem tamquam per conditionem dependenter, à qua noluit. Princeps vt valeret priuilegium; addo tamen de facto non concedi eo modo, neque per vllum ius esse quidquam de eâ volitione purè internâ declaratum, quia non fuisset expediens in ordine ad Reipublicæ administrationem eas conditiones purè internas apponere, ideóque nullo modo per talem volitionem priuilegium amitti: neque in hac quæstione plus est substantiæ aut ponderis.

22. *Triplex est renuntiatio. Expressa.*

Secundò supponendum est, renuntiationem alicuius priuilegij siue sufficiat ad illud auferendum, siue non, de quo statim, triplicem esse posse; vnam expressam, quâ dicat, *Renuntio huic aut illi priuilegio*; imò etiam erit expressa, licet solùm dicat, *Renuntio omnibus meis priuilegijs*, non determinando vllum in particulari; nam ea volitio directè fertur in omnes species: est autem per accidens, quòd nõ determinet distinctè hanc præ illâ; sicut qui dicit, *Veniant huc quotquot in hac scholâ sunt*, directè respicit omnes illos. Alia potest esse renuntiatio, quæ fit volendo aut efficiendo aliquid quod agnoscit contrarium ipsi priuilegio in se, nõ verò præcisè quoad vsum illius. Tertio modo potest concipi aliqua renuntiatio per vsum contrarium actioni aut omissioni, ad quam conceditur priuilegium. V. g. habet quis priuilegium comedendi carnes die Veneris, non tamen illas comedit de facto; aut priuilegium non audiendi Sacrum die Dominicâ, & tamen illud audit. Dixi autem *vsum contrarium*; nam aliquando potest quis non vti priuilegio, eò quòd non occurrat occasio illius; vt cùm priuilegio non ieiunandi non vtitur quis die Dominico; & priuilegio non audiendi Sacrum diebus festis non vtitur quis die profesto; at hic non-vsus est impertinens ad punctum præsens, quia se habet disparatè cum priuilegio; ergo de primo illo solùm potest esse quæstio.

Alterq. quæ efficitur quod agnoscitur contrarium priuilegio. Tertia, per vsum contrarium.

23. *Actus contrarius priuilegio alius est positiuus alius priuatiuus.*

Tertiò supponendum est, actum contrariũ esse duplicem, vnum positiuum contra priuilegium negatiuum, vt v. g. audire die Dominico Sacrum contra priuilegium non audiendi; alterum priuatiuum, vt non comedere carnes die Veneris contra priuilegium dans licentiam ad comedendum; & de vtroq; ex his actibus posse esse sermonem, quando per illos priuilegium pereat.

Vterq; actus licitus est.

Quartò supponendum, quemlibet ex his actibus esse semper licitum per se; nam priuilegium non cogit ad vsum sui; quando autem per accidens ob aliorum bonum vel alio ex capite renuntiare non possit quis licitè priuilegio, dictum est suprà; vbi etiam declaraui, quando per accidens ex priuilegio v. g. audiendi Sacrum tempore interdicti oriatur obligatio audiendi de quo nihil amplius hîc.

Potest dari abusus priuilegij.

Quintò supponendum, posse aliquando etiam esse abusum priuilegij, quando scilicet priuilegiarus eo vtitur in malum aliquod; & de hoc etiam abusu quæri posse, an destruat priuilegium. His positis.

24. *Priuilegium amittitur per renuntiationem expressam.*

Primò dicendum est, priuilegium amitti per renuntiationem expressam illius. Hæc probatur, quia communis omnium sententia docet, priuilegium posse per renuntiationem amitti: id quod supponunt omnia ferè iura cap. *Si de terrâ* & cap. *Accedentib.* de priuilegiis, cap. *Ad Apostol.* de regularib. id quod etiam inter ciuiles Iuristas certissimum est: si autem aliqua renuntiatio ad amittendum priuilegium sufficit, maximè expressa; quæ summa est. Ratio autem à priori huius rei reducenda est (vt suprà dixi) in voluntatem Principis; qui voluit illud priuilegium non diutiùs durare quàm ab ipso priuilegiato illi non renuntiatur, iuxta dicta suprà.

Ratio à priori.

Secundò amittitur per renuntiationem implicitam.

Secundò dicendum est, etiam per eam renuntiationem implicitam, quâ quis facit aliquid repugnans ipsi priuilegio, in se illud amitti: hæc etiam est communis, quia iura solùm

requirunt

requirunt renuntiationem exteriorem;e a autem est vera renuntiatio ; nam licet non sit tam clara quàm per verba,quia tamen etiam per alia signa ostendi potest animus:& quando quis facit actũ externũ, quo denotat se nolle habere priuilegiũ, sufficienter illi derogare censetur; ideò ea implicita renuntiatio censetur sufficere. Quid verò per non-vsum fiat, longiorem petit discussionem.

SECTIO V.

Quid de amissione priuilegij per non-vsum.

25. *Duplex est non-vsus priuilegij contrarius vsui: alius in materiâ nõ concernente tertium, alius in materiâ concernente.*

CIrca quod aduerte, non-vsum contrarium vsui priuilegij,iuxta suprà declarata, duplicem esse posse, seu in duplici materiâ : vna est, quæ ad alios nullo modo transit ; vel si transit, non est in fauorem aut odium illorum; v.g. priuilegium non ieiunandi,non orandi,non audiendi Sacrum,aut eligendi Confessarium. Alia materia priuilegij est, quæ respicit tertium, ei aliquod onus imponendo ; vt v.g.priuilegiũ imponendi aliquod tributum, accipiendi decimas, si Pontifex eas, quæ ad Ecclesiam pertinent, transferret v.g in aliquem alium : illud enim priuilegium esset in odium eius Ecclesię cui decimæ suæ auferrentur. Hac distinctione præmissâ,

SVBSECTIO. I.

Proponitur sententia Patris Suarez.

26. *Asserit per non-vsum priuilegij, quod tertio nil præiudicat, non amitti. Fundamentum Suarij.*

QVi cap. 34. asserit Primò per nullum non-vsum amitti priuilegium prioris generis, quod non transit in præiudicium alterius.Quam doctrinam etiam extendit cap.35. ad vsum positiuum contrarium. Fundamentum eius est, quia eiusmodi priuilegium non potest amitti per præscriptionem : cùm enim illud priuilegium non sit contra tertium, non potest explicari, quomodo tertius possit ex eo non-vsu aut positiuo vsu contrario possessionem acquirere, & per eam præscribere: neque item præscribit contra seipsum, quia nemo contra se censetur præscribere : neq: denique possunt iura dici præscribere contra illum,quia ex naturâ rei nulla est talis præscriptio; ex dispositione verò Iuris solùm videtur admitti præscriptio in eis priuilegiis, quæ ad aliorũ iura respectũ habent,ergo. Confirmatur,quia non vti priuilegio,non est signũ voluntatis ei renũtiandi; potest enim quis omnino volens priuilegium retinere ; eo tamen non vti de facto, ergo. Quòd si aliquis dicat illam amissionem priuilegij esse in pœnam non-vsus,facilè reiicietur;nam non-vsus est omnino licitus, ergo nullam pœnam meretur; deinde,etiãsi eam mereretur, non est tamen illi in iure præscripta:per quod tamen non negat aliqua forte esse priuilegia specialia, quæ data sint sub eâ conditione; vt si quis eis non vtatur, aut faciat actum illis contrarium, ea amittat ; id tamen negat esse vniuersale, addítque tunc non amitti illud priuilegium per renuntiationem,sed per defectum conditionis requisitæ in ipso priuilegio ad eius durationes.

Confirmatio fundamenti.

Hæc fusissimè eis duobus capitibus tangit respondendo ad instantias de vsucapionibus, immunitatibus à seruitute,&c.quæ ego non tango, quia ea exempla non pertinent ad priuilegia, de quibus nunc agimus, sed ad illa quæ respiciunt tertiam personam, de quibus statim. Quia verò posset obiici l.1. ff.de nundinis,vbi dicitur priuilegium nundinarum amitti per non-vsum ad integrum decennium;respondet Primò illam legem esse specialem circa eam materiam, non vniuersalem circa alias:Secundò,priuilegium nundinarũ esse aliquo modo in præiudicium tertij,aliarum scil.ciuitatum, quæ habent nundinas;item mercatorum aliorum qui ad eas ire non possunt; deniq; eorũ qui vectigalia colligunt quia in talibus nundinis nõ solent solui tributa. Replicat autem contra primam solutionẽ ex legibus Hispaniarum in Part. tit.18.l.4 .vbi cùm eadem lex de nundinis afferatur,ponuntur alia priuilegia,quæ dicuntur amitti per non-vsum; qualia sunt vendendi aliquid prohibitũ,vel extrahendi à Regno merces vetitas:vel vtendi mẽsurâ speciali in venditione;respondet autẽ huic replicæ Primò, eam legem non esse cõmunem,sed solùm intra Hispaniam: Secundò,ea priuilegia etiam esse in damnũ tertij;vt facilè discurrenti patebit. Tertiò deniq; addit in ea lege Hispaniæ non dici priuilegium tale amitti per non-vsum decẽnij,sed,si à puncto concessionis non incipiat quis vti eo priuilegio per decennium,non facere illud suum:quod longè aliud est à difficultate præsenti,in quâ agimus de priuilegio iam facto proprio,quódque posteà per non-vsum amittatur. Hæc circa priuilegium quæ tertiam personam respiciunt.

27. *Responsio Suarij ad l.1. ff. de nundinis.*

Responsio eiusdem ad replicam factam ex legibus particularibus Hispaniæ.

28. *Docet Secundò priuilegia in præiudicium tertij amitti per non-vsum.*

Secundò, circa priuilegia secundi generis docet ea amitti per non-vsum contrarium, quatenus alij possunt præscribere contra priuilegiatum:in quo sensu intelligit sententiam communem de amissione priuilegij per non-vsum : si enim priuilegiatus non exigat decimas,iam alter, qui eas soluere debebat,præscribere incœpit; est enim ea materia capax præscriptionis : idem est, si quis habeat priuilegium eligendi cum aliis Episcopum,Decanum,&c. eóq; non vtatur, tunc eo ipso alij,quorum valdè interest,non esse multos eligentes,præscribere contra illum incipiunt; & sic in similibus priuilegiis. Hinc decidit duas vel tres difficultates prædictæ quæstioni annexas. Prima est, quantum temporis requiratur ad eam præscriptionem,& quot actus,seu quot non-vsus eius priuilegij. Respondet requiri illud tempus, quod necessarium est in iure ad propriam præscriptionem; est autem decennium inter præsentes, viginti verò anni pro absentibus : pro rebus verò Ecclesiasticis quadraginta anni aut triginta, iuxta varias opiniones de tempore præscriptionis in materia iustitiæ. Quoad numerum verò actuum docet fusè & bene cap. 35. à n.10. & sequentib. non amitti priuilegium quoad valorem suum per vnicum actum, quia nullum ius est quod hoc persuadeat, imò potiùs omnia supponunt eam amissionem fieri per præscriptionem ; præscriptio autem non fit per vnum actum, sed, vt paulò antè diximus, requirit longum tempus, ergo. Fateor quidem quoad effectum illius actus particularis illum etiam actum sufficere. Explico : Si habeo ego priuilegium non soluendi decimas, & eas semel sciens & prudens soluo, licet non ideò amittam in futurum priuilegium ; tamen ea summa tunc data verè transit in dominium alterius, ita vt iam illam repetere non possim. Aliqua iura, quæ in contrarium adducuntur, facilè soluit; nam duo cap. *Si de terra.* & *Accedentibus.* tit. de priuilegiis, quibus aduersarij vtuntur, potiùs supponunt vnum actum non sufficere:

Quantũ temporis ex scientia Suarij requiratur ad præscribendum per non vsum priuilegij.

Non amittũtur per vnicum non-vsum.

29. *Responsio Suarij ad iura quæ videntur contraria.*

Digitized by Google

neque in eis cap. traditur, sola Monasteria non amittere per vnum actum sua priuilegia, quasi id sit proprium Monasteriorum, alij verò possint per vnum actum sua amittere; solùm cap. *Cùm accepissent*. de constitut. habet difficultatem; nam Innocentius Tertius videtur in eo supponere Canonicos amisisse suum priuilegium extinguendi vnam' præbendam, si semel de nouo aliquem elegissent. Huic verò iuri respondetur Primò, illam materiam non habere tractum successiuum; nam si semel tunc fit aliquid contra priuilegium, iam non potest illud manere: etenim dignitas illa de nouo ab eis erecta de se perpetua est. Addo, priuilegium eis concessum fuisse ad vnũ actum, nempe ad extinguendam antiquam dignitatem: quòd si nouam ipsi erexissent, iam non poterant illam sine nouâ auctoritate Papæ annihilare.

Cap. Cùm accessissent. explicatur.

Respondetur ad legẽ vlt. ff. de priuilegio veteri.

Secundò obiici posset lex vltima ff. de priuilegio veteri, vbi dicitur, veteranos milites, si passi sint se in ordinẽ legi, muneribus fungi, cogendos esse; huic autẽ respondet, inde solùm colligi, quod paulò antè docuimus, actum illum validum esse, ideóque ad ea quæ prædictæ electioni annexa sunt illos esse obligatos; per hoc tamen non perdere priuilegium ne in posterum secundò, vel tertiò vel ad alia munera eligantur, sicut dicebamus de solutione decimarum; ita autem docet vnum actum non sufficere, vt tamen, si post eum actum acquisitâ iam ex parte tertij aliquâ quasi possessione priuilegiatus contra eam non protestetur, nec vllo modo reclamet, aut alterum vsum priuilegij exerceat, censeat, adiuncta successione temporis ad præscriptionem necessariâ, sufficere eum actum, vt præscribatur contra illum, & amittatur priuilegium; quia præscriptio per se non pendet à multitudine actuum, sed ab aliquâ possessione semel acquisitâ, & postea protractâ ad longum tempus.

30. *An per vnum actum contrarium amittatur priuilegium, & in quo foro.*

Ad secundam difficultatem, an per vnũ actum contrarium amittatur priuilegium etiam in foro conscientiæ, an verò solùm in foro exteriori, breuiter respondet, cùm ea amissio sit per modum præscriptionis ex parte tertij contra priuilegiatum, omnino esse validam in foro conscientiæ quia alter stat in mo acceptat; vnde non potest ab eo rem illam repetere; quod tamen ita limitat Suarez, vt ipse priuilegiatus non caruerit cognitione sui priuilegii, & non fecerit coactus actum contrarium, & habuerit animum renuntiandi; si enim aliquid horum non fuit repertum, tunc in foro conscientiæ posse vti priuilegio, licet fortè in foro externo, quia probare sufficienter non posset suum animum, cogeretur carere fructu priuilegij. Hæc est tota doctrina eis longis capitibus contenta.

SVBSECTIO II.

Deciditur quæstio.

31. *P. Suarez nõ bene distinguit inter non vsum priuilegij tẽpore debito, & vsum contrarium illius.*

IN prædictâ Patris Suarez doctrinâ aliqua mihi placent, alia displicent; dum autem ea breuiter distinguo totam quæstionem decido: in primis ergo displicet, quòd P. Suarez distinguat pro præsenti quæstione inter non vsum priuilegij tempore, quo alioqui deberet esse illius vsus, ac inter vsum contrarium; quòd item dicat, eum non-vsum priuatiuum non opponi priuilegio, sed vsui priuilegij, vsum verò contrarium positiuum opponi priuilegio in se; item quòd supponat regulas diuersas circa hoc tradi à Doctoribus; ita enim docet cap. 35. num. 1. & passim per hæc duo capita: displicet, inquã, hoc, quia reuerà non est excogitabilis vlla ad punctũ præsens differentia; etenim, sicut priuilegio ad non audiendũ Sacrum die Dominicâ opponitur auditio positiua Sacri eâ die, ita priuilegio petendi decimas opponitur eas non petere, quando petendæ erant. Et verò id ipsum manifestè confirmo ex eodem Patre Suario, qui agens de vsu contrario positiuè priuilegio ponit exemplum in priuilegio non ieiunandi, cui dicitur opponi contrariè ieiunare: ita eo cap. 35. num. 3. & 4. atqui ieiunare re ipsâ non est actus positiuus, sed omissio actus, ad quem priuilegium dabat facultatem: est enim non-comestio carnis; item est non-comestio bina: nam licet verè videamur aliquid positiuum denotare, dum dicimus ieiunare, re tamen ipsâ nihil nisi negatiuum dicimus: suppositâ autem certa veritate; quod eiusmodi ieiunium sit non-vsus priuilegij, manifestè ostendo meum intentum; nam ieiunare non minùs seu non aliter opponitur priuilegio non ieiunandi, quàm audire Sacrum opponitur priuilegio non audiendi; ergo quoad punctum præsens non debet vlla prorsus fieri inter eos duos vsus distinctio.

32. *Reijcitur Suarez docens priuilegium numquam amitti nisi per præscriptionem.*

Secundò displicet quod P. Suarez præcipuè docet, priuilegium numquam amitti nisi per præscriptionem, & consequenter solùm per illos non vsus qui præscriptionẽ fundare possunt. Etenim iura suprà citata non tam videntur fundata in præscriptione quàm in renũtiatione; semper enim vtuntur his vel æquiualentibus verbis, *Quòd priuilegio renuntiare voluisti*. Vbi consideranda est doctrina, quam ipsemet P. Suarez sæpè meritò tradit, quando aliquid per præscriptionẽ contra me v. g. obtinetur, id non tam fundari in meâ voluntate quàm in iure ita disponente, & ob iustas causas volente transferre dominium in possessorem seu præscribentem. Addo ego vlteriùs, iura, quæ de amissione priuilegiorum loquuntur, expressè causam eius amissionis reducere in voluntatem priuilegiati, in voluntariam renuntiationem, &c. ergo malè dicitur ea priuilegia solùm amitti per puram præscriptionem; quæ non fundantur in voluntate illius qui rem amittit.

Attentis verbis Canonum perduntur priuilegia etiam non præiudicantia tertio per non-vsum eorumdem.

Hinc vlteriùs addo, si verba & ratio Canonum attentè considerentur, etiam posse per non-vsum contrarium seu per actum contrarium amitti illud priuilegium, quod non est in præiudicium tertij; & contra quod præscribi propriè non potest: patet illatio; nam renuntiatio vt talis non solùm potest versari circa priuilegia quæ alterum respiciunt, sed etiam circa ea quæ sunt absoluta: tam enim ego renuntiare possum priuilegio non ieiunandi quàm priuilegio non soluendi decimas; ergo iuxta iura tam potest vnum quàm alterum, & è contrario, per eam renuntiationem amitti.

33. *Obiectio. Solutio.*

Obiicies fortè Primò, non posse rationem legis trahi ad alios casus distinctos, qui in ipsâ lege non ponuntur. Respondeo, quando lex dicit, Ideò v.g. amittit priuilegiũ per non-vsum, quia ostendit se illi renuntiare, sine dubio lex supponit propositionem vniuersalem, quòd renuntiare priuilegio sit sufficiens ad destruendum priuilegium; alioquin ea ratio nulla planè esset; ergo, iuxta iura, si in aliis priuilegiis sit vera renũtiatio, erit etiã vera destructio priuilegij: vnde in formâ dico ad argumentum, quando ratio est per modum motiui intenti, non posse trahi ad alias materias,

Digitized by Google

terias, concedo; quando ratio legis est propositio aliqua vniuersalis, vnde lex colligit in hoc casu ita discurrendum, quia in eo talis ratio reperitur, tunc dico necessariò supponi à lege, eam rationem, vbicumque reperitur esse causam talis effectus.

Altera obiectio. Secundò obiicies, fatendo doctrinam hanc nostram speculatiuè quidem veram esse, si detur sufficiens signum eius renuntiationis, negabis esse etiam sufficientem vt priuilegium amittatur per illum. *Solutio.* Respondeo, cùm iura supponant, eo ipso quòd longo tempore quis aduertenter non vtatur priuilegio, esse signum renuntiationis: ita enim cap. *Accedentibus.* de priuilegiis dicit; vbi hæc habentur, *Cùm enim tanto tempore contra indulta priuilegij decimas soluerint, eis renuntiasse tacitè præsumuntur:* idem clarius habetur cap. *Si de terrâ.* eodem tit. vbi clariùs additur ratio generalis his verbis, *De priuilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluistis, cùm liberum sit vnicuique suo iuri renuntiare.* Quæ vniuersalis causalis ponderanda est, & ponderandum à Pontifice, ex longitudine temporis eam renuntiationem inferri; non verò ex eo quòd tertia persona contra eos præscripserit; ergo admittenda est tacita renuntiatio per non-vsum seu per vsum contrarium; & quidem quæ ad totum priuilegium amittendum sufficiat.

Hic est meo iudicio vnicus modus persuadendi eam amissionem per non-vsum; nam quòd aliqui eam deducant ex materiâ eorum Canonũ, quos citauimus, planè non est ad rem; & quoad hoc optimè P. Suarez suprà ostendit eas materias omnes esse de priuilegiis respicientibus materiã capacem præscriptionis, quia erat in detrimentum tertij; in aliis autem priuilegiis optimè asserit non esse possibilem præscriptionem propriam, vt paulò antè ex ipso retulimus.

Svbsectio III.

Quid de tempore aut multitudine actuum contrariorum necessariorum ad amissionem priuilegij.

34. CIRCA tempus ad amissionem priuilegii necessarium placet quod docet P. Suarez, non statim amitti per vnum actum contrarium, nisi accedat tempus, quod est ad præscriptionem alioquin necessarium. Illud tamen mihi difficile videtur, quod dicat vnico solo actu posteà non retractato amitti priuilegium, si intra decennium non fiat reclamatio; vnde omnino censeo, neque eo modo vnum actum sufficere, sed multos esse necessarios: id quod ostendo meo iudicio efficaciter; nam iura, quæ de hac amissione loquuntur, ita longum tempus requirunt, vt semper multos actus contrarios eo tempore exercitos fuisse supponant; vt eo cap. *Si de terrâ,* non dicitur, *Si semel decimas persoluistis, & deinde 30. annis non reclamastis,* Sed, *Si per 30. annos eas decimas persoluistis;* & eodem modo in cap. *Accedentibus.* ergo, cùm hæc materia renuntiationis odiosa sit, non debet extendi vltra casum textus, & vltra rationem vniuersalem allatã in eis textibus. Id confirmo respondendo ad rationem in contrarium: Quòd si semel quis possideat rem aliquam, & intra decennium alter non reclamet, eo ipso sine vllo alio nouo vsu præscribatur cõtra illam rem. Respondeo ergo id non esse contra nos, quia tunc possidetur toto illo tempore illa eadem res, contra quem præscribitur; ea autẽ possessio est perpetuus vsus illius: at in nostro casu non est possessio vlla priuilegii, sed vnius, vt sic dicam, particulæ; nam quod possederit decimas vnius anni, non continuò possidet aliorum annorum, nec possidet ipsam facultatem non soluendi nisi inadæquatè. Id quod euidẽter multis exemplis confirmare possem; sufficiat vnum aut alterum; si v.g. quis vidente domino agri semel transiuit per agrum illius aut vineam, & posteà elapsi sunt decem anni, intra quos, quia nulla fuit data occasio transeundi, nullum nouum actum fecit, neque item dominus reclamauit contra eum primum actum, nemo prudenter dicet, illum alterum posse iam allegare possessionem, & prætendere sibi esse semper licitum per illum agrum transire: idem esset, si semel fructus aliquos de horto decerpsisset vidente domino, & elapso eo decennio vellet prætendere ius ad decerptionem perpetuam: idem, si semel in silua alterius venatus esset, & vellet sine nouo actu post 20. annos prætendere ius, eò quòd intra illud tempus alter non reclamasset contra eam venationem vnicam.

Per vnum actum nõ retractatũ non amittitur priuilegium.

Respondetur ad rationem in contrarium.

Exemplo declaratur conclusio.

35. Dices, Si id non dicamus, non poterit assignari certus numerus actuum qui requiratur; sed cuilibet erit liberum sic vel sic philosophari. Respõdeo me in hac materiâ discurrere sicut Pater Suarez & omnes alii discurrunt in materiâ consuetudinis abrogãtis legem: est enim hæc destructio priuilegii quædam abrogatio legis; nam ipsum priuilegium lex est: vt ergo diximus, nec sufficere vnum aut alterum actum, sed tot esse necessarios, vt prudentum hominum iudicio sufficienter declaretur constans voluntas populi de eâ abrogatione, in particulari autem & pro omnibus materiis decidere, quot sint necessarii & sufficientes moraliter esse impossibile; ita in præsenti dico, necessarios esse multos actus, ex quibus homines prudentes colligere possint sufficienter voluntatem renuntiandi ei priuilegio: rationem huius à priori statim reddo soluendo sequentem obiectionem; quæ sit,

Obiectio, Solutio.

Altera obiectio. Si vnus actus non sufficit, neque multi sufficiunt; quia eadem est ratio de pluribus, quæ de vno, & è contrario; nam etiã post multos factos possunt alii fieri, & tamen illi priores præscribũt contra hos possibiles; ergo etiam vnus poterit præscribere contra posteriores. Vrgeo id, Amissio priuilegii fieri potest per renuntiationem (vt dictum est) sed ad renuntiationem sufficit semel habere voluntatem illius, eámque declarare; ergo sufficiet vnus actus non minùs quàm plures, quia vnus tam sufficienter ostendit voluntatem suam, à quâ procedit, quàm sequentes ostendunt voluntatem, à quâ oriuntur; quæ censetur eiusdem rationis cum voluntate, à quâ similis primus actus ortus est: ergo vel illa voluntas fuit renuntiatiua, & sic sufficiet; vel si non fuit, nec secunda, nec tertia, nec quarta erit, & consequenter nulla sufficiet.

Vrgetur obiectio.

36. Respondeo, in his rebus moralibus non esse considerandam similitudinem physicã, sed quid possint homines prudenter de eis casibus iudicare; admitto ergo libentissimè, si physicè res considereturetur, eamdem esse rationem de vno actu respectu illorum qui posteà fieri possunt, ac de multis respectu aliorum multorum post ipsos: & idem concedo confirmationi respectu voluntatis semel vel sæpiùs declaratæ, nego tamen moraliter idem esse: pro quo explicando vtor doctrinã

Respondetur obiectioni, & datur ratio à priori conclusionis.

Digitized by Google

eiusdem Patris Suarez, quòd scilicet in vnum actum renuntiationis facilè cadit præsumptio alia diuersa ab animo renuntiandi spontaneè; potest enim præsumi renuntiasse tantùm proprio fauori in hoc negotio particulari, vel in gratiam eius personæ, vel ad finiendam seu vitandam cõtentionem; addo ego, sæpissimè homines vnâ aut alterâ vice id facere, ne videãtur duri exactores, aut parci, si nec minimum pomum v.g. permittant accipi in suo horto nisi reclamando iuridicè cõtra accipientem: supponenda item est doctrina à nobis superiùs tradita, scilicet hanc amissionem priuilegij non fieri ex naturâ rei, & vi solius voluntatis priuilegiati, sed vi acceptationis ipsius Principis; qui alioquin solus conseruat priuilegium.

37. *Ratio conclusionis & prioris.*

Ex his duobus suppositis vno verbo respondeo, Principem voluisse ad destructionem priuilegij habere signum externum, quod ostenderet animum renuntiandi, siue interim re ipsâ sit talis animus, siue non; ad hunc verò finem omnino fuisse necessarium, vt non sufficeret vnus aut alter actus cõtrarius vsui priuilegii, quia in vno facilimè est deceptio, ob paulò antè dicta; cùm enim actus ille non sit expressa renũtiatio, sed implicita & satis obscura, oportuit vt talibus circumstãtiis vestiretur, quæ respectu prudentum possint sufficere ad iudicium ferendum cum certitudine morali de eâ voluntate renuntiandi, alioquin res esset planè exposita infinitis contentionibus: quàm enim facilè vnus actus cõtrarius fit ex innumeris aliis diuersis motiuis; id quod etiam de duobus, tribus, quatuor dici potest; debent ergo esse tot, vt possint homines sic dicere, Toties hic homo tacet in hac materiâ, aut facit rem, quę est contra suum ius, vt debeamus suspicari, eum neq; ex errore, neque ob timorem, neque ob aliud motiuum facere, quàm quòd velit cedere suo iuri, & ei priuilegio renuntiare. Quæ doctrina habet locum tam in priuilegiis absolutis, seu quę non sunt in præiudicium tertii, quàm in aliis. Vt enim præsumat Princeps eam volitionem renuntiandi ex vsu contrario, eámque censeatur acceptare, per accidens se habet, quòd priuilegium sit in præiudicium tertii; vel omnino absolutum; imò dicere auderem, præsumptionem maximè habere locum in priuilegiis non contrariis alteri, quia difficilior est vsus priuilegij, quando nocere cogor tertiæ personæ, quàm dum nemini noceo; ergo faciliùs præsumetur quis eo non vti, ne proximo hîc & nunc noceat, etiamsi alioqui nullo modo habeat animum renuntiandi priuilegio in perpetuum, quàm dum non videtur habere aliam causam eius non-vsus, quàm nolle frui priuilegio.

Ad amittendum priuilegium requiruntur tot actus cõtrarij quot sufficiunt ad prudenter iudicandum priuilegiatum priuilegio renuntiasse.

Satisfit instãtiæ de vno actu expressè renuntiante.

Hæc mihi videtur esse clarissima totius huius difficultatis explicatio; ex quâ respondetur obiectioni alij, quam suprà tetigimus ex renuntiatione expressâ, quæ vnicè existens sufficit ad auferendum priuilegium, ergo etiam vnicus actus contrarius. Nego enim consequentiam; nam expressa cùm sit manifesta & determinata declaratio eius voluntatis, est eo ipso sufficiens, nisi probetur aliunde violenter aut metu extorta: at non vsus, qui adeò implicitum signum est eius renuntiationis, non sufficit semel aut bis, nisi toties fiat, vt moraliter, iuxta dicta, non censeatur habere homo aliam causam quàm renuntiare ei priuilegio.

38. Quæri ex hoc potest, an si quis numquã habuit talem voluntatem renuntiandi, sed ob alios fines eum vsum contrarium admisit, censeatur etiam in conscientiâ priuilegium amisisse. Respondeo, si non defuêre aliæ circumstantiæ externæ necessariæ ad probationẽ præsumptionis voluntatis renuntiatiuæ, omnino in conscientia eũ esse priuatum priuilegio. Dico, *si non defuêre aliæ circumstantiæ*, &c. nã si ille homo possit ostendere, se coactum fuisse ad eum actum contrariũ, vel ignorasse se habere illud priuilegium, vel semper se protestatum id non fieri eo animo, sine dubio tunc nec in conscientia nec in foro externo priuilegiũ amisit; imò si aliquid ex his reuerà interuenit & desint iã testes, quibus id probetur, licet fortè in foro externo priuari possit, tamen in interno non caret eo priuilegio: in responsione ergo suppono illum nec coactũ, nec ex ignorantia, nec cũ protestatione, sed omnino liberè feciſſe, ac solùm defuisse interiorem animum renuntiãdi; tunc autem dico reuerà etiam in conscientia amisisse priuilegium, quia Princeps ideò posito tali actu contrario externo priuilegium reuocat; seu, ideò à principio dedit priuilegiũ præcisè duraturum, quãdiu talis non-vsus non fuerit positus; ideò, inquã, illud reuocat Princeps, non quia reuerà necessariò & infallibiliter supponat seriũ animum ei priuilegio renuntiandi, sed quia præsumitur talis animus; vnde cap. *Accedentibus*. non dicitur, *quia voluistis renuntiare*, sed, *quia eis renuntiasse tacitè præsumuntur*: atqui ea præsumptio tũc certissima est, & reuerà existit; ergo reuerà est conditio, quam Princeps voluit ad ablationem eius priuilegij, ergo reuerà illud ablatũ est: si autem reuerà est ablatum, ergo neq; in conscientia poterit retineri: nam si ea conditio, sub qua Princeps concessit priuilegij durationem, non subsistat, siue ea sit consensus internus, siue externum signum illius, certè priuilegiũ non durabit, quia in manu Principis est apponere, quam velit conditionem, dummodò sit iusta; certum autem est, iustissimè potuisse apponi hanc de qua agimus, maximè cùm forum externum non dirigatur actibus purè internis in se, sed præsumptis.

An qui sine animo renuntiandi admisit vsum cõtrarium priuilegio, amittat illud in conscientiâ.

Respondetur affirmatiuè, si omnino liberè admisit vsum contrarium.

SVBSECTIO IV.

Quid de amissione priuilegij per abusum.

39. RESTAT iam vt de abusu priuilegii, quem suprà vltimo loco posuimus, breuiter aliquid dicamus; igitur abusus hîc non sumitur pro peccato quolibet cõmisso à priuilegiato, ratione cuius sæpè priuari potest priuilegio, si Princeps attenta grauitate culpæ velit illum ea pœna punire; non agimus ergo hîc de tali peccato, quia per se ei non est annexa talis pœna, sed est disparata cum priuilegio. Abusus igitur vsurpatur pro peccato ex ipso priuilegio aliquo modo occasionem accipiente: potest autem concipi triplex; Primus exercendo priuilegium plus quàm in eo concedatur (de minori exercitio nihil diximus, quia hic non est peccaminosus per se) scilicet vel loco, vel tempore non permisso, aut in maiori quantitate, &c. Alius abusus est occasionalis, qui tamẽ non potest circa omnia priuilegia reperiri, sed circa ea quæ dant exemptionem aliquam ab ordinariâ potestate: ratione enim huius exemptionis potest aliquis occasionem sumere liberiùs peccandi. Tertius, quando directè repugnat fini priuilegij; vt si Religiosus habens ratione studiorum priuilegium manendi extra Monasterium, nihil tamen foris studet, directè repugnat fini, ob quem fruitur eo priuilegio.

Abusus non est id quod culpa digna priuationi priuilegij.

Quid sit abusus.

Triplex est: Primus. exercendo plus quàm priuilegium concedat.

Secundus est occasionalis.

Tertius, qui directè repugnat fini priuilegij.

Hoc

Digitized by Google

Hoc posito regula communis traditur à Simplicio Papâ ca. *Vbi.* dist. 74. ca. *Priuileg.* 11. q. 3. eam etiam tradidit Innocentius in ca. *Licet.* de regulis, & in ca. *Vt priuilegia.* de priuilegijs, & alibi: *Priuilegium meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate.* Circa quam regulam Primò obseruãdum est, eam extendi ad omnes hos tres abusus, quia absoluta est, & cõsequẽter omnes illos cõprehendit; & possunt iura adduci specialia iam contra hunc, iam contra illum abusum, sed res est certa, nec in eâ diutiùs hę ędũ.

Quilibet ex his abusibus tollit priuilegium.

40. Secundò aduertendum, vi illius legis non incurri eam pœnam ipso facto; verba enim solùm sonant, *meretur vt priuetur*, non autẽ dicunt, *priuatur*; illa ergo pœna debet infligi posteà per sententiam: vbi obseruandum, sicut diximus suprà agentes de lege pœnali, si lex dicat, *Ipso facto priuati sint, aut incurrisse se nouerint*, &c. non esse necessarium ampliùs expectare sententiam Iudicis, sed statim incurri; si verò dicat, *Sciant se incursuros, aut excommunicandos*, &c. debere expectari sententiam: ita in præsenti, si in specialibus legibus imponentibus per modum pœnæ priuationem priuilegij ob eius abusum dicatur, *Sciant se ipso facto priuatos esse*, &c. tunc non expectandã aliam sententiam; si verò iura non contineant eam expressam & actualem comminationem de præsenti, tunc debere expectari sententiam: quid autem in particulari in quolibet abusu dicẽdum in hoc puncto, debet ex particularibus iuribus decidi.

Quæ tamen pœna vi legis non incurritur ipso facto.

Abusus non semper tollit priuilegium totaliter.

Tertiò obseruandum est eam amissionem priuilegij non semper esse totalem, id est quoad totum priuilegium, quia nec abusus est tantus, vt eam magnam pœnam promereatur, vel etiam ipsæ leges nolunt tam magnam imponere; aliquando ergo amittetur in perpetuum, aliquando ad vnum vel alterum vsum, aliquando etiã solum in ordine ad valorem prioris actus, in quo fuit abusus; vt si v. g. Clericus abutens priuilegio exemptionis delinquit, ita vt à sæcularibus fuerit pecuniâ mulctatus, permittunt iura vt ea pœna valida sit, nec repetere ei liceat eam pecuniam; per quod tamen in futurũ nihil ei derogatur de valore priuilegij: quid autẽ iura statuant in quolibet abusu particulari non est hîc à nobis explicandum, quia non agimus de particularibus casibus, sed doctrinam generalem tradimus.

Sectio VI.

De priuilegij amissione per reuocationem.

41. Reuocatio spectat ad concedentem priuilegium.

Reuocatio priuilegij ad illum propriè spectat, qui priuilegium concessit: & de hoc in præsenti pro complemento totius huius materiæ agendum est.

Priuilegium excessum non subdito non potest à concedente reuocari

Pro quo supponendum cum communi priuilegium posse conferri vel subdito vel non subdito (vt suprà diximus:) priuilegia ergo concessa non subdito communiter ab omnibus censentur planè irreuocabilia, & meritò; nam ea sunt per modum donationis ab altero acceptatæ, quã iam non potest Princeps reuocare, etiamsi vellet, si alter non vult; sicut si illi dedit pallium, non potest illud ab eo auferre. Quæ ratio etiam probat de successore, quia neque hic habet potestatem exuendi alterum suo iure.

Nisi fuerit de re succes.

Duæ tamen limitationes solent communiter adhiberi: Prima, nisi illud priuilegium fuerit de re notabiliter præiudicante successori; tunc enim non censetur habuisse vim ad eam donandam, nisi pro suâ vitâ relictâ successori potestate eam donationem reuocandi. Secunda limitatio est, vt res maneant in eodem statu, & non sit facta tãta mutatio rerum, vt priuilegium illud iudicetur iam iniustum & iniquum; tunc enim definit esse priuilegium; quod tamen non fit per modum reuocationis, sed ab intrinseco per mutationem materiæ; vt contingere potest in omnibus ferè legibus. Exemplum sit: Si Rex Hispaniæ aut Galliæ in confinibus donasset extraneo aliquem locum cum priuilegio, vt non posset grauari milite; certè si posteà Rex ille eâ parte impeditus ab hoste non posset aliter se Regnumque suum defendere, nisi ibi collocando militem, nemo dicere posset validum tunc fore illud priuilegium, & Regem impeditum ad ponendum militem.

Sori valde præiudicãte, aut nisi verè status ita mutetur, vt priuilegium iniustum censeatur.

42. Circa priuilegia concessa proprio subdito PRIMA CONCLVSIO: Si illud priuilegium sit per modum contractus, quòd Princeps illud vendiderit subdito, iam nõ potest illud reuocare, quia Princeps non potest à subdito auferre rem quæ semel est propria subditi. Non loquor in casu extremæ necessitatis, quando etiam alias res non donatas potest Princeps accipere à subditis; tunc enim etiam poterit quas vendidit; habebit tamen tunc obligationem posteà subdito satisfaciendi: sed quoad hoc difficultas communis est ad alias res non datas per priuilegium aut per venditionem, ideò de eâ nihil amplius.

Priuilegium concessum subdito per modum contractus non potest reuocari.

Item priuilegium remuneratiuum.

SECVNDA CONCLVSIO: Priuilegium remuneratiuum, quia reducitur ad præcedens, habet enim se per modum contractus, etiam non est reuocabile, nisi eo modo quo de præcedenti diximus: id quod maximè locum habet, quando ea remuneratio est quasi debita ex iustitiâ; quando verò solùm ex gratitudine, licet ratio non ita vrgeat, quia gratitudo non tam obligat quàm iustitia; quia tamen etiam tunc est per modum realis donationis, absolutè est irreuocabile; vt magis constabit ex tertiâ conclusione.

Item concessum liberaliter per modũ donationis.

TERTIA CONCLVSIO: Etiam priuilegiũ omnino liberaliter concessum si sit per modum absolutæ donationis cum translatione dominij vel iuris in aliquam rem, vt cùm donatur ciuitas, arx, ius vectigalium, &c. non potest reuocari, nisi eo modo quo in primâ conclusione vrgente extremâ necessitate. Ratio huius est eadem quæ præcedentium, quia per talem donationem translatum est absolutè dominium in alterum, ideoque non potest Princeps, nisi in eo casu grauissimæ necessitatis, subditum spoliare eâ re; quo ad hoc enim Princeps habet se sicuti ceteri homines, qui si semel rem suam donent alteri, non possunt eam repetere.

43. *An si tale priuilegium reuocaretur, teneretur Princeps facere subdito compensationem. Negat Suarez. Contrarium probabilius.*

Illud tamen dubium esse potest, vtrùm, casu quo ex rationabili causa Princeps posset reuocare illam donationem, teneretur facere aliũde eõ pensationem; sicuti, si priuilegium venditum auferretur, ob grauem etiam causam deberet compensari. P. Suarez putat non esse necessariam cõpensationem, quia verisimile est Principem donantem non se obligare ad eam cõpensationem: ego tamen contrarium censeo probabilius; nam cùm absoluta & liberalis donatio tam faciat rem alterius, quàm si per emptionem ab eodem fuisset acquisita, tam defraudatur alter re propriâ in vno quàm in altero casu; ergo tam exigit compensationem in vno quàm in altero: sicut qui mihi furatur rem donatam, non minùs me lædit quàm qui furatur rem emptã: neque ea præsum-

Digitized by Google

præsumptio cõditionalis donationis, quã P. Suarez ponit, videtur habere sufficiens fundamentũ, quia in alijs donationibus aliorum hominũ non intelligitur, ergo neque in donatione Principis, quia non est maior ratio de vnã quàm de alterã.

44. *Priuilegium purè contra commune ius potest à concedente reuocari.*

QVARTA CONCLVSIO: Priuilegium purè dans facultatẽ faciendi aliquid contra commune ius, v.g. non ieiunandi, aut non audiendi Sacrum, vel absoluendi à casibus reseruatis, &c. potest validè reuocari à concedente. Ita tradit communis doctrina; & experientia passim ostendit similia priuilegia reuocari. Ratio huius est, quia etiamsi Papa v. g. abstulerit pro me legem ieiunij, potest eã rursus ferre pro me; & ex eo capite dicetur tollere mihi priuilegium: vnde facilè respondeo obiectioni, quæ poterat ex dictis paulò antè fieri; scilicet, etiam in eiusmodi priuilegiis interuenire donationem acceptatam; quę non videtur posse retractari. Respondeo enim, etiamsi non retracterur propriè donatio prior, quia tamen de nouo ponitur impedimentum, cuius positio est in potestate Principis, dicitur reuocari priuilegium. Vnde Papa dispensans in impedimento matrimonij potest ante illud contractum dispensationem reuocare, non quidem reddendo nullam donationem præcedentem, sed de nouo volendo, vt illud impedimentum sit validum; nam licet dispensationem dederit contra præcedentem institutionem impedimenti, non tamen dedit contra futuram: sicut qui dispensat in præcepto præcedenti, non ideò dispensat in præcepto futuro: quando verò dispensat in voto, non potest dispensationem reuocare, quia nec potest donationem dispensationis præcedentis nullam reddere; obligationem verò voti ipse non potest inducere, sicut potest nouam legem circa eamdẽ materiã ferre. Quæ est clara huius rei explicatio.

Satisfit tacitæ obiectioni.

45. *Non possunt eiusmodi priuilegia sine causa dicrè reuocari.*

Aduerte tamen Primò, etiamsi validè possit dicta priuilegia sine causã Princeps reuocare, non tamen illum licitè operaturum; non enim debet Princeps fauores suos auferre nisi rationabili de causã.

Quælibet se extendit ad omnes Legislatores respectu suorum priuilegiorũ.

Aduerte Secundò, hanc doctrinã per se intelligendam de omni Legislatore etiam non supremo, respectu tamen eorum priuilegiorum quæ ipse concessit: potest enim ea reuocare; nã respectu illorum habet se ac si esset supremus Princeps. Dico *per se*, quia posset contingere vt Papa v.g. auferret Episcopo potestatem reuocandi priuilegia quæ semel concessit; sicut etiam potest ei dare potestatem dispensandi in legibus ab ipso Papa latis; & probabile est, dispensationem Episcopi in iure communi non esse ab eo reuocabilem, quia ipse non potest iam nouũ ius commune erigere. Verùm hoc decidendum est iuxta tenorẽ potestatis concessæ ad dispensandum in eo iure.

Superior Princeps potest reuocare priuilegia inferioris.

Aduerte Tertiò, superiorem Principem posse à fortiori reuocare priuilegia ab inferiori concessa, quia habet totam auctoritatem, imò aliquid amplius quàm habet inferior, sicut diximus agẽtes de dispensatione; è contrario verò, inferiorem non posse reuocare quæ à superiore data sunt ob contrariam rationem, quia non potest contra fortiorem se, misi, vt paulò antè dixi, ex speciali aliquã commissione.

SECTIO VII.

De modis quibus reuocatio fieri potest.

46. IN hoc puncto, si reuocatio fiat in specie, designando ipsum priuilegium, certum est, eam esse validam; ideò de hoc modo reuocandi nulla est difficultas; si verò sit cum terminis generalibus, *non obstantibus quibuscumque priuilegijs*, maior est difficultas, an omnia omnino comprehendat. Pro decisione suppono, solum esse sermonem de vltimo genere priuilegiorum; quæ sola diximus esse reuocabilia, nisi in casu grauissimæ necessitatis, qui debet specialiter exprimi: hoc posito, discurrendum est, sicut de reuocatione legum supra discurrimus; ac dicendum Primò, Si priuilegia sint iuris communis (quod, vt sæpè diximus, Princeps supponitur scire) omnia reuocari per eam generalem clausulam, quia lex posterior reuocat priorem: quod cùm P. Suarez optimè tradat cap. 39. num. 2. miror ipsum cap. 38. dicere, ea priuilegia non reuocari, nisi addatur clausula reuocatoria legum, eò quòd talia priuilegia iam sint leges. Quæ duæ doctrinæ non cohærent; nam esto ea priuilegia sint simul leges; sunt tamẽ vera priuilegia, & sciũtur à Principe; ergo includuntur sub eo termino generali omnibus priuilegijs. Adde etiam, sine eâ clausulâ doceri à Patre Suario reuocari leges ipsas in iure per posteriorem legem eis in actu exercito contrariam; ergo multò magis reuocabuntur additâ clausulâ expresse reuocante: dicendum ergo est absolutè ea omnino reuocari: ab hac tamen regulâ excipiũtur communiter ea priuilegia quæ habent clausulam generalẽ, qua cauetur, ne reuocati possint, nisi expressa de eis mentio fiat; dicimus enim, ea non reuocari nisi per clausulam reflexam, *non obstante clausulâ, vt reuocari non possint*, &c. In hac limitatione ego suprà dixi, si ea priuilegia sint in iure communi contenta, quia eo ipso à Principe sciuntur, probabile esse non requiri talem reflexam clausulam, sed sufficere, si dicatur, *nullis omnino in contrarium obstantibus*; nam Papa præcedens non potuit auferre sequenti vim derogandi eis priuilegijs etiam sine vllâ tali clausula; si verò ea priuilegia sint particularia, non reuocari per eam generalem clausulam, vt iam de omnibus aliis dico.

Priuilegia iuris communis omnia reuocantur per generalem clausulam.

47. *Particularia priuilegia non reuocantur per terminos generales. Princeps decernens scienter aliquid contrarium antiquo priuilegio censetur illud reuocare.*

Secunda ergo regula est: Particularia priuilegia non reuocantur per eos terminos generales, quia non supponuntur sciri à Principe; vnde ad eorum derogationem debet addi terminus ille, *non obstantibus etiam particularibus priuilegijs contrarijs*, &c.

Tertia regula circa virtualem reuocationem sit, si Princeps sciens antiquum priuilegium faciat aliquid aut decernat illi contrarium, eo ipso virtualiter reuocat antiquum. Dixi, *si supponatur scire*; si enim non supponitur, non poterit illi esse voluntaria ea reuocatio; nihil enim volitum quin præcognitum. Ex quâ regulâ infertur, si actus ille sit contrarius priuilegio in iure communi contẽto, eo ipso illi derogare; quia supponitur Princeps illud ius seu priuilegiũ scire; si verò sit particulare priuilegium, quod non præsumitur scire, illud non reuocari per talem actum; id quod intelligendum est, etiamsi particulare rescriptum contrarium ei priuilegio speciali detur, dummodò de eius reuocatione mentio non fiat. Et ita habetur expresse in cap. *Cum ordinem*, de rescriptis in 6. & ratio est, quia si per legem generalem, quæ cum maiori deliberatione fit quàm rescriptum particulare, non reuocatur priuilegium particulare, multò minùs reuocabitur per illud rescriptum particulare.

Proponitur difficultas contra allatam doctrinam.

Est tamen difficultas aliqua contra hanc regulam; nam si Papa alicui Legato specialiter cõcessit

48.

ceſſit poteſtatem in ditione ſuę legationis prouidendi ſeu conferendi quibus velit omnia beneficia vacantia, & poſteà, nullâ factâ mẽtione eius priuilegij, Papa ipſe aliquod ex illis beneficijs conferat Petro v.g. valet ea collatio contra alteram Legati. Ita enim deciditur in cap. *Dudum.* de præbendis in 6. & cap. *Quamuis tibi.* ibidem; ergo priuilegium ſpeciale reuocatur per reſcriptum particulare contrarium, etiamſi de illo nó fiat ſpecialis mentio. Propter hos duos textus Pater Suarez docet cap. 39. num. 7. priuilegium primum numquam reuocari per ſecundum priuilegium contrarium, derogari tamen illi ex parte; quia derogatio non videtur eſſe contraria primo priuilegio; quam dicit eſſe ſententiam frequentiùs receptam. In eâ ego duas difficultates reperio: Prima eſt, quòd ſi legatur cap. illud *Dudum.* & ratio, quâ in eo vtitur Pontifex, ablatum certè omnino fuiſſet illud priuilegium Legati, ſi omnes vacantias Papa cõtuliſſet de facto; ergo non ſolùm derogati, ſed omnino auferri poteſt primum priuilegium per contrarium actum ſequentem, licet de facto non fuerit ablatum. Conſequentia eſt bona; antecedens patet, quia Pontifex eo nititur ibi fundamento, quòd licet Legato dederit poteſtatem magnam, apud ſe tamen retinuit maiorem. Quæ ratio etiá probat, quòd non ſolùm vnam, ſed etiam omnes vacantias potuerit conferre; quia eodem modo reſpectu omnium eſt verum, Papam habere maiorem poteſtatem quàm Legatum, quo eſt verum reſpectu vnius vacantiæ.

Sententia Suarez, numquã derogari priuilegio antecedenti per priuilegium contrarium. Reijcitur Primò.

49. *Secundò.* Altera difficultas eſt, quòd malè dicatur ea derogatio non eſſe contraria primo priuilegio; ſi enim dicat priuilegium, *Omnes conferas*, & derogatio dicat, *Non conferas omnes*, facit iam contradictoriam oppoſitionem, talem, vt nec poſſint diuinitus ſimul ſubſiſtere veræ eæ duæ propoſitiones aut validæ eæ duæ conceſſiones.

Reſpondetur ad propoſitã difficultatẽ. Putarem ergo, obiectionem ex eo textu non eſſe contra noſtram regulâ, quia Pontifex in eo caſu ſupponebatur ſcire priuilegium priùs conceſſum; vnde non mirũ, ſi illi derogauerit; ex quo capite ſi rem ex toto illi contrariam ſtatuiſſet, etiá ex toto abrogaſſet: quòd verò ſciuiſſet illud priuilegium, patet manifeſtè ex verbis eius capit. *Aut enim conſiderantes, quòd nos expoſito nobis de poteſtate prædicta Legati, nihilominus litteras*, &c. quo ſenſu intelligo etiam alterum cap. *Quamuis tibi.* quod eiuſdem eſt Pontificis, & videtur in eodem ſenſu ibi locutus, etiamſi non repetat ea verba, *expoſito nobis*, &c. vnde mihi eſt probabile in alijs caſibus, vbi omnimoda ſupponitur ignorantia, non derogari neque ex toto, neq; ex parte; nam id manifeſtè ſupponit cap. *Cùm ordinem.* ſuprà relatum.

50. *Priuilegium per ſententiam reiectiũ non abrogatur, ſed reprobatur, niſi ſit in pœnam eius qui dãnatur.* Vltima regula eſt, quando per ſententiam aliquam priuilegium reiicitur, non reuocatur propriè, niſi ſit in pœnam eius qui damnatur, ſed reprobatur. Ita in cap. *Suborta.* de re iudicatâ: ea autem reprobatio poteſt eſſe, vel quia priuilegium illud declaratur ſubreptitium, vel quia iniuſtum. Ratio huius eſt, quia ea ſententia condemnatoria ſupponit vel aliquam incapacitatem in ipſo ſubiecto, vel defectum in ipſo priuilegio, ideóq; illud reprobat, in quo puncto nihil ſingulare occurrit dicendum.

Abrogatio priuilegij per legem tunc incipit, quando lex eſt ſufficienter promulgata. Iam ſolùm reſtat pro complemẽto huius materiæ declarare, quando cenſeatur incipere abrogatio priuilegij. Reſpondeo facilè ex his quæ de legibus irritantibus diximus ſuprà, ſi ea derogatio fiat per legem, incipere, quando lex cenſetur ſufficienter promulgata: ad quod communiter ſufficit, ſi fiat in Principis Curiâ, & labatur terminus ab ipſa lege requiſitus. Vbi aduerte, etiáſi ad hoc, vt lex me obliget ad faciendũ vel omittendum aliquid, debeat non ſolùm vniuerſaliter, ſed etiam mihi in particulari de ea conſtare; quia nemo dirigitur ad operandum, niſi vi cognitionis propriæ; ad effectum tamen irritãdi actus ſeu eorum valorem, item ad auferendum valorem, qui per priuilegium datur actibus, nó eſſe neceſſum vt de illa reuocatione conſtet priuilegiato, quia Princeps ſola ſua voluntate poteſt eum valorem auferre, vt fuſiùs ſuprà. Hinc noto, priuilegia, quæ ſolùm dant poteſtatem aliquid licitè faciendi aut non faciendi, non orandi, aut comedendi carnes, &c. non reuocari pro vllo, niſi cùm talis reuocatio illi ſufficienter proponitur; quia quamdiu eam ignorat, licitè pergit vi antiqui priuilegii: cetera verò, quæ valorem actui tribuunt, ſi per legem, vt diximus, reuocantur, ſortiri poſſe effectum antequam ad ipſius particularis perſonæ notitiam veniant, ſi tamen ſufficienter aliter promulgata ſit.

ſufficienter promulgata.

51. Vnde ſi communiter daretur priuilegium pro aliquo Regno contrahendi cum conſanguinea intra quartum gradum, & poſteà per legem publicam ſufficienter in eo Regno publicatam id reuocaretur, nemo dubitaret non fore validum matrimonium contractum ab aliquo priuatim ignorante eam reuocationem: & idem etiam dicerem de poteſtate eligendi Confeſſarium, ſi per legem publicam fuiſſet reuocata, & ſufficienter facta promulgatio: quod minùs benè videtur negare P. Vaſquez diſp. 156. cap. 14. ſine diſtinctione affirmans priuilegium non reuocari, donec reuocatio innoteſcat ipſi priuilegiato: ſi verò reuocatio ſit particularis per mandatum particulare, probabiliſſimum eſt, Principem non velle valorem eius actus tollere, donec ea reuocatio homini illi in particulari nota ſit; nam pro particulari mandato non debet intercedere vniuerſalis promulgatio, ſed particularis, & quidem reſpectu illius quem res illa concernit. Et ita etiam docet idem Pater Vaſquez diſp. 150. à num. 27.

Vt reuocatio priuilegij innoteſcat priuilegiato, non requiritur nuntius. Rogabis, qualis debeat eſſe ea notitia, an per nuntium ad hoc miſſum, vt nonnulli volunt, an verò ſufficiant litteræ. Reſpondeo non videre me vllam rationem cur requiratur nuntius, cùm id ex naturâ rei non ſit neceſſum, neque iura id exigant, & nuntius non aliam afferat certitudinem, quàm quæ eſt in ipſis litteris. Quòd ſi aliquando ſpecialiter priuilegium detur cum tali conditione, vt non niſi per nuntium reuocetur, id per accidens reputandum erit; ſicut, quòd aliquando Princeps ab ipſo momento ſui decreti reuocet valorem priuilegij, prout poteſt facere; tunc enim non ex generali ratione priuilegij, ſed ex particulari talis effectus prouenit: ad id autem ponderandus eſt particularis priuilegiorum in ſpecie tenor. Et hæc ſatis de totâ hac materiâ priuilegiorum & legum.

TRACTA-

Digitized by Google

TRACTATVS DE DIVINA GRATIA, IVSTIFICATIONE ET MERITO.

1. D. Thomas multa hic de gratiâ discutit non extra rem.

POST explicatas leges, quæ præscribunt nobis quid faciendum, quid è contrario omittendum sit, meritò D. Thomas disputauit de gratiâ, per quam nobis conferuntur vires, quibus seruare possimus quæcumque nobis à legibus præscribuntur. Dico conferuntur vires, non quia sola gratia concurrat (vt ex dicendis sæpè constabit) sed quia ipsa maximum & præcipuum obtinet locum in eo concursu. Multa deinde circa gratiam in præsenti discutit D. Thomas, quæ non pertinent propriè ad vires productiuas aliquorum actuum; sed vel ad declarandam formalem sanctitatem hominis, vel ad dignoscendum valorem operum meritoriorum vitæ æternæ; quæ tamen non ideò debent reputari à præsenti instituto aliena: habet enim ipsa gratia etiam vt sanctificans maximam connexionem cum bonorum operum productione, vt inferiùs dicemus. Et verò cùm de gratiâ in eâ consideratione alicubi disputandum

Vtraq; gratia conuenit in genere doni.

esset, non potuit opportunior locus inueniri quàm præsens. Nam licet in genere operandi non conueniant duæ illæ gratiæ, in genere tamen doni aut beneficij diuini, sub quâ consideratione maximè de illis agendum erit, summam inter se connexionem habent. De gratia in tota hac latitudine tractant omnes interpretes D. Thomæ in hoc loco, alij verò cum Magist. in 2. dist. 27. & 28. & in 3. dist. 23. Luisius Turrianus proprio Tomo; vbi tamen solùm videtur feciſſe compendium Tractatus Patris Vasquez: fusissimè verò P. Suarez tribus specialibus Tomis hanc materiam eleganter discussit: duo editi sunt; medius, quia materiam de alijs continet, quæ typis prohibita est, adhuc lucem non vidit. Ego verò, quod in alijs materijs præstiti, certa ab incertis, res à vocibus distinctè secernendo, ipsa Dei gratia adiuuante, in præsenti maiori cum diligentia præstabo, quia video in immensum ferè hanc materiam extendi, fortè ob non sufficientem distinctionem vocum à rebus, & obscuram status multarum quæstionum propositionem, ac denique ob difficultates aliquas leuioris momenti discussas, ac si grauissimæ essent.

Quid faciat hanc materiam de gratiâ tam intricatam.

DISPVTATIO XXXV.

Proœmialis de gratiâ adiuuante: vbi, reiectis erroribus, declarantur quæ inter Catholicos sunt certa.

SECTIO I.

Significatio gratiæ, & tres primæ diuisiones illius.

2. Quid gratia.

GRATIAM idem significare quod beneficium collatum sine merito recipientis, seu liberaliter, est extra controuersiam tum apud Latinos auctores, tum apud Sanctos Patres, Theologos, & Philosophos; quorum omnium testimonia omitto: res enim est magis clara, quàm vt eiusmodi confirmationibus indigeat. Aliqua adducit P. Suarez Tom. 1. prolegom. 3. cap. 1. & seq. & P. Tannerus quæst. 1. dub. 1. & Turrianus dispu. 1. dub. 1. In hac significatione vsurpamus in præsenti vocem hanc; nam quòd aliquando

Digitized by Google

Gratia pro amore.

quando accipiatur pro amore ipso, à quo oritur beneficium illud, magis fit per tropum, attribuẽdo causæ nomen effectus, quàm quòd propriè eum amorem significet: accipitur item aliquando pro gratitudine, cùm quis ob acceptum beneficium se exhibet collatori liberalem, gratum, &c. sed hæc significatio est extra intentum nostrum: accipitur etiam pro pulchritudine exteriori, iuxta illud Prouerb. 31. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Verùm & hæc acceptio omnino est aliena à tractatu præsenti, sicut & aliquę aliæ quæ adduci solent; sufficiat nobis declarasse quæ sit propria huius loci.

Pro gratitudine.

Pro elegantiâ formæ.

Hic sumitur gratia pro dono liberali.

In eâ ergo significatione quia dona & beneficia, quæ alteri possunt conferri (maximè creaturæ à Deo, de cuius gratiâ in præsenti disputamus) sunt innumera; ideò diuidi gratia potest varijs modis: vt autem eas diuisiones meliùs intelligamus, supponenda est doctrina certa & Catholica, scilicet, mundum creaturasque omnes ita liberè à Deo productas, vt planè potuerit vel nullas omnino, vel non has, sed alias diuersas creare. De quo puncto fusiùs egi Tomo. 1. disp. 27. sect. 1. & 2.

Creatio est gratia.

Hoc posito, ipsa creatio beneficium est liberale, ideóque vocari meritò potest gratia, propriè loquendo; quia item præter hoc donum contulit aliud creaturis rationalibus, homini & Angelo, eleuando illas ad finem supernaturalem visionis beatæ, ac aliorum donorum in entitate suâ omnino excedentium vires ipsius naturæ rationalis, ideò diuiditur Primò gratia in gratiam illam creationis & gratiam hanc redemptionis per Christum. Circa quod secundum membrum aduerte, licet latiùs pateat gratia in ordine supernaturali quàm gratia redemptionis; Angeli enim & Adam ante peccatum habuerunt gratiam ordinis supernaturalis sine eâ redemptione; quia tamen in præsenti de hominibus solis præcipuè disputamus. & Adamus eam gratiam independenter à Christo datam nõ nisi breuissimo tempore retinuit, eo scilicet quo in Paradiso ante peccatum mansit; ideò gratia ad ordinem supernaturalem spectans ordinariè solet à Sanctis Patribus & Theologis vocari gratia redemptionis Christi: quibus terminis Augustinus & Concilia olim contra Pelagium vsa sunt: hic enim hæreticus non aliam videbatur agnoscere gratiam quàm creationis: vel saltem non fatebatur illam aliam esse necessariam ad ea omnia opera eosque fines, ad quos Ecclesia eam requiri meritò docet, vt inferiùs ostendemus.

Diuisiones gratiæ.

Gratia creationis & redemptionis.

Gratia ordinis supernaturalis vnde dicta gratia redemptionis per Christũ.

Gratia per Christum gratia non per Christũ. Ostenditur diuisionem sub his terminis parum vtilitatis habere.

Igitur ea prima diuisio alijs terminis traditur, vt gratia alia dicatur per Christum, alia verò non per Christum: quibus vocibus frequenter vtuntur multi, putantque per eas se satisfacere varijs difficultatibus. Verùm ego exiguam in eâ diuisione sub eis terminis vtilitatem inuenio pro disputationibus præsentibus; nam suppono *per Christum* solùm denotare intercessionem & meritum Christi: rursus etiam suppono, omnes gratias etiam in ordine naturali, & verò ipsam creationem, &c. potuisse esse per Christum: potuit enim Christus petere à Deo vt ego crearer, vt à tali vel tali parente nascerer, hoc vel illud ingenium haberem, &c. imò de facto ita contigisse vt probabilissimum defendemus infrà. Tertiò suppono, omnes gratias quantumuis supernaturales potuisse etiam dari à Deo Christo: sicut enim ipsius Christi humanitati sine vllis meritis dedit summam gratiarum, nempe vnionem hypostaticam, ita potuit & alijs alia etiam dona largiri. Ratio à priori est clarissima, quia ea omnia quæ Deus potest dare rogatus, potest etiam non interuenientibus precibus; sicut in humanis, ea quæ quis potest donare ad petitionem alterius potest à semetipso sine precibus.

Ex his infero, differentiam gratiæ per Christum & gratiæ à solo Deo purè putè consistere in eo, quòd Deus de facto aliqua det per Christum propter eius merita, alia verò independenter ab illis; vnde vltimò concludo, dona ipsa in se & respectu nostri non esse maiora, nec magis necessaria aut vtilia, eo quòd dentur propter merita Christi, quam si à solo Deo donarentur: vnde fit, vt ex naturæ infirmitate, ex finiti nobilitate, ex occasionum aut difficultatum magnitudine nequeat vllo modo inferri specialis necessitas gratiæ per Christum præ altera quacumque gratiâ. Neque hæc diuisio potest esse vtilis ad explicandam vel Dei liberalitatem, vel certè nostrã imbecillitatẽ. Pro quo tamen passim hac distinctione auctores multi vtũtur, vt dixi; sed de hoc tedibit infrà nobis sermo; iam ad alias diuisiones.

3. *Gratia per Christum & à solo Deo in quo consistat.*

Gratia, eò quòd per Christum detur, non est magis necessaria quàm quacumque alia.

Quia intra quemlibet ex duobus ordinibus & creationis & redemptionis possunt esse diuersissima dona & fauores Dei, ideirco etiam possunt esse variæ subdiuisiones gratiæ. Explico id: Ad ordinem creationis pertinet, quòd homo habeat sensus omnes naturales integros & perfectos; quòd polleat ingenio bono; quòd à nobilioribus, ditioribus, &c. parentibus nascatur, &c. Igitur, præter beneficiũ seu gratiam ipsam creationis, id est, quòd homo sit absolutè creatus, possunt esse aliæ diuersæ gratiæ, sanitatis, ingenij, nobilitatis, fortitudinis, diuitiarum, &c. eodem modo, quia intra ordinem ipsum eleuationis ad finem supernaturalem diuersissima sunt dona, diuersæ etiam esse possunt subdiuisiones.

Varia subdiuisiones gratiæ.

Prima ergo diuisio gratiæ redemptionis sit in permanentem seu habitualem, & in transeuntem: hæc est auxilium actuale, inspirationes, illuminationes, &c. illa verò habitus ipsi supernaturales, qui manent in animâ, eam & ornando & suo etiam tempore iuuando, seu simul cum eâ concurrendo ad operationem honestam.

Gratia redẽptionis permanens.

Gratia redemptionis transiens.

Alijs terminis eadem subdiuisio traditur, in sanctificantem, & non-sanctificantem: hanc secundam nonnulli vocant gratiam gratis datam, sed immeritò; nam etiam gratia sanctificans liberaliter seu gratis donatur. Meliùs ergo sub terminis à nobis positis traditur: Sanctificans dicitur illa, quæ formaliter per vnionem sui cũ subiecto illud reddit iustum ac sanctum; non sanctificans; quæ hunc effectum non præstat, etiamsi ordinetur ad illum: vnde colliges malè à nonnullis sub sanctificante cõprehendi auxilia & actus bonos, inspirationes, &c. hæ enim, etiamsi aliquo modo disponant ad sanctificationem, non tamẽ ideò sunt sanctificans; alioquin si ob eam ordinationem dicantur gratia sanctificans, nulla erit gratia, quæ non debeat talis dici; ipsa etiam Prophetia, genera linguarum, &c. ordinantur enim hæc omnia ad sanctificationem propriam vel alienam. Aduerte tamen, aliquando gratias illas, quæ non sunt ad augmentum propriæ habitualis gratiæ & gloriæ, sed ad aliorum vtilitatem, vocari gratis datas; qualis est Prophetia, interpretatio sermonum, &c.

4. *Gratia redemptionis sanctificans alia non sanctificans.*

Auxilia & inspirationes non sunt gratia sanctificantes.

Quæ gratia vocentur gratis data.

Digitized by Google

SECTIO II.

Duæ vltimæ diuisiones gratiæ.

5. TERTIA diuisio respectu gratiæ vt sic, ac secunda respectu gratiæ redemptionis, est in excitantem & adiuuantem. Pro quo aduerte, nõ includi propriè in vllo ex his membris gratiam sanctificantem quà talem, quia ea secundùm hũc conceptum neque excitat, neque iuuat, esto, vt dicemus infrà, nostra gratia sanctificans simul sit idem realiter cum habitu charitatis; quod tamẽ, vt infrà dicam, est extra conceptum sanctificandi; ac proinde subdiuisio hæc non continet omnem gratiam supernaturalem: ex quo capite non videtur esse bona. Sed quidquid de hoc sit, gratia excitans ea dicitur, quâ Deus hominem quasi dormientem suscitat, vti alterum olim Eliam, vt grandem in cælum viam vel de nouo ineat, vel prosequatur inchoatam, iuxta illud Apocal. 3. *Ecce sto ad ostium & pulso:* hoc fit per actus intellectus supernaturales; quos, siue concurrat actu siue non noster intellectus (quod ad præsentem difficultatẽ parum attinet) in nobis Deus ipse excitat, ideóque non sunt nobis formaliter liberi: præstat etiam id per complacentias aliquas supernaturales erga bonum honestum; quæ etiã excitantur in nobis sine nobis: quam vltimam particulam ita intellige, non quòd à nobis non producantur, sed quòd nõ fiãt liberè, sed necessariò: excitari autem solent inspirationes illæ ab Angelis, vel nos ponendo in occasionibus, vnde earum species acquiramus, vel certè acquisitas commouendo: nam Angelus non habet virtutem physicam productiuã immediatè in nobis actũ intellectus & voluntatis, aut specierum pro illis actibus necessariarum; excitatis verò eiusmodi speciebus concurrit Deus diuinitus ad productionem earum cognitionum seu inspirationum supernaturalium; quas ad omnes actus supernaturales voluntatis necessarias esse dicemus infrà.

Gratia excitans quid.

Illustratio & pias motiones fiunt in nobis sine nobis.

Inspirationes excitantur ab Angelis.

6. Aduerte tamen, aliquando has gratias excitantes esse in se naturales; nam cogitatio naturalis de breuitate vitæ, de morte amici, &c. solet iuuare ad bonum propositum concipiendum, non tamen determinando immediatè ad actus supernaturales voluntatis: debet enim cognitio immediatè determinans ad amorem supernaturalem esse eiusdem ordinis & supernaturalis, sicut ipse amor; prout cõmuniter dicitur non posse voluntatem ad amorem spiritualem determinari, formaliter nisi à cognitione spirituali: de quo in in libris de Animâ egi ostẽdens, ita id connaturaliùs fieri, vt tamen nulla sit repugnantia in eo, quòd diuinitus anima per cognitionem materialem determinetur ad amorem spiritualem: id quod puto etiam dicendum de naturali respectu supernaturalis in ordine ad eamdem potentiam absolutam. Potest autem iam hìc esse difficultas, quomodo peccatores vel Gentiles, qui omni principio supernaturali carent, possint habere eos actus supernaturales gratiæ excitantis. Respondeo facilè, eos fieri ab auxilio Dei extrinseco, sicut & ab eodem fit actus contritionis vel amoris Dei super omnia, quo peccator se disponit ad gratiam: an autem semper Deus sit paratus ad concurrendum cum eis ad actus supernaturales, vel solo certo tempore, & quando, dicetur ex proposito infrà disp. 41. sect. 4.

Gratia excitans in se aliquando est naturalis.

Cognitio naturalis non determinat immediatè ad amorem supernaturalem propter improportionem.

Excitatio in peccatore vel Gentili fit ab auxilio Dei extrinseco.

7. Nunc ad alterum membrũ diuisionis, scilicet ad gratiam adiuuantem, veniamus. Ea igitur omnia quæ se tenent ex parte principij influentis in actus supernaturales, & quæ simul cum potẽtiâ concurrunt, dicuntur gratia adiuuans. Potest autem dici adiuuans in actu secundo, quatenus actu concurrit; vel adiuuans in actu primo, quatenus est potens ad concurrendum, licet actu non concurrat. Circa hanc diuisionem moueri solet difficultas, an gratia excitans suprà explicata, id est bonæ inspirationes & complacentiæ supernaturales influãt etiam physicè in conuersionem nostram, & consequenter, an etiam dici queant gratia adiuuans. Affirmant aliqui eò quòd Tridentinum doceat nos cooperari gratiæ excitanti; ergo etiam illa nobiscum operatur. Hoc fundamentum valdè est leue, nam cooperari passim dicitur etiam respectu aliarum causarum, quæ physicè non influunt: sic qui consilio, præcepto, promissione, &c. aliquem iuuat, dicitur cooperari cum altero; ergo hinc non infertur influxus physicus. Confirmo: Etiam Tridentinum docet fidem cooperari bonis operibus iustorũ: atqui in omnium ferè sententiâ fides non influit efficienter in actum charitatis hominis, ergo cooperari apud Tridentinum non significat influxum physicum: idem est, quando peccator habens fidem & spem excitatur per Dei inspirationem ad actus harum virtutum, qui etiam in sententiâ horum, cum quibus ago, non procedunt ab eis inspirationibus, sed ab habitibus fidei & spei; & tamen etiam tunc ex mente Concilij cooperamur inspirationibus, ergo.

Gratia adiuuans.

Adiuuans in actu primo in actu secundo.

Gratiam excitantem fieri adiuuantem per influxum physicum non probatur ex Tridentino.

8. Secundò argumentantur: Connaturalius est tribuere causis secundis concursum, quàm ad solum Deum recurrere; ergo cùm ibi sint causæ secũdæ, debemus illis illum influxum tribuere. Hæc ratio nulla est, quia non debemus causis secundis tribuere concursum proprium Dei vt causæ primæ; in hos autem actus (vt statim dicemus) etiamsi non concurrant efficienter gratiæ excitantes, nullũ alium Deo tribuimus quàm causæ primæ, ergo. Respondeo Secundò, falsum esse, cuilibet creaturæ statim tribuendum concursum, & non recurrendum ad Deum: id enim solùm debet fieri, quando causa secunda est proportionata; eam autem proportionem non dari in his gratijs excitantibus ostendam statim.

Nec ratione talis influxus probari potest.

Igitur dicendum est eas gratias excitantes nõ concurrere efficienter: probo id ex principijs de animâ, vbi osteudi, cognitionem non concurrere efficienter ad amorem, sed solùm directiuè illuminando. Addo, etiamsi eum concursum concederemus, adhuc manere integram difficultatem, quâ in secundo argumento vruntur aduersarij; quale scilicet sit principium speciale eleuãs voluntatem ex parte sui in ordine ad eos actus supernatutales; nam concursus cognitionis est generalis, ergo præter illũ debet aliquid ex parte potentiæ assignari; propter quod præcisè videntur hi auctores tribuere actiuitatem talibus gratijs excitantibus.

Gratia excitans non potest dici adiuuans.

9. Quòd si ideò dicas Primò, eam gratiam specialiter eleuari à Deo per potentiam obedientialem vt concurrat; Contrà, quia hoc gratis omnino dicitur, imò contra principium apud omnes receptissimum, scilicet, connaturalius esse vt deficiente causâ proprià creatâ Deus solus producat effectum, quàm vt faciat vnum miraculum eleuando diuinitus instrumentum aliquod improportionatum; vt operetur per potentiam obedientialem.

Prima replica aduersariorum refellitur.

Quòd

Digitized by Google

vnio Secunda.

Quòd si Secundò respondeatur, eos actus naturâ suâ habere virtutem concurrendi in cõsensum voluntatis, multi id impugnabunt, eò quòd illi actus cùm sint supernaturales, naturâ suâ supponũt in subiecto gratiam & alios habitus, ac consequenter iam supponunt alia principia magis proportionata; vnde ipsi naturâ suâ non possunt esse operatiui loco habituum. Hæc tamen impugnatio leuis est; nam multæ sunt excitationes supernaturales, quæ non possunt supponere vllo modo hominem iam existẽtem in gratiâ, omnes scil. illę quibus homo excitatur vt habeat contritionem de peccato, de quo illam non habuit, seu, vt surgat à peccato; item omnes illæ, quibus primò homo disponitur ad credenda mysteria fidei quæ priùs non crediderat, etiamsi sine peccato ea non credidisset; ergo saltem inspirationes eiusmodi, quandoquidem non supponunt naturâ suâ hominem in gratiâ, sed potius ad obtinendam illam eum prouocant, poterunt esse productiuæ talium actuum, vt dicebat secunda responsio.

Aliorum impugnatio leuis.

Melior impugnatio Secũdæ responsionis aduersariorum.

Melius ergo illa inde impugnatur, quòd connaturalis ea virtus, quam tribuit inspirationibus, sine vllo prorsus fundamento ponitur; sufficientissimè enim earum efficacia explicatur per hoc, quòd impellant proponendo bonum & quasi ad illud hortando, nec est alia actiuitas physica necessaria: id quod ostenditur à simili ex cognitione naturali, quæ nó minùs allicit & inclinat voluntatem ad amorem naturalem, quàm inspirationes diuinæ ad amorem supernaturalem; nec tamen propterea vllus dixit cognitionem naturalem influere physicè (etiamsi fortè ob alias rationes id dicatur.) ergo propter hanc inclinationem non debet id specialiter tribui actibus cognitionis supernaturalibus seu inspirationibus diuinis magis quàm naturalibus.

Inspiratio ita influit in cõsensum, sicut cognitio naturalis influit in voluntatem.

10. *Ostenditur id Secundò.*

Secundò idem ostendo, quia omnes illi actus supernaturales, qui supponunt hominem iam in gratiâ vel cum habitu supernaturali, non habent eam virtutem, etiãsi excitent ad nouos actus, cùm enim naturâ suâ supponant ibi habitum, non habent naturâ suâ vim concurrendi loco illius; & quoad hoc habet locum argumentum recentiorum suprà positum; ergo nec alij id habent. Patet ex dictis consequentia, quia eadem est inclinatio in vtroque actu nec est ratio, cur id debeat aliquibus concedi, cùm in aliis sine eâ virtute omnia perfectè saluentur.

Gratia operans & cooperans:

præueniẽs & concomitans.

Præcedens diuisio solet aliis terminis tradi, vt quam dicimus gratiam excitantem, vocetur operans, quia nos nó cooperamur illi liberè, vt suprà ipsi diximus; adiuuãs verò dicatur cooperans. Adhuc solet eadem diuisio tradi sub nomine gratiæ præuenientis, ea est excitans, præuenit enim nostram libertatem, & concomitans ea est cooperans: dicitur verò concomitans, quia nobiscum concurrit ad actum. Addi etiam solent tertium membrum huic diuisioni, scil. gratia subsequens, quam aliqui putant esse eandem cum concomitante, nomen tamen ipsum subsequentis videtur oppositum significare. Melius ergo potest ea dici gratia subsequens, quæ in præmium nostrorum operum datur; & ita expresse videtur Augustinus accepisse lib. de Naturâ & gratiâ contra Pelag. cap. 21. vbi loquens de gratiâ dicit, *subsequitur vt glorificet.*

Quid gratia subsequens.

Aduerte, sicut in præmium non solùm datur gratia habitualis, sed etiam actualis, auxilia, & nouæ vocationes, &c. ita hæc omnia respectu operis præcedentis dici posse gratiam subsequentem, respectu verò nouorum operum, ad quæ excitant, & quæ deinde efficiunt, dici posse excitantem, concomitantem, seu cooperantem.

Gratia sufficiens & efficax.

Vltima diuisio sit in sufficientem, & efficacem, illa dicitur, quæ potest effectum causare, non tamen de facto causat; hæc verò, quæ actu illum producit. De quâ diuisione infrà nos aliquid dicemus.

SECTIO III.

Quæstiones aliquot de nomine breuiter expediuntur.

11. QVia sæpè quæstionibus de voce obscurantur aliæ de re, & in eis ex malâ intelligentiâ multum temporis insumitur, breuiter in hac sectione simul aliquot quæ ad voces pertinent insinuabo, vt deinceps liberiores simus ad eas quæ ad rem spectant.

SVBSECTIO I.

Expeditur prima quæstio: vbi, an omne donum Dei sit per Christum.

Omne donum Dei est vniuersaliter gratia.

PRimò igitur fusè disputatur à nonnullis, vtrùm omne donum gratuitum Dei sit vera gratia Dei: de quo P. Suarez proleg. 3. cap. 1. Cui respondeo vno verbo, iuxta dicta paulò antè, omnino posse & debere ita vocari; quia (vt ostendimus) gratia & beneficium seu donum Dei gratuitum idem est; & vt *gratuitum* deriuatur à gratiâ: vnde sub his terminis quæstio est planè impertinens.

Strictiùs sumũt gratiam Concilia, Patres & Theologi.

Illud tamen debet primò notari, in ordinariâ phrasi Conciliorum, Patrum & Theologorum non accipi gratiam in ea vniuersalitate, sed pro dono gratuito Dei, quod tamẽ sit vltra ordinem creationis, & vltra ordinem earum rerum quæ creationem quasi connaturaliter concomitantur, ordinetúrque ad finem visionis beatæ.

Fundamentũ recentiorum asserentium omne donum Dei gratuitũ dari ex meritis Christi.

12. Secundò nota, posse de re circa hoc moueri quæstionem, vtrùm siue omne donum gratuitum Dei dicatur gratia illius, siue nó, de facto tamen omne illud detur ex meritis Christi. De quo etiam quæstione P. Suarez agit eo capite. Videntur aliqui affirmare; quorum fundamentum illud est, quòd cùm præuiso peccato statim Deus decreuerit Christum Redemptorem, & ex eius meritis motus fuerit ad dandam gratiam Adamo, qua hic sanctè voluerit humanum genus multiplicare (de quo fusiùs Deo dante in materia de Incarnatione) sine dubio Christus fuit sufficiens prior vt omnia dona hominibus necessaria aliunde autem id videtur spectare ad magnam Christi excellentiam, ac denique meritum ipsius habere sufficientem condignitatem cum aliquo præmio, neque vlla ratio est cur id negetur; imò cùm dicamus, sanctam volitionem, qua Adam vt genitor voluit generare filium, fuisse ex meritis Christi, necessariò debemus dicere, omnium reliquorum hominum generationes fuisse eodem modo ex eisdem meritis. Hoc modo aliqui discutientes quosdam recentiores Suarez verò suprà, vt dixi, quæstionẽ mouens non videtur illã omnino resoluere, cùm in ratione dubitandi ponat exemplum in scientia Aristotelis & arte pictoria Apellis, quæ non ordinantur ad saluum animæ finem. Quæstioni respondet, solùm videri necessa-

P. Suarez nõ resoluit quæstionem.

Digitized by Google

gratiam primam ad beatitudinem ordinatam esse per Christum, rationem tamen effect vniuersalem, quia omnia dona data hominibus à Christo redemptis cedunt in maiorem ipsius Christi gloriam: quòd si dentur per Christum, conciliat magis amorem eorũdem hominum cum Christo: Ecclesia item quidquid petit à Deo siue spirituale siue temporale, per Christum petit: vnde infertur, Ergo omnia dona Dei sunt per Christum. Hæc Suarez.

13. *Quomodo in hac quæstione discurrendum.* Ego in hac quæstione breuiter sic discurrendum censeo. Primùm, vt non omnis gratia etiam habitualis sit per Christum, quia (vt alibi dum cõmuni ostendi contra aliquos) nec Angeli, nec Adamus ante peccatum gratiam habuêre per Christum. Secundò censeo, de ceteris donis etiam creationis post peccatũ Adami valdè probabilem esse discursum illum à nobis paulò antè factum, iuxta quorumdam mentem, & quidem quoad possibilitatem omnino esse certum; probabiliter item me dicturum, omnium hominum futurorum creationem determinatè Christum fuisse promeritum, ac proinde saltem mediatè omnia ea dona per Christum esse collata.

Obijcitur D. Augustinus. Obijcies Augustinum Epistolâ 105. vbi ait, *Christus non pro vllis vt homines nascerentur, sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur:* quo loco sæpè aliqui vtuntur ad docendum nulla talia dona esse per Christum. Respondeo Augustinum solùm voluisse docere, primarium & vltimum finem mortis Christi non fuisse nativitatem hominum, sed eorum salutem æternam; at ipsum non negare, in ordine ad eumdem finem promeruisse Christum nativitatem hominum; nam saltem de multis, quos per intercessionem Sanctorum & per ipsum Christum parentes obtinuêre, non potuit id negare Augustinus; & tamen vniuersaliter eo loco de omnibus id negare videtur. Deinde, esto Christus non sit mortuus, vt pluerent; negare tamen nemo potest sæpè pluuiam obtineri ex meritis Christi, saltem quia tunc ordinatur aliquo modo ad finem supernaturalem. *Explicatur mens dicti Augustini.* Ergo solùm ibi agit Augustin. de primario fine. Eodem modo explicanda sunt aliqua alia loca eiusdem Sancti & aliorum, quando dicunt, Christum non venisse vt nobis temporalia dona promereretur.

Quo sensu SS. Patres negent Christum meruisse nobis dona temporalia.

14. Tertio dico, vtrùm etiam Christus Dominus nõ solùm mediatè modo explicato promeruerit omnia dona specialia, sed etiam distinctè, supposità etiam creatione hominum, meruerit, quòd hi habuerint bonum ingenium, illi sanitatem, &c. etiam quando talia dona non ordinantur ad salutem æternam; & consequenter, si dicamus auxilia naturalia congrua ad bene operandum esse speciale Dei donum (de quo paulò pòst) an consequenter debeamus dicere ea auxilia esse gratiam per Christum, valdè dubium est: & vtraque pars potest probabiliter sustineri: ego autem probabilius iudico data esse per Christum, & esse gratiam Christi.

Auxilia naturalia congrua probabilius sunt gratia per Christum.

Per hoc tamen adhuc dissentimus Patri Vasquez. Obserua tamen, etiam iuxta ipsâ sint eo sensu gratia Dei & per Christum, non continuò non esse in sententiâ Patris Vasquez, qui nullũ opus bonum dicit fieri posse sine gratiâ per Christum; ille enim specialiter dicit esse Christi gratiam ea auxilia, eo sensu quo negat bonum ingenium, Aristotelis, scientias speculatiuas, diuitias, sanitatem ipsum integritatem, ceteraque bona naturalia esse gratiam; nos verò in eodem sensu omnia ea naturalia dona & auxilia dicimus esse gratiam Dei & per Christum, ideoque in sensu rigoroso Sanctorum Patrum & Conciliorum, quando contra Pelagium & Semipelagium vsurpant vocem illam *gratiæ*, non dicimus talia dona esse gratiam Christi, vt obseruauimus paulò antè; vnde resolutio hæc non est contraria his quæ dicemus infrà, posse scilicet esse multa bona opera moralia sine gratiâ per Christum cum concursu naturaliter debito libero arbitrio; ibi enim hanc gratiam creationis non excludimus vllo modo: quod infrà fusiùs declarabitur. Vertùm ad quæstiones de voce redeamus.

De gratia creationis nõ egerunt Patres & Concilia contra Pelagium.

SVBSECTIO II.

Reliquæ quæstiuncula de voce soluta.

15. SECVNDA ergo sit, an gratia significet etiam aliquid diuinum, an verò solùm donum creatum. Respondeo, iuxta dicta à me primo Tomo, quòd scilicet Deus ipse etiam dicatur dari hominibus, & Spiritus sanctus vocetur donum Altissimi, procul dubio posse aliquid diuinum dici gratiam, ideóque rectè posse diuidi gratiam in creatam & in increatam. Quomodo autè Deus donetur nobis, ac dicatur esse in nobis, ostendi in materiâ de Missionibus diuinis. Hinc ipse amor Dei erga nos & voluntas prædestinatiua possunt dici gratia saltem per tropũ, vt insinuaui numero secundo. Neque in hoc modo loquendi vlla est difficultas, quæ nos diutiùs detineat. Vide Patrem Suarez fusè suprà cap. 3. eâ de re agentem. Illud tamen aduertendum est, in phrasi scholasticâ ordinariè nomine gratiæ solùm intelligi ipsum externum & creatum donum à Deo nobis concessum in tempore.

Gratia creata & increata.

Amor Dei nos prædestinantis est gratia metaphoricè.

Phrasi scholasticâ gratia vocatur donum creatum & externum.

Tertia quæstio de voce, an rectè gratia diuidatur in internam & externam: & quid hæ voces significent. Respondeo vno verbo, gratiam internam propriè significare quidquid homini ipsi conceditur, & ei inhæret; externam verò esse quæ extra illum manet. Quo sensu prædicatio, admonitio, ceteráque externa, quibus Deus hominem allicit ad bonum, dicentur gratia externa. Quòd si sub hac diuisione comprehendatur gratia increata, hæc etiam dicetur externa, quia respectu hominis Deus non est quid intrinsecum.

Quid gratia interna: quid externa.

Quarta quæstio est circa gratias gratis datas, quæ illæ sint. Respondeo vno verbo, gratias omnes, quæ nec sunt cõmunes omnibus iustis, nec propriè ordinantur ad bonum habentis, sed aliorum, vel (vt magis adhærendo vocibus discurramus) gratias illas, quæ non cadunt de facto sub merita nostra, sed dantur aliquando pro solâ liberalitate Dei, esse gratis datas; vt sunt genera linguarum, fides miraculorum, Prophetia, &c. aliæ verò gratiæ, quæ cadunt sub merita dicuntur non gratis datæ.

Quæ sint gratiæ gratis datæ.

Gratiæ non gratis datæ.

16. Dices, Ergo primum auxilium erit gratia gratis data. Respondeo Primò, licet illud auxilium quæ primum non possit cadere sub meritum, tamen in specie seu sub denominatione secundi aut tertij posse cadere, ideóque non dici gratiâ gratis datum. Respondeo Secundo illud ordinari in bonũ personæ cui conferetur; gratias verò gratis datas non ordinari in bonũ habentis, sed aliorum, vt dixi. Quòd autem addiderim eas non cadere sub meritum, intelligendum *per se*, nam per accidens fortè aliquando conceduntur etiam per modum præmij. Vbi obseruandum est, gratias gratis datas nõ benè & adæquatè explicari

Cur primum auxilium non sit gratia gratis data.

Digitized by Google

sub voce gratiæ non sanctificantis (vt videntur nonnulli loqui;) nam fides, spes omnesque actus supernaturales dici meritò possunt gratia non sanctificans, quia munus sanctificandi soli gratiæ habituali conuenit; & tamen nullo modo vocantur gratiæ gratis datæ. Fortasse cõtendes, eas posse saltè reductiuè dici sanctificare, hoc est ad sanctitatem ordinari & disponere: verùm, vt & suprà notaui, id etiam conuenit gratiis gratis datis, sed res est de voce, & parui momenti.

Gratias gratis datas sæpè reperiri in peccatoribus suppono vt omnino certum; quot verò illæ sint & quales fusissimè P. Suarez tractat cap. 5. per octo vel nouem folia; eas comprehẽdit Apostolus 2. Corinth. 12. *Alij per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum.* Eas omnes explicat D. Thom. 2. 2. q. 177. fusè. Breuissimè hæc circa illas obseruo; nam disputationem propriam de illis instituam Tom. 5. disp. 9. quia illuc specialiùs spectant: ergo pro instituto præsenti.

Gratia gratis data nõ omnes inter se adæquatè distinguuntur.

Obseruo Primò non omnes esse inter se adæquatè distinctas, sed aliquas esse velut rationem generiçam, alias velut vnam speciem sub eo genere; etenim operatio virtutum est quid generi-cum complectens etiam gratiam sanitatum, licet hæc è contrario non significet quidquid dicit operatio virtutum; ponuntur ergo maioris claritatis gratiâ.

17. *Aliqua illarum clarè patent, aliqua nõ item.*

Secundò obseruo, aliquas esse ex se claras; vt genera linguarum, operationem virtutum, miraculorum, interpretationem sermonum, id est scripturarum, Prophetiam, discretionem spirituum; alias verò esse aliquãtulùm difficiliores: quid enim sermo sapientiæ, scientiæ & fides significent, & quî differant inter se, non statim apparet; de eis

Fides factiua miraculorũ.

dico, fidem non intelligi eam, quæ versatur circa mysteria quæ dicuntur fidei; hæc enim est omnibus communis; sed illam, de quâ idẽ Apostolus 1. Cor. 13. *Et si habuero fidem, ita vt montes transferam*, id est fidem factiuam miraculorum: quo sensu vix distinguitur ab operatione virtutum, nisi quatenus fides dicit causam, vnde illa miracula procedunt.

Gratia cõsequendi per scientiam & sapientiam.

Circa sapientiam & scientiam dicendum est cum D. Thom. suprà, eis explicari non tam ipsam interiorem scientiam, quàm gratiam concionandi & aliis proponẽdi mysteria, circa quæ versatur scientia & sapientia, quas agentes de donis in eo distinximus, quòd sapientia circa profundiora mysteria per altiores causas versetur quàm scientia,

Gratia gratis data sunt soli actus.

Tertiò circa has gratias obseruo, posse de re queri, an sint speciales habitus infusi, an verò soli actus. Dum Tom. 3. egimus de bonis Spiritus sancti, dixi, ea dona non esse singulares habitus à virtutibus distinctos; id quod in præsenti à fortiori censeo de his gratiis dicendum, rationem breuiter subiungo; nam sine habitibus vllis omnes hæ gratiæ explicantur, maximè operatio virtutum, gratia sanitatum, Prophetia, discretio spirituum, &c.

18. *Genera linguarum explicari possunt sine habitu supernaturali infuso.*

Dices, in aliquibus esse necessarios habitus; nam qui nouit linguas, haud dubiè habet habitum erga illas; non enim debemus dicere, illum præcisè, quando actu loquitur, eas intelligere. Respondeo concedendo habitum aliquem naturalem per accidens fortè infusum, qui id præstet; nego tamen esse supernaturalem infusum; de quo solùm nunc agimus. Dici fortè Secundò posset non esse alios habitus quàm species impressas, siue illæ permanentes sint, siue solùm transeuntes à Deo infusæ; vt sæpè in Prophetis contigit. Sed de his gratijs agam fusiùs, vt dixi, disput. 9. Tomi sequentis.

Vltima quæstio de voce est circa gratiam sanctificantem, quid sub eâ comprehendatur: de quo fusè nonnulli disputant. Vno verbo dico, si propriè & immediatè loquamur, solùm denotari duo, remissionem scil. peccati & habitũ gratiæ infusum; in sententia verò P. Vasq. etiam sub eâ includi actum amoris Dei & contritionis, quia etiam ille formaliter sanctificat; cætera verò dona siue actualia, siue habitualia, non esse formaliter & immediatè sanctificantia, sed vel disponentia ad sanctitatem, vel esse omnes habitus consecutos ipsam gratiam. Varia nomina, quibus hæ gratiæ actuales designantur, vt auxiliantis, adiuuantis, confortantis, &c. quia clara sunt, & passim repetita, omitto. Qui plura videre voluerit legat totum cap. sextum Patris Suarez suprà.

Gratia sanctificans duo dicit:

in sententia P. Vasquez dicit tria.

Gratiæ actuales variè cõpellantur à varietate munerum.

Sectio IV.

Quis fuerit error Pelagij circa necessitatem gratiæ.

19. QVæstio hæc valdè necessaria est pro præsenti materiâ, quæ maximè fuit in Ecclesia agitata occasione huius hæretici: agit hac de re fusè & eruditè P. Suarez prolegom. 5. à ca. 1. Rem totam breuiter & dilucidè complectar: & quidem errores Pelagij circa peccatum originale non discutio in præsenti, quia propriè non spectant huc, sed ad materiam de peccato originali.

Augustinus ergo lib. de Hæresibus hæresi 88. ait Pelagium & Cœlestium docuisse, sine gratiâ Dei posse hominẽ adimplere omnia diuina mandata, solamq; eos admisisse gratiam externæ prædicationis & propositionis mysteriorum credendorum; & quidem hanc gratiam solùm dicebant esse necessariam ad facilius operandum. Faustus verò Rhegiensis lib. 1. de Gratiâ Dei cap. 1. hæc ait: *Dicit Pelagius, quod ad obtinendam salutem naturæ hominis sibi sola sufficiat*: quibus verbis expressiùs & vniuersaliùs declarauit meo iudicio errorem Pelagij quàm Augustinus; nam ad obtinendam salutem æternam plura requiruntur ex se quàm obseruatio mandatorum: etenim licet homo seruaret mandata, vt fieri posset in statu naturæ non eleuatæ ad finem supernaturalem, nõ propterea salutem consequeretur; nam ad hanc requiritur gratia sanctificans, quæ est semen gloriæ: dum ergo Faustus dixit, à Pelagio sentiri, naturam sibi sufficere ad salutem consequendam, planè omnia complexus est, quæ Pelagius negauit.

20. Hinc infero Primò disiunctiuè, Pelagium vel non agnouisse vllam gratiam sanctificantem, vel certè sensisse, posse nos illam per opera viribus solius naturæ facta promereri, sicut per eadẽ dicebat posse nos promereri visionem beatam. Vnde non placet mihi quod P. Suarez eo cap. 2. nu. 5. infert, talem sanctitatem à Pelagio omnino negatam, eò quòd negauerit actus omnes supernaturales; non, inquam, ea illatio placet; nam licet rectè negatis actibus supernaturalibus inferatur Pelagium negasse eam sanctitatem esse

P. Suarez nõ rectè infert negatâ à Pelagio gratiâ sanctificantẽ.

Digitized by Google

supernaturalem,at negasse illam dari,non video, vnde inferatur determinatè.Id quod meo iudicio manifestè ostendo;nam sicut Pelagius non negauit visionem beatam,quam nos admittimus,licet eam dixerit non esse supernaturalem(quod tamẽ Catholici dicunt) ita potuit non negare eam sanctitatem infusam habitualem,licet dixerit nõ esse supernaturalem,eò quòd propriis meritis naturalibus possimus illam promereri. Dicendum ergo est distinctiuè, vel negatam à Pelagio talem renouationem & sanctitatem , vel certè non admissum , eam esse supra vires nostras naturales.

Quid Pelagius negarit.

Secundò infero,Eum etiam negasse actus omnes supernaturales liberos, saltem necessarios ad salutem.Dico *saltem necessarios*;ex eo enim quòd docuerit , propriis viribus posse nos obtinere salutem , non continuò negauit posse esse aliquos actus ex superabundantiâ seu non necessarios ad salutem , in se tamen supernaturales ; quia verò ille (vt ex art. 11. ipsius relato in Concilio Palæstino constat) non admittebat, liberum arbitrium posse esse vbi necessariũ est Dei auxilium, ideò probabilius censeo,eum non admisisse vllos omnino actus liberos supernaturales siue necessarios, siue non necessarios ad salutem ; quia etsi necessarij non essent ad salutem,auxilium tamen Dei deberet esse ad eos necessarium ; ergo, iuxta illius hæretici principia, non potuêre tales actus esse liberi.

Principium Pelagij. Non est liberũ arbitriũ si Dei eget auxilio

21. *Obiectio pro Pelagio.*

Fortè quis obiiciet : Pelagius,teste Augustino suprà,dixit gratiam Dei ad hoc dari hominibus, vt quæ facere iubentur per liberum arbitrium facilius possint implore per gratiam ; ergo Pelagius admisit actus liberos , factos tamen adiutorio gratiæ. Respondeo Primò, non esse operosè in hæreticis quærendũ consequentiæ filum; cùm enim hinc inde euidentibus premãtur argumentis,passim sibi aduersantur ; quod in hoc puncto maximè apparet ; nam(eodem Augustino ibidem teste) hoc ipsum quod est gratiam iuuare ad ea opera facilius efficienda, non admisit Pelagius, nisi postquam à fratribus fuisset increpitus , eò quòd gratiæ Dei nihil tribueret ; vnde constat, violenter eum id concessisse.Secundò respondeo, eum ita illam facilitatem declarasse , vt non intellexerit adiutorium intrinsecum Dei,sed externam propositionem fidei. Tertiò respondeo,eum non admisisse tale adiutorium esse necessarium; solùm enim dixerat tunc actum nostrum non posse esse liberum,quando adiutorium Dei est ad illum necessarium. Quæ ratio non probat quidquam de adiutorio non necessario ,sed ex supererogatione dato ad eosdem actus : nam cùm libertas perfectè saluetur , eo ipso quòd possim actum illum efficere propriis viribus , non læditur eadem libertas , eò quòd non nisi per alienas vires illum possim facilius efficere ; vti Catholici omnes dicimus nos esse liberos ex naturâ rei ad non peccandum venialiter , esto id non possimus facilè exequi sine speciali gratiâ Dei.

Hæreticorum mos est incõsequenter loqui.

Pelagius externã propositionẽ fidei vocabat Dei auxilium.

Negauit Pelagius omne auxilium intrinsecè adiuuans.

Hinc Tertiò infero , Pelagium negasse omne omnino auxilium interiùs adiuuans ; tum quia (vt dixi)omne opus bonum, ad quod tale auxilium esse posset , dixit fieri solis viribus arbitrij; tum quia nõ scitur componere libertatẽ nostram cum eâ necessitate auxilij ; tum quia nec potuit combinare , quomodo Deus non esset acceptor personarum,si tale auxiliũ necessarium esset. His ergo tribus punctis totus error Pelagij continetur;quibus autẽ verbis illum palliauerit vocando gratiam ipsum donum creationis vel ipsam externam prædicationem fidei , non disputo, quia per accidens est ad nostrum intentum. Vide Patrem Suarez suprà.

Error Pelagij totus ad tria puncta reuocatur.

Circa hunc errorem moueri possunt aliquæ quæstiunculæ breuiter expediendæ. Prima est,an Pelagius admiserit beatitudinem aliquam supernaturalem; cúmque dixerit paruulos sine Baptismo intraturos vitam æternam , non tamen Regnum cælorum,in quo ea duo distinxerit.P.Suarez cap. 3. dicit sibi dubium , quæ fuerit in hoc puncto Pelagij mens ; & putat probabile , eum intellexisse nomine Regni cælorum aliquam felicitatem quodammodò supernaturalem; laborat autem vt explicet , quî à Pelagio dici id potuerit consequenter.Ego verò rem hanc facillimam iudico, censeoque Pelagium non negasse vllo modo visionem Dei nobis concedendam,quia de ea re numquam fuit suspectus ; addo tamen,eum non reputasse vllo modo illam esse supernaturalem ; siue eam censuerit à solo Deo nobis infundendam , siue à nobis producendam : nam etiam res naturales possunt à solo Deo infundi ; vt de speciebus Angelicis docet communis sententia : quòd verò eam omnino naturalem censuerit patet , quia expressè docuit , nihil libero arbitrio deesse ad eam consequendam. Secundò censeo eum consequenter infantibus hoc Regnum seu hanc visionem negasse ; cùm enim dixerit eam dari præcisè propter merita naturalia liberi arbitrij , & in infantibus ea merita non sint, negauit illis illud Regnum seu eam visionem;vitam autem æternam eis concessit, id est naturalem aliquam beatitudinem , qualem multi cõcedunt paruulis etiam in originali decedentibus.Ecce claram & facilem distinctionem, & sufficientissimè explicatam mentem Pelagij circa beatitudinem.

22. *Regnũ cælorũ & vita æterna apud Pelagium distincta.*

Pelagium admisit visionẽ Dei nobis cõcedendam :

infantibus eã negauit; concessit autẽ iis naturalẽ aliquam beatitudinem.

Secunda difficultas est,an Pelagius concesserit auxilia gratiæ sufficientia, & tantùm negauerit efficacia;etenim,teste Augustino cap. 5. lib de Gratiâ Christi, videtur admisisse Pelagius,Deum dare hominibus quod possint , non verò quod actu velint : id quod sæpè Augustinus ex Pelagio refert.

Propter hęc Nauarrete Tom.2.Controuer-21. §. 7. dicit , Pelagium agnouisse omnem gratiam auxiliantẽ,solâ exceptâ prædeterminatione physicâ. Patet Suarez suprà, suppresso nomine Nauarrete , benè & solidè reiicit hanc sententiam; quia Augustinus numquam dixit Pelagium admisisse gratiam dantem posse , sed solùm ad hoc iuuantem,vt faciliùs possimus operari. Secundò, quia licet concessisset auxilium sufficiens,negasset que efficax,non propterea quidquam sequitur eum de prædeterminatione dixisse; etenim auxilia efficacia omnes agnoscimus, siue ea sint prædeterminantia,siue non : de quo vltimo puncto, vt sæpè dixi, non licet nobis disputare;nec de illo vlla inter Pelagium & Augustinum vnquam fuit contentio. Tertiò, Augustinus expressè docet,non aliam gratiam à Pelagio admissam,quàm illuminationem & propositionem externam rerum credendarum , internam autem omnem ab eo negatam : ita docet in lib. de Gratia Christi cap.2.& 7.Adde(vt ex Fausto suprà ostendimus) expressè à Pelagio traditum , vires naturales esse sufficientes ad benè operandum , ergo neque gratiam dantem posse agnouit. Denique , cùm admittere sæpè videatur gratiam , quæ det faciliùs

23. *Nauarrete explicat hæresim Pelagianã P.Suarez, rectè hãc explicationem reiicit.*

Digitized by Google

liùs, non verò eam quæ det simpliciter posse, euidentissimè ostendit, se sentire sine gratia Dei dari vires sufficientes; vnde (quod ferè paradoxum alicui videbitur) puto, magis clarè ipsum admisisse auxilium efficax quàm purè sufficiens: illud enim, quod ipse dicit dare faciliùs posse, sine dubio censet esse actu efficax; quo scilicet actu homines suauiter in via virtutis pergunt, quodque ipso effectu prodit se esse efficax: purè autem sufficiens, cùm se non prodat exteriùs, faciliùs ille negaret, cùm independenter ab omni Dei gratia dixerit ille dari in nobis posse operari. Et de ea explicatione erroris Pelagij satis.

24. Tertia difficultas est, vtrùm Pelagius negauerit Deum immediatè ad nostras actiones concurrere. Nonnulli in hoc puncto, vt in præcedenti, dixere, à Pelagio solam physicam prædeterminationem ad actus naturales fuisse negatam, non verò concursum generalem. Verùm facilè id reijcitur, quia de hoc puncto nulla omnino fuit cum Pelagio dissensio, etiam in ipsis actibus ad gratiam spectantibus (vt paulò antè diximus) multò ergo minùs in ordine ad naturales. P. Suarez dubius hæret cap. 4. Ego verò cum Bellarmino & Abulensi apud eumdem Suarez ibi planè censeo, à Pelagio omnino negatum talem immediatum concursum: etenim Pelagij principium, quòd nullum sit liberum arbitrium, si Dei necessarium est auxilium, videtur maximè in hoc concursu habere vim: nó enim Pelagius percipere poterat, quî possit fieri, vt Deus immediatè mecum ad omnia opera cócurrat, & tamen nullo modo mihi tollat libertatem. Quæ difficultas etsi à nobis benè explicetur, quia (vt ostendi in physicâ) Deus in tali concursu determinatur à creaturâ, nó ipse determinat creaturam, certè primo aspectu (& verò etiam secundo & tertio iuxta multorum explicationes) res est satis difficilis, & ad Pelagium inducendum in errorem sufficientissima: ex eo autem principio falso intulit non posse esse necessariam aliquam gratiam adiuuantem; nam illa tolleret libertatem. Et hoc arbitror fuisse totum fundamentum eius erroris; nam licet concedere adhuc potuisset habitus aliquos supernaturales infusos, subiectos nostræ libertati, vt docet Durandus negans eum concursum generalem; noluit tamen ita discurrere, vel certè ei non occurrit solutio; nisi dicamus occurrisse, ex purâ tamen nequitiâ peccasse: quod frequentissimum esse solet hæreticis.

Probabilius est Pelagium negasse omne concursum Dei generalè ad nostros actus.

Fundamentum erroris Pelagiani

25. Obiicies: S. Augustinus referens accuratè errores Pelagij numquam ei hunc tribuit, imò loco citato de hæresibus fatetur, illum concessisse gratiam creationis. Confirmatur Primò: Durandus esto eum errorem habuerit, non tamen propterea censetur Pelagianus. Secundò, si in hoc errasset Pelagius, dicere possemus, Concilia solùm definiisse, dari concursum immediatum generalem Dei, ideóque de aliâ gratiâ supernaturali nihil ex Conciliis probari. Ob has rationes non audet Pater Suarez in sententiam Bellarmini consentire; respondeo tamen illas non esse vllo modo sufficientes ad reddendam dubiam nostram resolutionem. Ad argumentum ergo dico, Licet non ita expressè Augustinus eum errorem retulerit, satis tamen illum insinuasse; quotiescumque enim dicit ex Pelagio, liberum arbitrium sibi sufficere, excludit hunc concursum; sicut, si ego dicerem, Solus ignis producit ignem, sine dubio excluderem ibi concursum generalem Dei: quod verò additur de gratiâ creationis, potiùs nobis fauet manifestè; quia si Pelagius præter hoc, quod est Deum creasse hominem, admisisset illum concursum distinctum in quolibet opere, procul dubio per illum maximè apparenter inuoluisset suum errorem vocando illum concursum gratiam: cùm ergo solùm ad creationem recurrerit; satis ostendit, præter hoc, quod est, Deum creasse hominem, & actu conseruare substantiam illius, non esse necessarium immediatum alium concursum Dei. Ad Primam confirmationem respondeo: Durandum in materiâ gratiæ hæreticum non esse, quia admisit omnia principia supernaturalia quæ Catholici; licet autem Pelagij hæresis ex de principio communi ipsi cum Durando originem traxerit, non tamen Pelagius tam ob fundamentum erroris quàm ob errorem inde secutum reprehensus est; quia ille error secundus maximè tollit gratiam redemptionis necessariam au ordinem supernaturalem, &c. in quo puncto Durandus nullo modo ei consentit. Et hinc respondeo ad Secundam confirmationem, dicoque Concilia & Patres loqui maximè de gratiâ distincta ab eo concursu, quia hæc est quæ maximè segregat hominem elcuatum ad visionem Dei à nó eleuato; concursus enim generalis communis est omni statui; ideò de hoc solo non possunt intelligi: & (vt dixi) Patres fuêre soliciti non de occasione erroris, sed de errore ipso. Et satis circa mentem Pelagij.

Pelagius admittendo solâ gratiâ creationis clarè (imò) se negare alium Dei concursum.

Durandus in materiâ gratiæ non est hæreticus.

Concilia & Patres amplius definierunt quàm dari concursum Dei generalem.

Respondetur obiectioni.

Sectio V.

De errore Semipelagianorum.

26. NOn ago iam, vtrùm hic aut ille Cassianus aut Faustus, Vincentius, aut alius in particulari eo errore fuerit infectus; ea enim de re fusè & eruditè Suarez suprà cap. 2. neque enim scholastica est, neque ad quæstiones scholasticas vllius momenti; sufficit enim errorem scire, quem debemus vitare, cuiuscumque ille fuerit. Igitur nonnulli viri alioqui pij & Catholici, cùm contra Pelagium veram Dei gratiam agnouissent, ita tamen voluerunt ex parte nostra dari aliquod illius initium, vt quodammodò eam subiecerint voluntati nostræ; ex quo capite vehementer Pelagio adhæserunt, & verò ferè in totam illius hæresim lapsi sunt, licet vocabulis, quibus nostrum meritum diminuebant, conati etiam fuerint suum errorem occultare. Docebant ergo, vt Deus vni præ altero gratiam suam infundat, semper moueri ex eo quòd videat vnum vel petere eam gratiam, vel credere, vel sperare, vel bonum aliquod aliud opus viribus liberi arbitrij facere; quod alter, cui negatur vlterior gratia, non facit. In quo puncto adeò progressi fuêre, vt cùm pro merentur instantia infantium, quorum multi sine culpa propria pereunt, alij sine merito baptizati saluantur, recurrerint ad scientiam medium, dixerintque Deum præuidisse, eos, qui baptizantur, si vixissent, vsuros benè libero arbitrio, alios malè; ideóq; Deum hos respuisse, illos saluasse. In hac sententia intelligenda nulla est difficultas: moueri tamen possunt circa illam aliquæ quæstiunculæ non magni momenti, quas expedire breuiter oportet.

Semipelagianorum error docuit in nobis dari initium gratiæ. Relabuntur forè in totam hæresim Pelagij.

Nimis absurdè progressi sunt in errore.

27. Prima sit, in quo actu liberi arbitrij posuerint meritum illud; an in sola voluntate credendi, an in ipso actu fidei, an in aliquo alio. Respondeo

Parui refert cuinam actui naturali gratiam subiecerint.

Digitized by Google

Primò pro intento nostro rem esse parui momenti: si enim actui naturali subiecêre gratiam, parum est, cuius ille sit dicendus virtutis, eodem enim modo vnus ac alter repugnat gratiæ. Respondeo Secundò, frequentius in solâ credendi voluntate illum posuisse. Et ita Augustinus totus est in probando, fidem & voluntatem illam debere oriri à gratiâ. Nihilominùs tamen addo, etiam frequenter eos locutos de aliis actibus, vt de petitione, desiderio, &c. quia pro eorum intento, dummodò ex actu liberi arbitrij desumeretur initium, satis iam erat; & satisfacere sibi ex integro videbantur argumentis desumptis tum ex eo, quòd salus sit in nostrâ potestate; tum ex eo, quòd Deus non sit personarum acceptor.

Fundamentū erroris eorum erat, quòd putarent se aliter nō posse nos à necessitate & Deum ab acceptione personarum excusare.

Secunda difficultas est, vtrùm illi putauerint, non solùm primum actum ante omnem gratiam esse meritorium primæ gratiæ, sed etiam alia opera naturalia in gratiâ facta esse meritoria nouæ gratiæ & perseuerantiæ. Respondeo Primò, eos consequenter idem asserere debuisse de omnibus; nam si primus actus habuit vim impetrandi primum auxilium gratiæ, ergo secundus debuit habere vim impetrandi secundum; & sic de cæteris: & id re ipsâ tradidisse videntur, dum ponunt exempla non solùm pro initio sanctitatis, sed etiam pro augmento perfectionis. Secundò respondeo pro intento illorum, non fuisse necessarium id dicere; nam ad constituendam differentiam inter iam habentes gratiam, cur v. g. vnus ex eâ creseeret, alius non, tertius caderet, poterant recurrere ad opera facta ex gratiâ, quam iam supponunt in eis hominibus: ex quo etiam capite poterant explicare, quo pacto Deus non esset personarum acceptor. Quæ ratio non habet locum ante primam gratiam, ideóque tunc recurrendum putabant ad opera naturalia.

Dicunt primā, tū & alias gratias subsequebantur actibus naturalibus.

Id tamen pro suo intento non cogebantur dicere.

Dices, Si ponamus duos iustos æquales, quorum vni Deus det nouum efficacissimum auxilium ad perseuerandum, alteri verò det valdè remissum; non potest ea differentia explicari, nisi Deum faciendo acceptorem personarum: id quod Semipelagiani volebant vitare: ergo etiam tunc debuit recurri ad opera facta ex libero arbitrio. Respondeo Primò Semipelagianos potuisse recurrere ad vsum inæqualem prioris gratiæ. Quòd si supponas in eo vsu fuisse eos duos iustos æquales, poterant adhuc Semipelagiani tunc dicere, Deum illis necessariò debuisse dare æqualia auxilia gratiæ, neque hoc esse vllum inconueniens. Nihilominùs respondeo Secundò, probabile esse, eos non sic discurrisse, sed recurrisse iterùm ad bonum vsum liberi arbitrij.

Respondere potuerunt Semipelagiani recurrendo ad bonum vsum liberi arbitrij.

28. Dices: In hoc non fuisset vllus error, quia de facto multi Catholici sentiunt, talia opera naturalia facta in gratia esse meritoria auxilij vlterioris, imò augmenti gratiæ. Respondeo, Massilienses ideò errasse, quia eam vim nō tribuebant gratiæ, à qua dignificātur talia opera, vt tribuunt de facto Catholici hi de quibus in obiectione; sed tribuebant id naturali virtuti & dignitati operum.

Errarunt Semipelagiani dum negabāt gratia vim dignificandi nostra opera. P. Suarez aliā disparitatē assignat.

Aliam differentiam assignat P. Suarez, quòd scil. illi concesserint nimis insignia opera à iustis fieri viribus solius liberi arbitrij, vt de pœnitētia Dauidis, de victoria Iob contra tentationes, &c. quos actus dicit Cassianus fuisse ex viribus naturæ. Hanc tamen disparitatem ego omitto, quia fortè Cassianus etiam in his actibus non voluit, nisi quòd præcederet aliquod desiderium vel petitiuncula victoriæ & pœnitentiæ, vt Deus ad eos vlteriores excellentes actus gratiam daret. Sæpè enim Cassianus valdè diminuit ea opera liberi arbitrij, quibus annectit gratiam. Vel fortè is fuit specialis error Cassiani non communis omnibus Semipelagianis.

ea tamen disparitas non est solida.

Tertia quæstio esse posset, an idem meritum tribuerint operibus supernaturalibus & ex gratia factis, non quatenus essent ex gratia, sed quatenus ex libero arbitrio. Nonnulli apud P. Suar. cap. 6. num. 6. dicunt, Semipelagianos docuisse, nostrum liberum arbitrium priùs se determinare ad operandum quàm gratia operetur cum eis. Meritò tamen ait Suarez hanc subtilem distinctionem non habere in eis fundamentum. Addo ego, si illi ad talem actum reputabant necessariam gratiam, non potuisse dicere priùs illum fieri à solo libero arbitrio; si verò non sentiebant gratiam esse necessariam, ergò iam ille actus esset ex numero naturalium, non verò ex supernaturalibus, de quibus hîc agimus: deinde, neque illi confinxerunt aliquem conatum liberum voluntatis distinctum ab actu ipso; quia talis conatus, si est quid productum liberè, erit ipse actus liber, nisi nomine conatus intelligas actionem: verùm neque ideò euades, quia actio non habet meritum aliud quàm opus ipsum; neque potest vna actio indæquata esse prior altera: ac denique, non est credendum ad distinctiones has actionis & actus eos recurrisse; neque debemus illis nouos errores tribuere sine fundamento, maximè si principiis naturalibus apertè sint contrarij.

Aliqui sine fundamento excogitarunt subtilem distinctionem erroris Massiliensium. Reiciuntur. à P. Suarez. Efficaciùs reiciuntur.

Conatus non est ab actu ipso distinctus.

Actio nō habet distinctū meritum ab opere ipso.

29. Quarta difficultas est, an dixerint, intuitu eius boni operis naturalis non solùm dari à Deo gratiæ auxilia ad perfectiùs operandum, sed etiam infundi immediatè ipsam gratiam sanctificantem. Probabiliter docet Suarez vtrumque ab eis traditum, quia Cassianus sæpè ob pœnitentiam conceptam vi liberi arbitrij docet datam remissionem peccati: fortè tamen non intendebat tunc immediatè gratiam concessam ob illam pœnitentiam, sed remotè. Addo nunc, non esse operosè de ea re agendum, quia si subiicere sola auxilia libero arbitrio est erroneum, & damnatū à Conciliis, à fortiori erit, si dicatur ipsa gratia sanctificans dari immediatè propter opus naturale; ideò eadem via vtramque hæresim reiiciemus; an autem secunda ab illis fuerit tradita nec ne, non auget aut minuit difficultatem quæstionis. Vnde etiam addo, non esse valdè laborandum in disquirendo, vtrùm illi senserint, ob actus bonos liberi arbitrij à Deo infundi auxilium supernaturale ad actus liberos, an ad solos necessarios; deinde, an ad actus solius voluntatis aut solius intellectus, an ad vtrosque. Qua de re vide Patrem Suarez suprà disp. 3. & 4. qui videtur propendere, vt sentiat eos non admisisse actus liberos factos ex gratia simul & libero arbitrio: id quod difficillimum mihi videtur; tunc enim omnino illi essent Pelagiani; neque vmquam in eis legitur illud principium, quod apud Pelagium frequens fuisse vidimus suprà; *non esse liberum arbitrium, vbi adiutorium gratia necessarium est*; ergo non debemus eis talem errorem tribuere: ideò omnino censeo eos admisisse actus liberos factos ex auxilio gratiæ, concesso tamen intuitu præcedentium actuum solius liberi arbitrij. Quoad auxilia verò efficacia, cùm illi semper voluerint

P. Suarez nimis multa negasse existimat Semipelagianos.

Quid admiserint, quid negauerint Semipelagiani.

Digitized by Google

Iuerint subterfugere, ne Deum acceptorem personarum facerent, quod non videtur vitari, si vni daret efficax, alteri purè sufficiens, probabile est eos sensisse, semper ob æqualem actum naturalem bonum datum æquale auxilium efficax: quomodo autem per hoc explicare potuerint, quî multi semel benè incipientes posteà tamen damnentur, alij verò non, satis est difficile. Sed quis consequentiam quærat in hæreticis? Fortè etiam tunc recurrerunt ad secundum vsum liberi arbitrij post acceptam primam gratiam: sed de hoc redibit nobis sermo, dum egerimus, quomodo sit in potestate cuiuslibet elicere actũ supernaturalem, disp. 41. sect. 4.

30. *Semipelagiani alij dixere Deum semper exigere nostros conatus præuios; Cassianus dixit tantùm aliquando.*

Quinta difficultas est, vtrùm ita bono operi naturali alligauerint auxilium gratiæ, vt numquam hoc detur sine illo; & è contrario semper detur quandocumque est illud. Circa primam partem cæteri (excepto Cassiano) videntur affirmasse numquam gratiæ auxilium datum sine prævio merito, ne Deum facerent acceptorem personarum. Cassianus verò excipit aliquos casus, in quibus Deus ex speciali misericordia vocat etiam dormientes, vt Paulum, Matthæum, ideò Collatione 13. à cap. 12. non dixit, Deum semper exigere conatus nostros, sed nonnumquam. Quoad secundam partem videtur probabile, eos dixisse ex certo pacto Dei dari eam gratiam; alioquin iam Deum facerent acceptorem personarum, si respueret aliquos benè operantes. Secundò, non posuissent in potestate hominum salutem; nam licet homo faceret ex se bonum opus; si Deus tamen illi negaret gratiam, iam saluari ille homo non posset: quæ duo maximè hi vitare volebant.

Dicebât opus naturale bonum tantùm esse de cõgruo meritorium gratiæ.

Sexta difficultas, vtrùm Semipelagiani censuerint illud opus bonum naturale esse de condigno meritorium gratiæ, an verò solùm de congruo. Respondeo, eos semper locutos de meriro improportionato gratiæ; vnde semper vocant illud vel occasionem, vel ansam, &c. ex quo capite maximè voluerunt ostendere, se non præiudicare gratiæ, esto dicerent, illam dari ob tale opus.

P. Suarez. putat Semipelagianos non admisisse vllã veram internam Dei illuminationem præuiam.

Septima difficultas est, quo pacto illi dixerint, bonum opus præcedere gratiam, cùm tamen docuerint sæpè, ad omne bonum opus præcedere gratuitam vocationem Dei. Respondet P. Suarez, eo nomine gratuitæ vocationis non intellexisse cum Catholicis aliquam internam Dei illuminationem, sed exteriorem vocationem & propositionem eo modo, quo superiùs diximus Pelagium voluisse saluare necessitatem gratiæ; nam in hoc puncto, quòd ante propriam internam Dei gratiam præcesserit bonum opus naturale, planè conuenerunt hi cum Pelagio. Hæc tamen responsio mihi non omnino probatur; nam quo pacto, quæso, negare potuerunt internam vocationem gratiæ, si concedebant externam? auditâ enim propositione externâ, statim sine libertate excitatur in intellectu audientis interior vocatio: nam vocatio interior ad pœnitentiam v. g. in Petro nihil est aliud quàm cognitio grauitatis peccati & pœnarum inferni: quæ cognitio in Petro excitatur, & quidem sine libertate, quando ego aut alius exteriùs illi proponit eam grauitatem peccati & pœnarum: ergo si est gratia Dei, quòd ego interiùs Petro id proponã, erit etiam gratia Dei interior illuminatio, quæ inde in Petro necessariò oritur. Vrgeo, necessariò hi admisere, nihil volitum esse quin interiùs præcognitum, ergo non potuerunt dicere, ante omnem cognitionem internam boni faciendi præcedere actum voluntatis liberum, sed potiùs illum actum oriri à cognitione internâ, & quidem nobis non liberâ, ergo à Deo aliquo modo excitatâ; ergo iam veram internam illuminationem nobis non liberam admiserunt, & non solam exteriorẽ propositionem; ergo non errarunt in puncto interioris aut exterioris vocationis.

Sed melius ostenditur, eos admisisse internam illuminationem, nec in hoc puncto fuisse hæreticos.

Ideò aliter crediderim respondendũ, eos mullatenus erasse in eo, quòd negauerint aliquam cogitationem piam præcedere omne opus naturale, sed in eo, quòd cùm ea cogitatio & opus ex illâ factum esset ordinis naturalis, ei tamen subiecerint gratiam, ceteraque dona supernaturalia. Ex quo capite inferiùs efficaciter argumentabor contra Patrem Vasquez, ad probandum non rectè ab ipso explicari gratiam Christi per cogitationes naturales congruas, nam (vt ibidẽ ostendam) etiã Semipelagiani necessariò tales agnouisse videntur.

31. *In quo igitur errarint Semipelagiani ostenditur.*

Semipelagiani contra mentem suam sine reflexione multa admiserunt, ex quibus possunt expugnari.

Circa quorum mentem hanc vltimam moueo quæstionem, quî fieri potuit, vt cùm illi admiserint scientiam mediam, & insuper cogitationes pias (siue naturales illæ sint, siue supernaturales in substantiâ, quod ad intentum huius quæstiunculæ per accidens est) quas ante nostram libertatem Deus in nobis excitat siue immediatè per se, siue per causas secundas, quomodo, inquam, non viderint eo ipso Deum esse acceptorem personarum, quod ipsi vitare volebant? nam in Petro v. g. excitauit eam cogitationem piam, quando vidit illum benè operaturum naturaliter, & per hoc obtenturum vlteriorem gratiam; in Iudâ verò excitauit eam piam cogitationem, quando præuidebat eum illâ non vsurum: hoc autem formalissimè est vni præ altero maius facere beneficium, & quidem quando illi in se æquales erant; id quod Semipelagiani vocant acceptare personas. Respondeo, eos non se ita reflexisse, neque considerasse ex quo capite reijci possent, vt commune est omnibus hæreticis & malè discurrentibus, semper enim relinquunt angulum vnum, per quem impeti & expugnari possunt; quia errantes non sunt sibi in omnibus consequentes. Et satis de horum mente.

Errantis est, non esse memorem consequentiæ.

SECTIO VI.

Quæ inter Catholicos vt omnino certa vel fere certa sunt, statuuntur.

32. EX his, quæ de erroribus Pelagij ac Semipelagianorum circa materiam de gratia diximus, facilè è contrario colligitur quis sit in hoc puncto Catholicorum sensus; & tandem quid controuertendum agnoscemus.

Visio Dei hominis omnino supernaturalis.

Primò ergo inter Catholicos certum est contra Pelagium, visionem Dei, ad quam eleuati sumus, esse aliquid omninò suprà vires nostras naturales; ita vt proprijs meritis sine auxilio & gratiâ speciali Dei (siue hoc auxilium detur per Christum, vt de facto in hoc ordine rerum datur, siue ex solo beneplacito Dei, vt datum fuit Angelis & Adamo ante lapsum) non possimus eam assequi. Hæc veritas passim ab Augustino cæterisque Patribus, à Concilio Arausicano, Mileuitano ac Tridentino traditur; & ex Scripturâ manifestè probatur; Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Ioan. 6. *Nemo potest venire ad*

Digitized by Google

ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eum. 2. Cor. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Vnde autem probetur à priori, eam visionem esse nobis supernaturalem, & an etiam omni creaturæ rationali possibili supernaturalis sit omnis visio clara Dei, dictum est fusè Tomo primo, dum de eadem visione disputatum est ex professo.

Gratia, semè vitæ æternæ, est nobis etiã omnino supernaturalis.

Secundò certum est, gratiam constituentem nos filios adoptiuos Dei, ipsius amicos, iustos ac sanctos, esse etiam suprà vires nostras, nec cadere sub merita nostra naturalia. Hæc est eodem modo certa quo præcedens, quia cum gratia hæc sit semen vitæ æternæ, cui visio beata debetur, necessum omnino est, vt si visio est supra vires nostras naturales, eo etiam ipso sit ea gratia, cui visio debetur: non enim finis aliquis aliter est supra potestatem alicuius, quàm sint supra eius potestatem media, quibus finis ille obtinetur: id quod ex terminis manifestum est.

33. *S. Augustinus recenset multas veritates Catholicas in materiâ gratiæ.*

Ex hac Secundâ conclusione immediatè sequuntur multæ aliæ veritates inter Catholicos certæ, quas videtur Augustinus declarasse Epistola 107. quæ est ad Vitalem, qui delatus fuerat, quasi doceret non orandum pro incredulis: paulò ergo post medium eius Epistolæ hæc habet Primò, *Scimus nondum natos nihil egisse in vitâ propriâ boni seu mali, nec secundum merita prioris alicuius vitæ; quæ nulla propria habere potuerunt, in huius vitæ venisse miserias, sed tamen secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ contrahere, nec liberari à supplicio mortis æternæ, nisi per gratiam renascantur Christo.* addit autem Secundò, *Scimus gratiam Dei nec parvulis nec maioribus secundùm merita nostra dari.* Tertiò, *Scimus maioribus ad singulos actus dari.* Quartò, *Scimus non omnibus hominibus dari; & quibus datur, non solùm secundùm merita operum non dari, sed nec secundùm merita voluntatis eorum, quibus datur: quod maximè apparet in parvulis.* Quintò, *Scimus, eis quibus datur, misericordiâ Dei gratuitâ dari.* Sextò, *Scimus, eis, quibus non datur, iusto Dei iudicio non dari.* Septimò, *Scimus, quòd omnes astituimus ante Tribunal Christi, vt ferat vnusquisque secundùm ea quæ per corpus gessit, non secundùm ea, quæ, si diutiùs viueret, gesturus fuisset, siue bonum, siue malum.* Octauò, *Scimus etiam parvulos secundùm ea, quæ per corpus gesserunt, recepturos vel bonum vel malum.* Quod explicat Augustinus ratione Baptismi per alios ipsis concessi. Nonò, *Scimus felices esse eos, qui in Domino moriuntur; nec ad eos pertinere, quid acturi fuerant, si tempore diuturniore vixissent.* Decimò, *Scimus, eos, qui corde propriè credunt in Dominum, suâ id facere voluntate, ac libero arbitrio.* Vndecimò, *Scimus, pro eis, qui noluit credere, nos, qui iam credimus, rectâ fide agere, cùm Deum oramus, vt velint.* Duodecimò, *Scimus, pro eis, qui ex illis credidérunt, tamquam de beneficijs rectè ac veraciter & debere nos Deo agere gratias, & solere.* His propositionibus dicit ibi Augustinus contineri totam doctrinam Catholicam in materiâ gratiæ.

34. *Notanda circa propositiones D. Augustini. Mala conditionata non nocèt, nec bona conditionata prosunt.*

Circa quas Primò notandum censeo, aliquas fortè in idem relabi, aliquas verò ex alijs ita manifestè sequi, vt prioribus admissis, nulla penitus de alijs possit esse difficultas; in primis igitur septima & nona idem continent, scilicet neminì nec nocere mala; quæ facturus fuisset, si diutiùs vixisset, nec è contrario prodesse bona, quæ, datâ etiam eâ hypothesi, patraturus esset; sed iudicandos omnes in bonum aut in malum secundùm ea quæ de facto gesserunt: quam veracitatem etiam inculcat in octauâ agens de parvulis, quos etiam docet nec damnandos nec saluandos propter illa quæ fecissent, si vixissent diutiùs. Ex secundâ etiam propositione, quòd gratia non detur secundùm merita, sequitur quinta & sexta, quòd detur ex liberalitate Dei, & quando negatur, negari ex iusto iudicio Dei. Ex his autem manifestè sequuntur duæ vltimæ, quòd scilicet & rogandus sit Deus vt det, & gratiæ sint agendæ eidem, quando dedit. Etenim lumine naturæ ita notum est, vt à nemine negari possit, quando Princeps v. g. aut quilibet alius potest pro suo libitu dare aut non dare beneficium, eo ipso locum habere petitionem, vt det; & deberi ei gratiarum actionem, si dederit: ac proinde duæ hæ veritates non possunt in dubium verti, nisi vertantur illæ priores, ex quibus inferuntur apertè.

Deus rogandus vt det dona & pro datis laudãdus.

Ideò breuiùs reduci possent illæ veritates ad has quatuor vel quinque. Prima sit, *Quòd opera futura tantùm sub conditione, siue bona siue mala, nec prosunt, nec nocent:* Secunda, *Quòd gratia Dei datur omnino liberaliter, ideóque pro ea orandum, & pro acceptâ gratiâ agendæ.* Tertia, *Quòd gratia concedatur ad omnes actus.* Quarta, *Quòd secundùm opera facta ex gratia, aut è contrario contra illam, homo sit iudicandus.* Quinta, *Quòd infantes cõtraxerint originale, & ab eo per Baptismum purgentur; quòd si è contrario in eo non purgati moriantur, damnentur.* His quinque veritatibus includitur quidquid ibi Augustinus duodecim propositionibus complectitur.

Veritates Catholicæ de gratiâ quinque capitibus complexa.

35. *Vna ex dictis veritatibus impertinens est ad hanc materiam.*

Obseruo Secundò, vnam ex his veritatibus non pertinere propriè ad hãc materiam de gratiâ; siue enim agamus de operibus naturalibus, siue de supernaturalibus ex gratiâ, certum videtur lumine naturæ, neminem esse actu bonum, aut è contrario malum, dignum laude & vituperio per ea quæ faceret, si in alio ordine rerum constitutus esset: nemo enim dicet Petrum esse reum Maiestatis, eò quòd, si in aliâ serie alio modo educatus, aliam indolem sortitus fuisset, occidisset Regem: hæc enim nullo modo considerantur pro statu præsentis laudè aut vituperio; ergo ea veritas non spectat propriè ad quæstionem de gratiâ.

In præditis propositionibus diui Augustini nulla est contradictio.

Tertiò obseruo in tertiâ & quartâ propositione diui Augustini primo aspectu videri esse aliquam contradictionem; dicitur enim in tertiâ gratiam ad singulos actus dari; in quartâ verò non omnibus hominibus dari: quomodo enim omnibus hominibus non datur, si ad singulos actus omnium hominum datur? Respondeo *ad singulos actus* ita intelligendum, vt ad singulos actus conducentes ad vitam æternam, quos homines efficiunt, habeant eam gratiam; non quòd semper eam habeant; clariùs dixerim, *quòd nihil efficiant ad vitam æternam conducens sine gratia:* ideò eam propositionem proposui clarioribus terminis, *quòd gratia sit necessaria ad omnes actus conducentes ad vitam æternam.*

36. *Inferuntur aliqua ex dictis. Gratia sanctificans qualitas infusa supernaturalis.*

Ex his, quæ sunt omnino certa inter Catholicos, & planè de fide, inferuntur alia, quæ vel sunt de fide, vel proxima fidei, vel certè contraria essent erronea; ea autem sunt, in iustificatione infundi iustis qualitatem quamdam in suâ entitate omnino supernaturalem, quæ dicitur gratia sanctificans. Vbi, ne putes hanc illationem esse eamdem cum secundâ veritate suprà positâ,

aduerte,

Digitized by Google

aduerte, me ibi solùm in genere dixisse gratiam sanctificantem esse aliquid supernaturale, abstrahendo ab eo quod sit in modo aut in substantiâ supernaturale: quo sensu res est omnino certa: at quòd sit entitas natura sua & essentialiter supernaturalis, est quidem ferè certum de fide; at non videtur esse omnino expressè de fide: sed de hoc fusiùs infrà.

Præter gratiam infunduntur habitus supernaturales virtutum Theologicarum.

Secundò, est inter Scholasticos iã omnino certum (etiamsi olim res fuerit magis dubia) dari habitus fidei, spei & charitatis in suâ entitate supernaturales, qui infunduntur eo instanti cum gratiâ in primâ iustificatione: quorum duo primi non amittuntur per quodlibet mortale, sed per peccatum desperationis & hæresis: quæ omnia fusiùs infrà suis locis discutientur.

Comitantur gratiã habitus infusi virtutum moralium.

Tertiò, etiam est ferè certum inter Scholasticos (vt dixi Tomo præcedenti) dari alios habitus aliarum virtutum, religionis, iustitiæ, tẽperantiæ, castitatis, &c. etiam supernaturales in sua substantia, qui gratiam comitantur.

Actus requisiti ad iustificationem in suâ entitate supernaturales.

Quartò, etiam ferè omnes iam sentiunt, actus necessarios ad iustificationem esse in suâ entitate supernaturales; vnde in scholis certissima est distinctio duplicis actus virtuosi in quacumque specie virtutis, vnius naturalis in substantiâ, alterius supernaturalis quoad substantiam: abstraho nunc, an etiam detur amor amicitiæ Dei in substantiâ naturalis: de quibus omnibus fusiùs infrà; iam enim solùm quasi in genere & vniuersaliter eam communem doctrinam insinuo.

37. *Actus honesti naturales sũt possibiles.*

Et quidem, possibiles esse actus naturales honestos, videtur esse ex terminis notum; nam naturalis libertas hominis id persuadet: dari verò actus supernaturales in substantiâ, etsi Scotistæ id negent, probabitur tamen à nobis infrà efficaciter cum cæteris Theologis.

Actus in substantiâ supernaturales nequeunt fieri sine specialibus Dei auxilijs.

Quintò deniq; certum est inter omnes Scholasticos, ad actus in suâ entitate supernaturales dari à Deo auxilia specialia supernaturalia, sine quibus illi actus fieri non possent: id quod explicatis terminis euidẽs est; nullus enim actus potest nobis esse difficilior quàm sint vires, per quas illum efficimus: nam in ordine ad vires comparantur actus per modum finis, vires verò per modum mediorum: dixi autem suprà finem non esse vmquam difficiliorem quàm sint media, per quæ est consequendus; ergo si haberemus vires naturales requisitas & sufficientes ad eliciendos eos actus, quos supernaturales dicimus, absolutè tales actus nobis essent naturaliter possibiles: & propterea immeritò dicerentur supernaturales in substantia. hæc ferè inter Scholasticos certa.

Finis vnumquã difficilior quàm media.

Disputatio XXXVI.

Declaratur status quæstionis inter Scholasticos circa necessitatem gratiæ adiuuantis.

EXplicvi præcedenti disputatione quæ certa sunt, iam in quo consistat differentia circa necessitatem gratiæ inter Scholasticos discutiendum erit. Insinuabo in hac disputatione puncta & statum quæstionis; inferiùs ea ex proposito discussurus.

Sectio I.

Declarantur puncta dubia, & proponitur Patris Vasquez explicatio.

PRimum punctum est, vtrùm actus in sua entitate naturales, si fiant in gratia, possint esse meritorij vitæ æternæ; an verò, quia ex se sunt inferioris ordinis, semper etiam maneant dignitate inferiores. Hoc punctum discutiam infrà. *Primum contr. uersum.*

Secundum punctum controuersiæ inter Scholasticos consistit in eo, an homo tam in statu naturæ integræ quàm puræ, quàm lapsæ, possit efficere aliquod opus omni ex parte honestum per vires liberi arbitrij sine speciali gratia Dei; siue ea detur in hoc statu rerum per Christum, siue in alio ordine ex sola liberalitate ipsius Dei, De hoc tractabo disput. 38. *Secundum.*

Tertium punctum, an iisdem viribus sine speciali gratia possit homo vincere tentationem aliquam siue grauem siue leuem diuisiuè, & collectiuè omnes; vbi etiam quæri solet, an possit seruare totam legem naturalem: in qua etiam quæstione includitur, an possit fieri actus amoris Dei super omnia, siue ad breue tempus siue ad longum. De his agetur à disputatione 39. *Tertium.*

Circa hæc duo vltima puncta aduertendum, etiamsi primo aspectu videatur facilè intelligi, in quo consistat difficultatis nodus, magnam tamen latere æquiuocationem, saltẽ prout ea quæstio discutitur à P. Vasquez; & quia res est magni momenti, cogitaui ex proposito hac disputatione statum quæstionis explicare: pro cuius intelligentia. 2.

Explicatur triplex acceptio gratiæ seu auxilij per Christũ, prout contradistinguitur auxilijs naturæ debitis.

Aduerte vocem *gratiæ* seu *auxilium per Christum*, vt contrapositum viribus naturalibus, seu auxiliis debitis naturæ, posse sumi tripliciter; Primò vt sit auxilium in sua entitate supernaturale, ac diuersæ speciei ab auxiliis naturalibus. In hoc sensu nemo probabiliter requirit auxilium gratiæ pro operibus bonis in sua entitate naturalibus. *Prima.*

Secundò ergo accipitur pro auxilio in sua quidem entitate naturali, quod tamen sit intra eum ordinem vberius, efficacius & fortius quàm soleant esse communia: & nec quidem in hoc sensu dissensio est cum P. Vasquez, qui non requirit talia auxilia ad omnia opera honesta moralia: an verò absolutè ea sint necessaria, siue id Vasquez siue alius affirmet, discutietur inferiùs. *Secunda.*

Tertio ergo acceptio vocis *auxilium gratiæ* est, vt significet auxilium congruum vt distinctum à sufficienti, etiamsi vtrumque sit intra ordinem naturæ, imò sæpè vnum idemque numero iam sit congruum, iam purè sufficiens: etenim in sententia Societatis, quam P. Vasq. defendit, auxilium congruum à purè sufficienti in eo præcisè distinguitur, quòd illud præuisum sit per scientiam mediam habiturum effectum, hoc verò non, quapropter idem numero auxilium quoad entitatem & circumstantias omnes extrinsecas, quod de facto est congruum, potuit esse in hac eadem occasione purè sufficiens, si ipse homo pro sua libertate se determinasset ad non respon *Tertia.*

Auxilium congruum à purè sufficienti in quo præcisè distinguatur in sententiâ Societatis.

Digitized by Google

respondendum, vt reuerà pro ea libertate potuit.

3. *P. Vasquez esset sine gratiâ per Christum posse fieri bonum opus naturale; de facto autem fieri.*

Hac ergo doctrinâ suppositâ P. Vasquez admittit, sine gratia per Christum ex debito naturali hominem habere auxilia sufficientia ad efficienda opera bona, & ad vincendas tentationes; imò ad seruandam totam legem; addit tamen, numquam de facto aut vincere vllam tentationem, aut efficere vllum opus bonum sine gratiâ: nam auxilia omnia congrua, sine quibus actu non fit opus bonum; (eo enim ipso quòd hoc fiat, iam auxilium est efficax seu congruum;) ea, inquam, omnia dantur per Christum: quòd enim Deus det auxilium efficax præ inefficaci, fauor & gratia est; potuit enim dare solum inefficax: atqui Deus de facto nullam gratiam facit homini in ordine ad benè viuendum nisi per Christum; ergo talia auxilia sunt gratia per Christum. Hanc sententiam per omnia sequitur, vt solet, Turrianus Opusculo 1. per multas disputationes: vbi nihil addit, quod Vasquez non dixerit.

In hac sententiâ multum miscetur de nomine; & non videtur esse ad mentem Patrum & Conciliorum; quibus tamen eius auctor putat se maximè adhærere; & ex quibus contra cæteros argumentatur: neque item ea sententia quoad rem ipsam est iuxta sensum præcedentium Scholasticorum, ideò non est tam illi fidendm quàm eius auctor putat. Priùs verò quàm hæc omnia clarè proponam.

Alia sententia Patris Vasquez à P. Suario examinata.

Obseruo Patrem Suarez lib. 1. de Gratiâ cap. 12. cùm eam sententiam retulisset, fusè agere, vtrùm auxilium congruum sit in se melius quàm sufficiens: vbi examinat aliam sententiam eiusdem Vasquez, quòd voluntas non possit amare obiectum minùs intensè propositum quàm contrarium proponatur; admittit enim num. 19. semper aliquem defectum in intellectu peccatis.

Ego tamen de his non iudico vel verbum dicendum, quia præcedenti Tomo vtramque quæstionem discussi, & ostendi Patrem Vasquez vix posse libertatem saluare per eam intensiorem cogitationem. Secundò ostendi, nullum planè proprium defectum in intellectu peccantis esse necessarium: & miror, cùm eleganter hoc capite P. Suarez ostenderit contra Vasquez, è duobus omnino æquali tentatione & cognitione excitatis posse vnum pro suâ libertate resistere, alterum cadere; in eo autem qui resistit, nullum defectum intellectualem Suarez agnoscat: miror, inquam, cur etiam ipse Suarez alibi vniuersaliter dicat in eo qui cadit semper esse aliquem defectum in intellectu: sed de hoc argumento fusiùs eo Tomo.

P. Suarez ipse non videtur locutus cõsequenter.

4. *Esto Deus non intendat specialiter efficaciam auxilij, est tamen formaliter maius beneficium vocatio congrua quàm incongrua.*

In præsenti ergo dicendum est, etiamsi re ipsâ vocatio congrua in se nõ sit maior physicè quàm non congrua, imò sæpè minor, & consequenter, minus sit donum in se seu materialiter (quod verum est; siue de supernaturali siue de naturali loquamur;) eo tamen ipso, quòd Deus præscierit eam habituram effectum, illamque donet, maius formaliter beneficium præstare. Quæ doctrina independens est ab eo, quòd Deus intendat specialiter eam efficaciam: in quo etiam non placet P. Suarez, omnino ibi censens, necessum esse à Deo eam efficaciam intendi: hæc enim intentio in multorum sententiâ tollit omnino libertatem, ideoque ab eis censetur repugnare: & licet hoc à me vt falsum sit primo Tomo efficaciter reiectum, pro hac tamen quæstione impertinens est: ex solâ enim eâ præscientiâ explicari poterit maius Dei beneficium, etiamsi directè specialem actum amoris nõ habeat respectu eius hominis. De quo fusiùs in materiâ de prædestinatione.

5. *Examinatur suprà posita Patris Vasquez doctrina circa gratiâ per Christum pro opere bono naturali.*

Iam ergo ad sententiæ Patris Vasquez examen veniamus: quod igitur in eâ multum misceatur de nomine manifestè patet; quia suppositâ doctrinâ, quam ipse cum totâ Societate & multis alijs defendi, de scientiâ mediâ, & de constitutiuo auxilij efficacis præ inefficaci, negare nemo potest, specialem fauorem Deum facere ei, cui dat auxilium, sub quo præuiderat eum operaturum; quem fauorem non præstat ei, cui eiusmodi auxilium negat, & solùm dat sufficiens: item nemo negabit (licet in hoc pũcto ego aliquâ inueniam difficultatẽ, de quâ infrà) potuisse Deum nullo facto miraculo non dare vllum eiusmodi auxilium cõgruum, sed loco illius aliud purè sufficiens. Hæc omnes fatentur: quæ quidem vera sunt etiam in sententiâ Patrum Dominicanorum, & quorumcumque aliorum circa constitutiuum auxilij efficacis; nam omnes fatentur intra ipsum ordinem naturalem, seu auxiliorum purè naturalium, dari aliqua efficacia; item Deum non teneri illa dare (siue sint physicè prędeterminantia, siue moraliter, siue in aliquo alio efficacia auxilij constituatur) sed posse dare solùm inefficacia: vtrùm autem ex hoc capite debeat datio illa auxilij efficacis dici gratia, esto res data purè sit in ordine naturali, quæstio videtur esse de puro nomine.

Loquendo de re ipsâ adhuc non loquitur P. Vasquez ad mentem Conciliorum & Patrum, vocando talo auxiliũ gratiâ per Christum.

Illud tamen erit de re, an eiusmodi auxilium, siue dicatur gratia specialis, siue non, detur tamen de facto ex meritis Christi. De hoc tamen puncto nonnihil dixi sectione secundâ insinuans, etiamsi (quod probabilius censeo) dicamus ea omnia dona esse data per Christum, nihilominùs, iuxta mentem Patrum ac Conciliorum, non esse eam gratiam, quam ad benè operandum requiri eadem Concilia & Patres censent; nam (vt ibidem ostendi) in eo sensu & vita, & ingenium, & mobilitas, &c. sunt gratia per Christum; vnde etiam dixi, non relabi nos in sententiam hanc Vasquez: hic enim iudicat speciali sensu vocationem illam dici per Christum: quòd verò nullo modo satisfaciat per hoc Patribus ostendendum manifestè, & quidem magis ex proposito quàm ab auctoribus fieri soleat.

SECTIO II.

Primò reijcitur ea explicatio, vt quæ non tangit dissensionem inter Catholicos & Semipelagianos.

6. *Absurda sequela ex sententiâ Patris Vasquez.*

PRimò ergo argumentor; nam datâ hac sententiâ redditur ridicula tota quanta disputatio inter Augustinum, Prosperum & Catholicos ex vnâ parte, Pelagium ac Semipelagianos ex alterâ, & omnes illi inter se omnino redduntur re ipsâ concordes, & solùm ex malâ vocum intelligentiâ Andabatarum more acerrimè digladiari dicentur. Id quod nemo non reputabit esse absurdum, & absurdissimum, cùm certum sit eos hæreticos re ipsâ non tenuisse veram doctrinam. Probo ergo subsumptum, & pro eo suppono, tam Pelagium quàm Semipelagianos non negasse scientiam mediam (esto sub his vocibus eam non nominauerint) imò nimiùm illa vsos fuisse; quandoquidem, vt ostenderent, quo pacto sine iniustitia Deus ad Baptismum adduceret aliquos infantes,

Pelagius & Massilienses nimiùm vsi fuerunt scientiâ mediâ Dei.

Digitized by Google

infantes, alios verò non, sed permiserit in originali perire, recurrerunt ad hoc, quòd Deus præuidisset illos, si ad ætatem virilem accessissent, benè operaturos, hos verò malè. Quæ doctrina Semipelagianis familiarissima fuit. Vbi aduerto (ne aliquis ex prædeterminantibus hoc argumẽtum meum reijciat) illud vim habere in omni sententia: siue enim ea scientia futurorum conditionatorum vocetur scientia media, siue alio nomine; & siue habeatur in decretis ipsis conditionatis Dei, siue in prædeterminationibus, siue in ipsis obiectis futuris, certũ est, Massilienses recurrisse ad eam scientiam futurorum conditionatorum, quæ absolutè non erant futura: & certum est Deũ ea futura noscere. Hac ergo veritate suppositâ, cùm gratia Christi, quam Augustinus ita defendit, & quam vocauit gratiam per Christum, reducatur in sententiã huius auctoris ad ea auxilia in suo ordine naturalia, & naturalissima, solúmque differentia à ceteris auxilijs in eo, quòd Deus, antequam illa dederit, vel voluerit absolutè dare, præuiderit futura efficacia, si data fuerint; & Semipelagiani eiusmodi auxilia etiam agnouerint, quia agnouerunt Deum videre, *Si dedero hoc auxilium, habebit effectum*, necessum est, vt re ipsâ totam quantam gratiam, quam Augustinus ex mente Patris Vasquez posuit, posuerint & illi, ideóque se ipsa omnino conuenerint, esto seipsos non intellexerint.

Probatur inde sequi, Semipelagianos in re idẽ posuisse quod S. Augustinus.

7. Id ipsum de Pelagio suo modo dicere possumus; nam ille vel non negauit Deum immediatè concurrere concursu naturali ad actiones omnes creaturarum, ideóque nec negauit Deum ad bona opera debere præstare suum auxilium saltem ordinis naturalis; vel certè admisit cogitationem præuiam, quam vidit congruam, in quâ cogitatione P. Vasquez ponit totam rationem gratiæ per Christum.

Probatur idẽ de Pelagio.

Id verò esse contra mentem antiquorum Patrum & Conciliorum probo meo iudicio efficaciter ex Arausicano Can. 5. vbi hæc habentur, *Qui enim fidem, quâ in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesiâ Christi alieni sunt, quodammodò fideles esse definiunt.* Hinc argumentor. Concilium manifestissimè hoc loco supponit dari in non-fidelibus actus naturales credendi, & quidẽ bonos; alioquin malè diceret, *eos esse fideles, si naturalis fides sufficit*; respondetur enim illi, eam fidẽ non dari in illis: quòd verò supponatur esse honesta patet; nam naturalem nõ vocat Concilium malam, sed contrapositam supernaturali; & eam in eis admittit: atqui eo ipso in illis admittit cogitationẽ congruam; nam sine hac numquam habetur vllus actus bonus: ergo Concilium aliam supernaturalitatem quærit in actu, quam quæ ex denominatione auxilij seu gratiæ congruæ desumitur; ergo non potest vllo modo Concilijs responderi per gratiam, quæ in cogitatione solùm congruâ consistat: debet ergo admitti alia gratia altioris ordinis: debemus etiã fateri, dari actus bonos naturales, quos Concilium non reputat inter initium fidei, & de quibus non erat illi vllo modo concertatio cum Pelagio aut Semipelagianis; alioquin debuisset Concilium dicere, eam ipsam fidem naturalem etiam esse ex gratiâ; minùs verò benè ea admissa etiam in infidelibus quæsiuisset aliud initium fidei salutiferæ in his qui ad fidem disponuntur. Quod argumẽtum meo iudicio efficax est pro præsenti intento, & pro his quæ infrà dicemus de bonis operibus naturalibus.

Sequela illa contrariatur mẽti SS. Patrum & Cõciliorum.

Qualem supernaturalitatẽ in actu bono requirat Concilium.

Responderi tamen posset primo argumẽto præcipuo (nam confirmationi ex Arausicano non video quid possit responderi) in hoc errasse eos hæreticos, quòd non agnouerint eiusmodi auxilia dari per merita Christi. Sed contrà, quia Augustinus, Patres & Semipelagiani non disputabant tam de causâ meritoriâ gratiæ, quæ nobis datur, & quâ nos indigemus, quàm, vtrùm ea esset gratia vera. Explicò: Quòd Deus ex suâ liberalitate, non permotus vllis Christi meritis, dederit Adamo gratiam & auxilia gratiæ, &c. non immutat eorum auxiliorum naturam, nec facit in nobis maiorem ipsorum necessitatem: vnde si Deus (vt potuit diuinitus) voluisset condonare nobis Adami peccatum sine Christo redẽptore ex suâ purâ putâ liberalitate, & ex eadẽ conferre vires, & ea auxilia, quæ iam conferũ per merita Christi, eadẽ fuisset inter Augustinũ & hæreticos disputationis occasio; quia tota illa ab Augustino desumebatur ex necessitate ipsorum auxiliorum datorum, non ex intercessore, per quem dabantur; ex necessitate, inquam, illorum ad bona opera & ad finem beatitudinis: ex parte verò hæreticorum tota occasio erroris sumebatur, quia volebant saluare, quomodo in nostrâ potestate & viribus arbitrij esset salus: id quod non benè percipiebant, si essent necessaria auxilia supernaturalia: item quia nolebant efficere Deum acceptorem personarum: vtrùm autem in hoc puncto non processerint stultè, & planè in eosdem laqueos inciderint, dicam infrà suo loco fusiùs. Nunc enim solùm contendo, totam quantam Augustini cum hæreticis dissensionem fuisse omnino independentem ab eo puncto, vtrùm per Christũ, vt per mediatorem, daretur gratia necessaria ad benè operandum, an verò Deus à seipso immediatè sine intercessore faceret eam liberalitatem, quam iam facit per Christũ; quia reuerà id in ordine ad debilitatem nostræ naturæ & necessitatem auxilij pro operibus bonis est omnino per accidens.

8. *Refellitur ea replica facta nostro primo argumento.*

Gratia non ponderanda ex mediatore, per quem datur, sed ex necessitate illius ad finẽ supernaturalem.

Inter Augustinum & illos hæreticos, nõ erat lis de gratiâ per Christum, sed absolutè de gratiâ necessariâ pro bonis operibus.

Iam hinc argumentor; Ergo error Semipelagianorum & dissensio ipsorum ab Augustino non desumebatur ex eo, quòd ea gratia dicatur dari per Christum, & consequenter quòd dicatur gratia per Christum, vt contendebat ea prima responsio. Et quidem hæc impugnatio mihi valdè efficax apparet.

Ideò fortè respondebis secundò probabiliùs, errorem eorum fuisse, quòd putauerint, illud auxilium, quod Vasquez vocat gratiam, non fuisse veram gratiam, neque per Christum, neque ab ipso Deo liberaliter concessam, sed debitam omnino naturæ rationali. Sed contrà manifestè, quia iam in hoc sensu res reducitur ad quæstionem de puro nomine, quam superiùs posui; in quâ de re ipsâ nulla esse dissensio potuit inter Augustinum & Semipelagianos: etenim vel supponebatur in hac & illa occasione, posse à Deo dari duo aut plura auxilia; quorum vnum videretur à Deo per scientiam mediam (quam, vt diximus, etiam illi agnoscebant) habiturum effectum seu futurum efficax, alterum verò inefficax: vel omnia auxilia in ea occasione videbantur efficacia, aut certè nullum efficax: saltẽ non possumus dicere nullum efficax à Deo præuisum, cùm supponamus gratiam factam, seu datum tale auxilium efficax: si ergo dicamus secundum, manifestissimè apparet, etiam in sententiâ ipsius Vasquez, non debere dici

9. *Refellitur alia replica, & ostenditur non fuisse litem cum hæreticis, quasi negauerint gratiam consistentem in datione auxilij naturalis efficacis pro naturali inefficaci.*

Digitized by Google

gratiam illud auxilium: cùm enim data occasione operationis naturalis Deus teneatur homini præbere auxilium, & nullum viderit in eâ occasione nisi efficax; euidens sit non posse dationē eius auxilii efficacis dici gratiam magis, quàm datio concursus igni ad comburendam stupam applicatam dici non potest gratia: si denique dicamus primum, scilicet Deo occurrisse tunc varia auxilia, inter quæ eligere poterat vnum efficax, alterum inefficax, negare nemo potest, neque hæretici id negarunt, aliquem esse Dei fauorem, dare potiùs illud, quod præuisum est efficax (si liberum fuit, vt supponimus, Deo vnum præ altero eligere) quàm dare alterum inefficax: ergo Semipelagiani non negabant hanc gratiam, seu eum fauorem, qui consistit in datione auxilii naturalis efficacis præ naturali inefficaci; ergo de aliâ gratiâ fuit illis cum Catholicis quæstio: vel tota quæstio fuit de solâ voce.

10. *Videtur argumentum nostra refutationis nimis multùm probare.*

Fortè dices, hoc argumento nimiùm probari, scilicet, non potuisse Semipelagianos cum Augustino contendere, vtrùm Deus esset acceptor personarum; neque item potuisse docere, esse in potestate cuiuslibet salutem æternam: quæ tamē duo re ipsâ docuēre. Probatur subsumptum; nam esto negarent, necessarium fuisse gratiæ supernaturalis auxilium, debebant tamen dicere, Deum esse acceptorem personarum, dum Petro v.g. dat auxilium naturale, quod præuidit efficax; vt immediatè antè argumentabamur; illud verò negat Iudæ. Præterea, cùm non sit in vllius potestate dare sibi auxilium, quod Deus præuidit efficax, non verò alterū præuisum inefficax; quæ doctrina eodem modo locum habet in auxiliis ex sua entitate naturalibus ac in supernaturalibus; consequenter in nullius potestate fuit obtinere salutem, quam de facto nemo consequitur sine auxilio efficaci; ergo, eò quòd, si res ipsa benè ponderetur, non posset esse dissensio inter illos & Augustinum, non infertur, eos de facto re ipsa benè sensisse. Respondeo, me non voluisse probare, vllo modo, Semipelagianos fuisse in doctrina cōstantes, sed præcisè, eos re ipsa docuisse quidquid Vasquez docet circa necessitatem gratiæ, si gratiam non alio sensu accipiamus, quando de necessitate illius ad benè operandum agitur, quàm pro auxilio congruo vt condistincto à purè sufficienti, etiamsi vtrumque sit in sua entitate ordinis naturalis, & vtrumque sit ex his quæ naturaliter debentur; nam eam differentiam auxiliorum efficacium & inefficacium tam in ordine naturali quàm in supernaturali etiam illi agnouerunt; verùm autem ea doctrina vti sint ad agnoscendū Deum in aliquo sensu debere dici acceptorem personarum, hoc est, Deum vni dare maiora dona quàm alteri, ego in præsenti non disputo.

Ostenditur non nimium probare, sed quantum pro nostro intento sufficit.

11. *Quid deceperit Semipelagianos; vt dicerent opera liberi arbitrij esse dispositiua ad gratiā.*

Rogabis, Cur igitur Semipelagiani recurrerūt ad opera liberi arbitrii, per quæ homo se disponeret ad gratiam, quandoquidem Deus semper est etiam cum auxiliis supernaturalibus paratus ad concurrendum? Respondeo, ideò eos deceptos, quia non perceperunt hoc ipsum, id est, auxilia supernaturalia dari à Deo etiam non petentibus; vnde recurrerunt ad opera naturalia facta viribus liberi arbitrij; nam cùm hæc, quia naturalia, per se supponantur esse in hominis potestate, facilè illi perceperunt, quomodo inde salus & vlteriora auxilia essent in potestate hominis: quod autē ipsa auxilia supernaturalia sint parata semper, quando datur occasio operandi, non intellexerūt; & inde totius erroris occasionē desumpsere.

Declaratur argumentum superius.

Hinc rursus sic argumentor, vel declaro argumentum præcedens: Hæresis Semipelagianorum non est idem vllo modo cum doctrinâ Durandi negantis Deum immediatè concurrere ad omnes nostras actiones bonas: etenim doctrina Durandi etsi erronea communiter iudicetur, non tamen hæretica, vt iudicatur doctrina Semipelagianorum. Præterea licet Durandus in eâ sententiâ ex alio capite errauerit, non tamen ideò censetur in materiâ gratiæ malè sensisse: atqui, iuxta explicationem, quam impugno, Semipelagiani vel solùm erratunt cum Durando, eò quòd ad actum bonum naturalem non admiserint concursum Dei; vel si hunc influxum admiserunt, nullo penitus modo errare re ipsa potuerunt; nam admissa hac necessitate, certè quòd ille influxus sit naturalis etiam hic auctor admittit: quod item fuerit influxus seu concursus, seu auxilium, seu vocatio congrua illa, qua de facto homo operatus est, nec negarunt, nec potuerunt negare hæretici, ergo. Denique, non fuisse debitum tale auxilium, sed potuisse dari aliud naturale præuisum inefficax, iam ostendi suprà à Semipelagianis non negari, imò nec potuisse, nisi fortè in aliquo casu; in quo etiam ipse Vasquez id deberet negare, si scilicet homo præuideretur per omnia auxilia responsurus in hac occasione; tunc enim omnes deberemus dicere, non potuisse à Deo dari in ea occasione vllum purè sufficiens; ergo, iuxta hanc explicationem, nulla fuit inter eos hæreticos & Catholicos dissensio de re ipsa.

Doctrina Durandi negans concursum generalē immediatum non conuenit cum hæresi Semipelagianorū.

12. *P. Turrianus obiicit.*

Dices cum Patre Turriano op. 1. disput. 4. dub 28. Si Augustinus & Patres non intellexisset nomine gratiæ vocationem etiam congruam ordinis naturalis, non agnouissent vllam gratiam Christi ante fidem: id quod est manifestè falsum: sequela patet; nam ante fidem nulla est supernaturalis gratia: consequens verò esse absurdum patet, quia etiam ante fidem sæpè vincuntur graues tentationes: quæ victoria in omnium sententia est per Christum. Respondeo Primò, consequens esse fortè verùm, non verò absurdum, eo modo quo infrà ostendetur. Respondeo Secundò negando sequelam: ad probationem illius dico, inter cogitationem congruam quà talem, (de qua sola hic auctor cum Vasquez loquitur) & inter cogitationes supernaturales dari medium in ordine ad gratiam: datur enim fortior, intensior & efficacior vocatio in seipsa antecedenter ad præuisionem scientiæ mediæ, à qua dicitur congrua: & hanc infrà ostendemus esse gratiam Dei specialem, siue hæc concedatur per Christum, siue non, eséque necessariam etiam ad ipsum posse moraliter vincere grauem tentationem, & ad diuturnam obseruationem præceptorum: vbi simul ostendemus, per gratiam congruam præcisè quà talem non suppleri eam difficultatem vincendi graues tentationes; ac denique in eo puncto valdè æquiuocari vocem *gratiæ*, quæ ad obseruationem legis totius necessaria dicitur ab omnibus ferè Theologis.

Respondetur.

Inter cogitationem congruam vt talem, & inter cogitationē supernaturalem datur medium.

Sectio III.

Tria alia argumenta contra eam explicationem.

13. *Tertio efficacèi argumento ostenditur, vocationem congruā ordinis naturalis non reteà dici gratiam.*

EX dictis formo tertium argumentum & efficacissimum contra eam explicationem; dici enim debet iuxta illā, possibile esse de facto hominem sine vlla gratia meteri de congruo per bona

Digitized by Google

bona opera gratiam iustificantē: id quod absurdum esse nemo negabit. Antecedens autem probo; vel enim loquimur in sententiâ, quam puto esse huius auctoris, quòd scilicet indiuiduatio effectus desumatur ab his numero circumstantijs temporis, subiecti, &c. & in hac res est clarissima; etenim si in hac circumstantiâ loci, &c. quando Petro occurrit occasio operandi benè, non potest nisi vnum auxilium aut vna vocatio à Deo dari; certè si (vt potest fieri in sententiâ, quâ Vasquez cum totâ nostrâ Societate defendit) Petrus præuisus sit per scientiam mediam pro suâ libertate responsurus ei auxilio, procul dubio illo posito operabitur: illud autem non potest in ea occasione dici gratia vllo modo, quia Deus, nisi faciendo miraculum contra naturæ exigentiam, non potest illud negare: quod autem ita Deus dat vt dare teneatur, non est vllo modo gratia: deberi verò illud auxilium inde patet, quia illi homini tunc debetur concursus generalis, auxilium aliquod, &c. aliud autem, quod non sit efficax, iam supponimus non esse tunc possibile in ea occasione, ergo debetur efficax: ergo tunc ille homo sine vlla prorsus Dei gratia faciet bonum opus naturale; cui in sententia Patris Vasquez debeantur auxilia supernaturalia; & per quod mereatur saltem de congruo iustificationem, remissionem peccatorum, &c.

Vrgetur in principijs ipsius Patris Vasquez:

14. Quòd si ideò dicatur cum probabiliori sententia, etiam in quacumque occasione esse possibilia indiuidua distincta, & varia auxilia, argumentor adhuc; nam in principiis Societatis circa scientiā mediā fieri potest saltem metaphysicè, vt omnibus auxiliis in hac occasione præuideatur homo ex sua libertate responsurus, ideóq; auxiliū nullum sit, quod nō sit de facto efficax: & licet moraliter implicet casus hic, sufficit tamen mihi, quod metaphysicè sit possibilis, ob dicenda statim: ergo non posset Deus tunc vllā illi homini gratiam facere, sed necessariò sine gratia vlla deberet illi dare auxilium aliquod efficax, per quod ille homo de facto operaretur benè; & quidē, vt dixi, nulla gratia in ea donatione intercederet, quia nulla esset electio efficacis præ inefficaci. iuxta principia verò huius auctoris tunc per tale opus naturale mereretur homo de cōgruo iustificationem, &c. hoc autem omnino repugnat etiā metaphysicè, quia talia opera non habent congruitatem seu proportionem cum eo præmio; ideóque paulò antè dixi pro meo intento satis esse, quòd ille casus sit metaphysicè possibilis non enim potest metaphysicè admitti possibilis: casus, in quo contingat id, quod etiam est metaphysicè impossibile; est autem metaphysicè impossibile per opera naturalia sine vlla planè gratia facta hominem mereri de congruo gratiam iustificantem, ergo.

vti & in aliorum principijs.

15. Quartò reiicitur manifestè ea explicatio argumento, quod benè P. Suarez tangit c. 7. & ego sic vrgeo, & magis declaro, quia tota ea gratia prædictæ cogitationis intra ordinem naturalem agnita fuit expressè à Pelagio & à Semipelagianis: id quod ostēdo diuersa via, qua superiùs vsus sum pro eodē intento: nam cùm premerentur, vt gratiam Christi fatererentur, statim recurrebant ad doctrinam & prædicationem; vbi non intelligebant procul dubio solam ipsam externam prædicationem perinde ac si in deserto aut coram lapidibus insensibilibus ea prædicatio facta esset; non enim in viros adeò doctos stultitia tanta cadere poterat: agebant ergo de prædicatione vt audita & percepta ab ipso homine, pro quo ea prædicatio dicebatur esse gratia: atqui ea prædicatio vt audita & percepta est formaliter ipsa cogitatio naturalis, quam ponit hic auctor; nam si ego dico homini docto intelligenti, *Aduertas tempus vitæ esse incertum, ne diutiùs differas agere pœnitentiā de peccatis*; vel, *Ecce hic pauper summè indiget tuâ ope, da illi eleemosynam*: procul dubio hæc verba audita & percepta causant in eo homine cogitationem sanctam, vel (vt meliùs dicam) sunt ipsa sancta cogitatio naturalis: non enim debemus considerare, neq; ipse P. Vasquez id considerat, Deum miraculosè per seipsum excitare cogitationes sanctas naturales, de quibus hîc agimus, alioquin iam independenter etiam ab operatione secutâ illæ essent miraculosæ; quod nullo modo est ad rem præsentem; & verò superfluè planè ponerētur, cùm illę aliæ naturales sufficiant: deniq;, cùm illa prædicatio seu sancta cogitatio à Deo conferatur eo tēpore quo habitura erat effectum: id enim ab ipsis hæreticis iam supponebatur; quandoquidem actu supponebant eum hominē operari benè, procul dubio supponebant gratiam Dei in eâ cogitatione congruâ, non aliter quàm explicetur in sententiâ, quam impugno.

Quarto argumento Patris Suarez impugnatur suprà posita explicatio gratiæ.

Hæretici non negabāt gratiam hoc modo explicatā.

16. Forrasse quis responderet, non concessisse Semipelagianos eam cogitationem esse immediatè liberaliter à Deo concessam, seu esse gratiā Dei. Sed contrà Primò, quia vt sit gratia Dei sufficit, quòd liberaliter præparetur causa eius cogitationis; hac enim solâ ratione Vasquez ipse explicat, quomodo opus bonū sit gratia, quòd scilicet eius causa gratis à Deo detur, vocatio nimirum, seu sancta cogitatio; ergo si Semipelagiani concesserē, gratis dari eam sanctam cogitationem; quia gratis à Deo concedebatur doctrina & prædicatio, ex qua necessariò videbatur secutura cogitatio; concesserē quidquid ad veram gratiam requirit hic auctor. Contrà Secundò, cùm dicta cogitatio naturalis excitetur necessariò in audiente; diximus enim eam prædicationem fieri respectu hominis, qui eam percipere potest hîc & nunc; sanè nemo potest eam dicere esse immediatè liberam, sed solùm in causis secundis, per quas Deus tales cogitationes excitat; quia (vt superiùs ostendi) non operatur ipse miraculosè tunc, sed naturalissimè; ergo gratia, de qua Patres, non est hæc cogitatio naturalis.

Causa boni operis data ex Dei liberalitate.

Cogitatio sācta naturalis necessariò & naturalissimè excitatur in audiente.

17. Quintò argumentor efficacissimè, semper vtēdo doctrina Societatis circa efficaciam gratiæ, licet in rigore argumentum hoc sit etiam ab ipsa independens; nam omnes admittunt etiam præter auxilium, quod actu habet effectum, dari posse auxilium sufficiens: sic igitur discurro, Quando Augustinus loquitur de gratia (idem est de Conciliis omnibus ac sacra Scripturâ) non solùm dicit, sine Dei gratia nullum bonum opus fieri de facto, sed nec posse sine illa fieri; sed Deum dare & fieri & posse, iuxta illud Apostoli 1. Corinth. 12. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*; & illud Christi Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me*, &c. Plena est Scriptura, Concilia, & Augustinus, &c. talibus propositionibus, neque vmquam inuenietur vel minimus locus in Augustino aut Conciliis, vbi dicatur, *Sine gratia Dei posse fieri viribus liberi arbitrij bona opera ad salutem, de facto tamen non fieri sine illa*: atqui in explicatione, quam impugno, auxilium inefficax, sufficiens tamen, & verò ita sufficiens, vt

Quinto argumento impugnatur explicatio gratiæ cōtra P. Vasquez.

Auxilium naturale sufficiens dat simpliciter posse.

Digitized by Google

omnino potuerit habere effectum, & quidé pro solâ libertate voluntatis creatæ, nullâ in eo auxilio factâ mutatione;illud,inquam,dat simpliciter & absolutè ac perfectissimè posse benè operari, ita vt illi homini nihil penitus desit de ipsâ potentiâ,sed solus actus secundus,seu sola ipsa operatio; ergo gratia,quam Patres requirunt,non est vllo prorsus modo auxilium illud naturale efficax vt condistinctum ab inefficaci, quandoquidem illa gratia debet esse talis, vt sine illâ nõ sint vires ad benè operandum:iam autem ostendi manifestè, sine hac,quam Vasquez ponit,esse tantas vires, quantas cum illo. Et sanè, si hoc solùm argumentum benè ponderetur, sufficiẽtissimum est ad ostendendum, non benè ad punctũ gratiæ requisitæ à Patribus applicari eam distinctionẽ auxilij naturalis habentis effectum, & naturalis non habentis: ostenditur item manifestè ex dictis,hunc auctorem contra communem sententiam,admittentem aliqua opera bona naturalia sine gratiâ Christi,minùs benè vti testimonijs eis, quia hæc, si quidquam probant, certè etiam contra ipsum Vasquez; qui licet neget fieri actu talia opera sine gratiâ, non tamen negat,nec potest negare,ob rationem datam,posse saltem sine ea gratia fieri; quod tamen Augustinus omnino negat;vt enim docet actu non fieri,ita docet,nec posse sine gratia fieri.

Non rectè hic recurritur ad distinctionem auxilij naturalis habentis effectum,& nõ habentis.

SECTIO IV.

Vltima eius explicationis impugnatio,

18. *Vltimo efficaci argumento impugnatur præcedens explicatio gratiæ.*

SEXTÒ & vltimò efficacissimè sic argumentor,& quæro in statu ipso conditionali, antequam decernat Deus absolutè concedere hæc aut illa auxilia efficacia aut inefficacia,an videat idẽ Deus hominem conceptũ in peccato seu existentem in pura natura (nam, vt inferiùs dicam, duo hi status quoad vires operatiuas idem omnino sunt) omnibus auxilijs, quæ ei darentur, repugnaturum, ita vt cum nullo præuideatur operaturus,an verò videat eum aliquibus consensurum,aliquibus verò repugnaturum;hoc modò: *Si hominibus conceptis in peccato dedero in hac & illâ & illâ occasione auxilia naturalia ad benè operandum, numquam vllus in vllâ occasione operabitur benè:* vel hoc modo: *Aliqui operabuntur aliquando benè, aliqui verò non.* Si dicatur hoc secundum, habeo intentum,scilicet, etiam per auxilia non præuisa,vt data per gratiam Christi,vt non præuidentur in eo statu conditionali, aliquos tamen de facto operaturos benè, & consequenter habituros auxilium efficax vt condistinctum ab inefficaci:quòd si ideò dicatur primum, facilè etiam reiicietur; nam cùm ea auxilia sint sufficientia, & homines non præsupponantur oppressi graui vlla tentatione,quæ egeat fortiori auxilio ad sui victoriam, aut aliquo alio impedimento, quod egeat maioribus viribus, retardati, vt expressè ipse P.Vasquez fatetur;qui non ponit in his qui actu respondent vllum speciale auxilium in sua entitate, sed illud, quod ex sola denominatione futuri effectus dicitur efficax;cùm, inquam,hæc ita sint,repugnat,in statu conditionato, antequam fiat à Deo selectio vlla inter auxilia efficacia & inefficacia,præuideri omnes homines cum omnibus illis auxiliis in omnibus omnino occasionibus malè vsuros, & nec quidem cum vllo benè.

Status conditionatus antequam Deus discernat auxilia efficax ab inefficaci.

19. Simili argumento vsus sum secundo Tomo ad probandum,necessitatem moralem,quam habent damnati ad non operandum benè moraliter, non posse desumi præcisè ex eo, quòd Deus eis deneget auxilia efficacia; nam in statu conditionato,antequam Deus faciat distinctionem inter auxilia, si vidit omnes homines damnatos, casu quo habeant auxilia generalia, malè vsuros, non potest illa vniuersalis omnium resistentia in solam eorum voluntatem reiici: quomodo enim inter infinitos, & in infinitis occasionibus nemo illorum vmquã videtur benè operaturus, si omnes sint omnino completi ad benè operandum; neque quidquã graue præsupponatur, quod eos saltem moraliter impediat: quòd si aliqui videntur benè operaturi,certè,posito in statu absoluto illo statu conditionali,non sequeretur vllum absurdum: iam autem eo ipso ponerentur multa bona opera in damnatis; quod reputatur ab omnibus absurdum; vnde eo loco concluſi, si è contrario in nullo ex damnatis videtur bonum opus de facto, & in nulla omnino occasione, debere necessariò poni aliquam necessitatem aut impossibilitatem antecedentem seu præuiam, & quæ non desumatur ex sola ipsa futuritione operationis, seu ex sola inefficacia auxilii, prout hæc explicatur in nostra Societate, & desumitur à nõ futuritione operationis. Hoc argumentum, vt vidimus, vrget hîc contra opinionẽ Patris Vasquez; nam si omnes homines cum auxiliis naturalibus datis ex generali prouidentia præuidentur per scientiam mediam malè vsuri, videtur necessarium omnino id reducendum nõ in casualem vsum libertatis, sed in difficultatem aliquam antecedentem non desumptã ex operatione,sed talem,quæ cogat moraliter ad certò nõ operandum. Quòd si aliqui tunc videntur in eo statu vsuri benè sua libertate, ergo saltẽ in statu conditionali videntur sine gratia vlla benè vsuri; & consequenter videtur futurum opus meritoriũ sine gratia;in eo autẽ sic futuro erunt omnia absurda, quæ Vasquez infert de facto cõtra admittentes aliquod opus bonum sine gratia; habent enim ea argumenta vim non tam ex conceptu status præsentis,quàm ex communi conceptu status hominis sine gratia. Quæ ratio sine dubio habet locum in eo statu conditionato, qui, vt sic præuisus, potest re ipsa existere absque vllo inconuenienti.

Eodem argumento probatum fuit suo loco, in damnatis dari impotentiam moralem ad benè operandum moraliter.

Quomodo id argumentum hic vrgeat contra Vasquez.

20. *Responsio cõtra nostrum argumentũ.*

Fortè respondebis, videri quidẽ auxilia aliqua in eo statu conditionato efficacia, etiãsi non videantur data per Christum,Deũ tamen non voluisse illa dare in statu absoluto, nisi ex meritis Christi;non quia,si eadẽ dedisset,sine eis meritis non forent efficacia,sed quia voluit Christi meritis hunc fauorem præstare. Quæ solutio potest inde persuaderi, quòd homo per peccatum amiserit ius, vt sibi detur aliquod auxilium efficax; Christus autem redemerit illud ius.

Confirmatur

Sed contrà Primò, quia adhuc manet in tota sua vi argumentum: etenim saltem in statu conditionato, in quo non præuidetur gratia vlla per Christum, sed præcisè, quòd si homini peccatori ex generali prouidẽtia Deus dederit auxilia naturalia, multi ex illis operabuntur benè, & consequenter habebunt meritum congruum gratiæ supernaturalis per opera purè naturalia facta sine vlla gratia in eo, inquam, habet locum obiectio, quia id ipsum est maximum inconueniens, quòd scilicet à Deo videatur status vllus possibilis, in quo sine vlla omnino gratia per naturalia opera detur meritum congruum

Responsio illa vt inefficax reijcitur.

gratiæ

Digitized by Google

gratiæ iustificantis; omnes enim Patres & Concilia supponunt id esse omnino impossibile, & ex eâ impossibilitate necessitatem redemptotis vel fauoris specialis diuini intuleruntur.

Contrà Secundò, quia si semel admittatur, etiam supposito peccato, esse posse ea auxilia efficacia, certè sine vllo fundamento dicitur Deum decreuisse nulla talia concedere, nisi ex meritis Christi: vt enim Christus in huius auctoris sententiâ non promeruit nobis per se valetudinem, integritatem membrorum, ceteráque dona naturalia, ita nec promeruit ea auxilia efficacia; quia (vt infrà dicam) opera naturalia, ad quæ ea auxilia dantur, sunt planè impertinentia ad finem supernaturalem, non minùs quàm diuitiæ, valetudo, &c. quòd si tamen adhuc diceremus talia opera esse vtilia ad eum finem, tunc non magis deberemus fateri Christum promeruisse auxilia efficacia quàm etiam sufficientia, quia per Christum non solùm habemus de facto salutem, sed & posse salutem obtinere; ipse enim dat actu operari, & posse operari, vt suprà in quarto argumento fusiùs ostendi. Ad confirmationem dico, Deum, non negasse nobis omnia quę amiseramus per peccatum, alioquin cùm per peccatum simus promeriti statim post conceptionem in illo mori, & consequenter carere non solùm auxiliis efficacibus, sed etiam inefficacibus, vsu sensuum, natiuitate, &c. omnia ista deberent dici concessa per Christum; quod tamen hic auctor non admittit.

Deus non negauit nobis omnia quæ per peccatum amiseramus.

21. *Statuitur tandem, quomodo rectè sumatur & explicetur vox gratia per Christū.*

Ex his omnibus concludo vocem *gratia per Christum*, vt se teneat ex parte auxiliorum ad benè operandum necessariorum, non posse coarctari ad auxilia congrua, vt præcisè condistincta ab inefficacibus; quæ doctrina valdè necessaria est pro dicendis infrà contra multorum sententiam; sed vel debere vsurpari pro auxilio gratię in entitate supernaturali, vel certè quoad modũ, quatenus fortius efficaciúsque in se est, quàm soleant esse quæ naturaliter dantur; & de his solis quærendum est, an & quomodo sint necessaria in homine ad benè moraliter operandum, etiam intra ordinem naturæ; quod, vt dixi, probabimus disputationibus sequentibus.

Sectio V.

De varijs statibus naturæ humanæ in ordine ad necessitatem gratiæ.

22. *Necessitas intelligẽdi varios status naturæ humanæ.*

Explicatio horum statuum necessaria est ad benè decidendas eas quæstiones, quæ inter Scholasticos agitantur; ideò eã debuimus hoc loco præmittere: de his statibus disputant communiter Theologi in præsenti, fusissimè verò P. Suarez toto prolegomento quarto, summatim verò P. Tannerus q. 1. dub. 1. à num. 13. & Turrianus disp. 2. res tamen ex parte est de voce, ex parte verò non magni momenti, etsi ad vlteriùs tradenda necessaria sit, vt dixi, eius explicatio; ideò breuissimè illam expedio.

Subsectio I.

Quot & quales sint hi status.

Eleuatio hominis ad visionem beatã est specialis gratia Dei:

Prius verò suppono contra Michaëlem Baium art. 26. in Bullâ contra ipsum, non esse debitum naturæ humanæ creari cum ordine ad visionem beatam, & cum eâ integritate & innocentiâ, in quâ Adamus fuit conditus, sed hanc eleuationem ad eum finem esse speciale Dei beneficium, & gratiam. Quæ veritas fundamentum est omnium eorum quæ contra Pelagium Ecclesia docet; nam si ea eleuatio esset debita & connaturalis homini, consequenter media ad illum finem essent connaturalia, ac proinde meritò dixisset Pelagius, per naturales vires posse hominẽ consequi suam beatitudinem; vnde constat è contrario naturaliter potuisse, imò & debuisse hominem sine eâ eleuatione creari, esto de facto Deus, ordinem naturæ non attendendo, creauerit illum ad vitam æternam, in visione aut etiam amore supernaturali Dei consistentem.

quæ veritas est basis omnium dogmatum Ecclesiæ contra Pelagium.

Naturaliter debuit homo creari non ad finem tã sublimem.

Hoc posito, quatuor solent assignari status, in quibus natura humana considerari potest: vnus est ille, quẽ de facto habuit in Adamo ante peccatum: secundus, quẽ habuit post peccatum, antequam intelligeretur habiturus Redemptorem: tertius quem habemus supposito Redemptore: & quartus, quem haberet homo, si solùm creatus fuisset in suâ naturali perfectione, sine vllâ eleuatione ad finem supernaturalem, ac sine vllâ subiectione appetitus. Vbi obiter aduerto, à Durando apud Patrem Suarez suprà cap. 2. eum statum vocari naturæ integrę, id quod ad vocem spectat: si enim ideò naturam dicat integram, quia illa esset secundùm sua naturalia perfecta, meritò ita eam vocat; si verò nomine naturæ integræ intelligat id quod communiter Doctores intelligunt, nempe subiectionem appetitus & immortalitatem, sanè non posset vllo modo ea natura dici integra; neque Durandus in hoc, sed in primo sensu locutus est: fortè de re in hoc errauit, quòd putauerit, talem hominem sic creatum posse seruare omnem legem, & resistere omni tentationi: sed de hoc paulò pòst, vbi ostendemus, quoad vires operatiuas talem statum non differre à statu naturæ lapsæ.

23. *Quatuor status naturæ humanæ.*

Quid nomine status naturæ integræ intelligendũ.

Præter hos status quasi præcipuos, possunt aliqui alij considerari auferendo aliquid ex enumeratis, aut è contrario aliquid addendo: si enim homo lapsus ita fuisset reparatus, vt restitutus planè fuisset ad integritatem & sanctitatem, quam habuit Adam ante peccatum, dici posset quintus status; hic tamen in se, & secundùm ea, ex quibus actu componeretur, non esset à primo distinctus, sed solùm per denominationem extrinsecam, quòd in hoc statu præcessisset peccatum, in altero verò nullum. Posset etiam considerari homo creatus sine eleuatione, deinde peccare; & vt sic fieret sextus status, qui à secundo suprà posito non differret, nisi quia in secundo supponebatur cecidisse è gratia, in hoc verò sexto tantùm ex naturali innocentia; & quia iustitiæ originalis status continebat tum eleuationem ad gloriam, tum actualem sanctitatem, tum passionum subiectionem & dominium in appetitum inferiorem; quæ tria inter se diuersa sunt; nam potuit homo creari ad gloriam, etiamsi non fuisset illi statim data gratia, nec subiectæ passiones: potuerunt item hæ subijci, & homo non ordinari ad gloriam: potuit item creari in gratia, non subiectis passionibus; ideò possunt ex illo primo statu diuiso per partes fieri alij tres, rursus ex aliis tribus partibus assumendo duas, vna relicta, excogitaretur quartus ex nouis statibus, qui iam facerent octo vel decem status. Verùm omnes hæ diuisiones sunt parui momenti ad intentum nostrum; & ex mala intelligentia huius diuisionis, aliqui auctores seriò inter se de numero

24. *Considerari possent quinque status naturæ humanæ;*

& sextus.

Rursus ex varia statuũ combinatione possunt formari plures status.

Digitized by Google

eorum statuum disputant, cùm explicatis terminis nulla possit esse difficultas.

Subsectio II.

Aliquæ comparationes eorum statuum inter se.

25. Circa eos status possunt fieri variæ comparationes in ordine ad vires operativas boni; in quonam maiores aut minores sint. Omitto autem disputationem, de qua fusè hîc P. Suarez cap. 3. quid scilicet addat status iustitiæ originalis supra statum puræ naturæ: etenim si iustitia originalis sumatur pro sola carentia culpæ, sic duo illi status idem sunt; si verò iustitia originalis accipiatur pro positiva sanctitate, subiectione appetitus, &c. prout in Adamo fuit; iam est à nobis paulò antè tota ea differentia explicata: quæ autem dona status is innocentiæ inclusserit de facto, fusè explicatum est à me Tomo 2. dum egi de Opere sex dierum, vbi specialem disputationem de eo statu tradidi; neque in præsenti necessum est quidquam eorum repetere: ibidem etiam explicui, in quo originalis iustitiæ status differat à statu gratiæ, quem nũc habemus: de quâ re P. Suarez fusè cap. 4. 5. & 6. Res est facilis; nam in eo statu non erat rebellio appetitus, neque præcesserat culpa, prout in hoc; neque erat debitum mortis corporalis. Neque item disputo, vtrùm in hoc statu naturæ lapsæ homo habeat libertatem ad operandum; etenim de hoc puncto egi in materiâ de actibus humanis contra hæreticos huius temporis. Vide hîc, si placet, Patrem Suarez toto cap. 7. Res est satis ipsâ experientiâ omnibus nota, nec longam exigens disputationem.

Status iustitiæ originalis confertur cũ statu puræ naturæ.

Status iustitiæ originalis cum statu gratiæ.

26. Illud ergo in præsenti propriè discutiendum, vtrùm homo per peccatum sit factus debilior ad benè operandum, & procliuior ad peccandum, quàm esset, si creatus fuisset in purâ naturâ sine gratia & sine vllo peccato, solùm cum his perfectionibus, quas natura ipsa exigit. Affirmat Gregorius in 2. dist. 30. q. 1. art. 2. ad 3. Cuius fundamentum est, quia communiter dicitur homo per peccatum amisisse gratuita & vulneratus in naturalibus. Ita Ambrosius lib. 7. in Lucam, Augustinus lib. de Natura & gratia cap. 7. Beda c. 10. Lucæ. Non potest autem vulnus in naturalibus hoc aliud esse, quàm ea maior debilitas ad bonum, & inclinatio maior ad malum: rationem autem à priori, vnde ea proueniat, assignant nonnulli qualitatem quamdam morbidam, quam ex peccato originali, imò & ex quolibet actuali produci censent in anima; illi enim tribuunt vim ad causandos similes effectus: & ad hoc propositum induci potest Concilium Arausicanum & Tridentinum, dum docent, hominem per peccatum fuisse secundùm animam & corpus in deterius mutatum: confirmarique id potest; nam omne peccatum auertit hominem à Deo, non solùm vt finis est supernaturalis, sed etiam vt naturalis; ergo tollit inclinationem naturalem in bonum naturale, & auget in malum siue in peccatum. Contraria tamen sententia communis est inter omnes ferè Scholasticos, quos recensere superfluum est; vnde communiter recipitur illa comparatio Caietani horum duorum statuum cum homine nudo & spoliato ab alijs, aut se exuente: nam quoad punctum nuditatis, seu nihil habendi, ambo sunt omnino pares, ideóque possumus dicere quoad vires resistendi frigori, pugnandi, currendi, &c. æquales esse; differunt ergo in eo, quòd nudus ex conceptu suo non dicit anteà se habuisse vestes vllas, at spoliatus vel exutus dicit se priùs illas habuisse; hoc tamen solum est denominatio extrinseca à vestibus prioribus sumpta, nihil in eo homine de præsenti causans: ita homo in statu naturæ lapsæ consideratur vt spoliatus & exutus, in pura verò vt nudus; interea tamen in vtroque statu intrinseca omnia sunt eadem. Id quod facilè potest suaderi ex his, quæ agentes tum de statu innocentiæ, tum de constitutiuo peccati habitualis diximus duobus præcedentibus Tomis; & breuiter sic declaro; nam si ad rebellionem appetitus attendamus, certum est eam esse homini naturalem: consistit enim in eo, quòd appetitus excitatus ab obiecto naturæ delectabili illud appetat, non attendendo, an sit honestum nec ne; per eum autem actum vehementer attrahitur voluntas ad idem obiectum appetendum actu libero & peccaminoso: atqui totum hoc est homini naturale, quia quidquid per intellectum cognoscitur, prius naturaliter debet intrare per sensus, & consequenter priùs debet sensus communis, & per hunc appetitus determinari. Quòd autem in statu innocentiæ fuerit impeditus, ne præueniret & attraheret voluntatem, fuit à Deo miraculosè dispositum eo modo quo agentes de prædicto statu innocentiæ declarauimus; ergo ex hoc capite nulla est differentia inter statum naturæ lapsæ & statum naturæ puræ, secundùm ea quæ ex se habet sine eleuatione vlla ad alterum finem. Si verò consideremus ipsum peccatum, manifestè apparet, per illud nullam factam mutationem physicam; nam peccatum habituale (vt fusè ostendi Tomo 3.) nihil est aliud physicè, quàm denominatio physicè extrinseca, moraliter verò intrinseca ex peccato præcedenti, & ex non-condonatione Dei; si vis, adde etiam priuationem gratiæ de quo fusè ibidem. At ea denominatio extrinseca & carentia condonationis nihil planè ponunt physicum in homine, quod posset illum inclinare ad obiectum malum. Denique neque ipsa carentia gratiæ quidquam physicum efficit; nam gratia ipsa fortè per se non inclinat ad bonum, sed mortuo modo sanctificat animam: quòd si talem effectum præstaret, cùm etiam in statu puræ naturæ non esset ea gratia in homine, non esset etiam ex hoc capite maior tunc inclinatio ad bonum; quòd item in eo statu non diceretur homo priuatus gratiâ, nunc verò dicatur, est omnino per accidens ad rem physicam præsentem; nam ea ipsa denominatio priuationis est quid extrinsecum ex eo, quòd ad gratiam habendam à Deo fuerit homo eleuatus; quæ eleuatio nullas physicas vires naturales homini addit; ergo non potest ex eo peccato vlla esse maior inclinatio.

Sitne homo per peccatum debilior quàm in puræ naturæ. Greg. vim affirmat.

Qualitas morbida peccato inducta.

Sententia negans est receptissima.

Homo nudus & nudatus ab alio æquè nihil habent; differũt solũ extrinsecâ denominatione.

Rebellio appetitus hominis in vtroque statu naturali.

27. *In statu innocentiæ miraculosè fauore fuit impedita rebellio appetitus.*

Peccatum nũ mutauit physicè naturam humanam.

28. Dices Primò, Relinquitur saltem ex peccato habitus inclinãs ad actus similes his, à quibus est productus; ergo erit maior inclinatio ad peccatũ quàm in purâ naturâ, vbi non præcessit actus malus. Respondeo concedendo aliquando hanc inclinationem maiorem, quã non negauimus hucusque; egimus enim solùm de inclinatione aliâ naturali ab ipso habitu distinctâ. Circa quod Primò aduerte, cùm infantes non commiserint vllũ peccatum proprium actuale, in eis non esse eam inclinationem per modum habitus, etiamsi sint in statu naturæ lapsæ; ergo ea inclinatio maior non est vniuersalis, & pro statu naturæ lapsæ.

Etsi homo post peccatũ sentiat maiorem inclinationẽ, ea tamen non est per se annexa statui naturæ lapsæ.

Secundò

Secundò aduerte, posse hominem, qui semel peccauit, manere habitualiter in statu naturæ lapsæ, & tamen eam etiam inclinationem, quam acquisiuit per habitum, omnino amittere; vel quia fuit tam leuis ex solo vno actu, vt per se perierit otio; vel quia per actus naturales contrarios, non tamen sufficientes ad iustificationē, destruxit eum habitū, ideóq; adhuc sine eâ inclinatione manet in statu naturę lapsæ; ergo nec quidē ea inclinatio est per se annexa naturæ lapsæ etiam quà tali.

Dices Secundò, Deus in pœnam peccati permittit eam maiorem inclinationem. Respondeo, in multorum sententia fortè id repugnare, quia non potest Deus id præstare nisi infundendo habitum vtiosum, quem à Deo infundi multi censent omnino repugnare. Verùm, quidquid de hoc puncto sit, quod alibi expediui, respondeo, Deum de facto non infligere talem pœnam, neque in nobis esse physicum aliquod per peccatum superadditum, vltra id quod ex se habet natura, quódque possit talem effectum præstare.

Deus in pœnam peccati non infligit physicam inclinationem peccato superadditam.

29. Fortè dices Tertiò, Saltem extrinsecè ex minori prouidentia externa Dei circa hominem potest esse in statu naturæ lapsæ maior occasio peccandi. Respondeo, Deum quidem meritò potuisse eo modo hominem punire; & verò de facto circa damnatos eam minorem habet prouidentiam, vnde illi quodammodò moraliter sunt ad peccandum determinati; addo tamen nullatenus constare, eum in hoc ordine rerum speciale aliquod permittere, imò cùm non obstante peccato manserit in nobis eleuatio ad finem supernaturalem, fidei instructio, pollicitatio per præmia, &c. longè maior est de facto commoditas ad benè operandum moraliter etiam intra ordinem naturæ, quàm si homo nullo modo esse eleuatus ad finem supernaturalem, sed relictus suæ naturæ, esto adhuc tunc non haberet peccatum.

Neque Deus de facto in pœnam peccati imminuit suauem suam prouidentiam circa naturam humanam.

30. Dices Quartò, Homo per peccatum incurrit seruitutem diaboli, vt Patres & Concilia communiter docent; ergo saltem ratione tentationū ab ipso dæmone excitatarum erit magis debilis ad bonum & pronior ad malum. Respondeo Primò, totum hoc esse per accidens in ordine ad statum naturæ lapsæ; tum quia natura lapsa poterat esse, licet vel Angeli non fuissent creati, vel nullus ex eis peccasset, vel non fuissent permissi tentare homines; tum quia è contrario, etiamsi homo non peccasset, sed in purâ naturâ creatus fuisset, poterant etiam tunc Angeli peccare, & eodem modo tentare homines quo iam. Respondeo Secundò, de facto ad compensandas dæmonis tentationes è contrario esse à Deo constitutum cuilibet homini suum Angelum Custodem; Tertiò, quia propterea ex meritis Christi datur de facto homini maius adiutorium gratiæ, quàm daretur in pura natura; hoc autē adiutoriū non solùm valet ad benè operandum supernaturaliter, sed etiam ad operationes naturales; nam quando quis potest elicere actum v. g. eleēmosynæ supernaturalis, etiam potest & naturalis. Quartò denique respondeo, concedendo fortè ex hac tentatione dæmonis aliquam maiorem esse difficultatem nunc, quàm foret in purâ naturâ, & in hoc solo sensu admitti posse sententiam Gregorij superiùs tractatam.

Tentationes dæmoniū per accidens faciunt hominem lapsum proniorem in malum quàm fuisset in purâ naturâ.

Custodia boni Angeli data contra diabolum tentātem: item maius adiutoriū gratia per Christum.

31. Obserue circa hoc, à quibusdam recentioribus distingui naturam ipsam lapsam in eam, quæ de facto est cum reparatore (& vt sic concedunt easdem esse in eâ vires quæ forent in natura pura) & in naturam lapsam sine reparatore in qua dicunt non futuras easdem vires, quæ essent in natura pura: rationem differentiæ reddunt, quia in natura pura necessariò forent vires morales ad seruandam totam legem, vt homo posset suum naturalem finem seu beatitudinem consequi; in natura autem lapsa non reparata non essent tales vires. Ego in hoc puncto iudico planè diuinari; nam esto in natura lapsa homo per peccatum mortale promeritus esset carere auxiliis ad seruandam totam legem, incertum tamen valdè est, quid Deus tunc esset facturus; sicut etiam incertum est, an in lege pura naturæ daturus esset eas vires, quas hi recentiores putant. Quod enim de beatitudine naturali dicitur non valdè vrget, tum quia etiam in natura lapsa, si relinquit Deus homines in statu viæ, & non eleuat ad visionem beatam, videtur eos debere destinare ad finem aliquem naturalem, & consequenter debere eis dare vires, vt aliquam pœnitentiam saltem naturalem agant, ob quam Deus illis condonet peccatum, &c. alioquin relinqueret eos tantùm eo fine in via, vt grauiores pœnas promererentur sine auxilio vllo sufficienti, vt resipiscerent; quòd videtur esse contra conceptum viæ, & diuinæ misericordiæ aliquantulùm repugnare.

Distinguunt aliqui naturam lapsam reparatam à nō reparatâ.

Diuinatione opus in hac re nobis incertâ.

Replicabis, Ergo esset status naturæ reparatæ: Respondeo cum distinctione, reparatæ, vt iam est, nego; reparatæ intra ordinem ipsum naturæ, libenter admitto. Constet igitur, secundùm ea quæ in se includunt, non distingui duos eos status hominis lapsi, & hominis in pura natura producti.

Iam ergo nunc oportet explicare, quo sensu dicatur homo vulneratus in naturalibus. Nonnulli dicunt, remerà hominem fuisse in naturalibus vulneratum, quia natura fuit facta mortalis, &c. Hæc explicatio non placet, quia vulnus illud non est alio modo formaliter inflictum quàm priuatione gratuitorum: at Patres dicunt, præter priuationem gratuitorum, causatum esse vulnus illud; ergo debemus vulnus inuenire, quod non cōsistat formaliter in ipsa gratuitorum ablatione. Meliùs ergo respondetur, ideò hominem dici in naturalibus vulnerarum, quia ex peccato acquirit malam inclinationem peccandi, quam consuetudo ipsa solet afferre; nam licet hæc non sit in omnibus, vt diximus, est tamen valdè communis: quod sufficit, vt dicatur homo vulneratus in naturalibus. Et hæc circa præcipuam comparationem status naturæ puræ & lapsæ.

32. *Vulnus in naturalibus non est tantùm priuatio gratuitorum donorum homini ante lapsum concessorum.*

Mala consuetudo peccandi dedit vulnus malæ inclinationis.

Svbsectio. III.

Alia comparationes eorundem statuum.

33. Aliæ duæ comparationes fieri possunt, quæ facilè ex dictis intelligētur: vna est naturæ lapsæ, seu puræ non reparatæ, cum eadem natura lapsa, reparata tamen: circa quam dico, certum esse in reparata dari maiores vires ad benè operandum, quia dantur auxilia gratiæ; & intra ordinem ipsum naturæ multa beneficia conceduntur, ob Christi merita, quæ iuuant ad benè operandum, qúæq; in statu naturæ puræ non concederentur, per se loquendo. Dico *per se*, quia cùm nulla esset eleuatio ad finem supernaturalem, non teneretur Deus prouidere hominibus de mediis ad illam obtinendam; vtrùm autem hoc non obstante ipse ex sua liberalitate daturus esset aliqua specialia auxilia intra ordinem naturæ, & qualia illa essent futura, nobis planè incertum est, & pro intento nostro de necessitate gratiæ in

In natura lapsa reparata dantur maiores vires ad opera bona quàm essent in natura pura non reparatâ.

Digitized by Google

hoc ordine rerum omnino impertinens; ideò non est de ea re gratis diuinandum.

Vltima comparatio est inter statum præsentem naturæ lapsæ & inter statum naturæ integræ, seu innocentiæ, prout fuit in Adamo: in quâ Primò certum est, si loquamur de actibus supernaturalibus, in vtroq; statu naturam esse ex se impotentem, & indigere auxilio gratiæ æqualiter planè, eò quod actus illi ex se & essentialiter sunt supernaturales in substantiâ, subiectio autem appetitus cæteráque dona intra ordinem naturæ non faciunt supernaturale principium: verum quidem est, ea iuuare ad hoc, vt voluntas completa principio supernaturali possit faciliùs se determinare ad operandum quàm iam; quoad potentiam verò simpliciter operandi æqualis semper indigentia in vtroque statu reperitur. Secundò etiam certum videtur, circa actus ipsos naturales maiores vires fuisse in statu innocentiæ quàm in statu lapsæ: tum quia appetitu omnino subiecto rationi tentationes fuissent valdè leues, & consequenter diminutâ difficultate, quæ in amplectendo obiecto honesto nunc reperitur, facilius circa illud versata fuisset voluntas; sicut idem homo in se immutatus faciliùs poterit trahere onus aliquod, quando nemo resistit, quàm si alij illum impediant: tum quia, ob meliorem corporis dispositionem, cognitio boni moralis dirigens hominem ad illud amplectendum fuisset longè viuacior, ac fortior, ac proinde magis facilitasset.

Status naturæ lapsæ & integræ æquales habent impotentiam ad actus supernaturales.

Natura integra ad actus naturales maiores vires habuit quàm natura lapsa.

34. Dices, solùm id habere locum in materiâ delectabili seu appetitus sensitiui, at in materia honoris & superbiæ, quæ non pertinent ad appetitum, posset esse tunc tanta difficultas, quanta nũc, imò maior fortè; quia quò maiora essent dona, maior esset superbiendi occasio? vnde haud defuêre auctores, qui dixerint, in eo statu futura plura peccata quàm iam sint; non quòd voluerint docere, simul statum innocentiæ & ea peccata coniungenda: status enim ille repugnat non solùm multis, sed etiam vni soli peccato mortali: loquuntur ergo de eo statu, vt includebat subiectionem appetitus & alia dona naturalia, quæ permanere poterant ex se cum omni peccato mortali; & (vt diximus secundo Tomo) probabiliter permansissent, si in materia alia, non in ligno scientiæ boni & mali, peccasset Adamus. Respondeo Primò, experientia ipsa manifestum esse, etiam in ordine ad eos appetitus gloriæ & superbiæ (qui tamen non videntur ad corpus pertinere) ipsam corporis dispositionem valdè iuuare; vnde videmus aliquos statim ab infantia ex se ad eam gloriam appetendam quasi efformatos, alios è contrario nihil penitus eam curantes: id quòd in integris nationibus cernitur; vna enim præ alia videtur esse honoris appetens; ergo ad hunc ipsum affectũ valdè conducit corporis dispositio; ergo cùm in eo statu esset futura optima complexio, maximéque abhortens ab omni malâ inclinatione, probabilius est etiam in hunc affectum superbiæ homines tunc non fuisse habituros tantam propensionem, quantam multi de facto. Secundò respondeo, etiamsi ex eo capite aliqua esset maior difficultas, quia tamen simul cognitio naturalis de Deo, & de inanitate vanæ gloriæ ac propriæ imbecillitatis, & quòd omnia essent à Deo accepta, esset longè intensior & clarior, faciliùs homo tunc potuisset eiusmodi inordinatos affectus compescere; vnde, quod ex aliquibus auctoribus dicitur, futura in eo statu longè maiora & plura peccata, mihi videtur improbabile: sed de hoc suo loco actum est. Et hæc de statibus & eorum comparatione sufficiant; iam ad necessitatem gratiæ in hoc nostro statu explicandam descendamus.

Ea maior facilitas naturæ innocentiæ non solùm in materia delectabili, sed in quacumq; alia fuit.

Dispositio corporis multùm facit ad appetitus superbiæ.

Vnde reprimi potuerit appetitus gloriæ in statu innocentiæ.

Disputatio XXXVII.

De viribus naturæ humanæ ad cognoscendum verum.

NOn agimus de viribus necessariis ad habendos actus intellectus supernaturales; supponimus enim vt omnino certum ex materia de supernaturalitate, necessaria esse ad eos actus auxilia aliqua supernaturalia intrinsecè complentia intellectum, vel saltem extrinsecam Dei eleuationem supernaturalem supplentem eiusmodi defectum. Igitur quæstio tota versatur circa cognitiones naturales, siue iam illæ habeant pro obiecto rem naturalem, siue supernaturalem: vt enim ostendam Tomo quinto disput. 13. etiam circa obiectum supernaturale versari potest actus naturalis, & è contrario circa obiectum naturale actus supernaturalis. Quod enim obiectum sit supernaturale, si actus sit naturalis, non infert ex parte potentiæ vires supernaturales; quia tunc non efficitur à potentiâ aliquid supernaturale, sed respectus naturalis circa rem supernaturalem. 1.

Ad quemuis actum supernaturalẽ necessarium est auxilium supernaturale. Hic quæritur de sola naturali cognitione.

Sectio I.

De viribus necessarijs ad cognoscendam veritatem tam Speculatiuam quam practicam.

OBseruo diuersissimas esse inter antiquos & modernos sententias in hac difficultate; arbitror tamen maiori ex parte omnes illas oriri ex variis significationibus huius vocis *gratia*, prout ex dicendis constabit. 2.

PRIMA CONCLVSIO. Si nomen *gratia* in tam lata significatione accipiatur, vt ea, quæ nisi diuinitus impediri non possunt, etiam vocentur gratia; quo sensu nos in materiâ de Angelis diximus, etiam immortalitatem Angelorum dici posse gratiam; si in hoc, inquam, sensu gratia accipiatur, negari nequit, cognitionem vel minimæ vnius veritatis aut alicuius obiecti externi esse gratiam distinctam à dono creationis; potuit enim Deus hominem creare, & posteà omnem ei concursum generalem saltem miraculosè denegare ad cognitionem cuiuscumque obiecti, eúmq; relinquere tamquam lapidem aut truncum: imò in hoc sensu etiam potest dici gratia, quòd homo habeat caput, vel cor, quia diuinitus potuit esse viuus sine corde & sine capite & sine vllâ dispositione: in hac acceptione multi moderni vsurpant nomen *gratiæ*, indéq; probant quamcumq; cognitionem esse gratiam: positâ autem eâ significatione vocis ipsorum conclusio euidens est, vt dixi; est tamen admodum impropria

Gratia latissimè sumitur, pro eo quòd diuinitus impediri posset, & non impeditur.

Eo sensu quæuis cognitio cuiusuis obiecti est gratia.

Digitized by Google

Patres & Concilia nusquam loquuntur tam laxè de gratiâ.

pria acceptio & extra modum loquendi Patrum & Conciliorum in hac materiâ: non enim vocarunt gratiam Dei, quòd homo, si viuat, habeat caput, & cor, &c. Addo autem, in hoc sensu eodem modo esse nouam gratiam in naturâ purâ, quo in lapsa cognosce re aliquam veritatem, imò etiã in naturâ integra, quia poterat Deus etiam in eâ naturâ suppositâ omni sensuum integritate & impassibilitate hominis, ac etiam gratiâ habituali, &c. negare illi diuinitus concursum ad videndum, audiendum, &c. & nec quidem ad vnum actum ei concedere; hac ergo significatione reiectâ.

3.

Gratia strictiùs sumitur pro eo quod est naturaliter indebitũ. Eo sensu cognitio alicuius veritatis non est gratia.

Secvnda Conclvsio sit, Si gratia accipiatur strictiùs prout significat aliquid quod naturaliter sit indebitum, puto, cognitionem alicuius veritatis siue huius siue illius, saltem speculatiuæ, non esse eo sensu gratiam Dei. Hæc est S. Thomæ hîc q. 109. art. 1. & interpretum communiter, Patris Suarez lib. 1. cap. 2. Tanneri q. 3. dub. 1. & omnium ferè: faciléq; probatur efficaciter, quia licet non sit miraculum, hominem esse cæcum & claudum; vnde habere visum sit donum etiam naturaliter indebitum & gratia in prædicto sensu, negari tamen nequit, futurum miraculum, si Deus hominem aliquem siue in purâ naturâ, siue in lapsâ crearet, qui omnibus planè careret sensibus, ita vt nec visu, nec auditu, nec olfactu, nec tactu, nec sensu interno aliquid posset percipere; videtur enim impossibile naturaliter corpus esse sufficienter dispositum ad recipiendam animam, & tamen nullas in eo esse dispositiones saltem ad sensum tactus; ergo homini debetur aliquis sensus naturalis; poterit ergo etiam aliquem actum naturaliter exercere; imò debebitur ei saltem sentire calorem, frigus; item pro sustentatione debebit aliquid comedere, ibique aliquod obiectum percipere: quod confirmatur, quia non potest in hoc sensu homo esse peior brutis: quibus tamen sine vllâ gratiâ debentur aliqui sensus & multorum obiectorum seu veritatum experimentalis cognitio.

Homini debetur aliquis sensus naturalis.

4.

Non potest intelligi quomodo Deus sine miraculo possit hominem conseruare sine vllo actu cognitionis.

Dices Primò, Etiamsi homo habeat sensus internos, poterit Deus non faciendo vllum miraculum illum ponere, vbi non sit applicatum obiectum aliquod, quod percipiat; Secundò poterit etiam illi negare concursum ad videndum, Sed contrà, quia si ille homo habet sensus integros, & est creatus inter alia entia, suppono enim illum non esse solum in rerum naturâ, vbi quæso, poterit poni vbi aliquod obiectum non possit percipere vel audiẽdo vel tangendo vel odorando? &c. quod verò dicitur de negatione concursus facilè reiicitur, quia si ille habet potentiam, & obiectum est applicatum, miraculum erit, Deum illi negare concursum; ergo non potest intelligi, quomodo Deus non faciendo vllum miraculum possit hominem creare, & conseruare qui tamen nullum percipiat obiectum, nec vllum habeat actum cognitionis.

Anima separata debetur aliqua cognitio.

Dices Secundò, potuit Deus rem ita disponere sine miraculo, vt in vtero materno moreretur; tunc verò nihil cognouisset. Respondeo, nos non loqui de similibus casibus, sed de his hominibus, qui lucc communi fruuntur. Secundò, illius saltem animæ separatæ aliqua debebitur cognitio, siue hæc, siue illa.

Dices Tertiò, poterit Deus dare illi cognitiones illum vexantes, non autem quæ sint gratæ. Sed contra Primò, quia ego iam solùm contendo eum habiturum aliquas cognitiones, qualescumquæ illæ sint. Contrà Secundò, quia si potentia est expedita, non videtur posse naturaliter contingere, vt nullum omnino obiectum alicui sensui occurrat, quod non vexet.

Potentia expedita non semper occurrit naturaliter obiectum dissonum. Obiicit P. Vasquez.

Dices Quartò cum P. Vasquez disp. 188. cap. 2. Nulla veritas cognosci potest absq; speciali gratiâ distinctâ à dono creationis, licet eiusmodi gratia non sit per Christum; quia non possumus acquirere notitiam alicuius veritatis sine eo, quòd liberum arbitrium applicetur ad hanc veritatem addiscendam potiùs quàm ad illam: hoc autem donum Dei est distinctum à dono creationis; si quidem creatio sine tali dono existere posset. Respondeo Primò, respectu totius naturæ debitũ esse, vt plura ex indiuiduis naturæ ad multas veritates cognoscendas applicentur, ita vt contrarium naturaliter sit impossibile: vnde non potest esse speciale donum respectu totius naturæ; sicut non est donum toti naturæ superadditum, quod aliqui habeant potentiam visiuam, etiamsi respectu indiuiduorũ aliquod beneficium sit eos ad has veritates applicari. Respondeo Secundò, Etiamsi applicatio ad hanc potiùs quàm illam doctrinam sit superadditum indiuiduo, absolutè tamen necessum fuisse vnam vel alteram cognoscere: id quod in conclusione secundâ præcisè docuimus, & euidenter probauimus; v.g. quòd homo habens visum & potentiam loco motiuam determinet se ad ambulandum ad dextram potiùs quàm ad sinistram, & consequenter, quòd determinatè videat ea obiecta, quæ sunt in dextra potiùs quàm quæ in sinistrâ, contingens est sine dubio; quod tamen aliqua ex illis videat non est contingens, quia vnum ex illis disiunctiuè necessarium erat naturaliter; ita dico, cognoscere aliquas veritates, siue has, siue illas, non esse beneficium distinctum, quódq; nomen gratiæ scholasticè mereatur, quia fieri non potest naturaliter vt ad aliquas non applicetur.

Toti naturæ debita est applicatio plurium indiuiduorum ad aliquas veritates cognoscendas.

Applicatio intellectus ad quas veritates disiunctiuè cognoscendas non est gratia stricta.

Tertia Conclvsio, cognoscere non solùm vnam aut alteram, sed multas etiam veritates, siue speculatiuas, siue practicas, non videtur speciale donum distinctum à dono creationis, & prouidentiâ ei homini moraliter debitâ. Hanc conclusionem latè P. Suarez lib. 1. cap. 2. n. 5. defendit, Tannerus item suprà n. 7. Turrianus cum Vasquez Opusculo 2. disp. 1. dub. 1. & 3. estque communis inter Scholasticos: ex Patribus eam tradit Chrysostomus hom. 54. in Genesim; vbi hanc scientiam dicit homini implantatam cum formatione; Hieronymus Epistolâ ad Algasiam q. 8. Augustinus Psalm. 57. & Prosper lib. Contra Collator. cap. 22. vnde D. Thom. meritò dixit hîc q. 109. art. 10. nullum esse adeò hebetem, qui aliquas veritates, præcipuè ex his, quæ sunt per se notæ, non possit cognoscere solùm ex concursu generali Dei. Ratio huius & præcedentis conclusionis est; nam supposito quòd homo, naturaliter loquendo, habeat sensus aliquos ad operandum dispositos, necessum omnino est, vt ex eis phantasia ac intellectus etiam excitentur ad operandum cum concursu generali Dei debito his creaturis; necessum etiam vt occurrant obiecta, ex quibus multas veritates speculatiuas intellectus eliciat, imò eodem modo etiam practicas in ordine ad mores: si enim videat alterum sine causa lædi, statim iudicat illud esse malè factum, nec debere fieri, si subditum suo dom no insultantem illúmque iniuriis afficientem intueatur; eodem etiam modo iudicat id esse indignum homine; neque video, quomodo Deus homini

5.

Cognitio multarum veritatum non est specialis gratia.

Probatur naturaliter cognosci veritates aliquas speculatiuas.

Idem probatur de veritatibus practicis in ordine ad mores.

in

Digitized by Google

in tali occasione existenti sine miraculo negare queat concursum ad eas cognitiones habendas; ergo illæ nullo modo sunt gratia condistincta à dono creationis. Secundò benè idem ostendit P. Suarez suprà, quia hoc principium vniuersale, *Parentes sunt honorandi*, cognoscitur ab ipsis infantibus, etiam quando velut bruta operantur; nec vllus est adeò stultus, qui illud ignoret; hoc autem est principium, seu veritas moralis, quæ docet seruare reuerentiam parentibus, eósque amare. Probatur Tertiò, quia vt homo possit peccare, non indiget gratia Dei speciali à generali concursu distincta; ergo neque vt cognoscat veritates morales, scilicet, hoc fugiendum, illud amandum, quia sine cogitatione honesta & practica libertas esse non potest: quod argumentum ex se obuium optimè vrget Pater Suarez ibi.

Infantes naturaliter aliquid veritatem moralem de honorandis parentibus.

6. *Refelluntur recentiores qui limitant illas cognitiones morales practicas.*

Hinc reiiciuntur quidam moderni docentes, cognitiones illas, quæ bonum morale proponunt voluntati, sine quibus hæc libera non esset, deberi naturæ; quia tamen, quoties excitantur hîc & nunc in nobis, contingere posset, vt non excitarentur, inde fieri vt speciale beneficium sit, quòd hîc & nunc conferantur, & consequenter eas esse gratiam per Christum: reiiciuntur, inquam, hi; nam si Deus naturam post peccatum voluit conseruare etiam sine reparatore, debuit tamen illas cogitationes concedere de facto in pluribus, vt hi iidem fatentur; ergo absque reparatore tunc darentur; ergo nunc non indigemus reparatore ad illas habendas: deinde cùm (vt diximus) certum sit, libertatem ad peccandum, quæ sine talibus cogitationibus esse non potest, dari in nobis independenter à meritis Christi, manifestè infertur, tales cogitationes non dari ex gratiâ per Christum, de qua nunc nobis est sermo. Christus enim non venit, vt ea quæ debita sunt naturæ conferantur, sed vt ea donentur, quibus natura supernaturalem finem consequatur, à quo deuiauerat; vnde si aliquando contingat, operationes naturales ad supernaturalem finem conferre, tunc ex supernaturali prouidentia per Christum id prouenire asserendum est, vt sæpè dixi.

Christi aduentus non causat dona naturaliter nobis debita.

SECTIO II.

Obiectiones aliquæ soluuntur.

7. *Requirunt aliqui ad veritatem naturalem speculatiuam gratiam Dei, ad moralem verò quamcumq; requisunt gratiam per Christum.*

IAm quid contra has duas conclusiones obiici possit videamus. Quidam Primò dicunt, sine gratia per Christum posse cognosci quamcumque, imò omnes veritates naturales speculatiuas; quia Christus non est mortuus, vt ego scirem, an stellæ sint pares, an impares, & similes veritates; addunt tamen requiri ad eas veritates gratiam Dei, non Christi: ad quamcumque tamen veritatem moralem etiam naturalem requirunt gratiam per Christum, eò quòd in Scriptura & Conciliis passim omnis cogitatio ad bonum inclinans tribuatur gratiæ Dei; vt 2. Corinth. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis.* 2. Paral. 20. *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Idem videtur definitum in Concilo Milcuitano cap. 4. his verbis, *Vtrumque esse donum Dei, & diligere vt faciamus, & scire quid agere debeamus:* similia habet Arausicanum cap. 9. & 22. A ratione verò argumentantur: Talis cogitatio honesta conducens ad operandum est actus prudentiæ, prudentia autem est à Deo, iuxta illud, *Mea est prudentia*, Prouerb. 8.

8. *Respondetur adductis testimoniis Conciliorum & Sacræ Scripturæ.*

Ad hæc testimonia communiter & meritò respondetur, in eis sermonem esse de cogitationibus in ordine ad actus supernaturales; specialiter autem ad diui Pauli locum respondetur, solùm ibi doceri, nos non posse sine concursu Dei quidquam; vnde addidit Apostolus *quasi ex nobis*; per hoc tamen non significat necessitatem noui fauoris seu nouæ gratiæ, de qua hic agimus. Ad illud verò testimonium è 2. Paral. 20. *Cùm ignoremus quid agere debeamus*, respondeo dictum fuisse in afflictione summa ob hostes imminentes, quos naturaliter effugere non poterant, neque ad hoc naturaliter habebant consilium, adeóque singulare auxilium à Deo expectabant; hinc autem quî, quæso, infertur, eos ignorasse parentes esse colendos? &c. & certè saltem ibi supponunt, se perfectè sciuisse in tali occasione ad Deum debere recurri; quæ est veritas omnino practica; ergo non insinuatur ibi, illos nullam moralem veritatem sciuisse: imò, si ex eo loco volumus argumentari, ostenditur potiùs nostra & communis sententia; nam, vt dixi, ibi videntur ostendere se hoc saltem scire, quòd debeant oculos ad Deum conuertere. Quod item alibi dicitur, *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt*, intelligitur, non quòd homo non cognoscat bonum, quod debet amare, & malum, quod est fugiendum, ac se malè operari, aliàs non peccaret, innuitur ergo hominem re ipsâ malè operari. Arausicanum denique Concilium & Mileuitanum explicanda sunt prout diuum Paulum explicuimus, scilicet de cognitione conducente ad vitam æternam, non autem de cognitione aliâ quacumque. Quod vltimo loco de prudentia afferebatur etiam est intelligendum vel de prudentiâ vniuersali ad omnes actus (vt dicemus conclusione sequenti) vel de prudentia in ordine ad finem supernaturalem. Constet ergo, eos auctores nullum habere pro se vllius momenti fundamentum.

Gen. 8.

Cognitionem naturalem conducentem ad æternam salutem non possumus habere sine gratia, possumus autem alias naturales.

9. *Gratia Dei & gratia per Christum non satis ad rem præsentè quadrat.*

Quòd verò malè eam distinctionem fecerint de gratia Dei & gratia per Christum, patet ex dictis disput. 1. vbi ostendi, omnem gratiam per Christum esse gratiam Dei, & omnem gratiam Dei posse esse gratiam per Christum; vnde ex hoc capite non declaratur aliqua specialis necessitas gratiæ, nec determinatur aliqua specialis gratia quæ sit necessaria, neque excluditur alia non necessaria; quod enim detur vel non detur per Christum, est denominatio purè extrinseca ab eo, quòd Deus moueatur vel non moueatur ex meritis Christi ad illam concedendam: id quod ad debilitatem naturæ declarandam per accidens est, iuxta suprà dicta. Neque eis fauet quòd Christus non sit mortuus, vt nos sciremus quot sint in cœlo stellæ, &c. posset enim respondeti Primò ex Patre Suario, Christũ Dominum multa promeritum, pro quibus non est mortuus, vt Angelis gratiam, & Adamo innocentiam. Ego has instantias non approbo; sunt enim in meâ sententiâ falsæ; faciliùs ergo respondetur ex sæpè dictis, etiamsi Christus primariò non venerit in mundum, neque mortuus sit pro donis naturalibus, ingenio, &c. nihilominùs tamen, eo ipso quòd decretus fuerit eius aduentus ante vllius hominis in particulari natiuitatem, exceptis Adamo & Heua (vt ex tertia parte nunc suppono) ac præuisus sit tunc mereri, eo etiam ipso habuisse sufficientem prioritatem ad promerendum

Extrinseca denominatio est, dari gratiam intuitu meritorum Christi, vel absque eo intuitu.

Christum multa promeruit, pro quibus non mortuus, saltem in aliorum sententia.

Verosimilius est Christum nobis determinatè promeruisse omnia etiam naturalia dona.

deter

Digitized by Google

determinatè, vt hi potiùs quàm illi crearentur, & vt ij eligerentur ad gloriam, ac conſequenter de facto promeritum omnia etiam naturalia dona; ideóque omnem gratiam Dei eſſe de facto gratiam per Chriſtum, vt ſuprà etiam inſinuaui. Et ſatis contra eam diſtinctionem gratiæ Dei & gratiæ per Chriſtum.

10. *Neque diſtinctio veritatum ſpeculatiuarum & practicarum facit ad rem præſentem.*

Iam ad alteram diſtinctionem inter veritates ſpeculatiuas & morales, quam ideò cenſeo non eſſe ad rem; nam tam naturaliter poſito obiecto reſultat hæc cognitio, *Parentes ſunt honorandi, malum eſt fugiendum*, quàm quælibet alia purè ſpeculatiua; vt per ſe conſtat. Dices, Cognitio illa iuuat ad fugiendum peccatum; atqui ſine gratia Dei non poteſt peccatum vitari, ergo neq; haberi illa cognitio: tranſeat minor (de quâ infrà:) & diſtinguo maiorem: iuuat ad fugiendum peccatum, id eſt, requiritur vt viterar peccatum, concedo antecedens; quo ſenſu etiam iuuat vt committatur peccatum; ſi enim non cognoſcatur malum fugiendum, non poteſt peccari; vnde ex hoc capite non ſequitur eam non concedi ſine gratiâ Dei; quia adiuuare ad peccandum non eſt proprium gratiæ Dei. Iuuat, id eſt infallibiliter cauſat fugam peccati, nego antecedens; vnde nego etiam eam dari ex gratia Dei. De cognitione autem congrua ad vitandum peccandum infrà tractabitur.

Quo ſenſu cognitio moralis iuuat ad vitandum peccatum.

11. *Auguſtinus vocat gratiã Chriſti gratiam ſalutarem; alios actus morales naturales vocat honeſtas diſciplinas.*

Iam ſolùm contra eos recentiores induco teſtimonium Auguſtini lib. 1. ad Simplic. q. 2. vbi hæc habet, *Non habeo quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam ſalutarem, niſi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel, ſi placet, honeſtas vtiléſque doctrinas:* vbi dum vtitur Auguſtinus eo verbo *gratia ſalutaris* manifeſtè innuit hanc ſolùm eſſe, quam requirit, quoties de negotio ſalutis agit, & quam propriè & in maioti rigore vocat gratiam Chriſti; ante eam autem iam agnoſcit non ſolùm cognitiones ſpeculatiuas, ſed etiam practicas, quas nomine vtilis & honeſtæ diſciplinæ haud dubiè comprehendit; imò ibi ſatis apertè oſtendit, ante eam gratiam Chriſti fuiſſe iam bona opera, quandoquidem non dicuntur honeſtæ diſciplinæ, niſi quia præceſſerunt actus honeſti voluntatis quibus obtentæ ſunt; nam ſi per peccaminoſos actus eſſent obtentæ, non poſſint honeſtæ vocari. Sed de hoc fuſiùs, dum de bonis operibus agendum erit.

12. *Diſtinguunt alij cognitionẽ remiſſam moraliter connexam cum lapſu, & cognitionẽ fortiorem moraliter connexam cum euitatione peccati. Ea diſtinctio non docetur conſequenter ab ijs auctoribus.*

Alij recentiores diſtinguunt inter cognitionem adeò remiſſam de malitiâ peccati, quæ & ſufficiat ad hoc, vt homo poſſit peccare, & non peccare, infallibiliter tamen ex eâ ſequatur peccatum, ita vt moraliter non poſſit non ſequi; & hanc dicunt non eſſe ex gratia Dei, ſed potiùs quaſi ex indignatione Dei, quia dare id ex quo quaſi neceſſariò ſequitur peccatum, non fauor, ſed pœna potiùs Dei iudicanda eſt. Aliam autem omnem cogitationẽ honeſtam paulò fortiorem, & cum quâ ſæpè vitatur peccatum etiam intra ordinem naturæ, dicunt eſſe gratiam Dei. Verùm cùm hi auctores gratiam vocent quidquid etiam diuinitus à Deo negari poteſt, non video cur ea cognitio, quantumuis tenuis, non ſit etiam dicenda gratia, cùm à Deo negari potuerit, & ipſum cognoſcere, quòd fugiendum ſit peccatum, ſit Dei beneficium. Ratio verò immediatè facta in contrarium non vrget, quia illa neceſſitas moralis peccandi non prouenit ex cognitione, ſed aliundè ex inclinatione voluntatis, vel ex aliis capitibus. Adde ipſum appetitum, etiamſi in malum incliner, eſſe Dei donum.

Quòd verò neque è contrario omnis cognitio etiam ſufficientiſſima ad actus moraliter faciendos ſit gratia Dei, de quâ hîc nunc diſputamus, ſatis conſtat ex teſtimonio Auguſtini paulò antè inducto contra præcedentem ſententiam; honeſtas enim diſciplinas agnouit ante gratiam ſalutarem, & conſequenter agnouit cognitionem, cum quâ de facto homines & bene operati ſunt, & aliquot peccata vitarunt ante omnem gratiam, de quâ nunc agimus; ergo niſi abutendo nominibus non debet illa alia vocari gratia per Chriſtum.

Obiectio nimis multum probat.

Dices vltimò, Pro omni cogitatione bonâ agendæ ſunt gratiæ Deo; & quælibet talis cogitatio ab ipſo peti poteſt; ergo quælibet eſt gratia Dei, ergo & per Chriſtum. Reſpondeo Primò, hac ratione probari etiam cognitionem ſpeculatiuam eſſe gratiam Dei; quod tamen eſt contra hos auctores, qui de ſola practicâ loquuntur. Sequela probatur, quia etiam pro tali cognitione agi debent gratiæ Deo: talis etiam cognitio ſine dubio poteſt ab eo peti, ſicut petitur ſanitas, pluuia, &c. Reſpondeo Secundò, à me fuſiùs explicandum infrà hoc argumentum, quia eo maximè vtitur P. Vaſquez, & probat non poſſe vllum bonum opus fieri ſine gratiâ per Chriſtum: ibidem autem retorquebo illud contra eoſdem auctores; nunc breuiſſimè dico, quoad gratiarum actionem nullam eſſe difficultatem, quia etiam pro dono creationis & pro vitæ conſeruatione poſſumus & debemus Deo gratias agere, quia liberaliter illud conceſſit; quoad orationem ex ſuprà dictis conſtat, hanc in particulari cognitionem, pro quâ oro, potuiſſe negari, etiamſi alia loco illius debuiſſet, concedi: id quod ſufficit, vt pro hac oretur, maximè quando, hæc affert vtilitatem magnam.

Argumentũ ex gratiarũ actione cõtra nos nihil valere.

Pro cogitatione honeſtâ infimâ non orandum.

Fortè dices, Ergo pro cogitatione honeſtâ infimâ non poſſet orari. Reſpondeo ſine abſurdo id concedi, quia non poteſt minus quàm illa ſit obuenire.

SECTIO III.

Explicatur locus Concilij Mileuitani.

14. *P. Vaſq. torquet ſe ad explicandũ Concilium.*

IAm nunc vltimò in hac materia contra Patrem Vaſquez obſeruo eum diſp. 188. cap. 3. eſſe valdè ſolicitum, vt explicet locum Concilij Mileuitani cap. 4. clarè docentis tam ſcientiam, quæ inflat, quàm quæ ædificat, eſſe verè donum Dei; per hoc enim manifeſtè reuinci videtur eius doctrina, quòd ſcilicet cogitatio non congrua, ſiue non ædificans actu, non ſit donum gratiæ: torquet ergo ſe vt eum locum exponat, aitque Concilium ſolùm dixiſſe illam eſſe donum Dei, quæ ædificante charitate non inflat; hoc enim denotãt verba illa, *vt ædificante charitate ſcientia non poſſit inflare.* Hæc tamen explicatio meo iudicio violentiſſima eſt; nam ex verbis Concilij manifeſtè conuincitur contrarium; etenim ſic habet, *Cùm enim dicat Apoſtolus, Scientia inflat, charitas verò ædificat, valdè impium eſt vt credamus, ad eam quæ inflat nos habere gratiam Chriſti, ad eam quæ ædificat non habere, cùm ſit vtrumque donũ Dei, & ſcire quid agere debeamus, & diligere vt faciamus, vt ædificante charitate ſcientia nõ poſſit inflare, ſicut ſcriptum de Deo eſt, Qui docet hominem ſcientiam, ita etiam ſcriptum eſt, Charitas ex Deo eſt,* hæc ſunt verba Concilij: circa quæ multa conſidero: Primum, quod Concilium ſuppoſue

Verba Concilij Mileuitani.

Digitized by Google

Ponderantur ea verba ad ostendendum violentam esse explicationem P. Vasquez.

posuerit vtramque scientiam esse donum Dei; vnde dixit impium esse credere vnum sine altero; at in sententia P. Vasquez non est donum Dei, nisi vna tantùm scientia. Secundò pondero verbum illud. *Vtrumque & scire & facere esse donum Dei*; vbi manifestissimè duo dona agnoscit Concilium; at iuxta mentem Patris Vasquez, ipsum *bene operari* non est donum distinctum ab ipso *scire*, quia totam rationem gratiæ ponit adæquatè & vnicè in sancta cogitatione, ideò opus inde secutum suppositâ priori gratiâ iam non est gratia. Quis autem non videat Concilium, dum dicit *vtrumque esse donum & scire & facere*, ita loqui, vt duo dona ibi agnoscat? ac si dixisset, *Donum est scire, & supposito hoc dono nouum donum est facere*: id ipsum clarè colligitur ex testimonio quo vtitur Concilium, *Sicut scriptum est, Qui docet hominem scientiam, ita scriptum, Charitas ex Deo est*: vbi Concilium expresè denotat non esse idem formalissimè, scientiam esse ex Deo, & charitatem esse ex Deo, vt Vasquez discurrit, sed duo illa distincta esse, vtrumque tamen ex Deo; & id ostendit particula *sicut*; alioquin debuisset Concilium dicere, *Nam charitas dicitur esse ex Deo, quia scientia, quæ illam causat, est ex Deo*. Confirmo euidenter hanc expositionem ex Augustino, cuius sententiam in materia de gratia Concilium approbauit; libro igitur 1. de Gratia Christi cap. 26. tractans eumdem locum Apostoli, *Scientia inflat*, &c. hæc habet, *Tunc scientia non inflat, quando charitas ædificat; & cùm sit vtrumque donum Dei, est vnum maius, alterum minus*. hæc ille: quibus apertè insinuat duo esse ibi dona, & quidem inæqualia, minus in scientia, maius in charitate; in sententia autem Vasq. vnicum est donum, & quidem æquale quia scientia non est donum nisi propter opus, & opus non est donum nisi in ipsa scientia.

Concilium distinxit quæ P. Vasquez confundit.

S. Augustini sententiam de gratiâ approbauit Concilium.

15. *Augustinus non arguebatur à sensu contrario.*

Nec moueat quemquam, quòd dicat Augustinus, *Quando charitas ædificat*; ac si ostenderet, quando è contrario non ædificat, scientiam non esse donum: non, inquam, moueat quemquam; nam allusit ad illud *vtrumque*: si enim charitas non ædificat, non est duplex donum, sed vnum, illud scilicet ex scientia; quodque minus ab Augustino dicitur, & semper est donum, siue alterum maius sequatur, siue non, & siue sit donum associatum, siue simplex.

Verba vltima Concilij non sunt pro P. Vasquez.

Quod verò ex Concilio Vasquez pro se adducit ex illis verbis, *Vt ædificatæ charitate scientia non possit inflare*, planè nullius est momenti; nam illud *vt* nequaquam denotat, tunc solùm scientiam esse donum quando charitas ædificat, sed supposito dono scientiæ nouum esse donum, dare charitatem quæ efficiat vt scientia non inflet. Hæc est clara explicatio loci; in qua potiùs duo dona supponuntur, vnum prius altero.

Scientia est occasio inflationis.

Dices, Ergo quando scientia inflat, erit etiam donum Dei: quod est absurdum. Respondeo, inflationem non sumi nisi occasionaliter à scientia; quo sensu passim etiam ex ipsis donis supernaturalibus Dei sumitur occasio superbiæ, vt ex eis superbiuit Lucifer. Dico ergo scientiam esse donum magnum Dei, inflationem verò inde secutam esse nequitiâ nostræ voluntatis: quid hîc, quæso, difficultatis? Hinc ergo certò constet, eam distinctionem scientiæ actu operantis & non operantis, vt vna dicatur gratia per Christum, alia verò non, non esse vllius momenti pro præsenti quæstione: sed de hoc infrà fusiùs.

Scientia est donum Dei, inflatio est nequitia hominis.

Sectio IV.

Concluditur quæstio.

16. *Cognitio omnium veritatum est homini prorsus indebita. Probatur in statu naturæ lapsæ.*

Quarta Conclvsio: Cognitio omnium veritatum collectiuè siue speculatiuarum, siue moralium, est gratia specialis Dei nullo modo debita homini tam in statu naturæ lapsæ quàm puræ, quàm etiam integræ. In hac omnes ferè conueniunt; éstque manifesta Primò ab experientia quoad nostrum statum, quia nullus est, qui etiam in longissima vita omnes veritates in omni materia deprehenderit; hoc autem est signum, nec posse ab vllo per ordinaria auxilia omnes cognosci. Secundò à priori, quia hæ veritates sunt tot ac tam difficiles, vt vix possint industria humana exhauriri, nec omnes disciplinæ sine innumeris dubiis & erroribus acquiri: quod verum est, etiamsi appetitus sit rationi subiectus; nam hæc difficultas non oritur solùm ex appetitus rebellione, sed ex dependentia intellectus à phantasmatibus, & ex multitudine rerum scibilium: quæ duo capita etiam reperirentur in statu naturæ integræ.

Gratia requisita ad cognitionem omnium veritatum non est necessariò supernaturalis quoad substantiam.

Aduerto tamen, gratiam illam requisitam non esse superioris ordinis aut natura sua supernaturalem, sed intra ordinem naturæ; vt Deus v.g. ita intellectũ benè disponeret, & obiecta ita illi proponeret, vt quod diuisiuè ab omnibus fieri poterat naturaliter, fieret collectiuè ab vno solo.

17. *Aliquarum veritatum cognitio indiget gratiâ Dei speciali. Probatur ex difficultate illarum.*

Qvinta Conclvsio: Etiam aliquarum veritatum in particulari cognitio est gratia Dei modo dicto. Hæc est contra quosdam recentiores, qui vniuersaliter docere videntur, quamcumque veritatem diuisiuè posse sine gratia cognosci. Probatur tamen facilè, quia aliquæ sunt veritates naturales, ita difficilis vt vix ab vllo queãt percipi, & saltè multi magno ingenio præditi eas perfectè non comprehenderint: talis est continui compositio; inter Mathematicos quadratura circuli, & aliæ etiã minùs difficiles, quæ nõ possunt nisi à paucis, meliùs dixerim, à nullo sciri; sicut autem ab aliis ignoratæ sunt, potuerunt etiam ignorari ab his, à quibus de facto sciuntur; ergo respectu horum fuit fauor specialis naturæ indebitus, quòd eas sciuerint.

Ad veritatis cognitionem conducentem ad salutem datur gratia per Christũ.

Vltima Conclvsio: Veritatum illarum cognitio, quæ à Deo præuidentur aliquo modo conducturæ ad finem vitæ æternæ, datur de facto ex meritis Christi, non quia Christus mortuus fuerit, vt eas veritates naturales cognoscamus, sed quia cùm mortuus sit, vt dona supernaturalia obtineamus, promeritus etiam est, vt dentur nobis ipsius intuitu ea dona naturalia quæ præuidentur ad eum finem conductura, ingeniũ, indoles, &c. ergo etiamsi in se naturalia sint, erunt tamen ex meritis Christi (vt alibi ostendi) quando præuidentur conductura ad finem vitæ æternæ.

18. *Ordinatio talis veritatis ad salutẽ est ex meritis Christi.*

Obiicies, à me paulò ante dictum, omnem gratiam Dei esse per Christum, & è contrario omnem gratiã per Christum esse Dei, ideóq; illam diuisionem non esse alicuius momenti, quia non explicat specialem necessitatem gratiæ ex parte humanæ naturæ. Respondeo me in hac vltima conclusione non ponere eam gratiam vt necessariam per se ad similia opera efficienda, etiam quando aliquo modo videntur cõductura ad salutem; possunt enim etiam, tunc sine gratia per Christũ fieri, dũmodò posteà per gratiam Christi fieret eorum ordinatio ad salutem: aliud enim

est

Digitized by Google

est opus quod ordinatur ad salutẽ,& aliud operis ordinatio;fa teor ergo ex eo quòd opus sit postea ordinandũ ad salutem (quod est in eo denominatio extrinseca)nec fieri in se difficilius,nec naturâ reddi ad illud minùs fortem;ideò ergo dico tunc illud beneficium esse specialiter per Christũ,quia cùm Christum dicam causam totius nostræ prædestinationis, etiam dico illum applicuisse sua merita pro eis auxiliis ad bona opera, quando præuidit conductura ad salutem, etiamsi eadem daturus fuisset Deus, casu quo Christus non applicuisset pro illis sua merita.Quæ doctrina locũ habet,etiamsi dicamus Christum nõ promeruisse in particulari alia dona naturæ pro aliis hominibus,quando non sunt conductura ad gloriam; si enim(vt probabilius iudico)omnia ea dicamus cecidisse sub Christi meritum,à fortiori vera erit nostra hæc vltima conclusio. Eorum autem recentiorum distinctionem ideò reieci, quia malè applicata, dum gratiam illam per Christum necessariam omnino dixerunt ad tales cognitiones: quod absolutè falsum esse iam est à me sufficienter probatum.

Disputatio XXXVIII.

Vtrùm possit homo sine gratiâ elicere actum honestum naturalem.

Sectio I.

Quædam certiora supponuntur.

1. *Cur Dei gratiâ facit homo opus vndequaque honestum.*

Supponendum est vt omnino certum inter Catholicos,posse hominem in naturâ lapsâ cum gratiâ Dei facere opus bonum vndequaque. Hæc est de fide ex definitione Leonis X. cõtra Luthetum,ex Tridentino sess.6. can.7 & ex multis Scripturæ locis, vbi homines laudantur, & de eis dicitur in his aut illis actionibus non peccasse : *In omnibus his non peccauit Iob*,&c. Videatur P.Suarez lib.1. cap.3. vbi aliqua,quæ apparenter possent contra hanc veritatem obiici,soluit;vt quòd aliquando dicatur,nullum esse qui faciat bonum;quod ita intellige, vt nullus sit qui semper bonum faciat, & aliquando non peccet;*Septies enim cadet iustus* ; per hoc tamen non dicitur,quod omnia quæcumque facit semper sint peccata;alioquin quomodo Scriptura dixisset de Iob, *In omnibus his non peccauit Iob ?* aut quomodo in Ecclesiastico ita laudarentur opera magnorum illorum virorum qui ibi commendantur?idem est sæpè in Apocal.D.item Paulus totus est in prædicandis bonis operibus, & Christus Dominus in adhortationibus, &c. quæ omnia planè essent inutilia,si nullum bonũ opus facere possemus. De hac etiam veritate fusiùs tractat Bellarminus, cæteriquo Controuersistæ contra hæreticos huius temporis ; & nos etiã præcedenti Tomo egimus probantes adhuc in hominibus lapsis manere veram libertatem ad bonum & malum, quia natura non fuit per peccatum extincta.

Iob 1.

Prou. 24.

2.

Multa bona opera fiunt sine gratiâ habituali.

Supponendum etiam Secundò contra eosdem hæreticos, non requiri statum gratiæ habitualis ad bene operandum, sed posse in statu peccati multa bona opera fieri. Hæc definita est in Tridentino sess. 6. c. 7. & constat ex Scripturâ vbi peccatores incitantur ad facienda bona opera, quibus peccata sua redimant; vt illud Danielis 4. *Peccata tua eleemosynis redime*; item ex actu attritionis, misericordiæ,fidei, &c.qui à peccatoribus fieri possunt. Videatur etiam Suarez cap.4. vbi fusissimè ex Scriptura & Patribus idem confirmat ; cap. autem 5. explicat aliqua Augustini loca , quæ videntur contrarium indicare; vt quando negat, sine gratiâ & charitate quidquam boni fieri ; intelligendus autem est loqui de charitate latè sumptâ, prout omnis amor honesti dici potest charitas ; vel vt dicat, parum posse fieri sine charitate,quia qui sine gratia est. non multa opera bona facit;vel denique vt dicat,nihil boni fieri sine charitate,quod sit dignũ præmio æterno:videri etiam possunt cæteri Controuersistæ.

S. Augustini loca explicata.

3. *Ante fidem supernaturalẽ possunt fieri aliqua opera bona.*

Tertiò suppono , fidem supernaturalem non esse ita necessariã,vt ante illam non possint opera bona aliqua fieri:id quod & ferè omniũ Theologorum consensu & auctoritate Pontificum in Bulla contra Baium damnantium illam propositionem,*Omnia opera infidelium sunt peccata*.manifestè suadetur;ita vt multi meritò putent, non posse sine temeritate negari,etiamsi definita non sit hæc veritas;nam ante actum credendi præcedit pius affectus, & voluntas honesta credendi,à qua ipse actus credendi dicitur bonus;in se enim non est liber; hæc autem pia affectio non potest sine temeritate negari,ergo etiã non potest negari,posse sine fide fieri aliquod bonũ opus.Secundò idem patet ex illo Pauli ad Roman. 2.*Gentes, qua legem non habent , naturaliter ea quæ legis sunt faciunt:* vbi insinuat,eos implere legem sine fide;ex bonis item operibus , ad quæ Scriptura, infideles hortatur , vt iram Dei mitigent , idem ipsum suadetur apertè.

4. *Loca diui Pauli nobis obiecta.*

Obiici in contrarium possunt varia loca Scripturæ ; vt ad Roman. 14.*Omne , quod non est ex fide,peccatum est*;ad Hebræos 11.*Sine fide impossibile est placere Deo* ; ad Titum 1.*Infidelibus nihil est mundum* ; & alia similia;quibus facilè respondetur : & quidem pro primo Pauli communis est solutio, vel ibi esse sermonem de his, qui contra dictamen conscientiæ aliquid faciunt; agebat enim Apostolus de his qui manducarunt carnes contra conscientiæ dictamen;vel certè explicari potest , vt quod est contra fidem dicatur esse peccatum. In secundo loco solùm est sermo de persona,quæ sine fide non est grata Deo. Ad tertium dicitur , ibi esse sermonem de operantibus formaliter ex infidelitate ; sicut è contrario Paulus idem præmiserat, *omnia* esse *munda mundis*;id est,si quà tales operentur;alioquin dixisset ibi iustos numquam peccare venialiter:quod est hæreticum ;eodem modo potest responderi ad alia loca similia , si quæ contra eam veritatem afferantur.

Sed rectè explicantur pro nobis.

5. *Actualis directio operis in Deum non requiritur ad eius bonitatẽ.*

A ratione verò obiicitur.Opera omnia debent referri in Deum vt sint bona;atqui sine fide non possunt referri, ergo. Respondeo Primò , non requiri vllo modo ad bonum opus illam relationem in Deum (de quo fusiùs præcedenti Tomo ;) & patet etiam in nobis ; meremur enim si operemur propter,honestatem propriam vi tutis , etiamsi actu in Deum non dirigamus opera.

Digitized by Google

Cognitio & fides naturalis sufficit vt opera possint in Deum dirigi.

Respondeo Secundò, etiamsi ea directio esset necessaria, posse tamen sine fide supernaturali haberi: qui enim habet naturalem cognitionem Dei, potest sua opera in illum referre: item hæretici carentes verâ fide supernaturali habent tamen naturalem sat sufficientem, vt possint in Deum opera dirigere. Imò retorquendo hanc rationem persuadetur efficaciter communis & vera sententia, quia obiectum ex se honestum (etiamsi non sit summè honestum) amari licitè potest; non enim necessum est, vt omnia bona moralia sint æqualia; sicut neque è contrario omnia peccata sunt æqualia; gratis igitur & sine vllo omnino fundamento dicitur necessaria aliqua actualis directio eorum obiectorum honestorum in Deum: atqui ablatâ hac necessitate nulla prorsus ratio est, cur non possit etiam ille, qui nullam habet fidem, amare eleemosynam v. g. ob honestatem propriam; item nolle occidere, quia hoc est proximi iniuria; ergo potest sine fide efficere opus bonum, siue ad hoc indigeat speciali gratiæ auxilio, siue non; de quo inferiùs agendum; maximè cùm ex creaturis haberi possit de Deo sufficientissima notitia, vt in eum dirigatur eleemosyna v. g. cæteráque opera bona. Constet ergo etiam stando rationi, gratis & sine fundamento vllo asseri, non posse esse in infidelibus bonum aliquod opus naturale. Quæ doctrina locum habet tam in his qui deos falsos colunt, quàm in his qui Deum verum, sine fide tamen supernaturali aut etiam naturali, solo creationis dictamine ducti agnoscunt.

6.

S. Augustin. fuit in communi & certâ sententia.

Solùm videtur in hoc puncto difficultatem ingerere Augustinus; de cuius mente fusè Suarez toto cap. 7. vbi à num. 7. propter quatuor rationes ostendit, illum communem & certam tenuisse sententiam; Primò, quia eodem modo loquitur de operibus infidelium ac de operibus peccatorum. Constat autem illum non negare aliqua bona opera in peccatoribus. Secundò, quia agnoscit ante fidem bona opera & piâ affectionem. Tertiò, quia rationes illius non probât absolutè non esse vllum bonum opus in infideli, sed non esse multa. Quartò, sæpè in infideli agnoscit aliquot bona opera, licet ea dicat esse ex gratiâ Dei. A numero autem 19. Suarez illum explicat, aitque Primò eum, quia agebat contra Pelagium, nimiùm extollentem opera sine fide facta, aliquando quasi in contrarium extremum per exaggerationem deflexisse. Secundò respondet, eum negasse Gentilibus veras virtutes, quæ ad consequendum finem supernaturalem conducunt; etenim cap. 3. contra Iulianum hæc habet. *Si ad consequendam veràm beatitudinem, quam nobis fides per Christum promittit, nihil prosunt homini virtutes non sunt vera virtutes.* Ex quibus verbis rectè colligitur, dum alibi negat bona opera infidelibus, non negare absolutè bona, sed quæ ad salutem conducunt. Quæ explicatio nobis vtilis erit pro dicendis infrà contra Patrem Vasquez. Tertiò explicat Augustinũ aientem omnia opera infidelium peccata esse, vel, vt id regulariter intelligatur, quomodo etiam Vega ab eo ibi relatus priùs eum explicuerat; vel, sicut ad loca Pauli diximus, ea quæ formaliter ab infidelitate procedunt, peccata dici: & ita exposuit D. Thomas eumdem Augustinum 2. 2. quæst. 10. art. 4. ad 1. & quæst. 23. art. 7. ad 3.

P. Suarez explicat S. Augustinum.

7.

Vltimò supponendum, non requiri ad quodlibet opus bonum cogitationem aliquam præuiam fortiorem, quàm naturaliter ex concursu causarum secundarum habere possimus. Ratio est manifesta; quia in amore parentum v.g. quando nihil ab eis contrarium patitur filius, nullam habet difficultatem, ratione cuius indigeat eâ fortiori cogitatione & maiori quàm ad eos odio habendos; imò odio eos habere esset illi tunc, naturaliter loquendo, longè difficilius: idem est, ad dicendum verum quandò in eâ veritate nullum incommodum aut molestiam homo sentit: fortè enim difficiliùs peccaret in aliquâ occasione homo, quàm benè operaretur: v.g. si contra suâ inclinationem, etiam, sic dicam, sensualem, cogitur se inebriare, & alia peccata committere, certè ille tunc maiorem habet difficultatem in eo peccato quàm in fugâ illius potuisset habere; ergo non est, cur tunc cognitio naturalis non sit sufficiens ad ea peccata vitanda. De hac re fusè Suarez suprà cap. 10. Res est facilis, & ad ea quæ diximus tota eius veritatis substantia reducitur.

Aliquando maior difficultas in peccando quàm in benè operando.

SECTIO. II.

Statuitur vera sententia.

8.

Opus naturale honestũ potest fieri sine gratiâ speciali Limitatur tamen hæc conclusio.

CONCLVSIO nostra sit: Non est necessarium vllum proprium auxilium gratiæ ad faciendа opera aliqua honesta naturalia. In hac conclusione abstraho ab opere valdè difficili, item à longâ eorum operum continuatione, sed solùm indefinitè dico posse aliqua fieri; sic ergo accepta communissima est inter Scholasticos, quam fusè defendit P. Suarez toto lib. 1. de Gratiâ à cap. 8. & 1. part. lib. 2. de Prædestinatione à cap. 11. Tannerus disp. 6. q. 3. dub. 3. Valentia quæst. 1. part. 3. apud quos innumeri alij videri possunt, vt Magister, Bonauentura, Alensis, Gerson, Driedo, Richardus, Roffensis, Gabriel, Sotus, Maior: præter quos etiam citari possunt Scotus, Henricus, Caietanus, Durandus, Argentin. Medina, Zumel, Victoria, Vega, Stapleton. Mascarenas, Palacios, Angles, Alexius, Gomez, & alij multi; ex Societate verò nostra Bellarminus, Turrianus, Molina, Azor, Lessius, Maldonatus, Pereira, Barradius, & omnes ferè recentiores: eam etiam tenuit D. Thomas, vt benè & Suarez & Tannerus suprà probant ex hac 1. 2. q. 109. art. 2. vbi expressè eam docuit; neque obest quòd dixerit eodem articulo hominẽ indigere auxilio diuino; etenim nomine auxilij nihil aliud intellexit Sanctus Doctor quàm concursum generalem, vt fusè deducit ibi Tannerus. Ego verò id ostendo hac euidenti ratione contra Patrem Vasquez, qui eam posuit obiectionem; nã D. Thomas illud auxilium omnino docet esse necessarium, ita vt sine illo fieri non possit opus; atqui in sententiâ Vasquez gratiæ auxilium non est necessarium, vt possit opus fieri. Vide quæ contra ipsum fusè suprà dixi disp. 36. sect. 3. ergo loquitur D. Thomas non de gratiâ efficaci, prout distinguitur ab inefficaci, quæque non est per se necessaria, sed de auxilio generali; quod omnino necessarium est; hoc autem non est gratia, de qua in præsenti.

D Thomas dum requirit hic auxilium diuinum, intelligit concursum Dei generalem.

SVBSECTIO I.

Probatur hæc sententia ab auctoritate.

9.

HÆc sententia communis sic vniuersaliter proposita probatur Primò ab auctoribus, specia

Digitized by Google

Exponitur S. Paulus ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.

specialiter à patre Suario ex illo ad Roman. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt:* circa quod testimonium eruditè pariter ac fusè discurrit eo cap. 8. à num. 13. Ostendit autem Primò ex communiori doctrinâ Patrum & interpretum per τὸ *Gentes* non intelligi solas Gentes iam ad Christum conuersas, sed præcipuè, quæ permanent adhuc in infidelitate. Quam expositionem Augustinus etiâsi non sequatur, dicit tamen esse probabilem lib. de Spiritu & literâ cap. 28. & eodem modo eius discipuli Fulgentius & Prosper, esto, quia agebant fortiùs contra Pelagium, ne illi vllam obstinationis ansam præberent, eam expositionem non tenuerint absolutè, sed quidquid sit de eorum mente, cæteri omnes interpretes intellexerunt ibi, vel solas Gentes infideles, excludendo iam Christianos & credentes; vel certè vtrasque comprehenderunt.

Secundò ostendit ibi Suarez per τὸ *ea quæ legis sunt faciunt* intelligi, quòd faciant aliquâ, quę sunt iuxta legem naturæ: reijcit autem meritò eorum explicationem qui dicunt Gentes facere quidem ea quæ legis sunt, non tamen ex bono fine, & consequenter non facere benè; reijcit, inquam, eam expositionem, vt pote planè arbitrariam, sine vllo minimo in verbis Pauli fundamento. Addo, iuxta eam explicationem, re benè perpensâ, falsam esse Apostoli sententiam; nam qui in suâ actione operatur vel tantùm contra vnam legem, non potest verè absolutè dici operari iuxta legem eâ præcisè de causâ, quòd alias leges tunc non transgrediatur.

Tertiò ostendit τὸ *naturaliter faciunt*, debere intelligi viribus naturæ sine vllo speciali gratiæ auxilio; vnde à numero 54. benè concludit, ex eo testimonio probari communem sententiam tam quoad partem, de quâ nos in hac sectione agimus, quàm quoad alteram contra Patrē Vasquez paulò pòst subijciendam. Additque benè, etiamsi re ipsâ ea interpretatio Pauli non sit bona, nihilominùs id saltem obtineri, quòd omnes ferè Patres & interpretes, qui eam approbant, sentiant verissimam esse sententiam docentem, viribus naturæ posse seruari aliqua præcepta, ac fieri aliqua bona opera; etenim pro sententiâ, quam iudicarent falsam, non potuissent interpretari verba Pauli: facerent enim eo ipso illum auctorem erroris.

Communis sensus est, viribus naturæ posse fieri aliqua bona opera.

10.

Probatur posita conclusio ex S. Augustino.

Absolutè verò eam sentētiam defendunt omnes ferè Patres Græci, quos ibidem P. Suarez refert. Ex Augustino autem eadem veritas suadetur manifestissimè: Primò enim ait Epistolâ 5. ad Marcel. *Rempublicam primi Romani constituerunt auxeruntque virtutibus, etsi non habentibus veram pietatem erga Deum, quæ illos etiam in æternam ciuitatem possent salubri religione perducere, custodientes tamen sui generis probitatem*, &c. quibus verbis manifestè distinguit duo genera operum; & quædam illorum appellat opera non habentia veram pietatem erga Deum; hæc autem clarè docet viribus naturæ posse fieri, propterea-que ad veritatem non pertinere neque ad ciuitatem æternam. Et lib. de Spiritu & lit. cap. 28. hæc de Iudæis tradit, *Nam & ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, per quam legitimè aliquid animæ rationalis & sensit & facit; at pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam & æternam, legem habet immaculatam:* vbi manifestissimè ostendit, vires esse in naturâ, per quas anima rationalis aliquid legitimè faciat; & tale opus legitimè factum ac bonum morale non esse opus pietatis, vt pietas ab Augustino vsurpatur. Et 3. lib. Hypognos. post med. *Est liberum arbitrium, & quisquis esse negauerit, Catholicus non est; vt quisquis ita dixerit, quòd sine Deo bonum opus, quod ad sanctum eius propositum pertinet, nec incipere nec perficere possit, Catholicus est.* Quibus verbis notāda est declaratio Augustini illius vocis *bonum opus*, per quam significat opus pertinens ad sanctum fidei propositum. Augustinus enim non appellat opera pietatis quæcumque bona moralia, ad quæ sunt vires in naturâ, sed solùm ea, ad quæ gratia supernaturalis requiritur; vt constat ex lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 13. & Epistolâ 130. ibi, *Polemo ergo si vt ex luxurioso continens factus est, ita sciret, cuius esset hoc donum, & eum abiectis superstitionibus Gētium piè coleret, non solùm continens, sed etiam veraciter sapiens & salubriter religiosus existeret; quòd ei non tantùm ad præsentis vitæ honestatem, verùm etiam ad futuræ immortalitatem valeret.* Vbi obserua, quæso, distinctionem, *Opus pertinens ad præsentis vitæ honestatem, & opus pertinens ad futuræ immortalitatem:* & lib 4. Contra Iulianum cap. 3. cùm explicuisset, quid intelligat per opus bonum & per bonam voluntatem, nempe eam quæ conducit ad vitam æternā, addit, *Omnia proinde cetera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine vllo facta peccato: quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona: voluntas quippe infidelis atque impia non est bona. Dicantur secundùm te huiusmodi voluntates arbores bonæ, sufficit quòd apud Deum & steriles sint & per hoc nō bonæ.* Quo loco manifestè docuit quo sensu ipse appellat opera, quæ viribus naturę fiunt, non bona, etsi alias legitimè facta sint: ex quo loco constat quid sit dicendum ad omnia Augustini testimonia, tam quæ Vasquez pro se & contra nos, quàm quæ alij adducunt ad probandum, eū non agnouisse in Gentilibus vllum bonum opus.

Aduerte, Augustinum vbique distinguere opera pietatis & conducentia ad vitam æternam ab alijs quibuscumque operibus moralibus bonis.

Hinc patet responsio ad testimonia contra nos allata.

Opera non habentia veram pietatem distinguit Augustinus ab alio genere operum bonorum.

Clariùs communem sententiam docuit lib. de Spiritu & literâ cap. 28. vbi hæc habet: *Verumtamen quia non vsque adeò in naturâ humanâ imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in eâ velut lineamenta remanserint, meritò dici potest, etiam in ipsa impietate vitæ suæ aliquid legis sapere vel facere. &: Sicut enim non impediunt à vita æterna iustum quædam venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera bona, sine quibus difficilè vita cuiuslibet etiam pessimi hominis inuenitur.* Quæ verba nec ponderationem pro nobis petunt, nec explicationem in contrarium patiūtur. Adhuc tamen omnium optimus locus est lib. 3. Hypog. cap. 4. vbi auctor lib. ex sententiâ Augustini, *Fatemur* (inquit) *esse liberū arbitriū omnibus hominibus habentibus vsum rationis, non quia sit idoneum quæ ad Deum pertinent sine Deo inchoare aut certè peragere, sed tantùm in operibus vitæ præsentis tam bonis quàm malis:* ; *bonis dico, quæ à bono naturæ eriuntur; vt, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, vxorem velle ducere, artem velle discere diuersarum rerum bonarum, velle quidquid bonum, ad præsentem vitam pertinent: quæ omnia non sine gubernaculo diuino subsistunt, imò ex ipso & per ipsum sunt & esse cœperunt.* Quæ verba apertissima sunt; nā distinguit inter opera bona & mala: cūque Pater Vasquez sentiat

11.

Afferuntur loca clariora sancti Augustini admittentia aliqua opera bona per vires naturæ.

Digitized by Google

Augustin. docere non dari opera indifferentia in individuo, constat euidenter eum viribus naturæ admisisse multa bona opera.

Dices, Ea verba non sunt August. Respondeo opus Augustinianum esse, ab ipso vel ex ipsius sententiis confectum; cuius testimoniis sæpè D. Thomas & Scholastici, imò & aduersarij ipsi vtuntur vt Augustinianis.

Id ex Augustino didicit Prosper.

Ex Augustino id ipsum dedicerunt eius discipuli, maximè Prosper c. 22. cõtra Collat & c. 26. *Vbi natura quippe humana etiam post prævaricationem manet sensus & ratio, cæteraque corporis & animi bona, quæ etiam malis vitiosisque non desunt, sed nõ in illis veri boni perceptio est, quæ mortalem vitam honestare possint, æternam autem conferre non possunt:* & c. 28. docet, ideò deceptum Cassianum, quia multi infideles sunt iustitiæ & temperantiæ, continentiæ & beneuolentiæ sectatores; quæ omnia non frustrà quidem nec inutiliter habent, multúmque ex his in hac vitâ honoris & gloriæ consequuntur; quamuis verò posteà addat, in istis diabolo seruire, istasque virtutes esse diabolicas; non propterea existimandus est sentire, in Ethnicis istis, in quibus gratiã non agnoscit, eo ipso neque aliquid veri boni agnoscere aut putare, eos ex prauo fine semper peccare; sed ideò ita locutus est, quia ex illis virtutibus sæpè occasionem superbiæ sumunt, & ad vitam æternam nihil illæ prosunt; vnde cap. 29. *Neque ideò existimare debemus, in naturalibus thesauris principia esse virtutum, quia multa laudanda reperiuntur etiam in ingenijs impiorum, quæ ex naturâ quidem prodeunt; sed quoniam ab eo qui naturam condidit recesserunt, virtutes esse non possunt.*

Quo sensu Prosper dixerit infideles per sua bona opera naturæ diabolo seruire.

Probatur nostra & cõmunis sententia ex Bullâ Pij V. & Gregorij XIII. Propositiones Baij à Pontifice damnatæ.

Tertia probatio nostræ sententiæ sumitur ex Bullâ Pij V. & Gregorij XIII contra Michaëlem Baium; in qua damnatur 26. propositio; *Omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* & 28. *Liberum arbitrium sine gratiâ Dei & adiutorio non nisi ad peccandum valet.* 29, *Pelagianus est error dicere, quòd liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum* 39. *Omne quod agit peccator vel seruus peccati, peccatum est* 36. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, quod ex naturâ in ijs viribus ortum ducat, agnoscit.* 39. *Non nisi Pelagiano errore admitti potest vsus aliquis boni liberi arbitrij siue non malus; & gratia Christi iniuriam facit qui ita sentit & docet.*

12.

Vasq. malè limitat damnatas propositiones Baij.

Respondet Vasq. disp. 190. c. 18. ideo damnatũ Baium, quia ausus est sub censurâ seueriore reiicere opinionem aliàs satis inter Scholasticos tritam. Sed hæc solutio non potest adaptari multis propositionibus damnatis, quæ nullam planè censuram continent; vt est 28. & 36. & ita Bellarminus, qui interfuit Louanij, quo tempore Bulla in publicum prodiit, & cum Baio sæpè disputauit, sentit, stabilitum in ipsâ esse, posse arbitrium suis viribus aliquod bonum opus morale de facto efficere: idem sentit Cunerus de Gratiâ Christi cap. 14. qui Romæ causam egit contra Baium, & eius damnationem obtinuit: idem Lessius de Auxilio cap. 10. Louanien sis Doctor, ibique plures annos commoratus, & Binsfeldius in lib. Receptarum in Theolog. sententiar. sect. 3. de libero arbitrio & gratiâ concluf. 3.

Probatur etiã ex Tridentino Concilio. Verba Concilij ostenduntur vrgere contra Patrẽ Vasquez.

Probatur Quartò ex Tridentino sess. 6. cap. 8. vbi ait, *Ideò hominem iustificari gratis, quia neque fides, neque opera, quæ iustificationem præcedunt, eam merentur.* Fateor, iuxta meam sententiam, Concilium ibi agere de remissione peccati, ideóque locum non vrgere absolutè; quia tamen P. ipse Vasq. contendit esse ibi sermonem de initio totius iustificationis per auxilium gratiæ, sic argumentor ad hominem: Concilium ante tale primum auxilium admittit aliquam fidem & aliqua bona opera præcedentia & non meritoria vllo modo eius primi auxilij gratiæ, ergo supponit Concilium, viribus naturæ posse talia opera bona fieri.

Dices fortè, Concilium non supponere opera hæc fuisse bona. Sed contrà, quia si mala fuissent, inutiliter ea dicerentur non promereri iustificationem: quis enim vmquam dixit, vel in dubium vertit, an peccatum mereatur gratiam? Sanè Concilium ibi agebat de operibus, quibus propter bonitatem poterat attribui causalitas in gratiam, si essent aliàs ei proportionata, aut sáltẽ dubitari, an deberet attribui, alioquin dixisset (id quod fuisset longè clarius & vtilius) *Quia nulla præcedunt opera bona ante iustificationem*; ergo locus hic valdè vrget Patrem Vasquez, licet vt dixi, censeam absolutè non esse efficacem. de quo infrà.

Ex duplici capite potest requiri gratia ad opus bonum naturale, ex parte intellectus & voluntatis.

Antequam sententiam hanc communem ratione confirmemus, oportet aduertere, ex duobus capitibus posse gratiam requiri ad opus bonum naturale; Primò ex parte intellectus ratione illuminationis alicuius specialis dirigentis ad amandum obiectum; Secundò ex parte ipsius voluntatis elicientis illum amorem: ostendendum ergo nobis erit, ex neutro capite eam gratiam requiri; & quia faciliùs reiicitur quæ ad voluntatem spectat, agemus primùm de illâ etiamsi in se secunda sit.

Svbsectio II.

Probatur ex parte voluntatis non esse necessariam gratiam.

13.

Gratia in actus primo determinans non datur.

NOnnulli recentiores docuerunt, etiam positâ cognitione boni & mali moralis ex parte intellectus, requiri adhuc ex parte voluntatis singularem gratiam ad efficiendum quodcumq; opus bonum. Huius opinionis auctores refert Suarez cap. 8. cap. verò 9. refert alios, qui eam gratiã tamquam omnino determinantem ad operandum requirunt ex parte voluntatis: in quo puncto suppono ex sententiâ Societatis non requiri gratiã determinantem in actu primo, seu prædeterminantem ad omne opus bonum naturale, imò neque habere posse locum in vllo tali opere, si liberum sit; siue illud ad ordinem naturæ, siue ad ordinem supernaturalem spectet, quia talis præuia determinatio tollit libertatem: de quo puncto non licet ampliùs agere.

Positâ cognitione indifferenti nulla noua gratia requiritur in voluntate ad bonum opus moraule.

Hoc ergo supposito, nullam nouam gratiam requiri positâ cognitione boni & mali sic suadetur; nã voluntas est libera ad peccandum, & hoc sine gratiâ Dei; ergo ex parte voluntatis habet quod requiritur vt possit efficere opus bonũ. Antecedens est certum etiam in sentẽtia aduersariorum, quia natura voluntatis est esse liberam posita cognitione indifferenti; vnde si Deus tunc illi negaret concursum ad operandum indifferenter, faceret miraculum. Deinde nullus dixit, non posse fieri peccatum sine gratia Dei; ergo è contrario sine gratia Dei potest homo non peccare, ergo & benè operari. Patet euidenter consequentia, quia non potest esse peccatum, nisi sit

Sine gratia Dei potest homo non peccare.

potentia

Digitized by Google

potentia ad illùd vitandum; atqui eo ipso quòd sit potentia ad vitandum peccatum, etiam est potentia ad benè operandum: vitando enim illud peccatum homo benè operatur, maximè in sententiâ negante actus indifferentes in individuo; ergo sine gratiâ speciali ex parte voluntatis, distinctâ ab ipso concursu generali Dei & indifferenti, datur potentia ad faciendum opus aliquod honestum.

14. *Insufficiens responsio.*

Respondebis Primò, illum hominem tunc habere potentiam ad purè omittendum vel peccandum, non tamen ad benè operandum; nam pura omissio peccati non est bonum opus. Sed contrà Primò, quia hoc non possunt dicere qui puram omissionem negant. Contrà Secundò, quia licet negetur, puram omissionem esse meritoriam, &c. non potest tamen negari ei aliqua laudabilitas: & saltem hoc ipsum videtur quædam species bonæ operationis. Contra Tertiò, quia quando peccata consistunt in omissione v. g. carentiæ misericordiæ, subleuationis pauperis, &c. tunc non potest peccatum vitari nisi per actum positiuum, v. g. per positiuam subleuationem miseriæ, &c.; ergo saltem tunc debet posse fieri opus aliquod positiuum bonum.

In pura omissione est aliqua laudabilitas adéoque aliquod bonum morale.

Responsio etiã insufficiens argumenti à nobis facti.

Respondebis Secundò, posse illum hominem habere paratum concursum indifferentem vel ad peccandum vel ad vitandum peccatum, per motiuum tamen seu finem indifferentem: quo casu poterit quidem peccare, & non peccare, non tamen poterit benè operari. Sed contrà, quia licet hoc verum sit, quando ei proponitur solum motiuũ indifferens, non tamen habet locum, quando datur cognitio alicuius finis non indifferentis, sed boni: v. g. proponitur alicui, hîc & nunc esse conforme naturæ rationali, & teneri dare eleëmosynam extremè indigẽti, propter honestatem ibi repertam; proponitur etiam ei, difficilè illam dare, quia se priuat pecuniâ: certè cùm in hoc casu nullus finis proponatur in dandâ eleëmosynâ nisi illa honestas, & possit tunc homo dare eleëmosynam, necessariò dicendum est, vel illum non posse peccare, quia est determinatus, vel posse cum solo generali Dei auxilio benè operari dando eleëmosynam.

15. *Obiectio dicit argumento nostro nimiũ probari.*

Obijcies, hoc meum argumentum nimis multum probare, quia inde etiam fieret, posse hominem sine auxilio speciali ex parte voluntatis seruare totam legem, & verò efficere quemlibet actum amoris Dei super omnia; quia homo, cùm non sit necessitatus ad peccandum, potest vitare omnia peccata, alioquin non peccaret; ergo posità cognitione bonitatis & malitiæ cuiuslibet peccati, sicut inde infertur eum posse aliquod bonum efficere, inferetur etiam posse omnia peccata vitare, & omne bonum efficere; quod est absurdum; vel debes dicere, eam rationẽ nihil probare. Respondeo, à me hoc argumentum solùm allatum ad probandum, posse aliquod bonum opus sine speciali auxilio fieri; nego autem id sequi de omnibus. Ratio disparitatis est clara, quia aliquando vehementia tentationis, difficultas item ipsius operis potest esse tam magna, vt homo, etiam si, physicè loquendo, resistere possit, moraliter tamen non valeat, vnde tunc indigebit speciali gratiâ; ideò fortè homo sine speciali auxilio gratiæ non poterit vincere omnes tentationes, &c. vt contendit obiectio. Hæc autem ratio non habet locũ in alijs bonis operibus, quæ sunt fortè in se facilitora sæpè quàm ipsum peccatum, vt subsectione præcedenti de aliquibus ostendi: hinc fit, in illis omnino habere locum argumentum à nobis suprà factum. Aliquæ aliæ obiectiones, quæ contra hanc sententiam fieri possunt, quia communes sunt his quæ paulò pòst dicturi sumus, infrà simul dissoluentur.

Ostenditur non nimiũm à nobis probatum. Datur casus vbi sit potentia physica resistendi tentationi, nõ tamen moralis.

Svbsectio III.

Quid de gratiâ ex parte intellectus.

16. *P. Vasquez docet sine gratia per Christum hominem de facto numquam habere cognitionem congruum.*

Iam ad gratiam tenentem se ex parte intellectus: in quo puncto P. Vasquez eâ disp. 190. cap. 12. supponens meritò, nullum bonum opus fieri sine cognitione congruâ, id est, sine cognitione illâ, quam suprà diximus efficacẽ, quæque præuisa est, si ponatur, habitura effectum, ait, licet Deus naturaliter teneatur homini dare cognitionem boni & mali, quòd tamen illi det cognitionem efficacem, id est illam quam vidit, si daretur, habituram effectum, non autẽ eam quæ non habitura est effectum, esse singularem gratiam & fauorem Dei, & quidem per merita Christi; vnde sentit, sine gratiâ per Christum posse hominem benè operari, non tamẽ de facto operari, sicut diximus sæpè, sine auxilio efficaci posse hominem operari, non tamen vmquam operaturum; & hanc gratiam in omni statu, etiam naturæ integræ necessariam fuisse vniuersaliter docet. Ratio eius à priori eriã est vniuersalis, quia Deus non tenetur homini dare cogitationem cõgruam; sufficit enim si det illi sufficiẽtem; ergo donatio efficacis præ ineffícaci sẽper erit gratia.

Sententia illa Patris Vasquez eleuat potiùs necessitatem & dignitatem gratiæ quàm vires naturæ.

Contra hanc sententiam fusè egi suprà ostendens per illam reduci totam difficultatem ad quæstionem de voce, & aperiri portam ad negãdam veram gratiam supernaturalem; vnde meritò P. Tannerus suprà num. 42. ait, hanc opinionem, etsi primo aspectu videatur commendare gratiæ necessitatẽ & excellentiam, vires que naturæ deprimere, te ipsâ tamen potiùs, & naturæ vires erigere, & dignitæ gratiæ dignitatem necessitatemque eleuare.

17. *Cognitio naturalis sufficit ad amorẽ naturalem honestum. In hoc puncto idem sentit Pater Vasquez.*

Dico ergo Primò, non esse ex parte intellectus necessariam aliam cognitionem, vt simpliciter homo valeat amare obiectum naturale honestum, quàm naturalem, id est quæ excitari potest ex concursu causarum secundarum. In hac etiam consentit P. Vasquez: & probatur manifestè, quia obiectum vt ametur non requirit aliam cognitionem quàm bonitatis in ipso repertæ; atqui bonitas eleëmosynæ, cultus parentum, &c. naturali cognitione potest proponi, ergo ex parte intellectus non est necessaria alia cognitio: cur enim cognitio naturalis delectabilis cibi v. g. sufficiet ad illum amandum, & cognitio honestatis in non occidendo sine causâ amicum non sufficiet ad volendum non occidere ob eum honestum finem, ne scilicet alium sine causâ lædat; id quod maximè locum habet in eis obiectis quæ sunt honesta, quia vtilia ipsi operanti, v. g. in se non mactando, in se non permittendo mori fame, &c.

Cogitatio naturalis congrua non est gratia strictè dicta à SS. Patribus.

Dico Secundò: Hæc cogitatio naturalis sufficiens ad benè operandum, etiamsi quãdo est congrua, seu quando præuidetur habitura effectum, sit aliquo modo beneficium & gratia Dei, non tamen extra ordinem creationis; neque vllo modo spectat ad eam gratiam, de quâ Patres contra Pelagium: hoc secundum fusè ostendi suprà, & ampliùs confirmabitur respondendo argumentis eiusdem auctoris.

Digitized by Google

18. *Probatur argumẽto Theologico insinuato à Patre Suarez.*

Nunc addo vnam rationem Theologicam & alteram à priori: Theologica est, quam Suarez suprà tetigit, quia initium nostræ iustificationis semper desumitur à fide, vt ex Patribus & Conciliis constat; atqui si opus naturale ex Gratiâ Christi eo modo explicatâ factum sit meritorium saltem de congruo auxiliorum gratiæ (vt Vasquez docere videtur) sequeretur, sæpè initium iustificationis desumi ab eo opere bono; quod frequentissimè non pertinebit ad fidem, sed erit vel opus castitatis, vel eleemosynæ, &c. quòd autẽ fides seu pia affectio ad credendum sit initium iustificationis, non est hîc probandum, sed supponendum; pertinebit enim ad materiam de fide.

Quomodo Deus sumat occasionem ex operibus naturalibus bonis dandi auxilia vberiora.

Dices tamen, Aliquando ex similibus bonis operibus Deus assumit occasionem ad danda homini vberiora auxilia, ergo initium iustificationis tunc desumetur ex eis operibus. Respondeo vel antecedens esse falsum, vel ita intelligendum, vt ea opera in eo casu non sint vllo prorsus modo meritoria talium auxiliorum, imò nec conditio per se cum eis connexa, sed Deus pro suo libitu velit inde occasionem sumere dandi tali homini auxilia ad habendam piam affectionem erga fidem.

Probatur Secundò à priori.

Altera ratio contra eam sententiam desumitur ex his quæ fusè suprà deduxi in 6. argumento contra eam acceptionem vocis *gratia*, scil. si semel concedatur, homines post peccatum originale relinqui in hoc mundo vt in statu viæ, non posse negari quin necessaria sit, naturaliter loquendo, in multis hominibus cogitatio non solùm sufficiens, sed etiam congrua, quia moraliter est impossibile, vt in innumeris occasionibus benè operandi, quæ homini passim occurrunt, & ex quibus sæpissimè valdè homini connaturale est benè operari, & verò connaturalius quàm contrarium, vt agere gratias ei à quo magnũ aliquod beneficium accepit; vt amicum optimè meritum amare; vt infantulum in terrâ iacentem aut in luto eleuare; impossibile; inquam, in infinitis talibus occasionibus hominem cum concursu generali aliquando non benè operari: & licet Deus posset, si vellet vtẽdo aliqua extraordinaria prouidentia rem ita disponere, vt numquam talis benè operaretur, hoc tamen ipsum esset quædam violentia, vt sic dicam, affectata; ergo si naturaliter res permittatur suo cursui, semper debebit multa auxilia cõferre, quæ vt efficacia nouit: quo sensu multa talia auxilia non solùm vt comparata cum tota specie humanâ, sed etiam cum quolibet particulari individuo sunt annexa beneficio creationis; non quia simpliciter & absolutè creatio sine illis esse non possit, sed quia non nisi violenter esset: quo sensu etsi dicatur beneficium distinctum à dono creationis, erit tamen illi annexum.

Subinde connaturalius est benè agere quàm malè.

Auxilia vt efficacia ad aliqua bona opera naturalia sunt annexa beneficio creationis.

P. Suarez vocat id beneficium speciale post donum creationis, sed impropriè.

Vbi quoad modum loquendi obserua à Patre Suario citato cap. vocari hoc beneficium speciale post donum creationis, non tamen distinctum: qui modus loquendi non est valdè proprius; nam quo sensu res hæc est donum speciale præ illo, est etiam distinctum ab illo, vt ex terminis constat. Melius ergo dicitur esse speciale & distinctum & absolutè acceptâ creatione, non tamen acceptâ connaturaliter ordinariè. Quomodo autem cum hoc stet, quòd debeamus agere Deo gratias pro tali auxilio congruo, dicetur in solutione argumentorum.

19. Discursus immediatè factus habet locum tam in natura pura quàm in integra; nam in eis (maximè in integra) potiores rationes essent ad benè operandum ob minorem difficultatem occurrentem quàm in natura lapsa: licet enim fortè per peccatum Deus potuisset auferre ab homine omnem gratiam non solùm congruam, sed etiam sufficientem, nihilominùs non decreuit de facto eam pœnam infligere: vnde etiam infantes in originali decedentes eliciunt in alia vita multa bona opera, & tamen illis iam non fiet vlla gratia per Christum. Habet item discursus locum in bonis naturæ, v.g. integritate membrorum, sensuum, sanitate, ingenio, &c. Deus enim licet simpliciter potuisset ita res disponere, vt nullum indiuiduum haberet eas perfectiones, hoc tamen ipsum fuisset violenta quædam prouidentia, valdè contraria naturali exigentiæ creationis; vnde, quòd multi habeant visum, &c. non est extra donum connaturale creationis, licet fortè, quòd hoc aut illud indiuiduum in particulari ea habeat, sit gratia respectu illius, ad naturæ tamen ordinem spectans.

Præcedit discursus valet in naturâ pura & integrâ.

valet item in bonis naturæ.

Aliqua sunt beneficia respectu huius indiuidui, nõ tamen respectu totius naturæ.

Sectio. III.

Respondetur obiectionibus à ratione in contrarium.

Subsectio I.

Expediuntur tres priores.

20. PRima sit: Qui dicit, eiusmodi cogitationem non esse gratiam Dei, tollit etiam, quòd attribuantur diuinæ prouidentiæ opera bona per eam cogitationem facta: id quod est absurdum, & in atheismum inclinat. Meritò dicit Pater Suarez cap. 14. excessisse valdè Patrem Vasquez, reuocando in atheismum eam sententiam; nam qui dicunt, talem cogitationem non esse gratiam nihil penitus de prouidentia diuina diminuunt; nõ enim negant à Deo eam cogitationem dari, neque negant priùs præuisam vt habituram effectum, sed sentiunt annexam esse beneficio creationis: quæ creatio etiam est opus Dei eiusque prouidentiæ: vbi ergo, quæso, atheismus? Vrgeo id ego euidenter ad hominem, quia diuina prouidentia non minùs versatur circa cogitationem non congruam seu purè sufficientem, quàm circa congruam seu efficacem, imò (vt suppono ex prima parte) solùm versatur per se circa sufficientem; nam scientia media de effectu, quem habitura est vocatio, necessaria non est per se ad prouidentiam vt causa omnino antecedens; quandoquidem ipsa scientia non antecedit omnino absolutè nostra bona opera, alioquin polleretur per eam nostra libertas; solùm ergo requiritur ex parte Dei circa agentia libera talis prouidentia vt omnino antecedens, quæ det media quibus possit effectus fieri; vt partialiter autem seu Logicè antecedens requiritur scientia media, ac tandem subsequitur præscientia absoluta de operatione futura absolutè; illa autem scientia media est extra prouidentiam simpliciter antecedentem & tenentem se ex parte actus primi, ideò qui eam scientiam negat, non negat Dei prouidentiam: vnde euidenter hîc argumentor: P. Vasquez etsi neget illam cogitationem sufficientem, qua homo possit operari, esse gratiam Dei, non ideò negat prouidentiam Dei circa

Præcedit discursus valet in naturâ pura & integrâ.

Qui dicunt cogitationem congruã non esse specialem Dei gratiã, nõ negant Dei prouidẽtiam, nec sãt ethei.

Euidẽs replica cõtrà Patrẽ Vasquez.

Digitized by Google

ea eam cogitationem, alioquin relaberetur in atheismum; vnde ergo, quæso, athei erunt, qui dicunt, cogitationem congruam, seu eam quâ homo operatur, non esse gratiam Dei? videsne euidentissimam replicam? Secundò adhuc retorqueo argumentum, seu replico etiam manifestè; nam prouidentia diuina non solùm versatur circa opera bona, sed etiam circa mala cum hac differentiâ, quod illa intendit, hæc permittit; vtrobique autem intercedit dispositio, præscientia, libertas, & prouidentia Dei: hoc nemo Catholicus negare potest: atqui, etiamsi non dicamus permissionem peccati esse gratiam Dei, non propterea eam à prouidentia Dei extrahimus, nec ideò cum atheis dicimus, casu contingere peccatum respectu Dei; ergo, etiamsi dicamus cogitationem congruam non esse gratiam Dei, adhuc possumus eam includere sub prouidentia diuina: ergo argumentum hoc nullam planè difficultatem continet. Denique cùm P. Vasq. fateatur suprà, Baium ideò à Pontificibus damnatum, quòd inusserit notam huic nostræ sententiæ, non debuisset ipse eam dicere relabi in atheismum: hæc enim grauior omnino nota est quàm quæ à Baio inusta est.

Prouidentia Dei etiam versatur circa permissionem malorum.

Dei pro vocatione congruâ ad opus bonum.

21. Secunda obiectio sit, Si vocatio congrua non est gratia Dei, ergo omnibus deberur. Huic argumento abundè satisfactum est à nu. 18. & patitur instantiam in bonis naturæ, in ingenio, sanitate, integritate membrorum, &c.

Tertiò, quia si sine gratiâ Dei potest fieri vnum opus bonum, possunt etiam fieri omnia & seruari tota lex: quod est absurdum. Benè ostendit P. Suarez eo cap. 14. num. 7. vel notabilem æquiuocationem in hoc argumento committi, vel non sentiri benè de gratiâ Dei: vel enim eius auctor putat totam legem seruari posse per ea auxilia ordinaria, solùm ex eo quòd homo ea faciat congrua, non addita aliqua specialiori prouidentia ex parte Dei, nec vberiori aut fortiori vocatione antecedente ad ipsum consensum: & tunc malè sentitur de gratia Dei. Vt verò hoc melius tibi declarem; Demus pro præsenti puncto per impossibile Deum non habere scientiam mediam, sed dare auxilia, non sciendo, an sint futura efficacia nec ne; rogo, an P. Vasquez dicat; tunc temporis posse per eas ordinarias vocationes sine vllâ gratiâ datas seruari totam legem, homine ipso eas reddente congruas, quæque essent gratia specialis Dei si sciéter à Deo fuissent datæ: si ergo hoc dicat, nō sentit benè de gratia Dei, quia certum est, ad vitanda omnia peccata, & seruandam totam legem, etiam intra ordinem naturæ necessaria esse in se vberiora auxilia & maiorem confortationem naturæ (vt dicemus infrà;) vnde in eo sensu negamus ex nostrâ sententia sequi illam consequentiam. Quòd si P. Vasquez fortiorem requirat gratiam ad resistendum omni tentationi collectiuè, & ad omnia bona opera, quàm ad vnum solum, tunc æquiuocationem committit, dum obiicit auctoribus contrariæ sententiæ eos confundere vnam vocationem cum aliâ.

P. Vasquez in hac obiectione vel æquiuocat, vel non rectè sentit de diuinâ gratiâ.

Obiectio in eius auctorē retorquetur.

Antequam huic argumento respondeā ostendo manifestè, illud potiùs esse contra eius auctorem quàm contra nos: quod etsi videatur primo aspectu paradoxum, est tamen, re benè considerata, certissimum. Pro quo aduerte, quod sæpè insinuauimus, auxilium congruum, vt distinctum à sufficienti, constitui per consensum ipsum voluntatis in sententia Societatis, quam hic auctor defendit; vnde sæpè diximus, in manu ipsius hominis esse respondendo auxilio reddere illud efficax.

Aduerte Secundò ex doctrinâ huius Doctoris, vocationem, quâ sufficientem, non esse gratiam Dei: his duobus positis, peto, pro quâ re oramus, quando petimus eam sanctam cogitationem? Pro illáne vt sufficienti seu vt habemē vires ad efficiendum actum? Hoc in sententiâ eius auctoris non potest dici, quia ea vocatio sic considerata nullo modo est gratia. Quòd si ideò dicatur nos rogare pro illâ vt sit congruâ, seu vt habeat effectum, facilè id reijcietur; quia vt congrua solùm addit ipsum nostrum consensum; hic autem haud dubiè est in potestate ipsiusmet orantis: & perinde est ac si homo peteret, *Domine ero te, vt ego respondeam auxilio quod mihi daturus es*; quæ petitio videtur ridicula; & Deus ei diceret, *Respondeas tu vt potes; ego enim sum paratus tecum operari*: ergo hic auctor ponens totam quantam rationem gratiæ in solâ congruitate non potest vllam orationem pro illâ admittere; ergo hoc argumentum maximè illum premit: nos autem, qui in ipso etiam auxilio seu vocatione vt dante vires aliquam gratiam admittimus, licet ad ordinem naturæ pertinentem, iuxta dicta suprà, optimè possumus admittere orationem pro illo auxilio; quia illud etiam secundùm entitatem suam, seu vt dat nobis vires, non est in nostrâ potestate.

Si tota gratia ponatur in congruitate cogitationis, sanctæ, non possumus pro illâ gratiâ orare.

23. Replicabis tamen retorquendo in nos idem argumentum nomine Patris Vasquez: pro quo suppones sententiam Societatis de efficaciâ auxilij (non agendo vllo modo, vera ea sit, an falsa, quia hoc, vt sæpè dixi, prohibitum est nobis typis discutere;) suppones autem ideò illam, quia cùm & nos & Pater Vasquez eam defendamus, quidquid difficultatis ex eâ in præsenti quæstione de bono opere naturali sequitur, æquè premet Patrem Vasquez ac nos, & è contrario; hoc ergo supposito sic inferes; Ergo non possumus orare Deum vt det nobis efficax auxilium præ inefficaci, quia, vt argumentabar contra Patrem Vasquez, illud auxilium fieri efficax est in nostrâ potestate, ac proinde respondere mihi illud petenti poterit Deus, *Ego tibi auxilium dabo; in tuâ manu est illud reddere efficax, imò in tuâ potestate est, vt prauderim ego futurum efficax hoc, quod tibi dono*: nemo autem petit ab alio id quod habet in sua potestate. Quòd si respondeas, me solùm petere à Deo vt det mihi illud quod ipse præuidit efficax, dicasque eiusmodi dationem

Occurritur responsioni Primæ quæ fieri potest huic difficilio obiectioni.

SVBSECTIO II.

Quarta & Quinta obiectio soluta.

22. *Obiectio sumpta ab oratione ad* Quarta obiectio est: Debemus orare Deum pro tali vocatione, ergo illa est gratia Dei: antecedens est certum; consequentia verbo ex

Digitized by Google

non esse in mea potestate,etiamsi in mea sit cooperari auxilio dato ; Contrà insurgo, quia ego non peto tunc dationem vtcumque , iam enim suppono vt certum ex promissione Dei me habiturum aliquod auxilium ; solùm ego peto vt,illud , quod est dandum, sit è numero efficacium: atqui hoc totum est in meâ potestate, quia , ego illud possum efficere efficax: ergo peto à Deo id quod est in meâ potestate , & quidem quodammodò solùm in meâ potestate : nam licet Deus parando auxilium & concursum in actu primo fuerit liber, at in ipso actuali concursu non est formaliter liber, quia me nõ determinat, sed potiùs ego illum (iuxta alibi dicta , dum de concursu generali disputatum est;) ergo,quod illud auxilium datum habeat effectum ; & consequenter sit denominatum efficax , est solùm in meâ potestate:quod optimè declarari potest supponendo pro hoc puncto doctrinam Durandi negantis influxum immediatum Dei in nostros actus , nam licet falsissima ea sit,punctum tamen præsens est ab illâ omnino independens; etenim etiam eâ suppositâ potest Deus habere scientiam mediam de futuritione actus, possuntque esse vocationes congruæ & incongruæ ; item potest esse petitio vnius præ altero : hæc enim (vt per se cõstat) sunt independentia ab immediato Dei concursu.In eo ergo casu euidentiùs cõstat,quomodo efficacia auxilij vt efficacia , & vt distinctum quid est ab inefficaci , pendeat à solo ipso petente ; quia suppositâ datione auxilij , quòd homo actu illi respondeat, vel resistat, adæquatè pendet ab ipso homine. Et re benè considerata eamdem vim habet hæc obiectio in communi sententiâ; nam licet Deus immediatè concurrat; non est tamen ille cõcursus Deo immediatè liber, sed nobis; ergo tunc petit homo à Deo id quod ipse solus habet liberè in suâ manu prout suprà argumentabamur contra Patrem Vasquez: ergo argumentum illud non est specialiter pro nobis.

Declaratur difficultas magis suppositâ doctrinâ Durandi negantis influxum immediatum Dei in actus nostros.

Occurritur Secundæ responsioni quæ communiter adhibetur.

Respondebis Secundò , Si ego distinctè cognoscerem auxilium A & B, ac viderem Deum scire,si dedero A , respondebis,si dedero B, non respondebis, possem tunc sine dubio petere, *Da mihi auxilium A* : hoc autem ipsum peto confusè quando dico, *Da mihi auxilium quod tu vidisti esse efficax*. Sed contrà,quia in casu antecedentis id quod peto non est in meâ potestate , sed Dei: quid ergo mirum , si habeat locum oratio ; etenim ego nihil dico tunc de efficaciâ ; sed determino vocationem illam numero A ; cuius datio in meâ non est potestate , quamque potuissem ego petere , licet non viderem illud A esse efficax; quia voluntas potest inter duo bona æqualia,imo inter inæqualia eligere minus. At quando intellectus non cognoscit nec distinguit vocationes inter se , & petit à Deo sub eâ ratione congruæ , iam eam petit sub denominatione, quam habet homo in suâ potestate ; & potest Deus tunc illi respondere quòd suprà dixi , *Fac tu illam efficacem , & habebis quidquid optas.*

24.

Tertia solutio reijcitur.

Ideò forte Tertiò respondebis, nos non petere nisi auxilium in se efficacius & fortius physicè ; hanc autem maiorem efficaciam non posse nos dare auxilio ipsi. Sed contrà , quia licet, quando tentatio grauis est,& ad eam facilè vincendam requiruntur maiores vires, nos illas petamus à Deo ;ordinariè tamen non tam petimus fortiorem in se gratiam , quàm eam,quæ futura est efficax ; melius enim est vnum, vt sic dicam, indiuisibile gratiæ efficacis seu congruæ , quàm intensissima gratia inefficax seu putè sufficiens: ego sanè ita pro me opto, & à Deo peto. Hinc tamen videtur colligi , nos tunc petere id , quod est in nostrâ potestate,& à nobis solùm efficiendum est.

Vera solutio.

Difficile argumentum , quodque non solet sufficienter discuti:pro eius solutione supponenda est vno verbo nostra sententia de efficaciâ gratiæ;siue enim ea vera sit,siue non,de quo non disputamus , tenemur respondere consequenter ad illam : igitur dicimus , Etiamsi congruitas vocationis desumatur à futuritione conditionatâ nostri consensus , re tamen ipsâ de facto illam vocationem efficacem esse distinctam realiter ab altera , quæ de facto non est congrua:illam vocemus A , incongruam B. Hoc posito dico , in mea potestate non esse vt detur mihi vocatio A præ B:quando ergo oro Deum pro gratia efficaci, peto vocationem A præ B ; nam eam mihi dare præ altera non est , vt dixi ,in mea sed in solius Dei voluntate : licet enim vocationem,quæ datur , possim ego efficere efficacem , non possum tamen efficere , vt si præuisa est efficax , detur mihi. Et hæc circa solutionem obiectionis.

Quid petatur à Deo dũ petitur auxilium congruum.

Obseruatio contra Patrẽ Vasquez.

Illud iam ratione Patris Vasquez obseruandum;licet vi responsionis à me datæ non videatur argumentum ipsius posse in ipsum specialiter retorqueri à nobis , quia potest etiam ille eamdem solutionem adhibere quam nos ; ex dictis tamen à me duo ostensa esse : Primum , saltem illud argumentum non esse specialiter contra nos,quia ex eo quòd illa vocatio detur nobis per Christum, vel ex exigentia naturalium occasionum , nec magis nec minus est in mea potestate illam efficere congruam. Secundò ostensum est, nos , qui dicimus vocationem ipsam , etiam vt dantem vires antequam concipiatur vt congrua, esse gratiam Dei,licet intra ordinem naturæ (id quod à P. Vasquez negatur) facilius multò explicare posse,qua ratione petamus à Deo id quod non est in nostra potestate, nempe vocationem, etiam prout abstrahit à congrua & non congrua.

Quinta obiectio.

Ad hanc obiectionem reducitur ea quæ quinto loco ponitur à P. Vasquez ; desumitur autem ex gratiarum actione,quas Deo possumus ex ibere ob auxilium efficax ad bona ea opera;nemo autẽ agit gratias nisi pro dono liberali. Respondetur eodem modo , quo præcedenti , ideò nos agere Deo gratias pro totali vocatione , quia absolutè potuit illam negare; iam enim superiùs ostendimus illam esse donum , licet ad creationem spectet , sicut ingenium , sanitas,membrorum integritas,ac similia ; pro quibus Deo gratias agere meritò possumus.

Svbsectio III.

Tres vltimæ obiectiones explicantur.

25.

SExta obiectio : Si vocatio congrua non esset gratia , haberet homo vnde posset gloriari contra Apostolum 1. ad Corinth. 4. *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis ?* Hæc ratio meo iudicio videtur ex aliqua minùs exacta discussione procedere ; auctor enim illius noluit aduertere non esse idem , eam vocationem non esse gratiam,& eam non esse à Deo datam ; nam in sententia ipsius vocatio inefficax non est gratia;& tamen neque potest de ea vllus vt de non accepta gloriari,nec potest dicere ; *Ego habeo à me ipso cogitationem*

Vocatio semper est à Deo data non tamen semper est gratia.

Digitized by Google

tationem sufficientem ad amandum, esto non amem. Et sanè non solùm amare, sed ipsum habere vires ad amandum esset materia gloriæ, si homo id haberet à seipso; ergo argumentum nullo modo est ad rem: patitur prætereà instàtiam in bonis naturalibus, , ingenio, sanitate, &c. Dico ergo omnia esse accepta de manu Dei; nam licet, suppositâ creatione nostrâ, necessariò teneretur concedere talem vocationem, ita vt nec diuinitus eam posset negare; quia tamen, dum voluit nos creare, voluit etiam eam vocationem conferre; totum ergo est acceptum de manu Dei; ideoque gloriari nullatenus de eâ possemus quasi non accepta, multò autem minùs, cùm ostenderimus eam esse nouam gratiam, intra ordinem tamen creationis.

Omnia accepta Deo referenda.

Obiectio ex demerito peccati.

Septima obiectio: Per peccatum demeriti sumus omnem cogitationem congruam ad benè operandum; ergo si ea detur nobis, erit ex speciali gratiâ; cumque omnia, quæ per peccatum sumus demeriti, si restituuntur, restituantur per Christum, necessum est, eam gratiam esse per Christum. Confirmatur, Si per Christum non essemus redempti, essemus in statu damnationis; ergo nullum bonum opus naturale efficere possemus. Respondeo, hoc argumento etiam probari, nec cogitationem sufficientem, nec potentias, nec vitam nos habere nisi per Christum, quia omnia demeriti sumus per peccatum: quod est contra ipsum Vasquez.

Confirmatur ex statu damnationis. Nimium probat obiectio.

26. Absolutè Secundò respondeo, gratiam congruam, etiamsi intra ordinem naturæ ita sit indebita, vt non faciendo miraculum vllum Deus eam potuerit negare huic vel illi, nihilominus omnem cogitationem congruam vix posse alicui sine miraculo negari, quia, vt dixi suprà, fortè multi sunt, de quibus Deus in occasione aliqua de facto videt eos restituros peccato cum quacumque cogitatione naturali, quæ tunc ibi potest occurrere: vnde illis si dat cogitationem, vt tenetur aliquam dare, ea eo ipso erit congrua.

Sine miraculo Deus vix negare potest alicui omnem prorsus cogitationem congruam.

Multa potuimus amittere per peccatum, quæ tamen nõ amisimus, idque independenter à gratia Christi. Destituti Redemptore non fuissemus in damnatione, sed in via ad illam.

Addo, licet esset speciale beneficium naturale, adhuc non sequi illud futurum ex gratiâ per Christum, quia non voluit Deus à nobis propter peccatum, esto omnino potuerit, auferre omnia quæ ad ordinem naturæ spectant, & quæ potuisset iure auferre; v.g. ingenium, perfectionem potentiarum, sanitatem, &c. nobis autem Christus ea solùm defacto promeritus est, quæ amisimus per peccatum, non quæ non amisimus, esto amittere potuerimus. Ad confirmationem dico, Etiamsi destituti Redemptore essemus in viâ damnationis, non tamen futuros eo ipso in ipsâ damnatione & in pœnis inferni, ideoque in nobis cessaturas eas rationes, quæ persuadent in damnatis non esse vllum bonum opus morale; quæ, vt Tomo tertio vidimus, desumuntur ex illo propè infinito dolore excitante in eis odium & Dei & omnis boni moralis: de quo fusè citato loco.

27. Octaua obiectio. Omne opus bonum morale de facto conducit ad vitam æternam; atqui omnia, quæ ad illam conducunt, dantur nobis ex meritis Christi, ergo & cogitatio cõgrua ad illud opus. Hoc argumentum etiam est contra eius auctorem: si enim opus bonum naturale habet eam conducentiam, certè non solùm cogitatio congrua, sed etiam sufficiens deberet esse per Christum; quia non solùm nihil de facto quo mereamur vitam æternam, operamur sine gratiâ per Christum, sed nec possumus illud efficere

Obiectio ipsa ipsum auctorem impetit

seu mereri sine eâ gratiâ. Malè ergo ob hoc argumentum quidquam deducitur de cogitatione congrua, quòd non debeat etiam dici de sufficienti. Absolutè respondeo, opus naturale nullo modo esse meritorium nec de condigno, nec de congruo vitæ æternæ aut auxiliorum, neque in peccatore, neque in iusto: de quo fusiùs infrà. Nunc rursus addo, eò quòd illa cogitatio ad bonum opus detur ex meritis Christi, non esse opus illud magis dignum, quàm si à solo Deo immediatè oriretur. Ratio est, quia cùm gratia data in se sit eiusdem valoris, siue ab hoc siue ab illo detur, non potest maiorem dignitatem accipere ex hoc quàm ex illo: deinde opus factum æquè est etiam bonum; ergo in ordine ad meritum vitæ æternæ parum conducit, quòd detur propter Christum, si res data melior non est: sed de hoc etiam infrà redibit sermo.

Nihil hic probatur de vocatione congrua, quod nõ probetur de sufficienti.

Ad meritum vitæ æternæ non magis cõducit gratia per Christum quàm gratia à solo Deo data.

Replicabis: Opera naturalia bona, saltem tamquàm remouentia prohibens, id est peccatum, possunt conducere ad vitam æternam; ergo debent esse ex gratiâ per Christum. Respondeo, Hac etiam replicâ probari auxilium sufficiens ad tale opus esse gratiam Christi; quia neque eo modo potest quis se disponere ad fidem sine gratiâ. Secundò etiam probaretur, opera indifferentia debere esse ex gratia per Christum; quia etiam per illâ potest homo se disponere remouendo prohibens: Tertiò, ipsam distractionem naturalem intellectus etiam sine vllo actu voluntatis esse ex gratia Dei; quia per illam homo etiam disponitur quodammodò, dum per eam impeditur peccatum: & idem esset de somno, stultitia, &c. Absolutè respondeo, ea, quibus adeò indirectè homo disponitur, non esse propriè ex gratiâ Christi: addo, nec semper bona opera de facto esse etiam indirectè dispositiones; sæpè enim ob illa Deus non mouetur de facto vllo modo ad vlteriorem gratiam dandam, sed permittit ea bona opera in suo ordine, non accipiendo inde nec occasionem vllam ad maiora; vt in Gentilibus & Ethnicis, qui numquam conuertuntur, passim contingit.

28.

Replica etiã nimis multũ probãs. Nimis multa deberent vocari gratia per Christum.

Opera bona naturalia aliquãdo nec indirectè disponunt ad salutem.

Sectio IV.

Argumenta contrariæ partis ab auctoritate.

29. MIrum est quàm glorientur auctores aduersæ partis nonnullis testimoniis Scripturæ, Conciliorum & Patrum, maximè Augustini; quæ fusè & eruditè examinat P. Suarez; longissimum esset ea referre, sufficiat duobus verbis insinuare, quædam illorum esse, in quibus dicitur hos sine Deo & gratiâ Dei nullum bonum opus facere; vt Iacobi 1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est*; Arausicanũ cap. 9. Innocentius Epistolâ 27. ad Concilium Carthaginense, Cœlestinus Epistolâ 1. ad Episcopos Galliæ, Augustinus lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 8. de Spiritu & litera cap. 28, Epistolâ 106. & 107. Sermone 13. de verbis Apostoli, & alibi passim, Prosper, Fulgentius, Anselmus, Bernardus & Ioannes Maxentius. Alia loca sunt, in quibus ferè ijdem Patres dicunt nos non habere à nobis nisi peccatum. Ita Arausicanum cap. 22. Augustinus, Prosper, Fulgentius & Anselmus. Ad hæc loca & similia, quæ afferri possunt, primùm dico, quod & suprà obseruaui,

Testimonia contraria reuocantur ad duo genera. Primum dicit nos sine gratia Dei nullũ bonum opus facere.

Secundum, nos à nobis nihil habere nisi peccatũ. Eadem testimonia nõ magis sunt contra sententiã nostrã quàm contra aduersarios.

Digitized by Google

seruaui, ea omnia esse contra aduersarios qui eis vtuntur; Primò, quia in eis negatur non solùm actualis operatio, sed etiam potestas ad illam sine gratia; *Sine me nihil potestis*, &c. Atqui aduersa pars nó negat vllo modo, eum qui peccat potuisse non peccare, & habuisse vires ad benè operandum; quas tamen vires dicit non esse gratiam.

Quod ostenditur Primò.

Ioan. 15.

Secundò, ea loca sunt contra eosdem, qui cùm admittant opera indifferentia in indiuiduo, ad quæ non requirunt gratiam, iam debent fateri contra ea loca, non omnia quæ sunt à nobis esse peccata, cùm sæpè habeamus opera indifferentia.

30. *Secundò.*

Tertiò, quia sicut ipsi dicunt opera bona esse à Deo dante vocationem cógruam ad illa, quam vocationem habere non est situm in nostrâ potestate; ita ex hoc capite possumus dicere, nec quidem peccata nos habere nisi à Deo; quia nisi ille daret cogitationem congruam ad peccandum (quam etiam habere non est in nostrâ potestate) non possemus re ipsâ peccare; ergo quoad hoc ratione cogitationis congruæ non est disparitas: quòd enim vna dicatur gratia, eò quòd sit in bonum nostrum, altera verò non, est per accidens ad punctum præsens, in quo non agimus, nisi, an vtraque cognitio sit à Deo. Explico: Si Petrus nec ad se iustè defendendum, nec ad se iniustè occidendum haberet gladium nisi à me datum, & ego darem eum illi vnâ vice, quando præsciui eum se iustè eo defensurum; & alterâ vice, quando præsciui eum se eo occisurum; certè ex parte donationis gladij non magis vnus quàm alter euentus tribueretur mihi; nec magis dici Petrus potuisset habere à se, se occidere eo gladio, quàm se defendere, etiamsi datio eius gladij in vno casu esset beneficium illius, in altero vero non: quòd si ideò recurratur ad hoc, quòd Deus intendat bonum opus, non verò malum, totum etiam hoc est independens à præsenti puncto: & ea differentia tota quanta posset assignari, etiamsi vocationem congruam non diceremus esse gratiam, vt possunt dicere qui negant in Deo scientiam mediam, quando dat tales vocationes. Addo, P. Vasquez non posse ad eam specialem voluntatem recurrere; nam cùm ea volitio essentialiter supponat scientiam mediam, iam eo ipso esset essentialiter connexa cum operatione, esseturque præfinitio eius actus: quam præfinitionem censet hic auctor aduersari libertati nostræ.

Tertiò,

Sequeretur nos peccata nõ nisi à Deo habere.

Declaratur amplius.

31. *Respondetur locis SS. Patrũ cõtra nos adferri solitis. Nostra sẽtentia à censurâ liberata per Piũ V. & Gregorium XIII.*

Vides ergo parum nos eis testimoniis premi: quibus. Secundò principaliter respondeo cum P. Suario cap. 20. supponendo ea esse dicta contra Pelagianos, & per ea contrariam sententiam vt errorem damnatam: vnde euidenter infertur, Ergo non possunt ea esse contra sententiam nostrã. Patet consequentia, quia sententia nostra auctoritate duorũ Pontificum, Pij V. & Gregorij XIII. si non est definita, minimùm est ab omni censurę nota liberata contra Baium, vt suprà vidimus: & quoad censuram id fatentur ipsi aduersarij: nõ ergo sunt hęc testimonia ad rem præsentẽ. Confirmatur; nam illa alia propositio, quę ex testimoniis citatis infertur, nempe, *Liberum arbitrium sine Dei gratiâ non nisi ad peccandum valet*, damnata est ab eisdem duobus Pontificibus: inter alias enim eiusdem Baij assertiones hæc erat 28. ergo non debet Vasq. aut vllus alius Catholicus eam rigorosè defendere, ac contra nos eam obijcere.

His suppositis, Tertiò respondeo ad prioris generis testimonia, aliquando Scripturam & Patres loqui de operibus meritoriis & ad vitam supernaturalem pertinentibus, aliquando verò de adiutorio seu concursu generali Dei; sine quo nullùm opus fieri potest: ita respondet D. Thom. q. 24. de veritate artic. 14. estque valdè conformis prima ea explicatio verbis D. Augustini; quorum aliqua retulimus suprà, maxime testimonium illud ex lib. de Spiritu & litera cap. 28. vbi cùm de Gentilibus egisset, ait, *Nam & ipsi homines erant; & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit & facit*: subiungit autem, *Sed pietas, qua in aliam vitam transfert beatam & æternam, legem habet immaculatam conuertentem animas.* Vbi apertè legitimum seu bonum naturale distinguit ab ea pietate, quæ ad vitam æternam conducit. Id ipsum colligitur ex Concilio Arausicano can. 7. & can. 6. ac ex Tridentino sess. 6. can. 5, dum enim definitur, sine gratiâ nullum bonum opus fieri posse, additur semper limitatio, *Sicut oportet ad salutem*, vel, *Quod conducit ad salutem*: vbi per τὸ *Quod ad salutem conducit* coarctatur terminus vniuersalis, *Omne bonum opus.* Confirmo ex eadem sessione Tridentini can. 1. vbi definitur, per opera hominis, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, non posse absque gratiâ hominem iustificari. Vbi duo supponit Concilium, & talia opera posse fieri, & ea non esse peccata; nam ridiculum esset definire, hominem non iustificari per opera peccaminosa. Vbi tamen obserua duo; Primum à P. Suario non legi textum hunc vt in Concilio habetur; ille enim τὸ *absque gratiâ* coniungit cum *opera fiunt*; ac si Concilium dixisset, *per opera, quæ absque gratiâ fiunt, non iustificari hominem*: in Concilio tamen fit distinctio aliter; ac si diceretur, *Non iustificantur absque gratia*: vnde non tam clarè denotatur distinctio operum, quam Suarez prætendit: Secundum, ab eodem adduci can. 8. eiusdem Tridentini pro eadem distinctione; quasi in illo supponantur præcedere ante omnem iustificationem opera aliqua, quæ tamen non mereantur ipsam iustificationem; ea autem opera sint naturalia. Ego tamen, quia nollem argumento aut auctoritate dubiâ probare meam sententiam, non censeo hoc testimonium esse ad rem, quia manifestè agit eo ca. Concilium de fide quæ est ex gratiâ & iustificationis initium; explicat enim ibi locum Apostoli asserentis *iustificari hominem per fidem*: vnde, quando immediatè pòst explicans, *cur homo gratis dicatur iustificari, quia nihil horum, qua iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera*, &c. non potest probabiliter explicari de fide naturali; id enim esset tribuere Concilio æquiuocationem ingentem intra duas lineas, vt in primâ ageret de fide ex gratiâ, in secundâ verò de fide, quæ est sine gratiâ, & per naturæ vires. Certum est enim τὸ *siue fides* accipi debere de eadem fide, quam præcedenti lineâ nominarat; definit ergo ibi etiam opera ipsa & fidem, quæ fiunt antequam homo sit in gratiâ, non esse meritoria de condigno gratiæ; nihil ergo inde pro quæstione nostrâ. Vnde & superiùs discutiens hunc locum obseruaui illum absolutè non esse pro nostrâ sententia; ad hominem tamen P. Vasquez vrgeri posse, quia ipse iudicat ibi nomine *iustificationis* intelligi etiam primum auxilium gratiæ ad benè operandum. Vide quæ dixi suprà.

Quid Respondendum testimonijs dicentibus nos nihil boni posse facere sine gratiâ Dei.

P. Suarez ad rectè distinguit textum Tridentini.

Rom. 3.

Esto hic locus Tridentini propriè non sit pro nobis, vrgeri tamen potest contra P. Vasquez.

Sed

32. *S. Leo fauet explicationi nostræ.*

Sed ad explicationem datam redeamus: eam eleganter expressit S. Leo Papa sermone 7. de Quadragesimâ his verbis, *Sed quia quod non ex fidei procedit fonte ad præmia æterna non prouenit, alia est conditio operum cælestium, alia terrenorum.* Vbi sine dubio nomine operum terrenorum, quæque ad præmia æterna non proueniunt, intelligit opera naturalia bona; nam quod peccata non perducant ad eam vitam, erat ex terminis notum, & magis clarum, quàm vt deberet ea distinctio ibi tam operosè tradi.

Quomodo respondendum testimonijs secundi generis, liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere.

Ad alteram partem obiectionis, in quâ dicitur Concilia & Patres asserere; liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere, respondendum est, eos non locutos in toto rigore; vt ex censurâ contra eam propositionem paulò antè ostendi: igitur vel vocarunt ea opera peccatum, quia essent inutilia ad finem beatitudinis: quatenus enim deficiunt ab eo fine dicuntur peccata: & hoc probat testimonium Augustini suprà allatum ex lib. 4. Contra Iulianum cap. 3. vbi hæc habet, *Omnia proinde cætera, quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine vllo facta peccato: quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona: voluntas quippe infidelis atque impia non est bona. Dicantur secundùm te huiusmodi voluntates arbores bonæ, sufficit quod apud Deum & steriles sint, & per hoc non bonæ.* Quibus verbis, ob sterilitatem eorum operum, ostendit se vix non ea dicere peccata. Cùm autem hîc, vbi rem diligentiùs discutit, vix non dicat peccata; dum alibi, vbi minùs rem examinat, dicit absolutè peccata, intelligendus est iuxta ea quæ hîc distinguit.

33. *Bona opera naturalia sine gratiâ frequenter fiùt.*

Secundò respondetur communiter, ideò ea opera sine gratiâ dici peccatum, quia rara sunt; peccata verò è contrario frequentissima. Mihi tamen id valdè difficile videtur, quia erga parentes, erga filios, amicos, &c. sæpè etiam inter Gentiles occurrunt innumeræ occasiones benè operandi, vbi non debemus statim sine causâ peccatum fingere, maximè in iuuenibus, antequam malitia eorum intellectus muter.

Tertiò ergo respondeti potest, eos Patres voluisse dicere Deo solùm tribuenda nostra bona opera, peccata verò nobis; nam licet ad peccandum indigeamus cognitione (vt dixi paulò antè) quia tamen præter Dei intentionem operamur, dicimur nos esse causa peccati. de quo alibi fusiùs.

In Responsione ad testimonia SS. Patrum considerandum est intentum eorumdem.

Quartò etiam dici potest, eos aliquando loqui non tam de ipsâ actuali operatione quàm de voluntate ipsâ; seu de homine ipso quoad ordinem præsentem rerum; nam in hoc statu vel homo est in iustitiâ & sanctitate, & hoc est per gratiam; vel est in peccato, & hoc homo habet ex seipso. Ex his solutionibus aliquæ conueniunt aliquibus locis Patrum, aliæ alijs; & poterunt facilè applicari, si intentum, ad quod Patres collimabant, diligenter consideretur.

SECTIO V.

Sententia quædam media reijcitur.

34. NOnnulli Doctores, qui in multis quæstionibus vtrique quantumuis oppositæ parti volunt adhærere, ac si vllam ex illis offendere timerent, mediam hîc inuenêre viam; dicunt enim veram esse Vasquez sententiam, quatenus licet ab solutè opus aliquod fieri sine gratiâ possit, & fortè fiat in Ethnicis; at in Christianis numquam id de facto contingit: pro quo supponunt, Christianum de facto semper mereri vel de congruo vel de condigno aliquid supernaturale, quandocumque operatur benè; vnde inferunt vlteriùs, eum tunc supernaturaliter operari, quia actus naturalis nullo modo est meritorius præmij supernaturalis; ergo Christianus numquam operatur sine gratiâ per Christum; quia opus supernaturale semper requirit gratiam propriè dictam per Christum. Portò, Christianum semper hoc modo operari inde probant, quia voluntas, quando operatur, semper consulit intellectum, quid sentiat de eo obiecto; intellectus autem semper recurrit ad certiorem regulam, nempe fidei; ergo voluntas tunc dirigitur fide supernaturali, ergo operatur supernaturaliter. Addunt, in Ethnicis vix aliquando fieri bonum opus vndequaque; quia per peccatum ita homo manet inclinatus ad proprium commodum & vtilitatem, vt nisi propter hunc finem vix aliquid faciat.

Explicantur sententia media.

35. *Displicet hæc sententia media quæ tandem relabitur in sententiam communem.*

Tota hæc sententia mihi valdè displicet; & isti ipsi auctores, dum diu se vexarunt, vt aliquibus argumentis responderent, tandem in sententiam communem consenserunt, retractantes quæ sectione antecedenti fusè docuerant. Primò ergo quod de Ethnicis docent displicet; nam multa opera bona occurunt passim, in quibus non potest recurri ad proprium commodum & honorem; v.g. in interiori displicentiâ de peccato, in auersione à luxuriâ, à mendacio, &c. non enim omnes Gentiles tales sunt vt nisi quando videri possunt, tunc non fornicentur, non occidant, non mentiantur, &c.

Multa bona fiunt ab Ethnicis absque proprio commodo & honore.

Secundò, quia etiamsi quis ob proprium commodum, & ne moriatur, comedat moderatè, fugiatque alia pericula, ne occidatur, quia non licet se occidere; certè habet motiuum sufficiens ad operationem vndequaque bonam, vt benè obseruauit P. Suarez cap. 21. num. 15. ergo ex hac parte non est negandum eos sæpè benè operari.

Declaratur exemplis occurrentibus multa bona opera fieri naturaliter sine proprio commodo.

Tertiò, quia quando quis v. g. occurrit alicui qui vel à cane vel ab aliâ bestiâ grauiter impetitur, non est necessum dicere, dominum eius canis fugare canem, ne occidat hominem, solùm ob proprium commodum; idem, si puerulus aliquis lapsus in aquam exiguam iam iam suffocetur; non arbitror omnes Gentiles tales esse, vt nullus illius pueri misereatur, & manum illi porrigat, aut illum extrahat, præsertim quando sine omni periculo & molestiâ id fieri posset: idem est, si diues aliquis naturâ suâ liberalis homini famelico frustum panis daret: idem, si quis suos milites præmio afficeret, quòd strenuè laborarint; idem, si solueret creditori debitum: idem, si benefactores & dominos coleret: quo exemplo etiam hi vruntur ad ostendendum posse aliqua opera fieri sine auxilio gratiæ; negare autem non possunt, etiam apud Gentiles multa talia opera esse de facto: & id Paulus significare videtur dum dixit, *Gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*: vbi non solùm loquitur de potentiâ ipsâ, sed etiam de ipso facto. Et ita docet S. Leo Papa serm. 7. Quadragesimæ, Prosper lib. Contra Collat. cap. 26. Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 20. Gregorius hom. 27. in Euang. Chrysostomus homiliâ de fide & lege naturæ; vbi expressè docet, multos esse qui hæc bona opera faciunt, sed sine fructu, quia nescien-

Rom. 2.

sun

runt veritatem; Augustin. lib.21.de Ciuitate Dei, cap.26. & alibi.

Hæretici sūt Christiani sine habitu fidei.

Altera verò pars de Christianis etiam valdè displicet: & quidem hi malè confundunt omnes Christianos inter se; nam hæretici Christiani sunt & tamen non habent habitum fidei qui sit regula actionum (prout hi videntur discurrere de omnibus Christianis;) est autem certum inter hæreticos etiamsi ignorantiam non habeant inuincibilem suæ hæresis, multos esse moraliter in alijs materiis bonos, & sæpè benè operari de facto; ergo in illis dabuntur de facto multa opera naturalia bona; & id à fortiori verum erit, si careant quidem verâ fide, ignorantiam tamen habeant inuincibilem: frequentiùs enim tunc operabuntur benè.

Catholicus potest habere multa bona opera naturalia.

Denique, etiamsi homo Catholicus sit, multa sine dubio habere poterit opera bona naturalia: quod inde ostenditur euidenter, quia talis per iustitiam & fidem non amisit vires naturales, quas haberet si esset Gentilis; atqui, si esset Gentilis, potuisset efficere actus bonos naturales; ergo & existens iustus eos poterit facere.

37.

Potest huic argumento responderi Primò, hominem iustum loco naturalis actus facere tunc alium supernaturalem ex ea consultatione certioris regulæ fidei, quam hi posuerunt. Sed contrà euidenter, quia supernaturalis actus non pugnat cum naturali, ergo simul efficietur vterq; quod verò non experiamur in nobis duos actus distinctos in ordine ad illud obiectum, non vrget; etenim hi iidem auctores alibi sine vlla experientia aut necessitate cōcedum semper vnum actum voluntatis imperantem reflexè intentionem alterius actus directi, amoris v. g. Dei, aut misericordiæ, &c. cùm tamen, eo ipso quòd illi actus habeant diuersa motiua & obiecta, deberent faciliùs dignosci. Respondeti ergo potest, quando duo actus omnino idem respiciunt obiectum, non posse à nobis dignosci eorum numerum: sic quando video albedinem, habeo tres vel fortè quatuor eius albedinis visiones; vnam in vno oculo, alteram in altero, tertiam in sensu interno, quartam in intellectu: quis autem potetit ob experientiam dicere se habere eos tres aut quatuor actus? idem à fortiori nos dicere poterimus in voluntate; vbi tamen duos tantùm ponimus, qui non sunt ex se tam facilè cognoscibiles: vt quādo obiectum aliquod amamus, non distinguimus duos actus, vnum appetitus, alterum voluntatis.

Simul effici potest actus supernaturalis cum naturali circa idem obiectum.

Multi actus simul fiunt, quos non agnoscimus per experientiam.

In homine fideli dantur habitus virtutum naturales.

Secundò eamdem sententiam impugno, quia omnes Theologi & Philosophi, etiam hi cum quibus disputo, admittunt in nobis habitus naturales virtutū; atqui si fidelis non efficeret actus naturales, non possent dari tales habitus: à quo enim generarentur; & ad quid deseruirent; ergo non possunt in illis negari actus hi naturales boni moraliter. Argumentum autem, quod pro se hi afferebant, scil. hominem iustum, quandocumque benè operatur moraliter, mereri etiam præmium supernaturale, vnde inferebant, illum tunc supernaturaliter operari, facilè soluitur. Dico enim Primò tunc illum naturaliter & supernaturaliter etiam operari, iuxta paulò antè notata. Secundò potest responderi, quod & hi tandem coguntur fateri, non semper; eo ipso quòd quis iustus sit, operari supernaturaliter, sed aliquando solùm naturaliter; fortè eò quòd non habeat motiuum debitum ad actus supernaturales. Verùm hæc vltima ratio difficilis est in mois principijs; ostendam enim infrà idem planè esse motiuum actus misericordiæ naturalis & supernaturalis; ergo si proponatur motiuum sufficiens ad amorem naturalem, etiam proponitur motiuum sufficiens ad supernaturalem; ergo habebit etiam actum supernaturalem, nisi dicere velis Deum tunc nō velle concurrere cum illo ad eum actum supernaturalem: quod durius adhuc est: cur enim in eâ occasione non concurret, sic verò in aliis, cùm homo, quantum est ex se, eodem modo videatur in vno ac in alio casu conari, & semper homo sit eleuatus ad eos actus? standum ergo primæ solutioni.

Quomodo saluetur, iustū quandocumq; operatur, mereri præmium supernaturale.

Difficulter asseritur hominem habere motiuum sufficiens ad actum naturalem, & non ad supernaturalem.

DISPVTATIO XXXIX.

An viribus naturæ haberi possit Dei amor.

1. EGIMVS hucusque de actu aliquo bono, abstrahendo ab hac aut illâ materiâ difficiliori; iam vlteriùs inquirendum de perfectissimo actu; qualis est amor Dei super omnia.

SECTIO I.

Quædam supponuntur

Amor concupiscentiæ.

PRimò, amorem Dei duplicem esse posse; vnum concupiscentiæ, quo homo amat Deum vt sibi bonum: de quo P. Suarez cap. 3 1. à num. 20. quærit, an queat dici super omnia: sed meo iudicio res est exigui momenti, ad vocem spectans; sine dubio hoc sensu potest dici, quatenus inter bona, quæ homo sibi tunc appetit, nihil ita ac Deum ipsum amat (loquor de amore spei) in tali etiam amore includitur virtualiter voluntas faciendi omnia quæ necessaria sunt ad Deum obtinendum; ergo potest dici suo modo super omnia. Alter amor est beneuolentiæ, qui etiam dici potest amicitiæ, & sistit in Deo, eum propter se amando: & de vtroque in præsenti posset inquiri, an sit possibilis naturaliter, absolutè loquendo seu abstrahendo ab impedimentis naturæ lapsæ. Verùm hoc punctum commodiùs expedietur in materia de charitate; ibi enim disputatur, quomodo Deus à nobis possit amari: ergo ex ea disputatione, suppono talem amorem absolutè naturalem esse possibilem; tunc autem (quod huius loci proprium est) disquirimus, an in natura lapsa haberi possit sine auxilio gratiæ.

Amor beneuolentiæ.

Non omnis amor beneuolentiæ est super omnia.

Amor beneuolentiæ perfectus, alius imperfectior.

Secundò supponendum est (quod pauci benè considerarunt) non omnem amorem beneuolentiæ esse eo ipso amorem Dei super omnia, sed posse eum amorem in duos distingui; vnum perfectum, qui dicatur super omnia; & alium imperfectiorem, qui eam vim non habeat. Declaro suppositum: Sine dubio possum amare Petrum sistendo in bonitate ipsius, seu propter ipsum, non eum amando super omnia; nam duos, tres, viginti, etiam centum homines possum simul eo modo amare; tunc autem non amo vnum super alterum, ideò nec super omnia; ergo amare Deum amare

Digitized by Google

amore amicitiæ aut beneuolentiæ non est amare super omnia. Difficultas autem maxima hinc esse posset, in quo ea maior perfectio seu *rò esse super omnia* consistat: tractari autem hoc solet in materiâ de pœnitentiâ, vbi de eâ re egi fusiùs, & ostendi non consistere hoc in maiori illius actus intensione, sed in sola maiori appretiatione, vt velit homo omnia amittere citiùs, quàm Deum offendere. Hæc explicatio non placuit P. Suario Tom.4.de Pœnitentia & cap.suprà citato n.11.non quia,si detur talis comparatio,non sufficiat,vt amor sit super omnia,sed quia nec videtur necessaria,nec sæpè expediens;multi enim ob eam comparationem terrerentur ab eo amore. Nunc breuiter dico,ipsum Suarez eodem capite, dum se torquet n. 12.& 13.vt tandem explicet,in quo consistat ea maior appretiatio,relabi in eam cõparationem; dicit enim debere illum amorem expressè velle placere in omnibus & fugere omnia contraria Deo. ita initio n.13.Id autem,quæso, quid aliud est quàm malle omnia amittere citiùs quàm Deum? hoc enim idem est ac velle fugere omnia quæ sunt Deo contraria. Constet ergo sine aliqua expressa comparatione non posse eam appretiationem declarari. Et de hoc puncto nunc satis.

P Suarez dissẽrit in hoc puncto; sed tandem nobiscũ sẽtit.

Appretiatio inuolnit expressam comparationem.

Quærimus,an vterque hic amor beneuõlentiæ viribus naturæ sine gratia haberi possit.De amore minùs perfecto disputat Suarez toto cap. 30. de amore super omnia cap. 31. quia verò,quæ de hoc secundo dicemus', à fortiori probant de primo,& argumenta in contrarium ferè sunt communia, ego duabus conclusionibus rem hanc inferiùs comprehendam.

2.

Vterq; amor potest in Deũ ferri vt in finem naturalem & supernaturalem.

Nunc Terriò obseruo, hunc amorem Dei tam concupiscentiæ quàm beneuolentiæ perfectum & imperfectum posse terminari ad Deum tam vt est finis naturalis, quàm vt est finis supernaturalis; etenim sub vtraque ratione Deus habet infinitam bonitatem & amabilem super omnia bona creata; non dico iam,vtiùm sub vtraque ratione possit terminare amorem naturalem, aut è contrario supernaturalem,an verò sub vna solùm naturalem,& sub alia solùm supernaturalem:de hac enim quæstione fusiùs agam Tom.5 disp.13.discutiens differentiam ex parte obiecti inter actus naturales & supernaturales: sed solùm dico, Deum etiam præcisè consideratum, vt est Auctor naturæ, esse infinitè amabilem,item esse infinitè amabilem, etiam consideratum vt est Auctor gratiæ.

Amor Dei vt finis supernaturalis super omnia quo sensu intelligendus.

Circa quam doctrinam aduerte, quando dicimus posse Deum amari super omnia, vt est finis supernaturalis, non velle nos dicere, Deum esse amandum,quatenus ea bonitas Dei est nobis bona, seu quatenus est bonum nostrum; hoc enim genus amoris magis spectat ad concupiscentiam & spem quàm ad amorem super omnia, quia hic amor debet sistere in bonitate Dei propter ipsam. Dicimus ergo Deum posse cognosci vt habentem duas bonitates saltem ratione nostra distinctas;quarum quælibet in seipsa & intrinsecè est vera bonitas, etiamsi simul sit respectiua ad nos. Id quod non benè consideravit Scotus in 3. dist.27.q.vnica, §. *Contra primam viam.*& Pater Vasq.disp. 195. n.22. dum putarunt, amore amicitiæ non posse Deum amari vt est finis noster, quia id, inquiunt, spectat ad amorem concupiscentiæ,qui fertur in Deum quatenus bonum nostrum est. Igitur aduertendum, hoc ipsum,quod est, Deum posse esse nostrum finem naturalem,

In Deo duæ bonitates.

esse bonum ipsius Dei,& ipsi Deo intrinsecum & amabile propter ipsum.Idem dico de altero prædicato,quod est,esse nostrum finem supernaturalem:quæ magna est Dei perfectio. Igitur quando dicimus, Deum amari posse sub eâ duplici bonitate,intelligimus Deum vtroque modo cognosci vt bonum in se,licet ea intrinseca bonitas sit respectiua ad nos:sicut quòd Petrus v.g. sit liberalis, est bonitas vtilis seu proficua aliis; interim tamẽ illa eadem est intrinseca ipsi Petro, faciens illum dignum amore sistente in ipso; hoc ergo modo dicimus duas eas bonitates Dei ratione nostrâ distinctas amari posse super omnia, quatenus illæ sunt in se perfectissimæ, & ipsi Deo infinitè bonæ ac pulchræ;vbi non debemus(vt malè aliqui explicant) reflexionem vllam facere supra ipsum amorem,quo amamus; sic enim committeretur vitiosus circulus sine vllâ planè explicatione bonitatis quæ amatur: est ergo res modo dicto explicanda.

Vtraq; bonitas Dei amari potest vt ipsi Deo infinitè bona ac pulchra.

3.

Quartò obseruo,ad differentiam istarum duarum bonitatum non esse necessarium distinguere inter Deum vt vnum & Deum vt trinum;etenim (vt fusè ostendi primo Tomo) etiam Deus vt trinus est ens naturalissimum;& Deus vt vnus potest concipi & esse Auctor supernaturalis: id quod multi non benè consideravunt. Pro quo obserua, Deum, si consideretur in se,adæquatè esse ens naturale,quia est adæquatè substantia; omnis autem substantia secundùm se est natura; vnde aliqui malè quidem Latinè, re tamen ipsâ benè, Deum vocant naturam naturantem, id est producentem naturas: hoc autem habet etiam locum in Trinitate personarum;nam & hęc v. sic est substantia,& Deo ipsi connaturalissima:quod autem homines ex rebus creatis non possint nisi per reuelationem tale mysterium cognoscere, est per accidens ad punctum præsens; nam esto nulla creatura posset Deum cognoscere, non ideò ipsi desineret esse vera & propria natura:& fortè compositio continui non est à nobis perfectè cognoscibilis; non tamen ideò dicenda est vllo modo ipsa in se quid supernaturale. Quòd si supernaturale sumatur pro eo quod est in altiori ordine quàm omnes creaturæ;in hoc sensu etiam Deus vt vnus deberet dici ens supernaturale.Differentia ergo ea in Deo desumenda est ex vi productiuâ rerum supernaturalium,ob quam dicitur ens supernaturale non in se, sed respectiuè; vt verò est productiuus rerum naturalium ille ipse dicitur naturalis Auctor;cùm autem in ordine ad productionem creaturarum tã naturalium quàm supernaturalium Trinitas personarum, iuxta communem sententiam, se habeat quasi per accidens, quia relationes non sunt productiuæ ad extrà, inde fit manifestè, distinctionem Dei vt Auctoris supernaturalis & naturalis cadere non supra Deum vt trinum, sed præcisè vt vnum.

Deus in se consideratus adæquatè est ens naturale. Deus natura naturans.

Quomodo Deus dicatur Auctor supernaturalis & Auctor naturalis. Hæc distinctio duplicis Auctoris præcipuè dicitur de Deo vt vno.

4.

Hinc Quintò obseruo contra multos (si res benè consideretur)Deum vt Auctorem rerum supernaturalium esse obiectum ex se ratione nostrâ minùs perfectum, quàm si consideretur vt est Auctor naturalis seu rerum naturalium, eo planè modo quo Theolog.communiter dicunt,relationes ex se dicere minorem perfectionem quàm dicat ipsa diuina natura:quod idcò noto,quia communiter ferè omnes putãt,ex maiori,iuxta rationẽ nostrã,nobilitate Dei, vt Auctoris supernaturalis,supra seipsum,vt Auctor est naturæ, debere desumi maiorẽ nobilitatẽ amoris supernaturalis, ideo

Perfectius est esse Auctorem naturalem quàm supernaturalem.

Digitized by Google

ideò notanter dixi, *Deum in se sic consideratum esse minùs perfectum*, quia nó dico illum esse vt sic amabilem per ignobiliores actus; eo enim citato loco quinti Tomi ostendam, & per naturales & per supernaturales amari posse vt naturalem & supernaturalem Auctoré, seu vtroque modo tangi posse per vtrosq; actus; id ergo præcisè doceo, Deum, qui tangitur, si per impossibile diuidi posset in duas partes (sicut ratione nostrâ diuiditur in duas quasi formalitates) vnam productiuam rerum præcisè supernaturalium, aliam naturaliũ, longè futuram perfectiorem hanc formalitatem seu partem quàm illam; nam (vt ostendi primo Tomo agens de ente supernaturali) absolutè & simpliciter perfectiora sunt entia naturalia quàm supernaturalia: etenim si per impossibile dari posset optio, quid homo mallet esse, an substantia nobilissima Angeli capax cognitionis, amoris Dei, &c. an verò entitas accidentalis gratiæ; sine dubio quilibet prudens iudicaret, debere magis eligi esse talem substantiam quàm gratiam: rationem à priori meo iudicio manifestam ibidem reddidi; nam ens supernaturale quà tale ferè semper est accidens naturæ; ideò enim est supernaturale, quia est vltra perfectionem accidentium, quæ sunt debita substantiæ: cùm autem omnia accidentia connaturalia Angelo v.g. sint in credibiliter inferiora quàm eiusdem Angeli substãtia, fit manifestè, vt ad hoc, quòd aliud accidens sit supra hæc connaturalia, & consequenter sit supernaturale, non requiratur vt illud sit æquè perfectum ac illa substantia, multò minùs vt sit illâ perfectius. Cessante autem hac ratione, nó est cur negemus, eas substantias maximè intellectiuas esse nobiliores talibus accidentibus; ergo Deus vt auctor supernaturalis non potest res simpliciter tam perfectas producere quàm possit vt auctor naturæ; ergo nobilius obiectum apprehendimus in Deo vt Auctore naturę, quàm in eodem vt Auctore supernaturali. Videant ergo iam, qui ex obiecto volunt desumere maiorem nobilitatem actuum supernaturalium, eò quòd hi terminentur ad Deum vt auctorem supernaturalem, quàm benè hîc substsistant. Sed de hoc eo quinto Tomo fusiùs.

Entia naturalia simpliciter sũt perfectiora quàm entia supernaturalia.

Ratio huius à priori.

Quæstio præsens extenditur.

Sextò obseruo quæstionem hanc posse extendi tam ad naturam integram quàm ad lapsam seu puram: has duas vltimas coniungo, quia (vt sæpè obseruaui) eædem sunt vtriusque vires: integram verò naturam pono in altero extremo, quia in eâ sedatis passionibus, & datis clarioribus cognitionibus ex parte intellectus, quæ voluntatem alliciant, longè maiores essent vires ad hunc actum, seu longè minor difficultas in eo eliciendo, sicut & in cæteris omnibus aliarum virtutum naturalium. His positis,

Sectio. II.

Quid de errore Michaëlis Baij, & de sententiâ Patris Vasquez.

5. Audax error Baij.

Michael Baius propositione 34. & 36. ex damnatis in Bullâ à Pio V. & Greg. XIII. contra ipsum editâ, ita reiicit omnem naturalem amorem Dei tam perfectum quàm imperfectum, seu concupiscentiæ, vt dicat eam duplicis amoris distinctionem esse vanã & commentitiam, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitatam: imò 38. propositione adhuc ne quidem intra ordinem supernaturalem alium amorem agnoscit quam charitatis; vnde tacitè videtur reiicere amorem spei, quo Deum vt bonum nostrum amamus, seu speramus. Fundamentum huius erroris desumitur ex Scripturâ, in quâ non videtur fieri mentio alterius amoris quàm charitatis. Hæc tamen ratio nullius est momenti, quia spes passim in Scripturâ commendatur; illa autem formaliter est amor imperfectus Dei seu cõcupiscentiæ. Quòd si solùm negare velit amorem amicitiæ naturalem, Primò respõderi potest, in Scripturâ commendari solos eos actus, qui ad vitam æternam conducunt, amorem autẽ naturalem, sicut cætera opera naturalia bona, nõ conducere ad salutem, vt sæpè diximus. Secundò responderi potest eum cõprehendi nomine charitatis; quia reuerà talis amor est charitas naturalis. Tertiò respondetur, non omnia, quæ in Scripturâ non laudantur, ideò esse mala, nisi simul vt mala ibidem reiiciantur. Si denique loquatur de distinctione illâ ex parte obiecti Dei, vt finis naturalis, & eiusdem vt supernaturalis, euidenter reiicitur. Nam Scriptura agnoscit ordinem gratiæ, ad quem misericorditer sumus eleuati; vbi continetur, Deum esse finem nostrum supernaturalem, & simul potuisse esse purè naturalem, si gratiam eiusmodi non contulisset.

Spes est amor imperfectus. Fundamentũ Baij ex sacra Scriptura sumptum nullum est.

Errori huic dedit ansam alius eiusdem auctoris, quòd iudicauerit, Deum non potuisse nos ad gloriam æternam non creare; vnde non agnouit Deum nisi vt finẽ nobis connaturalem, aut certè vnico modo finem. Quòd si semel in Deo duplex illa perfectio ponatur, iam ostendi ob vtramque Deum esse infinitè amabilem.

Occasio huius erroris Baij.

Adduci etiam pro eodem errore possunt Conciliorum, August. & aliorum Patrum malè intellecta; in quibus videtur insinuari, omnem amorem Dei, imò omne opus bonum, esse ex gratia Dei: sed præterquam quòd omnibus his abundè suprà respondemus, quî debeant intelligi, nunc additur, etiamsi deberent intelligi de omni amore, solùm inde inferri, eum amorem naturalem indigere nunc speciali auxilio gratiæ ob difficultates maiores. de quo paulò pòst agendum erit.

Apparenter confirmari potest iste error auctoritatibus.

Nunc igitur contra hanc sententiam dico, sicut suprà docuimus, etiam in natura lapsa posse fieri bonum aliquod opus sine gratia, ita etiam posse haberi aliquem amorem beneuolentiæ Dei, saltem imperfectum. Ita Suarez ca. 29. ex communi Theologorum sententia, Tanner. q. 3. à nu. 107. Estque res in se facilis; nam vt homo erga Dei bonitarem naturaliter cognitam aliquo modo afficiatur eam propter se amando, non videtur necessarium gratiæ auxilium. Non ago iam de eo amore qui est radix obseruantiæ totius legis, de quo paulò pòst, sed qui amet quidem Deum propter se, & consequenter amore beneuolentiæ; nõ tamen adeò perfectè, vt eos effectus causet; vt in creatis possum amare aliquem amore beneuolentiæ in ipso sistendo, etiamsi inde non determiner ad cætera propter ipsum contemnenda, vt superiùs obseruaui; ita dico posse esse talem amorem beneuolentiæ erga Deum sine auxilio gratiæ. Et de Baio satis.

In naturâ lapsa potest naturaliter haberi amor Dei imperfectus.

P. Vasquez disp. 195. cap. 2. etsi reprehendat Baium ob censuram contra eos qui duos amores Dei, naturalem & supernaturalem, admittunt; ob quam solam censuram credit ibi Baium à Pontificibus damnari, in substantia tamen sententiæ vehementer ad illum accedit; ait enim

erga

Digitized by Google

erga Deum non posse esse amorem naturalē beneuolentiæ, neque supernaturalem concupiscentiæ, sed beneuolentiam omnem esse supernaturalem, concupiscentiam verò naturalem: vbi non est credendus dicere (etiamsi id ei tribuat P. Suarez cap. 30. nu. 1. & quidem verba ita videantur sonare) nullum amorem concupiscentiæ erga Deum esse posse supernaturalem; nam cùm dicat amorem, quo Deum videre speramus, esse concupiscentię ad spem pertinentem, & agnoscat actus spei supernaturales, non potest credi negasse omnem amorem concupiscentiæ supernaturalem, sed solùm voluisse, non necessariò omnem esse supernaturalem; cùm tamen amor amicitiæ in Deum omnis debeat esse supernaturalis, iuxta ipsius doctrinam.

P. Vasqu. non sensit, nullum amorem concupiscentiæ erga Deum posse supernaturalem esse.

Dixi suprà, aliud esse quærere, an absolutè & simpliciter possint dari erga eamdem bonitatem diuinam duo illi amores; naturalis vnus, alter supernaturalis; aliud verò quærere, an in naturâ lapsa indigeat homo speciali auxilio ad illos habendos, etiam ambos naturales. De primo pūcto ex Proposito agā Tomo quinto; illuc enim propriè spectat declarare, an omnis spes erga Deum & omnis amicitia in eumdem debeat esse supernaturalis; quia eo Tomo erit de fide, spe & charitate agendum. Igitur disp. 13. ostendam efficaciter contra P. Vasq. & actu supernaturali posse nos amare Deum amore concupiscentiæ, & naturali amore amicitiæ; vbi etiam ostendam erga bonitatem naturalem posse versari actum supernaturalem; & è contrario erga bonitatem supernaturalem pòsse esse actum naturalem. Quòd verò Deus amari possit, absolutè loquendo, amore naturali amicitiæ seu beneuolentię, facilè inde probatur nunc breuissimè, quia ratio naturalis, præcisa etiam omni reuelatione, dictat Deum esse infinitè bonum & infinitè amabilem propter se: non enim proponitur Deus tantummodò bonus per modum medij ad aliquem finem, vt propterea cogamur dicere, non proponi amandum, nisi amore concupiscentiæ: quis enim audebit negare ratione naturali proponi vt maximè honestum, iustum, sanctum, pulchrum, ergo vt propter se seu beneuolentiæ affectu infinitè, etiam quantum in ipso est, amabilem; siue interim ratio naturalis quidquam dicat, an nos è contrario amari à Deo possimus amore beneuolentiæ seu amicitiæ; & cōsequenter siue noster ille amor dicendus sit amicitiæ siue nō; id enim planè est impertinens ad intentum nostrum; ideóque ego aduertenter vocaui eum nostrum amorem beneuolentiæ, abstrahendo à voce *amicitiæ*: quare euasio P. Vasq. quòd ratio naturalis inter Deum & hominē non agnoscat amicitiam, nullius est momenti. Secundò, ratio naturalis etiam ostendit Deum non debere ob vllam creatam bonitatem leuiter offendi, multò minùs grauiter; ergo ratio naturalis dictat illum esse amabilem super omnia; ergo naturaliter, absolutè loquendo possibilis est talis amor. Et satis pro præsenti; nam ea de re fusiùs loco citato.

Supposita ergo eius amoris possibilitate absolutè, restat aliud punctum discutiendum, & huc propriè spectans, quæ scil. gratia ad talem amorem naturalem eliciendum sit necessaria. In quo puncto Primò dicendum est, nō esse necessariam gratiam in substantia supernaturalem; hæc enim solùm requiritur ad actus etiam in substantia supernaturales. Secundò dicendum, debere pro decisione distingui inter naturam lapsam seu puram & inter integram, quia, iuxta sæpè dicta, in illâ multa valdè reperiuntur quæ sæpè reddunt difficilia ea quæ alioquin sunt naturaliter possibilia; in integrâ verò è contrario multa, quæ reddunt faciliora ea quæ absolutè viribus naturæ fieri possunt. Hinc concluditur, in naturâ integrâ illum amorem posse sine vllo auxilio gratiæ speciali haberi; quia si in eo statu non posset esse, certè in nullo posset; in eo enim non essent difficultates, quæ illum amorem redderent moraliter impossibilem; imò clarior cognitio bonitatis diuinæ illum redderet faciliorem: & ita sentiunt communiter Scholastici, quos refert & sequitur P. Suarez suprà & P. Tanner. q. 3. dub. 4. fuit q; expressa doctrina D. Thom. hac q. 109. vbi eam defendunt omnes Thomistæ. Solet autem probari ex Arausicano can. 25. vbi docetur liberum arbitrium per peccatum amisisse potentiam amandi Deum; ergo eam habebat in naturâ integrâ. Vrgetur, quia non potest hîc esse sermo de amore supernaturali; ad hunc enim liberum arbitrium non habuit vires etiam ante peccatum; ergo necessariò debet esse sermo de amore naturali. Ego tamen ab hac probatione abstineo, quia Concilium addidit ibi *sicut oportet*, vtique ad salutem; amor autem naturalis nō est sicut oportet, etiam in sententia eorum qui hac auctoritate vtuntur, ergo. Absolutè ergo respondeo, ideò à Concilio dici liberum arbitrium amisisse per peccatum vires ad rem supernaturalem, quia reuerà illas habebat, non quidem debitas, sed ex misericordiâ Dei datas; sicut dici potest amisisse gratiam habitualem, etiamsi hæc non fuerit ipsi homini connaturalis. Faciliùs ergo inde probatur nostra sententia, quia talis amor cùm (vt ostensum est) sit ex se proportionatus naturæ, in statu verò naturæ integræ nihil fuerit quod ab eo retardauerit, nam passiones omnes in eo fuêre subiectæ rationi, ideóque ex obiectis sensibilibus non proueniebat vlla difficultas vllius momenti, non est cur tunc denegetur possibilis.

7. *Amor Dei naturalis perfectus in natura integrā exigit gratiam specialem.*

Probatio in Cōcilio fundata hic inefficax est.

Facilior & melior probatio.

Aliquæ obiectiones ex eodem Concilio Arausicano & Patribus fieri possent: ab his enim, maximè ab Arausicano, dicitur, neque in naturâ integrâ potuisse Deum diligi super omnia, nisi ipso Deo adiuuante. Respondetur tamen his omnibus, vel esse sermonem de amore supernaturali, quem ideò vocant *sicut oportet ad salutem*, vel ad illum naturalem requiri auxilium generale Dei, vt infrà agentes de victoria omnium tētationum fusiùs dicemus. Tota ergo difficultas restat circa naturalem lapsam.

Quomodo testimonijs in contrarium respōdendum

Sectio III.

Aliorum sententiæ variæ, & earum fundamenta.

Prima sententia ait possibilem in natura lapsa.

PRima affirmat, actum naturalem amoris Dei super omnia esse possibilem viribus naturæ & in purâ naturâ, & in lapsâ. Pro quâ sententiâ multos refert Molina in Concord. 1. p. q. 14. art. 13. disp. 14. vbi ipsam tamquam Scholasticorum communem & valdè probabilem latè probat & defendit disp. 19. Suarez etiam cap. 32. aliquos refert. Aduerto antiquos Theologos fortè non cognouisse actum dilectionis Dei supernaturalem quoad substantiam, sed solùm quoad modum; sed quidquid de eis sit, citantur ex modernis Stapletonus lib. 1. de Iustificatione

Digitized by Google

cap. 4. & Binsfeldius sect. 3. de libero arbitrio memb. 6. concluſ. 2. De D. Thom. paulò antè contra Vaſq. dictum eſt: ſatis eam inſinuat 1. parte q. 60. art. 5. ad 4. & q. 63. art. 1. ad 3. & hac q. 109. art. 3. in argumento, *Sed contra*, vbi ait, Adam, licet (vt aliqui putarunt) fuiſſet conditus in puris naturalibus, tunc tamen dilexiſſet Deum ſuper omnia; diximus autem ſuprà eaſdem eſſe vires in natura lapſa ac in pura; art. verò 4. ad 3. ait, præceptum de dilectione Dei non poſſe impleri ab homine ex puris naturalibus; ſecundùm quod ex charitate impletur, vt ex ſuprà dictis; ergo ſenſit alio modo, nempe per dilectionem naturalem Dei impleri poſſe.

D. Thom. poteſt explicari pro parte contrariâ.

P. Suarez ratio pro parte negatiuâ.

Ratione verò hac ſolâ Suarez vtitur, aliis meritò reiectis, quia ad diligendũ Deum ſuper omnia efficaciter, neceſſe eſt, vt qui ſic diligit poſſit vincere omnia quæ illi amori intra ordinem naturæ repugnant; ſed hoc non poteſt homo lapſus ſine gratia, ergo nec habere dilectionem efficacem. Minor patet, quia diligere Deum ſuper omnia includit propoſitum ſeruandi legem (vt ſuprà diximus:) cui propoſito quodlibet peccatũ mortale repugnat: ſed non poteſt homo lapſus vitare ſuis viribus omnia peccata mortalia contraria legi naturali, ergo nec vincere omnia quæ repugnant illi amori. Maior patet, quia actus efficax & abſolutus debet eſſe de obiecto abſolutè poſſibili: minorem probabimus infrà efficaciter; conſequentia autem eſt certa, ergo:

SECTIO IV.

Reijcitur præcedens fundamentum.

10. *Ratio P. Suarez ineffax eſt, & nimium probat.*

HÆc ratio valdè eſt inefficax; & in primis ex ipsâ ſequitur, talem dilectionem etiam ex gratiâ eſſe poſſibilem tum in purâ naturâ tum in lapsâ. Probatur, quia obiectum eſt omnino impoſſibile, etiam ſuppoſitâ gratiâ concurrente ad eum amorem; ergo numquam fieri poterit, vt potentia eliciat actum efficacem.

Non omittatur ſequela ex ratione Suarez illata.

Circa illud, vt argumẽtatur Suarez, dices gratiam Dei requiri ad hoc, vt obiectum poſſibile reddatur. Sed contrà; Ergo datâ poſſibilitate obiecti poterit quis ſine auxilio gratię elicere dilectionem efficacem: ergo non tam erit neceſſaria gratia ad actũ quàm ad obiectum actus, & ita non erit neceſſaria eo tempore quo actus elicitur à potentiâ, ſed ſolùm eo quo lex adimplenda eſt & vincenda tentatio: tunc ſic, Ergo ſicut in naturâ integrâ poterat quis habere talem actum propriis viribus, licet ex dono ſuperaddito naturæ haberet hoc, quod eſt poſſe ſeruare legem naturalem, & vitare omnia mortalia, ita etiam in naturâ lapsâ; quandoquidem ex auxiliis gratiæ ſupponitur quis potens ad illas difficultates ſuperandas; poterit tamen viribus naturę diligere Deum abſque ſpeciali Dei adiutorio collato pro eliciendo ipſo actu diligendi.

Alia replica ſoluitur.

Dices fortè iterùm, in naturâ lapsâ requiri ſpẽ talis adiutorij & fidem, quæ proponat ipſum certò affuturum. Sed contrà, quia eodem modo hoc requireretur in naturâ integrâ, quòd ſcil. quis eſſet certus per fidem, Deum conſeruaturum illum ſtatum gratis naturæ datum; ſin minùs, non poſſet eſſe certus, futurum eſſe ſibi poſſibile diu ſeruare legem: quòd ſi id cognoſci poterat certò per vires naturæ ſine fide in ſtatu naturæ integræ, cur etiam cognoſci non poterit etiam per vires naturę in lapsâ abſque fide ſupernaturali, & ſperari abſque ſpe ſupernaturali? ergo dicendum eſt amorem hunc ex viribus naturæ vel eſſe impoſſibilem in naturâ integra, vel è contrario in lapſa poſſibilem.

Vrgetur in ſtatu puræ naturæ.

Quæ omnia clariùs oſtendo in natura pura; nã Suarez libenter fatetur, in illo ſtatu eſſe poſſibilem dilectionem ſuper omnia efficacem ex auxilio aliquo ſuperaddito naturæ; de quo peto an ſit ad diligendum ſtante impoſſibilitate obiecti, quæ

8. *Quomodo prima huius ſẽtentia auctores reſpondẽdi teſti monijs in contrarium. Ex mẽte Cẽciliorum probant ſuam ſententiam.*

Quòd ſi his auctoribus obiicias loca Conciliorũ & Patrum, quæ aduerſarij pro ſe adducunt, maximè Vaſq. diſp. 194. reſpondebunt vno verbo, eos loqui de dilectione ſupernaturali ſiue de dilectione *prout oportet ad ſalutem*; imò cùm Araũſicanum & Tridentinum definiunt, nos non poſſe diligere Deum *prout oportet*, inſinuant alio modo poſſe diligere; & quidem cùm dilectio naturalis ex ſe ad ſalutem nullam conducentiam habeat, dato quòd ab infideli & à peccatore haberetur ſine eleuatione in finem ſupernaturalem, vt de aliis bonis operibus diximus, nullum inconueniens reputari debet viribus naturalibus cõcedere etiam de facto potentiam ad eum amorem. Id quod vlteriùs inde confirmãt, quia talem dilectionem poſſibilem eſſe abſolutè ſine gratia in ſtatu naturæ integrę ſuppoſuimus ſuprà: atqui difficultas in eo amore eliciendo nõ eſt de facto tanta, vt ſine gratia ſuperari non poſſit; ſolùm enim obiicitur inclinatio hominis ad malum, quam in nobis experimur: atqui ea tanta non eſt, vt propterea homo nequeat aliquando vnum actum elicere naturaliter, quo dicat ſe nolle vmquam grauiter peccare; hic autem ſufficit ad eum amorem ſuper omnia, ergo.

Confirmans melius.

9. *Declarãt ſuã ſententiam.*

Declaratur: Propoſitum non peccandi nihil aliud requirit quàm odium efficax peccati ortum ex motiuo vniuerſali; quo actu ſtante, non poteſt admitti aliquod peccatum; tale autem odium efficax, ex quo ſequatur dolor de præteritis, & cum quo ſit incompoſſibile quodcumque peccatum actuale graue, haberi poteſt ex motiuis virtutum plurium moralium vniuerſalium; quarum actus efficaces negari non poteſt eſſe etiam in natura lapſa poſſibiles: id quod in Religione, obedientiâ & aliis virtutibus oſtendi poſſet: ergo & haberi poterit amor Dei ſuper omnia.

Secunda aliorum ſententia negat poſſibilem in naturâ lapsâ.

Secunda ſententia, etiamſi admittat actum amoris Dei ſuper omnia in natura integra eſſe poſſibilem ex viribus naturę, negat tamen in lapſa; & eadem ratio eſt de pura. Tenẽt eam ex modernis plures, Valentia hîc diſp. 8. q. 1. p. & 4. 2. 2. diſp. 3. q. 19. puncto 1. & Controuerſia de gratia cap. 3. p. 4. Bellarminus 6. de Gratia & libero arbitrio ca. 7. & 8. docens, Deum vt Auctorem naturæ nec dilectione imperfecta ſeu breuiſſima & non habente effectum diligi poſſe ſine auxilio gratiæ; & ſe non dubitare quin hæc ſententia ſit Auguſtini, Conciliorum & Scripturæ, quidquid aliqui minùs conſideratè in hac parte ſcripſerint: Molina in Concordia q. 14. art. 15. diſp. 19. vbi dicit hanc eſſe nunc communem ſententiam in ſcholis variarum Prouinciarum; Suarez 1. p. lib. 2. de Prædeſt. ca. 10. n. 13. & 14. etiamſi ſentiat probabile, eſſe poſſe aliquando etiam in natura lapſa talem amorem; idem fuſiùs defendit hîc ca. 33. quo dia agit, vt oſtendat eam eſſe mentem D.

Digitized by Google

quæ tunc esset, an non. Existente certè impossibilitate obiecti, quantumcumq; Deus conferat auxilia, semper actus erit impossibilis, quia obiectū est impossibile; si verò auxilium in natura pura requiritur, vt obiectum reddatur possibile, peto, quomodo tunc constabit homini ipsi in illa natura tale obiectum sibi futurum possibile? nam id non potest constare per actum supernaturalē: si dicas, naturalem ad id sufficere absque fide supernaturali, eodem modo in natura lapsa homini constare poterit sibi affuturum auxilium, & consequenter ad ipsum amorem Dei nullum aliud auxilium actuale requiretur præter illud, quod futurum possibile cognoscitur in obseruatione legis.

II. *Quid præcisè requirat vi suæ existentiæ actus dilectionis Dei super omnia naturalis.*

Hinc concludo, propositum omnia subiiciendi Deo, & de cætero non peccandi mortaliter, prout ad dilectionem Dei super omnia spectat, solùm requirere, quod hîc & nunc omnia, quæ sese menti offerunt, Deo actualiter subiiciat tam efficaciter, vt hoc actu durante non possit homo non adhibere media, quæ requiruntur, vt nihil contra Deum committat, quod graue sit: qui actus esse potest, siue homo sciat se posteà casurum ab amore, imò esto ei constet non posse se in eo diu perseuerare: id quod clarè ostendo, quia si Deus mihi reuelaret post breuissimum tempus me in lethale casurum, & auxilia, quibus possim adimplere totam legem, mihi deneganda, tamen nunc in gratia existens possem amare Deum super omnia, & per hunc actum me & omnia Deo subiicere: ergo propositum de cætero non peccandi, prout ad charitatem requiritur, non petit obiectum adimplētionis legis mihi proponi possibile in futurum. Quod enim futurum est nihil impedit, quò minùs hîc & nunc ita efficaciter Deum amem, vt hoc actu durante omnia media adhibeam, né peccatum sequatur: in quo actu consistit propositum non peccandi in amore supernaturali inclusum: vel explicent aduersarij, cur ille, qui scit se post breue tempus peccaturum, cognoscens nunc Deum esse summè amabilem, nequeat ipsum summè amare. Explicatur magis vis rationis, si ponamus homini iusto habenti dilectionem Dei super omnia ex charitate reuelari post triduum se casurum in peccatum, licet posteà surrecturus sit, ideóne homo iste non poterit in amore perseuerare, etiamsi respiciat illud obiectum vt sibi impossibile in ordine ad executionem futurum? dicere verò illum cessare debere ab amore super omnia, absurdum est, quia iste hîc & nunc est in gratia & cum habitu charitatis, & potest habere præceptum amandi Deum hîc & nunc super omnia.

Futurus lapsus non impedit propositū non peccandi deinceps.

Reuelatio lapsus secuturi non impedit perseuerantiā in amore Dei.

Ex quibus omnibus fit euidens, efficaciā amoris Dei super omnia non pendere ab eo quòd legis obseruatio repræsentetur vt possibilis in futurum, sed solùm ab eo quòd hîc & nunc possim ego Deo post habere etiam quæ futura sunt. Vrgeo ex casu posito, tantisper mutato, quia licet Deus alicui existenti in peccato reuelaret ipsum casurum in aliud, vel ipsi ad tempus fore impossibilem adimplētionem legis naturalis & supernaturalis, non propterea iste poneretur extra statum salutis, sed adhuc hîc & nunc posset de peccatis præteritis iustificari: quòd si adueniat obligatio confitendi, posset habere propositum sufficiens se emendandi, quantum est ex se, & seruandi præcepta, sufficientemque dispositionem, vt per Sacramentum gratiam reciperet, posseque extra Sacramentum conteri & iustificari, si Deus

12. *Efficax amor Dei super omnia vnde pendeat.*

ei repræsentaretur vt summè diligibilis supernaturaliter & peccatum summè odibile. Ratio verò à priori est, quòd ad charitatem solùm requiritur, quod quis respiciat diuinam bonitatem ita efficaciter, vt existente tali actu non possit non omnia Deo subiicere; ergo propositum virtuale, quod ad charitatem requiritur, non petit necessariò possibilitatem in futurum, sed solùm facilitatem præsentem, vt quis facilè possit hîc & nunc respicere diuinam bonitatem efficaciter: & de eo qui sic amat diuinam bonitatem rectè intelligitur illud Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit*, & 1. Ioan. 2. *In hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius obseruemus. Qui seruat verbum, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* & cap. 5. *Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus.* Quæ & similia intelligi debent non tam de obseruatione quàm de efficaciâ actus dilectionis Dei; quo durante adhibentur media, ne peccatum sequatur, & ex quo oriatur efficax odium peccati, quia est contrarium Deo; cum quo semper dolor de commissis maximus appretiatiuè coniunctus est, etiamsi posteà deficiente eo actu sequantur peccata. Hanc doctrinam valdè benè & distinctè tradidit Pater Molina in concordiâ quæst. 14. art. 13. disp. 14. memb. 3. & 4. probans eam dilectionem Dei (quæ si sit in ordine supernaturali sufficit ad iustificationem) licet debeat continere propositum ex parte ipsius hominis absolutum & efficax, non tamen pendere ab eo quod posteà futurum erit; vnde etiam infert, aliud longè esse, requiri gratiam ad propositum illud seu amorem eliciendū, aliud verò, requiri eam gratiam ad implenda deinde posteà quæ per illum actum proposita sunt: & iuxta hanc distinctionem explicat Patres aliquos & Concilia, dum videntur negare fieri sine viribus gratiæ non posse actum illum amoris efficacem, hoc est, eum fieri non posse adiuncta simul deinde eâ obseruatione præceptorum. Fateor eum hoc ipso loco tale propositum nolle vocare efficax, quia denominationem hanc efficacis in eo amore iudicat esse extrinsecam ab effectu deinde producto: id quod ad solum modum loquendi pertinet, & mihi minùs probatur: interim tamen non negat Molina posse illum affectum ex se esse magis adhuc glorioſum in eo qui posteà cadit insurgente tentatione, quàm in eo qui deinceps non peccauit mortaliter; ac proinde Molina non fauet Patri Suario, vt ipse putat. Sed age, demus requiri, homini proponi possibilem eam obseruationē in futurum, potest id per actum naturalem credi. Pone nunc hæreticum in alio puncto errantem, firmissimè tamen per actum naturalem credentem Deum dare nobis vires ad obseruandam legem; ecce hic per actum naturalem intellectus habet quidquid requiritur, vt velit in posterum totam legem seruare.

Ratio à priori.

Ex efficaci amore Dei oritur efficax odiū peccati & dolor appretiatiuè maximus de peccatis commissis.

13. Vltimò, quia ex errore posset Gētilis aut alius credere sibi naturaliter esse possibile seruare totam legē; ergo tunc posset naturaliter habere eam dilectionem. Tetigit hanc obiectionem P. Suarez supra n. 23. ei duplicitet respondet; Primò, illum non esse absolutum amorem, sed conditionatum, quia semper includit virtualiter conditionem hanc, *si possim efficere quod promitto*; cúmque re ipsâ non possit, non erit re ipsa absolutus actus. Hæc tamen solutio nullo planè modo subsistit, quia reducit rem totam ad solam vocem, quâ etiam videtur abuti.

P. Suarez reuocauit obiectionem citra se.

Eius solutio nō sustinetur.

Digitized by Google

Efficax voluntas secundùm quid debeat ponderari.

Pro quo aduerte, efficaciam, & (vt sic dicam) generosam determinationē voluntatis non ponderari ex his quæ posteà re ipsâ præter omnem planè intentionem aut cogitationem volentis contingent, sed solùm extendi secundùm id, quod actu re ipsâ homo nosci, & proponit. Pono duos homines eodem modo cogitantes se certò & infallibiliter deprehensuros dormientes in lecto suos hostes; pone eodem modo iudicantes se eos posse occidere; certè nemo dicet non posse tunc habere vtrumque æqualem volitionem efficacem occidendi illos, etiamsi vnus fortè re ipsâ non inueniat deinde hostem, vel in viâ casu illi gladius amittatur, vel per vim detineatur, vel repentè moriatur: nemo enim efficaciam & absolutum propositum hodiernum metietur ex eo euentu non præuiso. Confirmo & declaro ita, vt nec quidem in modo loquendi possit esse dubitatio. Apud omnes hæc constituitur differentia inter volitionem absolutam & efficacem Dei, & inter absolutam & efficacem creaturæ, quòd illi nemo potest resistere; hæc autem, quantumuis sit omnino efficax, possit tamen frustrari, eique possit resisti: at, iuxta P. Suarez doctrinam, etiam creata volitio efficax, si absoluta omnino sit, non potest frustrari, neque potest ei resisti; quia si homo habiturus est qui ei resistat, iam eo ipso non fuit efficax in sententia Patris Suarez; efficax enim non est nisi ex suppositione, quod nullum sit futurum impedimentum; ex suppositione autem, quòd nullum tale sit futurum, quis dubitat illi volitioni non posse resisti: ergo, iuxta eam solutionem, non potest etiam volitioni creatæ efficaci resisti: hoc autem quàm sit absurdum nemo non videt. Ecce ad quas angustias reducit vnum principium non benè discussum. Verùm, ne vocibus hæreamus, concedatur nobis vnus talis amor, qui sit æquè bonus & laudabilis, quia, iuxta ipsum P. Suarez, bonitas & laudabilitas actus non desumitur ab effectu, sed ab affectu, & non curabimus multùm, an sit vocandus amor omnino efficax, nec-ne.

Declaratur exemplo, ex euentu non præuiso metiendā nō esse efficaciam voluntatis.

Confirmatur solidius. Volitio efficax Dei & creatura in quo differant.

Quos P. Suarez impugnat nil dicunt contrarium.

Denique in eâ explicatione profectò nulla esse potest dissensio inter Patrem Suarez & illos quos refutat; nam illi expressè dixerunt, eum actū non posse diu durare, nec hominem re ipsâ seruare totam legem, sed solùm affectiuè per illum velle omnino id præstare: concedit autem P. Suarez talem actum; & ob effectum, quo deinde carebit, dicit non esse dicendum absolutum: hoc autem ad solam vocem reducitur, vt suprà insinuaui. Secundò respondet, eum actum esse debilem & infirmum ad vincendas tentationes; quia qui in talem amorem prorumpit, vel non intelligit, vel non cogitat, quàm arduum habeat obiectum, ideóque posteà aduenientе occasione, qui sic fuerat affectus, facilè desistit. Verùm neque hæc solutio placet: Primò, quia supponit falsum; potuit enim homo ille omnes eas difficultates tam benè ponderasse quàm si haberet gratiam; nam, vt supponimus, ille credit se illas posse superare; ergo ex hoc capite non est vlla disparitas. Secundò, non negant aduersarij aliquam talem debilitatem eius amoris posteà in effectu, imò multi eum vocant ex illo capite minùs perfectū; ergo re ipsâ non dissentit Suarez ab eis, quos oppugnare se putat. Vnde etiam obiter reiicio quod idem auctor eu. vlt. habet consequenter quidem ad suum argumentum, absolutè tamen minùs benè, scil. neque posse in naturâ lapsâ homini fine speciali auxilio amorem concupiscentiæ Dei super omnia concedi; quia etiam in tali amore est voluntas seruandi omnia mandata, vt suprà insinuauimus: reiicitur, inquam, quia iam ostendi quo pacto tale propositum naturaliter haberi possit; esto ad executionem deinde reduci non possit sine speciali gratiâ: quod vltimum valdè diuersum est à primo; vti possum per actum naturalem dicere, Volo saluari, & tamen saluari non possum nisi interuenientibus actibus in substantiâ supernaturalibus.

Alia solutio P. Suarez reiicitur.

Reiicitur obiter P. Suarez asserens hominē lapsū naturaliter habere non posse amorem cōcupiscentiæ erga Deum naturalem.

SECTIO V.

Quid in hac quæstione probabilius.

CONCLVSIO PRIMA: Amor naturalis Dei super omnia non potest haberi in naturâ purâ aut lapsâ per longum tempus sine auxilio gratiæ superaddito. Hæc est communis inter Theologos; qui videri possunt apud Suarez cap. 33. & Vasquez disput. 194. 14.

Amor Dei super omnia naturalis haberi nequit absq; gratiâ. Ineffaciter id probatur ex Patribus & Concilys.

Suarez meritò dicit hanc conclusionem non posse probari efficaciter ex Patribus aut Conciliis; nam omnia eorum testimonia, quæ amorem super omnia dicunt per vires naturales fieri non posse, rectè explicantur de amore supernaturali. Contrarium putant quidam recentiores, eò quòd Arausicanum can. 25. impotentiam hanc amandi Deum super omnia dicat ortam esse ex peccato; per quod inclinatum & attenuatum fuit liberum arbitrium, ita vt nequeat diligere Deum; vnde inferunt, Ergo ibi est sermo de dilectione naturali; nam amore supernaturalem numquam potuit liberum arbitrium facere sine gratiâ, etiá in naturâ integrâ. Hæc tamen auctoritas parum vrget. Primò, quia expressè Concilium ibi dicit, *Diligere & credere sicut oportuit ad salutem*; certum autem est amorem naturalem, etiamsi sit super omnia, non esse *prout oportet* ad salutem; ergo non est de eo ibi sermo. Præterea, si volumus facere vim in iis verbis, *impotentiam contractam ex peccato*, certum est, hanc impotentiam non prouenire per se ex peccato; nam in purâ naturâ eadem esset: sunt enim vires naturæ lapsæ & naturæ puræ omnino eædem, vt & ipsi aduersarij fatentur. Respondeo ergo illi loco, ideò à Concilio dici contractam per peccatum eam debilitatem; quia per peccatum homo amisit auxilia gratiæ, quibus eleuabatur ad faciendum actū amoris Dei super omnia: de quo ibi Concilium: quia autem ea gratia licet ex liberali donatione Dei erat tamen iam facta quodammodò propria & hæreditaria homini in eo statu ante peccatum, ideò dicebatur voluntas sine noua gratia, scilicet sine distincta ab originali iustitiâ, potuisse efficere amorem illum super omnia & supernaturalem.

Allata auctoritas Arausicani non multùm hic vrget.

Impotentia amandi Deū super omnia non prouenit per se ex peccato.

Meliùs ergo probatur nostra conclusio communi auctoritate Theologorū, & ex dicendis de graui tentatione infrà; non enim potest quis diu durare in amore Dei super omnia nisi seruando omnia præcepta ei amori contraria, vel nisi vincendo tentationem aliquam grauem, ex his quæ passim in hac aut illa materia occurrunt, vt ex dicendis sectione sequenti clariùs constabit.

Cōclusio probatur cōmuni Theologorum sensu.

CONCLVSIO SECVNDA: Per aliquod breue tempus, non attendendo in particulari ad omnia quæ possunt occurrere, putarem possibilem esse amorem Dei super omnia. Hanc sententiam Molina in Concordia q. 14. a. 13. disp. 14. membro 2. dicit 15.

Possibilis tamen videtur amor Dei super omnia naturalis breuissimo tēpore durans.

Digitized by Google

dicit esse celebrem inter Scholasticos: pro qua membro 1. multos retulerat, maximè D. Thom. addens se ex antiquioribus nullum vidisse qui illam neget, vno Maiore & Gregor. exceptis: membro verò quinto respõdet aliquibus argumentis, quæ obiici contra illã possunt: infrà verò disp. 39. memb. 2. fusiùs eius probabilitatem deducit, illam ex Anselmo, Augustino & Hieronymo confirmans: membro verò 3. aliqua pro illa argumenta deducit, quæ posteà, in contrariam tamen magis propendens, dicit vix posse sufficienter solui; saltem se id præstare posse diffidit. Eam tenuit Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 5. & 2. Canus in relect. de Pœnitentia fol. 121. in editione Salmanticensi, Caietanus q. 1. de Contritione, Scotus in 4. dist. 14. quæst. 2. Gabriel in 3. dist. 27. q. 1. & in 4. dist. 14. q. 1. art. 2. concluſ. 5. & art. 3. dubio 2. cum Ockamo & Aliaco apud Marsilium in 4. q. 10. art. 1. parte 2. Paludan. in 4. dist. 14. quæst. 2, & Richard. eadem dist. art. 4. q. 1. & in eam re ipsa, vt ostendimus, consentit Suarez, etiamsi in modo loquendi de voce, qua amor ille nominandus est, videatur contrarius: illam etiam tenent multi recentiores in manuscriptis.

Amor nõ diu durans vocarine possit absolutus amor.

Ante cuius probationem aduertendum, à nonnullis fieri hîc quęstionem de nomine, dum hunc amorem ad breue tempus durantem nolunt vocare perfectum & absolutum, eò quòd non sufficiat ad conseruandum hominem diu sine peccato: sed hæc (vt dixi suprà contra P. Suarez) est quæstio de voce, quia ille amor est talis, quia, si esset in supernaturali ordine, sufficeret ad iustificationem: & de facto in multis casibus amor noster supernaturalis super omnia, occurrente graui tentatione, perit; non tamen propterea, quando extitit, non fuit verus amor & sufficiens ad iustificationem.

Probatur ẽclusio Secũda.

Nostra ergo conclusio probatur (quidquid sit de modo loquendi;) non enim repugnat, vt ex concursu ordinario causarum aliquis cognoscat Deum intensè, & illum amet; præterea vt non occurrant illi tunc in particulari tentationes graues, & pericula, quæ debeat superare, si Deũ amat super omnia: cur ergo tunc non poterit eum amorem habere etiam moraliter? Responderi potest huic rationi ex P. Suario suprà num. 17. cum amorem non esse vniuersalem, quia solùm vult placere Deo, quantum sibi est possibile, cùm autem non possit placere in omnibus per proprias vires, non potest etiam propriis viribus id velle.

Responsio in oppositum ex Patre Suario.

16. *Reijcitur ea responsio dupliciter. Potest quis naturali actu velle id, quòd solùm supernaturaliter potest efficere.*

Duplici ex capite reiicitur hæc solutio: Primò, quia licet quis propriis viribus non possit aliquã rem exequi, si tamen sciat sibi non defuturas alienas vires, potest efficaciter velle id efficere; ergo licet homo sciat non posse se viribus naturæ tentationes omnes superare, quia tamen scit adfuturas sibi de facto gratiæ vires, poterit etiã naturali actu velle vincere eas tentationes, & consequenter amare Deum super omnia: sicut si quis haberet virtutem supernaturalem faciendi miracula, posset per actum naturalem dicere, Volo eâ virtute vti. Secundò displiceat, quia potest (vt dixi) ex inaduertentiâ ignorare tentationes graues quæ posteà occurrẽt; imò potest ex ignorantiâ putare esse sibi possibile eas superare; & consequenter tunc poterit habere actum amoris Dei super omnia quantum est ex parte ipsius hominis efficacissimum, esto posteà in re, occurrẽte graui tentatione, non possit eam superare, & durare in eo amore: ille enim homo in eo casu, quãtum est ex se, tam perfectè Deum amauit, & promisit mandatorum obseruationem, quàm si illi hæc esset re ipsâ omnino possibilis: ideò si ille actus fuisset in ordine supernaturali, omnino sufficisset ad iustificationem, vt paulò antè dixi.

Prima obiectio.

Obiicies Primò, ex hac conclusione aperiri viam, vt concedantur multa viribus arbitrij, quæ communiter negantur à Theologis; potest enim hoc modo dici, hominem adultum per longum tempus seruare posse totam legem sine auxilio speciali gratiæ, si per longum tempus nulla occurrat grauis difficultas; sicut ob eumdem defectum occursus difficultatis dicimus posse haberi amorẽ super omnia aliquando. Respondeo Primò difficultatem esse communem; nam impossibilitas seruandi per longum tempus legem nullã occurrente graui tentatione non potest reduci ad impossibilitatẽ amoris: non enim est necessarium ad seruanda præcepta occurrentia habere propositum efficax numquã peccandi, sed sufficit, si hîc & nũc nolit peccare, de vniuersali verò proposito nihil cogitet; multò ergo minùs erit necessariũ vt illud propositũ sit ex amore Dei super omnia.

Fortè hoc cõsequens non est absurdũ.

Respondeo ergo fortè in consequenti illato non esse absurdum, nec à Patribus id negatũ loquuntur enim ordinario modo, quando aliquæ graues tentationes occurrunt. Quòd si in hoc est specialis difficultas, de quâ infrà, nõ propterea in amore Dei idem nos dicere cogimur.

17. *Secunda obiectio.*

Obiicies Secundò, Ergo potest homo sine auxilio gratiæ se disponere ad remissionem peccatorũ: quòd si respondeatur id nõ fieri, quia amor ille non est supernaturalis; contrà vrgebis, Ergo ea impotentia non oritur ex debilitate naturæ, prout videtur docere Arausicanum. Iam respondi suprà huic loco Arausicani, ostendens illud loqui de amore supernaturali: quod certo certius est, eò quòd dicat, per illum amorem disponi hominem ad iustificationem.

Suprà respõsũ est ad hunc locum Cœlij Arausicani.

Tertia obiectio.

Obiicies Tertiò: Homo relictus suis viribus numquam amat obiectum aliquod non sensibile plus quàm seipsum; ergo non potest Deum amare super omnia, & velle illi in omnibus placere sine limitatione. Respondeo Primò multa insensibilia amari ab homine vehementissimè: sic amatur honor, qui non percipitur per sensus, & vindicta, & alia similia: quòd ad Deum autem attinet non ostenditur hîc vlla repugnantia; cùm enim cognoscatur dignissimus amore super omnia, cur non poterit voluntas illum sic amare, quando, vt dixi, non proponuntur illi homini in particulari ea quæ possint eum deterrere? hoc enim concedo huic obiectioni, scilicet stante ea propositione explicita, non posse haberi talem amorem.

Multa homo amat quæ nullo sensu percipit.

Potest in aliquo casu naturaliter haberi amor cõcupiscentiæ Dei super omnia.

CONCLVSIO VLTIMA: A fortiori potest homo in aliquo casu habere amorem concupiscentiæ Dei super omnia, quo illum amet propter beneficia sibi collata, & quæ ab ipso conferri possunt. Probatur ex dictis; nam iste amor non habet in se maiorem difficultatem quàm amor amicitiæ; imò, quia habet motiuum magis proprium ipsi homini amanti, facilius potest haberi. Non disputo iam, an talis amor, si esset in ordine supernaturali, pertineret ad habitum spei, an ad alium diuersum; hoc enim est extra nostrum institutum, & spectat ad materiã de spe. Suppono itẽ posse esse talem amorem ordinis supernaturalis; tum quia etsi ad actum supernaturalem requiratur motiuum supernaturale, potest hîc reperiri, si propter beneficia supernaturalia à Deo accepta illum amem super omnia; tum quia etiam erga

Talis Amor posset esse supernaturalis.

Digitized by Google

motiuum & obiectum putè naturale potest esse actus supernaturalis; de quo infrà.

Amans Deum super omnia actu supernaturali simul elicit actum amoris super omnia naturalem.

Posset hic quæri, an de facto in homine amante Deum super omnia actu supernaturali detur simul amor naturalis super omnia. Similem difficultatem suprà tetigi agens de bono opere morali; vbi dixi probabilius esse dari de facto eos duos actus: quod ad amorem Dei super omnia extendendum videtur.

18. Obiicies tamen specialiter, Amor Dei requirit auxilia gratiæ, etiamsi naturalis sit; ad quid ergo Deus dabit duo auxilia diuersa, vnum pro amore supernaturali, alterum pro naturali? Respondeo Primò ex dictis à nobis, non semper talem amorem pro breui tempore indigere auxilio gratiæ: Secundò, quando datur cognitio supernaturalis, qua superatur difficultas, quæ in illo amore esse poterat, tunc naturam ipsam posse sine nouo auxilio elicere naturalem amorem Dei super omnia; vt in natura integra ipsimet aduersarij fatentur: eo enim ipso quòd tunc per auxilia gratiæ sedabantur passiones, & difficultates extrinsecæ minuebantur, natura ipsa propriis viribus cum generali concursu poterat efficere talem amorem; ergo illa natura eadem, etsi lapsa sit, dummodò per auxilia supernaturalia & inspirationes, ac illuminationes, &c. hîc & nunc difficultas amoris Dei super omnia vincatur, poterit prodire in amorem naturalem suis viribus, & in supernaturalem per vires infusas.

Superata auxilijs gratiæ difficultate potest voluntas viribus suis elicere amorē naturalem Dei super omnia.

Difficilior obiectio.

Obiicies, difficiliùs ex nostra sententia sequi, in naturâ lapsâ, habente vires per Christum, posse eum amorem fieri etiam frequentissimè sine vllo auxilio speciali in ordine ad illum; nam homo Catholicus scit se posse absolutè totam legem seruare, licet non viribus propriis, sed Dei; quas tamen scit sibi esse paratas; ergo datâ hac cognitione sine nouo auxilio gratiæ natura poterit prodire quandocumque in talem amorem. Nec dici potest debere esse gratiam quæ tentationes impediat, ne per illas reddatur impossibilis moraliter amor; hoc, inquam, dici non potest; nam tentationes non semper occurrunt; sæpè enim multæ sunt morulæ sine vlla graui tentatione; alioquin neque vllum aliud bonum opus morale fieri posset, nisi rarissimè: quod contrarium est iis quæ suprà diximus; nam etiam tales tentationes, si semper occurrerent, redderent difficillimum moraliter illud bonum opus, ergo cùm gratia, quæ posteà requiritur ad seruandam legem, non sit necessaria ad eliciendum eum amorē (vt ostensum est) absolutè poterit sæpissimè talis amor haberi sine vllâ gratiâ. Respondeo Primò negando sequelam, quia saltem debet esse aliqua specialis gratia, quæ efficiat, vt ratò ei homini proponantur difficultates, quæ illum terreant. Respondeo Secundò, etiamsi concedamus consequens illud, non tamen esse contra ea quæ diximus, vel vllo modo absurdum; etenim in eo casu iam præcedit gratiæ auxilium, licet non vt actu existens, saltem vt futurum; id quod sufficit ad habendum talem amorem. Et ita videtur D. Thomas rem hanc explicuisse 1.2.q.109.art.3. fine corporis, dum ait hominem in naturâ lapsâ ad habendum eum amorem indigere præcisè gratiâ sanante naturam, ad obseruationem scilicet præceptorum: sanata autem profectò dici potest natura, eo ipso quòd parata sint auxilia ad vincendas deinde eas difficultates; ergo iam præcedit gratia Dei ad eum amorem, licet (vt sic dicam) non sit ea gratia pro illo specialiter magis quàm pro aliis bonis operibus aut pro victoria tentationum præparata: de quo Theologi negantes sine gratia talem amorem non fuêre soliciti. Circa gratiam, quæ communiter requiritur ad habendum istum amorem Dei super omnia, discurrendum est, sicut de gratia requisita ad tentationes vincendas infrà discurremus, eam scil. non esse supernaturalem quoad substantiam, sed summùm quoad modum; quatenus Deus speciali prouidentia ita disponit causas naturales, vt nec vehemens tentatio insurgat, nec grauis occurrat difficultas, & aliunde valdè perfecta excitetur cognitio de bonitate Dei & malitia peccati: quæ omnia possunt esse in substantia naturalia, etiamsi simul sine speciali prouidentia numquam concurrant.

Occurritur.

Gratia communiter requisita ad habendum amorē naturalem Dei super omnia non est supernaturalis quoad substantiam.

Disputatio XL.

De gratiâ necessaria ad vincendas tentationes seorsim sumptas.

1. POST explicatam necessitatem gratiæ ad opera bona naturalia, explicanda occurrit eiusdem necessitas ad vitandum peccatum: licèt enim sæpè prius sit vitare peccatum quàm opus bonum facere, quia tamen multa sunt opera quæ fiunt sine occasione peccandi, priùs visum fuit agere de operibus bonis, deinde de victoria tentationis. Obseruo autem Primò, de tentatione posse nos dupliciter loqui, vel solùm diuisiuè de vna aut altera, aut certè de omnibus seorsim sumptis; vel collectiuè, seu de omnibus simul sumptis. De hoc secundo sensu agetur sequenti disputatione, in hac verò de primo. Obseruo Secundò, tentationem etiam seorsim sumptam posse esse leuem & grauem, & vtramque contra præceptum affirmatiuum & negatiuum, naturale & supernaturale: si tentatio sit contra præceptum supernaturale affirmatiuum, certum est non posse fine gratia etiam in entitate supernaturali vinci; non enim vincitur tunc, nisi faciendo eum actum præceptum; ille autem actus, quia supernaturalis est, non potest fieri sine gratia, ergo nec tentatio sine eadem gratia vinci; non est ergo nobis quæstio de his, sed de tentationibus contra præcepta naturalia.

Tentationes sumi possunt diuisiuè & collectiuè.

Victoria tentationis contra præceptū supernaturale affirmatiuum, præsupponit gratiā in entitate supernaturalem.

Sectio I.

Quid de leui tentatione.

2. NOmine leuis tentationis intelligo illam, quæ parum in se hominem vexat, aut parum attrahit, siue sit in ordine ad peccatum graue, siue in ordine ad leue.

Leuis tentatio est quæ hominem tenuiter allicit.

Subsectio I.

Duæ oppositæ sententiæ proponuntur, & affirmans eligitur.

AVctores nullum opus bonum morale sine gratia fieri posse sentientes, etiam opinan-

Qui negans sine gratiâ

tur

Vllum bonum opus morale fieri posse, non tenentur negare, posse aliquid leuem tentationem absque gratiâ vinci.

tur consequenter, nullam tentationem sine gratia vinci posse: verùm ego arbitror adhuc eos non teneri ex priori doctrina ad hanc secundam, imò debere multos ex illis dicere posse sine gratia superari aliquam tentationem, vt P. Vasq. qui cùm sentiat posse dari actus indifferétes in individuo, & hi aliunde, quia boni non sunt, non requirant gratiam, debet concedere, posse actu indifferenti non orto ex gratia aliquam superari tẽtationem. Sed quidquid de hoc sit, nonnulli moderni nobiscum admittentes contra eum auctorem opus aliquod bonum sine gratia, dicunt tamen nullam tentationem, quantumuis leuem, posse sine gratia per Christum vinci. Primum eorum fundamentum est, quòd ex mente Patrum illa dicatur gratia per Christum, quæ est gratia sanans in ordine ad salutem: atqui victoria cuiuslibet tentationis est gratia perfectè sanans ad salutem; ergo illa debet esse ex gratia per Christum. Secundum desumunt ex aliquibus Patrum & Conciliorum auctoritatibus, quibus ea doctrina videtur expressa. Hæc tamen sententia mihi omnino displicet, & arbitror planè inconsequenter hos auctores loqui, vt ex dicendis constabit; vbi simul quæ pro se testimonia afferunt dissoluemus.

De facto sæpè vincitur leuis tentatio sine gratiâ per Christum.

Dicendum igitur est leuem aliquam tentationem posse vinci, & etiam de facto sæpè vinci sine gratia per Christum. Ita expressè Sotus lib. 1. de Natura & gratia cap. 21. Vega in Opusculo de Iustificatione q. 12. Medina cap. 2. q. 10. art. 1. Valentia hîc q. 1. puncto 3. Tanner. q. 3. dubio 4, & fusiùs P. Suarez suprà cap. 23. à num. 13. vbi pro illa multos alios refert auctores: estque communis inter recentiores: expressè eam tradidit D. Thomas in 2. dist. 28. q. 1. art. 2. ad 6. & in primis supponendum est, vt explicatis terminis per se notum, physicè loquendo, sine gratia Christi posse tentationem vinci, quia sine gratia Christi potest homo peccare, quando est tentatio; hanc propositionem nemo negat; ergo sine ea gratia potest non peccare; quia posse peccare essentialiter dicit potentiam ad non peccandum: peccatum enim essentialiter petit esse liberum, ergo debet posse omitti; alioquin licet fieret res in se mala, proprie non peccaretur, ergo. Hæc autem potentia ad non peccandum minimùm debet esse physica, hoc est, vt absolutè, naturaliter loquendo, possit homo non peccare: in quo puncto, vt dixi, explicatis terminis nulla potest esse difficultas.

Physicam potentiam vincendi tentationem dari sine gratiâ Christi ex terminis notum.

Dices, Patres & Concilia absolutè docent esse impossibile seruare diu sine gratia totam legem, & resistere grauibus tentationibus; ergo non habemus ad id potentiam physicam. Nonnulli propterea dixêre, sine gratiâ nec physicè posse nos resistere, peccare tamen succumbendo, quia semper gratia adest, quæ iuuat. Hæc tamen doctrina non est ad rem, quia Patres supponunt nos sine gratiâ posse peccare eis tentationibus cedendo; ergo tunc sine gratiâ supponunt libertatem; ergo supponunt potentiam saltem physicam ad resistendum.

Patres supposuerunt potestatem physicè absq; gratiâ.

Meliùs ergo respondetur, Patres meritò explicari per impossibilitatem moralem; nam licet nõ sufficiat quæuis difficultas, vt absolutè dicatur res impossibilis; si tamen ea sit tanta vt numquam contingat id fieri, meritò dicitur impossibile: & in hoc sensu intelligendi sunt, quando contra Pelagium docent gratiam Dei dari non solùm ad facilè, sed etiam ad simpliciter posse, id est ad posse moraliter seruare totam legem. Hac ergo veritate stantâ, quæstio præsens est, an, moraliter loquendo, etiam sit possibile tentationem aliquam vincere. In quo sensu defendo communem sententiam affirmatiuam, eámq; Primò probo, quia Patres etiam illi, qui maximè videntur contrarium sentire, ita limitant suam sententiam, vt non absolutè omnem tentationem dicant insuperabilem, sed vt plurimùm grauiores & multas simul. Ita expressè Hieronymus lib. 3. Contra Pelagianos his verbis: *Hoc & nos dicimus, posse hominem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporeâ, quamdiu intentus est animus.* & infrà: *Sed hoc pro modo & tempore & conditione fragilitatis humanæ; nec quia ad breue possum, cogis me vt possim iugiter.* Idem etiam docuit Chrysostomus, de quo paulò pòst in solutione obiectionum contra nos. Augustinus item, cùm protulisset alibi absolutè eam propositionem, quam Baius rigorosè intellexit, quamque Pius V. & Gregorius XIII. reiecerunt, scilicet, *liberum arbitrium hominis lapsi ad non peccandum nihil valere*; libro tamen de Perfectione iustitiæ cap. 2. eam limitauit addendo particulam *parum*; *In naturâ vitiatâ parum esse ad non peccandum voluntatis arbitrium.* Secundò eam probo contra aduersarios retorquendo eorum argumenta; nam opus bonum, quo quis adimplet præceptum v. g. restituendi id quod datum sibi fuerat mutuò, non minùs hominem à peccato, iuxta horum doctrinam, liberat quàm victoria tentationis: item per illam restitutionem factam sine victoriâ tentationi non minùs homo continet pedes suos à malo, quàm vincendo vel resistendo tentationi; atqui, hoc non obstante, hi cum quibus ago concedunt posse opus naturale bonum, etiam quo impleatur præceptum; fieri sine gratia speciali; ergo eodem modo concedere id debent de victoria tentationis. Consequentia est euidentissima; nam omnia istorum fundamenta reducuntur ad hoc, quòd victoria tentationis sanat perfectissimè ad salutem; &, quod aliqui Patres videntur dicere, non posse nos pedes nostros à falsitate & iniustitia frænari; ergo si hoc reperitur in opere bono adimplente præceptum sine tentatione vlla, eadem erit de vtroque ratio. Porrò id reperiri ostendo euidenter; nam ideò præcisè omnis victoria tentationis sanat ad salutem, quia fugit peccatum, quod impedit salutem; quod si etiam addere aliquid vis, dic, quia fugit peccatum operando simul benè: at hoc ipsum sine vllo discrimine reperitur in ea restitutione pignoris dati mutuo; per eam enim vitatur peccatum, quod esset, si non restitueretur; imò & vitatur cum fructu, seu per opus bonum: ité etiam pedes tenẽtur ab iniustitia & falsitate, prout loquuntur Patres ab his citati: ergo eadem planè ratio est in vtroque.

Est potentia moralis in homine vincẽdi aliquam tentationem.

Retorquentur argumẽta ad. uersariorum.

4. *Fundamenta uersariorũ reducuntur ad duo capita.*

Limitabunt hi fortè suam doctrinam anteà absolutè traditam, dicentque, etiam nullum opus bonum morale, quo impleatur præceptum, fieri posse sine gratia per Christum: sed hoc facillimè impugnatur, tum quia si ego, sine gratia poteram dare liberaliter Petro meum librum, quis prudens dicat, me sine gratia non posse eumdem librum illi reddere, si ab eo ego illum mutuò accepissem? cùm ex eis terminis constet, grauius multò esse & difficilius hominem dare alteri sua, quàm reddere quæ ab eodem vt videret, aut vt aliquamdiu vteretur, accepit. Certè tam est hoc ex terminis notum, vt non videam quomodo negari id apparenter possit.

Non possunt aduersarij limitare suam doctrinam.

3. *Patres negarũt hominem sine gratiâ habere potentiam moralẽ resistendi.*

Secundò

Digitized by Google

Aduersarij inconsequentes arguuntur, dū nobis SS. Patres obyciūt, quos ipsi prius pro nobis explicuēre.

Secundò eamdem sententiam reiicio, quia cùm hi auctores agentes de bono opere morali explicuerint multas Patrum propositiones, quibus vniuersaliter docebant, nos non posse vllum bonum opus facere sine gratia Christi, dixerintque non omnia opera bona ad salutē conducere, non video, quomodo iam hi possunt pro se citare alia loca Patrum; etiamsi vniuersaliter hi dicant, nos nō posse vincere tentationē sine gratia per Christum; nónne hi debuissent notasse se de inconsequentia & à Vasquez & à nobis posse redargui? à Vasq. quidem, qui meritò dicet, Si nullam victoriam tentationis vis agnoscere, quæ non sit ad salutem, nec facis distinctionem victoriæ purè naturalis & victoriæ aliquo modo vtilis ad supernaturalem finem, cur eam distinctionem facis in ipsis bonis operibus? præsertim cùm meritò possit dicere Vasquez, maiorem esse rationem, absolutè loquendo, de opere bono quàm de victoria tentationis, quia opus bonum ex conceptu suo dicit esse aliquid gratum Deo eique placens; victoria autem tentationis potest esse per actum indifferentem.

Quomodo Vasq. eos arguere inconsequentia.

In suo conceptu nobilius quid dicit opus bonū quàm victoria tentationis.

5. *Confirmatur amplius, eodē modo loquendum esse de opere bono morali ac de victoriâ alicuius leuis tentationis.*

Amplius id confirmo; nam in infideli, quòd restituat equum v.g. suo domino, & quòd soluat suis famulis aut operariis, etiamsi sit fuga peccati, nō magis potest de facto conducere ad salutē, quàm si aliquid ex supererogatione faceret, imò multò minùs; quia, cæteris paribus, si Deus deberet moueri ad benefaciendum ei infideli, eumq; vocandum ad fidem, quis poterit negare, potentius esse opus illud, quo ille infidelis pauperi gratis daret è suo eleemosynam, quàm si eidem pauperi restitueret pecuniam, quam ab ipso solùm vt eam intueretur acceperat? Vnde euidenter ostendo, de facto ad salutem non minùs conducere opus bonum morale liberum, seu quod sine peccato omitti potuit, quàm quod non nisi peccando, & consequenter eodem modo loquendum de opere, quo vincatur leuis aliqua tentatio: imò ex hoc capite etiamsi tentatio esset grauis, ecce quo pacto hi à Patre Vasquez de inconsequentia redargui possent.

A nobis arguuntur dicti auctores inconsequentia.

A nobis verò eodem etiā modo argui possunt vertendo sic argumenti formam in contrarium: Tu explicas vniuersales propositiones Patrum de opere conducente ad salutem; dicis autem non omnia esse conducentia; cur ergo eodem modo non dicis de victoria tentationum, cùm (vt ostensum est) eadem planè sit quoad hoc ratio de bono opere ac de ea victoria, & idem modus loquendi Patrum.

SVBSECTIO. II.

Amplius reijcitur contraria sententia, & confirmatur nostra.

6. *Auctoritates Patrū vrgent etiā in victoriā tentationis per opus indifferens.*

TErtiò eam sententiam sic reiicio, quia in resistentia tentationis per opus indifferens omnia argumenta & auctoritates Patrum, quæ pro se hi afferunt, eamdem habent vim: atqui ea resistentia fieri potest sine gratia per Christum; ergo hæc argumenta nihil probant de ea victoria. Respondent huic argumento Primò, non dari opus indifferens in individuo. Sed contrà, quia contrarium ostendimus sat efficaciter tertio Tomo in materia de actibus humanis cum P. Vasq. Contrà Secundò, quia licet non dentur indifferentes, punctum tamen hoc de necessitate gratiæ ad resistendum tentationi non pendet vllo modo

Difficultas de necessitate gratiæ nō pēdet à lite, an dentur actus quos ipsi prius indifferentes in individuo.

ab ea sententia, vt per se patet. Respondent Secundò, Etiamsi ea victoria per actum indifferentem concedatur, non tamen esse de ea eamdem rationem quæ de victoria per actum bonum; nam fugere peccatum per actum indifferentem non sanat perfectissimè hominem ad salutem, sic verò fugere per actum bonum. Verùm hæc solutio non cōtinet nisi pura puta verba, in re autem nihil dicit. Rogo enim quid sit *sanare perfectissimè ad salutem*: si dicas esse vitare peccatum, quod salutem æternam impedire poterat, malè negas id fieri per actum indifferentem; nam quantum ad punctum vitandi peccatum, & non impediendi salutem, procul dubio tam perfectè homo aufert impedimentum salutis æternæ, dum aufert peccatum per actum indifferentem, quàm si per actum amoris Dei super omnia idem impediret. Si verò dicas, *sanare ad salutem perfectissimè* esse non solùm impedire peccatum, sed benè operari. Contrà, quia hæc bona operatio, prout quid condistinctum aut superadditum peccati fugæ, non est ad salutem, quia non meretur aliquid de salute (vt hi ipsi fatentur) nec noua auxilia, nec gratiam, nec aliquid aliud; ergo non meliùs sanat ad salutem actus indifferens vitans peccatum, quàm actus naturalis bonus idem peccatum vitans.

Solutio aduersariorum dat verba pro re. Quid sit sanare perfectissimè ad salutem.

Confirmatur euidenti exemplo.

Confirmo hoc euidenter; idem enim quoad punctum hoc reperitur in fugâ peccati per duos actus, vnum indifferentem, & alterum bonum, factum tamen sine tentatione; æquè ac si per vnicū actum fuisset præstitum vtrumque: at qui illi duo actus non sanant perfectissimè ad salutem, ergo neque hic; vel certè si hic sanat, etiam illi; ergo sicut dicis duos potuisse fieri sine gratiâ Christi, ita etiam poterit & hic. Probo maiorem, in quâ solâ est difficultas, quia in actu, de quo loquimur, duo sunt, fugere peccatum, & operari benè moraliter seu conformiter ad regulas rationis: atqui hæc eadem sunt in duobus actibus, vno indifferenti, quo peccatum vitatur, & alio bono conformi regulis rationis. Neq; quidquam ad hoc conducit, quòd fiat per vnū vel per duos actus: semper enim ea duo reperiuntur. Iam nunc addo, etiam in victoriâ tentationis ad peccandum mortaliter, si ea victoria obtineatur per actum peccaminosum venialiter, eamdem esse difficultatem, quam hi in actu bono ponunt; nam peccatum veniale non priuat vllo modo vita æterna; ergo fugere mortale, etiamsi fiat per veniale, est sanare etiam ad vitam æternam: quis autem dicet illam victoriam per actum peccaminosum esse per Christum?

Peccato veniali fugere mortale nō est gratia per Christum.

7. *Explicatur quid sit tentatio.*

Probo autem ratione à priore meam sententiā explicando quid sit tentatio (quod nullo modo videntur hi auctores considerasse:) est ergo tētatio quælibet propositio bonitatis in obiecto malo trahentis ad se: hoc enim solo modo tentat diabolus excitando in hominibus cognitionem eius delectabilitatis: hoc modo vnus homo alterū tentat suo consilio, verbis, &c. proponendo illi rationes, quibus moueatur ad id faciendum: nec est alius modus ordinarius tentandi propriè, nisi etiam motus insurgentes in carne tentationes voces; hi tamen non sunt vniuersales in ordine ad omnem materiam; & etiam reducuntur ad talem propositionem bonitatis. Iam hinc clarè apparet quàm parum auctores hi sibi constent, dum nobiscum anteà docuerunt, posse fieri bonum opus liberum sine gratia per Christum, nunc verò negant posse vinci vllam quantumuis

leuem

leuem tentationem sine ea gratiâ; etenim ex immediatè antè dictis constat, omne opus bonum morale, eo ipso quòd liberum sit, fieri cum aliquâ tentatione; nam eo ipso quòd liberum est illud opus, proponitur in carẽtia illius aliqua bonitas, vel aliqua molestia in ipso opere: ea autem propositio est tentatio aliqua, & quò maior fuerit bonitas proposita in carẽtia operis, eò maior erit tentatio: ergo hæc doctrina planè est sibi repugnans. Propterea reiicitur eadem ratione, qua suprà in simili de aliquo bono opere morali argumentati sumus; quia videtur impossibile hominẽ longo tempore in omni planè occasione, in qua allicitur ab obiecto malo, illi consentire, & nec vel semel se frænare, vel numquã omittere mendacium vllum ex omnibus quæ illi occurrunt, nec actum vllum turpem non appetere, nec vllam exercere iniustitiam, &c. Quæ omnia habent locum, etiamsi homo aliquam tentationem vel ex propositione obiecti, vel ex alterius precibus, vel aliunde sentiat; non enim est morale, vt talis à Deo videatur in omni planè occasione succumbens; quòd v.g. nulla vxorata femina marito seruans vel semel fidem, sed omnibus planè adulteriis consentiens præuideatur per scientiam mediam, &c.

Omne opus boni morale quia liberum sit cũ aliquâ tentatione.

Nẽ est morale, vt homo sine gratia in omni occasione cuiuslibet leuissimæ tẽtationis labatur.

Ex his constat, omnia loca Patrum, quæ superiùs pro bono opere morali adduximus, etiam fauere eodem modo huic puncto, quia nullum bonũ morale fit, vt dixi, sine aliqua tentatione. Augustinus verò citatus ab aduersariis lib. 21. de Ciuitate Dei ca. 26. nihil habet; ego certè nihil ibi de hac re inuenio; erratum fortè est in citatione; alibi tamen docet, Gentiles superare tentationem sine Christo, id tamen non fieri sincerè. Quæ limitatio intelligenda est eo modo quo de bonis operibus Gentilium dixerat non esse sincerè bona; per quod tamen non reiicit veram victoriam; sed quia inutilis ea est ad finẽ vitæ æternæ, eam non vocat sinceram; sicuti eorum opera non dixerat bona, seu (vt maiori cũ similitudine loquamur) non dixit sincera. Fauẽt huic nostræ sententiæ definitiones Pij V. & Greg. XIII. relatæ suprà contra Baiũ; in quibus reiiciuntur propositiones huius auctoris, quibus peccatum sine gratia non admittit posse vitari, aut resisti tentationibus: respondent aliqui, ibi damnari censuram quam inurit Baius: sed hãc solutionem suprà impugnaui, quia in aliquibus propositionibus etiam ad hoc punctum pertinentibus nulla est censura talis.

Testimonia SS. Patrũ fauentia bono operi morali naturaliter exercẽdo etiã fauens victoria leuis alicuius tentationis. Gẽtiles verò vincunt tentationem, sed inutiliter.

Quartò eam sententiã reiicio, quia potest homo sine gratia Christi vincere tentationem ad non donandum liberaliter librum v.g. ergo à fortiori sine gratia poterit eamdem vincere tentationem cõtra restitutionem libri mutuò accepti. Consequentia est euidens, quia difficilius longè est donare alteri meum librum, quàm reddere eum, quem ad horam accepi (vt suprà dicebam;) antecedens verò patet, quia in victoria ea tentationis de non donando non vitatur peccatum, nec remouetur prohibens salutem; nam etiamsi succubuissem tentationi, & non donassem librum, non peccassem: sola autem ea ratio de fuga peccati affertur ab his, vt victoriam tentationum dicant esse per Christum: ergo vbi homo etiam succumbens tentationi non peccaret, posset eam victoriam sine gratia obtinere: quæ quàm sint consequenter dicta, facilè quilibet videre potest.

Vinco naturaliter id quod mihi difficilius est. ergo & id quod facilius.

ma impu. io contra ersarios.

Vltimò, quia homo existens iam in peccato etiamsi de nouo peccet, non ponit prohibens salutem, quia iam erat illi (vt sic dicam) prohibita; ergo homo existẽs in peccato poterit vitare tentationem sine gratia, ergo à fortiori, qui nondum est in peccato: patet hæc vltima consequentia, quia per peccatum mortale non sunt auctæ, sed potiùs diminutæ vires ad non peccandum.

His omnibus posset responderi, non requiri gratiam Christi, ex eo quòd victoria tentationis sit difficilis, nec quia in quolibet ordine rerũ non videatur homo resistens aliquibus tentationibus, etiamsi Christus non venisset; sed quia Deus decreuit de facto ad vincendas tentationes non dare vires nisi per Christum, eò quòd talis victoria sanet ad salutem. Hæc tamen solutio improbabilis est, quia si ad intrinsecam difficultatem & impossibilitatem non recurramus, gratis & sine vllo fundamento dicitur Deum nolle nisi per Christum talia auxilia conferre. Quod de sanitate ad salutem dicitur reiectum sæpè iam est, vt nihil re ipsa significans.

Solutio omnibus nostrarũ impugnationum adfertur, sed insufficiens.

Svbsectio III.

Respondetur obiectionibus aduersariorum.

PRo contraria sententia possunt obiici aliqua loca Patrum, quæ videntur eam insinuare, præsertim Chrysostomi homil. 24. in Epist. 1. ad Corinth. vbi interrogans quæ sint tentationes, quas sufferre non possumus, respondet, *Omnes, vt ita dicam*; quia vero per illa verba *vt ita dicam* videtur expressè Chrysostomus admittere aliquas, quas possimus ferre, conantur hi auctores probare in versione quadam eam vocem non inueniri. Leuis tamen est probatio, quæ tantùm desumitur ex vnâ vel alterâ versione, si in contrarium stant communes; ego enim versionem versioni oppono; iam quid inde? Secundò miror ab his auctoribus Chrysostomum pro se afferri, quem ipsi agentes de bonis operibus citauerunt expressè docentem homiliâ de fide & lege naturæ, multos homines esse veræ iustitiæ vacantes sine gratiâ, &c. licet sine fructu; ergo expressè docet Chrysostomus posse opera iustitiæ, quæ eo ipso sine peccato vitari non potetant, & quæ sanant ad salutem modo ab his auctoribus explicato, fieri sine gratiâ: magis autem vrget vnum testimonium affirmatiuum quàm negatiuum, quia hoc patitur interpretationes, quas affirmatiuum non patitur. Tertiò dico hos auctores planè non satisfacere Chrysostomo, quia ibi videtur requirere specialiores vires à Deo datas, vt tentationibus resistamus, propter ipsarum tentationum difficultatem; hi verò non requirunt maiores aut diuersas vires, sed illas easdem, quas homo haberet in hoc eodem ordine rerum, si Christus non venisset, nunc tamen datas propter Christum: quis autẽ non videat Chrysostomum non fuisse solicitum, per quem dentur illæ vires, sed quales illæ sint, seu quàm magnæ & fortes: quòd enim dentur per Christum, non reddit illas maiores, nec ipsæ ideò facilitabunt magis: ergo si, casu quo Christus non venisset, eas habuissemus sine gratiâ, certè non sunt hæ vires, quas sanctus Doctor requirit. Quartò ergo absolutè respõdeo, vel ibi Chrysostomum vsum exaggeratione concionatoriâ, vel loqui (vt suprà dixi) de tolerantiâ non quacumq; sed fructuosâ ad salutem, quæ non fit sine gratiâ; sicut idem Chrysostomus vocat opera vera iustitiæ infructuosa, quia non fiunt ex fide.

9.

Obiectio fundatur sæpius in vna diuersa versione textus. Chrysostomũ stare pro nobis ipsi aduersarij suprà ostẽderunt.

S. Chrysostomus alias vires gratiæ requirit quàm hi auctores velint.

Absolutè respondetur ad locum Chrysostomi.

Secundò

Digitized by Google

Secundò possunt Augustinus & Hieronymus obiici; ille lib. 1. Confess. cap. 7. & alibi sæpè; hîc verò Dialogo 3. contra Pelagianos: vbi docent, nec per breuissimum tempus sine peccato manere nos posse, nisi adiutos Dei gratiâ. Respondeo, ex Augustino contrarium me suprà clarè ostendisse; Secundò, hæc non tam esse loca ad probandum, sine gratiâ Dei tentationes non superari, quàm ad probandum, nec bona opera vlla fieri posse sine gratiâ: si enim in rigore toto sunt vera verba Hieronymi, quod eo breuissimo tempore, quod homo actu nõ peccat, habet ex gratiâ: ergo quandocumq; fecit bonum opus, tunc enim non peccat, habebit id ex gratiâ. Adde etiam inde sequi, dormire, distractum esse, vel occupatum opere impediẽte omnem attentionem ad peccatum, debere esse ex gratia, quia tunc homo non peccat; Hieronymus autem non dixit ibi, se loqui de eo tempore quo non peccatur ex attentione vel ex tentatione. Vltimò, eodem modo respondeo sicut dixi ad Chrysostomũ. Addo nec ab his auctoribus eos Patres sufficiẽter explicari; nam Patres requirunt singulares vires, nec sunt contenti, vt illæ, quas aliàs homo esset habiturus sine gratia, dentur per Christum; inde enim parum vel nihil infirmitas humana iuuatur; velcertè eos Patres ibi non sine aliqua exaggeratione locutos, vt fortiùs in contrariam hæresim inuecherentur, iuxta notata suprà in simili ex P. Suario; vel egisse de victoria vtili ad salutem, non tamen negasse aliam quamcumque Eodem modo facilè explicari possunt alia loca Patrum, quæ adhuc minùs ei sententiæ videntur fauere, & obiici pro illa possent.

10. *Innocentij I. rescriptum.*

Difficiliùs obiici potest ex Innocentio I. Epistola 25. ad Concilium Chattaginense, & 26. ad Mileuitanum; quæ sunt 91. & 93. inter Epistolas August. in quibus dicit ad resistendum non fieri nos pares per liberum arbitrium, sed solùm per Dei auxilium: & Concilium Arausicanum cap. 4. magis adhuc distinctè posuit particulam *quoties*; quæ omnes omnino denotare videtur tentationes, *Diuini* ait *esse muneris, quoties pedes nostros à falsitate & iniustitiâ tenemus.* & cap. 14. *Nullus miser, de quacumque miseriâ liberatur, nisi qui Dei misericordiâ præuenitur.* His locis & aliis similibus respondet P. Suarez vel intelligenda de victoria Christiana, id est vtili ad salutem; agunt enim Patres contra Pelagium, qui contrarium docebat; vel eos dicere, ad omnes tentationes indigere nos auxilio, eò quòd frequentissimè illo indigeamus; vel denique intelligendos morali modo de tentationibus grauibus; nam leues non vocantur absolutè tentationes. Fortasse posset etiam dici nomine gratiæ intelligi concursum ipsum Dei & prouidentiam ipsius. Quæ solutio maximè applicari potest Concilio Arausicano; quod videtur agere non solùm de miseria peccati, sed etiam de aliis; etenim vox illa *de quacumq; miseriâ* videtur expressè extendi ad miserias etiã corporales, pericula vitæ, paupertatem, morbos, &c. à quibus etiam nemo liberatur nisi Dei adiutorio; non tamen propterea ibi est necessaria specialis gratia Dei, de qua hic agimus. Ad Innocentium verò dico eum maximè agere de resurrectione à peccatis; id enim denotat *τὸ vincere terrena labis & mundani corporis errores*; id est vincere maculas & labes contractas: certum est autem ad omnem pœnitentiam & emundationẽ à peccato necessariam esse gratiam propriam: & id mihi videtur clariùs insinuasse in 2. Epistola, in qua Deum dicit seruasse remedia, *vt sicut hominem redemerat à prioribus peccatis, corrigere illum posset, quem sciebat iterùm posse peccare*, id est, corrigeret à secundis quæ commisisset. Fateor, vltima verba etiam ad victoriam tentationis extendi; ibi tamen non adeò clarè de gratiâ strictâ loquitur, vt non possit de auxiliis naturalibus explicari. Ad rationem illam de victoriâ sanante ad salutem satis est paulò antè dictum. Ad alia verò argumenta de necessitate orationis & gratiarum actionis respondendum est eodem modo quo eis suprà in materiâ de bonis operibus satisfecimus; & quo ibi etiam responderunt hi ipsi cum quibus nunc disputo.

Responsio P. Suarez ad obiecta testimonia Conciliorum.

Concursus & prouidentia Dei nomine gratiæ sumitur.

Innocentius suprà agit de resurrectione à peccatis.

11. *Dæmonis vehementiâ in tentando à Deo refringi non est stricta gratia.*

Illud solùm specialiter posset obiici, si dæmon grauissimè hominem tentaret, non posset illi moraliter resisti, vt dicemus paulò pòst; ergo saltem etit gratia Dei per Christum, quòd diabolus non tentet eâ cum vehementiâ. Fusè & benè discutit P. Suarez ca. 23. obiectionem hanc, ac respondet Primò, hoc argumentum per se non habere locum in omni statu, imò neque in nostro, quia homini per accidens est, quòd diabolus peccauerit: Secundò, quia licet ex prouidentiâ diuinâ sit ipsi determinatè permissum, quî & quomodo debeat tentare; idque dici queat aliquo modo gratia Dei, eam tamen non necessariò esse specialem, sed pertinere ad generalem cursum prouidentiæ. Addo ego, cùm dæmones, quia in statu damnationis sunt, eo ipso videantur debere in tormentis manere, vnde nec possent homines tentare, quodammodò potius esse pœnam homini inflictam, permittere eos tentare etiam leuiter, quàm è contrario gratiam, quòd non tentent grauiter; nisi in hoc sensu dicamus esse gratiam, quatenus poterat Deus iustè magis punire; quo sensu dixi suprà etiam ipsam mortis dilationem esse gratiam; at non loquimur in præsenti de tali gratiâ. Addi etiam potest (quod benè notat Suarez) fortè, etiamsi ipsi dæmoni esset permissum tentare quàm posset grauiter, sæpè tamen ob multas rationes non tentaturum grauiter. Denique dico sæpè esse peccata occulta mentis, in quibus est tentatio ab intrinseco, dæmone de eâ nihil omnino sciente, quia non nouit actus purè internos, ideóque non posset hunc tentare grauiter.

SECTIO II.

Quid de victoriâ grauis tentationis.

12. *Vehementissima tentatio ad peccatum relinquit physicã libertatem.*

SVppono, quod suprà obseruaui, tentationem quantumcumque grauem, stante iudicio rationis, non tollere physicam libertatem, aliàs iam non esset tentatio ad peccatum; non enim peccaretur, dum ei quis succumberet. Confirmatur: Præcepta naturalia, quantumcumque grauis tentatio insurgat, obligant ad sui impletionem, ergo possunt tunc impleri, aliàs non obligarent; non enim est obligatio ad impossibilia. Ratio à priori est, quia tentatio non fit nisi media propositione obiecti; semper autem proponitur obiectũ indifferenter, nisi absorbeatur ratio à passione; vt in motibus primò primis contingit; tunc autem iam non est tentatio, quia homo non operatur tunc humano modo, ideò in eis actibus nullo modo peccatur.

SVB

Digitized by Google

Subsectio I.

Propositis varijs sententijs, statuitur prima nostra conclusio.

Prima quorumdam sententia.

Nonnulli apud Vasquez hîc disput. 189. cap. 1. & Suarez lib. 1. cap. 24. opinantur omnes quantumuis graues tentationes etiam collectiuè sumptas posse cum solo generali concursu Dei sine vllâ planè gratiâ superari.

Secunda aliorum.

Secunda aliorum sententia apud Suarez ibidem est, collectiuè non posse omnes superari, diuisiuè verò nullam esse tam grauem, quæ superari nequeat.

Tertia communis.

Tertia communis sententia est, nullam esse tentationem grauem, quæ sine gratiæ auxilio superari possit: eius auctores vide apud Suarez suprà: qui eam sententiam ita videtur intelligere, vt nullam vocet tentationem grauem, quæ durat tantùm vnico instanti, sed necessariò requirat aliquam moram temporis; imò addit Suarez intra illam moram in quolibet instanti determinato posse tentationem illam superari, licet in omnibus non possit. Quod enim de vnâ & omnibus tentationibus secundo loco allati auctores dixerunt, hoc Suarez in eadem tentatione de instantibus ipsis docet.

P. Suarez grauem tentationē vult aliquandiu durare.

13. *Prima conclusio: Collectio grauium tentationum sine speciali gratiâ Dei non superamur.*

Prima conclvsio: Omnes tentationes graues collectiuè sumptæ sine gratiâ speciali Dei superari non possunt. Hæc est communis inter omnes ferè Theologos apud Suarez cap. 26. num. 4. imò aliqui putant eam esse de fide; alij verò, vt ipse Suarez num. 12. contrariam dicunt esse temerariam & errori proximam. Fundamentum præcipuum desumitur ex Patribus, Concilijs & Scripturâ. Aduerto tamen multa loca in præsenti ab auctoribus afferri quæ sunt valdè inefficacia: vel quia vniuersaliter loquuntur de fugâ omnis peccati, vnde impugnarent nostram & eorū qui eis locis vtuntur doctrinam sectione præcedenti traditā; vel quia non est in eis sermo de qualicumque victoriâ tentationis, sed fructuosâ, & ad vitam æternam conducente.

Afferuntur ergo aliqua alia loca ex Patribus, quatenus Pelagio obijciunt, quòd docuerit, totā legem sine gratiâ Dei posse seruari. Cœlestinus Papa Epistolâ ad Episc. Gall. cap. 6. & Innocentius I. Epistolâ ad Concilium Mileuitanum quæ est 93. apud Augustinum, docet, necesse esse hominem gratiâ priuatum diaboli laqueis irretitum occumbere, dum ad omnia vitæ perficienda mandata sola libertate contendit; & Concilium Mileuitanum cap. 5. *Placuit, vt quicumque dixerit, ideò gratiam iustificationis nobis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius implere possimus per gratiam, tamquam etiamsi gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illâ diuina implere mandata, anathema sit.* Hæc tamen duo loca, licet communiter afferantur ad probandam hanc veritatē, arbitror tamen non esse efficacia; non quidem hanc secundum, quia gratia Dei non datur nobis solùm vt vincamus tentationes, sed vt faciamus opera fidei, spei & charitatis, vt habeamus meritā gloriæ, quæ sine gratiâ non possumus facere: Pelagius autem omnia hæc libero arbitrio tribuebat. Imò hunc locum absolutè non esse de tentationibus contra opera naturalia efficaciter iuste probo, quia in eo non solùm negatur, nos posse facilè, sed etiam vllo modo posse ea præcepta implere sine gratiâ. Est autem certum, quòd cum difficultate, physicè tamen loquendo, etiam sine gratiâ possimus eas tentationes vincere, alioquin non possemus peccare (vt suprà notaui) ideò qui hanc conclusionem defendunt, solùm negant facilè seu moraliter posse has tentationes vinci. Sed nec primus locus vrget; nā cùm ibi sermo sit etiam de omnibus mādatis, inter quæ includuntur supernaturalia; facilè potest dici propter illa requiri gratiam. Video tamen posse vrgeri hunc locum; si enim in eo esset sermo de tentationibus etiam contra præcepta supernaturalia, malè diceret Pontifex, hominem sine gratiâ occumbere; nam si non haberet gratiam, sicut non posset implere ea præcepta supernaturalia, ita nec propriè occumberet illa non seruādo, quia non peccaret in eā nō obseruatione. Respondeo tamen *occumbere* etiam aliquando vsurpari, quasi diceretur, non sufficere ad faciendum opus, siue peccaret siue non.

Allata testimonia non probant efficaciter positam conclusionem.

Ostenditur quomodo verba suprà dicta Innocenty vrgeāt pronobis.

14.

Afferuntur etiam à Bellarmino lib. 5. de Gratiâ & libero arbitrio cap. 5. Suarez suprà, & recentioribus aliqua Scripturæ loca pro eadē doctrinā, quæ non admodum vrgēt; v. g. illud Ezechielis 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri; & faciam vt in præceptis meis ambuletis:* qui locus de præceptis etiam supernaturalibus potest intelligi, vel de auxilio congruo, etiamsi illud non sit vera gratia; vt dum de gratiâ efficaci agitur, dici solet Deum facere vt velimus: item ad Rom. 8. *Quod impossibile erat legi: in quo infirmabatur per carnem; Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum.* Verùm ibi non tam loquitur Paulus de obseruatione legis seu præceptorum quàm de iustificatione obtinendâ, quæ non dabatur per legem, sed per Christum; immediatè enim antè dixerat, nihil damnationis esse in ijs qui sunt in Christo Iesu, id est, nullam peccati maculam in eis relictam, vt alibi Concilium Tridentinum explicat: & in confirmationem huius adducit citata verba. Solet etiam afferri locus ille ad Romanos 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei* &c. quasi *de corpore mortis huius*, de tentationibus huius vitæ vsurpandum sit. Verùm noster Cornelius locum hunc de corpore ipso vt sonat, & de eius miserijs, vt in corpore glorioso resurgat, explicat; neque vllam de tentationibus, ibi mentionem facit. Affertur etiam ex 1. ad Corinth. 15. vbi dixit Apostolus, *Virtus verò peccati lex*; addidit, *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Vnde Augustinus lib. de Spiritu & lit. teste Bellarmino, ostendit euidenter non posse totam legem solis viribus naturæ impleri: verùm ego in eo libro non inuenio locum hunc ex Augustino citatum; & meritò; quia eo cap. 15. totus est Paulus in probanda resurrectione corporum: & cùm dixisset ibi post resurrectionem insultandum morti, *Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus?* subdit relata verba; quibus solùm denotat peccati virtutem intulisse legem vniuersalem mortis, per gratiam verò Christi venisse victoriam de eadem morte obtinendam per resurrectionem; hoc autem quid, quæso, ad tentationes graues? Tādem affertur locus ex 2. Corinth. 3. vbi ait Apostolus *Littera occidit; Spiritus autem viuificat.* Augustinus enim ex hoc loco toto libro de Spiritu & littera videtur probare, sine

Paulus loquitur de iustificatione obtinendâ per Christum.

Paulus loquitur de victoriâ mortis per resurrectionem corporum.

Digitized by Google

gratiâ Christi non posse seruari totam legem: verùm Augustinus nimiùm videtur ex hoc loco intulisse; nam expresè requirit per Spiritum ita infundi gratiam, vt fiat in animâ dilectio summi boni & delectatio, etiamsi per fidem ambulemus; vbi planè de operibus supernaturalibus agit; ita cap. 3. & 5. de diffusione charitatis per Spiritum sanctũ. Certum est autem posse sine hac gratiâ habituali Spiritus sancti seruari legem, vel saltem multa vitari peccata, vt in naturâ integrâ, sedatis passionibus, &c. etiamsi homo non esset in gratiâ habituali, vt benè docet Suarez cap. 25.

Augustinus ex hoc loco nimis multum intulit.

Melius suadetur conclusio.

Vides ex his locis multa, quibus maximè hæc sententia probari solet, non esse adeò efficacia; meliùs ergo suadetur ex illo S. Pauli 1. Cor. 10. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari suprà id quod potestis*: vnde benè infert Chrysostomus hom. 24. & omnes communiter, esse aliquas tentationes, quæ superant vires nostras; alioquin impertinenter in hoc prædicaretur Dei misericordia, si aliter non posset res fieri. Neque hîc potest habere locum explicatio de tentatione contra præcepta supernaturalia; nam vniuersaliter ibi agebatur de vitandis peccatis in quacumque materiâ. Præterea vel eas tentationes vitare poterat homo sine gratiâ, vel non; si non, ergo eis cedendo, non peccasset homo; parum ergo Deus fauisset illi homini non illas permittendo; quandoquidem, etiamsi permisisset, homo tamen non peccasset eis succumbendo; si verò poterat sine gratia eas vitare, ergo non erant cõtra præcepta supernaturalia. Affertur etiam illud Psalmi 17. *In te eripiar à tentatione*; & illud Psalmi 117. *Impulsus euersus sum vt caderem: & Dominus suscepit me*; & illa verba Christi Matt. 6. *Et ne nos inducas in tentationem*. Cælestinus Papa Epistolâ ad Episc. Gall. cap. 6. *Nemo idoneus est ad superandas diaboli insidias & vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adiutorium perseueranciam bonæ conuersationis acceperit*. Quod testimonium saltem de grauibus tẽtationibus simul sumptis debet intelligi. Alia loca habet Bellarminus suprà cap. 7. & Suarez cap. 24. num. 11. Ratio à priori desumitur ex ipsâ grauitate tentationis; nam homo ex se attrahitur valdè ab obiectis istis: quòd si coniungatur vehemens illorum propositio, & earũ tentationum repetitio, procul dubio fit homini difficillimũ eis omnibus resistere; vti adhuc sine graui tentatione est nobis difficillimum & moraliter impossibile etiam cum gratię auxilijs, ordinarijs tamẽ, vitare omnia venialia. Quæ ratio grauiùs vrget, si homo nec ordinaria quidem gratię auxilia habeat. Obiectiones contra hanc doctrinam soluentur positis alijs conclusionibus; quia æquè videntur contra omnes illas militare.

Vnde oriatur moralis impotentia absque gratiâ resistendi tentationibus grauibus collectiuè.

SVBSECTIO II.
Aliæ nostræ conclusiones.

15. *Secunda conclusio. Quamuis tentatio grauis debeat cum gratiâ Dei speciali superari. Testimonia pro Primâ conclusione alia-ta etiam probant hanc Secundam. Ratio à priori.*

SECVNDA sit, Non solùm collectiuè omnes graues tentationes, sed nec diuisiuè quælibet talis grauis tentatio potest sine speciali Dei gratiâ superari. In hanc conclusionem cõsentiũt etiam ferè omnes quotquot in præcedentem, licet in eius explicatione varient nonnihil: probo autem illam eisdem testimonijs, quibus præcedentem: in eis enim non solùm de multitudine tentationum, sed de qualibet graui sermo erat; vel certè indefinitè loquebantur Patres & Concilia. Ratio à priori desumitur ex debilitate naturæ humanæ & vehementi hominis in bonum sensibile propensione: quam paulò ampliùs declarabo conclusione sequenti.

TERTIA CONCLVSIO contra Patrem Suarez: Potest esse aliqua tentatio ita grauis, vt licet vnico instanti duret, sit difficillimum ei resistere, imò moraliter impossibile. Hanc tenent docti quidam recentiores, qui rem magis distinctè tractarunt: probatur autem, quia sicut potest ita quis esse obfirmatus in bono, vt sit moraliter illi impossibile seu difficillimum, etiam pro vno instanti, in rem turpissimam consentire, his existentibus cogitationibus boni quibus continuè afficitur; cur è contrario etiam in malo non poterit ita esse obstinatus, vt sit ipsi difficillimum etiam pro vno instanti resistere graui tentationi venereæ? Pone v. g. hominem luxuriosum, eique per instans cogitationem pulcherrimæ puellæ quam perditè amat, occurrere: pone illi occurrere se à tali puellâ certò esse occidendum (quia potens est) nisi in peccatum consentiat: pone appetitum vehementer inclinatum in turpe illud obiectum, dæmonem instigare in bonum delectabile, extremumque vitæ periculum, vt dixi, imminere, nisi cedat, sine dubio tentario hæc cẽlenda est adeò grauis, vt qui per vnum instans vincere illam potest, à fortiori vincet leuem diu durantem: quod tamen vltimum negat Suarez.

Explicatur grauitas tentationis pro vno tantùm instanti durantis.

Dices: Si tentationis huius victoria non est possibilis viribus naturæ, ergo libertas non est ad eam vincendam; si è contrario possibilis est victoria, ergo ad grauem tentationem vincendã non indigemus gratiâ, quod videtur aduersari nostræ conclusioni. Huic difficultati vt plenè fiat satis, ponendum, quod sæpè suprà insinuaui, magnum esse discrimen inter potentiam physicam & moralem; rectè enim potest potentia physica ad implendum aliquod præceptum & sufficiens ad peccatum esse coniuncta cum impotentiâ morali, ita vt licet verè dici queat, Petrus v. g. potest hîc & nunc vindictam non sumere de adultero, ideoque liberè ipsum occidit, tales tamen sint circumstantiæ, vt omnes prudentes pleno ore affirment, moraliter loquendo, illum proprijs viribus relictum non posse se à vindictâ cohibere. Pone hominem furibundum zelotypum; infamiæ impatientem, potentem occidere adulterum in adulterio deprehensum; certum est, etiamsi aduertat illud esse peccatum, sine speciali tamen Dei auxilio & sine viribus superadditis naturæ victoriam illius tentationis, moraliter loquendo, obtinere non poterit; ita vt moraliter casus admitti nequeat, quo ille homo positis prædictis circumstantijs vindictam re ipsâ non sumat sibi relictus; ergo indiget pro eâ victoriâ gratiâ per Christum: idque volunt Cõcilia & Patres, vel saltem valdè id insinuant, dum docent, ad vincendam grauem tentationem non esse nos ex nobis sufficientes.

Obiectio difficilis.

Potentia physica ad aliquid rectè esset cum impotentiâ morali.

Vt hoc faciã, ad quod absolutè habeo vires physicas, sæpè indigeo speciali gratiâ.

QVARTA CONCLVSIO: Etiamsi in se tentatio non sit intensiuè grauis, adeò tamen potest per durationem esse importuna, vt moraliter sine speciali gratiâ vinci non possit. Ago tantùm de leui; nam grauis, cùm etiam aliquãdo pro vno instanti causet eam impossibilitatem, à fortiori eam causabit, si diu duret. Ratio à priori desumitur ex instabilitate voluntatis humanæ; quę si sibi relinquatur, diu in bono perseuerare non potest, maximè quando in contrarium vrgetur: id quod ex dicendis magis confirmabitur.

Quarta conclusio.

Digitized by Google

Subsectio III.

Obiectiones aliquæ soluta.

Obicies contra hæc Primò, Scriptura & Patres dicunt, præcepta Dei non esse impossibilia, sed facilia. Deut. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum.* Ergo possunt impleri mandata Dei sine gratiâ. Respondetur communiter negando cõsequentiam; nam licet præcepta sint difficilia, impleri facilè possunt de facto, quia Deus per auxilium gratiæ semper est præsens. Hæc tamen solutio adhuc videtur magnam pati difficultatem; nam Deus non videtur ibi denotare, præcepta ideò esse facilia, quia cum gratiâ possũt impleri; si enim ita esset, non debuisset tã ea dicere facilia, quàm promittere gratiam pro illis: quod tamen nõ præstat. Meliùs ergo respõderi posset, præcepta non esse difficilia in se, abstrahendo à tentationibus; & hoc solùm ibi denotari: quod autem per accidens insurgant aliquæ tentationes, dũmodò etiam cõtra illas detur auxiliũ gratiæ, nõ auget difficultatẽ præceptorũ.

Responsio cõmunis non caret difficultate.

Melior responsio.

Secundò potest obijci, & difficiliùs: Homo potest propter motiuum humanũ superare grauissimas tentationes; potest enim contingere (& de facto ita sæpè contigit) vt mortem ipsam propter opinionem aliquam falsam tuendam quis sustineat; vt hæreticus, qui pro suo errore, aut, si vis, pro aliquâ Catholicâ veritate, in alijs tamen errans, mortem subit; ergo etiam poterit aliquis è contrario sine gratiâ tolerare eamdem mortem propter Deum, aut propter virtutem. Consequentia videtur bona, quia honestas eius motiui non facit mortem difficiliorem; hoc autem est vincere grauissimam tentationem; ergo hæc superari potest viribus naturæ. Responsio communis, quam tradit Suarez cap. 24. num. 3. est, motiua ista humana esse magis attractiua quàm honesta: hæc enim bona non ita apprehẽduntur. Ad exemplum de hæretico dicunt eum mori pro suo errore ex motiuo vanæ gloriæ; & eodem modo mori, quando in alijs punctis errans moritur pro veritate aliquâ Catholicâ: non enim moritur pro illâ vt catholica est, sed vt ab ipso creditur propter aliqua motiua. Sed in primis hoc vltimum de hæretico nõ satisfacit, quia hoc ipsum, quod est credere eam veritatem ob motiua humana prudenter id persuadentia, etiãsi nõ sit actus fidei Catholicæ, est tamen actus honestus, & à prudentiâ dictari potest; ergo saltem ex hoc capite superauit ille homo tentationem per actum bonũ: quod verò de motiuo honesto dicitur, habet inde magnam difficultatem, quia aliquando potest contingere, vt motiuum illud humanũ sit simul bonũ moraliter in se: ergo tũc saltẽ potest vinci ea grauis tentatiõ sine auxilio gratiæ: patet euidenter, quia quod in eo motiuo coniungatur simul ratio honesti, non minuit vllo modo, sed potiùs auget amabilitatem naturalem illius; ergo si, antequam illud obiectum esset honestum moraliter, poterat amari viribus naturæ, & propter illud poterat quis sine gratiâ tentationem etiam grauem superare, poterit etiam, quando illũd motiuum simul est honestũ. Quòd verò in eo motiuo duæ illæ rationes concurrere possit, euidenter inde constat; nam si potest quis, vt defendat opinionem suam falsam, ea tormẽta pati, certè si contingat simul illam opinionem esse veram, & imponi ei præceptum illam defendẽdi, per hoc non fit iam minùs amabile illud motiuum quàm antea: similiter si propter cibũ posset quis v.g. vincere tentationem contra castitatem nullo interueniente auxilio gratiæ; aut è contrario poterat tentationem aliquam grauem ad violandum ieiunium vincere ob motiuum turpe luxuriæ: ponamus insuper cibi illius esum imperari, vel ex se esse ad illum hîc & nũc obligationem, cò quòd homo tunc moriatur fame, & teneatur comedere; vel è contrario, quòd ad copulam prouocet vxor propria: certè si propter copulam cum alienâ poterat vincere tentationem comedendi illicita, non video cur non posset propter copulam cum illâ, quæ simul ei se in matrimonium tradere vult, eamdem tentationẽ vincere; aut è contrario, si tentationem ad copulam illicitam potuit ob cibum prohibitum vincere, non video cur nõ potuisset pro cibo licito & obligatorio: ergo in hoc casu potest vinci tentatio grauis ob motiuum honestum sine gratiâ per Christum. Ratio à priori est, quia honestas moralis virtutum sæpè concurrit cum obiectis alijs in se homini gratis: vt honestas, quæ in recreatione reperitur, quæ in sustentãdo corpore, in curãdis vulneribus, in vitandâ morte, in copulâ reddẽdâ vxori ex debito iustitiæ, &c. ergo ista motiua bona moraliter & homini grata poterũt illum retrahere à peccato aliquo, etiãsi ad illud grauiter tentetur; sicut iuxta solutionem quam impugno, vnum peccatum potest retrahere hominem etiam grauiter tentatum ab alio peccato, imò etiamsi motiuum non sit honestũ, sed indifferens, est eadem difficultas; nam propter illud poterit vinci tentatio sine gratiâ: quo casu omnia Patrum & Scripturæ loca redduntur falsa: nam etiam tunc verissimè & proprissimè homo eripitur à tentatione, non inducitur in illam, &c. & hoc sine gratiâ, ergo.

Hæretici ex motiuo humano videntur superare tentationem grauem amoris vitæ.

Ratio à priori.

17. *Responsio cõmunis tradita à Suarez.*

Communiter non respondetur sufficienter ad exemplum de hæretico.

Motiuo humano coniungi potest ratio honesti.

Vrgetur denique; Nam si ob motiuum venialiter malum vincat quis tentationẽ, eo ipso custodit legem eo modo quo iustus, etiamsi peccet venialiter, dicitur eam legẽ custodire; ad veniale autem cõmittendum sine dubio gratia Dei non est necessaria: maximè verò difficultatem ingerit, si tẽtationes omnes graues sẽper vinceret ob tale motiuum. Huic vltimæ replicæ responderi posset duo esse in eâ fugâ grauis peccatiob leue; vnum, omissionem eius grauioris, & ad hoc etiã tunc fuisse necessariam gratiam, quia ea omissio vt sic bona est. alterum verò amorem minoris mali, qui vt sic malus est, & ad hunc non esse necessariam vllam gratiam. Sed neque hæc solutio satisfacit, quia ea omissio graniotis non aliter amatur quàm in peccato ipso leuiori, ad quod non requiritur gratia Christi. Quoad alteram partem, de victoriâ omnium grauium peccatorum per leuiora, potest dici non occurrere semper ea motiua leuia pro vitandis grauibus, sed rarissimè, ideóque non sequi absurdum ibi illatum.

18. *Alia replica contra communem solutionem.*

Quid huic replicæ posset responderi.

Sed nondum satisfacit.

Ego absolutè crederem ob peccatum leuius numquã omitti grauius peccatum, nisi summùm quoad opus externum; nam qui ob solam vanitatem non fornicatur, rarò aut numquam caret hac voluntate conditionali, *Si non viderer, fornicarer*: quæ eo ipso grauiter mala est: & similem solutionem pro motiuo honesto statim tradam. Iam videamus quid alij ad argumentum dicant.

Grane peccatum numquã superatur per leue peccatum.

Posset fortè quis respondere Secundò, in eo casu eam tentationem non esse actu grauẽ; quia

Occurritur alteri responsioni insufficienti.

Digitized by Google

ad hoc debet considerari, quòd incontrarium non proponatur motiuum æquè forte resistensque priori; tunc enim homo non tentatur grauiter absolutè. Adhuc non satisfit obiectioni, quia in hoc sensu etiam neque cum gratia vincetur vmquam grauis tentatio; etenim gratia, quam Deus tunc infundit, est cognitio aliqua fortior boni moralis, quâ homo roboratur ad illud amandum, ergo tunc positâ eâ cognitione non est amplius tentatio grauis; quia cognitio illa præponderat alteri, & destruit in altera rationem tentationis grauis, vt in solutione dicebatur; ergo neque cum gratiâ neque sine illâ vincetur tentatio grauis: quod est absurdum.

Alia quorundam recentiorum responsio.

Tertiò quis responderet, nisi tentationi graui resistatur propter motiuum charitatis, quod est vniuersale ad omnes virtutes, non verè resisti, qui enim non fornicatur propter bonam famam non amat castitatẽ, sed bonã famam, & cõsequẽter non benè operatur moraliter; sicut qui ideò præcisè se nõ inebriat, (vt contrahat matrimonium, non amat temperantiam, sed copulam aut matrimonium. Hanc solutionem insinuant in præsenti nonnulli recentiores. Verùm facilè reijcitur Primò, quia, vt suppono ex eorum & omnium ferè principijs) virtutes morales possunt haberi ex solo motiuo particulari illarum; pono autem bonum nomen apud homines esse bonum honestum vnius virtutis moralis, iuxta illud Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine*; item fugere ea quæ nocent sanitati esse etiam obiectum virtutis moralis; quæ prohibet, ne homo se occidat: ergo si quis velit fugere tentationem carnis, v. g. ne sit infamis, sed habeat bonum nomen apud omnes, vel ne morbum aut periculum vitæ incurrat; minatur enim quis ei vel mortem vel vulnus graue, si id faciat; habebit motiuum honestum sui actus: & licet tunc ille actus non sit in virtute castitatis, eò quòd non habeat castitatem pro fine (quod nunc permitto his auctoribus) erit tamen in specie honesti amoris proprij: sicut si coniugatus copulam aliàs licitam relinqueret, ne sanitati proprię noceret, sine dubio haberet actum honestum, siue pertineret ad castitatem, siue non; neque est necessum vt quilibet actus virtutis fiat ex motiuo generali charitatis, alias omnes planè virtutes confunderentur, imò re ipsâ non esset nisi vnica charitas.

19. *Reijcitur illa responsio. Bonum nomen est bonũ honestum virtutis moralis.*

Quartò quis respondebit, hoc ipsum, quod est habere cognitionem aliquam ita intensam in materiâ virtutis vt resistat tentationi, etiamsi illa cognitio sit de bono naturali, esse gratiam specialem Dei indebitã naturæ. Sed contrà, quia in homine famente excitari cognitionem vehementem, vt comedat, nec se permittat mori, non est gratia indebita naturæ, positis etiam his circumstantijs, ergo.

Absolutè respondetur tandem propositæ Secundæ obiectioni. Bona physica potentiora sunt ad mouendum quàm moralia.

Obiectio hæc valdè est difficilis; ei tamen respondeo insistendo ex parte solutioni communi, bonum sciliter morale non esse ita potens ad nos mouendos, sicut bona alia physica, quæ per sensus percipiuntur; non quia in se bonum morale maius non sit, sed quia à nobis non potest ita perfectè apprehendi, maximè sine gratiâ; est enim à sensibus abstractum; vnde fit, vt possit quis propter bonum physicum superare grauem aliquam difficultatem, non tamen possit propter bonum morale, nisi iuuetur gratiâ Dei.

Respondetur replicis suprà allatis.

Ad replicas suprà factas respondendum est, posse quidem coincidere bonũ morale cũ bono physico, vt ostẽsum est, in eo tamen casu nõ posse vinci contrariam tentationem ob honestatem illius actionis, v.g. tentationem ad luxuriam propter tutandam vitam; si enim me tunc non moueat honestas ipsa quæ reperitur in tutãdâ vitâ, sed solùm bonitas physica, quam ibi apprehẽdo, potero quidem omittere externum actum luxuriæ, non tamen superabo tentationem; nam non excludam ex animo vnum actum saltem conditionatum peccaminosum, quo quasi dicam, *Si non esset istud periculum vitæ, peccarem.* Et ratio est clara, quia nisi bonitas moralis me moueat, & consequenter me ad actum honestũ impellat, nõ est ratio vlla ibi ob quam pellatur ex animo ille affectus conditionatus, *Ego fornicarer, si non periclitarer de capite.* Hoc quod dico in hac materiâ dicam in alijs, numquam scilicet vinci tentationem, nisi bonitas obiecti formaliter moueat: hæc autem, vt iam supponimus, non potest præponderare bonitati physicæ contratiæ.

Numquam vincitur tentatio nisi bonitas obiecti formaliter moueat.

Hinc infero vt valdè probabile contra communem solutionem, numquam posse ex motiuo vnius peccati vinci tentationem ad aliud propriè loquendo. Dico *propriè loquendo*; nam vnum actum externum peccati potero quidem vitare propter motiuum alterius peccati; si tamen ibi non intercedat motiuum honestum, nõ pelletur ab animo alter affectus conditionatus peccaminosus, & consequẽter non vincetur simpliciter tentatio: sic qui relinquit ebrietatẽ propter luxuriam, & nõ propter honestatem aliquã, habebit adhuc vnum affectum, quo dicat, *Ego me inebriarem si hic & nunc luxuria non vrgeret*, aut, *si vtrumque possem facere.* Iste autem affectus conditionatus non habet locum, quando motiuum est ipsa honestas omissionis ebrietatis; nam honestas illa repugnat etiam isti affectui, vnde non permittit illum in animo. Vtilitas autem omissionis ebrietatis ad luxuriam non opponitur, vt dixi, tali affectui; ergo quando omittitur ebrietas propter luxuriam, non pellitur omnis prauus affectus ad ebrietatem.

20. *Ex motiuo vnius peccati simpliciter non vincitur tentatio ad aliud peccatum.*

Dissoluitur replica ad nostram solutionem data.

Replicabis, Etsi relinquatur ebrietas propter aliud motiuũ honestum formaliter, dũmodò non sit intra virturem, cui opponitur ebrietas, non est incompossibilis cũ eâ omissione ebrietatis alius affectus cõditionatus, quo quis dicat, *Si ebrietas non esset contraria tali vi tuti ego illam non relinquerem:* atqui hic actus est formaliter peccatum; non enim excludit omnẽ malitiam ebrietatis, sed solùm quam habet cõtra vnam virtutem hîc & nũc, non autem illam, quam per se habet cõtra temperantiam v.g. ergo etiamsi vincatur tẽtatio ex motiuo honesto, habebit locum ille affectus conditionatus peccaminosus. Respondeo cõcedendo obiectioni, quãtum est ex modo procedẽdi illius actus, posse ibi manere prædictũ affectũ, & fortasse aliquãdo manere, hominẽque nolle se inebriare, ne amittat castitatẽ v.g. & simul habere affectum cõditionatum, quo dicat, *Non curarẽ ebrietatem, si non prouocaret ad luxuriam:* qui affectus est peccaminosus: addo tamen, eum, qui habet gratiam vt ob honestatem formaliter castitatis relinquat ebrietatem, iam habere gratiã, non solùm vt ipsam externam ebrietatem omittat, sed etiam vt excludat voluntatem illam cõditionatam, de quâ paulò antè: Deus enim dans illi gratiam ad vincendam eam tentationem ex motiuo honesto, dat etiam ad vincendã perfectè non solùm quoad opus externum, sed præcipuè

Cum omissione ebrietatis ex modo procedendi fiat simul actus conditionatus contrarius.

quoad

Digitized by Google

quoad affectum internum, in quo est peccatum: nec valet, Potest tunc ex vi illius motiui habere adhuc affectum eum conditionatum, ergo debet semper illum habere. Quòd si velis adhuc illud motiuum non sufficere hîc & nunc, dicas, vt perfectè vincatur tentatio, requiri propositionem maiorẽ de honestate propriâ illius virtutis; gratiam autem requisitam ad vincendam tentationem debere pertinere ad virtutem eam. Ex quo nihil infertur contra dicta à nobis in solutione argumenti. Et eodem modo dico de hæretico qui moritur ob tuendam opinionem falsam, de quo initio argumenti, moueri tunc appetitu laudis vanæ, vt scilicet & videatur benè rem intellexisse, & simul ostendat se pro veritate non timere mortem: quod motiuum fortius est ad illum indurandum quàm honestas fidei; non quidem maius in se, sed vt dicti respectu hominum: si autem contingat vt ea opinio, pro quâ constanter ille moritur, sit re ipsâ vera, negare certè non possumus, quin ex eo capite crescere potiùs videatur ratio, vt libẽtiùs moriatur, quàm vt vllo modo minuatur; nihilominùs tunc non firmabitur ad tolerantiam mortis affectu veritatis, quem supponimus iam culpabiliter in alijs punctis resistere veritati; sed per accidens ibi se habebit illa honestas, & ita attrahetur illo inanis gloriæ affectu & proprij iudicij nimiâ æstimatione, vt paratus sit eodem modo pro suo errore mori, vt dicebant nõnulli suprà: qui tamen non benè id reducebant in motiua: non enim id prouenit ex affectu ad motiua; sed ad inanem gloriam & iudicium proprium reducendum est.

Svbsectio IV.

Alia obiectio difficilis proponitur: & quî à nonnullis ei respondeatur.

21. EA est, quia si homo sine gratiâ non habet potentiam moralem ad resistendum, ergo nõ peccabit saltem mortaliter ei succumbendo. Patet consequentia, quia ad peccandum mortaliter requiritur potentia & libertas moralis. Confirmatur: Ea quæ sunt impossibilia moraliter non cadunt sub votum, nec sub præceptum Superioris, qui non potest obligare ad impossibilia moraliter; ergo neque cadent sub obligationem legis naturalis: eadem enim videtur esse de vtraque obligatione ratio. Hæc obiectio est etiam valdè difficilis, & traxit auctores in diuersissimas solutiones. Primò enim nonnulli responderunt, eam impotẽtiam moralem solùm esse consequẽtem; id est, quòd numquam sine gratiâ vincatur tentatio, nec videat Deus per scientiam mediam vllum casum, in quo homo id faciat; non autem esse impotentiam antecedentem ex difficultate operis, aut ex eo quòd absolutè non possit fieri. Benè hanc solutionem impugnat P. Suarez cap. 24. n. 25. eò quòd per ipsam nulla in nobis ponatur necessitas seu impotentia: Patres autem &c. Scriptura passim insinuant contrarium, dum docent non esse in nobis vires, non posse nos, &c. seruare totam legem sine gratiæ auxilio. Hinc è contrario fit, vt esto quis habens illud auxilium re ipsâ nunquam consentiat Deo vocãti, non tamen propterea dicatur carere aut potentiâ aut viribus ad seruandam legem. Neque vmquam in scholis duo hæc sunt pro eodem vsurpata, Non fit hoc re ipsâ, & Non potest fieri; nam, iuxta certissimum Logicæ principium, non valet consequentia negatiua ab actu ad potentiam. Declaratur præterea ea impugnatio; nam Patres & Theologi impotentiam hanc seu incapacitatem ad vincendas omnes tentationes solùm probarunt ex imbecillitate & infirmitate naturæ humanæ redditæ per peccatum procliuis ad malum; ergo non voluerunt solùm significare euentum ipsum, sed multò maximè antecedentem omnino inclinationem, à quâ prouenit ille constans lapsus. Confirmo; quia si nulla est antecedens repugnantia, rogo hos auctores, Vnde prouenit, vt in omnibus omnino casibus & occasionibus homo cedat? id sanè videtur planè moraliter impossibile, vt cùm homo ex se facilè & liberè possit hoc vel illud eligere, nec sit aliqua difficultas grauis, quæ illum ab vno actu potiùs quàm ab alio antecedenter retardet; adhuc tamen inter infinitos planè homines, & in infinitis occasionibus diuersis semper contingat, vt nec vnicus videatur qui resistat, sed omnes planè semper ad vnam partẽ deflectant, nullus autem ad aliam. Simili argumento vsus sum contra aliquos, qui cùm docerent auxilium posse cõponi cum carentiâ operationis cõnaturalissimè, addiderunt tamen, numquam de facto coniungendum; dixi enim, non posse probabiliter dici in tam innumeris & diuersis occasionibus, ne quidem semel contingere id, quod contingere connaturalissimè potest, vel saltem non posse de hac re esse vllam certitudinem. Quæ omnia iam hîc locum habent.

Dant instantiam in voto & præcepto positiuo.

Prima quorundam responsio ad difficile argumentum.

P. Suarez hanc responsionem benè impugnat.

Efficacior eius responsionis impugnatio.

Eadem impugnatio prædeterminantes urget.

Recentiores quidam Secundò respondent admissâ eâ impotentiâ morali antecedenti, negando illam non sufficere ad peccandum mortaliter. Vbi aduerte, ne fiat æquiuocatio in nomine *potentia moralis*; si enim accipiatur pro *potentiâ in genere moris*, sine dubio tunc debet admitti: solùm ergo negamus in præsenti potentiam moralem, id est *facilitatem* ad vincẽdas eas tẽtationes: ea enim quæ nobis sunt summè difficilia dicimus esse extra potentiam nostram. Et in hoc sensu loquuntur hi recẽtiores, qui ad exemplum de voto & præcepto dicunt disparitatem in eo consistere, quòd votum & præceptum Superioris seu lex positiua ordinatur ad bonũ hominum; si autem Superior præciperet impossibilia, esset id in ruinam, quia cùm numquam sine gratiâ possint quæ præcipit seruari, sola daretur hominibus occasio ruinæ; quod est absurdũ: lex verò naturalis supponit iam res ex se malas: non enim sunt malæ, quia prohibentur; sed potiùs ideò prohibentur, quia sunt malæ: vnde hæc lex non attendit eam impotentiam moralem. Verùm neque solutio hęc videtur adhuc satisfacere quoad disparitatem traditam. quod ostendo manifestè; nam sicut lex positiua debet esse in bonum naturæ, etiam lex naturalis, quæ est multò perfectior, debet esse in tale bonum: ergo sicut lex positiua ob eam causam non potest obligare ad impossibilia moraliter, ita nec naturalis. Quod verò additur de obiectis malis ex se ante legem naturalem, non est ad rem. Primò, quia nomine legis naturalis nihil aliud intelligimus nos quàm dictamen rationis dicens eas res esse contra naturam rationalem: ante hoc autem dictamen non sunt formaliter malæ, sed per illud formaliter prohibentur: ergo sicut hoc dictamen prohibet res impossibiles moraliter, cur etiam & lex positiua non poterit idem facere? Secundò, quia aliud est, res illas in se esse malas; aliud, eũ, qui illas facit, peccare. Primũ potest esse sine

22. *Alia recentiorum responsio. Potentia moralis pro potentiâ in genere moris: pro facilitate:*

Disparitas ab hîc auctoribus assignata inter legem positiuam & naturalem.

Reijcitur etiam hæc Secunda solutio.

Lex naturalis est dictamen rationis.

Digitized by Google

Multa sunt mala obiectiuè, non formaliter.

secundo: ita occisio hominis sine causâ facta à stulto in se est mala obiectiuè; sic omnia alia peccata sine libertate sunt mala obiectiuè, licet non sint formaliter peccata. Fateor ergo legem naturalem non efficere vt adulterium sit eo sensu malum; iam enim ex se habet eam malitiam; rogo tamen, cur impossibilitas moralis illud fugiendi non sufficiet, vt qui illud committit, licet faciat rem in se grauem, excusetur tamen à formali culpâ ob defectum potentiæ moralis à culpâ mortali, de quo in præsenti agimus? ad hoc enim quid facit illa distinctio, quòd res iam sint ex se malæ vel bonæ?

Neque valet Tertia aliorũ responsio.

Respondent alij Tertiò, humanum Legislatorem non esse tam potentem quàm legem naturalem. Verùm neque hæc solutio satisfacit; nam etiam præcepta positiua diuina; quæ sunt à fortissimo Legislatore, non obligant cum summâ eâ difficultate, vt aliunde suppono.

SVBSECTIO V.

Examinatur responsio Patris Suarez.

23. QVi suprà num. 14. putat omnino requiri potentiam moralem ad peccatũ mortale; ideò dicit nullam esse tentationem grauem, cui in quocumque instanti non possit homo resistere, etiamsi in omnibus collectiuè non possit; vnde concludit, hominem semper in eo puncto, in quo peccat, habere potentiam etiam moralem ad non peccandum, ad eum modum quo de peccatis venialibus docetur, quodlibet seorsim posse vinci, omnia tamen simul non posse. Hanc solutionem reijciunt nonnulli, eò quòd in naturâ lapsâ non eleuatâ & reparata non posset homo moraliter sine viribus gratiæ diligere Deum super omnia vt Auctorem naturalem; & tamen tunc haberet præceptum obligans sub mortali ad hunc amorem. Quæ duo docentur ab ipso Suarez eo lib. cap. 31. & 36. ergo iam in ipsius sententia potest esse sub præcepto aliquis actus, ad quem determinatè & in particulari non sit potentia moralis; ergo ex hoc capite idem erit in grauissima tẽtatione. Recentiores, qui hæc Suario obijciunt, non aduerterunt, quid ipse huic eidem difficultati responderit eo cap. 36. vbi dicit, ideò in eo statu naturæ lapsæ futuram obligationem talis amoris; quia etiamsi homo solis suis viribus non posset illum habere, Deus tamen illi esset adfuturus aliquo auxilio, non quidem propriè per modum gratiæ, sed per modum adiutorij illi statui proportionati. Hæc Suarez ibi: quibus difficultati positæ ab his recentioribus satisfacit ex integro.

Impugnant aliqui responsionem P. Suarez, qui sua impugnationis solutionẽ ibidem poterant legisse.

Melior impugnatio responsionis P. Suarez.

Omissâ ergo hac impugnatione, meliùs aliunde Suarez reijcitur; quia si homo per mediam integram horam non potest resistere tentationi, potest tamen in quolibet instanti determinato: demus illum restitisse in duobus v.g. vel tribus, in quibus potest; accedat quartum instans, quo iam completur duratio, in quâ totâ non potest resistere; certè tunc necessariò ea impotentia debet esse in instanti determinato; & tamen tunc obligat præceptum, ergo.

Suppositio nostra non repugnat.

Dices suppositionem repugnare. Sed contrà; nam si iste habet potentiam vincendi in quolibet seorsim, nulla planè est ratio, cur aliquando non vincat in primo: demus ergo vincere; ita enim ipse Suarez ibidem argumentatur contra eos; qui, nullâ datâ impossibilitate antecedenti, dicunt hominem numquam de facto victurum eam tentationem; meritò enim sic reijcit: Si non est vlla antecedens repugnantia, cur, quæso, numquam vincit? ita dico, Non est repugnantia antecedens in eo quòd homo eas tentationes vincat in duobus instantibus tãtùm, sed in tribus; demus ergo quòd vincat in duobus, quia si quod moraliter est possibile ponatur in actu, nullũ sequetur absurdum; certè iam tunc in tertio debebit cadere, quia debet in vno; non cecidit in primo nec secundo, ergo debet in tertio; & tamen peccabit; ergo peccatũ stat cum impotentiâ morali etiam in ipso determinato instanti operationis.

Contra P. Suarez ostenditur peccatum mortale stare cum impotentia morali.

Respondebis adhuc cum nonnullis alijs recentioribus, in hoc meo argumento suppositionem variari, & procedi à suppositione confusâ ad determinatam, vel è contrario à determinatâ ad confusam; nam sicut euidens est requiri oculum ad videndum, & tamen euidens est non requiri dextrum neque sinistrum; & inde non licet inferre, *Ergo oculus nõ requiritur*, sed solùm, *Ergo nullus determinatè requiritur, sed oculus vagè, siue sinister, siue dexter*; nec item valet, *Non requiritur dexter*; ponamus ipsum auferri, tunc autem cùm non maneat nisi sinister, sinister determinatè requireretur; vel si hic non requiritur, poterit dari visio sine dextro neque sinistro etiam collectiuè. Qui modus argumentandi non est bonus; casu enim quo quis duos habeat, etiamsi dexter in particulari non requiratur, non tamen supponendum est non esse partem illius dualis & collectionis, cuius alter necessariò requiritur ad videndum suppositione confusâ; similiter nõ valet ab instantibus determinatis ad eadem collectiuè vel confusè sumpta: quando enim supponitur in argumento victoriam fuisse in primo, secundo & tertio ex instantibus, euidens est sumi illa instantia determinatè, & consequenter excludi ab illâ collectione primi numeri, respectu cuius datur impotentia: quando enim talis impotentia datur respectu alicuius numeri confusè & vagè sumpti, non debet admitti casus, quo in aliqua parte numeri determinata sit victoria; fortè enim in secundo cadet, vel in tertio, vel in quarto; in quibus tamen supponimus non cadere; cadet, inquã, quia secundus, tertius & quartus sunt partes illius collectionis, in quâ confusè & indeterminatè necessarius est aliquis casus. Sũt v.g. in stabulo octo equi; quorum aliquis in confuso necessarius est ad equitandum, argumentanti, volenti probare octauum determinatè necessarium esse, nõ debet admitti casus neque suppositio fieri, quod neque primus, neque secundus, nec tertius, nec quartus, nec cæteri requirantur vsque ad octauum; nam esto verum sit, nullum determinatè requiri, verum est omnes esse partes illius collectionis & confusionis, cuius aliquis requiritur, & ideò nullus excludi debet; hinc dicunt implicationem esse asserere tentationem vinci in vno instanti post aliud diuisiuè, quia si dicitur *diuisiuè*, hon debet dici vnum post aliud. Concedunt autem maiorem, scilicet vitare omnia diuisiuè vnum post aliud, esse, vitare omnia collectiue.

24. *Ab alijs recentioribus nostra suppositio contra responsionem Patris Suarez fusè impugnatur. Dant instantiam de oculo.*

Declarant exemplo doctrinã de suppositione confusâ & determinatâ.

Vt verum fatear, mirari satis non possum horum recentiorum solutionem, quam de verbo ad verbũ ex ipsis posui, vt eius obscuritas ipsis imputetur: eam sic efficaciter reijcio; nam in instantibus, quæ simul non existunt, sed vnũ post aliud, non video quî possit fieri victoria collectiuè per omnia instantia, nisi priùs in primo solo, dein in secundo solo, &c. Quando dico *solo*, eo sensũ loquor,

25. *Mirã est hos recentiores adhibuisse eiusmodi solutionẽ cõtra suppositionem planè claram-*

Digitized by Google

loquor, vt tunc, quando sit victoria in vno, non fiat in altero: & hoc sensu proculdubio potest esse diuisiuè in vno post alterum. Imò repugnat etiam diuinitus rem aliter contingere; neque video quomodo possit tam euidens argumentum per illos terminos deludi: dico enim, Tu supponis etiam moraliter posse fieri vt homo in duobus instantibus ordine vincat tentationem (non dico iam collectiuè aut diuisiuè, vt confusionem nominum vitemus;) non potest tamen in tribus ordine: certè hinc manifestissimè sequitur, etiam moraliter posse contingere, vt in duobus ordine vincat: demus ita fieri, sequatur dein tertium instans, rogo an tunc possit vincere etiam moraliter nec ne; si potest, ergo etiam in tribus ordine contra suppositionem; si nec potest, ergo tunc erit illi in determinato instanti victoria impossibilis. Sanè non video quid hoc argumento clarius.

Instantia allata de oculo facit pro nobis.

Quod de oculo dextro aut sinistro dicitur tantum abest à bonâ instantiâ, vt potiùs sit tota pro me; nam licet vtroque oculo existente non possit vm quam dici sinistrum præ dextro requiri; at si mihi extrahatur dexter, verissimè dicitur me iam non posse nisi sinistro videre; & in me, factâ iam eâ suppositione, sinistrum requiri; ergo cùm in casu nostræ obiectionis duo instantia iam sint elapsa, neque ampliùs, etiam diuinitus, redire possint, & in eis homo non ceciderit, certissimum est, eum debere cadere in tertio, si in tribus ordine non potest stare: idem est in alijs exemplis: non possum ter ordine v.g. eosdem numeros in aleis proijcere, possum bis; ergo si de facto, vt possum, proijciam ordine bis, necessum est vt tertiâ vice non proijciam eosdem: & factâ priori suppositione, iam in tertiâ erit tota difficultas: sicut si homo potest comedere duas gallinas, non tamen tres; certè postquam comedit de facto duas, tota impotentia iam ad tertiam determinatam reducetur: quid, quæso, hoc clarius? Et sanè cùm ijdem recentiores iterùm post fusè deductam præcedentem solutionem sibi obiecissent idem argumentum, quod priùs concessere, omnino casum esse possibilem, addidêre autem eam necessitatem cadendi in tertio instanti non esse antecedentem, sed consequentem, ex eo scilicet quòd restiterit voluntas in primo & secundo instanti.

Ostenditur pluribus exemplis, suppositionem à nobis factam rectè procedere.

Vltima eorundem recentiorum solutio rejicitur.

Hæc tamen vltima solutio vel ad modum loquendi difficultatem deducit, vel certè non est ad rem; aut enim per hoc vult explicare magis libertatem voluntatis; & tunc nihil penitus valet ea solutio; quia siue ea necessitas dicatur antecedens, siue consequens, certum est non desumi ex culpâ aliquâ ipsius voluntatis, imò ex victoriâ priori; ergo per hoc non redditur magis culpabilis, dum ad cadendum in tertio cogitur, imò potiùs multò minùs; ergo per hoc non benè explicatur quod liberè cadat voluntas, ideoque peccet, dum in tertio moraliter non potest resistere; si verò, eò quòd ex defatigatione in victoriâ priori partialiter desumatur ea necessitas, illa vocatur *consequens*, quæstio erit de voce, in quâ (vt benè loquamur) debemus dicere respectu voluntatis absolutè eam necessitatem esse consequentem; quia potuit cadere in primo, & sic resistere in tertio; at respectu ipsius tertij instantis eam necessitatem omnino esse antecedentem, quia est prior illo, sicut necessitas ex actu imperante respectu voluntatis est subsequens, at respectu actus imperati est antecedens; & ideò in eo non est nisi denominatiua libertas; sic dicam in eo tertio instanti non esse nisi denominatiuam libertatem moralem ex priori victoriâ.

Eadem necessitas respectu diuersorum instantium est consequens & antecedens.

SVBSECTIO VI.

Respondetur obiectioni è subsectione quartâ, & proponitur vltima obiectio.

26. *Absoluta responsio, cur impotentia moralis resistendi non tol. lat potentiam peccandi liberè. Præcepta naturalia rigidiora sùt positiuis, etiã votis.*

DIcendum ergo est impotentiam moralem non tollere potentiam requisitam ad peccandum, quandoquidem manet physica potentia ad vincendam tentationem; vti dicebat secunda solutio, quam in hoc puncto omnino approbo. Ad replicam verò ratione instantiæ voti & præcepti positiui respondetur, præcepta naturalia esse fortiora quàm positiua, ideoque posse obligare etiam rigidiùs, nec requirere tot conditiones vt obligent: id quod ostendo in alijs conditionibus diuersis à libertate; vt enim quis non teneatur obedire præcepto positiuo v.g. audiendi Sacrum, sufficit, si ex Sacro possit ei oriri graue damnum aliquod; similiter vt omittere possit ieiunium, vt comedat carnes, sufficit si sit infirmus; at nullus morbus sufficit vt possit mentiri; vt possit iurare falsò, vt possit se polluere, &c. ergo signum est, maiorem esse obligationem præcepti naturalis quàm positiui, & hoc pendere à pluribus conditionibus vt obliget quàm illud; non ergo benè infertur, *Præceptum positiuum non obligat, nisi quando est potestas moralis, ergo nec obligabit naturale*: quod de præcepto positiuo dixi, dico etiam de voto; quod est obligatio positiua sibi ab homine ipso imposita.

Votum est obligatio positiua ab homine sibi imposita. Declaratur solutio.

Declarari autem potest hæc solutio, eò quòd cùm malitia nulla supponatur in obiectis solâ lege positiuâ prohibitis, fuit in potestate Legislatoris ea non prohibere; eo autem ipso æquissimum videtur, vt non prohibeat illa insurgente eâ maximâ difficultate; at in obiectis naturaliter malis cùm eorum malitia non possit auferri ab eis, nec quidem diuinitus, vnde Tomo tertio diximus, neque Deum posse in eis dispensare, debent etiam vitari semper ab homine quacumque insurgente difficultate, si absolutè possint: & quod ad hoc potest sustineri quod suprà dicebant nonnulli, humanum Legislatorem non esse tam potentem quàm Legislatorem naturalem.

27. *Votũ non obligat ad rem moraliter impossibilem.*

Dices, Ergo qui vouit castitatem, si postea insurgat grauis in eâ seruandâ difficultas; v.g. si periclitetur de vitâ, non peccabit contra votum castitatis non eam seruando, licet peccet contra præceptum naturale. Respondeo Primò, satis probabiliter concedi sequelam, neque in consequenti vllum esse absurdum; quia omnes supponunt, votum non obligare ad rem moraliter impossibilem. Secundò tamen respondeo, posse probabiliter negari sequelam. Disparitas autem desumi debet ex doctrinâ à nobis immediatè in solutione traditâ; nam præcepta positiua ideò non obligant, dum est in eis summa difficultas, quia cùm aliunde materia ab eis prohibita non sit malâ, fuit congruentissimum vt illi non adiungeretur tunc malitia; ergo cùm in casu argumenti ea materia, quam vovit quis fugere, restituat semper malitiam suam, etiam stante summa difficultate in eius fugâ, nihil non erit, si tunc etiam votum habeat vim obligandi. Quælibet ex his solutionibus mihi videtur probabilis; magis tamen propendeo in priorem, quæ fauet à bis & magis conformis communi sensui Doctorum.

Præcepta naturalia obligant in quacumque difficultate.

Digitized by Google

Replicabis, Motus semideliberati non sunt peccatum mortale, eò quòd difficillimum sit eis resistere; ergo si non est potentia moralis ad resistendum graui tentationi, non erit mortale ei cedere. Respondeo negando, ideò motus eos non esse mortale; etenim sæpè vincuntur; ergo non est impotentia moralis ad eos, de quâ agimus; ideò ergo non sunt graue pecatum, quia non sunt cum perfectâ cognitione, nec sunt perfectè humani; in nostro verò casu datur & cognitio sufficiens & modus procedendi perfectè humanus, etiamsi adiunctam habeat grauem difficultatem. Et satis de victoria grauis tentationis.

Falsum est dari impotentiam moralem resistendi motibus semideliberatis.

Motus semiplenè liberi non sunt perfectè humani, ideò non peccaminosi grauiter.

Iam restat obiectio contra vltimam conclusionem suprà positam, quâ diximus, eo ipso quòd duret longo tempore aliqua tentatio, etiamsi alioquin in se esset leuis, reddi tamen grauem in ordine ad victoriam illius sine speciali auxilio gratiæ. Contra eam igitur sic obijcies, superasse eam tentationem in vno instanti non adimit vires, imò potiùs auget illas in ordine ad secundum instans; ergo si superari potuit ea tentatio sine gratiâ in primo instanti, à fortiori poterit in secundo, tertio & quarto; & sic de omnibus instantibus dici poterit.

Obiectio hæc non solùm militat contra conclusionem vltimam, sed etiam contra ea quæ disputatione sequenti dicturi sumus de victoriâ omnium tentationum collectiuè sumptarum; militat etiam contra communem certamque doctrinam de impossibilitate ad peccata omnia venialia vitanda cum ordinarijs auxilijs gratiæ; quia dici eodem modo poterit, Vnum veniale potest sine speciali gratiâ vinci, ergo & cætera omnia; quandoquidem prioris victoria non debilitat ad secundam, sed potiùs confirmat. Respondeo tamen, certissimum esse ipsâ experiẽtia nostram naturam, esto per operationem aliquem acquirat habitum, defatigari tamen operando, & verò etiam in ipsas res alioquin gustui valdè gratas, vt in lusu, cibo, colloquio cum amico, &c. facillimè acquiri ex continuatione nauseam; tum quia homo quodammodò amat varietatem; tum quia vires ipsæ defatigantur. Huc videtur alludere Scriptura, dum Iudicum 16. de Samsone resistente aliquamdiu precibus Dalilæ, cùm ea ipsi importuna esset, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, subdit sacer textus, *Defecit anima eius, & ad mortem vsque lassata est.* Ecce quàm difficile diu pugnare cum importuno hoste, vt etiam in negotio, ex quo grauissimum sibi imminere periculum Samson agnoscebat, vtilitatem verò aut commodum sperabat nullum, fuerit ad mortem vsque lassatus: id ipsum à fortiori contingere in casu nostro manifestum est, quia cùm ipsa prima tentationis victoria fuerit per se difficilis, & molestiam aliquam creauerit ipsi homini (quidquid sit de particulâ habitus acquisitâ & facilitante ad perseuerantiam) nihilominùs eum hominem reddi difficiliorem ad victoriam secundam tentationis.

Replicabis, hanc doctrinam certissimam esse, quando continenter sine vllâ mornla temporis vrget tentatio; si tamẽ hodie vna, alia cras aut post mediam horam tantùm vrgeat, non videtur habere locum ea responsio; alioquin absolutè esset dicendum, numquam exercitio actuum acquiri facilitatem, sed potiùs difficultatem: id quod tamen experientiæ ipsi manifestè repugnat: fiunt enim ipso exercitio actuum & frequentatione suauissima ea quæ antèà erant valdè grauia; ergo cùm tentationes ad non seruandam legem non sint eo modo continuæ, non causabit victoria vnius difficultatem ad victoriam alterius, sed potiùs quodammodò disponet. Respondeo, mihi nunc quoad conclusionem, sufficere, quod in replicâ conceditur, scilicet posse eam continuationem tentationis causare grauem difficultatem. Secundò absolutè respondeo, quoad tentationes diuersas, & quoad peccata venialia, adeò eas occasiones esse frequentes, vt meritò possint censeri quasi continuatæ, ac proinde eis resistere semper sit valdè difficile; quia in occasionibus etiam differentibus homo est variè dispositus, vt qui heri restitit, hodie consentiat. Quod verò ex meâ solutione inferebatur, numquam scilicet hominem reddendum facilem per exercitium actuum negatur facilè; nam qui hodie restitit tentationi ad iram v. g. non ideò amittit illam facilitatem quam acquisiuit, esto deinde cedat tentationi in hausturn nimium aut in luxuriam; nos autem solùm diximus eum hominẽ non posse diu perseuerare, nisi in vnâ aut alterâ materiâ cadat; cum quo optimè cohæret, vt circa vnã particularem acquirat successu temporis aliquam facilitatẽ. Et satis de hac molestâ obiectione & victoriâ tentationum diuisiuè sumptarum, aut vnius diu perseuerantis.

DISPVTATIO XXXXI.

De necessitate gratiæ ad implẽdam totam legem naturalem, seu de victoriâ omnium tentationum collectiuè.

I. *Necessitas gratiæ intelligi potest vel de actuali vel de habituali.*

OBSERVO duo posse in dubium verti circa necessitatem gratiæ; vnum circa auxilium actuale gratiæ, an sit necessarium ad eam obseruationem; aliud, an requiratur etiam ipsa gratia habitualis, seu sanctificans; quia verò solùm egimus hucusque de bono opere morali aut tentationis alicuius victoriâ sub disiunctione, nunc de adimpletione totius legis & de multis bonis operibus collectiuè sumptis agendum erit.

Idem est posse seruare totã legem & vincere omnes tentationes.

Coniungo autem duas has quæstiones, quia reuerà non duæ, sed vna sunt; nam posse tentationes omnes superare, & posse seruare totam legem, & è contrario, posse seruare totam legem, & posse vincere omnes tentationes, idem omnino sunt: non enim est alia difficultas in obseruatione legis quàm ratione tentationis: vt enim suprà ostendi, ipsa intrinseca difficultas; quæ in obiecto honesto amandi proponitur, & ipsa delectabilitas, quæ relucet in obiecto malo moraliter, quod relinquendum est, est ipsa tentatio. Difficultas autem tota, quæ in obseruatione legis reperitur, ex his solis capitibus desumitur. Obseruo Secundò, maiorem esse rationem dubitandi in præsenti circa naturam lapsam quàm circa integram, ideò de hac prius, deinde de illa agendum.

SECTIO

Digitized by Google

Sectio I.

Quid de obſeruatione totius legis in naturâ integrâ.

2. *Sunt qui docent etiam in naturâ integrâ opus eſſe auxilio gratiæ ad totius legis obſeruationem.*

ETiamſi in naturâ integrâ nec vllæ fuiſſent paſſiones, nec multa alia capita, ex quibus homines retardantur de facto valdè ab obſeruatione continuâ legis; nihilominùs non deſunt auctores, quos referunt P. Suarez cap. 25. & P. Tannerus dub. 2. qui doceant etiam tunc neceſſarium fuiſſe aliquod auxilium gratiæ ad totam legem ſeruandam. Fundamentum præcipuum huius ſententiæ deſumitur ex Gelaſio Papâ in ſcripto contrà Pelagium; & habetur Tomo 1. Epiſtolarum Pontific. inter Epiſt. 5. & 6. Gelaſij; vbi hæc leguntur: *In ipſis primis hominibus, dum ſuâ nimium felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes non orando, nec de perceptis gratiis referendo, nec vt eadem intemerata durarent ſimpliciter implorando, incolumes conſtare nequierunt.* Arauſicanum autem Concilium can. 19. idem tradit clariùs; *Natura humana etiamſi in illâ integritate, in quâ condita eſt, permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adiuuante ſeruaret; vnde cùm ſine gratiâ Dei ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratiâ poterit reparare quod perdidit?* Poteſt autem ratione eadem ſententia confirmari, quia etiam tunc temporis bona delectabilia inhoneſta attraherent, & ex eo capite cauſarent difficultatem, ob quam eſſet impoſſibilis moraliter ea obſeruatio. Prætereà, licet appetitus inferior eſſet ſubiectus, in ordine tamen ad ſuperbiam haberent tunc longè maiorem tentationem quàm iam, ob ingentia dona, quibus ornati fuiſſent; ergo eſſet eis difficile totam legem implere.

Ratio, quia etiam tunc bona delectabilia attraherent, licet ſint inhoneſta. Item ob ſuperbiam eſſet difficile totam legem implere.

Contraria tamen ſententia lõgè communior.

Contraria tamen ſententia docens, in eo ſtatu non fore neceſſarium ſpeciale gratiæ auxilium, lõgè communior eſt: eam tenent Suarez & Tannerus ſuprà, vbi pro eâ referunt Magiſtrum, D. Thomam & alios: eſtque communis inter recentiores: probatur autem, quia Concilium Araſicanum cap. vlt. & Auguſtinus paſſim, lib. de Perfectâ iuſtitiâ ca. 4. reſponſ. 9. & lib. de Correp. & gratiâ cap. 10. & 13. & lib. de Bono perſeuerantiæ cap. 7. & alibi, quem etiam Proſper & Fulgentius ſecuti ſunt, docet per peccatum originale contractam difficultatem ſeu impoſſibilitatem, quæ nunc eſt in obſeruatione præceptorum; ergo tũc temporis non eſſet talis difficultas, ergo neque eſſet neceſſarium auxilium ad eam ſuperandam. Quòd ſi dicas, ea loca intelligenda non de facilitate ad ſeruandam totam legem, ſed ad ſingulas tentationes vincendas, inde reijcieris; nam ad hæc non eſt amiſſa potentia moralis per peccatum, iuxta dicta ſuprà; ergo debent ea loca intelligi de totâ lege. Ego tamen probationem hanc ex Araſicano Concilio non iudico ſufficientem, quia per verbum, quod addit, *diligere Deum ſicut oportet*, oſtendit, ſe agere de dilectione ſupernaturali; quomodo autem ad hãc dicatur homo amiſiſſe potentiam, quam liberum arbitrium numquã habuit ex ſe, ſuprà dixi agens de viribus naturæ lapſæ ad amorem Dei ſuper omnia. Clariora ergo ſunt Auguſtini teſtimonia pro eâ allata; quam etiam vlteriùs ſic probo, quia in natura integrâ nulla eſt ratio cur aſſeratur eam difficultatem in obiectis honeſtis, quàm paulò poſt dicemus eſſe in naturâ lapſâ; aliunde autem libertas voluntatis per ſe dicit potentiam ad vitanda ea mala, ergo non debemus eam illi negare.

Probatur ex Concilio Araſicano & Auguſtino.

Araſicano Concilio non ſatisfit: agit de dilectione ſupernaturali.

Auguſtini teſtimonia pro communi ſententiâ.

In natura integra nulla eſt cauſa difficultatis in obiectis honeſtis.

Dices, Etiam tunc eſſet tentatio dæmonum, vt fuit reſpectu Adami; & poterat eſſe importuna; ergo ſaltem ratione illius eſſet difficillimum ſeruare totam legem. Reſpondeo Primò eas tentationes eſſe per accidens reſpectu illius ſtatus, qui totus eſſe poterat, etiamſi Angeli non fuiſſent creati, aut non peccaſſent; nos verò agimus iam de eo, quod eſt per ſe connexum cum eo ſtatu. Secundò reſpondeo, eas tentationes futuras leues in eo ſtatu. Tertiò, fortè, ſi Adam ſemel viciſſet dæmonem, non permiſſurum Deum, vt ſecundò ab eo tentaretur.

Si viciſſet Adam primã tentationem, fortè non fuiſſet ſecundò tentatus.

Iam ad argumenta in contrarium. Ad Concilium Araſicanum dico, probabiliſſimè illud exponi poſſe de ſolo auxilio generali Dei, quod negabat Pelagius; id enim denotant ea verba, *ſeipſam non adiuuante Domino*; quo ſenſu etiam idem Concilium dixit, hominem non poſſe de vllâ miſeria liberari niſi Deo auxiliante: quod (vt ſuprà ponderaui) etiam ad miſerias phyſicas, morbos, paupertatem, famem, &c. extendi videtur à Concilio; certum autem eſt, vt ab his liberemur, eſſe neceſſarium auxilium Dei; quod etiam dici de gratiâ ſuo modo poteſt; non tamen eſſe neceſſariam gratiam, de quâ nunc agimus. Gelaſius verò Papa magis videtur inſinuare, Dominum Deum permiſiſſe vt caderet Adamus in pœnam ingratitudinis, quòd non egerit Deo gratias, quòd non orauerit, &c. quam deſcribere neceſſitatem gratiæ; nam eſto non oraſſet Adamus, ſi Deus auxilium ſuum gratiæ contuliſſet (vt ſæpè confert non petentibus, imò primum ſemper confert hoc modo) ſine dubio potuiſſet omnes tentationes vincere; ergo non agit ibi Pontifex de impotentiâ ſine gratiâ, ſed quòd ob ingratitudinem meruerit eam permiſſionem: certum autem apud omnes debet eſſe, poſſe Deum dare auxilium permiſſiuum peccati; eſto ad vitandum illud peccatum non fuiſſet neceſſaria gratia vlla, de quâ hîc agimus: id quod fuſiùs ſuprà deductum eſt contra Patrem Vaſquez, cùm de opere bono egimus. Et hæc explicatio mihi videtur longè veriſimilior, quàm quæ à Patre Suarez & alijs adducitur, quòd ibi ſit ſermo de perſeuerantiâ in gratiâ, ad quam requiritur aliquis actus ſupernaturalis; meliùs, inquam; nam ſi homo iam ſit in gratia, certè, vt perſeueret, non eſt aliud neceſſum, quàm vt non peccet: vnde ſi fiat ſtultus, quia eo ipſo iam ei aufertur poteſtas peccandi, perſeuerabit perfectiſſimè in gratia; ergo nihil ibi Pontifex de actu ſupernaturali.

3. *Explicantur auctoritates contrariæ ſententiæ.*

Neceſſarium eſt auxilium Dei vt liberemur à miſerijs phyſicis. Explicatur Gelaſius Papa.

Pater Tannerus ſuprà putat in eo ſtatu opera naturalia facta ab Adamo futura meritoria vitæ æternæ ob excellentiam operandi, ideoque ad illa fuiſſe neceſſariam gratiam, quia ſine hac non poteſt eſſe meritum vitæ æternæ; vnde concludit, in naturâ integrâ eleuatâ, & prout de facto fuit, neceſſariam fuiſſe gratiam ad ſeruandam totam legem: & in hoc ſenſu intelligit loca ſuprà citata pro contrariâ. Ego tamen hanc doctrinam nullo modo cenſeo vetam, quia, vt ſæpè dixi, opus, ſi in ſe non ſit meritorium, non redditur tale ex eo, quòd principium efficiens illius ſit gratia. Non loquor iam de gratia dignificante perſonam, nam hanc etiam haberent opera Adami facta per auxilium naturale, ſed de principio effectiuo: cùm ergo eadem opera naturalia non producta per auxilium gratiæ meritò

Doctrina P. Tanneri.

Reijcitur.

Digitized by Google

ritò P. Tannerus non agnoscat meritoria, non debet eis tribuere meritum, eo præcisè quod procedant per tale auxilium; de quo alibi fusiùs; standum ergo est explicationi à me traditæ. Ad rationem in contrarium dicimus, in eo statu sedatis passionibus parum valdè attractura bona delectabilia, ea maximè, quæ sine peccato non possent amari, ideoque non futuram inde difficultatem vllius momenti; aliquam leuem admittimus aliquando; non tamen ideò indigeret homo auxilio gratiæ. Ad id quod de superbiâ dicitur respondemus, homines habituros tunc claram cognitionem, quod omnia accepissent à Domino, & dependenter ab eo illa retinerent, ideoque non tentandos vehementer etiam in eâ materiâ superbiæ.

Ratisit rationi in contrarium.

Ad leuem difficultatem vincendam non est opus auxilio gratiæ.

SECTIO II.

Quid de naturâ lapsâ.

4. *Prima conclusio.*

PRIMA CONCLVSIO: In naturâ lapsâ est potentia physica ad seruandam totam legem naturalem etiam collectiuè. In hac, explicatis terminis, debent omnes conuenire, quia (vt sæpè dixi) peccatum non potest esse sine eiusmodi potentiâ ad illud fugiendum. Dices, Non requiri potentiam ad fugienda omnia collectiuè, sed sufficere si sit ad disiunctiuè quodlibet vitandum: ita videntur multi opinari; qui sine dubio minùs benè sentiunt de libertate requisitâ ad peccandum: & de eâ impotentiâ ad collectionem & ad disiunctionem vide quæ superiùs dixi, probans talem impotentiam necessariò debere reduci ad determinatum indiuiduum; vnde, si sit physica, necessariò debere tollere libertatem. Et maioris claritatis gratiâ, pone totam collectionem actuum esse duos, hodie vnum, cras alterum; tu dicis, vtrumque me non posse habere etiam physicè, posse tamen vnum; demus ergo me hodie vnum facere; certè accedente die crastino nec physicè potero crastinum; ergo in eius omissione non peccabo. Nec potest responderi, ideò me cras peccaturum, quia liberè me reddidi hodie impotentem pro crastino; hoc, inquam, non potest cum vllâ specie probabilitatis responderi; nam cùm hodie non malè, sed benè operatus sum vitando illud peccatum; certè si ex hoc sequitur, quòd cras uon possim physicè operari, non debet id vitio mihi, sed potiùs laudi tribui, quia hodie facio optimum quod possum: vbi ergo, quæso, vituperationis fundamentum, & non potiùs summæ laudis; neque etiam responderi potest per eos terminos *collectiuè & diuisiuè*, quia à parte rei non aliter contingunt occasiones nisi (vt dictum est) hodie & cras; voca eas vt volueris: & sanè hoc argumentum mihi euidentissimum videtur. Constet ergo esse libertatem physicam ad vtrumque etiam collectiuè. Dico *physicam*, quia iam ostendi suprà, non esse inconueniens, si etiam in particulari aliquo actu reperiatur impotentia moralis.

Non potest esse peccatum sine physicâ potentia ad id fugiendum

Auctores contraria sentitia minùs benè sentiunt de libertate.

Secunda conclusio.

SECVNDA CONCLVSIO: Possibile est etiam moraliter in statu naturæ lapsæ totam legem aliquamdiu seruare sine aliquo speciali auxilio Dei, eo modo quo suprà diximus posse aliquod bonum opus fieri & aliquas leues tentationes superari, ita Vega Opusculo de Iustificatione q. 12. Sotus lib. 1. de Naturâ & gratiâ cap. 12. ad 2. Stapletonus lib. 2. de Iustificatione cap. 14. Medina hîc q. 109. art. 4. Valentia q. 1. pun. 5. Bellarminus lib. 5. de Gratia cap. 2. Zumel hîc art. 4. disp. 2. conclusione 2. Suarez & Tannerus suprà, & multi recentiores: neque indiget nouâ probatione vltra eam, quæ, dum de opere bono & tentationibus leuibus ad breue tempus egimus, allata est; vbi simul quæ in contrarium obijci poterant soluta vide.

TERTIA CONCLVSIO: Impossibile est per longum tempus legem totam seruare sine speciali auxilio actuali gratiæ, siue illud supernaturale sit, siue naturale, specialiter tamen præparato, vt diximus agentes de victoriâ grauis tentationis. In hanc conueniunt ferè omnes Scholastici, vt videre est apud Vasquez, Suarez & Tannerum suprà, qui vlteriùs aliquot loca Scripturæ adducit non admodum efficacia, vtpote, quæ vel loquuntur de impossibilitate ad exeundum è peccato, quam sine dubio debemus admittere semper, si gratia excludatur: talis est ille ad Romanos 8. *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum*, &c. hæc enim vltima verba denotant sermonem esse de reparatione à peccato. Alia verò loca sunt, in quibus agitur de totâ obseruatione etiam præceptorum supernaturalium: vel deniq; possunt explicari de obseruatione fructuosâ in ordine ad salutem. Ergo ex Scripturâ nihil pro hac sententiâ solidè deducitur. 5. *Tertia conclusio.*

Locus ad Rom. 8. non est efficax.

Melior illius probatio desumitur ex Concilio Arausicano, Cælestino & Innocentio Summis Pontificibus, qui id videntur insinuare locis sæpè citatis; & licet (vt in sectione 5. dicam) non ita clarè loquantur, vt explicari aliter non possint, nihilominùs sæpè insinuant se agere de lege naturali & naturali obseruatione; cumque (vt diximus) non possit id intelligi de vnâ aut alterâ victoriâ, nam has sine auxilio gratiæ obtineri posse ostendimus, necessum est vt de totâ obseruatione legis ac de victoriâ tentationum omnium collectiuè intelligantur. Probatur etiam hæc sententia Scholasticorum communi consensu, qui in re, quæ per rationem vix potest certò decidi, summam habet auctoritatem. Tertiò tamen potest satis probabilis ratio adduci; nam multa sunt in naturâ lapsâ, quæ obseruationem diuturnam omnium præceptorum naturalium reddunt moraliter impossibilem ex proprijs viribus: si enim vni tentationi diu duranti homo, vt diximus, non potest resistere, multò minùs pluribus ac longo tempore occurrentibus: multa enim sunt quæ hominem ad peccandum inducunt; vt bona sensibilia, passiones, errores, inconstantia imaginationis, necessitas corporis, variæ curæ, pauorum exempla, consilia praua, institutio, complexio, &c. quæ omnia sine dubio efficiunt moraliter impossibilem longo tempore totius legis adimpletionem. Contra hanc conclusionem posset obijci hominem ex vnâ victoriâ potiùs reddi faciliorem quàm difficiliorem ad alteram; atqui, iuxta dicta, potest vnam obtinere sine gratiâ, ergo & alteram. Præcedenti disputatione numero vltimo hanc difficultatem tetigi, quia illius loci etiam erat propria, eique satisfeci. Videantur ibi dicta. Quæri posset hîc pro complemento, vtrùm Deus peccatoribus aut infidelibus det ea specialia auxilia, quæ ad obseruationem necessaria sunt: verùm de his paulò pòst specialem instituemus sectionem; oportet enim priùs tres alias difficultates expedire.

Melior probatio ex Concilio Arausicano, Cælestino & Innocentio.

SECTIO

SECTIO III.

Duæ annexæ difficultates soluuntur.

6. PATER Suarez suprà cap.37. & 38.duas quæstiones fusè tractat, quæ meo iudicio planè sunt in præcedentibus explicatæ; ideò nos breuissimè insinuabimus, vnde decidi debeant. Prima est, vtrùm præter amorem Dei super omnia sit aliquis actus naturalis bonus, qui ob difficultatem suam fieri non possit sine gratiâ. Mouet autem quæstionem in dolore de peccato ob motiuum aliquod honestum; & obiter fusè probat, talem actum esse posse naturalem; Secundò in amore proximi, Tertiò in dilectione inimici, Quartò in obseruatione continentiæ, Quintò in virginitate, Sexto in paupertate voluntariâ, Septimò & vltimò in subeunda morte pro non committendo aliquo mortali peccato: vbi obiter obseruo, posse hac ratione multos alios actus excogitari, vt obedientiam perfectam erga alium, abstinentiam seu ieiunium continuum, contemptum honorum, &c.

An amor naturalis bonus indigeat gratia.

Conclusio. Non possunt actus boni haberi sine auxilio gratiæ, si sit tentatio aut difficultas grauis:

Dico ergo ad hæc vno verbo, Si actus hi habeant annexam tentationem grauem, seu difficultatem, quod idem est, nam difficultas & tentatio (vt suprà dixi) est idé, non posse sine auxilio gratiæ eos produci; si item illi actus sumãtur in longâ continuatione, diximus etiam ex hoc capite eos reddi sæpè moraliter impossibiles, quia obseruatio diuturna legis est moraliter impossibilis: an autem ea doctrina intelligenda solùm sit de diuturna obseruatione totius legis, prout includit omnia præcepta, an verò etiam in qualibet particulari materiâ sit impossibilis diuturnâ victoria, statim dicam in secundâ difficultate. Quòd si eiusmodi actus seorsim & sine occurrente graui tentatione accipiantur, ex dictis suprà constat eos posse sine gratiæ auxilio fieri: quod à fortiori inde suadetur, quia etiam ipsum amorem Dei super omnia diximus in aliquo casu & ad breue tempus fieri posse. Et per hoc tota prima difficultas expeditur, nec necessum est magis specificè descendere ad tractandum de illis actibus in particulari, ferè in quolibet repetendo quæ in alijs dicta sunt.

Si absit grauis tentatio, fiant sine gratia auxilio.

An possint virtutes acquiri sine gratiâ.

Secũda difficultas est, vtrùm possint sine gratia virtutes acquiri. Aduerte, posse hîc fieri quęstionem de voce; Primò, vtrùm habitus patientię iustitiæ, &c. si non sunt coniuncti cum gratiâ, vocandi sint virtutes. Secundò, vtrùm, licet sine gratiâ dici possint virtutes, requiratur tamen has omnes inter se coniunctas esse, ita vt non dicatur quis habere virtutem castitatis, nisi simul sit humilis, &c. Si primo modo loquamur, in dubium verti nõ potest, quin virtutes esse nõ possint sine gratiâ sub eâ denominatione virtutis. In secundo etiam modo loquendi, cùm dixerimus suprà, sine auxilio gratiæ non posse omnẽ legem diu seruari, videtur etiam eo ipso sine eodem auxilio non posse acquiri omnes virtutes, & consequenter neque vllam sub eâ denominatione; quãdoquidem vel vnius denominatio ab omnibus alijs simul sumptis desumitur. Est tamen adhuc in hoc etiam sensu specialis aliqua difficultas, quam statim tangam.

Soluitur quæstio de voce.

7. *Quæstio de re.* Quæstio ergo de re ea potest esse, an habitus virtutis iustitiæ v. g. acquiri valeat sine auxilio gratiæ, siue ille habitus ex defectu gratiæ aut aliarũ virtutũ vocetur virtus, siue nõ: in quo sensu adhuc potest esse alia duplex difficultas: Prima, an ille habitus possit acquiri absolutè in quocumque gradu intensionis saltem remisso: Secunda, an etiam in intenso, & diu durante ac extendente se ad omnem suam materiam.

Ex ed duplex difficultas. Prima. Secunda.

Ex dictis suprà certũ omnino est, posse eiusmodi habitũ sine auxilio speciali gratiæ produci saltẽ in gradibus remissis; nã cùm ostẽderimus sine tali auxilio posse fieri aliquod opus bonũ morale, eo ipso poterit & habitus produci; cõsequitur enim naturaliter talis productio eũ actũ; & licet dicamus non semper primum actum producere habitũ, sed debere bis térve repeti, adhuc resolutio data locum habet: quia etiam sine gratiâ potest fieri actus aliquis bonus moraliter ter, quater: ergo in hoc puncto ex suprà dictis nulla est difficultas.

Resoluitur prima difficultas.

Totum ergo dubium reducitur ad habitum virtutis intẽsum & perfectum in suo genere, an possit sine gratia acquiri. intelligi autem quęstio potest tam de gratia habituali quàm de actuali. Marsilius in 2.q.20. art. 3. concluſ. 5. probabile iudicat has virtutes posse acquiri sine gratia habituali, quia multi Philosophi illas habuêre: quod confirmat testimonio Hieronymi Epistolâ ad Demetriadem, vbi id expressè asserit; hoc tamen testimonium non vrget, quia (vt benè notauit Suarez) ea Epistola non est Hieronymi, sed Pelagij: addit Marsilius requiri aliquod auxilium gratiæ actualis; P. verò Suarez c.38. è contrario; neque sine gratiâ habituali putat eas acquiri posse, quia non possunt in eo gradu acquiri nisi per magnam frequẽtiam actuum, & sine interruptione per contrarios actus per longum tempus; id quod in statu naturæ lapsæ ob tentationes & impedimẽta nõ contingit sine specialissimo auxilio: quodnõ datur peccatori, sicutdicemus infrà non dari ad seruandam diu totam legem.

Secunda, an possit habitus virtutis in tensus sine gratiâ acquiri.

Suarez ait sine gratia habituali non posse acquiri talem habitum.

Ego tamen PRIMVM DICO, eò quòd communis sententia doceat legem totam diu seruari nõ posse sine auxilio gratię, & gratiâ ipsâ habituali, malè trahi argumentum ad vnum particularem habitum virtutis etiam intensissimum; nam esto quis sit intensissimè affectus erga veracitatem, non continuò seruat totam legem; potest enim esse ebriosus, cholericus, superbus, luxuriosus, &c. summum ergo inde infertur, non posse illum omnes omnino virtutes naturales acquirere. Dico *omnes omnino*; nam si vel in vnica delinquat, non seruabit totam legem; & consequenter saluabitur doctrina communis, quòd sine gratia habituali tota lex diu seruari nõ potest.

Prima conclusio.

Qui in vnico delinquit, non seruat totam legem.

SECVNDÒ ADDO, nec quidem sequi de omnibus omnino virtutibus; nam (pono exemplũ in vna) aliud est, non posse me diu seruare castitatem sine gratia; aliud, non posse acquirere habitum valdè intensum circa illam etiam sine gratia: nam si ego sex vicibus intra duos dies v. g. efficiam actum castitatis, acquiram sex indiuisibilia habitus; si tertia die cadam semel, iam non seruo diu castitatem sine gratia; non tamen continuò per illum actum contrarium destruo totum habitum antèa acquisitum, sed vnum tãtùm indiuisibile; ergo si postèa iterùm dolens naturaliter me id feciſſe repeto sex actus, etiamsi rursus post illos cadam semel, verissimum erit, me non seruare diu totam legem; & tamen augebo semper eum habitum, ita vt veniat ad satis perfectã intẽsionẽ. Dico *satis perfectam*, ne faciamus quęstionẽ de nomine, & dicat aliquis non futu-

8. *Secunda conclusio.*

Digitized by Google

futurum perfectissimum, quia intensior esset, si non interuenisset ea interruptio: quod fortè re ipsâ verum est; in eo tamen sensu non contendo posse esse sine gratiâ perfectissimum. Adde, si vera est sententia, quam probabilem iudico, habitus scilicet naturales habere intensionis terminum, vltra quem non augentur, quia experientia (vt dixi suo loco) ostendere videtur nos non habere intensiores habitus circa Pater noster & Aue Maria, v. g. hodie quàm heri aut nudiustertius, quando iam per 20. 30. aut 40. annos illud orauimus; ergo habitus ille, siue sit species, siue aliquid distinctum, non intenditur sine fine: & idem in habitu voluntatis videtur certum; non enim ille qui decem annis se tradidit ebrietati v. g. postèà qualibet die post singulos haustus crescit in inclinatione erga illam; idem in alijs materijs: si, inquam, hæc sententia vera sit, potest dici, Etiamsi homo aliquando cadat, dummodò frequentiùs resistat, posse tamen ad intensionem summam habitus peruenire; nam cùm plus addat noui quàm ex antiquo detrahat, poterit tandem ad intensionem summam deuenire, licet in eâ perseuerare diu non possit, quia per lapsum postèà breuî futurum aliquid amittet de antiquo: ergo seruari non posse diu castitatem sine aliquo peccato contra illam, non excludit formaliter & necessariò habitus perfectissimè intensos erga eamdem: & idem dico de collectione omnium aliorum habituũ: ergo, eò quòd sententia cõmunis dicat non posse sine gratia seruari diu totã legẽ, non probat, non posse naturales virtutes acquiri. Quod si de omnibus non infertur, multò minùs inferetur de vnâ solâ, v. g. de veracitate aut de iustitiâ in materiâ pecuniæ.

Probabile est habitus naturales habere terminum intensionis.

Licet quis aliquando cadat, modò sæpiùs resistat, potest intensissimũ habitum acquirere.

9. Dico Tertiò, mihi longè probabilius videri, absolutè loquendo, vnam aut alteram etiam in intenso gradu acquiri posse sine gratia habituali, vt dixit Marsilius. Id probo Primò, quia quod sine eâ gratiâ non possit diu seruari tota lex, non tam habemus ex ratione naturali quàm auctoritate (vt supra dixi;) & verò ea auctoritas non est omnino clara pro eâ sententiâ; ergo cùm de acquisitione vnius particularis virtutis nihil doceat in contrarium communis sententia, non debemus vllo modo id asserere. Secundò idem meo iudicio clarè probo; nam experientia contrarium suadet. Non pono exemplum in eo qui naturalem habitum acquisiuit in gratia, & postèà semel mortaliter peccat; qui non propterea amittit virtutes in alia materia, imò neque in ea qua peccauit; dici enim potest facilius esse conseruare iam acquisitã, quia ad hoc sufficit, quòd nihil penitus in contrarium occurrat, quàm acquirere eam de nouo. Pono ergo exemplum in Philosophis, & in multis hæreticis. Licet enim de Philosophis dicat P. Suarez num 7. non esse cur debeamus in eis veram virtutem admittere; mihi tamen videtur planè incredibile eas omnes omnino eis negare: & quidem ipsemet, dum agit cap. 4. 5. 6. & 7. huius libri de necessitate fidei ad bona opera, supponit discursum nostrum paulò ante factum, illumque confirmat cap. 4. ex Iacobi cap. 2. *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*; vnde colligit, posse quem habere multas virtutes, etiamsi sit in peccato: quod non limitat ad virtutes acquisitas in statu gratiæ, sed etiam existente iam homine in mortali: & confirmat id auctoritate Basilij homilia 7. in anaros, vbi expressè sanctus Doctor admittit eos habere virtutes alias, & quidem perfectas; ait enim, *Quid his cætera virtutum diligentia prodest? non propterea Regnum Dei consequentur.* Vbi nota *tò cætera virtutum diligentia*; nam hoc non remissam, sed intensam virtutem ostendit. Eamdem sententiam expressè tradidit D. Thomas 1. 2. q. 65. vbi, licet virtutes acquisitas naturales non vocet simpliciter virtutes, quia non sufficiunt ad finem supernaturalem; id quod ad quæstionem de voce pertinet; absolutè tamen docet eas posse esse sine charitate, vt dicit fuisse in multis Gentilibus: & idem docet ad secundum. Idem de Gentilibus docet Chrysostomus homilia de fide & lege naturæ ad initium; vbi procul dubio habitus intensos admittit, quatenus dicit *multos inueniri pietatis operibus conspicuos*; id quod sine magna actuum frequentia fieri non potest; dicit etiam *eos esse viros misericordiæ, compatientes, iustitiæ vacantes*; & Hieronymus in Epist. ad Galatas cap. 1. non longè à fine, vbi eos dicit *non rapere aliena, non opprimere vicinos*, &c. *idque sanctè*. Qui modus loquendi constantissimam consuetudinem non rapiendi denotat, eo autem ipso etiam habitum intensum. Confirmatur, quia multæ sunt nationes, quæ habent quasi naturalem & vehementem auersionem à furtis & rapinis, etiam inter Gentiles; sicut è contrario aliæ sunt propensæ ad id ipsum; cur autem in illis non credemus intensos habitus generari contrarios furto & iniustitiæ? Neque cum probabilitate dici potest eos tunc non habere pro motiuo odij indecentiam illam naturalem, quæ in tali furto reperitur. Idem etiam patet ex multis Historijs, quibus negare fidem prudenter non possumus; in quibus Philosophi aliqui valdè patientes, alij misericordes, alij continentes narrantur: ibi autem recurrere ad fines sinistros earum actionum planè est diuinare sine fundamento. Idem est in alijs vitis insignibus, vt in liberalitate Alexandri, continentia Scipionis Africani, paupertate voluntaria Socratis, &c. Denique in hæreticis etiam ab infantia id ipsum patet; nouimus enim in his partibus Septemtrionalibus multos, qui licet in vno aliquo puncto grauiter obstinati sint, v. g. in Communione sub vtraque specie; in multis tamen virtutibus naturalibus valdè sunt perfecti, in abstinentia, in veracitate, in misericordia erga pauperes: ergo virtutes naturales dari possunt etiam in gradu valdè intenso independẽter à fide, multò ergo magis à charitate & gratia habituali.

Tertia conclusio. Probabilius est aliquam virtutem in gradu intenso posse acquiri sine gratiâ habituali. Probatur Primò. Secundò.

Philosophus & hæretici non possunt omnes virtutes negari.

Noſtra ſententia eſt D. Thomæ.

D. Chryſoſtomi.

D. Hieronymi.

10. *Confirmatur.*

Dico Quartò, vtrùm ad vnam talem virtutem acquirendam sit necessarium saltem speciale auxilium gratiæ, vt docet Marsilius suprà; an verò sufficiat concursus, quem suprà diximus sufficere ad bonum opus morale, maius dubium est: puto probabilissimè illud non requiri; quia ex vnâ parte eius necessitas neque auctoritate, neque ratione potest ostendi: aliunde sæpè ex ordinariâ prouidentiâ multi ita sunt auersi naturâ suâ ab aliquibus vitijs, vt sine vlla planè difficultate possint ab eis abstinere, imò ferè cũ maiori difficultate ea committerent quàm vitarent, vt experientia in multis ostendit; neque potest dici, illam ipsam complexionem esse gratiam Dei; hoc, inquam, dici non potest; nam ea complexio sæpissimè oritur ex causis dispositis ordinariâ prouidentiâ, sicut, bonum ingenium, vires; & è contrario in aliquibus summa crudelitas, propensio ad lasciuiã, &c. non enim omnia temperamẽta sunt eiusdem rationis, si ordinariæ

Quarta conclusio.

Sæpè aliqui difficilius cõmitterent vitia quàm abstineant naturaliter.

prouiden

Digitized by Google

prouidentiæ relinquantur neque omnia mala &
ad vitia proclivia; aliqui enim ad mansuetudinē
nascuntur, alij ad veracitatē, ad liberalitatē alij:
in quibus casibus non est necessum ad specialem
gratiam distinctam à creatione recurrere, iuxta
dicta supra contra P. Vasq. de auxilio congruo.

Aliqui ad mansuetudinem nascuntur, ad veritatem alij, &c.

Dices, Debuit esse specialis gratia saltem in
remouendis tentationibus contrariis. Sed contrà,
quia hæ tentationes non occurrunt aliquibus ex
solâ ordinatâ prouidentiâ, sæpè etiam ob indo-
lem ex se ad contrarium vehementer propensam,
non sunt graues tentationes. Contrà Secundò,
quia licet aliquando occurrant, & tunc cedat ho-
mo mitiatq; aliquid de virtutis intensione; ces-
sante tamē eâ tentatione redit ad naturam, iuxta
illud, *Naturam furcâ expellas, tamen usq; recidit*;
quod verum habet tam in naturâ ad aliquod ob-
iectum bonum vehementer propensâ, quàm or-
dinariè habet in propensâ ad malum. Et satis de
necessitate gratiæ ad actus purè naturales.

Obiectio Solutiua Primò.

Secundò.

SECTIO IV.

An, & quomodo sit in potestate hominis habere auxilium gratiæ.

II. *Difficultas grauissima tam in nostrâ quàm Vasq. sententiâ.*

Difficultas hæc præcedenti annexa meo iu-
dicio grauissima est, & ex vnâ parte maior
videtur esse in nostrâ sententiâ de bonis operi-
bus viribus naturæ sine vllo auxilio gratiæ fa-
ctis, ex alia verò maior in contraria sententia
Patris Vasquez, vnde in vtraque est valdè diffi-
cilis eius explicatio, vt ex dicendis distinctè ap-
parebit.

SVBSECTIO I.

Status quæstionis, & varia solutiones.

IN hoc ergo ea consistit, an Deus pro omnibus
etiam Gentilibus habeat paratum auxilium
gratiæ semper ad operandum, an verò solum ali-
quando. Si primum dixerimus fit manifestè, nun-
quam Gentiles, hæreticos, à fortiori peccatores
fidelis efficere vllum bonum opus morale natu-
rale nisi simul efficiant opus supernaturale ad
salutem conducens. Consequens est absurdum,
& contra omnia quæ diximus hucusque in tota
hac materia, ergo sequela verò probatur; nam illi
homines habent (vt supponimus) paratū semper
auxiliū supernaturale ad bonè operandum, ergo,
quando se determinant ad opus bonum natura-
le, v. g. circa iustitiam etiam se determinabunt ad
bonum opus supernaturale circa eandem mate-
riam iustitiæ, ergo numquam habebunt opus bo-
num naturale sine alio supernaturali ad salutem
conducente. Quod si propterea diças cum Patre
Vasquez, nullum opus bonum fieri sine gratiæ
auxilio, habebis aliunde summam difficultatem
explicandam, quomodo fieri in potestate
illius Gentilis aut hæretici conuerti: etenim sine
auxilio gratiæ non potest fieri opus conducens
ad salutem, vt suprà fusè ostensum est; quia gra-
tia non solum datur actu fieri, sed posse fieri: ergo
illi qui de facto non operantur non habent re-
motum auxilium gratiæ in sententia Patris Vasquez
ergo illi non possunt conuerti: hoc autem est val-
dè absurdum, & ob hanc rationem dixi paulò
antè in sententia Patris Vasquez esse grauiorem
ex sua parte difficultatem. Quòd si igitur dicatur
auxilium hoc gratiæ non dari semper, sed solùm
aliquando, est contra hoc rursus difficultas gra-
uis; quia inde sequitur non esse in potestate ho-
minis conuerti, illud enim *aliquando* est valdè
dubium: aut enim comprehendit omnes homi-
nes, ita vt cuilibet detur aliquando, siue in hac
aut illa occasione, aut etiam coarctatur ad certas
personas, aliis exclusis: si hoc secundum dicatur,
tunc hæ exclusæ non habebunt vnquam potē-
tiam ad conuersionem: quod est absurdum: si
primum, rogo vlteriùs, an tale auxilium detur
quando Gentilis benè operatur naturaliter, &
tunc quilibet Gentilis habuisset aliquando
actum aliquem supernaturalem: quod est con-
tra omnem sensum Doctorum supponentium
innumeros ex illis nullum nisi purè naturalem
actum habuisse, imò Augustinus nec natura-
lem videtur aliquando eis concedere. Sequela
probatur, quia omnes habuêre auxilium super-
naturale, dum aliquando operari sunt benè mo-
raliter; ergo tunc, cùm se determinauerint ad
operandum secundùm id quod poterant proculdubio, cùm potuerint etiam supernaturaliter,
operati sunt etiam supernaturaliter. Deinde, si
non semper, quando naturaliter potuêre, cur,
quæso, magis quando habuêre potentiam ad
actum humilitatis, quàm ad actum castitatis, aut
è contrario? reducere enim id in solam liberam
volitionem Dei nulla assignata ratione aut sal-
tem congruentia ex parte ipsarum operationum,
planè est omnino arbitrarium. Ideò. Secundò re-
sponderi posset, magis declarando hanc secun-
dam solutionem, tale auxilium datum fuisse
quando Gentilis effecit aliquem actum bonum
naturalem ex specie sua magis ordinatum ad sa-
lutem, v. g. quando incepit dubitare de fide sua,
quando optauit salutem, &c. Sed contrà Primò,
quia multi inuincibiliter numquam de suâ fide
dubitarunt, ergo saltem tales numquam habuêre
potentiam ad salutem: id verò esse absurdum ne-
mo negabit. Nec dici potest eos potuisse dubita-
re; nam si inuincibiliter errarunt, certè non po-
tuere prudenter dubitare. Secundò quia si omnes
supponantur aliquando dubitasse, aut similem
actum elicuisse, iam redit difficultas suprà tacta,
scilicet, omnes habuisse aliquando actum ali-
quem supernaturalem simul cum eo naturali:
semper enim videtur habere locum vnum ex
absurdis suprà dictis, vel quòd non omnes ha-
buerunt potentiam ad salutem; vel quòd omnes
habuerint supernaturalem aliquem actum. Ter-
tiò ergo dici potest, eos habuisse quidem auxi-
lium gratiæ, non tamen efficax, sed sufficiens,
ideóque potuisse disponi ad salutem; non tamen
inde sequi, fuisse dispositos de facto. Sed neque
hæc solutio satisfacit; nam cùm illa auxilia
gratiæ debuerint concedi eo tempore, quo alio-
quin homo in actu primo erat dispositus ad ope-
randum benè naturaliter, fieri non potest, quin
vel dicatur rursus vnum è duobus, scilicet
Deum ea auxilia dedisse in omni occasione, qua
homo erat proximè potens ad efficiendū actum
naturalem, vel solum in aliquibus: si primum,
sequitur, quotiescumque illi homines habuêre
auxilium naturale ad bonum, habuisse etiam su-
pernaturale; & consequenter, quotiescumque
operati sunt naturaliter bene, etiam operatos su-
pernaturaliter, quia ad operandum supernatura-
liter nemo aliter se determinat libere quàm ad
naturaliter; ergo si tunc habuit vires supernatu-
rales, determinauit se ad actus supernaturales;
ergo numquam illi fecere actum verè honestum

Magistraliter difficultatem.

Digitized by Google

naturalem sine supernaturali: quod est absurdum, & contra solutionem, quam impugno, quæ asserebat talem non habuisse auxilium efficax, sed purè efficiens: quòd si verò dicatur, hoc auxilium efficax non fuisse datum in omni occasione benè operandi, sed in aliquibus, tunc maximè habet locum obiectio suprà facta, quod non sit ratio vlla, cur magis datum sit, quando erant completi ad actum misericordiæ v. g. quàm quando ad actum humilitatis, castitatis, aut iustitiæ, vel è contrario. Quòd si certæ speciei actus naturalis sit annexum illud auxilium, tunc incredibile est nullū in Gentilibus non conuersis talem actum fuisse. Secundò, quia tunc sequeretur eos non semper potuisse ad Deum conuerti, etiam quando attendebant ad bonum & malum morale; quia non poterant semper elicere actus vllo modo ad salutem inchoandam proportionatos; nam etsi naturales effecissent, illi tamen planè fuissent inutiles, ergo.

Modus impositas difficultates soluendi.

Ad omnes has difficultates superandas diceret fortè quis, Deum eis Gentilibus non parare immediatè auxilium supernaturale gratiæ, sed naturalia ad benè operandum; quibus si benè vtantur, det vlteriùs suam gratiam ad operandum supernaturaliter. Et huc posset applicari illud Theologicum axioma receptum valdè, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, facienti, inquam, per auxilia naturalia sibi semper parata; vnde fit vt semper, mediatè saltem, liberum homini sit conuerti. Hæc solutio duas patitur obiectiones. Prima, quòd videatur aliquantulum adhærere Semipelagianis, qui (iuxta dicta suprà) solùm volebant, vt operi bono nostro naturali annecteretur aliquo modo gratia. Verùm de hac obiectione paulò pòst fusiùs. Secunda est, quòd adhuc admissâ eâ doctrinâ integram relinquit difficultatem suprà positam; etenim vel solùm expectat Dominus, vt quis benè operetur semel viribus naturæ; & tunc nullus Gentilis haberet secundum actum bonum naturalem nisi simul habendo supernaturalem; quod videtur esse contra communem sensum, iuxta dicta suprà: si verò dicatur Deum, vt det auxilium gratiæ, non esse contentum vnâ aut alterâ operatione bonâ naturali, sed expectare plures; iam tunc summè est difficile dicere quot, & quando; & consequenter incertum valdè erit quando habeant illi potentiam ad conuersionem, quod maximè volumus in præsenti declarare.

Axioma Theologicum.

SVBSECTIO II.

Respondetur quæstioni, vbi de eo principio, Faciendi quod in se est Deus non denegat gratiam.

13. PRò solutione huius difficultatis aduerte triplicem hic moueri posse quæstionem, vnam, an omnes Gentiles habeant semper aut saltem aliquando potentiam proximam ad conuersionem; aliam verò, an habuerint potentiam ad non peccandum, & consequenter, vt non damnentur; tertiam, vtrum saltem remotè potuerint se ad conuersionem disponere, his positis.

Conclusio Prima est certa.

PRIMA CONCLVSIO: Non omnes Gentiles habuêre semper immediatam potentiam ad conuersionem. Est omnino certa explicatis terminis, quia quando de sua fide non dubitabant inuincibiliter, proculdubio non potuerunt immediatè conuerti; deinde etiamsi dubitassent, sæpè non poterant vllum alium consulere, à quo veram fidem edocerentur.

Obiectio.

Dices, Ergo hi non potuerunt iustè damnari eò titulo, quòd non sint ad fidem conuersi. Respondeo concessâ consequentiâ: multi enim non damnantur in pœnam non-conuersionis, sed damnantur quia grauiter peccarunt in aliâ materia; carentia verò conuersionis est quasi indirecta causa damnationis, quatenus propter illam caruêre remediis sufficientibus contra ea peccata: Deus autem non tenetur homini semper dare remedium contra peccatum commissum; sed homo sibi imputet perditionem, quam potuit vitare antecedenter, non peccando grauiter: vnde si Deus decreuisset nulli homini pòst primum mortale dare remedium ad salutem, adhuc omnes liberè condemnarentur, quia liberè commisissent illud mortale.

Soluitur. Multi non damnantur in pœnam non-conuersionis.

Hinc sit CONCLVSIO SECVNDA: Probabilissimum est, multos ex Gentibus nunquam habuisse immediatam potentiam ad conuersionem, & consequentes nec immediata auxilia ad illam; quia sæpè non dubitarunt tota sua vita de fide; vel quando dubitarunt, non habuerunt quem interrogare possent; aut certè dubium illud fuit leuissimum, & non sufficiens ad inducendam vllam obligationem interrogandi; vel denique quia esto & occasionem, &c. habuissent, si tamen de facto non venêre ad instructionem, non habuêre potentiam immediatam, sed tota illa in solis terminis potentiæ mediatæ remotæ mansit, nam ante propositionem fidei veræ non est proxima potentia ad eam fidem suscipiendam (vt ex terminis patet.)

Secunda conclusio. Multi Gentiles nunquam habuerunt immediatè potentiam ad conuersionem.

Dices, ergo illi non potuerunt saluari, quia sine potentia ad fidem non est potentia ad salutem. Respondeo negando consequentiam; nam vt potuerint saluari sufficit potentia saltem remota. In hac verò Secunda conclusione non nego ego nisi solam potentiam proximam: vt enim quis possit simpliciter ire Viennam v. g. non est necessum vt actu habeat equum & alia media quibus indiget; sed sufficit quòd possit ea omnia habere, si velit.

non tamen sequitur eos non potuisse saluari.

Ideò sit TERTIA CONCLVSIO: Omnes adulti rationis capaces habent potentiam saltem remotam vt saluentur. In hac omnes conueniunt, esto in eius explicatione magna sit sententiarum diuersitas. Et in primis obserue, me solùm agere de capacibus rationis, quia solùm tracto de gratia vt comprehendit auxilia & vocationes, quorum non sunt capaces stulti, & infantes; an autem hi, & quomodo habuerint remedia sufficientia ad salutem, explicui Tom. 1. dum de prædestinatione. Obserno Secundò, ad probandam hanc conclusionem per accidens esse, quòd dicamus aut negemus non posse vllum bonum opus naturale fieri sine auxilio gratiæ, quia quomodocumque id fiat, certum est inter Catholicos, à Gentilibus & infidelibus viuentibus, peccata mortalia, & aliqua opera bona naturalia fieri. His positis.

Tertia conclusio. Adulti omnes rationis capaces habent potentiam saltem remotam vt saluentur.

14. Dico, omnem Gentilem, eo ipso quòd potuerit vitare peccata mortalia, potuisse etiam saluari: etenim si de facto ea omnia vitasset, Deus disposuisset ita rei, vt ille habuisset externè aliquem, qui eum de veræ fide instruxisset, vel Deus ipse immediatè eum excitasset, ita vt amorem supernaturalem Dei elicere potuisset, & per eum eundem saluari. Hæc conclusio clarè totam difficultatem expedit; vtrumque oportet aliquis

Omnes Gentiles, eo ipso quòd potuerint vitare peccata mortalia, potuisse etiam saluari.

exp lica

Digitized by Google

explicare, quæ possunt contra illam obiici; ex quorum solutione illa fiet illustrior: id quod subsectione sequenti præstabitur.

Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam qui intelligendum.

Nunc occasione huius conclusionis explicandum illud valdè receptum inter Theologos principium, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* Videmur enim nos principium illud iuxta conclusionem positam ita debere explicare, vt facienti quod in se est viribus naturæ Deus non deneget gratiam; nam cùm dixerimus non peccanti Deum daturum vlteriorem gratiam, & ad non peccandum admiserimus potentiam saltem physicam in naturâ, eo ipso videmur dixisse, facienti quod in se est viribus naturæ Deum daturum vlteriorem gratiam: hoc autem multis videtur valdè durum; imò, vt statim dicam, etiam putant sapere Semipelagianismum. Multi auctores fusè valdè de eo principio disputant; inter quos P. Lessius conatur illud intelligendum de operantibus benè viribus naturæ, conatúrq; fusissimè ostendere huiusmodi explicationem ab omni notâ etiam improbabilitatis liberare: alij verò conantur erroneum, imò & hæreticum esse eum sensum axiomatis: ita P. Tannerus, Vasquez & multi alij. Ego dum materiam de gratia olim dictarem, sententiam Patris Lessij defendi ex proposito, verùm nunc video me non distinxisse duas valdè diuersas quæstiones, quas distinguunt in hoc puncto auctores: ex qua tamen distinctione tota difficultas ita clara reddetur, vt vtriusque partis auctoribus satisfactum videatur.

Massilienſium doctrina.

15. Pro quo noto, Massilienses adnectentes operi liberi arbitrij auxilium gratiæ siue vt conditioni, siue vt merito condigno, siue vt congruo, non fuisse locutos de auxilio gratiæ purè sufficienti, seu de vocatione sola sufficienti, sed de efficaci & congrua. etenim de vocatione sufficienti, quia omnibus communis est, non erant soliciti, sed de illa qua iustus à reprobo discernitur; volebant enim per hoc in ipsum solum hominem refundere causam discretionis, cur hic vocaretur efficaciter ad gratiam, ille verò non; dicere enim nolebant Deum discernere inter vnum & alterum: vnde quandocumque bonis operibus naturalibus dicebant annexam esse gratiam Dei, eam gratiam intellexerunt, quæ congrua esset, & haberet effectum; alioquin totum eorum fundamentum corruebat: vnde obiiciebat eis Augustinus infantes, quorum aliqui de facto efficaciter ad gratiam Baptismi sine vllis meritis præuiis vocantur, alij verò non; neque vmquam agebat Augustinus de illis infantibus, qui habuerunt solùm commoditatem vt baptizarentur, &, vt sic dicam, habuerunt ad Baptismum auxilium sufficiens, re tamen non sunt baptizati, sed de his qui re ipsa baptizabantur. Ratio item, cur illi non erant soliciti de gratia sufficienti, ea est, quia eiusmodi gratiam Deus omnibus concedit: etenim eo ipso quòd omnes homines voluerit saluos fieri, & omnes eleuauerit ad ordinem supernaturalem gratiæ, idq; sine vllis præuiis nostris bonis operibus, tenetur etiam quodammodò omnibus prouidere de mediis saltem sufficientibus ad salutem; inter quæ maximè locũ habent auxilia sufficientia gratiæ. Non ergo de eis auxiliis obtinendis erant soliciti Semipelagiani, sed de congruis & efficacibus, quibus de facto homo conuertitur & obtinet salutem: per quod non dico eos negasse necessariam esse gratiam ad ipsum posse conuerti; id enim iam fuisset Pelagianum; sed dico, eos agnouisse gratiam dantem posse, non tamen fuisse solicitos vt vllam illius causam ex parte hominis ponerent, quia, iuxta immediatè antè dicta, ea ex liberalitate Dei est communis omnibus, & per eam nulla fit inter vnum & alterum discretio; item ea datur à Deo omnibus independenter ab vllis meritis; ideóque de assignanda causa solius gratiæ congruæ maximè fuêre soliciti.

Cur Massilienſes de gratiâ ſufficienti parum ſoliciti.

Axioma ſide gratiâ congruâ intelligatur, non eſt verum.

Hinc DICO PRIMÒ, Axioma illud, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, si intelligatur de gratia congrua, non esse verum neque in sensu Patris Lessij, neque in sensu Vasquez, Tanneri & aliorum, sed absolutè falsum: etenim non solùm facienti quod in se est viribus naturæ Deus non dat semper vlteriora auxilia congrua, sed nec facienti ex viribus gratiæ; nam quandocumq; iusto alicui negat primum auxilium congruum, non dat facienti quod in se est etiam ex viribus gratiæ, gratiam; nam ille cùm supponatur anteà esse in gratiâ, supponitur benè anteà operatus ex gratiâ, & respondisse priori auxilio; & tamẽ non dat illi posteà secundum & tertium efficax: in hoc igitur sensu dicimus, neque Gentili, esto semper vitasset omnia peccata grauia, Deum dare posteà auxilium congruum ad salutem; & consequenter per hoc euitamus in conclusione suprà posita omnia absurda, quæ Vasquez, Tannerus & alij inferebant contra P. Lessium: quæ maximè desumebantur ex eo quòd non sit connexa salus & conuersio cum operibus bonis naturalibus. Addo tamen (quod iam notaui) in hoc sensu neque debere illud principium explicari de faciente quod in se est ex viribus gratiæ, prout illi explicant, dum reiiciunt explicationem Lessij; dixi enim in hoc sensu esse rationem eamdem de vtraq; explicatione. An autem aliquando per multiplicationem bonorum operum supernaturalium possimus mereri infallibiliter perseuerantiam finalem, seu auxilia congrua ad perseuerandum, infrà in materia de merito ex proposito discutiam; nunc satis est ostendisse, gratiam congruam non esse annexam facienti quod est in se etiam viribus gratiæ.

Vaſquez & Tannerus reijcientes Leſſium non benè explicitè dictum axioma.

Si intelligatur de gratiâ ſufficiente, axioma poteſt admitti.

Nihilominùs DICO SECVNDÒ: Si axioma illud intelligatur de gratiâ seu vocatione sufficienti, meritò posse admitti etiam de faciente quantum est in se viribus naturæ, & in hoc solo sensu à nobis in præsenti traditur ad explicandum, quomodo sit in potestate omnis hominis adulti & rationis capacis saluari: quod aliter intelligi planè non potest, vt suprà ostensum est, & adhuc magis declarabitur respondendo obiectionibus quæ contra hanc explicationem fieri possunt. In hoc etiam solo sensu approbo Patris Lessij explicationem, quam etiam tradit Pater Suarez Tom. de Fide disp. 12. n. 14. præcipuè verò 15. esto non distinxerit inter auxilium congruũ & inter purè sufficiens. Quòd verò sic optimè explicetur, quomodo quilibet rationis capax habeat potentiam vt saluetur, manifestum est; quia esto non habeat semper immediatam potentiam, quia non habet semper auxilia gratiæ, habet tamen potentiam vt faciat quantum est in se; tunc autem ei dabitur auxilium sufficiens vlterius; ergo semper habet potentiam absolutè & simpliciter. Præterea non sequitur inde absurdum, quod suprà obiiciebatur; scilicet numquam Gentilem habere actum bonum naturalem præcisè nisi simul habendo supernaturalem; id enim negamus, vtpote non necessarium ad saluandam eam potentiam salutis, quia Deus

Digitized by Google

non concedit auxilia illa supernaturalia quandocumque homo potest bene operari naturaliter, aut etiam de facto operatur; sed postquam homo fecit quidquid est in se.

Svbsectio III.
Obiectiones contra dicta.

16. *Obiectio Prima, an sufficiat semel facere quod in se est, an verò diu.*

VEniamus iam ad obiectiones: & quidem Prima statim desumitur ex immediatè dictis, *Postquam homo facit quidquid est in se*: quid enim per hoc intelligitur, an sufficiat semel benè operari, an verò id debeat diu intelligi; si autem diu, vnde possit determinari tempus illud? Respondeo, certum videri non sufficere vnam aut alteram victoriam tentationis, sed necessarias esse aliquot, vt possit ille homo censeri facere quantum est in se, ne pereat; sicut ad hoc, vt homo dicatur patiens, liberalis, &c. non sufficit vnus actus aut alter patientiæ & liberalitatis, sed requiritur tanta repetitio, quæ firmatum iam in eis virtutibus animum ostendit; ita eodem modo in præsenti discurro. Neque exigendum à nobis est in hac re morali; vt Mathematicè determinemus numerum eorum actuum aut tempus, quo debent durare, sufficit id à Deo, qui auxilium paraturus est, perfectissimè cognosci.

Secunda Obiectio.

Secundò tamen obiicies: Non potest quis sine gratiâ habituali diu seruare totam legem, multò autem minùs sine fide & sine aliquo auxilio gratiæ; ergo malè supponimus hominem Gentilem gratiâ & fide carentem per solas vires naturales diu seruare totam legẽ, vt propterea faciat quantum est in se, & Deus det illi auxilium gratiæ.

Soluitur.

Respondeo *tò diu* habere latitudinem; ideò quod absolutè & simpliciter respectu vitæ humanæ non potest dici diu, poterit tamen dici in ordine ad mouendũ Deum, vt paret ei auxilia naturalia ad non cadendum vlteriùs, quibus si homo cooperetur, Deus ei dabit etiam supernaturalia sufficientia ad finem & gratiam supernaturalem. Respondeo Secundò, à nobis suprà dictum, etiamsi sine gratiâ, fide, &c. homo non possit moraliter seu facilè diu perseuerare, posse tamen absolutè & simpliciter, physicè loquendo, non peccare; id quod etiam simpliciter sufficit, vt dicatur potuisse saluari; non enim necessum est maiorem à nobis ei tribui potentiam ad salutem quàm ad non peccandum: tunc enim sicut liberum fuit eis peccare & non peccare, ita dicere meritò possumus, fuisse eis liberum saluari, & non saluari; quia si non peccassent, Deus addidisset reliqua, quæ ad salutem desiderabantur.

Alia solutio. Hominẽ posse simpliciter. physicè loquendo. non peccare, sufficit vt dicatur potuisse saluari.

Obiectio Tertia.

Obiicies Tertiò hinc sequi, gratiam annecti bonis operibus, & consequenter iam non esse gratiam, prout Patres inferebant contra Semipelagianos: nec sufficit respondere, à nobis non annecti tamquam merito condigno aut congruo, sed solùm tamquàm puræ conditioni; id enim ipsum Semipelagianum videtur esse; nam illi contenti fuissent, si eis admissum fuisset, requiri ex parte nostrâ aliquod bonũ opus, quomodocumque illud vocaretur, siue conditio, siue meritum, siue dispositio ad gratiam. Respondeo Primò, ostensum iam à me suprà, Semipelagianos non egisse de auxilio seu mediis ad salutem sufficientibus, sed de gratiâ efficaci, quam volebant deberi bonis operibus naturalibus. Quod verò obiicitur, nostram sententiam repugnare conceptui gratiæ, facilè negatur; nos enim dicimus omnino gratis & liberaliter Deum ante omnia præuisa bona opera eleuasse homines ad finem supernaturalem, ideóq; voluisse illis dare ad eum finem consequendum media saltem sufficientia, vt per auxilia à se præparata esset in potestate hominum saluari: eiusmodi autem auxilia non voluit dare Deus omni tempore & omni loco; neque enim dormientibus aut distractis ea dare decreuit; id enim esset facere nouum & singulare miraculum; ergo iuxta cursum naturalem & occasiones aptas ad efficiendos actus supernaturales decreuit illa dare; v.g. quando quis audit mysteria fidei, quando incidendo in librum aliquem de illis legit, &c. vnde nullus Theologus dicet derogari naturæ gratiæ per hoc quod dicam ego, *Hic homo sine auxilio gratia per actum indifferentem, imò malum* (v.g. vt exsibilaret concionatorem) *posuit se in occasione, in qua vocatus est à Deo; si autem se non posuisset, non fuisset vocatus.* Quæ doctrina adhuc longè certior est quando ea vocatio, quam dicimus secutam in eâ occasione, non fuit de facto conductura ad salutem, sed solùm sufficiens & generalis communísq; omnibus hominibus vi eius generalis volitionis Dei de saluandis omnibus. Neque, si quis Euangelicus concionator veniat ad Gentilem dormientem, eúmq; excitare tentet, vt ei proponat mysteria fidei, vllus dicet eam excitationem à somno non esse naturalem, etiamsi ea sit necessaria, vt homo ille constituatur in occasione proximâ, in quâ possit habere vocationem saltem sufficientem ad gratiam: sicut ergo Deus eiusmodi occasiones requisiuit ex parte hominis, non quia illæ promereantur vocationem, etiam eam quæ præcisè est sufficiens (possunt enim sæpè dari ex occasiones etiam per graue peccatum, vt dixi) sed quia Deus noluit hominem ad gratiam vocari nisi naturali modo, quando homo ille esset in occasione naturali, in quâ possit per sensus externos mysteria fidei, &c. percipere; ita dico, ipsum Deum decreuisse hominem bene operantem naturaliter, & facientem quantũ est ex se, cõstituere in occasione, vbi concionatorem audire posset, & esset proximè capax auxilij gratiæ saltem sufficientis.

Deus iuxta cursum naturalem & occasiones aptas decreuit dare media.

Vbi maximè ponderandum est, immediatè ratione illius operis boni non dare Deum homini illi auxilia gratiæ, sed ponere illum in occasione proximâ vt ipsi dentur; deinde verò dari non vi bonorum operum, sed vi eleuationis ad finem supernaturalem. Quòd si homo sine gratiâ potest se ponere in tali occasione, à fortiori poterit sine gratiâ speciali promereri per actum naturalẽ bonum, vt in tali occasione ponatur, quia ea positio naturalis est; eâ autem datâ iam ex sola liberalitate Dei auxilium illud sufficiens sequitur. Ex quibus omnibus manifestissimè apparet, hanc nostram doctrinam toto cælo ab hæreticorum erroribus differre, & nihil penitus quoad occasionem auxiliorũ supernaturalium sufficientiũ à nobis dici, quod non debeant omnes, siue admittant opus bonum ex solis viribus naturæ, siue illud negent; quia saltem ad efficiendum peccatum nemo requirit gratiam; iam autem ostendi etiam sæpè per peccatum posse hominem se constituere in occasione proxima recipiendi vocationem siue congruam, siue sufficientem; faciliùs ergo id poterit præstare per opus bonum, esto non sit ex gratia factum.

Ratione operis boni naturalis non datur immediatè auxilium gratiæ, sed occasio proxima.

Multum differt nostra doctrina à Semipelagianorum.

Fortè adhuc obiicies: Quid est necessum dicere, Deum talem hominem posituram in occasione proxima ad accipiendum auxilium sufficiens; nónne satis est quòd habeat ille potentiam

Obiectio.

ad

17. *Respondetur.*

Conceptus gratiæ non tollitur in nostrâ sententiâ.

Digitized by Google

Solutio. ad nō peccandū? Respondeo ideò à nobis id dici, vt explicemus, quo pacto illi Deus prouiderit de mediis sufficientibus ad salutem: si enim non esset liberum illi modo explicato venire ad salutem, profectò maiori parti hominum Deus negasset potentiā vt saluarentur, nec de necessariis mediis ad salutem prouidisset: id quod sine dubio absurdissimum esset, & vix vllo modo cohærens cum illa voluntate generali ad omnes se extendente, quâ vult omnes homines saluos fieri.

18. Alia obiectio. Dices, Ad hoc sufficere, quòd tales homines potuerint ad loca vbi sunt Catholici, venire, & per hoc se collocare in occasione recipiendi auxilia, esto ad opera bona non recurramus, neque ad id quod faciant quantum ad ipsos spectat. Respondetur primò. Respondeo Primò, Si hoc modo possunt se ponere in occasione, cur non & altero? Respondeo Secundò illam potentiam esse planè nullam in maiori parte illorum hominum, maximè in feminis: quæso enim, quomodo illæ ante mille annos v. g. ex Americā existent, & ad eiusmodi occasiones Euangelij audiendi venissent per maria immensa sine vllā arte fabricandarum nauium? Respondeo Tertiò eam potentiam non esse sufficientē vt imputari eis possit vllo modo quòd non sint saluati, quia cùm in eo exitu ex patriā ad alias nationes nullam inuenirent neque apprehenderent vtilitatem in ordine ad honestatem moralem, quomodo eis, quæso, dici posset, Quare non exiuistis vt conuerteremini? at eo ipso quòd operando benè moraliter, ad quod lumine naturæ tenebantur, potuerint venire ad similes occasiones, meritò illis dici poterit; Quare vos non feciſtis id ad quod obligati eratis? Deus enim tunc vos posuisset in occasione viciniori, & dedisset auxilia quibus potuisseris supernaturaliter vos ad fidem disponere. Tertiò.

Replica. Contra has tamen solutiones replicabis, maximè contra Secundam, quia tota difficultas ibi explicata habet locum etiam in nostrā doctrinā: quomodo enim si quis ante eos mille annos fecisset quod ex se poterat, benè operando, venisset ad occasionem recipiendæ fidei, cùm non potuisset sine prædicante eam audire, ad illum autem accedere non fuisset ei liberum, iuxta dicta in ea Secunda solutione? Respondetur. Respondeo Primò, potuisse Deum tunc ita res disponere, vt prædicator ipse eā occasione illuc venisset; vel certè vt ille animus exeundi ex patria, qui non fuisset aliàs excitatus in tali homine, tunc excitaretur ob bonum illum vsum liberi arbitrij: non enim excedit dignitatem operum naturalium ipsa positio physica in occasione proxima audiendi mysteria fidei, quia iam dixi, etiam per actū moraliter malum posse hominem se in illa ponere, esto iam posito dentur auxilia ex pura liberalitate Dei; vel deniq; Deum tunc daturum aliquam interiùs illustrationem sufficientem vt ille homo posset agnoscere saltem confusè Deum verum, illúmq; amare; non dico illam gratiam futuram congruā (vt obseruaui suprà) & consequenter nec dico illum hominem venturum re ipsa infallibiliter ad fidem, sed habiturum auxilia vt posset venire: per hoc enim declaramus sufficienter, quo pacto adultis vtentibus ratione prouisum sit de sufficientibus mediis ad salutem, vt illi voluntati Dei generali fiat satis.

Obiectio. Obijcies vltimò Diuum Thomam, qui 1.2. quæst. 109. art. 6. & quæst. 112. art. 3. docet auxiliantis gratiæ non dari causam ex parte nostra; principium verò hoc, *Facienti quod in se est*, &c. explicat de faciente vtribus gratiæ. Respondeo, Solutio. eum non esse contra nos: nam primo loco solùm agit de præparatione ad gratiam habitualem, pro qua fine dubio debent præcedere gratiæ auxilia; nos autem agimus de præparatione ad auxilium primum sufficiens: vnde dum in responsione ad secundū dicit nihil posse hominem facere nisi motum à Deo solùm, docet sine gratiæ auxilio nihil posse fieri meritorium gratiæ habitualis, imò addo, nec meritorium primi auxilij; iam enim diximus ea bona opera solùm esse velut occasionem vt Deus hominem vocet; quod non negatur ibi à D. Tho. De eadem gratia habituali loquitur secundo loco; docet enim illam infundi benè operanti non ob valorem operis vt ab homine procedit, sed quia Deus illud opus ad hoc destinauit: id quod de actu contritionis respectu primæ gratiæ verificatur. Difficiliùs loquitur art. 2. vbi ait, Si gratia accipiatur pro auxilio mouente, nullam ex parte hominis esse præparationem, sed hanc supponere auxilium. Respondeo etiam ibi solùm docere, ex parte nostra non prærequiri tale opus ad auxilium; id quod libenter fatemur; sæpè enim datur etiam resistenti, ergo inde rectè nos inferre possumus, à fortiori dari facienti quod in se est. Denique D. Thomas solùm negat nostra bona opera præcedentia auxilium esse vllo modo illius meritoria; id quod libenter fatemur: quòd autem Deus, qui omnes humano modo capaces auxilij & vocationis vult vocare, non voces eos qui faciunt quantum est in se, profectò non asserit ibi Sanctus Doctor, quia tales maximè sunt capaces eiusdem vocationis. Porrò antè auxilium gratiæ posse fieri bona opera naturalia expresè à D. Th. docetur, vt suprà ostendimus. Et satis de eo principio, per quod optimè explicatur, quomodo sit in potestate omnium vtentium ratione conuerti & saluari.

SECTIO V.

De necessitate supernaturalis fidei & gratiæ habitualis ad obseruationem longam totius legis.

SVBSECTIO I.

Prior pars vera doctrina.

19. NOnnulli Doctores absolutè docent, non solùm fidem supernaturalem, sed etiā gratiam habitualem esse ad id necessariam. Ita Valentia suprà 1.2. d. 8. q. 1. p. 5. conc. 2. vbi alios pro ea refert: citat etiam pro eadem P. Suarez cap. 27. n. 3. Vegam q. 13. de iustificatione. Quæ sententia, si de necessitate physica intelligatur, vt sine gratia habituali non solùm moraliter, sed nec physicè tota lex impleri non possit, est improbabilis, & in terminis inuoluens repugnantiam; nam adimpletio legis naturalis est in sua substantia naturalis; ergo non potest pendere physicè à gratia supernaturali; vnde & in statu puræ naturæ, quando homo non fuisset elevatus ad ordinem gratiæ, obligatus fuisset ad seruandum non solùm hoc vel illud præceptum naturale, sed omnia collectiuè, imò, si non haberet vires physicas ad eam implendam, peccaret &, non peccaret in transgressione: non peccaret, quia non poterat physicè implere; peccaret, *Ad obseruationē totius legis non est physicè necessaria gratia habitualis.*

Digitized by Google

quia supponis illum teneri. Constet ergo, physicè loquendo, non requiri gratiam habitualem ad eam impletionem.

requirit tamē moraliter ēs probabile.

Intelligenda ergo est prædicta sententia, vt probabilis sit de necessitate morali: vt sic autem rursus potest dupliciter intelligi; Primò, vt ipsa fides aut gratia habitualis immediatè per se ad hoc concurrat; Secundò, vt propter ipsam dentur specialia auxilia actualia, sine quibus alioquin non posset tota lex seruari. In primo sensu omnino est falsa hæc sententia; nam gratia habitualis immediatè per se nihil efficit in subiecto, nisi illud præcisè reddere dignum amore Dei; passiones autem insurgentes per se non sedat; non enim allicit ad obiectum honestum, non deterret à turpi; vno verbo, non magis sentitur, quàm si non esset ibi; ergo per se immediatè non conducit ad bonum opus; cuius difficultas prouenit ex tētationibus, ex propositione obiecti, &c. Solùm ergo restat secundus sensus, in quo hæc sententia non solùm probabilis, sed omnino certa est de facto. Dico *de facto*, quia testimonia Patrum & Conciliorum solùm probant, de facto Deum non dare auxilia specialia ad seruandam diu totam legem nisi homini existenti in gratiâ, an autem in statu puræ naturæ vel in alio ordine rerum Deus daturus esset eiusmodi auxilia naturalia specialia independenter à gratiâ habituali, nobis est incertum; de quo tamen nonnihil paulò pòst dicetur. Hæc sententia communis est inter Scholasticos, quos refert & sequitur P. Suarez cap. 17. continet autem duas partes; vnam non ita certam ac alteram: Prima est, in infidelibus non dari ea auxilia gratiæ ad seruandam legem per longum tempus; si enim ad hoc de facto requiritur gratia habitualis, cùm illi eâ careant, necessarium est, vt non habeant de facto talia auxilia. Probatur autem hæc pars variis Scripturæ & Patrum testimoniis, quæ suprà Suarez refert, in quibus Concilia & Scriptura credentibus per Christum docent victoriam tentationum & fugam à peccatis concedi; quæ eo ipso è contrario indicant non credentes carere tali victoriâ.

De facto non dantur auxilia ad seruandam diu totam legem nisi constituto in gratiâ.

20. *Obiectio Prima.*

Obiicies tamen contra hanc probationem; nam ea loca non solùm loquuntur de obseruatione totius legis, sed absolutè de victoriâ cuiuslibet tentationis; ergo vel non debemus ea huc applicare, vel certè debemus negare, posse vinci vllam tentationem sine speciali auxilio gratiæ, contra ea quæ suprà tradidimus explicantes ea testimonia de victoria vtili ad salutem. Obiectio difficilis est valdè, & quæ probat ex eis testimoniis non conuinci omnino certò hanc nostram sententiam; nihilominùs tamen potest responderi, Patres locutos de victoria etiam naturali tentationis, intelligendo tamen, vt suprà agentes de tentationibus diximus, tā de tentationibus grauibus quàm de leuibus multiplicatis, quia vt sic reddentur graues. Aliqui enim ex illis Patribus seipsos explicant, vt non semper dicant eam gratiam esse necessariam, sed ferè semper. Vide quæ ibi fusiùs circa ea loca dixi.

Secunda obiectio. Respondetur Primò.

Secundò obiicies, ergo aliquando infidelis non habet potestatem moralem ad fugienda peccata. Respondeo Primò, illum habuisse potestatem moralem, quatenus si priora cauisset, Deus illum ad gratiam supernaturalem & pœnitentiam vocasset modo præcedenti sectione in fine explicato: quòd si ex culpa propria iam se in eam difficultatem coniecit, sibi imputet, non Deo. Secundò respondeo, & melius, non esse absurdum quòd in aliquibus occasionibus non habeat quis potentiam moralem ad non peccandum (vt suprà diximus instante graui tentatione) quod à fortiori locum habet in ordine ad collectionem multarum tentationum.

Secundò.

Replicabis contra Primam solutionem, in ea videri à nobis inuolui repugnantiam: si enim homo non potest per longum tempus sine gratiâ habituali omnia peccata mortalia vitare, quo pacto possumus dicere talé potuisse se ad ipsam gratiam disponere per longam præceptorum obseruationem; iam enim ibi supponitur vitatum peccatum sine gratiâ habituali per longum tempus? Respondeo, nó requiri tam longum tempus vt homo quodammodò det occasionem Deo vocandi se ad pœnitentiam, quàm sit illud, per quod dicimus sine gratiâ habituali non posse seruari totam legem; vnde non sequitur nos supponere seruatam sine gratiâ per longum tempus, de quo in conclusione, vt dixi suprà tangens hanc obiectionem; quàm autem vtrumque tempus debeat esse longum non potest decerni, tum quia Patres & Scriptura nihil in hac re determinant; tum quia à ratione nihil à nobis potest decidi; res enim hæc ex solâ pendet Dei voluntate, vt dixi; tum quia multa debent ponderari pro hac duratione; vt enim benè Suarez obseruat, idem tempus potest esse longissimum pro vno, breuissimū autem pro alio, iuxta occasiones peccandi, iuxta tentationum occurrentium magnitudinem & repetitionem, ac iuxta indolem ipsius hominis, quæ habent etiam locum in his quæ de peccatore fideli statim dicemus.

Replica contra Primam solutionem.

Soluitur.

SVBSECTIO II.

Altera pars nostræ sententiæ.

21. *Fidelis sine gratiâ non potest diu omnia mortalia vitare.*

EA sit, etiam fidelem non posse per longum tempus, nisi sit in gratiâ; peccata omnia mortalia vitare. Hæc pars minùs certa est quàm prima, tum quia Scriptura & Concilia non tam id videntur negare omni peccatori quàm infideli; tum quia peccator fidelis habens habitum fidei & spei videtur iam habere aliquod saltem de congruo meritum, quo obtineat à Deo auxilia actualia ad fugienda mortalia per actus fidei & spei aliósque supernaturales virtutum infusarum, quos multò faciliùs incomparabiliter potest elicere quàm infidelis; hinc fit vt longum tempus, quo peccator esse potest sine nouo peccato, sit multò maius in peccatore fideli quàm in infideli: hic enim fortè non poterit esse per septimanam, ille verò & per mensem. Verùm iam dixi determinatam hanc taxationem incertam nobis esse: quidquid verò de illâ sit, absolutè probatur hæc conclusio ex Augustino de Spiritu & litterâ cap. 14. vbi docet, fidem, quæ per dilectionem operatur, esse necessariam ad seruanda omnia præcepta Decalogi: idem docet lib. 1. de Gratiâ Christi cap. 8. de Correctione & gratiâ cap. 2. clariùs diuus Gregorius homiliâ 12. in Ezechielem, *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, sine pondere in aliud trahere*: ad quod Psalmista videtur respexisse Psalm. 41. *Abyssus abyssum inuocat*; Chrysostomus homiliâ 67. in Matthæi 21. ad illa verba, *Soluite, & adducite*: idem constat ex Cælestino Papâ Epistolâ 1. ad Episcopos Galliæ cap. 10. & ex Concilio Arausicano can. 30. vbi docet, infirmitatem contractam per peccatum non sanari sine gratiâ Baptismi; alia loca citantur à Suarez

Probatur ex D. Augus.

D. Gregorio.

Cælestino Papâ. Concilio Arausicano.

Digitized by Google

Suarez suprà & Vasquez disp. 196. num. 17. Earum (quod & Suarez & Vasquez benè notarunt) ea non omnino conuincere; possent enim vtcumque deludi; & propterea dixi hanc secundam partem non esse tam certam quàm primam.

22. *Tannerus hanc impotentiam docet esse consequentem.*

Vbi obserue, Patrem Tannerum disp. 6. q. 3. dub. 5. docere, hanc impotentiam seruandi totam legem sine gratia non esse antecedentem, sed cõsequentem; quatenus etiamsi homo habeat sufficientes vires ad obseruandam illam, numquam tamen seruabit sine speciali Dei prouidentia, quia homo vitare diu non potest omne peccatũ sine gratia actuali sæpiùs & constanter repetita, per peccatum autem mortale vt indignus priuatur homo tali fauore: adducit autem in huius sententiæ confirmationem verba Concilij Mileuitani can. 5 quibus asseritur gratiam iustificationis dari non solùm vt possimus faciliùs, quasi sine ea gratia non quidem facilè, sed absolutè possemus id præstare, sed verè dari vt simpliciter possimus; & qui contrarium dicunt anathematizantur; hanc verò gratiam iustificationis esse gratiã habitualem, de qua hîc agimus, probat contra Patrem Vasquez.

Tanneri explicatio minùs clara est.

Ego tamen (vt verum fatear) non possum capere, quî hæc duo inter se cohæreant; nam, iuxta Concilium, impotentia seruandi legem est omnino antecedens: illa enim impotentia, quæ non solùm excludit facilè posse, sed omnino absolutè posse, procul dubio antecedens est; habere enim potentiam ad facilè aliquid præstandum est antecedens; ergo carere ea potentia est carere potentia antecedenti, ergo à fortiori carere hac & insuper altera ad simpliciter posse; ergo vel Cæcilium non loquitur de gratia habituali; vel cõclusio prima Patris Tanneri eo loco damnatus, Quod item dicit ibi eam impotentiam esse consequentem, quatenus existenti in peccato non datur gratia actualis, vtpote indigno, etiam aduersatur Primæ conclusioni; nam gratia actualis non requiritur consequenter, sed antecedenter ad obseruationem præceptorum; ergo carentia illius gratiæ, vndecumque veniat, efficiet impossibilitatem antecedentem; nam carentia concurrentis principij, & quidem requisiti, profectò (ni aburamur terminis) impotentia est antecedens.

23. *Meliùs dicitur ea impotentia antecedens non physica, sed moralis.*

Meliùs ergo dicitur, eam impotentiam esse antecedentem non quidem physicam, sed moralem sæpè iam explicatam. Addendum etiam, locum illum Concilij Arausicani vel non intelligendũ de gratiâ habituali, sed de actuali; quæ quia ordinatur ad iustificationem, dicitur meritò gratia iustificationis (vt vult P. Vasquez;) vel certè eam impotentiam non solùm ad facilè, sed ad absolutè seruanda mandata esse solùm moralem; quæ licet ex difficultate proueniat, est tamen tam magna, vt absolutè mereatur nomen impotentiæ (vt suprà explicuimus;) vel deniq; (quod mihi probabilius videtur) Concilium ibi loqui non solùm de obseruatione præceptorum naturalium, sed multò maximè de præceptis positiuis supernaturalibus credendi, amandi Deum, &c. prout expedit ad salutem: loquitur enim ibi de mandatis eo sensu quo Christus dixit, *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Certum autem est ad obtinendam vitam æternam non sufficere solam obseruationem naturalis legis, sed debere alia præcepta diuina supernaturalia seruari; ea autem requirunt omnino gratiam: vnde locum hunc non arbitror esse pro nostro intento: alius autem ex eodem Concilio can. 3. vbi dicitur gratiam Dei, quâ iustificamur, valere in adiutorium vt seruentur mandata, minùs vrget; & quidem quoad vocem *quâ iustificamur* potest sicut præcedens explicari; absolutè autem, cùm non dicat eam gratiam requiri, sed adiuuare & valere in adiutorium, non premit eos, qui dicunt illã, dum adest, iuuare valdè; non tamen propterea omnino requiri ita, vt sine illâ non possit seruari lex. Constet ergo (quod paulò antè dixi) non posse hanc conclusionem nostram solidè ex Concilijs persuaderi, sed tum ob auctoritatem communem Scholasticorum, tum ob aliqua Patrum testimonia eam saltem probabiliter insinuantia tenendam esse.

Eiusdem Cæcilij explicatur.

Non potest nostra conclusio ex Concilijs solidè probari.

Ratio item, quam P. Suarez pro ea format, debilis est; ait enim, Qui non habet Deum pro fine suarum actionum, & qui caret serio proposito non peccandi de cetero, non potest non frequẽter cadere; ergo debet homo vt diu stet esse amicus Dei. Hæc ratio, vt dixi, non est efficax; nam potest homo habere propositum non peccandi de cetero ex motiuo ad attritionem sufficienti, etsi non sit in gratia; & potest velle dirigere suas actiones in Deum; non tamen propterea habebit actum contritionis. Deinde non probat Suarez illud propositum actuale requiri ad seruandam Dei legem, aliàs, etsi homo esset in gratia, non posset seruare legem, nisi eliceret actum amoris Dei super omnia: quod nullus tamen requirit, nisi fortè casu quo vrgeret præceptum de tali amore. Ratione autem à priori ex ipso Suarez desumpta eius argumentum reijcitur; docet enim in eodem capite, & meritò, auxilia actualia requisita ad seruandam totam legem non esse ex naturâ suâ, sed ex solâ voluntate Dei de facto annexa gratiæ habituali, seu ab eâ dependentia; vnde infero, Ergo tota hæc difficultas non ratione, sed auctoritate decidenda est, quatenus ex auctoritate colligimus, Deum nolle de facto homini peccatori dare auxilia reddentia moraliter possibilem obseruationem totius legis.

Suarius à seipso refellitur.

24. *Obiicitur.*

Obijcies contra conclusionem, Ergo poterit quis esse certus se esse in gratiâ, casu quo per longum tempus non committat peccatum mortale, de cuius carentiâ potest habere certitudinem. Respondeo Primò, non esse certum quam longum sit id tempus, ex quo probatur existentia gratiæ habitualis: vt enim paulò antè dixi, pendet hoc à diuersis circumstantijs: & fortè non est longum tempus id quod ipse homo putat longum: Secundò, hanc doctrinam non esse ita certam, vt contraria sit erronea; vnde non potest hinc omnimodam certitudinem habere, sed quãdam magnam probabilitatem, quam non negamus. Tertiò (vt benè P. Suarez notat) non potest homo esse certus, se diu non peccasse mortaliter vel ex negligentiâ aliquâ crassâ, vel ex aliquâ delectatione, &c. quod non ita facilè dignoscitur, etsi de actibus externis certus possit esse, se nullum mortale peccatum commisisse; id quod Dauid videbatur supponere, dum ab occultis suis peccatis mundari se instanter petebat; & Paulus, dum dicebat, *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum.*

Respondetur. Primò.

Secundò.

Tertiò, Homo non potest esse certus se non peccare mortaliter.

1. Cor. 4.

Obiter hîc posset inquiri, vtrùm eadem impotentia seruandi totam legem sine gratiâ habituli reperiretur etiam in pura natura. Est autem ratio dubitandi, quia ex vna parte sæpè diximus non esse in lapsa minores vires quàm in pura; ex altera verò parte immediatè antè tota ratio adducta, cur negetur auxilia, desumitur ex statu

An etiam in purâ naturâ sit impotentia seruandi totam legem sine gratiâ habituali.

Explicatur Concilium Arausicanũ.

Matth. 19. *Obseruatio legis naturalis non sufficit ad vitam æternam.*

Alius locus

Digitized by Google

peccati mortalis, per quod homo ea demeretur, seu se reddit indignum illis; deficiente igitur eo peccato in natura pura, consequenter homo haberet necessaria auxilia, posset que sine gratia habituali seruare legem totam. Respondeo, in hac quæstione vnum esse certum, alterum dubiũ; certum est, eodem modo in vtroque statu fore necessaria actualia ea gratiæ auxilia: & id conuincit quod sæpè diximus de æquali debilitate naturæ in vtroque statu; nam ob hanc præcisè requiruntur auxilia; includo etiam tentationes extrinsecas, quas esse communes illis statibus suprà ostendi; has item gratias actuales supponimus esse indebitas vtrique statui ob easdem rationes. Dubium ergo erit, quid Deus facturus esset ex sua liberalitate, quia & posset, si vellet, ea auxilia dare, etiamsi ad hoc non teneretur; & posset eo ipso ea negare, licet homo nullo actuali aut originali peccato se reddidisset positiuè eis indignum: vt enim ego negare possim iustè quæ non debeo alteri, non est necessum me positiuè ab eo lædi: nihilominùs probabiliter docet Pater Suarez c. 28. Deum in tali statu daturum ea auxilia multis saltem, vt homo posset consequi finem suum seu beatitudinem naturalem; esset enim valdè durum creare hominem in statu, in quo moraliter esset illi impossibilis legis obseruatio & consecutio finis sui naturalis, ac quodammodò necessitatus ad perditionem. Quæ ratio in hoc statu naturæ lapsæ nõ vrget; tum quia homo per suam culpam se coniecit in eas angustias; ergo etiamsi illi omnia auxilia negarentur, non esset vlla ex parte negantis indecentia; tum quia de facto homo est eleuatus ad ordinem supernaturalem gratiæ, potestque ad gratiam habitualem, cui sunt annexa ea auxilia, peruenire; vnde tandem habet potentiam saltem mediatam vt seruet totam legem. At in pura natura, omni eleuatione ad finem supernaturalem ablata, nulla daretur potentia ad obtinendam gratiã habitualem; ergo si nollet Deus in eo statu gratię auxilia ad obseruationem præceptorum necessaria conferre independenter à gratia habituali, profectò relinqueret hominem & proximè & remotè destitutum potentia morali ad seruandã legem, & quidem nulla præuia culpa ex parte illius hominis: quod licet tamquam annexum naturæ humanæ Deus absolutè facere posset, habet tamen aliquam minorem congruitatem, ratione cuius piè possumus iudicare id non fuisse permittendum ab ipso. Secundò id ita possumus declarare; nam in eo statu cùm nulla alia merita homo habiturus esset quàm naturalia, congruũ esset vt intuitu illorum Deus ea auxilia naturalia vberiora ad seruanda reliqua præcepta conferret; cúmque seruare primum præceptum facile esset in eo statu etiam viribus naturæ, absolutè posset tunc seruari tota lex.

Certum est etiam in hoc statu fore necessaria actualia auxilia;

sed dubium est quia Deus esset facturus ex sua liberalitate.

Probabile est Deum tunc daturum talia auxilia.

Obiectio.

35.

Dices, Ergo eodem modo nunc in statu naturæ lapsæ poterit infidelis seruans primum præceptum mereri auxilia naturalia ad seruandum secundum intra ordinem naturæ; & sic sine habituali gratia, imò & sine fide poterit seruare totam legem, contra id quod hucusque diximus. Respondeo negando consequentiam. Disparitas est clara; nam in hoc statu cùm Deus offerat etiam liberaliter auxilia gratiæ ad supernaturaliter operandum necessaria, non dat in præmium boni operis naturalis auxilia vlteriora naturalia ad benè operandum necessaria, sed aliter ea opera præmiat; quia ad hoc, vt homo consequatur nunc suum finem, non est necessaria talis prouidentia; operando enim per auxilia gratiæ eum potest obtinere: qui autem possimus habere auxilia gratiæ dixi sectione præcedenti: at in purâ naturâ necessaria forer, ob dicta, ea prouidentia, vt posset homo consequi beatitudinem naturalem, quæ sola tunc esset possibilis.

Obiectio.

Solutio.

Disputatio XLII.

De necessitate gratiæ ad actus supernaturales.

1. Explicuimus hucusque necessitatem gratiæ ad actus in suâ substantia naturales, seu qui absolutè physicè fieri possunt viribus naturæ, iam oportet de necessitate eiusdem gratiæ ad actus supernaturales disserere.

Sectio I.

In quo sit huius quæstionis difficultas: & præmittitur, possibiles esse actus in substantiâ supernaturales.

IN hac quæstione, meo iudicio, non potest esse magna difficultas, si vnum punctum benè priùs discutiatur, scilicet, an reipsa dentur tales actus supernaturales in sua substantia tam ex parte intellectus quàm ex parte voluntatis, ilque soli sint sufficientes ad vitam æternam, seu hi soli sint prout oportet ad salutem; si enim semel statuamus dari, &c. tunc per euidentem consequẽtiam infertur necessariam esse ad eos gratiam seu auxilium in sua entitate supernaturale; nam ex conceptu effectus supernaturalis infertur ad ipsum requiri principium aliquod supernaturale; vnde superfluum erit tot distinctas quæstiones mouere quot mouent aliqui in præsenti, maximè P. Suarez toto lib. 2. iam de actu amoris amicitiæ, iam concupiscentiæ, iam fidei, iam ad præcepta supernaturalia de actibus internis, iam ad eadem circa actus externos, &c. vtrùm ad eos sit necessaria gratia; etenim, vno verbo, his omnibus debet dici necessariam esse gratiam, quia si agitur de re supernaturali, procul dubio dicendum est, eam sine supernaturali principio produci non posse, siue illud sit auxilium extrinsecum, siue habitus intrinsecus supernaturalis, quod pro præsenti quæstione per accidens se habet. Ergo ad supernaturalitatem eorum actuum tota difficultas est reducenda: pro qua communem argumentum desumi solet ex eo, quòd de facto attingamus multa obiecta in substantia supernaturalia, vt Deum trinum in personis, reuelationes supernaturales, beatitudinem in visione & amore supernaturali consistentem, & alia similia: quæ omnia attingi non possunt tamquam obiectum formale per actus in substantia naturales; ergo dantur alij supernaturales, per quos attingantur. Hoc argumentum etsi commune, mihi tamen omnino insufficiens videtur; nam quinto Tomo disp. 13. ostendo efficacissimè pos-

Concessis actibus in substantiâ supernaturalibus, debet etiam concedi auxilium supernaturale.

Digitized by Google

se obiectum naturale tangi per actum naturalem & per supernaturalem, & è contrario rem supernaturalem per actum naturalem.

Hoc ergo argumento omisso, pro decisione quæstionis dicendum est Primò, non posse vllam vel apparentem adduci repugnantiam, quâ probetur, diuinitus repugnare actus virtutum supernaturalium, vndecumque ea supernaturalitas desumatur; iuxta ea enim quæ primo Tomo disp. 3. à num. 27. dixi illud est accidens seu forma supernaturalis, quæ excedit omnem illius subiecti exigentiam & capacitatem: id quod ordinariè prouenire solet ex altiori perfectione eius formę supra omnia alia accidentia, quæ sunt eidem subiecto proportionata, seu connaturalia. Quæ omnia vide ibi deducta fusiùs. Hinc igitur ad punctum præsens dico, nec leuissimam posse excogitari repugnantiam in possibilitate alicuius amoris Dei v.g. adeò perfecti, adeóque excedentis entitatem amoris naturalis eiusdem Dei, vt planè sit extra capacitatem hominis, ideóq; fieri non possit absolutè nisi Deo diuinitus eumdem hominem eleuante ad talis actus productionem. Quod dico de amore Dei, debet dici eodem modo de alijs actibus virtutum, de fidei assensu, de spe beatitudinis, de amore castitatis, &c. siue interim possint esse alij actus minùs perfecti, & connaturales subiecto circa illa eadem obiecta, siue non: quod, vt dixi, Tomo quinto discutiendum erit.

Secundò supponendum hanc doctrinam non esse intelligendam præcisè de actibus quoad modum supernaturalibus; vt sunt suscitatio mortuorum, restitutio visus cæco; quæ dicuntur supernaturalia, cùm tamen possint fieri per eamdem numero actionem, quâ anteà illi homini & vita & visus conseruabantur. Loquimur ergo de actibus virtutum, qui ex suâ intrinsecâ entitate & essentiâ eam habeant supernaturalitatem, dicunturque & verè sunt supernaturales quoad substantiam, iuxta ea quæ fusiùs citata disp. 3. primi Tomi dicta sunt. De possibilitate ergo talium actuum non dubitandum. Quæstio igitur tota tandem in eo consistit, an de facto re ipsâ dentur tales actus in substantiâ, an solùm in modo supernaturales tam ex parte intellectus quàm ex parte voluntatis.

Sectio II.

Sententia negans eos dari de facto examinatur.

2. *Antiqui docent omnes actus meritorios esse in substantiâ naturales.*

Satis inter antiquiores Scholasticos communis sententia fuit, actus omnes meritorios, etiam vitæ æternæ, quos in hac vitâ elicimus, esse in substantiâ suâ naturales, imò eosdem posse esse successiuè malos: agentes enim in specie de assensu fidei, dixere nonnulli eumdem numero, qui, quando existit verè reuelatio, est assensus fidei diuinæ, potuisse existere non existente eâ reuelatione: quo casu esset assensus falsus. Pro hac doctrinâ solet citari Scotus; de cuius mente fusè P. Suarez cap. 4. ostendens, ab eo non negatas vniuersaliter omnes formas supernaturales, nam saltem respectu agentium admittit multas tales, maximè visionem beatam & gratiam habitualem; quam fortè ideò solet vocare naturalem subiecto, quia est illi bona: quo sensu res ad quæstionem de nomine reducitur. Nihilominùs tamen circa actus nostros liberos ostendit Suarez eum negasse veram supernaturalitatem illis essentialem, seu illos esse quoad substantiam supernaturales. Citatur etiam pro eâ sententiâ Gabriel in 3. dist. 23. quæst. 2. art. 1. Ockam quodlib. 3. quæst. 7. Palud. in 3. dist. 23. quæst. 3. & Almainus ibidem, Durandus ibi quæst. 6. num. 8. & ex Thomistis Capreolus in 1. disp. 17. quæst. 1. art. 3. ad argumenta Aureoli contra primam conclusionem, circa medium, Caietanus 2.2. quæst. 171. An autem D. Thomas idem senserit, dicam inferiùs. Horum auctorum fundamentum, quatenus inter se conueniunt, videtur esse duplex: vnum, quòd non sit necessaria talis supernaturalitas substantialis in actibus meritorijs; nam sine illâ potest explicari aliter tota ratio meriti: alterum, quòd nec videatur possibilis. Pro primo argumento recurrunt ad varios modos, quos statim examinabimus: pro secundo verò sic obijciunt Primò: Actus in substantiâ supernaturalis non potest fieri à potentiâ naturali, alioquin iam non supernaturalis, sed naturalis esset: atqui actus nostri meritorij non solùm à nobis fiunt, sed etiam liberè: ex quo etiam capite adhuc magis videtur repugnare, talem actum fieri à gratiâ seu à principio supernaturali, quia illud traheret ad se voluntatem, & consequenter adimeret libertatem voluntati. Quòd si dicatur potentia eleuari simul cum habitu infuso, facilè id reijcitur; tum quia habitus ille esset potentia dans simpliciter posse, tum quia potentia naturalis solùm concurreret instrumentaliter ad tales actus: id quod repugnat potentiæ vitali, maximè liberæ; nam instrumentum vt tale ab alio mouetur, ergo non habet propriam libertatem. Hoc argumentum nullius prorsus efficacitatis est, & procedit ex malâ intelligentiâ vel terminorum vel modi quo principia supernaturalia concurrunt cum potentiâ naturali.

Horum auctorum fundamentum duplex.

Dico ergo, quòd actus sit supernaturalis, non magis obesse eius vitalitati, libertati, & influxui potentiæ in ipsũ, quàm si purè putè esset naturalis. Pro quo puncto quoad vitalitatẽ non vtor instãtia P. Suarez, quòd scilicet visio beata ab omnibus dicatur supernaturalis, & tamen vitalis sit, iuxta illud Christi Domini Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum*: hac, inquam, instantia non vtor, quia vita æterna ibi non vsurpatur pro vita seu pro productione physica ab intrinseco, vt fusè ostendi in libris de Anima, probans vitam cognoscitiuam & amatiuam non petere vllo modo productionem ab intrinseco; ostendi autem id euidenter ex ipso Deo, qui sine vlla planè cognitionis & amoris productione felicissimam vitam habet. de quo ibi fusiùs. Hac ergo instantia omissa, assumptum facillimè probo; nam eo ipso quòd Deus voluntati aut intellectui infundat vnum habitũ, vel (ne hæreamus in nomine habitus) vnã qualitatem planè illis indebitam, qua confortentur hæ potentiæ ad operandum, quæque subsit earum potentiarum determinationi, intelligitur perfectè ratio supernaturalitatis in actu; quia nec fit viribus naturæ, nec est naturalis ei subiecto, in quo recipitur; quia ad illum nullam ex se habebat exigentiam, nec capacitatem recipiendi nisi eleuatum à Deo per eiusmodi qualitatem: intelligitur etiam perfectissimè eum actum esse vitalem, quia procedit partialiter à potentia, & in ea recipitur: id quod sufficit ad vitalitatem, de qua nunc agitur. Denique eum actum posse esse libe

3. *Nostra sententia. Supernaturalitas vitalitati, libertati & influxui potentiæ non obest.*

Probatur nostrum assumptum.

Digitized by Google

liberum eodem modo ostenditur; nam illa qualitas supernaturalis in operando subiecta est omnino potentiæ, non minùs quàm sint subiecti habitus naturales acquisiti.

Si potentia vitalis concurrat cum alio principio non vitali, actus erit vitalis.

Pro quo aduerte, non esse vllo modo contrarionem actus vitalis aut liberi procedere inadæquatè ab alio principio, quod non sit ipsa potentia vitalis, dummodò hæc simul concurrat: etenim in sententia communiori species visiuæ v.g. vel (vt ponamus exemplum, quod ab omnibus conceditur) species memorariuæ intellectuales concurrunt ad cognitionem, quæ tamen non ideò desit esse vitalis. Item omnes ferè admittunt habitus naturales acquisitos saltem in voluntate, qui simul concurrunt cum potentia, nec ideò actus sic productus desijt esse & vitalis & liber.

Durandus non admittit concursum generalem Dei immediatè.

Denique saltem concursum generalem Dei immediatum omnes admittunt (excepto Durādo;) & tamen licet Deus sic concurrens non sit ipsa potentia voluntaris & intellectus, non propterea actus non est vitalis, & liber.

Instantia.

Et hæc instantia habet maiorem nunc vim, quia declarat magis, quomodo, etiamsi Deus non iuuet nostras potentias naturales per qualitatem aliquam infusam, sed per suum auxilium intrinsecum, non tamen tollat libertatem aut vitalitatem; vt enim Deum esse paratum ad concurrendum generali concursu non obest his duobus conceptibus libertatis & vitalitatis, ita Deum esse paratum ad concurrendum altiori modo quàm debeatur naturaliter, non obest eisdem conceptibus.

Obiectio

Quòd si obijcias, Potentiæ secundùm se, seu solæ, non possunt eos actus facere, ergo non est in potestate earum eos facere, ergo non sunt liberæ; redargueris eodem exemplo de concursu generali; nam potentiæ sine eo concursu, seu solæ, non possunt facere tales actus, ergo non est in earum potestate eos facere, ergo non sunt liberæ:

Responsio.

respondebis esse liberas, quia quòd ipsis deest paratus est semper Deus ad eis præstandū; est enim paratus semper ad concurrendum; si hoc, inquam, dixeris, optimè respondebis; ego tamen inde eodem modo respondebo, Deum esse paratum ad concurrendum supernaturaliter nobiscum, ac proinde, supposita hac volitione, quæ præcedit omnem nostram operationem & occasionem operandi, iam esse in nostra potestate efficere eos actus supernaturales; item esse in nostra potestate liberè nos ad illos determinare; quia Deus illum concursum parauit indifferentem, & vt determinandum à nostra voluntate: de quo fusiùs in Physicis dum de concursu generali; omnia enim ibi dicta de naturali sunt applicanda ad concursum supernaturalem, qui in suo ordine etiam est generalis.

4.

Aliqui non bene probant supernaturalitatem non esse contrariā libertati.

Vbi aduerto minùs benè nonnullos inde probare supernaturalitatem actus non esse libertati contrariam, quia actus charitatis patriæ est supernaturalis, & ejusdem speciei cum illo, qui fit liberè in viâ: aduerto, inquā, id minùs benè probari, tum quia longè minùs certum est charitatem viæ & patriæ esse eiusdem speciei, quàm quòd liberus actus non impediatur per supernaturalitatem eiusdem: non debet autem res certior per minùs certam persuaderi, tum quia in ea probatione iam supponitur actus amoris saltem in patria esse supernaturalis; hoc autem negabitur ab aduersarijs, qui vniuersaliter in nullo actu nostro agnoscunt supernaturalitatem.

Respondetur argumento.

Iam ad argumentum suprà positum negatur antecedens; cuius falsitas ex dictis constat. Ad illas verò duas obiectiones, quòd scilicet ille habitus infusus esset potentia, non habitus, respondeo, fieri ibi quæstionem de nomine: si enim nomine habitus intelligatur ille qui dat simpliciter posse, haud dubiè non erit habitus; si verò solùm intelligamus qualitatem non connaturalem subiecto, nec ei annexam, dicimus eum esse habitum. Vbi obserno, ab aliquibus ideò negari eos habitus esse potentiam, quia præsupponunt proximum principium operationis, potentiam scilicet, quam informant, & iuuant ad operandum. Quæ ratio, licet res reducatur ad voces, non habet locum hîc; nam in sententia horum qui ea vtuntur, omnes potentiæ distinguuntur ab anima; quæ tamen concurrit etiam immediatè. Ecce intellectus distinctus supponit proximum principium partiale, in quo recipitur, seu quod informat & iuuat ad operandum, & tamen dicitur vera potentia; ergo non debet diuersitas inde desumi; sed res est parui momenti: si vox *habitus* non placet, concede qualitatem aut elevationem aliam intrinsecam Dei; & per eam habeo actus supernaturales in substantia, vt intendo.

Allens in substantiā supernaturalis potest fieri à potentiā naturali.

Malè dicitur, potentiā naturalem tantùm instrumentaliter ad talem actum concurrere. Auctores variè sumunt causam instrumentalē.

Quòd de causa instrumentali dicitur, habet etiam æquiuocationem in nomine: variè enim accipitur causa instrumentalis à diuersis auctoribus; quidam pro causa non influente immediatè, alii pro causa, quæ determinatur ab agente principali, v.g. ferra ab eam mouente; iuxta quas acceptiones negamus intellectum esse causam instrumentalem. Aliter ergo vsurpatur causa instrumentalis pro ea quæ indiget comprincipio superaddito indebito, vtpote, quæ non habet virtutem ex se adæquatam; quo sensu admittimus libenter eam esse instrumentalem: at paulò antè probaui euidenter, ex hoc capite seu ex hac ratione causæ instrumentalis nec libertati nec vitalitati detrimentum vllum prouenire.

Quod verò ad primum argumentum attinet, non facilè hi auctores explicant, quomodo actus in substantia naturales possint esse proportionati præmio supernaturali: ideò breuiter tangendæ eorum sententiæ; nam licet omnes saltem vocibus conueniant in hoc, quòd à gratia proueniat modus ille supernaturalis; in determinanda tamen entitate, in quo ille modus consistat, summè inter se differunt.

Sectio III.

Duæ explicationes eius sententiæ.

5.

Prima sententia ait productionem esse supernaturalem, etsi terminus productus sit naturalis. Reijcitur.

Prima docet productionem illius actus esse supernaturalem, etiamsi terminus productus naturalis sit. Pro qua doctrina refertur Caietanus Tomo 1. Opuscul. Tract. 3. de potentia neutra quæst. 2. Hæc tamen sententia manifestè reiicitur, quia licet contingat sæpè actionem esse supernaturalem respectu termini naturalis, vt in conseruatione accidentium sine subiecto in Eucharistia; ad saluanda tamen loca Scripturæ & Patrum, quæ de gratiæ necessitate loquuntur, planè videtur ea actio impertinens: deinde est planè inconsequens ad argumenta paulò antè pro his auctoribus facta. Hoc secundum ptiùs ostendo clarè, quia vel illa actio supernaturalis procedit à voluntate vel non: si procedit, ergo iam potest potentia naturalis & libera influere in actum supernaturalem, contra ea quæ hi suprà obiicie-

Digitized by Google

obiciebant: nam si in eorum argumentis aliquid est difficultatis in hoc puncto, maximè in actione ipsâ locum habet, quia per illam producitur terminus; & in eâ magis propriè est libertas.

Scriptura & Patres requirunt gratiam propter eam ipsam productam.

Quòd verò ea sententia sufficiens non sit, ostenditur etiam facilè, quia Scriptura & Patres gratiâ requirunt non propter actionem, sed propter rem ipsam productam, nempe ob ipsum amorè, ob ipsum seruare præcepta, &c. hæc autem omnia non in actione, sed in ipsâ qualitate amoris, fidei, spei, &c. consistunt. Præterea Scriptura promittit beatitudinem amantibus, credentibus, &c. ergo si per actionem naturalem fiat idem amor & idem actus credendi, esto modus non sit supernaturalis, erit idem meritum: quod est absurdissimum; nec potest responderi eos actus non acceptari ad præmium, nisi fiant ex gratiâ: etenim si facti sine illâ sunt in se tam boni, quia sùt idem numero, cur, quæso, non acceptabuntur? Respondebis ideò, quia non dignificantur à gratiâ. Sed *contrà*, quia hæc iam est diuersa sententia à præcedenti; nam dignificatio diuersum quid est à productione: etenim dignificatio fieri potest per solam inhærentiam gratiæ in subiecto, etiàm immediatè non influat in actus ipsos: hanc tamen dignificationem paulò pòst reijciam.

Suarez hanc sententiam impugnat.

In hanc eamdem sententiam insurgit P. Suarez, eò quòd habitus supernaturales sint per se infusi, nec possint naturaliter à creaturâ ipsâ acquiri; differunt enim ab habitibus naturalibus etiam quando hi sunt per accidens infusi; vt in Adamo & Christo: quo casu solùm erant supernaturales in fieri, seu quoad productionem; ergo actus procedentes ab eis habitibus per se infusis debent etiam ex se & naturâ suâ esse diuersi à naturalibus, ergo ex se supernaturales, non autem ex solo modo, seu per accidens: id quod confirmat, quia Scriptura videtur loqui de actibus charitatis, vt de per se infusis in nos per Spiritum sanctum.

6. Suarez argumentum non videtur efficax,

Hoc argumentum ego non censeo efficax, quia si dicatur cum Caietano actionem esse supernaturalem, dici consequenter debet, requiri principium vetè supernaturale propter illam; illud autem erit per se infusum: neque enim est necessum in eo genere correspondere principium termino, sed actioni. Quod in confirmatione dicitur de infusione charitatis potest fortè magis propriè de solis habitibus explicari, quia *infundi* non videtur denotare actum liberum à nobis ex propriâ determinatione factum; præterquam, quòd cùm in ea sententiâ verè illi actus infundantur, etiamsi tantùm ratione actionis, & Scriptura nihil dicat, vtrùm per se, an per accidens sint infusi, non potest inde deduci solidum argumentum; eò igitur omisso, sufficiant contra eam explicationem quæ dictæ à nobis sunt: ea etiam magis reiicietur infrà rationibus vniuersalibus contra omnes hos modos explicandi supernaturalitatem.

neque eiusdem confirmatio.

Secunda sententia totam supernaturalitatem desumit ex dignitate personæ per gratiam elevatæ. Probatur.

Ergo secunda sententia sit, quæ totam eam supernaturalitatem desumit ex dignitate personæ per gratiam elevatæ: id quod declarari potest ex alterâ sententia admittente actus in substantia supernaturales; nam omnes illam tenentes fatentur actus supernaturales, fidei v. g. factos à peccatore Catholico esse eiusdem rationis cum actibus fidei factis à iusto; & tamen in hos ob dignitatem personæ sunt illi actus meritorii de condigno, at in peccatore solùm de congruo; ergo eamdem differentiam possumus admittere, esto actus solos naturales concedamus.

Reijcitur.

Hæc doctrina multò minùs admitti potest; nam, iuxta illam, nulla planè esset differentia inter actus naturales meritorios & non meritorios, antequam homo esset in statu gratiæ sanctificatis; nam eo tempore nulla penitus esset dignificatio personæ: & maioris claritatis gratia loquamur de homine infideli, qui disponitur ad fidem, hic nullum habet habitum intrinsecum seu dignificantem magis quàm si non esset eleuatus ad gratiam; voluntas verò extrinseca Dei parati ad concurrendum cùm illo non facit personam dignioretem, & tamen tunc potest efficere actus disponentes ad fidem, qui non possunt fieri sine gratia, vt Concilia passim definiunt, & suprà vidimus contra Pelagium & Semipelagianos; ergo dependentia eorum à gratia non est ratione dignificationis personæ, sed quia ipsi actus natura sua sunt altioris ordinis, & pendent à principio supernaturali; ergo differunt illi in entitate sua à naturalibus, ergo sunt in se supernaturales.

7. Reijcitur hæc sententia Secundò.

Secundò ea sententia reiicitur, quia, iuxta illam, nullum actuale auxilium gratiæ requireretur ad totum meritum vitæ æternæ: quod manifestissimè est contra Concilia, Scripturam & Patres, semper tales vires gratiæ exigentia. Probatur autem sequela, quia in primis propter efficientiam eorum actuum non requireretur (vt hi supponunt;) propter meritum etiam non esset necessarium tale auxilium, sed sufficeret, si Deus infunderet gratiam habitualem aut habitus fidei, spei, &c. dignificantes: si ad hos velis recurrere, hi autem non sunt auxilium gratiæ, quia in tua sententia ad nihil efficiendum iuuant: id verò sine dubio est contra Scripturam: *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis*: &: *Sine me nihil potestis facere*: & illud: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*: &: *Dominus Deus aperuit mihi aurem*: &: *Perditio tua Israël: tantummodò in me auxilium tuum*: & vniuersim omnia Scripturæ loca & Conciliorum multò magis requirunt auxilium hoc gratiæ quàm dignitatem personæ.

2. Cor. 3. Ioan. 15. Thren. 5. Isaiæ 10. Osee 13.

Soluitur instantia de actu meritorio solùm de congruo in peccatore.

Ad instantiam pro ea sententia allatam de actu meritorio solùm de congruo in peccatore, qui in iusto est de condigno, respondeo facilè inde nihil probari contra nos, quia ille actus est supernaturalis & constitutus in eodem ordine cum præmio, & consequenter quantum est ex se proportionatus, si non impediatur per peccatum, & è contrario perficiatur per gratiam: at naturalis actus non habet eam nec quidem remotam proportionem, quia est inferioris ordinis, ideóque per gratiam non potest eleuari.

Nostra sententia perfectè satisfacit Patribus & Conciliis.

Adde, Cùm gratiæ necessitatem inferamus nos ex Scriptura, Conciliis & Patribus, & ad illos actus etiam in peccatore non minùs requiramus auxilia gratiæ quàm ad eosdem in iusto, ideò nos satisfacere perfectè eis auctoritatibus (quidquid dicamus de merito congruo aut condigno;) at in sententia, quam impugno, non possunt vllo modo explicari quæ de auxilio gratiæ docet fides ad credendum, sperandum, &c. vt ostensum est; ergo ea instantia non est ad rem.

SEC

Sectio IV.

Aliæ explicationes negantis sententiæ reijciuntur.

8. *Tertia sententia constituit supernaturalitatẽ solùm in dignitate ab extrinsecâ denominatione.*

HInc reiicitur clariùs tertius modus dicendi, qui constituit eam supernaturalitatem solùm in dignitate ab extrinseca denominatione desumpta, ex eo quòd Deus hominem destinauerit ad finem supernaturalem: etenim si significatio intrinseca, quæ verè est significatio, non sufficit, vt ostensum est, multò minùs sufficiet ea extrinseca, quæ impropria est, nec reddit hominem in se meliorem aut amabiliorem.

Reijcitur. Primò.

Secundò, quia eam destinationem extrinsecam iam Scriptura, Concilia & Patres supponunt erga omnes homines; & tamen vltra illam requirunt gratiæ auxilia ad bene operandum, &c. Ex quo capite longè efficaciùs reiicitur hæc explicatio quàm præcedens; nam dignitas intrinseca à gratia aut habitu prouenies non est communis omnibus; poterit ergo meritò ea de nouo peti à Deo, vt à Sanctis petitur; at dignitas extrinseca iam est certa in omnibus, iuxta illud Pauli 1. Tim. 2. *Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Secundò.

Tertiò.

Tertiò, quia ea dignitas extrinsecæ eleuationis etiam admittebatur à Pelagio & Semipelagianis, qui sine dubio admittebant, hominem esse ad vitam æternam acceptatum; & tamen errarunt, negando necessitatem auxiliorum non solùm ad facilius, sed ad simpliciter posse; ergo actus ipsi sunt in se tales, qui non possint fieri sine viribus superadditis, ergo in se formaliter supernaturales.

Quarta sententia ponit subnaturalitatem in esse quodam morali. Reijcitur.

Sit ergo Quarta aliorum sententia, qui dicunt supernaturalitatem consistere in esse quodam virturis seu in esse morali. Verùm hæc vno verbo reijcitur, quia vel ea ratio moralis seu virtuis est intrinseca omnibus illis actibus naturalibus eo ipso quòd existant; ergo semper erunt supernaturales: vel ad aliud esse prouenies ex diuersâ denominatione recurritur, & tunc oportebit explicare quæ sit illa forma denominans; & relabetur hæc sententia in vnam ex duabus præcedentibus. Ad hanc impugnationem vno verbo, in vnam reducitur quidquid fusè contra eamdem sententiam Suarez congerit cap. 7. à num. 10.

Reijcitur Vasquez.

Ibidem Suarez reiicit sententiam Patris Vasquez de auxilio congruo, quòd scilicet ea opera dicantur supernaturalia ob gratiam, quam Deus præstat dando auxilium congruum, cùm posset dare pure sufficiens. Verùm contra hanc sententiam latis supra à nobis actum, quâ parte talia auxilia vocat veram gratiam; nam absolutè etiam admittit Vasquez alios actus supernaturales vere: nunc duobus verbis dico eam non posse sustineri, si omnem supernaturalitatem per eam gratiam congruam velit explicare; nam, eodem modo deberet in eâ dici, omnem actum honestum fidei in hæretico ex quocumque motiuo esse supernaturalem non minùs quam in Catholico: quod tamen est contra omnem modum loquendi Conciliorum ac Patrum. Secundò sequeretur nos habere simpliciter & absolutè potentiam naturalem non solùm ad simpliciter, sed etiam ad facilè & facillimè viram æternam promerendam; nam (vt suprà fusiùs ostendi) etiam ille, qui de facto non conuertitur, potuit, & verò sæpè etiam suauiùs & facilius conuerti, quàm ille qui de facto conuertitur exercendo generosum actum, quo difficultatem grauem superat. Tertiò, quia in eâ sententiâ deberemus dicere, omnia talia opera esse ex se essentialiter & in omni statu etiam puræ naturæ supernaturalia; etenim ea dependentia ab auxilio congruo, vt scilicet numquam sine illo fiant, est essentialis omni bono operi, in quocumque statu homo constituatur; ergo si illud auxilium est gratia vera & supernaturalis, erunt ex se & ex sua essentia illa opera in omni casu supernaturalia; quod est absurdissimum; nam per hoc destruuntur omnia omnino naturalia bona. Quartò, quia in eo sensu etiam opera indifferentia, quæ Vasquez admittit, per quæ vitari potest peccatum, vel aliquod bonum physicum acquiri, egent eodem modo auxilio congruo, ergo dicentur ratione illius supernaturalia: quod falsum omnino est. Sed de hac sententia satis, vt dixi suprà.

9. *Vltima sententia ponit entitatem quandam modalẽ intrinsecam dignam gratiâ. Variè potest explicari.*

Vltima esse potest, quæ ponit entitatem quandam modalem, intrinsecam tamen ipsi actui, ob quam requiratur gratia, & quæ in se sit supernaturalis; potest autem ille modus variè explicari, vel vt consistat in maiori intensione actus, vel in maiori duratione, vel in maiori facilitate, quo actus fiat; vel potest poni diuersus in quolibet actu, v. g. in actu fidei, vt sit maior certitudo, in actu amoris, vt sit super omnia, &c. vel denique potest fingi vnus, qui nec sit duratio, nec intensio, sed quædam perfectio ex se eleuans actus ad ordinem supernaturalem.

Reijcitur.

Verùm neque hæc sententia sustineri vllo modo potest: & quidem quod de intensione & duratione maiori dicitur apertè falsum est; nam actus supernaturales in quacumque intensione aut duratione sufficiunt ad salutem: neque Scriptura, Concilia aut Patres requirunt vnquam gratiam propter talem modum, sed absolutè propter substantiam credendi, sperandi, amandi, &c. Denique, cùm iuxta communem verámque sententiam gradus intensionis sint homogenei, certè si primi sint naturales, secundi etiam necessariò erunt. Quòd si dicas, secundos esse specie diuersos & in se supernaturales, iam non facient intensionem cum prioribus, sed erunt actus per se omnino distincti, quos nos dicimus esse supernaturales. Duratio item, quia in multorum sententia non est quid distinctum, non potest esse modus supernaturalis; dein, esto distinguatur, eiusdem rationis erit secunda cum prima; quia sicut productio actus est naturalis, ita duratio illius est naturalis. Quod de facilitate dicitur multò magis displicet. Primò, quia Concilia expresse definiunt, gratiam non solùm dare facilè, sed simpliciter posse, ita vt sine illa non possimus; ergo actus non solùm quoad facilitatem, sed absolutè sunt supernaturales. Denique in Philosophia efficaciter ostenditur, facilitatem non esse modum tenentem se ex parte ipsius actus (vt voluit Vasquez), sed esse denominationem extrinsecam, prouenientem à potentia per habitum magis in actu primo propensa ad actum secundum, & minùs in eumdem influente; ergo hic modus supernaturalitatis debet reduci ad denominationem extrinsecam, quæ in tertia explicatione suprà est impugnata.

Concilia & Patres non propter modũ credendi, sed propter substantiam requirunt gratiam.

Facilitas actus non est modus.

sed denominatio extrinseca.

Quod de diuersitate modorum in qualibet specie actuum dicitur, facilè reiicitur: etenim certitudo in fide nihil est aliud quàm ipse assensus seu ipse actus: deinde tanta sæpè solet esse in actu naturali

Digitized by Google

naturali quàm in supernaturali; vt in hæretico credente tam certò per actum naturalem mysterium Trinitatis, quàm ego illud credo per supernaturalem. Tertiò, vel ille modus certitudinis est aliqua tendentia intentionalis in obiectum; & tunc erit proprius actus cognitionis distinctus ab primo, & in suâ substantiâ supernaturalis: vel est aliqua entitas quasi mortua ibi adhærens; hæc autem sicut nec sentitur à credente, ita nec potest esse certitudo; hæc enim percipitur ab ipso homine; nec Scriptura pro solo eo modo, sed pro substantiâ actus gratiam requirit. Deniq; vel producitur ea certitudo ab intellectu, vel à gratiâ solâ: si primum dicatur, certè omnia argumenta, quæ suprà facta sunt ad probandum, supernaturalem actum non posse à potentia fieri, ob quæ auctores hi negarunt tales actus, eamdem omnino habent vim contra talem modum; ideóque gratis ad has angustias reducuntur, satiúsque illis esset actus hos in substantia supernaturales admittere: si verò dicatur secundum, scilicet illam certitudinem à solo Deo vel à solo auxilio gratiæ produci, parum id videtur posse hominem iuuare ad merendum plus aut minùs. Deinde, vel ille modus à solo Deo est annexus certo alicui actui naturali bono, & sic omnes habebunt eam supernaturalitatem; quod falsum est, vt & ipsi aduersarij fatentur: vel Deus aliquibus illum addit, aliquibus non; tunc autem poterit contingere vt ex duobus æqualiter ex se benè operantibus vnus mereatur, alter non, eo præcisè, quòd noluit Deus vni concedere eum modum quem alteri concessit: id quod maximum est absurdum, quia & Deus esset acceptor personarum, & aliunde non esset in potestate hominis benè operari in ordine ad salutem, quia non posset eam supernaturalitatem efficere, esto ex se adniteretur quantum posset.

Etiam alij modi speciales in alijs actibus voluntatis positi reijciuntur.

His argumentis reijciuntur etiam alij speciales modi positi in aliis actibus voluntatis; vt quòd amor sit supra omnia: etenim *vt supra omnia* debet esse ipsa essentia actus præferentis Deũ omnibus rebus creatis. Deinde Scriptura & Concilia pro ipso amore petunt gratiam. Tertiò, si ille modus procreatur à voluntate, iam non habent vim argumenta aduersariorum, &c. Denique modus ille superadditus innominatus ac solùm in quadam perfectione consistens eodem modo reiicitur, quia in primis inexplicabilis est. Secundò, quia nec per illum satisfit Scripturæ & Conciliis. Tertiò, quia vel est connexus omni actui bono; & tunc omnes actus erunt supernaturales; vel solùm producitur à Deo in eo subiecto quod ipse vult; & tunc relabimur in incommoda paulò antè tacta circa modum certitudinis; ergo non potest vlla probabilitate per hos modos explicari necessitas gratiæ.

SECTIO V.

Vera sententia.

II. *Ab auctoritate ferè hæc tota difficultas decidi debet.*

PRo eius probatione supponendum est, punctum hoc ferè totum sola auctoritate decidendum; etenim cùm gratiæ & visionis notitiam non nisi ex sola auctoritate acceperimus, nec possimus in seipsis eas qualitates ponderare, vt eas cum actibus naturalibus comparemus, ac vt dicere valeamus, *Hic actus habet proportionem cum gratiâ, ille verò non*, debemus necessariò recurrere in hac materia ad auctoritatem, eamq; eligere sententiam, per quam facilius, clarius, & maiori cum consequentia explicentur omnia, quæ in puncto gratiæ ex Scripturâ, Conciliis & Patribus colliguntur, additis etiam postea congruentiis aliquibus ad id ipsum magis confirmandum ac declarandum.

Actus meritorij vitæ æternæ sunt in substant. à supernaturales.

Hoc supposito, CONCLVSIO nostra vniuersalis sit: Actus qui sunt proportionati ad vitã æternam promerendam siue de congruo absente gratia habituali, siue remotè per modum dispositionis, siue de condigno, quando per eamdẽ gratiam dignificantur, sunt in sua entitate & essentia supernaturales, ideóque specie vel etiam genere à naturalibus diuersi; nec potest vnus idemque numero transire à naturali in supernaturale, aut è contrario, siue illi actus sint voluntatis, siue intellectus, ac deniq; siue sint actus Theologici habentes Deum pro obiecto formali, siue quãcumque aliam honestatem moralem. Hęc sententia ita

Est inter Scholasticos iam cõmunis.

est inter Scholasticos communis, quidquid sit de antiquorum mente: Suarez suprà c. 5 refert Conradum, Bannez, Viguerium, Canum, Azorium, &

Aliqui eam iudicant de fide esse.

alios: quorum aliqui iudicant illã esse vel de fide, vel ita certam, vt contrarium sit erroneum: quidquid verò de censura sit, eamdem omnes Societatis scriptores tradidẽre, Suarez suprà, Molina, Vasquez, Tannerus, Granados, & alii; qui in materia de gratia passim & vbique supponunt dari tales actus supernaturales; namlicet aliqui (vt Vasquez) opinentur etiam actus naturales bonos factos ab homine iusto esse meritorios de condigno gratiæ (de quo nos fusè infrà) nihilominùs admittunt, posse fieri alios diuersos in se omnino supernaturales; & ferè nullum concedũt actum virtutis naturalis, cui aliquem supernaturalem respondentem non admittant; & verò è contrario admittunt aliquos supernaturales, quibus nullum naturalem respondentem concedunt. Eamdem sententiam expresè tradidit D. Thomas 1. 2. q. 62. art. 1. & q. 63. art. 3. & 4. ibi quidem quoad virtutes Theologicas, hic autem quoad morales; eo verò art. 4. expresè dicit virtutes naturales & nobis proportionatas (agit maximè de actibus) non conducere, nisi vt homo benè se habeat in ordine ad res humanas; per infusas autem seu supernaturales benè se habere hominem, quatenus est ciuis Sanctorum, seu quatenus ordinatur ad beatitudinem supernaturalem.

Ita. Est hæc sententia etiam D. Thomæ.

Obijcitur D. Thomæ.

Obiici potest ex 2. 2. q. 171. art. 2. ad 3. vbi D. Thomas videtur docere Prophetiam esse in substantia actum supernaturalem, diligere verò Deum & cognoscere eum in speculo creaturarum esse quid supernaturale quoad modum. Respondet Suarez, à D. Thoma non vocari substantiam actus ipsam eorum entitatem, sed genus commune cognitionis & amoris.

Respondet Suarez.

Ego hanc explicationem difficilem iudico, ob ea quæ ipse Suarez sibi ibidẽ obiicit; & quia non videtur esse ad mentem D. Thomæ eo loci: faciliùs ergo eum explico ponderãdo de qua re ibi disputaret sanctus Doctor; agebat ergo, an daretur habitus Prophetię, sicut datur habitus gratiæ, charitatis, fidei, &c. pro quo sic obiecerat in tertio argumento: *Prophetia computatur inter gratias gratis datas; sed gratia est habituale quiddam in anima; ergo etiam Prophetia.* Pro solutione verò huius difficultatis vtitur iis argumento sed contrà hac doctrina, quòd non detur habitus nisi ad actus, quos possumus quando volumus facere, Prophetiam autem esse quid

Obiectio soluitur.

Digitized by Google

transiens, ideóque non esse habitum. Ex hac doctrinâ D. Thomæ eo articulo intelligo ego quid respondeat ad tertium, & quid intendat, dū dicit, dilectionē esse solùm quoad modum supernaturalem, Prophetiam verò etiam quoad substantiā; scilicet, Prophetiam esse ita supernaturalem, vt etiā supposito ordine gratiæ sit miraculosa; quasi diceret eam dupliciter miraculosam; ideóq; non admittit pro eâ habitum, quia non potest fieri ordinariè ab homine quando vult; at dilectionem dicit esse supernaturalem solùm in modo, hoc est in primâ eleuatione, quæ cùm constans sit, dat nobis vires ad eos actus, ita vt iam non iudicentur miraculosi. Colligo autem manifestè hanc explicationem inde, quia alioquin pro intento D. Thomæ. an scilicet detur habitus pro actu Prophetiæ, fuisset pessima ea ratio, quòd scilicet ille actus sit in substantia supernaturalis, si, vt sonat, intelligeretur; nam potiùs probaret cōtrarium: quò enim ille magis esset in substantia supernaturalis, eò magis indigeret habitu vt fieret; & è contrario eò minùs dilectio indigeret habitu, quò minùs quoad substantiam esset supernaturalis: ergo sensus D. Thomæ solùm est ille, quem ego tradidi: & solus ille facit ad intentum ipsius eo articulo; inde autem nihil infertur contra sententiam, quam defendimus, vt explicatum est. Conster ergo D. Thomam pro hac nostra sententia manifestè stare, neque vmquam admittere actus naturales esse proportionatos ad finem supernaturalem, sed semper ad hoc requirere alios diuersos & altioris ordinis. Quod notandum est pro his quæ inferiùs trademus, probantes etiam in homine iusto actus naturales nō esse meritorios gratiæ.

Explicatur D. Thomas.

13. *Probatur S. Augustini, Patrum & Conciliorum testimonijs.*

Hæc sententia suadetur omnibus illis testimonijs Augustini, Patrum & Conciliorum, quibus suprà fusè ostendimus, sine gratia posse viribus naturæ fieri actus bonos, qui tamen non sint proportionati ad salutem; inde enim manifestè infertur, Ergo illi, qui sunt proportionati, & qui exigunt gratiam vt producantur, debent esse diuersi à naturalibus, & consequenter in substantia supernaturales. Vt enim fusè deducam infrà disp. vlt. sect. 2. quòd auxilium sit gratuitum, non auget, sed potiùs minuit valorem actus, si non faciat actum in se nobiliorem; qualis est actus in substantia supernaturalis. Secundò idem suadetur ex particula illa *sicut oportet ad salutem*, quam sæpissimè in hac materia vsurpant Concilia & Patres; per quam ostendunt esse alios actus, qui possint fieri sine gratia, eò quòd non sint prout oportet ad salutem.

Probatur Secundò ex particulâ sicut oportet ad salutem.

Ratione probant aliqui.

Probari etiam solet hæc sententia, quia, vt attingatur obiectum supernaturale, debet esse actus supernaturalis, ergo. Verùm hanc probationem non esse efficacem sæpissimè dixi, & in quintum Tomum remisi eius refutationem; nunc illud hoc, non esse vniuersale hoc argumentum; nam fidei obiectum formale ex conceptu suo non est supernaturale: Dei enim veracitas naturalis est reuelatio item seu locutio Dei etiam ex conceptu suo naturalis est: deinde actus moralium virtutum, vt misericordiæ, iustitiæ, temperantiæ, &c. non habent obiecta ex se supernaturalia; ergo saltem pro his non essent necessarij actus in se supernaturales; ergo hinc non sumitur argumentum bonum pro nostra sententia.

Melius probatur.

Melius ergo sic probatur, quia videtur esse de fide, infundi in iustificatione habitus charitatis, fidei & spei, item non amitti habitum spei & fidei per quodlibet peccatum mortale: dein dari alios habitus infusos morales, est iam omnino inter Scholasticos certum; atqui eiusmodi habitus non dantur ob alium finem, nisi vt possint producere actus supernaturales sibi proportionatos; nam in ordine ad actus naturales non sunt necessarij tales habitus; ergo debemus admittere actus in substantia supernaturales.

Non quouis mortali amittitur habitus fidei & spei.

Dices, In hoc argumento à nobis committi vitiosum circulum; etenim dum agitur de habitibus infusis, probatur eorum necessitas ex actibus supernaturalibus, quia hi petunt principium sibi proportionatum; in præsenti verò probamus dari actus supernaturales, eò quòd habitus supernaturales dentur, quia non videntur ordinari ad aliud quàm ad eiusmodi actus. Respondeo admittendo aliquam quidem esse quasi circularem probationem, non tamen vitiosam; quia quando actus probamus ex habitibus, agimus contra eos, qui admittunt habitus, negant actus; cùm verò è contrario habitus ex actibus, agimus contra eos, qui negant habitus, admittunt actus, ideò argumentamur ad hominem contra illos. Absolutè verò probamus à priori actus ex habitibus, habitus verò ex Scriptura; itē actus probamus ex ordinis æqualitate cum præmio, & tunc inferimus etiam dari habitus pro illis.

14. *Obiectio.*

Solutio.

Absolutè à priori probatur actus ex habitu, habitus ex Scripturâ.

Congruentia optima est, quam dixi suprà à D. Thoma insinuari ea q. 63. 1. 2. ad 4. quæ simul est ratio à priori: Non habent actus naturales ex se proportionem vllam cum præmio supernaturali, vtpote qui in inferiori ordine sunt, & ex natura sua non habent vim causandi aliquid supernaturale; nam licet effectiuè possit res naturalis à Deo eleuari ad producendum aliquid supernaturale, in ordine tamen ad meritum id videtur repugnare; nam causalitas meritoria consistit in bonitate ipsius operis, ratione cuius placet Deo, allicíque illum ad præmiandum: hæc autem bonitas non augetur per solam Dei extrinsecam volitionem aut acceptionem; ideò etiamsi ipse velit intuitu seu in præsentia talium operum dare rē supernaturalem, v. g. gloriam, &c. non tamē propterea dabit per modum præmij, sed ex pura liberalitate, requirendo tamen conditionem aliquam improportionatam. Vt si Rex diceret alicui, Quoties spueris aut fricueris barbam, dabo tibi mille aureos; sanè non daret id per modum præmij, sed purè liberaliter, petita vna conditione omnino improportionata.

D. Thomæ optimam congruentiam insinuat.

Ratio à priori est improportio actus naturalis ad præmium supernaturale.

Simile.

Respondebis, argumentum conuincere manifestè, per solam acceptionem extrinsecam Dei non eleuari opera naturalia ad meritum supernaturale: at non ostendere, cur si persona dignificetur intrinsecè à gratia, reddatúrque grata Deo, non possint tunc etiam dignificari opera naturalia ad præmium rei supernaturalis, Id quod declaratur facilè ex ipsa gratia informante hominem; nam licet homo secundùm se non petat amicitiam supernaturalem Dei, neque habeat ius vllum in præmium supernaturale, attamen eo ipso quòd informetur gratia, iam redditur ipsa entitas naturalis hominis Dei amica dignáque æterna beatitudine; ergo etiā actus ipse naturalis bonus, licet secundùm se nihil mereatur de præmio supernaturali, si tamen dignificatur gratia, poterit esse meritorius præmij supernaturalis. Sed contrà, quia licet hæc solutio videatur reddere probabilem sententiam eorum, qui dicunt opera etiam naturalia bona infidelium esse meritoria de condigno augmenti gratiæ

15. *Obiectio.*

Solutio.

Digitized by Google

gratiæ (de quo infrà fusè dum de merito;) at absolutè sustineri non potest; nam, vt & suprà dixi, etiam antequam homo dignificetur vllo modo per gratiam, potest esse meritum congruum, & dispositio ad ipsam gratiam; vt est in actu fidei, in attritione de peccatis, imò in ipsâ contritione: nam licet hæc habeat annexam de facto gratiam habitualem, priùs tamen naturâ quàm hæc detur, habet iam rationẽ meriti de congruo; in eo autem priori non potest ea dignitas desumi ex gratiâ, ergo debet ex natura operis ipsius: id autem non potest intelligi, si actus sit naturalis; ergo debet esse supernaturalis: si verò semel tales actus concedimus ante gratiam, meritissimè eos concedimus etiam post infusam gratiam; & tunc eos dicimus esse meritorios de condigno, quidquid de naturalibus in gratia factis dicturi simus postea.

Si semel concedantur actus supernaturales ante gratiam, benè concedentur etiam post infusam gratiam.

Hæc est tota probatio horum auctorum; nec video vnde maior possit à nobis de eorum existentia haberi certitudo: possumus autem sic efformare ex dictis argumentum hoc: Certissimum videtur posse esse tales actus ex sua maiori & nobiliori perfectione excedentes naturalẽ capacitatẽ hominis & Angeli (vt ostensum est manifestè suprà respondendo omnibus argumentis in contrarium factis:) atqui suppositâ eorũ possibilitate, negare nemo prudens poterit longè clariùs explicari Scripturam, Concilia & Patres, si eos admittamus; longè item consequentiùs discurri ad rationem præmij supernaturalis; item meliùs intelligi necessitatem auxiliorum gratiæ; ergo debemus eos de facto admittere, quia semper eas vias in Theologia & Philosophia debemus ingredi, quæ clariores nobis reddunt difficultates, & magis docent nos seruare consequentiam doctrinæ; maximè quando nulla ratio est, quæ in contrarium vllo modo possit obstare, vt verè in præsenti nullam esse ostendimus suprà.

Si actus in substantiâ supernaturales admittitur, clariùs Scriptura, Concilia & Patres explicantur.

Sectio VI.

Deciduntur facilè ex dictis aliquot quæstiones.

16. DIXI suprà, ex præcedentis quæstionis resolutione ferè omnes huius materiæ difficultates pendere; quod iam ostendo breuiter eas insinuando.

Svbsectio I.

Duæ priores expediuntur.

An ad credẽdum in Deũ sicut oportet sit necessaria gratia diuina reuelationis.

PRIMA quæstio, quæ hîc à Vasquez, Suarez & aliis communiter tractari satis fusè solet, est, vtrùm ad credendum in Deum sicut ad salutem oportet sit necessaria gratia diuinæ reuelationis. Difficultas hæc in vno sensu nulla est, in altero decidetur facilè ex dictis: pro qua supponimus, peŗse loquendo, ad salutem necessarium esse credere mysterium Trinitatis, incarnationis, & quòd Deus sit remunerator in cælo: quæ veritates, quia ex creaturis cognosci non possunt, necessariò debuerunt reuelari; vnde siue gratia reuelationis sit mihi immediatè facta, siue alteri, à quo ego ea mysteria audio, certum est, me ea non cognoscere nisi interueniente reuelatione Dei: vt enim aliquis eorum terminorum apprehensionem formet, necessum est illum ab aliquo eos audire; quia, vt dixi, naturaliter homo in eorum notitiã venire non potest: ea autem propositio est reuelatio quædam pro me, ea etiam est gratia Dei; quia beneficium est Dei, quòd homini proponantur ea mysteria; éstq; illud indebitũ naturæ. Et hanc gratiã etiam agnoscit Pelagius, imò eam solam fatebatur: est item talis ea gratia, vt non præsupponat meritũ ex parte hominis; quia cùm initium meriti sumatur à fide, impossibile est ante illam reuelationem, quæ prior est fide ipsa, vllum dari meritum: opera enim naturalia, quæ aliquando præcedere possunt, non habent rationem vllam meriti in ordine ad finem supernaturalem, vt contra Semipelagianos docuêre Concilia & Patres: de quo alibi: in hoc ergo sensu quæstio non habet difficultatem.

Hanc gratiã agnouit etiã Pelagius.

Hæc gratia non præsupponit meritum ex parte hominis

Alius sensus esse potest, an, vt ego credam ea mysteria actu proportionato ad salutem, indigeã diuina gratia: hæc autẽ decidetur facilè ex dictis; nam cùm ostenderimus, actus naturales esse improportionatos ad salutem, necessum est, vt ea fides proportionata sit supernaturalis; eo autẽ ipso necessarium erit auxilium gratiæ supernaturale pro illo actu. Specialiter autem est definita veritas hæc in Tridentino sess. 6. cap. 5. & can. 1. & 3. traditur etiam à Leone I Papa Epistola 84. ab Innocentio I. Epist. ad Episcopos African. est 25. apud Augustinum; desumitur autem ex Scriptura multis in locis; ex Paulo Epistola ad Romanos sæpè, ad Ephesios 2. 1. ad Corinth. 4. ex Christo Domino Ioan. 6. & 15. Denique in hanc sententiam conspirant omnes Patres & Scholastici contra Pelagium & Semipelagianos; etiamsi Scholastici aliqui varient in explicanda supernaturalitate eius actus: id quod iam à nobis decisum est in præcedentibus.

Alio sensu soluitur quæstio.

Desumitur hæc veritas ex Scripturâ. Est omnium Patrum ac Scholasticorum.

Secunda quæstio, quæ in præsenti discuti solet est, vtrùm voluntas ipsa credẽdi sit ex gratia. Pro quo aduerte, eo ipso quòd actus fidei sit in se obscurus, & intellectus careat libertate, nõ posse se ad illũ determinare, sed indigere volitione aliqua ipsum determinante ad credendũ, quæ vocari solet pia affectiõ: rursus, cùm hæc sit actus volitionis, debet præsupponere cognitionem aliquam interiorem, qua dirigatur, & quæ sit planè prima in ordine salutis: quòd si contingat casus, in quo aliquis se disponat ad credendum per alia bona opera moralia facta ex gratia (vt Cornelio Centurioni Angelus dixit, *Eleemosynæ tuæ*, &c.) tunc difficultas præsens trahetur etiam ad illud primum bonum opus, & ad cognitionẽ, qua illud dirigitur; quæ tunc erit omnium prima in genere salutis.

Secũda quæstio, an ipsa voluntas credendi sit ex gratia.

Vt intellectus in actu fidei determinetur, requiritur pia affectio. Pia affectio præsupponit cognitionem qua dirigatur Act. 10.

17. His ergo suppositis ex præcedenti sectione, constat necessarium esse ad id actum supernaturalem, quia (vt ibi ostendimus) naturalis est omnino improportionatus; & quidem gratiam esse necessariam tam ad ipsum initium fidei, quàm ad credulitatis affectum, est expresè de fide, definitum in Arausicano can. 5. *Si quis sicut augmentum, ita etiam incrementum fidei, ipsúmque credulitatis affectum*, &c. idem etiam ex Tridentino sess. 6. can. 6. vbi docet, ante liberum motum in Deum & ante conceptam ex auditu fidem debere homines excitari diuinâ gratiâ: eodem autem loco Arausicanum paulò inferiùs expresè definit, fidem, quâ in Deum credimus, non esse naturalem his verbis: *Qui enim fidem, quâ in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesiâ Christi alieni sunt, quodammodò fideles esse definimus.*

Soluitur Secũda quæstio.

Difficultas hæc dupliciter intelligi potest.

Multa mysteria non cognoscuntur sine reuelatione.

Digitized by Google

Vbi Concilium loquitur non de idololatris, sed de his, qui vnum Deum verum credunt, vt Iudæi, hæretici, &c. in quibus agnoscit actus fidei naturales bonos; eos tamẽ supponit ibi planè esse ad salutem impertinẽtes; ergo illi qui sunt vtiles debent esse supernaturales & ex gratiâ. Idem colligitur ex eodem Concilio can. 7. vbi vniuersaliter docet, & consensum volũtatis in res fidei, & ipsum credere, esse donum Dei, & fieri non posse absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti.

Scotus docet contrarium.

In contrarium stat Scotus in 3 dist. 25. q. 2. docens, ad credendum vel non esse necessariam vllam volitionem positiuam, sed sufficere, si positiuè non contradicat voluntas, vel certè sufficere volitionem naturalem; nam potest aliquando actus ex se bonus imperari ab actu malo; ergo volũtas credendi poterit imperari ab actu peccaminoso, v. g. vanæ gloriæ; ergo à fortiori potest ab actu bono, etiãsi naturalis sit. P. Suarez suprà c. 3. n. 15. excusat Scotum, vt solùm sit locutus de homine iam habente fidei habitũ, & assueto credere: in quo accidere potest, vt ex humano tantùm motiuo applicetur ad considerandas res fidei, & tunc eliciat actus supernaturales fidei ex vsu & habitu, etiamsi non habeat in voluntate peculiarem affectum supernaturalem. Quam doctrinam ibi P. Suarez approbat, obiter rem tangens; ego tamen non puto eam posse consequenter ad eiusdem Patris Suarez diuersa principia defendi, ac præterea loca Conciliorum non posse sufficienter per eam explicari.

P. Suarez excusat Scotum.

18

Ostenditur Scoti sensus à Suario non posse sustineri.

Pro quo aduerte, eumdem, vt probet contra quosdã modernos in manuscriptis non solùm affectum credendi ex fide viua seu ex Deo super omnia dilecto, sed etiam illũ, qui est ex fide mortuâ, esse supernaturalẽ, vti verbis Arausicani can. 7. vbi sic habetur: *Si quis per naturæ vigorem bonũ aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare vt expedit, aut eligere, siue salutari, id est euangelicæ prædicationi, consentire posse confirmat absq; illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suauitatem in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio dicentis, Sine me nihil potestis facere*, &c. Iam ego hinc sic argumentor: Concilium non magis in hoc testimonio loquitur de primo actu fidei supernaturalis, quàm de secũdo & tertio, imò vniuersaliter de omni; quia verba sunt generalia, & auctoritas Christi Domini, quâ vtitur, etiã est generalis: Concilium enim dicit, *aliquod bonum cogitare*; quod tam comprehendit secundam cogitationem quàm primam: verbum item Christi, *Sine me nihil potestis facere*, non magis denotat primum facere, quàm secundùm, tertium & quartum; ergo si ex hoc testimonio infertur, necessariam esse volitionem credẽdi ex gratiâ pro primo actu, eodem modo debet inferri esse necessariam pro secundo & tertio.

Ex Concilij auctoritate, quâ vtitur Suarez, ipse oppugnatur.

Responsio pro Suario.

Respondebis fortè, Concilium non dicere nisi præcisè necessariam esse gratiam Spiritus sancti pro ipso actu fidei, hanc autem interuenire, etiam quando Catholicus secundo & tertio credit; nam etiam tunc influit in illum actum fidei principium supernaturale, scilicet habitus ipse intellectualis fidei. Sed contrà, quia totum hoc posset dici in primo actu fidei, etiamsi ad eum non concurreret supernaturalis pia affectio. Ego enim non ago iam de gratiâ concurrente ad ipsum actum fidei, sed de volitione ad illum determinante aut prærequisita.

Reijcitur.

Respondebis Secundò, Concilium agere de eo actu, per quem quis consentit prædicationi, quo denotatur solus primus actus. Sed contrà, quia licet aliquando designet eum actum, vniuersaliter tamen loquitur, vt ostendi ex verbis ipsius & testimonio Christi, quo vtitur.

Alia responsio. Soluitur.

Respondebis Tertiò, quando quis anteà non credidit, non posse primò credere, nisi se applicet per voluntatem; quæ, vt sit proportionata, debet esse supernaturalis. Sed contrà euidenter; & hinc ratione etiam quasi à priori reijcio totam sententiam; nam necessitas piæ affectionis in primo assensu non oritur vllo modo ex eo quòd sit primus, sed ex eo quòd obiectum est in se obscurum & insufficiens ad mouendum intellectũ, nisi hic impellatur; vnde è contrario in assensibus euidentibus, etiamsi primi sint, non indiget intellectus vlla determinatione aut pia affectione voluntatis; atqui totam quantam obscuritatem, quam habuit obiectum in ordine ad primũ assensum, retinet in ordine ad secundum & tertium; non enim per primum assensum est factum clarum obiectum fidei; ergo eodem modo in secundo dependebit intellectus à pia determinatione voluntatis sicut in primo; ergo si ob hanc causam prima volitio fuit supernaturalis, etiam erit secunda.

Tertia responsio.

Argumentum quasi à priori, quo tota sententia reijcitur.

19

Vrgetur fortiùs, eamdem esse indigentiam primi actus fidei quàm secundi.

Secundò principaliter argumentor: Quia sicuti primus actus fidei est ex se id, in quo radicatur primum meritum vitæ æternæ; ita secundus est id, in quo radicatur augmentum vitæ æternæ; ergo sicut ob eamdem causam debet ad primum assensum fidei præcedere pia affectio supernaturalis, ita similis debebit præcedere ante secundum actum fidei. Patet consequentia, quia non minus est donum Dei quidquid causat augmentum vitæ æternæ, quàm quidquid causat initium illius; vnde Concilia eodem modo definiunt augmentum esse ex gratia, quo initium; imò Arausicanum, quasi esset certius augmentum esse ex gratia magis quàm initium, dixit can. 7. *Initium esse ex gratiâ sicut est augmentum.* Ergo non possunt loca Conciliorum commodè explicari per eam doctrinam. Igitur absolutè dicendum est contra Scotum, semper ad actum supernaturalem fidei debere præire piam affectionem supernaturalem; quia id est magis conforme Concilijs, & Patribus, ex quibus præcipuũ sumimus in hoc puncto argumentum. Congruentia etiam ea est satis bona, quòd cùm obiectum fidei semper sit obscurum, & ex se non sufficienter determinans intellectum, indiget hic præmotione voluntatis proportionata actui, si actus fidei est naturalis, naturali, si supernaturalis, supernaturali; per quod iam non disputo, vtrùm simul cum actu supernaturali honesto imperante assensum fidei possit simul interuenire aliquis actus malus, qui impellat; de quo alibi; est enim ea difficultas disparata cum hac; nam eo casu iam haberet intellectus sufficiens & proportionatum determinatiuum, alterum verò solùm esset ex superabundantia, vnde nihil inde nec contra conclusionem positam, nec contra rationem illius: at si talis actus non sit, non possumus Concilia saluare, nec discurrere consequenter, vt ostensum est. Quod verò Scotus dicit, intellectum ad eum assensum non indigere volitione determinante, aut illam posse esse naturalem, iam est reiectum. Quod de effectu vanæ gloriæ imperante assensum fidei obijciebatur, iam est explicatum, quo pacto possit admitti, scilicet ex superabundantia.

Semper ad actum supernaturalem fidei præit pia affectio supernaturalis.

Non valet Scoti instantia.

Vana gloria affectu imperatur aliquando fides ex superabundantia.

Vrge-

20. Obiectio.

Vrgebis tamẽ, Intellectus positâ propositione fidei, & paratо auxilio supernaturali, habet quidquid necessum est vt assentiatur; cur ergo, si anima se determinat ad eum assensum per actũ naturalẽ, non poterit tunc intellectus operari? Respondetur Primò. Respondeo Primò, argumentum etiã esse pro primâ determinatione. Secundò. Respondeo Secundò negando antecedens: etenim, sicut quando datur cognitio solùm naturalis, communiter docent omnes, non posse animam vi illius amare illud obiectũ actu spirituali, etiamsi possit materiali; item, quando est sola propositio naturalis, non posse fieri amorem supernaturalem, etiamsi verè iam anima sciat quid sit amandum: rationem autem reddimus, quia illud determinatiuum debet esse proportionatum actui; ita etiam eodem modo nunc dicimus, si nõ sit volitio supernaturalis proportionata fidei actui, non esse omnia quæ necessaria sunt vt producatur talis actus.

Replica. Replicabis, Ergo Christus habens scientiam supernaturalem per se infusam non poterit per actum naturalem determinare se ad vsum illius; Respondetur. quia etiam tunc non erit proportionatum determinatiuum. Respondeo negando consequentiam; nam species illæ seu habitus scientiæ infusæ est clarius; & semel excitatâ specie, sine vllo actu voluntatis determinante potest operari; ea autem excitatio potest fieri à re inferioris ordinis; vt patet in nobis: nam species spirituales excitantur in nobis sæpissimè ex humoribus materialibus & alijs de causis; at assensus fidei est obscurus, & ex se difficilis, ideò intellectus debet immediatè determinari per imperium ei actui proportionatum. Et satis de hoc puncto.

SVBSECTIO II.

Sex sequentes difficultates expedita.

21. An fide naturali credi possint mysteria reuelata. Potest motiuum supernaturale attingi actu naturali.

INTER quas Prima, ordine verò Tertia, quæ hîc tractari solet, est, vtrùm possint absolutè fide naturali credi mysteria reuelata: de quâ fusè Pater Suarez toto cap. 1. Ego duobus verbis me ab eâ expedio; quia enim superiùs supposuimus, vt futiùs Tomo 5. disp. 13. probandum, etiam supernaturale motiuum posse attingi actu naturali, vt in hæretico credente actu naturali idem quod nos supernaturali; ideò non censeo ampliùs hîc hærendum, maximè cùm in hoc puncto omnes ferè Scholastici conueniant, & Araujicanum suprà citatum id ipsum satis apertè insinuet, dum simul nostram fidem dicit esse supernaturalem, & simul in his, qui fideles non sunt, vtique fide supernaturali, admittit naturalem fidẽ, vt eo citato loco ostendemus. Vide Suarez suprà n. 3. vbi varios citat auctores. Addo nunc, eam fidẽ naturalem posse habere totam certitudinem ratione motiui, quã habet supernaturalis; quia (vt suppono) potest habere idem omnino motiuum; tunc autem necessum est, vt eãdem ab eo habeat certitudinem: differentiam verò inter actũ supernaturalẽ fidei & naturalẽ in solo hoc consistere, quod naturalis, quantum est ex parte suæ entitatis, potuit existere, etiãsi re ipsâ non extitisset illud motiuum quod attingit, & consequenter potuit esse falsus; actus verò fidei supernaturalis talis est, vt essentialiter illi repugnet falsitas, nõ præcisè ratione motiui: nam omne motiuum, seu omne obiectum est tale, vt circa illud possit versari actus summè infallibilis: id quod cõmuniter auctores non benè consideraunt: vt patet in scientia Dei, quæ quantumuis versetur circa summè contingentia, habet tamen summam infallibilitatem. Igitur tota certitudo actus fidei supernaturalis inde desumitur, quòd ex sua essentia ita respicit reuelationem Dei actu existentem, vt non potuisset existere, nec quidem diuinitus, nisi reuelatio existeret; seu, quod idem est, quia est essentialiter verus: id quod non habet, vt diximus, naturalis, etiamsi idem tangat motiuum.

Differentia inter actum fidei naturalem & supernaturalem. *Actus supernaturalis fidei numquã potest esse falsus.* *Certitudo fidei desumitur ex reuelatione Dei actu existente.*

Quoad certitudinem item adhæsiuam constat experientia posse hæreticum actu naturali tam firmiter adhærere suæ hæresi, aut etiam veritati alicui Catholicæ, quàm huic adhæreat Catholicus; quomodo autem ponendo hunc actum naturalem fidei non incidamus in sententiam Semipelagianorum suprà ostensum est, dum de operibus bonis naturalibus egimus. *Hæreticus potest adhæsiuâ certitudine actu naturali firmiùs adhærere alicui veritati quàm Catholicus.*

Illud circa hoc punctum quæritur, an possint per actus naturalis fidei credi omnia mysteria. Respondeo, duplex esse posse hoc dubium; vnũ, an id possit fieri sine vlla gratia: & huic respondendum est, moraliter non posse; sicut suprà diximus, posse quidem vnum aut alterum bonum opus fieri, & vnum aut alterum præceptum seruari, non tamen totam legẽ impleri sine auxilio gratiæ specialis: idem dico in præsenti quoad credẽdas omnes veritates reuelatas. Alter sensus, seu alterum dubium est, an id posset fieri per actus in sua entitate & substantia naturales. Et in hoc puncto mihi videtur extra controuersiam posse id fieri, Pone enim v. g. hæreticum, qui solùm erret in puncto Communionis sub vtraque specie, profectò hic actu naturali credit omnia alia mysteria, hoc vno excepto: quis autem dubitet, etiã circa hoc vnum posse esse actum naturalem, & esto ille tunc mutata sententia crederet etiã hoc, non continuò ex eo capite futuram fidem supernaturalẽ? Ergo possunt omnia mysteria per actus purè naturales credi. Et verò sat est probabile etiam de facto in Catholico credente per actus supernaturales omnia mysteria, etiam dari actus fidei naturalis circa omnia illa, vt benè docet P. Suarez eo cap. num. 22. & sequentibus. *Non possunt sine vllâ gratiâ moraliter credi omnia mysteria fidei.* *Per actus in substantiâ naturales possent credi omnia mysteria fidei.*

22. An, & quale auxiliũ gratiæ requiratur ad sperãdum sicut oportet.

Quarta difficultas moueri solet, vtrùm ad sperandum sicut oportet diuinas promissiones sit necessarium auxilium gratiæ; & quale illud. Verùm & hæc quæstio ex dictis decisa est; cùm enim ostenderimus actum omnem proportionatum fini supernaturali debere esse supernaturalem, sequitur, spem, vt sit ad eum finem proportionata, debere esse supernaturalem. Id quod suadetur omnibus definitionibus Conciliorum, Scripturæ, &c. quòd scilicet nihil possimus facere ex nobis sine gratia; specialiter autem colligitur ex Paulo 1. ad Corinth. 13. vbi illas tres virtutes nominat: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc.* & Psal. 118. *Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.* & ad Romanos 15. *Vt per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Frequentia item sunt multa Scripturæ loca, quibus spes vt donum Dei commendatur: inde in Tridentino sess. 6. cap. 3. definitur, neminem sine præueniente Spiritus sancti inspiratione & eius adiutorio posse credere & sperare sicut oportet. Quòd verò actus ille non solùm sit supernaturalis quoad modum, sed etiam in substantia, constat ex vniuersali definitione in hoc puncto superiùs à nobis tradito: imò cùm spes ex se sit adhuc nobilior virtus quàm fides, necessum est, vt si hæc est supernaturalis quoad substantiam, sit & illa. *Respondetur spem debere esse supernaturalem.*

Digitized by Google

P. Suarez supernaturalitatem spei nõ bene probat.

P. Suarez cap. 12. fusè rem tractans conatur etiam ex supernaturalitate obiecti,& ex eius absentiâ ostendere illam spem debere esse supernaturalem. Verùm ex quinto Tomo disp. 13. per totam supponimus hoc genus argumenti non esse bonum, quia obiectum supernaturale potest tangi actu naturali: & in particulari de spe idem ibidem ostendemus ex hæretico optante & sperante actu naturali visionem Dei. In absentiâ verò visionis adhuc minorem longè video difficultatem: quòd enim dicat auctor hic, eò quòd præsentia visionis sit supernaturalis,etiam absentiam illius esse supernaturalem, ideóq; non posse nisi per spem supernaturalem amari,mihi nullo modo placet, quia potiùs dicendum videtur contrarium:etenim eo ipso quòd subiectum non nisi supernaturaliter habere possit formam aliquam,certè naturalissimè caret illâ; ergo potiùs carentia est magis tunc naturalis; quia est magis petita à naturâ, eíque debita. Quòd item dicit idem, per actum naturalem non tendere nos in beatitudinem, quatenus bonum est supernaturale, sed sub ratione nostri commodi,satis est à nobis suprà reiectum, quia nec Catholicus sub eâ ratione illam appetit;nam quòd sit supernaturalis non est motiuum amoris; & è contrario potest hæreticus agnoscens eam esse supernaturalem, non minùs illam sub eo motiuo sperare quàm possit Catholicus.

23. Quinta difficultas, quæ posset hîc discuti,est circa actus concupiscentiæ in Deum, vtrùm illi possint esse supernaturales;id negãt P. Vasquez disp. 195. sæpè. Verùm hæc quæstio proprium locum habet Tomo sequenti,vbi de distinctione inter actus naturales & supernaturales quoad obiecta disp.13.per totam; de hac verò quæstione sectione 6. vnde suppono omnino posse dari tales actus,imò eos esse actus spei supernaturalis.

Quid de amore Dei super omnia.

Sit ergo Sexta, quam fusè discutit Pater Suarez eo cap. 14. vtrùm etiam amor Dei super omnia necessariò debeat esse in sua substantia supernaturali, si debet esse proportionatus ad salutem. Verùm tota hæc quæstio iam est à nobis decisa;nam si actus fidei & spei id requirunt, à fortiori id requiret actus charitatis, qui nobilissimus est: & expresè loca superiùs allata ex Conciliis,Scriptura & Patribus de ea dilectione loquuntur. Quòd verò amor Dei supernaturalis non semper in motiuo distinguatur à naturali,in quo valdè hîc laborat P.Suarez, Tom. 5. disp.13.à nobis fusè probandum erit;& reiicienda omnia quæ in contrarium obiici possunt; ideò in eo puncto non censeo nunc defatigandum Lectorem.

Sententia Suarij.

Vbi etiam obiter nota, rursus nouam institui ab eodem quæstionem cap. 15. an omnis amor beneuolentiæ habens pro obiecto formali Deũ, quatenus est Auctor gratiæ, sit supernaturalis, etiamsi talis amor non sit in suo genere perfectissimus; cui respondet,omnino esse supernaturalem. Ego verò hanc quæstionem nullo modo à præcedenti distinctam iudico; nam si supponitur, obiectum supernaturale quà tale formaliter non posse attingi actu naturali, iam eo ipso supponitur, eam beneuolentiam tangentem Deum, quà est supernaturalis Auctor, formalissimè non posse esse naturalem,ideò eam planè omitto;quia in nostra sententia, contrarium principium de diuersitate actus naturalis à supernaturali tradẽte, constat omnino posse esse talem amorem beneuolentiæ naturalem non solùm imperfectum, sed etiam perfectum, seu suprà omnia,saltem ex supernaturalitate obiecti non inferri eius supernaturalitatem; vtrùm autem aliunde repugnet talis amor Dei naturalis dicam eo Tom. 5. disp. 13. sect. 6.

An actus morales distincti à Theologicis sint in substantia supernaturales. Possunt esse sine gratia habituali.

Septimam mouet cap.17.de actibus moralibus à Theologicis distinctis, an scilicet tales dentur in substantia sua supernaturales;quam nos in generali quæstione decidimus; vtrùm autem tales actus possint esse sine gratia habituali in peccatore v.g. fideli,breuiter dico, omnino posse, sicut potest esse actus fidei & spei: quod confirmatur efficaciter ex doctrina generali à nobis tradita, quòd omnes actus ad remissionem mortalis & ad vitam æternam conducentes sint in sua substantia supernaturales. Constat autem ex Scriptura, Conciliis & Patribus sæpè peccatores eleëmosynis,misericordiæ,mortificationis aliarúmque virtutum moralium actibus disponi ad obtinendã remissionem peccati ac iustificationem; ergo tales actus supernaturales possunt esse sine habituali gratia:quo argumento etiam probatur,posse esse ante habitum fidei supernaturalem in homine,qui iam disponitur ad fidem;vbi tamen debet esse supernaturalis aliqua cognitio, qua voluntas dirigatur, insuper auxilium extrinsecum Dei eleuans voluntatem (vt diximus in primo Tomo, agentes,vtrùm concursus habitus luminis gloriæ possit diuinitus suppleri per auxilium extrinsecum:) quam doctrinam extendimus ad hos actus, imò etiam ad actum charitatis, quando per eum homo iustificatur, quia tunc posteriùs natura infunditur habitus. Sed de hoc infrà in materia de charitate fusiùs.

An præter actus virtutum infusarum dentur alij etiam supernaturales,qui gratiam exigant.

Octaua difficultas esse posset,an præter actus virtutum infusarum dentur alij etiam supernaturales,qui gratiam exigant:vbi de donis, beatitudinibus & fructibus disputari solet,vt fusè disputat P. Suarez per 6.capita. Verùm hanc quæstionem nos exactè tractauimus præcedenti Tomo; vbi proprius est illius locus.

SVBSECTIO III.

Vltima difficultas de adimpletione præcepti exponitur.

NONÒ agunt nonnulli de gratia necessaria ad seruanda præcepta supernaturalia. Verùm & hæc quæstio in præcedentibus satis est expedita. 24.

Præceptum supernaturale indiget gratia, vt impleatur. Si actus præceptus sit in substantia supernaturali, opus est in substantia gratia supernaturali; si solùm quoad modum, requiritur gratia supernaturalis quoad modum.

DICO ergo PRIMÒ, Si præceptum sit supernaturale,eò quòd præcipiat fieri actum supernaturalem, sine dubio non posse sine gratia impleri. Id ex dictis clarè constat; vnde, si actus præceptus sit supernaturalis in substantia,requireretur supernaturalis gratia in substantia ad eius impletionem, quia talis actus, etiamsi præceptus non sit, requirit eam gratiam ob supernaturalitatem;ergo eamdem requiret præceptus; nam supernaturalitas illius, ob quam gratia requiritur, non adimitur illi per præceptum: quòd si actus est supernaturalis solùm quoad modum, tunc solùm exiget principium quoad modum supernaturale. Id quod verum est,esto actus ille non sit præceptus,vt immediatè ostendi de actu supernaturali in substantiâ; vnde ratio adimpletionis præcepti mihi videtur impertinens pro puncto hoc de gratiâ requisitâ ad actum illum efficiendũ.

Sententia Caietani.

Vbi nota aliquos, vt Caietan. ad hanc q.109. art.4.docere,sine gratiâ posse non peccari contra talia præcepta: nam si homo careat gratiâ, non

potest

Digitized by Google

potest ea implere, ergo tunc non peccabit non implendo, quæ doctrina vera est, non tamen ad rem; quia tunc non obligat præceptum, sicut etiam non obligat, stultum; nos autem loquimur de præcepto, quod verè actu obligat.

Secundò nota, eumdem Caietanum & alios dixisse talia præcepta quoad modum supernatus talia posse seruari quoad substantiam sine gratiâ, non quoad modum. In hac doctrinâ solùm video errorem in modo loquendi; si enim dicant, substantiâ actus posse fieri sine gratiâ, quia nō est in se supernaturalis, verum dicent re ipsâ, datâ eâ suppositione; quòd si ob hanc solam rationem docent præceptum seruari quoad substantiam, loquentur quidem malè: non enim seruatur substantia præcepti, quando ille ipse modus qui omittitur fuit præceptus: vt si Rex præcipiat alicui, *Veni ad me armatus*, non seruat substantiam præcepti si veniat sine armis; licet arma non sint de substantiâ hominis & aduentus: ratio est, quia iam tunc id, quod in se erat modus respectu rei, est substantia respectu præcepti, quod eam rem simul & modum imperat: malè ergo hi loquūtur, licet (vt dixi paulò antè) quoad rem nihil falsum doceant. Et satis de illorum mente.

25. *Si præceptum non est supernaturale ex parte rei præceptæ, sed ex modo, quia à Deo solo speciali modo impositum est, vt fuêre multa præcepta in lege veteri, tunc discurrendum est sicut de naturalibus bonis operibus suprà diximus; posse scilicet aliqua fieri etiam sine vllo speciali gratiæ auxilio, non tamen omnia; & eodem modo discurrendum, siue tale præceptum sit negatiuum, siue affirmatiuum; nam licet facilius sit ex se non peccare contra negatiuum, quia non requiritur vllus actus positiuus, sed potest id fieri per puram omissionem; quia tamen difficultas implerionis maximè desumitur ex hoc quod obiectum prohibitum attrahit, potest tanta esse in omissione v. g. fornicationis, quanta in actu positiuo imperato efficiendo: vnde quod Guilhelmus de Rubione dixit, neque generalem concursum Dei esse necessarium ad non peccandum contra præcepta negatiua etiam supernaturalia, intelligi debet de concursu immediatè & positiuè influente; quia cùm ibi nullus sit actus, nullus etiam est concursus; per hoc tamen non debent excludi gratiæ præuiæ illustrationis, &c. iuxta minorem aut maiorem tentationem vrgentem, seu difficultatem eius omissionis.*

Guilhelmus quomodo intelligendus.

Suarez docet, etiā præceptum negatiuum supernaturale non posse seruari quā tale sine gratiā.

Vbi aduerte, Patrem Suarez cap. 23. num. 20. docere etiam præceptum negatiuum supernaturale non posse seruari, quatenus supernaturale est, sine gratiâ; ait enim, Licet præceptum negatiuum per solam omissionem per se seruari possit, quia solùm consistit in carentiâ actus, carentia autem naturalis sit, quia est carentia rei malæ, si tamen quis eam carentiam ponere velit, eò quòd actus, cuius est carentia, sit contrarius præcepto supernaturali, non posse sine gratia id præstare.

Deciditur difficultas. Dupliciter potest cognitio oppositionis actus cum præcepto naturali ad omissionem concurrere: Primò, vt directè odia habita.

Ego tamen (ne faciamus quæstionem de nomine) dico dupliciter eam cognitionem oppositionis actus cum præcepto supernaturali posse concurrere ad omissionem; Primò, vt directè sit odio habita: & tunc sine dubio necessarius erit actus positiuus (vt docet P. Suarez;) addo tamen non esse necessarium vt ille sit supernaturalis: in quo non acquiesco huic auctori; nam licet motiuum fugiendi actum sit ea oppositio cum præcepto supernaturali, & consequenter motiuum sit supernaturale, iam tamen diximus suprà posse per actum naturalem illud attingi. Vnde rursus, nisi contingat actum illum omittendū vehementer allicere, & cōsequenter esse grauem tentationem contra eius omissionē, dico non esse necessarium nec quidem speciale auxilium gratiæ pro eo actu naturali volente talem omissionem peccatij debemus enim de eo discurrere, sicut suprà dictum est de opere bonò naturali & fugâ peccati.

26. *Secundò indirectè, vti diximus agentes de purâ omissione.*

Alio modo potest ea cognitio oppositionis cum præcepto supernaturali ad omissionem illam concurrere indirectè, eo modo quo dixi agens de purâ omissione; nam omnis malitia, quæ proponitur in actu omittendo, inclinat in actu primo voluntatem, ne amet illum actum, seu vt omittat; vnde eo loco dixi, etiamsi ea malitia desumatur ex oppositis bonis finibus, quos impedit actus omissus, & qui simul amari non possunt; dixi tamen posse omitti indirectè actum, eò quòd ad vtrumque impediat, quia hominem esse expeditum ad posteà eligendum inter duos bonos fines, melius est quàm esse determinatum ad vnum: ergo potest voluntas indirectè moueri ad omittendum actum, eò quòd nouerit illum esse contrarium præcepto supernaturali, etiamsi actu positiuo illud præceptum non amet; sicut quando eumdem actum putè omittit, eò quòd habet contrarietatem cum præcepto naturali (quòd fieri posse idem auctor alibi admittit) non est necessarium per actum positiuum attingere præceptum illud naturale: ea enim malitia indirectè tunc concurrit, hoc est, vt cognita, non vt expressè odio habita. Et quoad secundum concursum non est maior ratio de oppositione actus cum præcepto supernaturali quàm cum naturali. Et fortè P. Suarez locutus tantùm est de prioti modo influendi.

Probatur voluntatē posse indirectè moueri ad omittendū actum.

An necessitas gratiæ extendatur ad actus externos per talia præcepta imperatos.

Circa eamdem tamen adimpletiōnem præceptorum supernaturalium quæreret fortè aliquis, vtrùm necessitas gratiæ extēdatur ad actus externos per ea præcepta imperatos. De hac P. Suarez fusè toto cap. 24. res tamen meo iudicio est clarissima; ideo vno verbo dico, actus externos, qui possunt esse materia præceptorū supernaturaliū, solùm esse denominatiuè supernaturales, quatenus scilicet debent imperari ab actibus internis supernaturalibus: vt v. g. quando imperatur confessio externa peccatorum, quæ oriri proculdubio debet à dolore supernaturali, vt sit validum Sacramentum: hoc posito,

27. *Actus externus potest sine gratia fieri, quando nō imperatur ab actu supernaturali.*

Dico Primò, actum externum posse sine gratiâ fieri, quando non imperatur ab actu supernaturali; tunc autem posse impleri præceptum quoad substantiam sine gratiâ, vt v. g. præceptum imperans Communionem in Paschate, quia directè non imperat dispositionem supernaturalem, sed externam Communionem, impleri potest volendo per actum naturalem communicare: & verò licet peccaret de nouo quis, si accederet cū conscientiâ mortalis, id tamen non esset cōtra præceptum annuæ Communionis, sed contra naturale præceptum non accedendi indignè ad tale Sacramentum: vnde eodem modo quoad hoc peccaret, si accederet ad Communionem eamdem in peccato, non obligante præcepto Cōmunionis. Quòd si existens in gratiâ habituali accederet ex sola voluntate naturali implendi præceptum, satisfaceret illi, & insuper nouam gratiam acciperet ex opere operato vi Sacramenti. Dixi posse per se sine gratia impleri præceptum tale; nam

Quomodo tale præceptum possit per se impleri sine gratia.

Digitized by Google

aliquando actio externa talis est, vt non possit fieri validè sine actu aliquo interiori supernaturali, vt confessio: non enim est Sacramentum verum confessionis, nisi sit attritio aut contritio; tunc autem non poterit impleri præceptum confessionis sine eo actu supernaturali, & consequenter sine gratia. Quomodo autem, dum præcipiuntur actiones externæ, præcipiantur ab Ecclesia actus interni, dixi fusè suprà in materia de Legibus.

28. *Actus externus præceptus, licet annexũ habeat effectum supernaturalẽ, non requirit vllam gratiã exparte voluntatis ad implendum tale præceptum. Ostenditur exemplo.*

Dico Secundò: Etiamsi actus externus præceptus habeat ex ordinatione diuina annexum aliquẽ effectum supernaturalẽ, vt habent actiones Sacramentorum; si tamen ad valorẽ eius Sacramenti non requiratur ex eadem institutione aliquis actus supernaturalis, vt non requiritur ad validè baptizandum, absoluendum, &c. sufficit enim voluntas naturalis faciendi quod facit Ecclesia; imò, etiamsi peccaminosa sit, adhuc ad valorem sufficit: in hoc, inquam, casu dico non requiri vllam gratiam ex parte voluntatis ad implendum tale præceptum, baptizandi, verbi, gratia, infantem qui periclitatur, vel absoluendi pœnitentem benè dispositum: nam licet illa actio concurrat moraliter instrumentaliter (etiã physicè, si vis, pro præsenti quæstione) ad supernaturalem productionem; id tamen non habet nisi ex Dei voluntate eam eleuantis; vnde tunc ad ipsam causalitatem gratiæ in baptizato v. g. erit concursus supernaturalis à Deo præstitus vi prioris suæ institutionis: ad volitionem tamen conferendi Sacramentum nulla gratia supernaturalis, imò nec auxilium speciale gratiæ per se requiritur, quia ea volitio ex se non habet vllam grauem difficultatem, ratione cuius exigat tale gratiæ auxilium; erit quidem ea volitio conferendi Sacramentum & gratiam fauor & beneficium respectu suscipientis, quia à Deo in bonum supernaturale illius ordinatur, at respectu conferentis per se id non habet.

De dispositione autem in particulari requisitâ ad rectè administrandum & ad suscipiendum quodlibet Sacramentum nihil dico, quia id est extra punctum præsens, & tractatur fusè in locis propriis.

Tractandum nunc videbatur, qualis gratia intra ipsum ordinem gratiæ necessaria sit ad perseuerandum, vitanda omnia mortalia, imò & venialia: sed de hoc partim agendum est infrà in materiâ de Merito; partim actum suprà dum de victoriâ omnium tentationum; iam ad explicandam essentiam ipsam gratiæ habitualis, seu essentiam iustificationis, & ad effectus illius, hoc est meritum nostrum, descendendum erit.

TRACTATVS DE IVSTIFICATIONE.

Dispvtatio XLIII.

De excellentiâ & perfectione gratiæ habitualis.

1. *Quid nomine gratiæ habitualis intelligatur.*

Nomine gratiæ habitualis intelligimus qualitatem quamdam physicam inhærentem animæ, reddentémque nos dignos amicitiâ Dei & vita æternâ: huius existentiam ac perfectionem in præsenti disputatione suscipimus breuiter declarandam.

Sectio I.

Dari talem gratiam probatur auctoritate.

Existere gratiam habitualem à nobis iam definitè nemo dubitat.

Dari eiusmodi gratiam adeò concors est inter Scholasticos omnes sententia, vt multi illorum planè censeant id esse de fide; est tamen in hoc puncto difficultas aliqua, ex cuius solutione tota quæstio breuiter decidetur. De eâ agit eruditè & solidè P. Suarez Tomo 3. de Gratiâ lib. 6. cap. 1. 2. & 3. ea ergo inde desumitur, quòd cùm existentia eiusmodi gratiæ nequaquam possit ratione vllâ naturali persuaderi, neque vllam in nobis eius habemus experientiam, non potest aliunde probari quàm ex solâ auctoritate: atqui neq; in Scripturâ, neque in Conciliis neque in Patribus vlla est eius mentio, ergo non debet constitui: nam Scholastici, si auctoritate Patrum, Scripturæ & Conciliorum destituti sunt, & rationem non adferunt, non videntur sufficere ad inducendam nouam eam entitatem supernaturalem. Quòd igitur non sit vllum fundamentum patet, quia quòd in Scripturâ dicatur sæpè Spiritus sanctus in nobis diffundi, ad nos venire, &c, solùm denotat in nobis produci actus fidei, spei, & charitatis aliarumque virtutum, quibus reddimur sancti, digni præmio æterno, & amicitiâ Dei: de his etiam solis donis agunt Concilia, Arausicanum, Milevitanum ceteráque, quæ de gratia contra Pelagium disputarunt: neque in Patribus alia inuenitur gratia ab eis actibus distincta; nihilominùs dicendum omnino dari eiusmodi gratiam: pro qua probanda & responsione argumenti in contrarium facti multa congeruntur ab auctoribus testimonia ex Scriptura, quæ habent satis magnam probabilitatem; non tamen ita sunt clara, vt responderi eis non possit: pleraq; desumuntur ex eo, quòd Deus dicatur permanere in iustis; id autem non potest intelligi de actibus ipsis, quia hi non sunt permanen

Argumenti contra gratiã habitualem.

Testimonia quæ auctores adducunt licet probabilia sint, possunt tamen eis responderi. Pleraq; inde sumũtur, quòd Deus dicatur manere in iustis.

Digitized by Google

nentes; imò in aliquibus testimoniis in præmium ipsorum actuum promittitur ea permanentia; vt Ioan. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ad Ephesios 3. 1. ad Cor. 3. & alibi homo dicitur templum Dei, id est, in quo Deus permanet. Dixi hæc loca non esse efficacia: vt enim in templum nihil physicum producitur ad hoc, vt dicatur esse habitatio Dei, potiori iure, ex eo quòd Deus hominem diligeret vt amicum, eíq; vt auxilia gratiæ ad nouos actus efficiendos conferret, dici posset idem homo iustus templum Dei, etiamsi nulla esset ei gratia infusa: alia afferuntur, in quibus expresè nominatur gratia; vt, *Iustificati gratiâ ipsius*, ad Titum 3. Verùm ibi solùm videtur intelligi fauor Dei seu liberalitas, quâ nos euehit, vt iustificemur actibus fidei, spei & charitatis ad quod etiam potest applicari, quòd dicamur effici consortes diuinæ naturæ. Ex Patribus affertur Dionysius cap. 2. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ; vbi ait, Primus animi ad diuina motus Dei dilectio est; & addit, dilectionis progressum esse sacratissimam & ineffabilem operationem, quâ diuinus in nobis status efficitur: hic status diuina natiuitas est: Secundò addit, neminem posse operari diuina, qui hunc statũ nõ sit consecutus. Iudico tamen locum hunc esse difficilem, tum quia primus motus noster in Deum non est dilectio, imò ille fortè vltimus est; de dilectione autem, quâ nos Deus diligit, non potest Dionysius explicari, cùm agat de primo motu animæ in Deum; anima autem in Deum non mouetur per ipsum amorem increatum Dei. Deinde dicit Dionysius non posse nos sine eo statu operari diuina: quis autem dubitet, sine gratia habituali (de quâ solâ nunc agimus) multos diuinos seu supernaturales actus elici posse à nobis fidei, spei, attritionis, cæterarúmq; moralium virtutum; vt constat in peccatore Catholico: imò ipsa dilectio Dei super omnia, qui est nobilissimus actus, fieri potest sine gratiâ, licet hæc posteriùs naturâ concedatur. Dionysius autem verbis eis manifestè docet, priùs hominem debere consequi eum statum, quem intelligit Pater Suarez esse statum gratiæ habitualis, quam possit operari diuina; ideò crediderim Dionysium ibi solùm intellexisse nomine dilectionis quemcumq; actum bonum ex gratiâ factum, qui potest saltem implicitè dici amor Dei; per sacratissimam verò operationem, qua diuinus status efficitur, & quam vocat diuinam natiuitatem intellexisse amorem Dei super omnia, quo reddimur vltimò iusti, seu ad iustitiã & amicitiam Dei disponimur; vtrùm ille status consistat in gratia habituali, an in denominatione ex ipso amore & redamatione Dei, non dicit ibi Dionysius: quod verò addit, sine eo statu nos non operari diuina, debet explicari constanter & ordinariè; nam qui est in statu peccati non potest diu seruare legem totam, vt superiùs diximus. Omitto alia loca Patrum, quæ eamdem habere possunt explicationem. Ex Arausicano can. 20. probatur id etiam à nonnullis; ait enim Concilium multa esse in homine bona, quæ non faciat homo, vnde inferunt hi, Ergo præter actus, quos homo facit, debemus concedere donum gratiæ. Respondetur tamen hoc testimonio nihil probari, quia Concilium fortè ibi solùm intellexit dona ad ordinem naturæ spectantia; deinde, quia potest intelligi de inspirationibus & illuminationibus supernaturalibus, quas Deus excitat in homine: licet enim ad eas efficienter homo concurrat, quia tamen non liberè, sed necessariò ab homine fiunt, meritò solent dici fieri à Deo sine nobis. His ergo testimoniis relictis,

Dionysius difficultatem hoc loco pro nobis est.

Quomo intelligendus Dionysius.

Nonnulli probant ex Arausicano:

Hoc tamen testimonium aliter explicatur.

Melius Primò probatur ex concilio Viennen. sub Clemente V. & habetur in Clementina vnica de fide Catholica: in quo vt probabilius defenditur, paruulis in Baptismo infundi gratiam & habitus virtutum; redditur autem ratio, quòd generalis sit efficacia mortis Christi, quæ per Baptisma pariter omnibus applicatur: vbi supponere videtur Concilium, id ipsum omnino fieri in adultis; vnde infert obiter P. Suarez non fuisse vmquam probabile, etiam ante hoc Concilium, negare eam gratiã, quia nullus ex antiquioribus Theologis eam negauit. Et opinio Magistri Sententiarum docentis, charitatem esse ipsum Spiritum sanctũ, statim fuit reprobata. Circa hoc tamen ego non video cur ante ea tempora non potuerit ea opinio esse probabilis; quandoquidem nec vllus Scholasticus contrarium docuit; in Patribus autem & Scriptura, vt dixi, valdè obscurè fuit insinuata. Quoad Magistrum autem dico, illum magis locutum de charitate actuali, qua diligimus Deum, quàm de habitu effectiuo; dicere enim, Spiritum sanctum esse in nobis principium effectiuum amoris, non est vllus error: sed, hoc omisso, iam ad sententiam.

Probatur Primò melius ex Concilio Viennensi sub Clemente V.

Magister Sententiarum docet charitatem esse ipsum Spiritum sanctũ.

Tamen Magister magis de actuali charitate est locutus.

Secundò probatur, & efficacius, ex Concilio Tridentino; quod multis in locis eam veritatem definisse videtur: vnde Catechismus Pij V. auctoritate editus ita explicat Tridentinum; in materia enim de Baptismo ait, *Est autẽ gratia quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœnâ anathematis propositâ decreuit, non solùm per quam peccatorum fit remissio, sed diuina qualitas in animâ inhærens.* Hæc autem valdè est efficax explicatio Concilij; sed illius verba videamus: in primis ergo sess. 5. can. 5. docet in Baptismo conferri gratiam, quæ tollit peccatum, &c. non potest autem id intelligi nec de operibus ipsis, quia hæc non conferuntur in Baptismo, sed summùm sunt dispositiones ad Baptismum in adultis; nec item de gratia extrinseca, non enim dicitur propriè, *Confero tibi meum amorẽ*; *sed Ex amore confero hoc aut illud donum*: cúmq; generaliter ibi Concilium loquatur, debent tã de adultis quàm de paruulis ea verba intelligi. Secundò definit sess. 14. cap. 2. eos, qui cum attritione ad Sacramentũ Pœnitentiæ accedunt, verè iustificari, ea scil. iustificatione, quam anteà definierat sess. 6. c. 4. infusione gratiæ & donorũ: atqui non habet locum tunc sanctificatio per actum charitatis, quia nullus est, ergo per gratiã. Tertiò Concilium vniuersaliter eodem modo accipit iustificationẽ in omnibus locis, quibus de ea loquitur; non enim debemus dicere locutum fuisse æquiuocè: atqui de Adamo definit ea sess. 5. can. 1. fuisse constitutũ in sanctitate & iustitia: quod nec de bonis operibus, nec de extrinseco fauore Dei potest dici; & can. 2. definit, amisisse etiam pro nobis eam iustitiam & sanctitatem à Deo acceptam: atqui sanctitas accepta non est sola Dei extrinseca volitio (vt paulò antè dixi) nec potest restringi ad opera bona; quia ea non eramus per modum hereditatis ab eo accepturi. Quartò definit hominem per bona opera mereri augmentum gratiæ: atqui illud augmentum non potest esse ipsa opera; nam hæc non merentur seipsa; neque item potest esse fauor Dei, quia, vt dixi, iam

3. *Probatur Secundò ex Tridentino.*

Intelligi debet tam de adultis quàm de paruulis.

Concilium loquens de iustificatione vbique eodẽ modo accipit.

Concilium etiam definit hominem per bona opera mereri augmentum gratiæ.

Digitized by Google

iam definierat Concilium, Gratiam, qua reddimur sancti; non esse acceptionem extrinsecam, sed aliquid nobis inhærens & infusum, ergo.

Concluditur, hæc testimonia, etsi non euidentia reddere Suarez sententiam probabiliorē.

Hinc concludo, etiamsi citata testimonia non ita sint clara, vt euidens sit in eis definiri existentiam gratiæ in sensu à nobis suprà proposito, probabiliorem tamen esse sententiam P. Suarez, quæ fuit etiam Vegæ, Bellarm. Valentiæ & aliorum apud ipsum cap. 3. num. 1. & 6. docentium post Tridentinum, de fide esse dari talem gratiam: id quod ex locis vltimò ponderatis, quæ fusiùs apud citatos deducta inuenies, satis clarè colligitur.

Sectio II.

An probetur ratione eiusdem gratiæ existentia.

4.

Ratio D. Thomæ.

Circa rationem, qua, suppositis aliis principiis fidei, probari potest hæc doctrina, nonnulla est difficultas: etenim D. Thom. hîc, iuxta quosdam, sic discurrit quæst. 110. art. 1. Deus non amat creaturam nisi vt bonum: omnis enim amor fertur in obiectum sub ratione boni; ergo à fortiori diuinus, qui ordinatissima est; atqui obiectum creatum non supponitur bonū ante amorem Dei, ergo per hunc accipiet bonitatem: nulla autem alia est quàm bonitas gratiæ; ergo infunditur iustis. Contra hanc multis insurgunt aliqui; quibus satisfacere conatur Suarez cap. 1. à num. 13. Ego circa illam obseruo, si sic proponatur, planè videri ex ea inferendum, creaturam non posse vmquam amari à Deo; nam maior propositio requirit, vt amor inueniat bonitatem in obiecto; minor verò dicit, illam non esse ante amorem diuinum; vnde infertur, Ergo non potest vmquam versari amor circa creaturam. Confirmo & explico; nam bonitas, quæ requiritur ad amorem, non debet esse causata per ipsum amorem, sed debet præ intelligi in obiecto, quia debet cognosci vt mouens ad amorē, seu vt attrahens; atqui bonitas per ipsum amorem producta non potest præcognosci in obiecto vt moueat; ergo non poterit iuxta illam minorem prædicti syllogismi vmquam amor Dei versari circa creaturas. Quòd si respondeas, supponi saltem in obiecto bonitatem naturalem, tunc iam minor erit falsa, & nihil inferetur de productione gratiæ.

Impugnatur ab aliquibus. Eiu cupit satisfacere Suarez. Nobis non placet, nisi aliter proponatur. Probaret creaturam numquā posse amari à Deo. Confirmatur.

Hinc colliges, non bene eam rationem defendi à Patre Suario, esto dicat amorem illum saltem simul natura secum adferre bonitatem pro obiecto: non benè, inquam; Primò, quia, vt dixi, amor requirit prius natura obiectum cognosci bonum; ergo non sufficit, quòd simul ipse amor illud efficiat bonum; Secundò, quia amor ille, cùm eam bonitatē causet in creatura, necessariò debet esse prior natura quàm bonitas illa ab eo causata: omnis enim causa est prior suo effectu.

Ostenditur D. Thomam non benè à Suario defendi.

Respondebis Primò, Etiam aliquando ea, quæ sunt priora natura, non posse esse sine eo quod est posterius; vt Sol sine luce. Sed contrà, quia esto id sit verum, non tamen est ad confirmationem rationis suprà factæ: etenim principium suprà positum in maiori argumenti non dicebat, *Amor non potest realiter existere sine bonitate*, sed, *Amor non fertur ad obiectum nisi vt bonum*: vbi denotatur bonitatem esse motiuum amoris; motiuum autem non solùm simul natura, sed & prius debet esse.

Responsio pro Suario.

Reijcitur.

5.

Respondebis Secundò, Si amor consideretur vt dicens ordinem ad talem personam pro tali tempore, non esse priùs naturâ quàm sit ea bonitas in tali personâ, quia non denominat illam priùs naturâ amatam quàm bonam: quod patet in Deo, in quo velle & facere est idem. Sed contra euidenter, quia amor denominat rem amatam per se ipsum formaliter, sicut visio denominat rem visam per se ipsam formaliter; bonam verò denominat non per se, sed per gratiam seu bonitatem in Petro causatam; ergo sicut amor erga Petrum est priùs naturâ quàm bonitas; omnis enim causa efficiens est prior suo effectu; ita etiam Petrus priùs denominatur amatus quàm habens bonitatem ab amore: sicut visio nostra, quæ simul causat species sui in phantasiâ, quia tamen illæ species posteriùs naturâ producuntur; sine dubio priùs naturâ homo denominatur videns quàm habens species à visione productas. Id quod amplius declaro, ipsam probationem aduersarij in eum retorquendo: etenim licet velle Dei habeat sibi annexum benefacere ad extrà; nihilominùs tamen, maximè in sententiâ huius auctoris; etiam in ipsis actibus liberis benefacere, vt & velle, non est idem formalissimè; sed hoc est prius naturâ, & illud est effectus volitionis; hoc est intra Deum, vtpote eius actus liber, illud verò extrinsecum, vtpote creatura: ideò in eius etiam sententiâ priùs naturâ & causalitate Deus vult operari quàm operetur; vnde infero euidenter, Ergo priùs naturâ denominat subiectum amatum quàm denominet habens bonitatem, licet eo ipso posteriùs natura sit habiturus bonitatem, sicut in priori naturę Solis est exigentia lucis non pro eo instanti, sed pro posteriori naturæ. Constet igitur rationem illam sic propositam non posse defendi.

Alia responsio.

Improbatur.

Oppugnatur Suarez, ex propriâ sententiâ.

Secundò circa eam aduerto, à D. Thom. non fuisse sub illa maiori propositam, sed aliter, *Deus non amat nisi benefaciendo*: quæ propositio est longè alia ab ea, de qua hucusque; non enim in ea dicitur, quòd motiuum amoris debeat esse bonitas in obiecto, sed quòd per amorem ipsum causetur; ex hac autem propositione rectè infertur, *Si Deus hominem diligit vt amicum, ergo benè faciet illi producendo in ipso donum aliquod*: quod non videtur aliud esse posse quàm gratia, ergo. Quæ ratio in bona forma concludit intentum, si vera sit maior, de qua fusè egi Tomo 1. tractans, an, eo ipso quòd Deus aliquem plus amet, debeat illi plura dona dare; ostendi autem meo iudicio clarè, nullo modo esse id necessarium; vnde dixi, etiam in Deo distingui omnino formaliter amorem à beneuolentia & à volitione benefaciendi; ideóque neque videtur ea ratio sic explicata sufficiens esse, vtpote assumens maiorem propositionem falsam.

Quā ratione D. Thom. argumentum optimè concludat.

Melius ergo possemus sic discurrere: Bonitas naturalis hominis non est obiectum proportionatum pro amicitia supernaturali Dei; alioquin etiam homo creatus in pura natura necessariò deberet terminare eum amorem; nam (vt suppono) Deus non potest non complacere in bonitate etiam creata iuxta qualitatem, & (vt sic dicam) iuxta meritum illius. Constat autem etiam apud hæreticos, amicitiam, quam Deus exercet iam circa nos, non esse debitam homini, sed supponere eleuationem altiorem in nobis; ergo ea amicitia debet in homine supponere bonitatem, quæ illam promereatur: hæc autem sola potest esse bonitas gratiæ, quæ reddit nos participes diuinæ naturæ, constituíq; in ordine supernaturali

6.

Ratio melior.

Quòd bonitas naturalis hominis non sit proportionata pro amicitia supernaturali Dei.

Ex supernaturalitate amoris infertur existentia gratiæ habitualis.

Digitized by Google

saltem ergo debemus eam gratiam admittere.

Obiectio. Dices fortè, Amor ille, quo Deus nobis vult dare gratiam, est supernaturalis, & non supponit in nobis vllam bonitatem supernaturalem; ergo ex supernaturalitate amoris non infertur existentia gratiæ habitualis. Respondeo, amorem, quo

Solvitur. Deus vult producere gratiam in homine, non esse amorē amicitiæ supernaturalis; ideò non esse necessum vt præsupponat in homine bonitatem promerentem talem amicitiam. Per illum ergo amorem vult Deus hominem reddere capacem terminandi amicitiam, sicut rusticum v.g qui ob inferiorem statum non est capax amicitiæ cum Rege, non potest Rex amare vt amicum, nisi eum priùs Nobilem reddat: quo casu volitio reddens Nobilem fundabitur quidem in aliquâ bonitate, quam in eo rustico nouit; at non erit amor amicitiæ, sed, vt sic dicam, præparans amicitiam, seu ad illam disponens. Ita Deus assumens pro suo libitu occasionem ex bonitate naturali hominis vult illum eleuare ad statum, in quo eum possit amare vt amicum, non supponit fundamentum amicitiæ, sed illud causat; estque ille amor supernaturalis ratione effectus.

7. *Replica.* Vrgebis, Ergo etiam in statu naturæ Deus debuisset ob eamdem bonitatem naturalem hominis illum disponere ad amicitiam; & sic deberetur homini in omni statu ea amicitia supernaturalis: quod paulò antè vt absurdum reiectum est. Nego consequentiam; non enim ego dixi Deum esse necessitatum ad benefaciendū homini quantum potest, sed ad complacendum in homine quantum ille dignus est. Quæ doctrina non habet difficultatem in meis principiis, quod amare & complacere nō sit formaliter velle benefacere. Id ostendo clarè & breuiter; nam si ponamus duos iustos æquè omnino sanctos, æquè carentes peccatis, vt duos infantes baptizatos; certè quoad amorem amicitiæ & complacentiæ necessariò Deus æquè vtrumque diligit; at in ordine ad amorem benefactiuum in posterum non amat æqualiter vtrumque; quia vnum vult permittere cadere in peccatum, & damnari tandem; alterum verò vult deinde saluare. Ita dico, etiamsi in naturâ ipsâ humanâ carente omni peccato graui teneatur Deus æqualiter complacere in quocumque eam statu producat, quia Deus necessitatus est ad eo modo complacendum in rebus, quo ipsæ sunt dignæ; non tamen continuò tenetur ad benefaciendum vlteriùs æqualiter omnibus: potest enim vel nulli dona alia concedere, vel vni & non alteri, iuxta suum libitum. Et satis ad probandum existentiam gratiæ.

Argumentum verò, quod initio contra illam obiectum est, quasi poneremus illam sine fundamento, sufficienter solutum est, dum satis manifestè à Tridentino positam ostendimus; vnde autem Concilium illam intulerit facilè intelligitur, scilicet, ex omnibus illis Scripturæ locis quæ ad probandam eam gratiæ existentiam afferri solent: nam licet ea non sint adeò clara, vt sola ad faciendam de fide eam opinionem sufficiant, sufficiunt tamen vt Spiritus sanctus per illa induxerit Concilium ad definitionem eius veritatis, vt in multis aliis successu temporis per Concilia factum est. Vel certè occasione errorum huius temporis de iustificatione per solam acceptionem extrinsecam voluit Deus reuelari suo Vicario veritatem hanc per Patres in Concilio legitimè congregatos. Et pro eius argumenti solutione satis.

SECTIO III.

Quanta sit perfectio gratiæ tam respectu aliarum rerum supernaturalium quàm naturalium.

POst existentiam gratiæ probatam, agendum videbatur de eius distinctione ab habitibus fidei, spei & charitatis. Hæc tamen difficultas spectat magis ad sequentem Tomum, vbi de eis virtutibus; ideò illuc eam reiiciendam iudicaui; vbi simul tractabo, quem habeat gratia influxum in actus supernaturales. In præsenti ergo iam occurrit proposita in titulo difficultas de gratiæ perfectione. 8.

Circa primam partem quærimus, an gratia sit perfectissima inter omnes res supernaturales. Respondeo, quoad habitus virtutum huius vitæ nullam esse difficultatem; manifestè enim illos excedit: longè enim perfectius est reddere hominem sanctum & amicum Dei, quàm reddere illum immediatè potentem ad efficiendos actus misericordiæ, iustitiæ, &c. Quoad habitum luminis gloriæ etiam censeo longè probabilius, gratiam esse nobiliorem ob rationem datam; quia illa perfectio luminis, quod possit producere visionem, non est secundùm se comparabilis cum hoc, quod est sanctificare subiectum, maximè cùm etiam illud lumen exigatur à gratiâ. *Gratia superat habitus supernaturales huius vitæ perfectione: est etiam nobilior habitu luminis gloriæ.*

Circa visionem verò beatam maior est difficultas. Suarez suprà cap. 13. obiter rem tangens putat gratiam esse nobiliorem: ego valdè dubito, & contrarium longè probabilius iudico: & in primis id expressè docuit D. Tho. hac 1.2. q. 113. in corpore; vbi hæc habet, *Sed sciendum, quòd aliquod magnum dicitur dupliciter; vno modo secundùm quantitatem absolutam: & hoc modo donum gloriæ est maius quàm donum gratiæ iustificantis impium: & secundum hoc glorificatio iustorum est maius opus quàm iustificatio impij.* Vides absolutè asserentem gloriam esse simpliciter nobiliorem; addit verò statim in quo sensu sit minor glorificatio respectiuè ad subiecti dignitatem: nam magis remotus est impius à gratiâ quàm iustus à visione. Ratio nostræ conclusionis est quia visio est nobilissimus actus excogitabilis; imò dicere probabilissimè possumus, illam esse formam sanctificantem. Confirmatur: Ordinariè loquendo finis est nobilior quàm cætera quæ ad illum ordinantur; atqui gratia omniáque alia dona ordinantur vt ad vltimum finem ad visionem; ergo hæc est perfectior. *Suarez putat gratiam esse nobiliorem visione beatificâ. Contrarium putamus esse probabilius.* *Ratio nostræ conclusionis, quia visio est nobilissimus actus excogitabilis.*

Obiectio. Dices fortè, gratiam non ordinari propriè ad visionem, sed esse per modum essentiæ, ex quâ dimanat visio; sicut in naturalibus ex essentiis dimanant passiones, quæ nō propterea sunt ipsâ essentia nobiliores. *Solutio.* Respondeo hanc solutionem esse satis probabilem, ideóque non iudico argumentum illud esse omnino efficax; ac denique censeo rem esse dubiam; nihilominùs tamen addo satis probabile videri, quòd visio sit quasi vltimus finis gratiæ, ideóque eâ nobilior. Sed gratia in re incertâ defatigamur.

Secunda difficultas esse potest, an gratia aliæque virtutes sint nobiliores ipsâ animæ substantiâ. Hanc quæstionem tetigi variis in locis, maximè To. 1. agens de supernaturalitate; vbi dixi ex supernaturalitate non inferri vllo modo formam esse perfectiorem subiecto, sed purè putè esse perfectio 9. *An gratia & alia virtutes sint ipsâ animæ substantiâ nobiliores.*

Digitized by Google

fectiorem illis accidentibus, quæ naturaliter in eo subiecto esse poterant: vt autem inter accidentia naturalia nullum est longo interuallo æquè perfectum ac est ipsa substantia animæ; ita necessarium nullo modo est, vt supernaturale accidens ad hoc, vt sit perfectius quàm naturalia, sit etiam perfectius ipsâ substantiâ animæ, imò neque æque perfectum vllo modo. Quæ ratio mihi demonstrat iurentum contra eos, qui ex supernaturalitate conantur ostendere gratiam habitus, &c. esse simpliciter perfectiora quàm animæ substantiam. Confirmatur, alioquin deberemus dicere esse maioris perfectionis simpliciter creationem accidentis extra subiectum, etiamsi sit entitas materialis modalis, non vitalis, quàm nobilissimam substantiam Angeli; quod adeò mihi videtur absurdum, vt iudicem delirarurum planè illum, cui si per impossibile hæc optio daretur, *Quid mauis esse, substantia naturalis nobilissima supremi Angeli cum suis omnibus perfectionibus naturalibus; an creatio modalis accidentis extra subiectum?* illum, inquam, deliraturum qui responderet, *malle se esse creationem hanc modalem.* Constet ergo ex ratione supernaturalitatis vt sic nullatenus eum excessum inferri; vtrùm autem ex ipsâ specificâ gratiæ perfectione inferatur, maiorem habere potest difficultatem. Nihilominùs dico (quod & sæpè tradidi) nullo modo esse nobiliorem: quod Primò per similem electionem paulò antè positam declaraui: si enim daretur alicui per impossibile hæc optio, *Quid mauis esse, an nobilissima supremi Seraphini substantia incorruptibilis, cognoscitiua omnium rerum ipsiúsque Dei, & eum potens naturaliter amare, potens illi viri hypostaticè, illúmque clarè videre? an entitas accidentalis gratiæ mortua, corruptibilis, incapacis visionis, ac amoris Dei, ac vllius alterius actus vitalis?* Sanè mihi videtur ne quidem in controuersiam verti posse, quin omnis prudens ratio deberet eligere esse Seraphinum, non verò eam entitatem gratiæ. Cõfirmo ex parte ipsius Dei, qui, si per impossibile deberet reddi impossibilis vna ex his rebus vel natura rationalis, vel entitas gratiæ, non dubium quin mallet vt repugnaret hæc, non verò illa: Confirmo & declaro; nam licet propter gratiam Deus amet hominem, at positâ gratiâ, nobiliori longè modo amat hominẽ quàm ipsam gratiam; hunc enim amat amore beneuolentiæ vt amicum, cui vult suam visionem communicare; gratiam autem neque vt amicam, neque amore beneuolentiæ prosequitur, neque illi seipsum videndum præbet, aut potest præbere; ergo magis absolutè & appretiatiuè amat hominem quàm ipsam gratiam; sicut qui amat alterum ob prudentiam & doctrinam, sine dubio magis absolutè amat substantiam hominis quàm ipsam doctrinam.

Ex supernaturalitate gratiæ non infertur, eam esse anima substantiâ nobiliorem. Conclusio. Gratia non est nobilior anima substantia. Probatur exemplo electionis.

Confirmatur ex parte ipsius Dei.

10. In contrarium stant nonnulli, quibus, licet formidolosè, assentitur P. Suarez cap. 13. n. 12, ea potissimùm ratione moti, quòd non repugnet rem ex se in genere inferiori constitutam, vt est gratia quatenus accidens, excedere rem altioris ordinis, id est substantiam: quod si semel verum sit, credibile valdè inquiunt esse, id conuenire de facto gratiæ: ob quam dixit Petrus, *Maxima & pretiosa nobis promissa donauit; vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* Afferri etiam potest in confirmationem D. Thomas, qui hac 1. 2. quæst. 113. art. 9. ad 2 dixit, bonum gratiæ vnius maius esse quam bonũ naturæ totius vniuersi: & August. Sermone 15. de Apostoli verbis cap. 5. clariùs id videtur tradidisse dicens, Melius est te iustum esse quàm hominem esse; si hominem te fecit Deus, & iustum tu te facis, aliquid melius facis quàm fecit Deus. Adducitur etiam Nazianzenus Oratione 4. de sancto Baptismate; vbi ait, Sicut Deus nos primùm creauit, ita creatos instaurauit ac refinxit, & quidẽ figmento (id est forma (diuiniore & primum figmentum (id est animam) multis partibus superante. Quibus locis videtur Valentia in hanc sententiã inductus Tom. 2. disput. 8. quæst. 4. p. 1. Respondeo tamen (& quidem Patri Suario concedo) non repugnare aliquam speciem generis inferioris excedere aliam altioris generis: quod alibi fusè contra Patrem Vasquez & alios ostendi. At inde ego pro me sic argumentor: Ergo licet anima sit in inferiori genere, nempe rei naturalis, excedere tamen poterit gratiam, quæ est in altiori genere; si autem id est possibile, certè quæ nos diximus probant animam esse nobiliorem. Adde, cùm præstãtissima saltẽ species generis nobilioris debeat esse nobilior quàm præstantissima inferioris. inter species autem substantiæ creatæ nobilissima sit substantia rationalis capax visionis & amoris Dei, necessariò dicendum videtur eam esse nobiliorem gratia.

Ratio aduersariorum, eò quòd res inferioris ordinis possit excedere rem altioris ordinis.

2. Pet. 1.

Adducitur pro confirmatione D. Tho. Augustinus, Nazianzenus.

Valentia videtur huius esse sententiæ.

Sed nos, ex eò quòd possit excedere res inferior superiorem, pro nobis argumentamur.

Ad testimonia respondeo eis nos parum vrgeri. Quòd enim Petrus dixerit dedisse nobis Deum maxima & pretiosa, nihil de hoc puncto probat: ac si quis diceret, *Rex dedit Petro pretiosissimas gemmas, dona, &c. ergo illæ gemmæ sunt nobilioris naturæ quàm sit ipse Petrus*; malè sanè deduceret. 11. *Satisfit testimoniis allatis.*

D. Thomas loco citato solùm loquitur de cœlo & terra, vt expressè constabit legenti articulum illum: quòd autem gratia sit nobilior elementis & materiali cælo facilè concedam; & verò ipse D. Thomas in 1. distinctione 17. art. 1. ad 6. & art. 2. ad 3. simpliciter præfert animam charitati & gratiæ, quia in vnaquaque re ipsum esse est nobilius quàm cætera superaddita; & adducit in confirmationem huius rationis diuum Dionysium cap. 5. de Diuinis nominibus. *Explicatur D. Thomas.*

Diuus item Augustinus, Nazianzenus, &c. loquuntur in vno genere, scilicet morali: in quo Augustinus etiam quemlibet actum virtutis dicit esse nobiliorem ipsa vita; per hoc autem nihil de eo maiori excessu, de quo nunc agimus. Et satis de hac comparatione. *Quo sensu Augustinus & Nazianzenus loquuntur.*

Disputatio XLIV.

De iustificatione vt est effectus formalis gratiæ habitualis.

Sectio I.

An gratia habitualis faciat ex se & intrinsecè hominem sanctum & amicum Dei.

1. Etsi in præcedentibus & aliis locis sæpè hos effectus gratiæ habituali tribuerimus, non tamen explicuimus quomodo illi

Digitized by Google

illi conueniant, neq; ex proposito id ipsum persuasimus, ideò nunc exactiùs res est discutienda: de ea P. Suarez fusè lib. 7. cap. 1. 2. & ferè per totum eum librum; vbi tamen multa iterùm discutit, quæ iam prioribus libris diligenter examinauerat; & quidem statim primo capite agit contra hæreticos, an simus iusti solùm per denominationem extrinsecam, an verò debeat esse qualitas aliqua intrinseca nobis infusa gratum faciens: id quod præcedenti libro sub eisdem terminis contra hæreticos cap. 1. discusserat; & inferiùs cap. 6. & 7. iterùm sub alijs terminis tractat. Ego omnem repetitionem, ne molestus sim, diligenter præcauendo, quæ hucusque discussa non sunt expediam, obiter etiam notando, vbi eadem quæstio sub diuersis fortè vocibus bis ab alijs tractetur: quod eo animo facio, vt qui in eos auctores inciderit, non confundatur putando esse diuersas quæstiones; vel saltem, ne in eis bis perlegendis defatigetur, quærens fortè diuersitatem inter illas, cùm tamen nulla sit.

Nota variè hanc quæstionem proponi.

Igitur suppositâ cõtra hæreticos qualitate physicâ, gratiâ homini intrinsecâ, Prima difficultas inter Catholicos est, vtrùm ea gratia habeat natura sua hoc, quod est hominem reddere gratum & iustum, an verò solùm ex extrinseca Dei acceptione, ita vt ea qualitas solùm se habeat per modum signi eius amicitiæ, sicut se habet in moneta sigillum regium. Ita enim opinantur aliqui Catholici, eo maximè fundamento nixi, quòd entitas illa gratiæ non videatur posse in se habere sufficientem dignitatem, vt reddat hominem iustum ac amicum Dei; nam amicitia est solùm inter æquales; posita autem illa gratia, quæ est entitas creata accidentalis, adhuc manet homo infinitè distans à Deo, ergo & incapax eius amicitiæ. Id quod valdè videtur confirmari ex his quæ præcedenti disp. sectione vltima diximus, scilicet, hanc gratiam esse entitatiuè minùs perfectam quàm sit ipsa substantia animæ: quomodo ergo animam eleuabit ad promerendam Dei amicitiam, & ad æqualitatem cum Deo, quæ ad habendam amicitiam requiritur? Confirmatur: Nulla potest esse creatura, ad cuius amorem Deus sit necessitatus; multum enim derogaretur eius libertati: neque item potest esse vlla quæ inferat necessitatem ipsi concedendi visionem beatam: ergo nulla potest esse qualitas eo modo sanctificans.

An gratia ex se & intrinsecè hominem sanctum & iustũ faciat:

quod solùm ex extrinseca Dei acceptione faciat multi Catholici putant. Probant.

Confirmant.

2. Ioannes verò Vicentius è contrario apud Patrem Suarez suprà num. 24. gratiæ dignitatem ita extulit, vt planè imperceptibiliter de ea sit locutus; asserit enim illam esse participationem diuinæ naturæ, quatenus imparticipatum ens est, & per essentiam independens, ac præhabens omnem essendi plenitudinem.

Ioannes Vicentius imperceptibiliter de gratia qualitate loquitur:

Verùm in hanc sententiam meritò & Curiel apud Suarez & ipse Suarez inuehuntur, quia omnes illi termini sunt metaphorici; & quantũuis multiplicentur, gratia semper est defectibilis, entitas creata, dependens, participata, finita, & consequenter in eis prædicatis nec analogicè similis Deo; iuxta ea verò quæ suprà diximus, adhuc est minùs perfecta quàm animæ similitudo; autem imperfecta, quæ in ea potest inueniri cum Deo, etiam reperitur in substantia, quæ est viuens, cognoscitiua, incorruptibilis: quod non habet gratia.

sed meritò refutatur.

Iis ergo terminis relictis, in hac quæstione breuiter ita censeo discurrendum, vt sicut existentiam gratiæ non probamus ex natura rei, sed solùm ex auctoritate Scripturæ & Conciliorum, ita eius essentiam multò minùs possimus ex ipsâ naturâ rei declarare, sed per congruentias aliquas discurrendo, quantum fieri potest conformiter ijs quæ fides de eâ gratiâ docet, & simul respondendo obiectionibus aduersis, quatenus probabile nituntur repugnare id quod de gratia asserimus, ad eum modum quo circa mysterium Incarnationis, Trinitatis, &c. discurrimus, magis respondendo argumentis contra illa, quàm ea positiuis rationibus probando. His positis.

Sicut existentia gratiæ non probatur ex natura rei, sed solùm ex auctoritate Scripturæ & Conciliorum, sic & eius essentia. Possumus magis respondere aduersarijs quàm vt probemus rem positiuè.

Conclvsio inter omnes ferè Scholasticos cõmunis, & omnino tenenda est, qualitatem gratiæ ex se habere vim sanctificandi & constituendi hominem amicum Dei, &c. Non dico iam eam esse talem, vt nec de potentiâ absolutâ possit cum peccato cohærere; id enim infrà disputandum erit; sed naturâ suâ eos effectus præstare. Ita Aureolus in 1. distin. 17. q. 1. art. 2. Medina 1. 2. q. 110. art 4. Bellarminus lib. 2. de Iustitiâ cap. 16. Valentia 2. p. disp. 8. q. 5. puncto 2. Vasquez 1. 2. disp. 204. cap. 2. & alij apud hos. Probari autem potest Primò, quia hæc gratia est vera iustitia; ergo constituit hominem Dei amicum. Hæc tamen ratio non vrget, eodem enim modo probat, quemlibet actum iustitiæ (quia & ille est vera iustitia) facere hominem amicum Dei: quod tamen falsum est. Absolutè responderi ei posset, probare quidem Deo aliquo modo placere eam gratiam, non tamen ita, vt propter illam amet homine o vt amicum. Meliùs ergo iuxta paulò antè dicta probatur, quia Patres, & maximè Tridentinum, quando agunt de infusione gratiæ, semper supponunt illam esse quæ reddit hominem Deo gratum, illam esse sanctificationem, &c. numquam autem dicunt, aut insinuant illam, solùm esse signum eius amicitiæ. Confirmo; quia si illa solùm esset signum, reuerà nos iustificaremur per solam imputationem extrinsecam iustitiæ Christi, quod maximè vult Concilium damnare contra hæreticos huius temporis. Probo autem sequelam; nam signum sanctitatis non est sanctitas, sicut signum nobilitatis non est nobilitas; vndè, esto Imperator faciens aliquem Nobilem, daret illi signum quod secum gestaret; non posset tamen negari, quin ille esset factus Nobilis per solam extrinsecam Imperatoris volitionem: ergo si gratia solùm esset signum sanctitatis, & non vera forma sanctificans, non posset dici nos iustrinsecè sanctificare, sed extrinsecè, licet huius rei daretur intrinsecum signum: quod procul abest sine dubio ab intento Concilij extollentis excellentiam eius gratiæ: pro signo enim vt tali nõ requiritur magna perfectio, etiamsi res significata sit in se valdè perfecta. Fusiùs eamdem veritatem probo disp. sequenti sect. 3. contra P. Coninck, vbi de expulsione mortalis per gratiam.

Probatur Primò, quia gratia est vera iustitia. Hæc ratio potest euerti.

3. *Probatur meliùs ex Patribus, & maximè Tridentino.*

Confirmatur.

Sectio II.

Respondetur rationibus in contrarium.

4. Ad Primam, quòd scilicet repugnet talis qualitas creata, cui ea perfectio conueniat, respondemus negando antecedens: etenim dignitas illa non excedit (id quod fusiùs infrà loco immediatè antè citato deduco) perfectionem creatam: non enim est dignitas infinita: quod verò dicitur, amicitiam non esse nisi inter æquales absolutè falsum est.

Amicitiam non esse nisi inter æquales absolutè falsum est.

Digitized by Google

Amicitiam non esse nisi inter æquales absolutè falsum est.

æquales; negatur absolutè: neque in hoc puncto multum est curandum quid dixerit Aristoteles, qui de amicitia cum Deo parum intellexit; maximè cùm manifesta experientia contrariũ ostendatur etiam inter homines: Reges enim & Imperatores amant frequenter alios vt amicos, etiamsi non sint sibi vllo modo æquales. Ratio à priori id ipsum suadet; nam amor amicitiæ non est alius quàm amor sistens in altero, & amans illum propter se, & ob bonitatem quam habet.

Quomodo Deus possit cum homine vel Angelo habere amicitiam naturalem,

Certum autem est, quòd si bonitas Petri v. g. mihi æqualis est digna, quæ terminet meũ amorem, & consequenter, vt possit constituere amicitiam: certum, inquam, quòd eadem bonitas erit etiam digna meo amore, licet ego fiam infinitè melior Petro; & consequenter licet ille iam non sit mihi æqualis: nam quòd ego sim altior, si bonitas amata in se est eadem, non facit, vt non possit à me amari nunc, quando ego sum altior, si anteà poterat amari quando eram æqualis: ergo ad amorem amicitiæ non requiritur vllo modo ea æqualitas. Vnde consequenter dixi primo Tomo Deum cum Angelo aut homine in purâ naturâ creatâ habere posse amicitiam naturalem, quantumuis infinitè sit illis nobilior. Quòd si supra eam bonitatem & pulchritudinem naturalem addatur pulchritudo alia supernaturalis, poterit reddere sine dubio eum hominem capacem amicitiæ altioris quàm fuerit prior; quia hæc secunda & terminatur ad totam bonitatem, ad quam prior, & insuper reperit aliam nouam, quæ vehementer exornat illud subiectum.

quomodo amicitiam supernaturalem.

Respondetur ad confirmationem ex nostrâ doctrinâ desumptam.

Hinc ad Primam cõfirmationem, desumptam ex doctrinâ à nobis traditâ, quòd scilicet anima sit nobilior quàm gratia, dico, pulchritudinem reddentem aliquod subiectum rationale dignum amore non necessariò debere esse meliorem ipso subiecto: vt patet in omnibus perfectionibus quę hominem reddunt amabilẽ respectu alterius, in pulchritudine, v. g. in sapientiâ, in suauitate morum, in nobilitate, &c. idem dico cum proportione de gratiâ; vt enim constituat hominem magis amabilem quàm anteà, non est necessũm vllo modo eam esse æquè nobilem ac est ipse homo: & ratio à priori est à me tacta paulò antè: nam vt vnum complexum iam sit nobilius quàm anteà, sufficit si vna noua perfectio ei addatur, licet ea sit minor quàm præcedens: nam in eo complexo & manet præcedens & simul noua; ergo plus meretur quàm anteà. Vnde si supra rationem hominis addas pulchritudinem corporalem, quæ sine dubio in se longè ignobilior est ipso homine, reddes tamen illum dignum eo amore quo anteà non erat. Item si supra vnum millionem addas medium, constitues pretiũ dignum vno adamãte, quod solus millio, licet mediâ ex parte maior quâ medius superaditus, nõ promerebatur.

Quomodo res fiat nobilior per aliquid se ignobilius.

Respondetur ad Secundam confirmationem.

Ad Secundam confirmationem dicimus ex doctrinâ sæpè traditâ, etiamsi ad nullius creaturæ volitionem productiuam Deus sit necessitatus, quia hęc derogaret eius dominio in easdem creaturas, attamen non inferri vllam in Deo imperfectionem, ex eo quòd semel productã creaturã aliquâ teneatur in eâ complacere iuxta mensuram bonitatis illius; sicut è contrario tenetur odisse peccatum: hoc enim potius summam Dei perfectionem denotat, quia iuxta exigentiam cuiusliber rei eam ponderat amore bonam, & odio malam; iuxta illud Isaię 61: *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto.* Vide disputationem sequentem sect. 3. subsect. 2. vbi hanc doctrinam efficaciùs confirmo.

5.

Respondetur ad Secundam rationem.

Ad Secundam rationem dicimus, nos non asserere: datâ gratiâ negari non posse diuinitus visionem, sed solùm naturaliter deberi: addimus, licet ponatur aliqua gratia talis naturæ, cui necessariò debeatur visio etiam diuinitus, nihil penitus absurdi ponendum, quia ex suppositione aliquâ habente necessariam connexionem cum alia Deum determinari, seu (vt sic dicam) cogi ad illam secundam, non dicit vllam imperfectionem; quia in illa priori re se liberè determinauit ad secundã; sic producto homine debet illi necessariò dare aliquam vbicationem, & durationem: & in sententiâ Thomisticâ (licet absolutè falsâ, non tamen ex hoc capite) productâ vnâ relatione tenetur Deus essentialiter correlatiuam producere: & sic in alijs exẽplis. Constet igitur, in eâ gratiâ naturâ suâ reddente hominem pulchriorem, & quidem suprà omnem pulchritudinem, quam naturaliter potest habere, & consequenter dignum amore amicitiæ diuinæ supernaturalis, ac dignum visione beatâ, nihil penitus asseri, quod non sit iuxta rationem & iuxta ea quæ contingunt in perfectionibus naturalibus reddentibus subiectum capax altioris & noui amoris. Pro quo vide locum citatum sequentis disputationis; vbi P. Coninck cogit me ad prolixiorem huius veritatis probationem.

Ingratia reddente hominem pulchriorẽ nihil contra ratiõẽ asseritur.

Angratia ita intrinsecè ex se sanctificet, vt non indigeat extrinseca Dei acceptione.

Hinc intelliges resolutionem cuiusdam dubij, de quo multi valdè fusè, an scilicet gratia habitualis ita intrinsecè ex se sanctificet, vt non indigeat vllo modo acceptione extrinseca Dei; ex vna enim parte non videtur posse indigere; id enim esset relabi in errorem hæreticorum huius temporis, affirmantium iustificationem fieri per fauorem extrinsecum: ex alia verò parte, cùm diximus posse Deum negare gloriam homini habenti eam qualitatem, necessum est vt accedat fauor Dei illi actu eam conferentis. Huius, inquam, dubij solutionem intelliges facilè ex dictis, etenim in gratia distinguendum est hoc, quod est facere hominem dignũ amore, ab hoc, quod est hominem ipsum actu amari; item, diuersum esse reddi illum dignum gloria ab hoc, quod est actu illam habere.

Distinguendum ingratia id quod est facere hominem dignum amore ab hoc quod est hominem actu amari.

Dicimvs igitur gratiam independenter ab omni fauore extrinseco Dei constituere hominem pulchrum, amabilem & dignum gloria: in quo consistit adæquatè effectus formalis sancti & filij adoptiui (loquor iam, casu quo nullum sit in eo homine peccatum; nam, vtrùm repugnet naturaliter aut etiam de potentia absoluta cum peccato, disputatione sequenti dicetur;) vnde infertur, quoad formalem effectum sancti & filij adoptiui non indigere vllo modo fauore extrinseco Dei; & per hoc maximè opponimur hæreticorum errori.

Gratia quoad formalem effectum sancti non indiget fauore extrinseco Dei;

6.

neque quoad actualem amorem Dei.

Secvndò Dicendvm, quoad actualem amorem Dei nõ indigere gratiam nouo fauore, quia iam ostendimus Deum teneri ad eam complacentiam amicabilem in homine habente eã gratiam. Dixi *nouo fauore*, nã licet amor ille haud dubiè sit res distincta ab ipsâ gratiâ, non est tamen fauor distinctus; quia negari à Deo nullo modo potest, si in homine, vt dixi, nullum sit mortale.

Quoad actualem gloriæ collationem opus est nouo fauore. Explicatur quo sensu sit fauor nouus.

Dicendvm Tertiò, quoad actualem gloriæ collationem omnino esse necessariũ nouum Dei fauorem: & hoc probat argumentum factum in ratione dubitandi: addo tamen in eo solo sensu esse nouum, quatenus saltem de potentiâ absolutâ negari à Deo ea gloria posset: nam

Digitized by Google

si naturaliter loquendum sit, sunc nullus fauor intercederet, quia naturaliter negari ea gloria non potest: igitur eo solùm sensu dici potest fauor, quo Angelum aut animam non destrui de facto dici potest fauor distinctus à creatione; nam licet Angelus petat in æternum durare; quia tamen Deus saltem diuinitus potest eum annihilare, facit ei fauorem aliquem, dum non destruit de facto. Neque per hoc vllo modo in errorem Nouatorum relabimur, quia illi neque exigentiam intrinsecam gloriæ in homine agnouerũt.

Ab errore Nouatorum nobis non timendum.

Quòd si roges, pro maiori huius rei intelligẽtiâ, quo sensu dicatur gratia specialiter esse participatio naturæ diuinæ; respondeo, ideò dici, quia exigit vt homini concedatur visio intuitiua Dei, quâ illi maximè assimilamur: etenim eam visionẽ non promeretur hominis substãtia secundùm se considerata; per quod tamen non negamus, sicut neque è contrario asserimus, non posse diuinitus produci aliquam aliam substantiam, cui soli sit debita visio Dei; de quo fusè primo Tomo; inde enim non fit respectu nostræ substantiæ eam esse connaturalem, & consequenter non tollitur à gratiâ ea prærogatiua, quòd sit supernaturalis: de quo magis ex proposito, propter nonnullos recentiores, disp. seq. sect. 3.

Quomodo aliter dicitur participatio naturæ diuinæ.

Obseruo tamen ad explicandã eam participationem non esse necessariũ vllo modo concipere, quòd ab eâ gratiâ proueniant habitus distincti supernaturales, aut quòd charitas sit ab eâ distincta, vt putat Suarez suprà esse saltem ad meliorẽ explicationem necessarium: etenim si ipsa gratia per suammet essentiam haberet vim producendi omnes eos actus supernaturales; essentq; illę virtutes solum ratione nostra ab ipsa distinctæ, non dubium quin eo ipso longè magis assimilaretur Deo, qui virtutes has omnes habet secum identificas realiter ac solùm ratione nostra distinctas; & sanè cùm maior longè esset perfectio gratiæ, si simul esset charitas habitualis, quàm si ab ea realiter distingueretur, planè non video, quomodo vel ad meliùs explicandam similitudinem cum infinita Dei perfectione iuuet facere gratiã imperfectiorem, & non potiùs debeamus eam perfectiorem dicere.

Quomodo ea participatio explicanda sit.

Sectio III.

Quomodo gratia constituat filios adoptiuos Dei: & an id soli ipsi conueniat.

EX dictis sectione præcedenti deciditur quæstio alia hîc tractata frequenter, an scilicet gratia hæc constituat filium adoptiuum Dei. Iustos esse filios Dei adoptiuos suadent multa Scripturæ loca; vt Ioan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* & eiusdem Ioan. Epist. 1. cap. 3. *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet.* & ad Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei.* Supposita ergo ea filiatione duplex est circa præsentem quæstionem dubium: vnum, an ea adoptio qualitati gratiæ conueniat intrinsecè & ex natura sua, an ex sola Dei extrinseca acceptione: aliud, an id soli gratiæ, an verò etiam habitui charitatis, si à gratia distinguatur, tribuendum sit.

Iustos esse filios Dei suadet Scriptura.

Dubium duplex.

Primum, an adoptio gratia ex naturâ suâ conueniat.

Circa Primum, suppositis his quæ diximus paulò antè, nulla videtur restare difficultas; ostẽdimus enim eam qualitatem natura sua reddere hominẽ iustum, Deo placentem atq; amicum, ac consequenter dignum gloria æterna: in quo solo puncto consistit filiatio adoptiua, supposita tamen aliunde diuersitate personæ: quod vltimum addiderim propter Christum; qui licet amicus sit Dei, & habeat ius ad visionem seu hæreditatem ratione etiam gratiæ habitualis, non tamen est Filius adoptiuus, sed naturalis, quia est vnitus hypostaticè Deo, seu quia non est persona distincta à Deo. In homine ergo, vbi supponitur carentia filiationis naturalis, tota filiatio adoptiua in ea dignitate & iure ad gloriam, supposita gratiæ dignitate, consistit: vt enim in humanis adoptatur quis in filium per hoc, quòd speciali amore, ab altero diligitur, & heres declaratur; ita dicimus, Deum speciali amore prosequentem hominem ob gratiam, ac simul volentem ei conferre gloriam, eo ipso adoptare illum in filium. Abstraho nunc, an id ipsum per extrinsecam solam volitionem sine gratia intrinseca homini fieri possit: de quo infrà: etenim si sine intrinseca vlla perfectione homini superaddita id potest fieri, à fortiori procul dubio poterit infusa simul homini ea nobilissima forma gratiæ.

Secundum, an etiã charitati conueniat, si distingueretur à gratiâ.

Dubium Primum ex dictis soluitur.

Contra hanc conclusionem stare videtur Bellarminus l. 2. de Iustificatione c. 16. vbi cùm gratiam & charitatem idem esse dicat, tamẽ iudicat non esse tantam vim eius habitus absolutè considerati, vt ex necessitate petat tamquam sibi debitam beatitudinem: stat etiam contra eam conclusionem P. Coninck; sed quia hic multa alia circa naturam gratiæ dicit examine magno digna, disp. sequenti sect. 3. eum ex professo reijcio. Interim nostra conclusio longè est probabilior, quia inter Scholasticos communissima, & magis declarans nobilitatem gratiæ & formæ sanctificantis: quam Concilium & Patres valdè commendant: ad obiectionẽ verò Bellarmini sectione secunda etiam insinuatam dicimus, licet ratione naturali non possimus eam dignitatem ostendere, agimus enim de re, quæ solùm ex fide cognoscitur; nihilominus addimus è contrario, eam non esse talem, vt reperiri non possit in aliqua qualitate creata: quòd si potest, certè negare nemo debet, longè melius explicari omnia loca Scripturæ, Patrum & Conciliorum, eam concedendo gratiæ, quàm si eam negemus.

Aduersari nobis videtur Bellarminus.

Nostra tamẽ conclusio est communis, & declarat magis nobilitatem gratiæ. Soluitur ratio Bellarmini.

Circa Secundam difficultatem, an scilicet hæc adoptio conueniat habitui charitatis & cæteris supernaturalibus à gratia distinctis, aduerto duplicem adhuc esse posse illius sensum: vnũ, vtrùm illi habitus soli sine gratia valeant eum effectũ præstare: alterum, vtrùm saltem simul cum gratia sint partialis adoptio sanctitatis, &c. De his duobus sensibus agit P. Suarez c. 2. & cap. 9 conuenientiùs pro maiori claritate simul de vtroque agemus; connexi enim omnino sunt inter se.

Dubium Secundum potest adhuc dupliciter intelligi.

Ergo circa primum punctũ quoad habitus fidei & spei nulla potest esse difficultas; nam illi manent in peccatore fideli, vt definitũ est in Tridentino: atqui in peccatore nõ est sanctitas, vt ex se patet, ergo illi soli duo habitus esse non possunt formalis sanctitas: quòd si illi non sunt, neq; erunt alii habitus morales, qui sunt lõgè imperfectiores quàm habitus fidei & spei: & à fortiori id constabit ex dicendis de habitu charitatis, ad quem solum deuoluitur tota difficultas; quia ille, cùm sit omnium perfectissimus, videtur posse

8.

Primò, fides & spes non possunt sola esse sanctitas formalis; neq; alij habitus morales.

Digitized by Google

posse habere hunc effectum. Affirmat P. Turrianus Opusc. 3. disp. 1. dub. 15. cuius rei nullam reddit ibi rationem; dubio tamen 14. in fine insinuauerat charitatis habitum esse participationē attribuit sanctitatis in Deo: quod nec vlteriùs probauit, nec ostendit id sufficere, vt constituat hominem sanctum. Negat Medina 1. 2. q. 110. art. 3. ad 4. Sotus lib. 2. de Gratia cap. 17. Curiel eâ q. 110. art. 3. dub. 1. ad 3. P. Becan. 1. 2. Tract 4. cap. 1. q. 1. nu. 10. Valentia disp. 8. q. 2. puncto 2. & Suarez suprà cap. 2. vbi pro se P. Suarez adducit Bellarminum: verùm immediatè antè ostendi, hunc etiam gratiæ id negare; vnde non benè adducitur specialiter, vt negetur charitati, & concedatur gratiæ. Sed quidquid de hoc sit, censeo cum eodem Suarez & citatis auctoribus eum habitum non tribuere talem filiationem: quòd, relictâ ratione Suarez, desumptâ ex eo quòd charitas non sit naturâ in ordine supernaturali, habet enim hæc ratio multùm de allegoriâ, sic probo, quia tales habitus non dantur nisi vt principia effectiua actuum supernaturalium; at posse tales actus efficere, non est formaliter esse filium & amicum Dei: vt enim in naturalibus, eò quòd quis possit alterum amare, non constituitur continuò eius amicus, nec quia possit demereri alterum, seu quia habeat principium sufficiens vt eum sibi demereatur, iam eo ipso demeretur, aut in gratiam illius se insinuat; ita, eò quòd homo per habitus supernaturales constituatur potens ad eliciendos actus supernaturales, qui sunt Deo grati, &, si vis, etiam condigni vitâ æternâ, non continuò sequitur hominem esse eâ gloriâ dignum, amicum Dei, &c.

P. Turrianus sit charitatē posse habere hūc effectum. Negat Medina, Sotus, Curiel, & alij.

Filiatio nostra etiam negat

9. *Obiectio.*

Dices, Si concedamus actus supernaturales etiam non informatos gratiâ, dummodò mortale non adsit, esse condignos gloriâ; dicendum est eum, qui habet habitus, per quos potest elicere eiusmodi actus habere ius in gloriam. Respondeo Primò suppositionem esse falsam: de quâ infrà: Secundò, esto ea admittatur, negari tamen illationem, quia tale ius si esset, potiùs esset per modum meriti quàm per modum filiationis: vt enim qui pecuniâ æquali alteri oblatâ emit ab eo hæreditatem, non ideò fit filius adoptiuus ipsius; ita in præsenti: & propterea Tridentinum duos hos titulos distinxit, dum agens de iustis benè operantibus dixit proponendam esse eis gloriam & vt hæreditatem, & vt mercedem: vt hæreditatem respectu gratiæ, quæ in eis supponitur: vt mercedē respectiuè ad bona opera, quę sunt cōdigna ea gloria. Tertiò respondeo, nec quidem vt mercedem eo modo deberi gloriam, etiam data ea suppositione; nā, vt paulò antè notaui, aliud est posse promereri gloriam, aliud eam promereri: habitus ergo quà tales non dant actu promereri, sed posse; vnde nec constituunt filium, neque merentem, sed vt summùm potentem esse filium, & potentem mereri: vtrùm autem actus ipse charitatis super omnia sit formalis sanctitas, & consequenter constituat filiationem adoptiuam Dei dicetur inferiùs.

Respondetur Primò. Secundò.

Tertiò.

10. *De secundo sensu dubij secundi maior est difficultas. Nota hic multùm de nomine misceri.*

Circa secundum sensum eius Secundæ difficultatis, vtrùm scil. saltem partialiter illi habitus ad formalem effectum sanctitatis pertineant simul cum gratia, dubium maius esse potest: de quo vt dixi, P. Suarez agit fusè cap. 9. & Turrianus suprà citatus. Obseruo non parum in hac quæstione misceri de nomine: etenim, nisi recurramus ad effectum expellendi formaliter peccatum, vix potest vllum esse diffidium inter auctores: etenim certissimum est, eos habitus supernaturales esse magnam subiecti perfectionem, quatenus proximè benè disponunt hominem ad omnes actus supernaturales, qui sunt iustitiæ fructus; vnde necessum est, vt Deo illi valdè placeant, & ratione illorum habeat singularem in homine complacentiam. Hæc de re à nemine negari possunt; iam autem, vtrùm ratione eius perfectionis, quam addunt, & ratione eius specialis amoris, quem inferunt, debeant tales habitus dici complere essentialiter aut saltem integraliter iustitiam & amicitiam Dei, non dubium quin sit quæstio de nomine; in qua probabiliter dici potest Primò, ea dona omnino pertinere ad complementum iustitiæ; ideò enim Tridentinum dicit sanctificationem fieri per infusionem gratiæ & donorum: & ita docet suprà Turrianus de habitu charitatis, si concedatur distinctus à gratia; nam licet dicat hanc solam absolutè sanctificare, addit tamen eum effectum integrari per habitum. Secundò potest dici solam gratiam, vtpote naturam seu substantiam, in ordine supernaturali essentialiter esse integram sanctitatem; ideóque etiamsi diuinitus maneret sine eis habitibus, nihilominùs redditurum hominem dignum gloria & amore Dei simpliciter ad amicitiam pertinente. Ita Suarez & Turrianus suprà. Dixi paulò antè quæstionem esse de nomine, nisi recurramus ad effectum expulsionis peccati; nam in hoc sine dubio quæstio esset de re, si diceretur entitatem gratiæ secundùm se, & vt separatam ab habitibus, non habere vim expellendi peccatum, simul autem cum eis habitibus habere; quod qui assereret, non posset vlla efficaci ratione refutari; nam neque Scriptura contrarium vmquam insinuat, neque ex Patribus aut Conciliis quidquam ea de re potest certò colligi; an autem Tridentinum possit ad id induci dicam statim: & Pater Valentia 1. 2. p. 2. id insinuat, quatenus ait hominem cum sola gratia sine habitibus posse saluari vel damnari præter legem ordinariam. Ratio deniq; naturalis cùm nihil dictet de gratia, nec quidem quoad existentiam, multò minùs dictabit de hoc effectu; si autem ad congruentias vellemus recurrere, occurrunt sanè multæ ad id asserendum. Nihilominùs tamen, quia Theologi communiter contrarium supponunt, vel supponere videntur; multi enim omnes habitus infusos negarunt excepta gratia, & tamē hunc effectum expulsionis peccati illi tribuerunt, alij verò saltem infusos morales non agnouerunt, vniuersaliter autem nomen gratiæ, quod ex se significat formam reddentem subiectum acceptum Deo, amabile, ideóque & carens peccato, soli illi entitati tribuerunt, non verò habitibus virtutum; longè probabilius censeo habitus virtutum, etiam charitatem, fidem, &c. non esse necessarios ad eum effectum, & quod dixi paulò antè, ad probandum per eos habitus solos non constitui filiationem Dei & veram amicitiam, applicari etiam potest ad probandum nec partialiter expellere peccatum: & quantum ad hoc, quòd habitus gratię etiam solus expellat peccatum, expressè tradit Turrianus suprà contra Valentiam. Id quod confirmatur, quia eiusmodi habitus non alia ratione ponuntur, nisi vt homo habeat connaturale principium ad eliciendos actus virtutum, & non sit necessarium per auxilium extrinsecum Dei id præstari: atqui tale complementum, etiamsi perficiat subiectum, quatenus in se bonum est, & consequenter exigat aliquam

Potest Primò dici illos habitus pertinere ad complementum iustitiæ.

Potest Secundò dici solā gratiā essentialiter esse integram sanctitatem.

Quomodo potest esse quæstio de re.

11. *Multi Theologi negantes habitus infusos excepta gratia ipsa gratia expulsionē peccati tribuerunt.*

Turrianus contra Valentiā docet gratiā solā expellere peccatum.

compla

Digitized by Google

complacentiam Dei, de quâ dubitari potest, an dicenda sit ad amicitiam pertinere, & aliquam denominationem sancti causare, iuxta immediatè antè dicta, quod ad vocem spectat, eam tamen vim esse partialiter expulsiuam peccati, & necessariam vt qualitas gratiæ illud expellat, nullo nititur solido fundamento; ideò congruentiùs talis effectus tribuitur soli illi entitati: quæ sicut se habet per modum essentiæ in genere supernaturali, habitus verò solùm per modum passionis; ita sola illa causat vitam supernaturalem, ac consequenter sola expellit mortem peccati.

12. *Quomodo intelligendum Tridentinum dicens iustificationem fieri per infusionē gratiæ & donorum*

Quod verò ex Tridentino suprà obijciebatur, scilicet in illo definiri, iustificationem fieri per infusionem gratiæ & donorum, intelligendum ita est, vt nominauerit Concilium ea quæ tunc fiunt, quia reuerà cum gratiâ infunduntur etiam habitus, at non intenderit, omnes illos esse iustitiam & causam expulsiuam peccati, cùm aliàs frequenter solam gratiam dicat esse iustificationem. Et verò satis probabiliter induco è contrario Tridentinum pro nostrâ sententiâ; nam eâ sess. 6. cap. 15. absolutè condistinguit iustificationis gratiam ab habitu fidei & spei, non solùm tanquam partem à toto, sed absolutè; ait enim gratiam iustificationis amitti, non verò fidem: si autem fides esset partialis iustitia simul cum spe, non deberet sanè dici fidem manere & iustificationem amitti, sed partialem iustificationem manere, partialem amitti: id quod procul dubio alienum est à mente Concilij; ergo soli gratiæ tribuit vim remittendi peccata; ergo illa sola expellit peccatum, iustificat, &c. habitus verò non sunt pars essentialis eius effectus.

Discursus Suarez nobis non placet.

Discursum, quem P. Suarez hîc à num. 13. format ex differentiâ inter iustitiam naturalem & supernaturalem, quòd illa, quia supponit potentiam radicalem & proximam ad benè operandum, nec possit consistere nisi in promptitudine ad eas bonas operationes; supernaturalis verò, quia eam potentiam non supponit, debeat consistere in illâ, cumque gratia sit radicalis potentia, debeat in eâ consistere iustitia; hunc, inquam, discursum, relinquo, quia ex illo suaderetur potiùs, saltem inadæquatè, debere iustitiam in eis habitibus consistere, quia illi dant propriè posse operari magis principaliter quàm gratia; eo ergo relicto standum est in re ferè de nomine his quæ à nobis dicta sunt.

Videtur suadere, saltem inadæquatè, debere iustitiam poni in illis habitibus.

Sectio IV.

Utrùm per solam extrinsecam denominationem possit constitui effectus sancti & filij adoptiui.

13. *Quæstio alijs celebris nobis videtur de nomine. Est solùm in ordine ad potentiam absolutam.*

QVæstio hæc apud multos valdè celebris mihi videtur ferè de solo nomine; quidquid verò habet de re facilè posse decidi, vt sequentibus conclusionibus ostendo; aduerto tamen eam solùm esse in ordine ad potentiam absolutam; nam quid de facto fiat, dictum est in præcedentibus.

Conclusio Prima. Si adoptio est destinatio ad visionem, potest fieri sine gratiâ.

Prima Conclvsio: Si adoptio sumatur pro destinatione ad visionem beatam, sine dubio potest ea fieri sine gratia: nulla enim nec leuis repugnantia inueniri potest in eo, quòd Deus velit homini non habenti gratiam habitualem dare visionem beatam; & consequenter, quòd ille ab eâ volitione Dei denominetur extrinsecè adoptatus in Regnum.

Obiectio. Soluitur

Dices, Ergo de facto peccator, qui est prædestinatus, dici poterit filius adoptiuus Dei, quia destinatus est ad gloriam. Respondeo negando consequentiam; nam filius adoptiuus vsurpatur de facto pro adoptione perfectâ, quæ consistit in carentiâ peccati grauis, in sanctitate internâ fundante intrinsecum ius in gloriam, quæ cùm in peccatore, etiamsi prædestinatus sit, non reperiatur actu, non potest absolutè dici filius adoptiuus Dei. Respondeo Secundò, peccatorem secundùm præsentem statum potiùs esse incapacem gloriæ.

Conclusio Secunda

Secvnda Conclvsio: Si nomine amicitiæ cum Deo intelligamus præcisè, quòd Deus velit tanta, bona homini conferre, quanta alioquin confert amico, exceptâ ipsâ gratiâ (de quâ disputamus) sine dubio etiam sine eâ gratiâ poterit quis esse amicus Dei: etenim (vt diximus) nulla potest repugnantia assignari in eo, quòd Deus alicui non habenti gratiam velit dare visionem beatam, & alias ei reuelationes facere, secretaque manifestare, quæ solet amicis; est enim perfectus Dominus eorum donorum, ideoque potest ea donare cui vult, etiamsi subiectum illud non habeat vllam gratiam habitualem; sicut primam eamdem gratiam habitualem donat antequam videat in subiecto aliam gratiam, quæ eam donationem mereatur.

Tertia. Effectum formalem intrinsecum gratia non potest Deus sine gratiâ præstare.

Tertia Conclvsio: Effectum formalem illum intrinsecum, quem gratiæ qualitas confert, & consequenter amicitiam & sanctitatem in eo genere, sine dubio præstare non potest Deus sine eâ formâ intrinsecâ gratiæ. Hæc est certissima, & explicatis terminis à nemine potest negari: vt enim omnes alibi meritò supponunt, non potest Deus facere album sine albedine, & sapientem sine sapientia, calidum sine calore, &c. ita eodem modo necessum est dicere, nec posse per solam suam voluntatem supplere illum intrinsecum effectum formalem quem gratia causat formaliter; quia effectus formalis non potest compleri vllo modo nisi per formam ipsam.

14. *Obijcitur Primò: Quòd Christi humanitas sit sancta intrinsecè independenter à gratiâ. Respondetur Primò. Secundò. Obijcitur Secundò Effectum formalis peccantis potest suppleri extrinsecè Respondetur Primò.*

Dices Primò Humanitas Christi etiam independenter à gratia habituali facta fuit intrinsecè sancta. Respondeo Primò factam fuisse per vnionem intrinsecam cum sanctitate infinita Verbi; Secundò, non communicatam illi per Verbum eam sanctitatem, quæ communicatur per gratiam, sed aliam longè diuersam quæque non nisi à Verbo communicari potest.

Dices Secundò: Effectus formalis peccantis & inimici Dei, qui constituitur per actum ipsum intrinsecum & peccaminosum, suppleri potest extrinsecè; vt patet in peccato originali: quod cùm nihil physicè ponat in infantibus, tamen eos maculat perinde, ac si esset intrinsecum. Respondeo Primò, Hoc exemplo potiùs confirmari quæ diximus: etenim etiam ille effectus formalis est longè alius in pueris quàm fuerit in Adamo; nam hic per peccatum actuale fuit dignus longè maiori odio & inimicitia Dei, item grauiori pœnâ quàm sint redditi infantes. Secundò respondeo, effectum peccatoris & inimici Dei, quia sumitur ex operatione libera, & ad hanc transferri possunt voluntates in alterius voluntatem, fieri optimè posse eo modo quo præcedēti tomo agentes de originali explicuimus, vt ex peccato physicè in vno existēte, in alijs verò solum moraliter

Secundò.

Digitized by Google

reddantur homines inimici Dei, licet, vt dixi, longè minùs quàm si actu illud peccatum commisissent; at in gratiâ id locum non habere, tum quia iam non disputamus, an translatis nostris voluntatibus in alterius sancti voluntatem, & illo benè operante, nos possimus reddi sancti, sed præcisè, an possit Deus pro solo suo libitu sine intrinsecâ formâ sanctitatis in homine receptâ eum facere iustum; tum quia, cùm effectus formalis sancti non proueniat ab actuali operatione liberâ, sed à formâ physicâ, erga quam non habet locum ea transfusio moralis voluntatum, non possum nec quidem eo modo ex sanctitate alterius mihi imputatâ reddi sanctus. In sententiâ quidem Patris Vasquez (de quâ infrà) docentis actum charitatis & contritionis formaliter sanctificare, dici posset consequenter, si Deus vt transtulit in Adamum voluntates nostras in ordine ad obseruationem præcepti de non gustando ligno scientiæ, ita easdem transtulisset in voluntatem Christi, potuisse eo eliciente actum amoris Dei super omnia nos in eo moraliter censeri elicientes eumdem actum, & consequenter per eum actum iustificari. Et licet à huc datâ eâ sententiâ posset fortè disparitas excogitari aliqua, quòd scilicet plus requiratur ad bonum quàm ad malum, idque consequentia non videatur bona à translatione voluntatum ad peccandum ad translationem ad benè operandum; quia tamen non potest adduci ratio, cur quoad hoc punctum plus debeat requiri ad transfundendas voluntates pro bono opere quàm pro malo, multò facilius est admittere, possibilem esse eam transfusionem, quàm id negare; sed cùm nos non simus in eâ sententiâ, sine molestiâ liberamur ab hac consequentiâ, iuxta paulò antè dicta.

15. *Quid dici possit in sententiâ Vasquez.*

Conclusio Quarta. Modò homo caueat peccato graui potest per actus omnium virtutum supernaturalium perfici, non tamen ideò habebit filiationem adoptiuam quæ confertur per gratiam.

QVARTA CONCLVSIO: Per actus virtutum omnium supernaturalium, maximè verò per actus charitatis, quia nobiliores sunt, sine dubio homo perficitur, & dignus redditur aliquo speciali amore Dei, etiamsi gratiam non habeat, dummodò careat peccato graui; & (vt dixi suprà) in sententiâ aliquorum etiam de condigno reddi potest promerens gratiam, non tamen propterea perfectam habebit sanctitatem, iustitiam & filiationem adoptiuam, quæ per gratiam confertur; quia hæc id habet excellentiori modo, perfecto ac simpliciter promerente nomen amicitiæ, &c. actus verò non nisi imperfectè, & secundùm quid. Hac occasione disputari posset, vtrùm saltem actus contritionis & amoris Dei super omnia sit forma sanctificans, & expellens formaliter peccatum: verùm has quæstiones discutio fusè Tomo sequenti disp. de charitate: interim negatiuam partem vt longè probabiliorem suppono cum communi contra Patrem Vasquez & paucos alios.

Contritio non iustificat formaliter.

16. *Duæ difficultates. Prima.*

Duo adhuc in hac sectione discutienda restant: Primum, vtrùm possit Deus diuinitus (quidquid sit de eâ denominatione sancti & iusti) eodem amore amicitiæ ferri in hominem omni gratiâ intrinsecâ carentem, quo fertur in illum qui est gratia exornatus. Quæ difficultas planè est de re ipsâ & non de solo modo loquendi; alterum, vtrùm gratia nostra habitualis acquirat aliquam dignitatem ex coniunctione cum meritis Christi, ratione cuius dici possit saltem secundùm quid iustificare per denominationem omnino extrinsecam, quatenus ille excessus seu sanctitas maior non veniret ab aliquâ intrinsecâ perfectione gratiæ. Circa primum dubium dicendum est, certum omnino videri, non posse Deum in hominem omni intrinsecâ sanctitate carentem habere eumdem speciei multò minùs numero, amorem, quem habet in hominem eâ intrinsecâ sanctitate exornatum. Ratio est euidens, quia talis amor essentialiter tangit non solùm hominem, sed etiam gratiam: debet ergo alius esse, si vllus potest. Respondeo Secundò, neque alium perfectæ amicitiæ esse posse. Ratio est manifesta, quia hîc non iam agimus de amore vt benefactiuo, seu vt volente homini concedere alia dona; hunc enim paulò ante diximus possibilem esse, quia probauimus posse Deum velle dare visionem cæteraque alia dona homini non habenti gratiam; agimus ergo de amore, quo sibi Deus in eo homine complaceat; impossibile autem videtur, vt Deus sibi de nouo complaceat in eo homine, si in eo non inuenit maiorem rationem boni, quæ ipsi Deo magis placeat, eumque alliciat ad amorem: vbi non vtor argumento Patris Vasquez & aliquorum, quòd scilicet non possit dari actus liber Dei sine aliquâ in creaturis mutatione facta; hoc enim principium fusè alibi reieci, sed dico Deum non posse magis appretiatiuè aliquid amare, nisi inueniat maiorem bonitatem: nam superiùs dixi, amorem complacentiæ diuinæ seu approbatiuum esse necessarium in Deo, quia perfectio magna est complacere in obiecto bono, & è contrario displicere in malo, quantum ea obiecta exigunt: ergo cùm in homine secundùm se & vt à gratiâ nudo complacuerit sibi iam quantum ille meretur, non poterit nouam & supernaturalem in eo habere maiorem complacentiam, nisi nouam in eo reperiat bonitatem, quæ sit eius complacentiæ obiectum.

Respondetur Primò.

Secundò.

Responsio ratio non nititur argumento Patris Vasquez.

17. *Obiectio.*

Dices: Si priùs Deus hominem illum destinaret ad gloriam & ad alia bona supernaturalia, iam eo ipso homo ille haberet indè aliquam excellentiam maiorem, quàm si non esset destinatus: etenim sicut inter homines excellentia magna est, aliquem esse electum ad Regnum vel Pontificatum, etiamsi actu adhuc non fruatur eâ dignitate; & ratione eius potest specialiter amari, honorari, &c. ita electum esse ad visionem beatam, quæ propè infinities maior est quàm omnia creata Imperia, haud dubiè dignitas erit maxima, etiamsi actu nec eâ visione homo fruatur, nec vllam habeat gratiam sanctificantem intrinsecam; ergo ratione eius excellentiæ poterit nouum terminare amorem diuinum, & quidem supernaturalem, esto ille non sit eiusdem rationis cum altero, qui terminaretur ad eumdem hominem vt habentem gratiam habitualem. Respondeo, his probari posse esse alium amorem complacentiæ, non tamen simpliciter perfectum, quia non esset ex parte obiecti sanctitas & amabilitas perfecta, sed solùm secundùm quid, & per extrinsecam denominationem; ideò in conclusione solùm negaui eum amorem esse perfectum: addo etiam talem non esse omnino independentem à dono intrinseco, saltem posteà causando, vel, vt veriùs dicam, iam præuiso vt causato pro suo tempore.

Respondetur

Huic annexa est altera quæstio, an scilicet gratia ipsa habitualis possit accipere aliquam dignitatem per denominationem extrinsecam ex meritis Christi; diximus enim ex solâ destinatione hominis ad visionem beatam reddi quodammodò excellentiorē quàm in se esset, etiamsi non acciperet tunc aliquid intrinsecum; ergo eodem modo

Secunda difficultas, an dignior gratia, ex eo quòd sit ex meritis Christi.

Digitized by Google

modo ipsa gratia, ex eo quod causata sit per merita Christi, accipere poterit aliquem nouum valorem, aut excellentiam, quam non habuisset si Christus eum non fuisset promeritus: imò nulla omnino videtur alia fuisse incarnationis necessitas, nisi vt gratia habitualis sic significaretur ex Christi meritis: id quod affirmant nonnulli.

18. *Respondetur Primò.* Respondeo tamen Primò, necessitatem incarnationis non fuisse, nisi vt Christus per sua merita esset causa efficiens moralis, obtinens nobis auxilia ad operandum & obtinendam gratiam ipsam. *Secundò.* Respondeo Secundò, longè probabilius esse, ipsam gratiam, quoad punctum sanctificandi expellendique peccatum, nō accepisse ex meritis Christi vllum valorem; quem non haberet, si ex solâ Dei voluntate data fuisset: quod probatur omnibus rationibus suprà factis: ea enim vis sanctificandi est intrinseca illi & connaturalis; quòd verò detur ab hac vel illâ causâ, planè est illi accidentale: vt pulchritudo v. g. faciei non est maior aut minor, quòd detur immediatè à solo Deo, vel quòd etiam interuentu causarum, dummodò res ipsa data in se inuariata sit intrinsecè: vnde gratia habitualis data Angelis & Adamo ante peccatum independenter à meritis Christi (de quo alibi) non dignificauit minùs illos, nec reddidit minori gloriâ dignos, ceteris paribus, quàm dignificet alios homines, vel ipsum Adamum post peccatum, data in eodem gradu: vtrùm autem Deus ex quadam quasi congruentiâ, attendendo ad dignitatem Christi, aliquid plus addat de præmio, valdè dubium est. Piè affirmat P. Suarez cap. 5. optarem id verissimum foret; dubito tamen: id tamen probabilius quoad ipsa actualia auxilia maiora nobis dare ob Christi dignitatem, quàm si pura creatura eadem nobis promeruisset, aut quàm si ipse Deus ex solâ liberalitate remisisset nobis peccatum: deinde certum est, orationes nostras ex eodem titulo magis acceptas esse Deo: denique toti naturæ humanæ dignitatem aliquam ex vnione hypostaticâ accreuisse, quâ Angeli carent, nemo dubitauit; hanc autem dignitatem præcipuè in iustis inueniri, qui sunt membra Christi, certum est; ac propterea aliquo speciali affectu à Deo diligi non dubitarem, quia etiam talis dignitas, licet à denominatione extrinsecâ prouenians, amabilis est.

Gratia ex quacunque causa proueniens eandē habet vim intrinsecam iustificandi, &c.

Dubium est, an ideò augeat præmiū de congruo.

SECTIO V.

Quomodo per gratiam iustificatio fiat: & quid hæc sit.

19. IN hoc puncto, suppositis ijs quæ hucusque dicta sunt, nulla est difficultas vllius momenti; sed solùm de significatione vocis huius *iustificatio*: etenim circa eam dupliciter errarunt hæretici huius tēporis, tum negando veram sanctificationem per positiuam formam intrinsecam, scilicet per infusionem gratiæ habitualis: tum negando veram remissionem peccati; & solùm admittendo non imputationem eorum peccatorum. In hoc autem puncto certa & Catholica doctrina duo dicit. Primum, quidquid sit, an verbum illud *iustificatio* sit forense, & primò impositum precisè ad significandum hominem non esse reum, seu carere culpâ: quo sensu & in Scriptura aliquando vsurpatur; vt Lucæ 10. *Volens iustificare seipsum*, id est, *ostendere se non esse reū*: & Prouerb. 27. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum*: & ad Rom 8. *Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?* alia similia adduci possēt; sed sufficiant hæc pro re clarâ: quidquid, inquam de hac significatione sit; nihilominùs, quādo agimus de iustificatione supernaturali hominis apud Deū & remissione peccati, significare positiuum aliquod, quo homo intrinsecè sanctificatur, hoc constat ex dictis suprà, dum gratiæ habitualis existentiam probauimus: neque in hoc puncto ampliùs hærendum est. Eâ de re fusè P. Suarez toto cap. 7. sed (vt dixi suprà) id iam erat ab ipso probatum cap. 1. sexti libri & primo huius septimi.

Duplex error hæreticorum circa iustificationem.

Catholica doctrina duo dicit Primum.

Secundum. Secundò dicendum est, peccatum verè & propriè remitti & tolli, nec solùm tegi, seu non imputari. Ita in Tridentino expressè definitum est sess. 5. cap. 5. contra hæreticos huius temporis, & rursus sess. 6. cap. 4. Probatur autem veritas hæc manifestè multis Scripturæ testimonijs, in quibus Deus promittit homini pœnitenti omnino se remissurum peccata, ita vt homo velut nix reddatur albus & mundus: *Quasi nix dealbabuntur*, Isaiæ 1. & Psal. 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor*, Idem suadent alia loca, etiamsi non addatur vox *dealbabo*, quia culpa quæ remittitur verè tollitur: vix enim alio modo culpa vlla tolli potest quàm per remissionem aut condonationem: vt in humanis patet: talia autem loca sunt valdè multa; vnde Petrus Act. 10. dixit omnes Prophetas testimonium perhibuisse Christo in remissionem peccatorum. Eamdem veritatem Patres sæpè testantur. Vide Controuersistas fusiùs eâ de re contra Nouatores huius temporis disputantes. Obijciunt hæretici locum Psalmi 31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates; & quorum tecta sunt peccata*; & Ezechiel. 33. *Omnia peccata eius non imputabuntur*: quo verbo non imputandi vsus est etiam Dauid eo Psalmo: & vtrumque locum Paulus citat ad Romanos 4.

Hæreticorum obiectio.

20. *Responsio. Prima.* Fusè auctores agūt de sensu horum locorū; ego tamen ad rem præsentem puto sufficientissimè responderi Primò, cùm in eo loco Psalmi sit verbum vnum proprium, nempe *remittere*, alterum verò allegoricum, nempe *tegere*, potiori iure trahi debere allegoricum ad proprium, quàm è contrario. *Secunda* Secundò respondeo verbum *tegere* idē in præsenti significare ac *delere*: si enim peccatum verè manet, cùm aliunde sit impossibile, vt Deo sit tectum quod in rerum naturâ existit, iuxta Paulum ad Hebræos 4. *Omnia nuda & aperta sunt oculis Dei: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu Dei*; infertur manifestè, nihil apud Deum esse posse tectum, nisi quod non est: ergo *tegere* & *delere* idem sunt. Id quod magis declaro, & simul totam hæreticorum sententiam reijcio: vel enim Deus tegendo peccata nō deponit odium & iram in hominem, sed verè eū non minùs quàm anteà odio prosequitur: & hoc manifestissimè falsum est; nam opponitur innumeris Scripturæ locis, quibus homines dicuntur grati & placentes Deo, amici ipsius, dilecti Deo, etiāsi omnes illi fuerint priùs in peccato originali concepti, & multi etiam aliquando actualia commiserint: & deinde, quomodo tegūtur peccata coram Deo, si Deus odio inimicitiæ homines prosequitur? Certè id potiùs est summè esse detecta & clara, & obuersari ante oculos Dei: deinde, quis, nisi stultus, dicet Deum esse inimicum omnium Beatorum? si verò dicant hæretici Deum cessare ab odio in illa peccata, ita vt verè iam non displiceant ei propter illa homines; sed

An sit idem tegere & delere.

Reijciuntur hæretici.

Digitized by Google

Deus amet illos amore amicitiæ, sanè id ipsum est verè tollere peccata; nam, iuxta veriorem sententiam, peccatum habituale, vt moraliter, manens formaliter, nihil est aliud quàm ipsa physica præteritio peccati, vt à Deo pro nunc odio habita, seu non condonata; declaraturque id magis in sententiâ eorum qui probabiliter negant, Deum posse suspendere odium circa peccatum existens: vnde ipsum cessare ab odio est tollere peccatum; ergo peccata tegere est idem apud Deum quod delere.

Quid peccatum habituale.

21. *Respondetur ad verbum* non imputare.

Et hinc etiam respondetur ad alterum verbũ *non imputare*; nam Deus non aliter non imputat peccata quàm ea remittendo, aut delendo, vt diximus de verbo *tegere*. Secundò posset responderi, aliquando *rò non imputare* assumi in ordine ad pœnam: v.g. Deus potest etiam ob peccatum veniale permittere cadere hominem in grauissima etiam mortalia, vt alibi dixi; in eo ergo sensu dici potest, Deum, etiam remittendo peccatũ illud non imputare, quatenus non vtitur eo tamquam occasione ad permittendum eum hominem labi in grauiora; quod quidem maximum est Dei beneficium.

Obiectio. Secunda.

Secundò obijcies, Deus relinquit in hominibus etiam iustis fomitem peccati seu concupiscentiam, ergo non remittit verè peccatum; ille enim fomes est peccatum. Respondeo non minùs esse falsum, quòd fomes ille sit peccatum, quàm quod verè non remittatur peccatum. Et verò fomitem non esse peccatum, ratio etiã manifesta naturalis persuadet; nam peccatum est dictum factum contra legem æternam Dei, & quidem dictum vel factum liberum; at appetitus ipse naturalis non est dictum vel factum ab homine, sed potentia illi innata; actus item appetitus non est actus liber; ergo non potest esse vllo modo peccatum, esto feratur in obiectum prohibitum; sicut actus stultorum & somniantium non sunt peccata; ergo ex perseuerantiâ appetitus nihil penitus infertur de non-condonatione peccati. Secundò respondeo, Esto diceremus actum appetitus esse peccatum, illudque non-condonari, quæstio tamen non est de eo peccato, sed de illis quæ sunt ab appetitu distincta; etenim omnes habemus eo sensu idem peccatum appetitus: at non propterea omnes habemus peccatum proditionis Iudæ & negationis Petri, & adulterij Dauidis; ergo hæc peccata, quatenus ab appetitu distincta & propria Petri, Iudæ & Dauidis, &c. potuerunt dimitti ex integro, ita vt Petrus ratione illius non magis iam displiceat quã Ioannes, &c. Hac ergo veritate positâ, in præsenti breuiter explicandæ sunt aliquæ acceptiones huius vocis *iustitia*; quæ significare potest specialem quamdam virtutem, quæ ius suum cuique seruat: at in præsenti latiùs ea vox accipitur pro æquitate quadam morali, seu rectitudine, quatenus per eam homo rectæ rationis regulæ conformatur. Quia verò hæ regulæ sunt multæ, iuxta multitudinem virtutum, ideò potest iustitia esse multiplex, vel vniuersalis complectens omnes materias, vel particularis; vt in castitate, temperantiâ, &c. quia (vt suo loco diximus) potest quis habere vnam virtutem sine altera. Verũ quidem est, in communi & recepta significatione non dici iustũ aliquem absolutè, eò quòd vnam solum virtutem habeat, sed eò quòd vniuersaliter omnes complectatur. Est autem rursus hæc iustitia duplex; vna actualis consistens in ipsismet actibus virtutum; alia verò habitualis, consistens in habitibus ad eos actus inclinantibus, aut complentibus potentiam, vt illos valeat elicere. Tertiò, vtraque hæc iustitia potest esse naturalis, vel diuina seu infusa: de naturali nunc non agimus, sed solùm de infusa, quam ostendimus consistere in gratia, habitibus supernaturalibus & eorum actibus: quomodo autem actus & habitus vt condistincti à gratia sint iustitia, fusè explicatum est in præcedentibus: ergo iuxta has diuersas explicationes, potest verbum *iustifico* variè accipi, vel vt significat iustum facere in ordine naturali, vel pro iustum facere in supernaturali, vel iustum facere quoad actus, vel iustũ quoad habitus: potest etiam aliquando vsurpari pro hoc, quod est alterum à culpa immunem declarare: demique magis ad sensum præsentis materiæ potest vsurpari pro iustificatione, quando non expellitur culpa mortalis, quæ frequentiùs dicitur sanctificatio; vt in Angelorum & prima Adami infusione gratiæ, item infusione gratiæ beatissimæ Virginis in primo conceptionis instãti, & à fortiori in Christi Domini humanitate. Potest etiam contingere iustificatio cum vera remissione mortalis, siue actualis siue originalis, vt contingit, quandocumque ea peccata hominibus remittuntur, vt enim diximus ex Tridentino sess. 6. can. 11. & cap. 2. in iustificatione hæc non sola intercenit remissio peccatorum, sed vera interior renouatio per gratiam, & per dona habitualia iuxta dicta suprà. Denique iustificatio potest etiam accipi pro incremento in ipsa iustitia, vt cum per bona opera & per Sacramenta iustus crescit in gratia; iuxta illud, *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* Aduerto tamen, communiter loquendo, eiusmodi augmentum non vocari iustificationem: hæc enim vox pro prima iustificatione tantùm solet vsurpari.

Ratio.

Explicatur iustitia vt virtus est.

22. *Iustitia vniuersalis & particularis.*

Vniuersalis est duplex, actualis, & habitualis.

Vtraque diuiditur in naturalẽ & infusam.

Variè accipitur verbum iustifico.

Apoc. 22.

DISPVTATIO XLV.

De gratiâ iustificante comparatâ cum remissione mortalis.

SECTIO I.

Quomodo in iustificatione distinguantur remissio peccati & infusio gratiæ.

SVBSECTIO I.

Status quæstionis proponitur; & obseruatio quædam necessaria præmittitur.

PRO intelligentia aduerte Primò, non esse sermonem de iustificatione, quæ nullum supposuit peccatum in homine, comparata eum iustificatione in alio, vbi præcessit mortale: hæ enim duæ sine dubio realiter distinguuntur; quæstio ergo est in eadem iustificatione peccatoris, in qua & peccatum præcedens illi remittitur, & gratia infunditur; ibi enim quærimus, quomodo illa duo distinguantur.

I. *Notandum Primò, quæstionem esse de iustificatione peccatoris.*

Aduerte Secundò, si remissio peccati sumatur pro actu ipso condonante offensam, sine du-

Notandum Secundò, actum con-

Digitized by Google

dum antem realiter distingui ab infusione gratiæ. Notandum Tertiò pro certo, ratione nostrâ distingui remissionem passiuam & gratiæ infusionem. An realiter ea distinguantur.

bio realiter distingui ab infusione gratiæ, quæ est creatum quid: quæstio ergo est de remissione ipsa passiua.seu de carentia peccati, quæ in ipso homine resultat.

Tertiò aduerte, certum esse, ea duo distingui ratione nostra, seu ex modo concipiendi, quia alium conceptum formo, dum concipio ab homine tolli peccatum commissum, seu illum reduci ad statum,quem habebat antequam peccaret, alium verò, dum concipio illi infundi gratiam.

Quæstio ergo est, vtrùm ea duo distinguantur realiter. Pro quo Quartò aduerte, quæstionem hanc clariùs propositam relabi in vnam ex his tribus. Prima est, an peccatum habituale consistat formaliter in priuatione gratiæ: tunc enim,quia positio gratiæ est realiter ablatio priuationis ipsius,realiter etiam infusio gratiæ erit ablatio peccati. Altera quæstio est, vtrùm de potentia absoluta possit gratia esse cum mortali. Tertia est,an mortale remitti diuinitus possit sine infusione gratiæ. Si enim hæc asserantur,tũc necessariò remissio erit distincta ab infusione,vt pote ab ea realiter separabilis, & quidẽ mutuo; si verò ea duo negentur, & necessariò etiam in ordine ad potentiam absolutam remissio peccati debeat habere infusionem gratiæ, & hæc è contrario necessariò expellat peccatum, quod repetit in subiecto, meritò potest dici duos eos effectus non esse realiter distinctos; vnde miror hanc quæstionem seorsim fusè vt quid diuersum tractari à P. Suario c.11. inferius verò eas alias quæstiones. Vnde etiam dico Patrem Vasquez, qui duas eas sententias negat, meritò asserere, idem esse realiter ea, quæ vt duo significantur, è contrario verò Patrem Suarium, qui duas eas opiniones defendit,etiam meritò & consequenter hîc dicere, ea duo realiter distingui saltem ratione eius separationis.

An diuinitus peccatum esse possit cum gratiâ. & an hæc infundi sine illius remissione.

Suarius duas has quæstiones diuersas admittens, tertiam tamen, videlicet,an remissio & infusio sint eadem, vt à priori diuersã seorsim tractas.

2.

Suarez difficulter infusionem gratiæ distinctam à remissione mortalis ostendit. Respondet. Non satisfacit, Refutatur Totum potest ablatâ qualibet eius parte. In omni sententia probatur.

Circa Primam verò P. Suarez, docens habituale consistere in priuatione gratiæ, vix potest defendere,infusionem gratiæ esse diuersum quid à remissione mortalis:tetigit argumentum,& respondit,habituale non consistere adæquatè in sola priuatione,sed eam priuationem gratiæ compleri per aliquid aliud,ratione cuius potest indigere aliâ mutatione reali. Verum hæc responsio nullatenus satisfacit obiectioni;etenim vt totum aliquod formaliter auferatur, non est necessarium vllo modo auferri omnes illius partes, sed sufficit, si vel vnica auferatur, dummodò illa sit essentialis, homo v. g. sine dubio non consistit adæquatè in solâ vnione essentiali: aut (si hanc vnionem non admittimus,vt loquamur in omni sententiâ) pono exemplum in animâ; certè hæc non est tota essentia hominis;vel,si magis ad solutionem Patris Suarez placet accedere, pone in materiâ primâ, quæ non est tota essentia hominis, & tamen ablatio vnionis, etiam cæteris omnibus manentibus, est formaliter ablatio hominis, vel ablatio materiæ est formalis ablatio hominis: neque distingui ibi possunt duæ reales mutationes; vna ad ablationem hominis, altera ad ablationem formæ: id quod à nemine negari potest: ergo cùm priuatio gratiæ in eâ sententiâ, etiamsi non sit tota essentia peccati habitualis,sit tamen pars essentialis illius,ablatio eius priuationis erit ablatio peccati realiter, imò etiam ratione: certum enim est,ablationem priuationis formæ non esse realiter quid distinctum ab ipsius formæ positione, ergo, iuxta eam sententiam, non potest vllo modo dici,duas esse ibi reales mutationes; imò neq; potest defendi diuinitus esse posse simul gratiam & peccatum. Hoc argumentum fusiùs deduxi præcedente Tomo, vt probarem,peccatum habituale nec partialiter constitui priuatione gratiæ,sufficiat iam illud insinuasse,vt appareat vbi sit consequẽtia doctrinę.

Argumentũ fusè probatũ Tomo præcedente.

In hoc summa lis est inter Vasquez & Suarium.

Video præterea in hoc dubio summam esse inter Patrem Vasquez & eius asseclas ex vnâ parte, & Suarium alioſque omnes ex alterâ altercationem;trahitur etiam hæc difficultas ad aliud punctum de remissione mortalis per solam extrinsecam condonationem diuinam:video etiam meritò sententiam Patris Vasquez refelli, quia reuerà minùs est probabilis; non tamen video sufficienter eius argumentis, quibus totâ eâ disp. 203. & 203. vtitur, satisfieri,quia non tangitur punctum vnicum quidem, sed in quo omnes rationes Patris Vasquez nituntur; quo ablato, planè nullæ sunt; quo stante, efficacissimæ sunt: & verè neque P. Suarez, neque alij, qui contrariam Patris Vasquez sententiam tenent, ab eo prædicto puncto dissentiunt, vel saltem non sufficienter eam mentem declarant; vndè vereor ne non minùs consequenter eius doctrina reijciatur. Principium ergo Patris Vasquez, hoc est,peccatum habituale non aliter vllo prorsus modo à Deo pendere quàm à non infundente gratiam aut formam aliam physicam contrariam priuatiuè peccato: quo principio statuto, euidentissimum est, si semel eam formam Deus velit infundere, non esse necessariam vllo prorsus modo etiam voluntatem Dei distinctam remittentem aut condonantem peccatum: sicut, quia tenebræ non aliter pendent à Deo, quàm vt à non volente producere lucem, repugnat,vt, posita voluntate creante lucem, necessaria sit alia volitio Dei tollens, aut, vt sic dicam,remittens tenebras. Hoc principium passim tota ea disputatione repetit,& ex hoc euidenter respondet instantiæ ab expulsione contrariorum desumptæ; nam calor v.g. expellendus per frigus non solùm conseruatur à Deo quatenus non producit frigus, sed per verum & positiuum influxum; qui debet omnino cessare posito frigore: ex qua etiam doctrina meritò infert, nec diuinitus posse fieri, vt gratia simul sit cum peccato habituali. Dico *cum habituali*; nam de actuali nihil suadetur; quia actuale non consistit in ea carentia aut priuatione,sed in voluntaria præcepti transgressione; in qua aliunde oportet ostendere repugnãtiam cum gratia:de quo nonnihil infrà.

3.

Principium illius adducitur,peccatum videlicet habituale in hoc solùm pendere à Deo quòd non infundat gratiam.

Respondet instantiæ desumptæ ab expulsione contrariorum.

Hinc infert etiam diuinitus gratiam incompossibilem esse cum habituali peccato.

Portò illud principium inde P. Vasquez deducit,quia totum peccatum habituale debet esse quid distinctum à Deo: non enim homo est in peccato, quia Deus eum odio habet; sed è contrario, ideo eum Deus odio habet, quia homo est malus;ergo peccatum habituale non est aliud quàm relatio quædam ex peccato actuali præterito desumpta, adiuncta seu connotata carentia formæ rectificantis eumdem hominẽ:atqui præteritio physica iam non pendet à Deo,quia Deus facere non potest,vt non fuerit;carẽtia verò eius nitoris seu formæ rectificantis non aliter pendet à Deo nisi quatenus nõ vult eam formã ponere; ergo datâ eâ formâ, quia iam est ablata pars seu cõditio essentialis peccati,repugnat concipi illud manere; nec necessaria vllo modo est alia voluntas remittens.Hæc est tota doctrina,quam longis eis duabus disputationibus prosequitur fusè, & in quâ tota substantia huius & aliarũ opinionum consistit

Vnde principium suum deducat.

Peccatum habituale, iuxta hunc auctorem est relatio ex peccato præterito desumpta, & carentia formæ iustificantis hominem.

Digitized by Google

Hanc suam doctrinã maximè hæreticis opponi putat.

consistit; & quam ibi summè deprædicat, vt aduersam maximè hæreticis huius temporis, qui peccati remissionem & iustificationem per intrinsecam imputationem & fauorem Dei fieri opinantur: quem scopulum planè putat Vasquez non aliâ ratione vitari posse, quàm ipsius sententiam defendendo: hanc etiam doctrinam cum proportione extendit ad actum charitatis, quem putat esse formam sanctificantem.

4. *Argumentis illius breuiter respondetur. Negatur illius principium.*

Igitur, vt vno verbo omnibus illis argumentis respondeamus, dicimus, peccatum habituale pendere à Deo vt non condonante, seu non remittente illud: negamus etiam Patri Vasquez habituale consistere in actu præterito cum negatione formæ rectificantis: præcisè enim consistit in actu præterito nõ sufficienter retractato, & à Deo non condonato, seu non remisso; vnde manifestè colligitur, solùm tolli formaliter vel per æqualẽ satisfactionem, vel certè per ipsam condonationem Dei: cùm ergo gratia habitualis non pertineat ad genus satisfactionis aut retractationis, sed sit per modum formæ pulchræ contrariæ turpitudini peccati, contritio verò (vt dicemus infrà) etsi fit retractatio, non tamen æqualis & condigna, manifestè infertur nõ tolli formaliter peccatum sine aliquâ volitione Dei per solam gratiam & actum contritionis; imò neque in eo sensu formaliter tolli per hypostaticam vnionem, licet hæc petat essentialiter, vt Deus illud peccatum remittat, si præcessit.

Adducitur essentia habitualis peccati.

Non tollitur peccatũ formaliter sine aliquâ volitione Dei à gratia infusione & contritione distinctâ.

Peccatum autem habituale consistere in his quæ diximus, fusè ostendi Tomo præcedenti agens de habituali; vbi respondi simul omnibus obiectionibus, quæ in contrarium afferri possent; iam verò animus non est ea repetere; solùm dico, me mirari valdè, quòd P. Vasq. nolit cum proportione discurrere de Dei offensâ, vt discurrimus de humanâ: vt enim inter homines, si quis alterum offendit, non censetur offensa deleri, quantumuis offendens fiat nobilior, doctior, pulchrior, amabilior, nisi satisfactionem æqualem exhibeat, vel certè offensus condonet iniuriam; ita etiam respectu Dei formaliter hominem non satisfacere pro offensa in ipsum (non disputo, vtrùm sit in rigore iustitiæ nec ne; certum enim est peccatum ex solâ transgressione præcepti diuini, & consequenter ex offensâ Dei habere grauitatem summam, quàm in eo agnoscimus) non, inquam, satisfacere formaliter, etiamsi per gratiam fiat pulchrior, nisi Deus condonet offensam ad exigentiam eius gratiæ; vel certè nisi ipse homo offerat satisfactionem æqualem: id quod impossibile esse infrà ostendemus. Ecce ex contrario & verissimo principio, maximéq; conformi generi motis, facilè & argumenta Vasq. soluuntur, & euidenter nostra sententia confirmatur; nec dubito, quin, admisso eo principio de constitutiuo habitualis, pedibus & manibus in nostram iuisset P. Vasquez.

Peccati essentiam sic benè explicatam esse fusè ostensum est Tomo præcedenti.

Vasquez cũ proportione discurrere deberet de offensa diuina, vti nos de humanâ.

Ex contrario principio soluuntur argumenta contraria, & nostra doctrina stabilitur.

5. *Notandum pro Suario.*

Secundò item obseruo pro P. Suario, eum quidem sæpè insinuare, habituale includere saltem vt partem, essentialem tamen, priuationem gratiæ: ex quo capite paulò antè dixi illum videri non consequenter locutum; nihilominùs tamen in his capitibus aliquãdo obiter insinuare verum principium circa habitualis consti utionem: nam duo in peccato distinguit, maculam & rationem offensæ; maculam dicit constitui per priuationem gratiæ, offensam verò per peccatum præcedens non retractatum, aut non condonatũ. Quam doctrinam hoc solùm modo approbo, vt maculam illam non dicat esse quid morale, sed purè physicum; sicut carentia vnionis hypostaticæ potest dici macula seu carentia pulchritudinis; & consequenter eam maculam totam extrahat à ratione peccati habitualis: quo sensu meritò dicere potest eam maculam tolli posse non ablatâ offensâ & hanc posse auferri non ablatâ eâ maculâ; & facilè respondebit omnibus his, quæ contra ipsum, licet tacito nomine, P. Vasquez obiicit eâ disp. 204. cap. 6. nam ea procedunt ex eo, quòd Vasquez putet à Suario eam maculam dici partem essentialem peccati: quòd si Suarez dicat maculam illam esse quid turpe moraliter, & partem peccati, tunc eam sententiam non admitto; & per eam incurrit obiectionem suprà à nobis factam: & meritò à Vasq. impugnatur, quia ablatâ vna parte peccati non potest absolutè illud manere, & consequenter Deus non potest esse homini offensus, ac proinde non est necessarius vllus alius fauor extrinsecus ex parte Dei; quo autem ex his duobus sensibus ille loquatur non facilè colligitur, quia rem non explicuit ex proposito; & in materia de peccatis agens de habituali valdè videtur ad secundum sensum inclinare, insinuans semper priuationem esse partem habitualis: sed quidquid de eius mente sit, nobis sufficiat declarasse verum sensum eius propositionis, & in quo totus cardo difficultatis voluatur.

Ex quo facilè respondes eis quæ illi tacitè obiicit Vasquez.

Maculã peccati esse partem & quid turpe moraliter meritò impugnat Vasquez.

SVBSECTIO II.

Vera sententia.

6. HInc ad præsentem quæstionem dicimus, cùm nos priuationem gratiæ in partem habitualis non admittamus, posse consequenter docere (vt & docebimus infrà) peccatum diuinitus sine infusione gratiæ remitti posse; item è contrario gratiam esse posse simul cum peccato: vnde hìc consequenter dicimus duas eas mutationes ita esse realiter distinctas, vt & sint separabiles. Quæ est sententia P. Suarez eo cap. & Diui Thomæ 1.2.q.113.art.1.& q. 28. de veritate art. etiam primo in corpore: alios auctores pro eo citat ibi Suarez: est idem ea valdè conformis Tridentino, quantum ad distinctionem earum mutationum; nam sess. 6. cap. 7. ait iustificationem non esse solam remissionem, sed renouationem, &c. qui modus loquendi supponit ea duo esse inter se condistincta; habet autem sæpè Concilium talem modum loquendi. Ratione clarè suadetur ex his quæ præmisimus, & ex aliis quæ inferiùs probabimus; nam si peccatum non includit priuationem gratiæ, non est cur diuinitus cohærere cum illa non possit; si item habituale includit non-condonationem Dei; ergo supra infusionem gratiæ necessaria est ea condonatio ad illius remissionem: & quandoquidem diuinitus gratia & peccatum cohærere possunt, profectò vt vnum alterum expellat, aliquid amplius requiritur; id autem sola est volitio Dei. Hæc est conclusionis probatio; nam quam aliqui adducunt, quòd habituale non sit sola priuatio gratiæ, ergo indiget alia mutatione, vt quidquid est peccatum auferatur; hæc, inquam, non vrget, quia immediatè antè ostendi, sufficere ad ablationem totius, si auferatur vna illius pars; vnde potiùs inde suaderetur sententia Patris Vasquez, si verum esset illud principium.

Infusio gratiæ & remissio mortalis realiter distinguuntur. Doctrina hæc Tridentino conformis.

Ratio clara ex dictis & infrà dicendis.

Vnica conclusionis probatio.

Secunda aliorum ratio est, quia eadem est iustificatio quoad positiuum in homine, qui non habuit

Ratio Secunda.

Digitized by Google

habuit peccatum, & in homine qui habuit; atqui in hoc habet aliquid amplius; ergo hoc est distinctum ab illo. Verùm & huic facilè respondet Vasquez, eam differentiam non esse ex parte mutationis, sed ex parte præcedentium; quod sine dubio nullus negabit; quod scilicet in vno præcesserit peccatum, in altero non; datâ autem ea præcedentia nullam esse diuersitatem in ipsa mutatione.

Tertiò. Tertiò argumentantur, quòd ea mutatio in peccatore sit à contrario in contrarium, ergo sunt duæ mutationes, vna negatiua, altera positiua. Verùm & huic respondetur, si habituale saltem partialiter includat priuationem gratiæ tunc eam mutationem esse non à contrario, sed à priuatiuo; neque vrgeri potest, eò quòd peccatum non sit sola priuatio, quia iam ostendi ad eius destructionem sufficere, si partialiter in ea consistat: concludo ergo non posse aliter hanc sententiam suaderi quàm supponendo ea principia, quæ subsectione 1. insinuaui.

7. *Replica. Prima. Refellitur.* Fortè aliquis diceret Primò, etiam in sententiâ Patris Vasquez, posse peccatum remitti sine infusione gratiæ, si ea priuatio transiret in negationem. Verùm hæc solutio non est ad rem; quia tunc non esset eadem numero remissio quæ iam; ergo ex eo, quòd ea distinguatur, nihil infertur circa præsentem.

Replica Secunda Secundò diceret quis posse peccatum tolli per vnionem hypostaticam; ergo infusio gratiæ habitualis diuersus modus est à remissione peccati: sed & huic facilè respondetur, solùm probari duas infusiones formæ sanctificantis esse identificatas cum remissione peccati, aut saltem essentialiter connexas; indè tamen non inferri quamlibet ex illis posse separari à remissione, quando supponitur peccatum in subiecto; sicut ex eo, quòd equus & homo sint animal, non infertur hominem esse distinctum ab animalitate propriâ, aut posse ab eâ diuinitus separari; ergo ea infusio gratiæ habitualis, quæ supponit peccatum, non potest à remissione distingui, vel saltem separari, nec quidem diuinitus, siue dicatur vna, siue duæ: quod vltimum fortè ad quæstionem de nomine pertinebit.

Refutatur.

Obiectiones postea diluentur, nunc breuiter. Obiectiones, quas in contrarium affert Pater Vasquez; soluentur, dum ex proposito eæ duæ quæstiones, ad quas, vt dixi, reuocatur hæc quæstio, expeditæ fuerint; nunc vno verbo dico, ideò eas duas mutationes declarari per modum vnius, quia expulsio peccati naturaliter sequitur ex productione gratiæ; sicut expulsio frigoris ob eamdem rationem censetur vna cum introductione caloris; neque hinc vllo modo sequitur iustificari hominem per fauorem extrinsecum, vt suprà dixi agens, an gratia se sola sine volitione Dei constituat filium adoptiuum, iustum, sanctum, &c. nam si illa condonatio exigitur naturaliter à formâ intrinsecâ, profectò non potest dici extrinseca: sicut calor non dicitur expelli per aliquid extrinsecum, etiamsi necessaria sit volitio extrinseca cessandi ab eius conseruatione: quam instantiam etiam approbasset Vasquez, si admisisset habituale aliquo modo à Deo pendere: quod nos suprà explicuimus: vnde iterùm dico, hanc quæstionem totam ab eo puncto de habituali constitutiuo pendere.

8. *Quainterhas duas mutationes nobilior, & per se magis intenta sit.* Posset quæri pro complemento, quæ ex his duabus mutationibus sit nobilior, & magis per se intenta; remissio peccati, an infusio gratiæ. Respondeo in genere doni, maius quid esse remissionem peccati quàm introductionem gratiæ. Ponamus hominem, cui Deus remittit mortale non infundendo gratiam, & alterum, cui infundat gratiam non remittendo peccatum, vt contigit in Adamo ante lapsum; certè maius beneficium Deus præstitit illi quàm huic: quod vel inde confirmo manifestè; nam, vt alteri non habenti mortale mereatur quis de condigno primam gratiam, non indiget infinito merito, sed purus homo in gratiâ existens id præstare poterit (vt dicam infrà cum Patre Suario & multis:) nam sicut sibi potest mereri augmentum, potest alteri primam gratiam (quando non obest in altero peccatum;) quia in genere moris vix est maius quid mereri alteri quàm mihi, idem omnino præmium in se, si vnus præ altero non resistit eius præmij receptioni. At nullus nisi Deus homo mereri potest alteri de condigno remissionem etiam solam mortalis (vt alibi manifestè Deo dante probabo;) ergo maius quid est remissio sola mortalis quàm donatio sola gratiæ, si seorsim consideretur. Dico *si seorsim consideretur*; nam si accipiatur vt simul coniuncta cum remissione, tunc non potest esse dubium; nam omne totum maius est qualibet parte. Stat in contrarium P. Suarez, qui obiter rem tangens eo cap. 11. num. 20. ait maximum Dei beneficium inter creata esse filiationem adoptiuam Dei. Respondeo tamen inter beneficia positiua hoc esse maximum; fortasse tamen aliquis visionem dicet maiorem; sed hoc non est iam ad nostrum intentum; absolutè tamen, comparando tam positiua quàm negatiua inter se, maximum esse redemptionem à mortali. Respondeo Secundò, de facto, vt ea adoptio reperitur, quia simul habet annexam remissionem peccati, sine dubio esse maiorem quam sit ipsa remissio sola secundùm se sumpta.

Remissio vt donum nobilius quid est gratia infusione.

Non est maius alteri quàm mihi mereri moraliter.

De facto adoptio melior est remissione peccati.

9. *Obiectio.* Dices, Fortè nos paulò pòst docebimus, effectum remissionis mortalis esse annexum naturaliter gratiæ; ergo gratia debet esse aliquid maius quàm remissio; nam causa semper est aliquid maius quàm effectus. Respondeo, argumentum pati instantiam in visione beatâ, quam esse nobiliorem gratiâ multi valdè probabiliter docent; & tamen exigitur naturaliter ab eâ, ergo Secundò respondeo ex doctrinâ magis certâ & communi, omnes dispositiones accidentales esse minùs perfectas ipsâ formâ substantiali, ad quam disponunt; & tamen certissimum est eas naturaliter exigere & inferre eam formâ. Hinc respondeo Tertiò, & absolutè: causam formalem benè posse habere effectum secundarium se maiorem (vt ipsemet Suarez fatetur;) ait enim actū bonum supernaturalem, etiam non dignificatum à gratiâ, dūmodò homò illum eliciens non sit in mortali, exigere infusionem gratiæ, imò visionem beatam; quæ sine dubio nobilior est ipsò actu. Ratio disparitatis inter causā formalem & efficientem ea est, quòd efficiens concurrit dando verè esse, ideoque necessum est, vt illud contineat, at formalis respectu effectus secundarij non se habet nisi per modum exigentis aut disponentis: vt autem aliqua res exigat aliam, vel ad eam disponat, non est necessum vllo modo vt sit illi æqualis. Respondeo Quartò, aliquid posse esse in genere doni maius, quod in se sit minus; nos autē hucusque solùm diximus, in genere doni eā remissionem esse maiorem; nam in genere entis cùm remissio sit pura carentia, gratia autem sit entitas positiua nobilissima, procul dubiò absolutè in se

Responsio Prima.

Secunda.

Tertia.

Ratio disparitatis inter causam formalem & efficientem.

Responsio Quarta.

Digitized by Google

se hæc erit longè nobilior. Ratio verò huius disparitatis inter rem donatam secundùm se sumptam, vel consideratam in genere doni, ea est, quòd donum seu beneficium non consideratur ex solâ re quæ datur, sed ex circumstantijs hîc & nunc occurrentibus; vnde longè maius beneficium est dare inimico vnam rem quam eamdem dare amico. Cùm ergo ad non remittendum peccatũ retrahat Deum ipsa malitia peccati, quæ est quodammodò infinita, aut saltem in altiori ordine supra omnia bona opera puræ creaturæ, meritò ex eâ circumstantiâ constituitur remissio maior in ratione doni & beneficij quàm donatio gratiæ; esto hæc in se sit entitatiuè minor.

Donum non consideratur secundùm rem datam, sed ex circumstantijs in quibus datur.

10. Hinc addo, quando Deus præuidens subiectum peccato iam affectum vult illi dare gratiam, tunc eam dationem esse maiorem; quia in eâ virtualiter Deus se determinauit ad conferendum secũdum beneficium: nullo autẽ modo repugnat aliquẽ se determinare virtualiter ad maius præstandum, dum se determinat formaliter ad minus; ex quo videt secuturum maius. Et hæc dicta sint quoad magnitudinem beneficij.

Communiter tamen docentur gratiam naturâ suâ peccati expulsionẽ exigere.

Principaliter magis intenditur gratia quàm remissio.

Iam verò circa alterum punctum, quæ ex his duabus mutationibus fuerit magis principaliter intenta, respondeo breuiter, certum esse magis intentam gratiam, quia ea est per modum finis; cùm enim Deus hominem creauerit ad gloriam, intendit directè gratiam, quæ est illius semen, remissionem autem peccati solùm vt auferentem impedimentum.

Obiectio. Soluitur

Obiicies, Communiter dicitur Christum venisse præcipuè vt nos redimeret. Respondeo, id intelligendum de intento quasi magis immediato: sicut dum quis quærit chirurgum, si rogatur quid intendat, respondebit inuenire chirurgum; si autem vlterijs rogetur, an id principaliter, respondebit non, sed sanitatem; quia ergo ad gloriam habendam peccata impediebant, ideo Christus magis immediatè venit, vt tolleret peccata; id tamen ipsum ordinauit, vt daret gratiam & gloriam; ideóque duo hæc magis intendit.

SECTIO II.

Vtrùm gratia naturâ suâ expellat peccatum mortale.

11. *De veniali non est quæstio.* DE veniali nihil dico, quia gratia in quocumque gradu potest cum illo existere; inferius autem explicandum erit, quomodo illud expellatur. Est ergo quæstio præsens solùm circa mortale; erga quod duo quærimus: Primum, an gratia illud expellat naturâ suâ; hoc est, sicut calor intensus naturaliter expellit frigus intensum; an verò solùm ex extrinsecâ voluntate Dei: alterum, an etiam in ordine ad potentiam absolutam repugnet cum illo; de hoc secundo sect. quartâ.

Duo quærunter. Primum.

Secundum.

Aliqui docuerunt gratiam posse componi naturaliter cũ peccato.

Non defuêre, qui entitatem gratiæ ex naturâ suâ compossibilem dixerint cum peccato, & solùm ex voluntate Dei, volentis liberè ad præsentiam gratiæ peccatum remittere, censuerint opponi. Quæ doctrina probatur indirectè ex Tridentino, quatenus in eo nihil dicitur de ea oppositione; sed remissio peccati & infusio gratiæ ponuntur tamquam duæ mutationes se concomitantes. Secundò, quia gratia solùm opponitur priuationi ipsius, ergo non peccato. Tertiò, quia peccatũ est quid morale, ergo non potest expelli physicè per gratiam. Quartò, quia si peccatum non cohæreret naturaliter cum gratiâ, non posset iustus peccare, haberet enim impedimentum naturale pro peccato, id est eam gratiam. Ita Coninck. sect 3. citandus.

De hac nihil certi ex Scripturâ vel Patribus statui potest.

In hac quæstione dicendum est, non posse omnino certò aliquid decidi, quia (vt sæpè dixi) de gratia nihil ratione naturali definire possumus; ex Scripturâ verò, Concilijs & Patribus non potest in hoc puncto quidquam deduci, quia licet sæpè dicant, in iustificatione esse remissionem peccati & renouationem, non tamen declarant, vtrùm vnũ ex altero inferatur naturaliter, an verò sint duo inter se ex voluntate diuinâ connexa; nihilominùs tamen addo longè probabilius esse, gratiam de se & naturâ suâ exigere eam expulsionem peccati: probatur autem Primò, quia ita sentit maior & melior pars Scholasticorum cum D. Thomâ 1.2.q.111.art.2.in corpore, vbi docet, gratiam formaliter sanare animam, hoc est, expellere vulnus peccati. Auctores vide apud Suarez suprà, Bellarminum lib.2. de Iustificatione, & Turrianum 2.2. Tom.1.disp.72. Secundò suadetur ex Catechismo Romano, vbi dicitur gratiam iuxta Tridentinum esse qualitatem in animâ veluti splendorem & lucem delentem omnes maculas animæ: quod sine dubio denotat vim naturalem sufficientem ad eum effectum. Tertiò probatur, quia est conformior Tridentino sess. 5.cap.5. vbi docet per gratiam in Baptismo collatam remitti reatum originalis peccati: quod causalitatem formalem denotat. Fortè respondebitur remitti quidem per gratiam, non tamen ex naturâ sua; sed quia Deus vult ad eius præsentiam illud remittere: sicut licet Baptismus natura sua non causet gratiam, quia tamen Deus de facto vult per illum eam causare, rectè absolutè dicitur causare gratiam. Sed contrà, quia gratia nõ potest efficienter causare remissionem peccati; hæc enim consistit in solâ condonatione Dei, quæ est actus ipsius intrinsecus; vel, si vis, etiam in infusione gratiæ: atqui gratia neque causat seipsam efficienter, multò minùs actus liberos Dei; ergo non causat efficienter remissionem peccati, ergo solùm debet causare formaliter, exigendo scilicet vt Deus condonet peccatum ob repugnantiam sui cum eo peccato; sicut calor productus exigit expelli frigus: atqui hoc genus causæ formalis non potest à Deo superaddi rei, si ipsa ex se id non habet: non enim potest Deus suâ sola voluntate extrinseca efficere vt opponatur calor luci, aut è contrario; quia ea oppositio est exigentia seu prædicatum intrinsecum, quod mutari à Deo non potest: poterit quidem Deus expectare vt occasionem pro remissione existentiam gratiæ; sicut ego possum vt moueam manum expectare vt Petrus se moueat; per hoc tamen non potest dici, quòd motus Petri sit causa formalis aut etiam efficiens mei motus.

12. *Replica.*

Refutatur.

Gratia causat formaliter remissionẽ peccati.

Simile de Baptismo refellitur.

Et hinc respondetur ad instantiam è Baptismo petitam; nam ibi interuenit causalitas efficiens, ad quam Deus potest eleuare res, quæ natura sua eam non possunt habere; at in præsenti interuenit causa formalis, quæ, iuxta dicta, suppleri à Deo non potest.

13. Quartò eadem veritas suadetur, nam certissimum est, vt magis deducam sectione tertia, hanc vim naturalem expellendi formaliter peccatum seu repugnantiam cum illo in eodem subiecto non esse aliquid vllo modo repugnans alicui entitati creatæ, sed posse connaturalissimè in ea repetiri;

Digitized by Google

repetiri; neque enim id arguit infinitam virtutem, aut aliam implicationem, vt ostendemus in solutione obiectionum: hac verò qualitate possibili admissâ, quis meritò dubitare poterit, longè congruentius esse Scripturæ, Concilijs, maximè Tridentino, Patribus & Theologis, si talem dicamus esse gratiam, quæ de facto datur? affirmant enim passim eam esse pretiosissimum donum, lucem, vitam, sanctitatem, filiationem Dei, iustitiam, &c. At lux naturâ suâ opponitur tenebris, vita morti, sanctitas iniquitati, filiatio exclusioni à Regno per peccatum, si autem ea gratia nihil horum haberet naturâ suâ, quî maximum & pretiosum donum diceretur? quî ei tales tribuerentur effectus? ergo immeritò de tali virtute dubitatur.

Cùm non repugnet qualitas expulsiua naturâ suâ peccati, conforme est sacra Scriptura, Concilijs, Patribus & Theologis talem de facto esse gratiam.

Iam ad argumenta opposita dicimus: ad Tridentinum, esto in vno loco non declarauerit gratiæ vim, eam tamen in alijs declarasse.

Ad argumenta opposita respondetur Ad Primum. Ad Secundum.

Ad Secundum, quòd gratia solùm opponatur priuatiuè propriæ carentiæ, respondeo Primò, in multorum sententiâ, eo ipso opponi priuatiuè peccato, quod constituitur per eam priuationem: Secundò respondeo, argumentum esse nullius momenti; nam nullum contrarium opponitur priuatiuè alteri; & tamen hoc non obstante vnum expellit alterum: sic frigus expellit calorem, & odium amorem, &c. vnde admitto libenter (quod maximè verum est in meâ sententiâ de constitutiuo habitualis peccati) non tolli illud immediatè per gratiam, sicut tolluntur tenebræ per lucem, sed mediante condonatione Dei; quam tamen naturâ suâ exigit ea gratia, sicut calor non tollit immediatè frigus, sed exigendo vt Deus cesset ab illius conseruatione. Id quod magis in sequentibus declarabitur.

Replica.

Verùm replicabis hinc, Ergo non benè anteà ex Scripturis diximus gratiam esse veluti lucem, peccatum verò veluti tenebras. Respondeo negando consequentiam, quia non dixi in omnibus planè esse idem, sed quoad hoc quòd inter se opponantur ex naturâ suâ; non enim similitudo & allegoria exigit, vt omnia quæ in vno sunt alteri applicentur.

Soluitur

14. *Ad Tertium.*

Ad Tertium de esse morali faciliùs respondemus Primò, nimiùm eo probari, scilicet, nec quidem vnionem hypostaticam connaturaliter excludere peccatum, ideoque connaturaliter posse humanitatem vnitam peccare: quod nullus ex his, cum quibus agimus, docet. Secundò absolutè respondeo, Si forma physica simul spectet ad genus moris, quatenus est iustitia, sanctitas, &c. meritò posse ex naturâ suâ petere vt excludatur è subiecto iniustitia, siue ea consistat purè in aliquo physico, siue in aliquo morali: id quod faciliùs adhuc percipitur interueniente volitione Dei annuentis ei exigentiæ, & ratione illius condonantis peccatum.

Ad Quartum.

Ad Quartum respondeo, me mirari homines doctos eo argumento vsos, quod in omnibus contrarijs naturalibus patitur instantiam; etenim certum est calidum vt octo non posse naturaliter simul habere frigus vt octo; & tamen non inde infertur, calidum vt octo non posse infrigidari amittendo calorem. Item, amor repugnat odio eiusdem obiecti, fortasse etiam diuinitus, vt ego censeo; & tamen quis inde intulit, *Ergo qui amat non poterit odio habere?* deponendo enim amorem, seu ab eo cessando, dare potest locum odio. Ita in præsenti dico iustum non posse peccare retinendo simul gratiam, & hoc solum probari ex oppositione naturali inter peccatum & gratiam; at posse peccare, & per peccatum expellere gratiam, quia Deus eam conseruans non priùs se ad id determinat, quàm videat eum hominem non se ad peccatum determinare, ideoque in priori naturæ, quo homo est liber ad peccatum & eius carentiam, præscinditur à gratia, iuxta statim fusiùs dicenda contra Lorcam.

Vbi illud circa hoc argumentum obserue, eamdem habere contra eius auctores difficultatem; nam siue ex naturâ rei, siue ex diuinâ voluntate, certum est de facto non posse cohærere gratiam cum peccato; iam ergo videant hi, quomodo iustus habens gratiam possit peccare, cum non habeat vires de facto, vt gratiam cum peccato iungat: debent ergo ad solutionem nostram recurrere.

Notandum circa hoc argumentum.

Ex his obiter obserue contra Lorcam disp.40. de gratiâ, non posse, naturaliter loquendo, nec per vnicum instans componi peccatum mortale tam actuale quàm habituale cum gratiâ: hic enim auctor deceptus apprehensione quadam vulgari, quòd nihil possit expelli, nisi quando actu existit, opinatus est, eodem instanti, quo iustus peccat mortaliter, simul esse & peccatum nouum, & gratiam antiquam. Quæ sententia inprimis repugnat Tridentino, quod sess.5.cap.5. ait, in renatis nihil Deum odisse, quia nihil Deus odit in his qui verè consepulti sunt Christo: atqui in eo instanti, in quo est gratia, homo est renatus Deo; ergo si in eodem instanti simul sit peccatum, Deus iam in eis renatis aliquid odio habebit. Secundò ea sententia repugnat toti Philosophiæ; nam contraria, eo ipso quod talia sint, ac se inuicem expellant, non possunt esse vmquam simul, nec quidem per vnicum instans; nam si eo instanti simul cohærerent, possent & sequentibus omnibus cohærere. Dixi hunc auctorem deceptum vulgari apprehensione, quia, philosophicè loquendo, rem expelli hoc instanti nihil est aliud quàm rem anteà fuisse, & nunc primò non esse, ob alterius ingressum; quando verò dicitur priùs naturâ esse peccatum quàm expulsionem gratiæ, non debet propterea inferri, Ergo in eo priori ante expulsionem adhuc est ibi gratia; in hoc enim sensu numquam posset expelli, quia semper prior est noua forma expellens quàm expulsio antiquæ, in quocumque instanti hæc expellatur. Solùm ergo per hoc significamus, in eo priori nec esse formam antiquam, nec eius carentiam, quia in eo priori præscinditur ab vtroque, eo modo quo in priori naturæ, quando voluntas est indifferens ad amorem & carentiam illius, non intelligimus amorem, alioquin non esset voluntas indifferens ad carentiam illius; neque intelligimus carentiam, alioquin non esset voluntas indifferens ad amorem; ergo tunc datur præcisio ab vtroque. Ratio verò est, quia in eo priori solùm concipitur causa, & ea quæ ex parte illius se tenent ad operandum, causa autem amoris neque est ipse amor, neque eius carentia; eodem omnino modo dicimus, formam antiquam & eius carentiam non esse causam introductionis nouæ, sed potiùs nouæ introductionem esse causam expulsionis antiquæ; ac propterea in priori naturæ, quo nouam concipimus, nondum concipi expulsionem antiquæ, sed neque intelligi durare ipsam antiquam; sed ab vtroque præscindimus. Hanc doctrinam fusiùs tradidi in

Refutatur Lorca sententia.

vt Tridentino repugnans.

vt toti Philosophia.

Rem expelli in hoc instanti est rē fuisse, & nunc primò nō esse.

Ratio, quia causa propriori solùm concipitur cum necessarijs ex parte suâ ad operandum.

Digitized by Google

Physica: debet autem huc applicari, quia (vt dixi suprà) est generalis ad omnem corruptionem & generationem tam accidentalem quàm substantialem. Iam addo contra eumdem Lorcam, minùs consequenter ipsum suam doctrinam applicuisse ad expulsionem gratiæ per peccatum: etenim, si vera esset, deberet eodem modo locum habere in remissione peccati habitualis per gratiam; nam etiam tunc gratiæ infusio est prior naturâ remissione peccati, quia etiam est causa formalis illius; ergo deberent etiam simul tunc cohærere. Sed satis de doctrina Lorcæ.

Lorca non ob-sequenter loquitur.

SECTIO III.

Magis declaratur præcedens doctrina; & illustratur excellentia gratiæ habitualis.

15. *Coninck refutat Suarill fusè.*

HAnc sectionē institui propter P. Coninck, qui disp. 22. de charitate à n. 84. ad 162. fusissimè rem hanc tractans, & suppresso nomine, ad longum refutans Patrem Suarium multa dicit quæ debent reiici; multa item quæ explicatione indigent, vt veritas sectione & disputatione præcedenti statuta & excellentia gratiæ penitus cognoscantur; etiamsi videamur aliqua tangere, quæ ea disputatione præcedenti sunt breuiùs insinuata.

SVBSECTIO I.

Proponitur eius sententia.

Eius doctrina est, naturaliter gratiam peccatum nō excludere.

IGitur totus est, vt ostendat, nullam esse repugnantiam, etiam naturaliter loquendo, in eo quòd gratia & peccatum sint simul. Pro quo fusè probat, amicitiam inter Deum & hominem non consistere formaliter in ipsâ gratiâ iustificante; nam licet per illam efficiamur obiectum congruū amoris diuini, gratia tamen nō est formaliter ipse actus amoris: in quo solo formaliter cōsistit amicitia. Circa quod etiā addit, Deum non teneri naturaliter amare hominem existentem in gratia; si enim teneretur, eo ipso nō posset Deus talem hominē destruere, quia necessariò ei vellet benè; ergo vellet eius conseruationem. Reiicit autem ibi varias solutiones, quæ huic argumento adhiberi possunt. Vlteriùs idem probat, quia Deus non est necessitatus ad quidquam amandum, se excepto, ergo. Tertiò, quia nulla est ratio, cur dicamus, Deum teneri nos adoptare in filios, quantumuis habeamus gratiam habitualem: vnde enim tali qualitati ea vis potest prouenire? Cōfirmat, quia nulla qualitas datur, quæ naturâ suâ possit efficere filium adoptiuum Regis terreni; ergo multò minùs poterit respectu Dei, qui multò minùs cogitur ad amandas creaturas quàm homines, & multò magis distat ab hominibus quàm Rex terrenus à plebeis.

Eius probatio Prima.

Secunda.

Tertia.

Dicit Secundò, neq; naturaliter exigere gratiā vt expellatur peccatū. Supponit malè, peccatum esse infinitæ malitiæ.

Hinc docet Secundò, neque naturaliter exigere eam gratiam vt expellatur peccatum; Primò, quia nullum est fundamentum concedendi tantam vim ei qualitati: id probat solutione argumentorum. Secundò, quòd peccatum est infinitæ malitiæ (vt ipse aliunde supponit;) ergo qualitas illa finita non potest ex naturâ suâ expellere peccatum. Tertiò, quia peccatum actuale non expellit naturâ suâ gratiam, ergo neque habituale eam expellit, cùm non sit peius quàm actuale. Quartò, quia nequit ostendi in quo consistat ea repugnantia. Verùm hoc argumentum relabitur planè in Secundum. Refutat ibi varias solutiones, quæ adhiberi possunt, desumptas ex constitutiuo peccati habitualis, probans illud non consistere in priuatione gratiæ. Quintum etiam alio loco addit, quodque nos sect. præcedenti soluimus, desumptum ex libertate insti ad peccandum, quæ non videtur cohærere cum ea repugnantia gratiæ cum peccato.

16. *Docet Tertiò, gratiæ opponi peccato sicut dignitas Epis. copalis moribus scurrilibus.*

Hinc Tertiò docet gratiam habere quidem aliquam oppositionem cum peccato, sicut dignitas Episcopalis habet aliquam repugnātiam cum scurrilibus moribus; non tamen propterea repugnat cum illâ naturaliter; ita in gratia & peccato; putat autem n. 155. à P. Suarez fortè non maiorem concessam esse inter ea duo repugnantiam, & verò nec posse concedi, quia ipse P. Suarez sæpè docet, remissionem peccati esse nouum fauorem distinctum ab infusione gratiæ: id quod ait non esse verum, si natura sua gratia expelleret peccatum.

Docet Quartò, gratiam realiter non distingui à charitate, nec diuinitus ab eâ separari posse.

A nu. verò 116. proponens sententiam Suarez videtur docere Quartò, non solùm gratiam de facto esse idem realiter cum habitu charitatis, sed nec diuinitus posse ab ea distingui, quia non est possibilis vlla qualitas creata, quæ sit per modum essentiæ in ordine supernaturali, & à qua per modum passionum procedant habitus supernaturales: etenim essentiæ, si à passionibus distinguantur, eas recipiunt, & per illas operantur; at gratia neque recipit in se habitus supernaturales, neque amat aut nosci per illos; ergo non potest esse per modum essentiæ respectu illorum; ergo non relinquitur quid efficiat gratia in subiecto, nisi dare illi vim producendi amorem Dei; ergo non distinguitur nec potest distingui ab habitu charitatis. Pro quo etiam persuadendo probat essentiam diuinam formaliter in intellectione & volitione consistere; neque se habere vllo modo etiam secundùm conceptum præcisissimum per modum radicis vel principij intellectionis & volitionis. Hinc infert nullam qualitatem posse concedi, quæ nos eleuet ad participationem naturæ diuinæ, vt hæc distinguitur ab intellectu & voluntate; quia nulla talis est natura.

Putat essentiā Dei consistere formaliter in intellectione & volitione.

17. *Docet Quintò, repugnare eodē influxu duo cōtraria in subiecto conseruari.*

Præterea à num. 123. docet Quintò repugnare, vt diuinitus in subiecto conseruentur eodem influxu duo contraria, v. g. calor & frigus; censet enim debere Deum tunc potentiùs & fortiùs influere: id quod probat valdè operosè, quia si non esset necessarius fortior influxus, sequereretur, ea contraria non se vllo modo expellere naturaliter; quia ea naturaliter conseruantur, quæ conseruantur actione seu influxu naturali. Reiicit autem solutiones eorum qui dicunt, frigus non exigere in eo casu talem concursum: Si enim, inquit, ille influxus est naturalis, cur non exigetur à frigore? Confirmat: Nullus influxus potest iudicari magis debitus quàm is qui vel numero vel specie est summè necessarius, vt existat frigus in rerum natura; atqui talem ponimus hunc esse, ergo erit naturaliter debitus. Quòd si respondeatur cum aliis; calorem exigere ne frigus conseruetur; reiicit hanc secundam solutionem, quia frigus non curat quid exigat calor: neque enim ob exigentiam caloris definit esse aliquid connaturale frigori. Demus, inquit, magnum corpus aliquod frigidum admoueri exiguo igni vtcumque remoto,

Confirmat:

Digitized by Google

remoto, numquid non conseruabitur illud frigus connaturaliter in eo corpore, quantumuis calor ab eo igne introducendus petat expelli frigus? Secundò idem probat, quia sequeretur, nullum corpus frigidum (idem de aliis suo modo dicit) ex natura rei habere maiorem aut minorem vim resistêdi corpori calefactiuo, quàm hoc habeat vim illud calefaciêdi; item, quòd vnum superet aliud, ex sola Dei voluntate prouenire: quod est falsum. Tertiò argumêtatur: Nam si in cacabum vacuum vehementer calidum & ad ignem adhuc applicatum infundatur repentè frigidissima aqua, statim frigefiet cacabus: & tamẽ manet eadem vis ignis æquè applicata & æquè ex se influens; ergo calor deperditus indigebat maiori influxu, vt conseruaretur, alioquin non fuisset destructus: nec potest recurri ad hoc, quòd Deus suum concursũ neget igni: quid enim esset incommodi, eò quòd duo hęc simul conseruarentur, vt propterea Deus debeat esse solicitus de subtrahendo suo concursu? Vnum vel alterum addit argumentum, quæ relabuntur in præcedentia. Ergo hinc infert, minùs benè à P. Suario doceri, posse diuinitus peccatum & gratiam esse simul, non tamen naturaliter; quia si semel dicantur esse ea duo contraria, profectò maiori indigebunt influxu vt simul conseruentur quàm vt seorsim seu solitariè; Deus autem non potest influxum supernaturalem & fortiorem adhibere pro peccati conseruatione, ergo.

Idem probat Secundò,

Ex his infert, malè doceri à Suarez peccatũ & gratiam posse simul diuinitus & nõ naturaliter esse.

18. Sextò ait, hominem non esse magis capacem vllius beatitudinis naturalis quàm supernaturalis; nam si loquamur de capacitate passiuâ, eam etiá habet homo respectu beatitudinis supernaturalis; si verò de capacitate actiua sermo sit, solis naturæ viribus sine Dei reuelatione valdè exiguam, obscuram & imperfectam de Deo cognitionem potest homo acquirere: deinde sine graui difficultate & speciali Dei auxilio non possunt vitari omnia mortalia: denique homo est variis morbis subiectus: quæ omnia beatitudinem naturalem excludunt.

Docet Sextò, hominẽ æqualiter naturalis & supernaturalis beatitudinis capacem esse.

Hinc tria infert. Hinc infert tria; Primum, naturaliter non posse nos vllam veram beatitudinẽ acquirere: pro quo citat D. Thom. 1. 2. q. 2. Secundum, nec posse nos habere vllum ius ad talẽ beatitudinem: Tertium, multò minùs nos habere ius ad supernaturalem beatitudinem, eò quòd gratia constituat nos filios Dei, sed id prouenire ex promissione diuinâ, etiamsi gratia possit dici remotè naturâ suâ constituere nos amicos & filios Dei; quatenus nos reddit proximè aptos & aliquo modo dignos, qui in amicos & filios Dei adoptemur: putatque rursus à P. Suarez nihil amplius traditum, cùm admittat saltem diuinitus posse esse gratiam sine eâ adoptione, non solùm quia cum gratia cohærere potest diuinitus peccatum, sed etiam, quia adhuc peccato remisso, & gratiâ infusâ, Deus potest suspendere eam adoptionem: citátque illum lib. 7. de Gratiâ cap. 4. vbi hanc limitationem Suarez admittit.

Svbsectio II.

Reiicitur prima pars de amicitiâ, & de exigentiâ amoris diuini.

19. *Refutatur P. Coninck.* QVia multa, vt vidimus, congessit Coninck, oportet ad vitandam confusionem & prolixitatem, per partes ea reiicere. Quod ergo Primò dicit, ipsam gratiam non constituere actu amicũ, quia amicitia formaliter consistit in mutuâ redamatione; multum habet de nomine, etenim si nomine *amicitiæ* ipse non intelligat aliud quàm mutuam redamationem, nemo negare ei poterit, solam gratiam non esse amicitiam, & consequenter neque solam constituere amicũ, quia nemo inter Scholasticos ita aberrauit, vt qualitatem illam gratiæ dixerit esse amorem nostri ad Deum, & Dei ad nos: in hoc ergo sensu nulla est planè quæstio: vtrùm autem vox hæc *amicitia* significet præcisè eum mutuum amorem, quæstio est de solâ voce, in quâ fortè minùs benè loquitur P. Coninck; nam certum est infantes cum gratiâ baptismali esse & dici actu amicos Dei: quicumque item iustus, etiamsi per solam attritionem in Sacramento sine vllo vero amore amicitiæ erga Deum iustificatus fuerit, eodẽ modo dicitur actu amicus Dei: omnes denique iusti, etiam quando dormiunt, & nullum exercent actum amoris erga Deum, dicuntur, & sunt veri amici Dei actu & de præsenti: ergo Catholici per vocem illam *amicus & amicitia* non intelligunt, formaliter loquendo, ipsam actualem redamationem Dei, sed formam illam, quæ eum amorem mutuum exigit.

Catholici per vocẽ amicitia intelligũt formẽ amoris mutui exigẽtẽ. Replica pro P. Coninck.

Fortè responderet Primò, Etiamsi iustus actu non amet Deum, Deum tamen semper actu amare amore amicitiæ iustum, ideóque semper dari eam amicitiam. Sed contrà Primò, quia hic auctor expressè n. 89. dicit, Etiãsi ego alterum amem amore amicitiæ, simque illius amicus, non tamen ideò alterum esse meum amicum, sed posse esse meum inimicum; ergo licet dicatur Deus amicus omnium iustorum: quia semper illos amat; ille tamen iustus, qui numquam Deum amauit amore amicitiæ (vt omnes infantes, & qui solâ attritione iustificatus est) non poterit dici amicus Dei: id autem videtur esse contra omnium sensum; nam (vt paulò antè dixi) omnes iusti vocantur propriè & rigorosè amici Dei. Contrà Secundò, quia, etiamsi per impossibile concederemus, Deum aliquando interrumpere suos actus; nihilominùs non inde fieret, iustos non esse amicos Dei, nisi solùm eo tempore, quo actu Deus haberet amorẽ circa illos. Vrgeo totam impugnationem; nam & in humanis & verè & propriè dicuntur duo esse amici, etiam quando actu se non amant, imò nec de se cogitant; vt quando dormiunt; eâ præcisè ratione, quòd habeant habitualem propensionẽ ad se amandum: vnde licet ordinariè definiatur in humanis amicitia per mutuum amorem; non tamen in solo eo amore consistit, sed multò magis in eâ propensione ad amorem: magis autẽ id vrget in Deo; nam homines cùm frequenter ex puerâ puta voluntate contrahant amicitiam, nullo speciali dato obiecto, quod eam magis exigat erga hunc quàm erga alios, vbi talis amicitia non datur; potiori iure tunc tota essentia illius amicitię videtur in solo amore vtriusq; consistere. Non sic in Deo contingit respectu supernaturalis amicitiæ; nam amorem illum amicitiæ non habet nisi data ex parte hominis supernaturali ea pulchritudine, quæ hominem reddit dignum tali amore; ideóque ibi potiori iure potest fundamentum illud etiam ante ipsum actualem amorem dici constituere formaliter amicos Dei. Et in hoc sensu planè videntur loqui omnes, dum iustos & sanctos vocant eo ipso amicos Dei non ob actualem amorem, sed ob fundamentum illius. [illegible] de hoc puncto, quod ad quæstionem de v[illegible] ce purè spectat, vt dixi.

Secundò,

Homo non fit amicus Dei sine formâ illũ tali amore dignum reddente.

Digitized by Google

20. *Lis de re.*

Iam ad punctum ipsum de re, seu ad eiusdem illationem, quòd scil. Deus non teneatur naturaliter talem hominem amare, ideóq; amicitia illa (quam solam propriam vocat hic auctor) non sit omnino debita gratiæ.

Cõclusio Prima. Nobis non constat expressè connexio naturalis amoris Dei cum gratiâ. Conclusio Secunda. Talis connexio datur.

DICO PRIMÒ, non posse quidem id efficaciter omnino reiici, quia de gratiâ habituali non nisi ex reuelatione & dictis Patrum discurrimus; non habemus autem vllum testimonium quod ita expressè declaret eam naturalem connexionem amoris Dei cum qualitate gratiæ.

Nihilominùs SECVNDÒ DICO, longè conformius esse modo loquẽdi sacræ Scripturæ, Patrum & Scholasticorum, si eam connexionem asseramus: per hoc enim magis recedimus à phrasi hæreticorum, quòd sanctificatio & amicitia Dei erga nos sit per extrinsecum fauorem; & aliunde nihil est quod vllo modo in contrarium vexare nos possit, ergo.

Retorquetur argumentum Coninck. Possibilis est qualitas exigens naturaliter cõplacentiam Dei amicabilis.

Vnde sic retorqueo argumentum Coninck: Potest dari vna qualitas, quæ eam cõplacentiam amicabilem Dei exigat naturaliter, quia nec leuis est in tali exigentiâ repugnantia; numquam enim suis argumentis ostendit hic auctor duo contradictoria, quę ex eâ possent sequi; suppositâ autem tali possibilitate, habemus sufficiens argumẽtum ad dicendum talem esse gratiam, ergo.

Ostenditur argumentum Coninck nullum esse.

Iam ostendendum argumenta Coninck nulla esse. Primum, quòd alioquin non posset Deus talem hominem destruere, soluetur ex dicendis circa Secundum; illud autem tetigi suprà disputatione præcedẽti sect. 2. & solui dupliciter: Primò, pro libertate Dei sufficere, si ipse diuinitus possit gratiam non amare, licet naturaliter ad id teneatur; quo valdè differt à necessitate ad se amandũ, cui nec diuinitus potest resistere. Nec nouum est dicere, Deum ex aliquâ suppositione teneri naturaliter aliquid aliud efficere; vt patet in innumeris aliis materiis; etenim producto semel Angelo, animâ rationali, cælis, &c. tenetur naturaliter ea in perpetuum conseruare; cum quo tamen stat dominium perfectum, vt diuinitus ea destruere possit: idem est ad omnia alia, quæ sunt naturaliter connexa; in quibus suppositâ productione vnius, tenetur Deus velle alteram; idque à nemine iudicatur absurdum; ergo idem dici potest in ordine ad amandam eam qualitatem gratiæ. Et hæc ratio saltem ostendit, ob argumentum huius auctoris, non dicere duo contradictoria qualitatem talem.

Deus etsi naturaliter tenetur amare gratiã, potest tamẽ diuinitus eã amare.

21. *Secunda solutio, eaque melior. Duo genera sunt actuũ diuinorum: efficaces, & cõplacẽtia in creaturis.*

Secunda pro me melior solutio est, quã etiam eâ disputatione præcedenti sect. 2. tetigi, & hîc magis est declaranda, duo esse genera actuum diuinorum; quosdã efficaces seu productiuos creaturarum; & ad hos admitto Deum non teneri, quia ad verum eius dominium in creaturas necessum est, eum non cogi ad eas producendas: alios verò esse per modum cõplacentiæ & delectationis in creaturis; & ad hos actus docui suo loco, vt longè probabilius, Deum esse necessitatũ etiam diuinitus. id quod ego probaui è cõtrario ex peccato: nam longè meliùs illi philosophantur qui dicunt Deum nec diuinitus posse non habere odio abominationis peccatum: dixíque ad infinitam sanctitatem pertinere, necessariò complacere in honestate, & displicere in turpitudine: nam libertas, vt malum morale non displiceat, potiùs est imperfectio quàm perfectio, quia magis accedit ad libertatem ad amandum peccatum; quæ haud dubiè in se est imperfectio; ergo cùm amicitia illa supernaturalis in homine iusto, ratione gratiæ, non sit per modum actus efficacis productiui nouæ alicuius creaturæ, sed pura complacentia in homine ob gratiæ pulchritudinem, vt in se honestam, longè meliùs discurremus, si dixerimus Deum non solùm naturaliter, sed etiam diuinitus non posse eam complacentiam cohibere.

Necessariò Deus sibi cõplacet in honestate, sicut displicet in turpitudine.

Deus non potest diuinitus complacentiã in gratiã cõtrarie.

Fortasse contra hãc doctrinam obiicies adhuc cum quibusdam recentioribus, ad perfectionem diuinam pertinere non solùm habere dominium in creaturas, sed etiam in suos proprios actus. Respondeo tamen facilè negando subsumptum: etenim cùm actus diuini sint in se infinitæ perfectionis, profectò maior perfectio videtur, si dicamus, Deum non habere dominium in illos, nisi quatenus inde resultat aliquod dominium Dei in creaturas; cùm autem, vt ostendimus, maneat integrum dominium in gratiam & peccatum, licet dicamus, Deum necessariò displicere in illo, & è contrario complacere necessario in gratiâ, connaturaliusque sit infinitæ sanctitati displicere in malo, & complacere in bono honesto, probabilius sanè videtur, eos actus omnino esse in Deo necessarios: sed de hoc fusiùs 1. Tom. Hinc facilè ostenditur, primum argumentum nullum esse; nam amor ille, ad quem dicimus Deum teneri, non est amor productiuus aut conseruatiuus creaturæ, etiamsi frequenter inde aliquis similis actus oriatur: amor ergo ille solùm est complacentia supernaturalis in homine vt informato gratia, quamdiu in ea manet; sicut complacentia, quam habeo in homine ob pulchritudinem, virtutem, scientiam, &c. quamdiu in illo talia bona agnosco, de quo paulò inferiùs fusiùs.

22. *Recentiorum aliquorũ obiectio soluitur.*

SVBSECTIO III.

Discutitur quædam ratio eius auctoris; & satisfit reliquis argumentis contra nostram doctrinam.

23. *Auctor hic respondet instantiæ ex vnione hypostatica desumptæ.*

NOtandum hîc obiter censui circa doctrinam eius auctoris, dum respondet ad instantiam ex vnione hypostatica, quæ reddit humanitatem Christi amabilem necessariò à Deo, etiamsi secũdùm se ea humanitas non ametur necessariò; ait enim Primò amorem amicitiæ nõ ferri directè & immediatè nisi ad personam, ideò habentẽ charitatem non deberi comparari cum humanitate Christi, quia hæc non est persona, sed cum persona Verbi, quam Deus necessariò amat. Vnde vlteriùs infert, Sicut Deus necessariò amat personalitatem, ob quam humanitas redditur sancta, ita saltem ipsam gratiam habitualem, quâ reddimur sancti, amatorum necessariò, ita vt non posset illam velle destruere, si vera esset nostra sententia, quòd talis gratia exigat naturaliter amicitiam Dei.

Tota hæc doctrina displiceat, quia multum habet de voce & parũ de veritate.

Tota hæc doctrina videtur & vocibus confusa, & minus ad veritatem accedens; etenim (quidquid sit de ea denominatione, an humanitas sit dicenda amica nec ne Dei, & id quod ad vocem pertinet) certum est de re ipsa, Deum non solùm directè amare personalitatem Verbi, sed etiam ipsam humanitatem ea personalitate exornatam, & in illa complacere; sicut non solùm amat gratiam, sed multò magis, in huius auctoris sententia, hominem, quia homo est persona; ergo etiam Deus iam nec diuinitus poterit eam humanitatẽ Christi annihilare, vt argumentabatur Coninck.

Patet

Digitized by Google

Patet consequentia, quia ea impossibilitas annihilandi non oritur ex denominatione amici, sed ex eo, quòd Deus complaceat sibi in humanitate, & ei velit benè: hoc autem negari nequit, quidquid sit de voce amici, ergo.

Displicet Secundò: anima enim sancti Petri etsi non sit persona, est tamen obiecta amicitia diuina.

Secundò displicet ea doctrina, quia anima sancti Petri in cœlo non est persona, & tamè verè & propriè eam Deus amat amore amicitiæ, nō minùs quam dum ea erat in corpore, & cōstituebat personam: imò, quidquid sit de denominatione, certum videtur, amorem amicitiæ diuinę propriè & in rigore solùm terminari ad animam, etiam quando hæc est vnita corpori; nam corpus non informatur gratiâ, nec redditur per illam amabile eo amore: & verò id ipsum locum habet in ipsâ subsistentiâ; nam hæc (vt multi volunt) nihil est præter ipsas partes simul sumptas; vnde nihil est ibi quod terminet specialiter illā amorem: deinde, in aliorum sententiâ, ea subsistentia est pro toto composito vna, & quidem materialis, ideóque nec capax eius specialis amoris Dei in gratiâ fundati.

Non placet Tertiò, quòd dicat nō posse Deū destruere gratiam, sicut uō potest personalitatem Verbi.

Tertiò displicet, quòd inde inferat, Deum saltē ipsam gratiam habitualem conseruatutum necessariò, sicut non potest destruere personalitatē Verbi: etenim iam diximus, etiamsi Deus complaceat sibi in gratiâ necessariò, non ideò teneri eam conseruare; quia si conseruatio esset necessaria, esset etiam contra dominium Dei in creaturas; at complacentia illa necessaria non est vllo modo contra Dei perfectionem, imò valdè illi conformis, vt deductum est paulò antè.

24. *Obiectio. Respondetur.*

Vrgebis: Amare amore amicitiæ est velle alicui benè, ergo repugnat, vt simul cum eo amore stet voluntas eamdē rem destruendi. Respondeo, si res benè ponderetur, hanc obiectionem totam quantam esse contra eius auctorem. Siue enim ob exigentiam gratiæ, siue ex sua libertate, certum est Deum amare iustos amore amicitiæ, & velle illis benè propter ipsos: quo solo differt amor ille ab amore concupiscentiæ; & tamen non obstante toto eo amore, potest Deus permittere iustum pro instanti sequenti cadere in malum grauissimum, nempe in peccatum; ergo amor ille non infert eam necessitatem conseruandi rem amatam.

Replica.

Video te responsurum, hanc necessitatem non inde à te inferri, sed ex eo, quòd Deus teneatur eā gratiam amare; nam si amor est liber, potest procul dubio ab eo cessare, & tunc velle destruere gratiam. Sed contrà manifestè; nam quòd amor ille necessariò debeatur gratiæ, probat proximè; existente gratiâ seu pro instanti quo existit, deberi talem amorem; at pro instanti sequenti deberi nullo modo probatur: vnde nihil penitus infertur de eā necessitate conseruandi gratiam in secundo instanti magis in meâ sententiâ quàm in tuâ: vel enim amor ille, quō Deus incipit amare gratiam in me nunc primò productam, siue ille sit debitus gratiæ, vt ego volo, siue indebitus, vt tu vis, vel, inquam, ille dicit, *Volo benè gratia etiam in futurum*, vel solùm dicit, *Volo illi benè pro hoc instanti*; & posteà in secundo instanti est alius amor ratione nostrâ distinctus qui dicit, *Volo illi gratia benè pro secundo instanti*; & sic de tertio, quarto, &c. si primùm dicatur, profectò cùm ille amor respiciat tempus omne futurum, iam Deus, supposito quòd pro primo instanti gratiam amauit, non poterit non amare in omne tempus futurum; & consequenter tam non poterit ab eo amore cessare pro sequentibus instantibus, quàm

Refutatur. Amor amicitia debetur gratia pro instanti existentia illius, non pro sequenti.

si necessariò secutus fuisset amor ille ex gratiâ: constat autem, etsi Deus Iudam amauerit aliquando amore amicitiæ, non tamen ideò fuisse obligatum ad illum semper amandum: ergo ea difficultas communis est vtrique parti. Quòd si propterea dicatur secundum, scil. illum amorem solùm respicere instans, in quo iam gratia supponitur existere (vt verè debet dici) profectò inde non inferetur vllo modo quidquam de necessitate pro secundo instanti, quantumuis amor ille pro primo fuerit necessariò debitus ex suppositione existentiæ gratiæ in eodem. Vt verò id perfectiùs intelligas, aduerte, duas volitiones in Deo debere admitti circa gratiam in omni sententiâ; vnam, quâ vult eam producere, de quâ non est sermo in præsenti, quia omnes admittimus hanc non esse necessariam in Deo: altera ergo est voluntas complacentiæ erga eam gratiam iam existentem; & de hac disputamus, vtrùm necessariò sequatur in Deo suppositæ gratiæ existentia: Coninck negat, nos affirmamus; at nos in ipsa affirmatione dicimus, eam complacentiam solùm esse in gratiam ex suppositione, quòd iam existit, seu pro tempore quo existit; pro illo enim Deus vult illi benè; & sub recta ratione illius. Hinc ostendo manifestè, Deum non magis in nostra sententia teneri ad conseruandam gratiam quàm in sententia Coninck; nam amor ille, quem dicimus esse necessarium, non est nisi posterior ad existentiam gratiæ, & solùm pro instanti quo iam hæc videtur existens; ergo non magis necessitat ad productionem vel conseruationem gratiæ quàm si liber esset. Patet euidenter consequentia, quia in rem iam existentem, & pro tempore quo existit, velle illi bonum, non magis illam facit existere in futurum, quàm si non amaretur ei tale bonum, vel quàm si amaretur liberè; vt ex terminis constat; ergo cùm omnes debeamus dicere, amorem amicitiæ Dei in gratiam, siue liber sit, siue necessarius, solùm respicere instans, in quo iam supponitur eadem gratia existens per priorem volitionem Dei eius gratiæ productiuam, profectò nō potest nec quidem apparenter vllo modo specialiter contra nos inferri, Deum non posse in secundo instanti eam gratiam destruere, quàm ex aduersâ sententia. Quod autem auctor hic premere videtur, scil. amorem amicitiæ non esse, vtcumque velle alicui benè (nam etiam qui dat equo pabulum vult ei benè, & non amat eum vt amicum) sed requiri, vt ex amore benevolentiæ velit ei absolutè benè esse; vnde infert hic auctor, Ergo non potest eum velle destruere: hoc, inquam, non est ad rem; Primò, quia etiam vrget ipsum auctorem admittentem talem amorem de facto erga hominem iustum, cùm tamen nō ideò cogatur Deus conseruare eumdem iustum; iam autem ostendi, quòd amor ille sequatur liberè vel necessariò ex suppositione existentiæ gratiæ, non iuuare hunc auctorem. Secundò, quia *absolutè velle benè* si denotet, velle eum conseruare, etiam conuenit amori erga equum, quem haud dubiè vellem semper benè habere; si autem denotet amorem amicitiæ, debere sistere in ipsa persona amata, & in hoc differre à concupiscentia, verissimum dicitur, at inde nihil penitus infertur, quòd propterea debeat necessariò velle eum conseruare in futurum, sed sufficit, si pro eo instanti complaceat, & velit ei hoc modo benè, *Quamdiu in gratiâ fueris amabo, & volo tibi benè ex complacentiâ in te: per hoc tamen non cogor te in gratiâ seruare,*

25. *Duæ volitiones in Deo circa gratiā, vna eaq; libera, terminata ad ipsius productionē: altera complacentia, eaque necessaria ad eam iam existentem.*

Non magis tenetur Deus in nostrâ quàm in Coninck sententia gratiam conseruare.

Amor amicitia solùm respicit instans, in quo supponitur gratia existere.

26. *Profitio huius auctoris:*

non est ad rē, cùm ipsum nihil vrgeat.

Digitized by Google

ergo licet hîc amor omnino necessariò sequatur in Deo data gratiâ, nihil penitus infert de necessariâ illius conseruatione: quid clarius in hoc puncto ad ostendendum eius argumenti, quod ita dilatat hic auctor, imbecillitatem? In

27. *Tertiâ argumentû huius auctoris dicit adoptionê nõ esse gratia connaturalem.*

Tertio argumento adducit filiationem adoptiuam, quam dicit non posse esse qualitati gratiæ connaturalem: posset fortè id illi nunc permitti, quia non agimus iam de filiatione, quæ desumitur in ordine ad visionem beatam, sed de iure ad diuinam complacentiâ; potest enim etiam inter homines concipi aliquod bonum tale ex parte alterius, quod me rapiat necessariò in complacentiâ sui, non tamen ideò me obliget vt adoptem illum in filium; ergo ea instantia nullam habet vim. Secundò tamen respondeo, Cùm inter homines adoptare habeat annexam voluntatem dandi illi mea bona, mirum non esse, si inter homines nulla datur qualitas petens necessariò eam adoptionem; quandoquidem nulla est qualitas, quæ naturâ suâ habeat exigentiam meorum bonorum, prædij, pecuniæ, &c. at dari posse vnam qualitatem physicam, quæ habeat exigentiam visionis beatæ, nullatenus repugnat: & verò id habet, in omnium sententiâ, lumen gloriæ; cur ergo non poterimus idem tribuere gratiæ sanctificanti? atqui eo ipso censemus eam exigere adoptionem, quia adoptio in Deo non est nisi elevatio personæ creatæ ad visionem Dei: quæ ergo hic repugnantia inueniri potest? & quid ad intentum nostrum bona creata? Nam cùm ex solâ alterius volitione aut denominatione quadam morali sint mea potiùs quàm Antonij, meritò nulla qualitas physica potest naturaliter exigere illa mea bona, potiùs quàm alia quæ sunt Antonij, ideóque nec magis petet adoptari à me quàm ab Antonio. Et satis de hoc puncto.

Disparitas inter adoptionê humanam & diuinam.

Adoptio in Deo est elevatio personæ creatæ ad visionê Dei.

Svbsectio IV.

Discutiuntur tres sequentes partes eius doctrinæ.

28. *Refutatur secûda pars, qua dicit gratiam non potere naturaliter peccatum expellere. Nostra doctrina magis conformis est Tridentino & difformis hæreticis.*

Secunda eius auctoris pars, quòd gratia non petat naturaliter expellere peccatum, non minùs mihi displicet, & verò eam esse contra communem ferè sensum Theologorum patet, quia multi valdè sunt, qui nec diuinitus quidem ea duo cohærere posse censent; alij verò supponunt saltem naturaliter repugnare inter se; præterea adstruere eam repugnantiam, longè magis accedit ad Tridentinum: magis item ab hæreticis elongamur, dum formam intrinsecam sanctificantem ponimus, quæ non minùs petat expelli peccatum, quàm calor petit expelli frigus; ideóque dicatur propriè intrinsecè mundare, sicut calor dicitur intrinsecè tollere frigus: licet autem efficax aliqua ratio non possit pro hac nostrâ sententiâ adduci, quia (vt sæpè dixi) gratiam non nisi ex fide noscimus, ideóque difficulter valdè à ratione naturali quidquam de illâ solidè possumus inferre; nihilominùs cùm etiam è contrario nullum planè sit argumentum, quo vel leuiter labefactetur ea naturalis repugnantia gratiæ cum peccato (vt statim ostendam) profectò in eam commodiorem, & (vt dixi) magis conformem Tridentino sententiam pedibus manibusque ire debemus. Vide quæ præcedenti sectione diximus.

Argumenta Coninck soluuntur Primum.

Iam ergo argumenta specialia à Coninck allata soluenda sunt. Primum, quòd nullum sit fundamentum ad eam vim concedendam gratiæ, solutum est; diximus enim fundamentum esse auctoritatem communem, & quòd à Tridentino satis insinuetur, maximè cùm neque è contrario vllum sit argumentum ad eam negandam. Ad Secundum, quòd peccatum sit infinitæ malitiæ, gratia verò finitæ bonitatis facilè respondeo Primò negando suppositum; tertio enim Tomo ostendi, peccatum esse finitæ malitiæ; ne verò hanc doctrinam de oppositione naturali gratiæ ac peccati faciamus dependentem ab eâ opinione de finita malitia (cùm, quidquid de infinitate sit, saltem peccatum in altiori existat ordine) respondeo meliùs Secundò, vt duæ formæ sese expellant naturaliter è subiecto, non requiri vt sint inter se æquales; nam frigus, siue sit ignobilius calore, illum expellit, & siue sit nobilius calore, ab hoc tamen expellitur: & imperfectissima forma terræ expellit naturaliter ex eodem subiecto animam nobilissimam: vnde etiamsi sit peccatum infinitum malum, gratia verò finitum bonum, possunt habere inter se repugnantiam naturalem.

Secundum.

Vt duæ formæ se expellant, non est necesse vt sint inter se æquales.

29. Ostendo id vlteriùs manifestè; nam peccatum veniale non est infinitæ malitiæ; vel certè alia vtar instantia; & sicut do ego pro hac quæstione Patri Coninck, peccatum esse infinitum, ita etiam debet ipse fateri, licet grauitas peccati esset finita, nihilominùs tamen non ideò sequi, posse Deum naturaliter peccare: nec enim audebit dicere, impeccabilitatem Dei esse dependentem ab eo quòd peccatum sit infinitæ malitiæ, maximè cùm in veniali, vt supposui, ea infinitas non inueniatur, Deo autem non solùm mortale, sed omne etiam veniale repugnet. Hinc argumentor: Peccatum finitæ malitiæ dicit repugnantiam cum bonitate simpliciter infinita Dei in eodem subiecto; multò ergo meliùs poterit gratia finitæ bonitatis dicere repugnantiam cum offensa peccati, quæ habet solùm infinitatem secundùm quid. Respondebis, instantiam non esse ad rem, quia optimè potest infinita sanctitas expellere malum finitum; at gratia finita non potest expellere peccatum infinitum. Sed contrà euidenter, quia saltem ostendi manifestè vnam rem finitam posse repugnare cum infinita opposita in eodem subiecto; ita vt ea duo simul esse non possint nec diuinitus, siue hæc expellat illam, siue illa hanc: id quod iam pro meo intento per accidens est: vnde ex hoc capite benè possem etiam cum P. Vasquez dicere, nec diuinitus posse cohærere in eodem subiecto peccatum & gratiam, quantumuis illud infinitum, hæc finita esset: vt verò vtar eius terminis *expellere*, saltem debebit mihi fateri, posse peccatum infinitè malum expellere gratiam vt secum repugnantem: quòd si id conceditur, habeo totum quantum meum intentum; & infero, Ergo eo ipso quòd ponatur gratia, debebit exire peccatum, cùm supponas, hoc non posse cohærere cum gratia: si enim peccatum naturaliter expellit gratiam vt secum incompossibilem, necessum est vt è contrario gratia posita impediat, ne duret peccatum, & consequenter illud expellat; solumque inde infertur, agens, quod producis, seu quod ponit gratiam, habere vim ad destruendum peccatum: id quod libenter concedimus; nam Deus producens gratiam, haud dubiè potest remittere seu condonare illud peccatum, quantumuis infinitum illud sit.

Argumentum contra Coninck.

Respondetur argumento.

Refutatur responsio euidenter.

30. Pro maiori ergo argumenti solutione obser- *Notandum Primò.*

Digitized by Google

pro argumenti melioris solutione. Quòdo expellitur peccatum per gratiam, non ideò est quòd gratia sit aqualis proillo satisfactio.

peccatum, non illud expelli, eò quòd gratia sit æqualis satisfactio pro peccato; & hoc solùm probat ea ratio de inæqualitate gratiæ in ratione boni cum peccato in ratione mali; sed asserimus expelli, quia ipsum peccatum, ob suam malitiam magnam, exigit naturaliter non esse in eodem subiecto cum pulchritudine gratiæ; vnde, eo ipso quòd Deus se liberaliter determinat ad dandam subiecto gratiam, dicimus debere se etiam determinare (naturaliter loquendo) ad destruendum peccatum; quia ponit in subiecto eam formam, quam peccatum ob suam infinitam malitiam non admittentem vllam pulchritudinem horret naturaliter.

Notandū Secundò, male cogitare Coninck, gratiā, debiliorem nō posse expellere peccatum fortius.

Secundò obserno, Patrem Coninck videri imaginatum sibi, quasi ipsa gratia se intruderet in subiectum, & inde expelleret peccatum; id autem reputasse impossibile, quia res debilior non potest superare fortiorem; vt homo debilior non potest è loco pellere fortiorem. Corrigenda ergo est eiusmodi cogitatio; & considerandę sunt vires agentis quod gratiam producit: cùm ergo Deus producens gratiam habeat vim, quâ possit peccatum tollere, non sunt in gratiâ aliæ vires necessariæ ad expellendū peccatum, quàm quod habeat conceptum contrarium cum peccato, seu (vt vtar terminis magis ad solutionem, quam impugno, accommodatis) vt peccatum exigat nō esse secum gratiam: vnde, eo ipso quòd Deus se resoluat gratiam producere, se resoluit, vt dixi, ad non relinquendum peccatum, etiamsi adhuc non sit pro illo sufficienter satisfactum. Vides quàm facilè explicetur ea repugnantia gratiæ, & peccati, etiamsi illa sit multò in genere boni minor quàm peccatum malum in suo genere.

Facilè explicatur repugnātia gratiæ & peccati.

Iam verò illud addiderim, quò magis P. Coninck exaggerat grauitatem peccati, eò sanè magis fauere oppositioni illius cum gratiâ, vnde totum ipsius argumentum, potiùs est contra ipsum, & pro nobis, quàm contra nos: etenim (& miror eum se non reflexisse supra hoc commune principium) quò frigus v.g. magis est intensum, eò magis repugnat calori, ita vt quartus v.g. caloris, qui non pugnat cum frigore vt quatuor, repugnet cum frigore vt quinque; & quò magis crescit frigus, eò magis crescit repugnantia cum eodem gradu, ac etiam cum aliis minùs perfectis: id quod melius percipitur in eiusdem sententiâ de gradibus hæterogeneis; nam illi qui sunt inter se æquales, quartus & quartus, non dicunt vllam repugnantiam inter se; perfectissimus autem expellitur ab imperfectissimo. Ratio à priori huius doctrinæ facilis est; nam quò plenius est (vt sic dicam) hospitium vno contrario, eò minorem locum pro alio relinquit; quò autem contrarium est vel in perfectione, vel in multitudine graduum maius, eò magis totum subiectum replet; ergo minorem locum relinquit pro contrario: deinde, quò in vno contrario maior ponitur perfectio, necessariò augetur quasi odium cum suo contrario, ergo & oppositio; ergo quò peccatum dicitur esse maius malum, eò magis horrebit in subiecto bonum oppositum, ergo eò magis repugnabit cum gratiâ. Si autem illud ex eo capite repugnat magis cum gratiâ, profectò & gratia magis cum illo, quia repugnantia necessariò est mutua, saltem quoad incompossibilitatem in subiecto. Nam si peccatum non potest esse cum gratiâ, sanè eo ipso neque gratia cum peccato esse poterit; adeoq; quicumque vires habuerit vt producat gratiam, poterit expellere eo ipso naturaliter peccatum. Vides hunc auctorem nostram egisse causam, dum eam peccati grauitatem in infinitum extulit.

31. Argumētum Coninck militat pro nobis contrà ipsum.

Ratio nostra doctrinæ.

Qui potest producere gratiam, eo ipso naturaliter expellere potest peccatum.

Hinc responsum est ad tertium argumentum illius desumptum ex peccato actuali; dicimus enim eodem modo opponi illud naturaliter gratiæ quo habituale; quomodo autem inter rē physicam, qualis est gratia, & moralem, quale est peccatum, dari possit oppositio naturalis, ostensum est superiùs: quæcumque verò hic auctor congerit circa constitutiuum peccati habitualis sunt extra rem, quia in quacumque sententia potest explicari ea contrarietas, ex eo quòd pulchritudini gratiæ repugnet deformitas peccati, in quocumque illud consistat; & (vt immediatè dixi) melius erit pro hoc declarando si illa deformitas sit infinita, quia eò magis horrebit omnem pulchritudinem.

32. Exhis respōsū est tertio argumento desumpto ex actuali peccato.

Vltimum denique, quod non possit ostendi, in quo consistat ea oppositio, iam dixi suprà relabi in primum, ideò nouâ illud nō indiget solutione. Quod tertio loco docet, gratiam habere quidem aliquam repugnantiam moralem cum peccato, admittimus, quatenus affirmat repugnantiā; quatenus verò eam docet nō esse tantam, vt naturaliter repugnent simul peccatū & gratia, sufficienter est superiùs reiectus; quod autem ibi addit, à Patre Suario non poni maiorem inter ea duo repugnantiam, manifestè falsum est; Suarez enim ponit expresse sæpè talem eam repugnantiam, quæ sine miraculo vinci nequit.

Vltimū relabitur in primum.

Falsum est quod Coninck imponit Suario.

Replicabis, Quomodo ergo Suarez docet, remissionem peccati esse nouum fauorem? Respondeo, eo sensu quia saltē diuinitus potest non condonari peccatum etiam post infusam gratiam: id autem quod Deus ita det, vt absolutè negare potuerit, meritò dici potest nouus fauor. In quo sensu seipsum sæpè explicuit Pater Suarez.

Replica.

Responsio.

Quarta item pars, in qua supponit, gratiam & charitatem ita esse de facto idem realiter, vt nec diuinitus possint distingui, mihi videtur omninò improbabilis; etenim (vt dicam Tom. 5. agens de ea distinctione) certum omnino videtur, habitum charitatis, qua ratione est virtus effectiua actus charitatis, non esse formaliter sanctitatem, magis quàm ea non est habitus fidei; nam posse elicere actum amoris non facit hominem iustum; aliòquin auxilium extrinsecum, quo sæpè nos constituimur proximè potentes ad amandum, deberet etiam nos sanctificare: quod planè falsum est. Habet autem hæc impugnatio maiorem vim ad hominem contra hunc auctorem, qui meritò negat nos formaliter iustificari per actum charitatis: cur ergo, quæso, posse illum habere facit nos sanctos, si nec ipsum habere illō nos reddit sanctos? vel, cur magis erit sanctitas posse amare quàm posse credere, sperare? quòd enim amor sit nobilior actus, probat habitum etiam esse nobiliorem; at, sicut inter ipsos actus saluatur ea maior nobilitas, etiamsi nec ille supremus iustificet, nec inter ipsos habitus saluabitur inæqualitas ratione nobilioris & ignobilioris termini, quem respiciunt, etiamsi nemo habitus sit sanctitas formaliter? Constet ergo conceptum habitus charitatis, quâ habitus est productiuus, non iustificare; concedoq; optimè posse dari diuinitus vnam qualitatem solùm habentem eam vim, & nullo modo pugnantem cum peccato, idoque quę non sit gratia nec forma iustificans; posse item contrario aliam dari qualitatem habitualem, quæ immediatè non sit productiua amoris, sed tantùm ob

33. Non est probabile charitatē & gratiā esse idem realiter.

Charitas non est forma iustificans.

suam

suam pulchritudinem reddat subiectum Deo placens, & habeat repugnantiam cum deformitate morali peccati.

34. Quod item dicitur, nullam qualitatẽ esse possibilem, quæ sit per modum essentiæ in ordine supernaturali, quia ea qualitas nec recipiet alios habitus, nec intelliget per illos, non est ad rem; quia Theologi non alium sensum eius vocis intendunt, quàm quòd ea qualitas exigat dari ei subiecto, in quo est, alios habitus: in quâ exigẽtiâ conuenit cũ essentiis, quæ petunt suas passiones: neq; in his cõparationibus requiritur similitudo in omnibus. Vnde ad punctum præsens per accidens est, quòd essentia diuina consistat in intellectione aut in amore; de quo fusè hic auctor: hinc reiicitur illatio eiusdem suprà posita, scil. repugnare vllam qualitatem, quæ sit participatio diuinæ naturæ, vt hæc ab intellectu distinguitur; etenim & falsum supponitur principium, scil. naturam diuinam non distingui ratione nostrâ ab intellectione & volitione: de quo alibi: & quidquid de eâ distinctione sit possumus Deum considerare vt est substantia nobilissima (siue eo sensu dicatur natura siue non) æterna, immensa, digna infinito amore, & contraria omni malo morali: in quo conceptu nihil dicimus de vi illius ad intelligendum & amandum: hoc ergo eodem modo dicimus possibilem esse vnam qualitatem, quæ ob sui pulchritudinem mereatur cõplacentiam Dei, & expellat peccatum modo suprà explicato; etiãsi ea qualitas non sit immediatè productiua amoris, &c. & hoc vocamus participare naturam diuinam seu substantiam in se, non verò vt illa est amatiua, intellectiua, &c. Quæ doctrina adeò est clara, vt non videam, quid possit vllius momenti in eam obiici.

Gratia exigit in subiecto in quo est, alios habitus.

Reijcitur illatio suprà posita.

Possibilis qualitas est quæ mereatur cõplacentiam Dei, & est expulsiua peccati.

Sybsectio V.

Tres vltimæ partes eius doctrinæ examinantur.

35. INter quas prima est, quòd duo contraria non possint diuinitus influxu quoad substantiam naturali conseruari; id quod suprà ex eius sententiâ quinto loco retulimus: videtur autem ibi cõfundere in vnum, concursum in actu primo, seu virtutem causæ proximè dispositę, cũ ipso actuali influxu, seu cum actione ipsâ, & ex hac confusione tractatis ab eo quæstionem valdè indistinctè, maleque veritatem impugnari.

Dicimus ergo, influxu in actu secundo, seu actione eadem in substantiâ naturali, quâ conseruatur frigus sine calore naturaliter, posse diuinitus conseruari simul cum calore oppositio: id quod omnes auctores, quòd ego sciam (hoc excepto) communiter docẽt: & verò si actio eadem duret, quæ fuit antea, haud dubiè durabit effectus, cùm actio essentialiter sit datio actualis esse rei effectæ, neque ea cõcipi possit, imò nec minùs existere sine effectu: quòd verò illa possit durare etiam præsente contrario, inde patet, quia actio solùm pendet essentialiter à causâ, termino & subiecto: atqui causa conseruans frigus, dum sine calore existit, Deus est, qui manet dum conseruatur frigus simul dum calore; manet item idem subiectum, idem denique frigus, seu idem terminus; ergo eadem potest manere actio diuinitus: quòd enim calor resistens pellat naturaliter, vt Deus cesset à conseruatione frigoris, probat sufficienter, Deum habere debere volitionem quamdam miraculosæ conseruatiuam eius actionis; quam volitionem naturaliter habere non potest: actionem tamen

Dodi influxu in substantia naturali potest vnum cõtrarium conseruari cum opposito quo cõseruabatur seorsim.

ipsam fore diuersam nullatenus probat, quia causa immediatè influens, semper manet eadem, scilicet eadem omnipotentia diuina.

Hinc facilè ad obiectiones contrarias respondetur. Ad Primam, quòd si naturali influxu possent duo contraria sustentari, sequeretur, ea se non expellere naturaliter ex eodem subiecto. Respondemus negatâ sequelâ; etenim ad eam expulsionem naturalem sufficit, quòd vnus influxus dicat repugnantiam cum altero; vt verò conseruentur supernaturaliter simul, fatemur requiri maiores vires in actu primo; ideò eam coniunctionem solus Deus potest facere, qui habet non solùm naturales vires, sed etiam supernaturales: & hoc solum probat P. Coninck suis omnibus argumentis; nihil tamen conuincunt contra nos, neque contra communem sententiam, quæ, dum loquitur de influxu, intelligit verũ influxum seu actionem ipsam; nam virtus causæ in actu primo numquam solet dici influxus; & propterea suprà notaui in doctrinâ, quam impugno, aliqua dici minùs distinctè: vt verò illa maior vis Dei agentis applicetur, solùm requiritur, quòd ipse, cùm teneretur tamquam agens naturale omnino cessare à conseruatione seu ab actione, quâ conseruat frigus; teneretur, inquam, ob productiuum calorem formaliter exigentem eam cessationem; non tamen vult cessare, sed retinere eamdem actionem distinctam & per illam idem frigus.

Respondetur obiectionibus.

Coninck nihil cõuincit.

Quod obiicit vlteriùs, scil. calorem non curare quid exigat frigus, neque è contrario, non habet vllam probabilitatem, imò est contra eumdem; etenim rogo illum, Cur calor, vt conseruetur, frigore præsente exigit maiorem concursum, vt ipse loquitur, nisi, quia calor est contrarius frigori, seu habet exigentiam, ne simul sit cum frigore? vt ergo ille dicit, ob eam repugnantiam exigi influxum maiorem, ego dico, ob eamdem repugnantiam exigi, ne conseruetur calor præsente frigore; ac propterea Deum, dum vult simul vtramq; actionem retinere, debere habere volitionem supernaturalem non curandi eam exigentiam; & ratione huius volitionis dicimus eam conseruationem esse supernaturalem quoad modum. Quę doctrina mihi facillima videtur. Hinc etiam apparet, omnes illas instantias de magno igne applicato corpori frigido, &c. non esse ad rem: neque enim nos dicimus calorem conseruari violenter aut naturaliter, ex eo quòd frigus posteà introducendum exigat vel non exigat expelli calorem, sed loquimur de frigore iam producto in subiecto; illud enim exigit vt expellatur calor è subiecto: vt verò frigus illud producatur, & non impediatur à calore præsenti, requiruntur maiores vires actiuæ in illo quàm in igne ad resistendum; requiritur item approximatio aliæque conditiones, quæ se tenent ex parte actus primi, & antecedenter ad actionẽ, seu ad influxum, de quo nos loquimur: vnde nullo modo infertur, quod obiicit auctor, nullum corpus habere maiores vires resistendi aut producendi quàm ex solâ Dei voluntate: dicimus enim, Esto immediatè ea expulsio à voluntate Dei proueniat (id quod nemo Catholicus negare debet, cùm necessum sit vt Deus conseruans calorem cesset à conseruatione si velit calorem non esse;) quia tamen ex naturâ suâ agentia ipsa & subiecta receptiua habent maiores & minores vires inter se agendi; & Deus vt auctor naturæ se accommodat eis viribus, vel ei resistentiæ, haud dubiè totum id est denique reducendum in ipsa agentia & subiecta.

Obiectio altera ipsum oppugnat.

Instantia de igne magno applicato corpori frigido nõ sunt ad rem.

Altera

37. *Instantia de cacabo igni applicato.*

Altera instantia de cacabo igni applicato, qui tamen infrigidatur infusâ frigidâ aquâ, non est ad rem, quia licet ignis maneat in actu primo idem, non tamen tunc manet æquè influens, id est producens eamdem actionem: vbi notandus est improprius modus loquēdi huius auctoris; ait enim ignem, quia retinet eamdem virtutem, & eodem modo applicatam, manere etiam eodem modo influentem: id quod debet à fortiori de Deo dicere, quia etiam est æquè applicatus & potens ac anteà. Notandus, inquam, improprius modus loquendi; nam si ignis & Deus eodem modo influunt ac anteà, ergo eodem modo producunt ac anteà; ergo calor eodem modo producitur ac anteà. Patet euidenter consequentia, quia producens & productum sunt correlatiua; vnde si æquè Deus producit ignem, æquè etiam producetur ignis; ergo implicat perire caloré, & tamen causas eodem modo manere producentes ac anteà; ergo necessariò debet admitti, tunc cessare influxum aliquem causarū. Quòd si ideò dicatur causas eodem modo manere solùm in actu primo potentes, idq; se intelligere per *tò influentes eodem modo*; in primis erit abusus vocum, vt suprà dixi; deinde falsum supponetur: nam ignis, vt in actu primo potens causare, non solùm dicit suam virtutem intrinsecam, sed approximationem ad passum; item dicit carentiam contrarij approximati & resistentis; ergo cùm tunc post frigidæ aquæ infusionem iam non sit ea carentia contrarij resistentis, haud dubiè etiam in actu primo nō manebit, omnibus pensatis, æquè potens: hinc verò fit, quod Deus accommodans se exigentiis & virtuti causæ secundæ nolit tunc concurrere in actu secundo cum igne, ideóque cesset omnino actualis influxus, ac tandem ipse calor: quid hoc potest dici clariùs? aut quid hinc contra possibilem eum casum de potentiâ absolutâ, quòd conseruentur calor & frigus per influxus naturales, miraculosè tamen per Dei volitionem coniunctos? id quod satis videtur ad impugnationem partis eius opinionis, quæ magis spectat ad Philosophiam: illationem verò eiusdem ad rem præsentem, quòd si gratia & peccatum non possunt naturaliter esse simul, neque etiam poterunt diuinitus, examinabo sectione sequenti magis ex proposito.

Improprius modus loquēdi huius auctoris.

38. *Beatitudo supernaturalis non obtinetur nisi per auxilia supernaturalia. naturalis verò per naturalia.*

Quod sexto loco docet, nos scil. eodem modo esse capaces beatitudinis supernaturalis quà naturalis, valdè displicet; etenim supernaturalem non possumus habere nisi planè per auxilium in substantiâ supernaturale; at naturalem beatitudinem, etiam prout ab eo vsurpatur, & possumus per auxilia in substantiâ naturalia, & solùm quoad modum supernaturalia, si Deus scilicet sanitatem per singulares cibos naturales conseruaret; si per auxilia ordinis naturalis multiplicata hominem à venialibus omnibus conseruaret: est ergo magna differentia inter beatitudinem naturalem & supernaturalem quoad capacitatem ex parte nostrâ: id quod non facilè à Catholicis poterit negari.

Illatio illius de naturali beatitudine multū habet de voce.

Quod verò in illatione dicit de beatitudine naturali multum habet de nomine: vt enim nos agentes de beatitudine Tom. 2. diximus, quæstio est de nomine, an amor & cognitio naturalis Dei dicenda sit vera beatitudo naturalis; an item ad eam requiratur carentia dolorum, carentia item venialium peccatorū: quæ omnia cùm Coninck dicat ea voce *beatitudo* significari, meritò dicit, nos non posse naturaliter eam beatitudinem habere, quia naturaliter non possumus non esse expositi morbis, vel carere omnibus venialibus.

Gratiâ naturā suâ beatitudinem exigit, nō autem ex promissione Dei.

Denique quod vltimò docet, neq; quidem per gratiam nos acquirere vllum ius in beatitudinē, sed illud prouenire ex promissione Dei, quâ adoptamur ad gratiam: in quam doctrinam putat etiam P. Suarez consensisse, eò quòd doceat, etiam positâ gratiâ posse Deum nos non acceptare ad gloriam: hoc, inquam, partim est reiectum suprà, dum ostendimus gratiam naturaliter facere nos amicos Dei; eo autem ipso dat nobis ius ad visionem Dei, quia amicis debetur iure naturali conspectus amicorum: & (vt in simili suprà argumentabamur) sicut non excedit capacitatem qualitatis creatæ, habere vim constituendi hominem adeò dignum amore amicitiæ diuinæ, vt si ei talis amor negetur, fiat illi violentia contra naturā illius; ita eodem modo dico, multò minùs excedere capacitatem qualitatis creatæ, exigentiam visionis Dei, pro subiecto, in quo ea gratia est: id enim saltem lumini gloriæ tribuet hic auctor; cur ergo non & gratiæ?

39. *Plus est exigere amicitiā Dei quàm eiusdē visionē. Suarez nō fauet huic auctori.*

Dixi, multò meliùs posse conuenire qualitati creatæ exigentiam visionis, quàm exigere amicitiam Dei; quia plus est promereri diuinum amorem quàm creatam visionem Dei: neque verum est P. Suarium stare pro hoc auctore; nam licet dicat Suarez, diuinitus posse gratiā esse sine adoptione, non tamen ait, imò passim negat, posse id naturaliter fieri: vnde sicut si darentur potentiæ distinctæ, non posset homo naturaliter existere sine intellectu & voluntate, posset tamen diuinitus: ita idem dicit Suarez de gratiâ respectu adoptionis: vnde solùm infertur, gratiam non esse ipsam adoptionem; non tamen infertur, ab eâ non exigi; nam multa sunt quæ naturaliter exigunt aliquid aliud; vt quantitas naturaliter exigit impenetrationem; sine quo tamen diuinitus esse possunt, vt diuinitus potest ea quantitas esse sine impenetratione. Et satis de eâ doctrinâ.

Svbsectio VI.

Declaratur in quo genere; & qualis sit ea oppositio gratiæ cum peccato.

40. *Oppositio inter peccatum & gratiam explicatur.*

HVcusque solùm ostendimus peccatum & gratiam non posse naturaliter cohærere simul; iam videndum in quo genere aut ordine sit ea oppositio, an formalis, an efficiens, an physica, an moralis: puto enim multos sub his terminis inter se valdè digladiari, solâ tamen voce discordes. Id nos sequentibus conclusionibus decidemus.

Quæstio est tā de actuali quàm habituali peccato.

Prima sit, Eadem ferè in hoc puncto difficultas est de peccato habituali, quæ de actuali. Hæc est contra P. Suarez, qui initio capitis quarti supponit omnino certum, de peccato habituali nullam planè esse difficultatem, neque de illo sermonem hîc moueri, sed solùm de actuali; qui tamen paulò pòst num. 2. in primâ conclusione agit de eodem peccato habituali, de quo dixerat non esse agendum. Sed quidquid de hoc sit, nostra conclusio facillimè probatur; diximus enim peccatum habituale non in priuatione gratiæ, sed in ipso peccato præterito non condonato seu moraliter permanente consistere; vnde fit, vt eosdem effectus siue efficienter siue formaliter, quos habuit peccatum actu existens, habeat

Conclusio probatur.

Digitized by Google

habeat moraliter permanens; ergo est eadem ratio de vtroque.

Obiectio. Dices fortè, Peccatum actuale habet entitatem physicam, quam non habet habituale; ergo ex hoc capite potest actuale peccatum physicè expellere gratiam, licet habituale non possit; ergo non est eadem ratio de vtroque. Pro solutione huius obiectionis

41. *Respondetur argumento in sententia admittente malitiam intrinsecam esse actui.* DICO SECVNDÒ, in sententiâ docente libertatem & malitiam esse intrinsecam & essentialem actui, ita vt actus malus intrinsecè, physicè & essentialiter differat à non malo (vt sentit P. Hurtadus) non est de actuali peccato eadem omnino ratio, quæ de habituali, quoad expulsionem gratiæ; ideò in priori conclusione non dixi, *eamdem omnino esse rationem, sed ferè eamdem.* Disparitas est; nã in eâ sententiâ potest, & fortè debebit dici, actuale mortale non solum ex naturâ rei sed physicè etiam pugnare cum gratiâ, quia malitia est quid physicum in illo; ergo ex eo capite pugnare poterit physicè cum physicâ entitate gratiæ sicut pugnat calor cum frigore, & odium cum amore; at habituale, quia nihil est verè physicum, sed morale, non poterit habere eam physicam contrarietatem, sed summùm moralem ex natura rei.

Obiectio Suarij. Obicies cum P. Suario, Actus & habitus gratiæ non sunt in eodem genere, neque in eodem subiecto, quia gratia est in anima, actus in potentia; ergo non possunt pugnare inter se physicè.

Responsio Prima. Respondeo negando secundam partem antecedentis; dico enim actus & gratiã esse in substantia animæ. Primam verò antecedentis partem, scilicet gratiam & peccatum non esse in eodem genere, admitto libenter; at nego inde vllo prorsus modo inferri, aut non pugnare inter se physicè, aut non recipi in eodem subiecto: etenim odium naturale Dei, & amor supernaturalis eiusdem Dei (& idem est in omnibus aliis virtutibus in actu naturali luxuriæ & supernaturali castitatis, &c.) sunt in diuerso ordine, naturali & supernaturali; & tamen nemo dicet eos actus non recipi in eadem potentia, aut non pugnare inter se physicè; ergo ex hoc capite possent etiam peccatum & gratia physicè inter se pugnare. Quòd verò secundam partem antecedentis negauerim ea est causa, quia probabilius est, potentias non distingui ab anima, ideóq; actus & habitus in eadẽ esse potentia; tum quia, esto distinguantur actus, tamen debent recipi in animâ: non enim voluntatem & intellectum reddit actus amantem, cognoscentem, sed eum effectum communicat animæ. Deniq; toti argumento respondetur Secundò, sicut P. Suarez ait, ex naturâ rei peccatum & gratiam pugnare moraliter, etiamsi sint in diuersis subiectis, debere dicere, physicè posse, casu quo malitia esset quid physicum in ipso actu. Constet ergo, in ea sententiâ de constitutiuo physico actus mali admitti meritò, actuale habere physicam repugnantiam cum gratia siue formaliter, siue effectiuè, de quo iam non disputo; & consequenter, verissimum esse quod dixi, in ea sententia non esse eamdem rationem de actuali & de habituali.

Responsio Secunda.

42. *Respondetur ...* DICO tamen TERTIÒ, quia probabilius est, libertatem esse denominationem extrinsecam actui à concursu indifferenti Dei, malitiam item, vtpote in ipsa libertate indæquatè consistentem, & præterea à vt desumpram formaliter inadæquatè à Dei prohibitione esse in actu denominationem extrinsecam, videtur absolutè dicendum, malitiam, quia nihil est propriè physicum intrinsecum actui, non posse habere physicã repugnantiam cum gratia, ideóq; simpliciter idem esse de actuali & de habituali. Explico Voluntas v.g. nó ieiunandi, si ieiunium non sit mandatum, eadem est physicè: atqui, quando non est mandatum ieiunium, non expellit physicè gratiam; ergo neq; quando est mandatum, expelletur ea per volitionem comedendi. Patet consequentia; nam mandatũ illud, ex cuius sola positione ille actus redditur malus, non ponit quidquam physicum in homine; ergo non potest ponere repugnantiam physicam cum gratia. Quæ doctrina vera est tam de repugnantia formali quàm effectiua. Neque puto cõtrarium voluisse Vasq. qui cùm malitiam ponat in relatione rationis, nó poterit physicam repugnantiam admittere, sed solùm ex naturâ rei, quam vocat physicam.

Nõ opponuntur gratia & peccatum physicè, Explicatur responsio.

43. *Peccatum actuale & habitua e non expellũt gratiam efficienter physicè. Aliquid efficiẽter dupliciter destrui potest.* DICO QVARTÒ: Peccatum tam actuale quàm habituale non potest gratiam expellere efficienter physicè. Hæc videtur superflua conclusio suppositæ præcedenti, in qua absolutè ostendimus, physicè nullo modo opponi peccatum cum gratia; nihilominùs illam addo, ob specialem repugnantiam in illa causalitate effectiua physica: video enim aliquos hîc etiam de voce contendere, explicatis enim terminis vix videtur locus vllus dubitationi: etenim efficienter aliquid destruere potest dupliciter accipi; vel immediatè cessando à conseruatione rei: ille enim qui per influxum physicum rem conseruat, eam per eiusdem influxus cessationem destruit efficienter: hoc modo à peccato gratiam & è contrario non destrui efficienter, est certo certius; nam peccatum non conseruabat gratiam; solus ergo Deus in eo sẽsu gratiam destruit. Alio modo vsurpatur destructio effectiua producendo aliquid, quod petat ipsam destructionem: v.g. ignis destruit effectiuè frigus meæ manus, non quia ignis sit ei frigori contrarius, sed quia producit in meâ manu calorem, qui formaliter est contrarius frigori; calor verò ipse productus non dicitur destruere effectiuè frigus, sed formaliter per seipsum: quòd si quis dicat etiam calorem effectiuè destruere frigus, esto nihil aliud à se distinctum producat, iam erit quæstio de voce.

Euidẽter probatur nostra conclusio. Hoc posito manifestè suadetur nostra conclusio; nam peccatum tam actuale quàm habituale nihil physicum à se distinctum producit effectiuè, quod sit contrarium gratiæ, sed immediatè per seipsum illam expellit. Quæ doctrina locum habet etiam in sententia docente, actui peccati esse intrinsecam & essentialem malitiam; nam & talis malitia nihil physicum producit quod gratiæ repugnet: habitus enim vitiosus productus à peccato non pugnat cum gratia, vt patet in peccatore recenter conuerso, & eos habitus simul cum gratia retinente.

44. *Gratia pẽdet in esse & conseruari ab anima.* Hæc est adæquata huius cõclusionis probatio: quod enim aliqui dicunt, gratiam creari vel à solo Deo conseruari, non est ad rem; etenim gratia non creatur, sed educitur ex potentia animæ, aut saltem (ne fiat quæstio de nomine) pendet in esse conseruari ab anima: & vnde si peccatum produceret effectiuè in anima aliquid gratiæ contrarium, haud dubiè illã effectiuè destrueret, non obstante ea quæ vocatur creatio gratiæ: vnde à fortiori non obstat, quòd à solo Deo per generationem tamen, ea gratia conseruetur: vt etiam patet in calore, frigore, &c. Quæ qualitates, iuxta probabiliorem sententiam, non conseruantur (saltem

quoad

Digitized by Google

quoad gradus in quibus sunt dispositionem) effectiuè à formâ, sed à Deo solo, & tamen se expellunt effectiuè: loquor de calore producente in me frigus: ergo ea ratio nullo modo est ad rem: ergo sola ea, quam nos adduximus, censenda est adæquata.

Tam actuale quàm habituale gratiâ effectiuè moraliter expellunt.

DICO QVINTÒ: Moraliter effectiuè optimè dici potest tam peccatum actuale quàm habituale expellere gratiam. In hac conclusione puto explicatis terminis omnes debere conuenire saltem quoad actuale, etiamsi P. Suarez toto eo ca. illam videatur negare: ego eam sic probo; nam, iuxta communem modum loquendi, & quidem benè fundatum, causa moralis censetur effectiuè concurrere; vt patet in eo, qui iubendo, suadendo, petendo inducit aliquem ad faciendum aliud; dicitur enim moraliter effectiuè id facere. Ratio verò est optima ex his quæ diximus immediatè; nã talis censetur influere in voluntatem operantis, quæ voluntas posteà physicè rem immediatè efficit; ergo ille concurrit moraliter producendo aliquid. Et verò doctrina hæc etiam habet locum respectu destructionis; nam qui suadet alteri vt destruat, influit etiam in volitionem destructiuã; & per hanc influit effectiuè eo modo quo in negationem fieri potest in ipsam destructionẽ. Hoc posito, cùm omnes ferè Theologi doceãt, peccatum, saltem actuale, demeritoriè moraliter gratiã excludere, debent etiam dicere, nisi abutãtur vocibus, eam moraliter efficienter per illud excludi: auctores verò, asserentes meritoriè excludere, vide apud Suarez n. 2. Ratio etiã suffragatur, quia peccatum mortale dignissimum profectò est ea priuatione gratiæ, non minùs quàm è cõtrario opus bonum dignum est augmento gratiæ: ergo sicut opus supernaturale in gratiâ factum moraliter effectiuè illam causat, ita è contrario peccatum mortale illam effectiuè moraliter destruit.

Ratio.

Obiectio. Responsio.

Fortè obiicies, Ergo etiam calor destruet moraliter effectiuè frigus. Respondeo, numquam dici calorem esse causam moraliter mouentẽ Deum ad aliquid, sicut dicimus de peccato & de bono opere; nam calor non pertinet ad genus moris; solùm ergo est conditio ad hoc, vt Deus habeat illam volitionem; at peccatum habens condignitatem moralem ad eam destructionem meritò dicitur causa moralis.

45. *Suarez docet habituale peccatum nec moraliter nec physicè gratiã expellere.*

Sed iam ad alteram partem de peccato habituali, in quâ contrarium habemus P. Suarez, qui sine distinctione tam de physicâ quàm de morali loquitur eo nu. 6. rationes tamen illius solùm probant, non esse efficientiam physicam, at moralem non expugnant; quia non probant peccatum habituale non mereri eam priuationem gratiæ.

Specialis Obiectio.

Adhuc tamen specialiter potest obiici: Peccatum habituale nihil meretur; totum enim meritum consistit in actuali; ergo nec quidem eo modo effectiuè seu demeritoriè potest gratiã expellere. Respõdeo negando antecedens; etenim peccatum habituale etiam meretur pro instanti, pro quo est, eam priuationem gratiæ: vt enim gratia existens primo instanti meretur, vt sic dicam, amorem Dei erga hominem pro eo instanti, & existens pro secundo instanti meretur amorem pro secundo instanti; ita peccatum semper quamdiu moraliter existit, prouocat Deum suâ malitiâ vt non det homini gratiam; ergo in hoc sensu optimè etiam de habituali dicitur, quòd efficienter moraliter expellat gratiam.

Obiectio.

Dices: Habituale consistit in priuatione gratiæ; atqui priuatio non causat effectiuè seipsam. Respondeo negato antecedenti; de quo tertio Tomo fusè, vbi dixi, priuationem esse effectum, non partem peccati habitualis.

Responsio.

46. *Peccator efficiendo peccatum à se formaliter efficiter expellit gratiam.*

DICO SEXTÒ: A fortiori potest peccator ipse diei à se expellere efficienter moraliter gratiam, quatenus efficit ipsum peccatum actuale pugnãs cum gratiâ; in quâ conclusione nulla est difficultas, suppositis iis quæ hucusque diximus.

Tam actuale quàm habituale ex naturâ rei pugnant cum gratiâ.

DICO SEPTIMÒ & VLTIMÒ: Peccatum tam actuale quàm habituale etiam pugnat ex naturâ rei cum gratiâ, non minùs quàm frigus in summo cum calore in summo, & quàm aliæ qualitates physicæ contrariæ inter se: in hanc maximè intendunt, qui dicunt ea duo physicè sibi esse contraria: neque eam negant qui dicunt solùm demeritoriè pugnare, quia per *tò demeritoriè* non excludunt nisi physicam oppositionem.

Non est idem mereri & causare expulsionem gratiæ ex naturâ rei.

Pro huius conclusionis probatione aduertenda sunt duo, quæ benè P. Suarez suprà notauit. Primum est, non esse idem mereri expulsionem & eam causare ex naturâ rei; nam meritum solùm dicit cõdignitatem operis cum præmio aut pœna; per quod tamen non cogitur ex naturâ rei Iudex ad eam pœnam infligendam: etenim odiũ Dei v.g. & quodlibet mortale, ex se meretur vt statim homo occidatur & damnetur, non tamen propterea ex naturâ rei seu necessariò infert eũ effectum: & in humanis idem passim cernitur.

Oppositio ex natura rei nõ est solùm inter res physicas, sed etiam inter morales.

Secundum, quod præmitti debet, est oppositionem ex naturâ rei seu naturalem nõ solùm reperiri inter res physicas, sed etiam inter morales: id quod explicatis terminis à nemine negari potest; nam hæc repugnantia in eo consistit, quòd non sit ex solâ libera voluntate hominis, sed ita conformis rebus, ac iuxta earum naturam, vt non possit connaturalitet aliter fieri, imò aliquando nec diuinitus: sic Deo repugnat ex natura rei mendacium, sic repugnat omne peccatũ; sic opus bonum natura sua est dignum laude & præmio aliquo; sic è contrario, malum opus est dignum pœna & vituperio, nec potest dici, eam dignitatẽ pendere ex sola voluntate hominum; licet enim ordinetur ad eam voluntatem, in se tamen est quid connaturale ei operi. his positis.

Oppositio inter peccatum & gratiã in hoc consistit, quod natura sua facit inimicum, Dei amicitiæ fũdamentum gratiam expellens.

In hoc ergo sensu intelligenda est oppositio peccati cum gratia, quã fusè hac & sectione præcedẽti propugnauimus: peccatum enim mortale, quia natura sua causat formaliter inimicitiã Dei, vtpote iniuria illius grauissima, eo ipso naturaliter expellit amicitiam cum Deo, ac consequenter expellit gratiam fundantem eam amicitiam, vt suprà dictum est.

47. *Quid de habitu fidei & spei dicendũ. De facto per solã hæresim & desperationem expelluntur.*

Quæres fortè, an idem sit dicendum de peccato infidelitatis respectu habitus fidei, & de desperatione respectu spei. Respondeo, si ad demeritum solùm attenderemus, sine dubio citiùs expellendos eos habitus per odium Dei quàm per hæresim, quia grauius est illud peccatum; consequenter igitur ad ea quæ paulò antè diximus asserendũ est, Deum nõ voluisse de facto eam pœnã infligere homini propter alia mortalia, quantumuis grauia, sed præcisè propter hæresim, ob rationes ibi datas; quia hoc peccatum magis videtur opponi habitui fidei quàm alia peccata, quæ solùm opponuntur mediatè ratione gratiæ, & eodem modo spei habitus propter desperationem; quia etiam hæc magis directè opponitur illi habitui. Et satis de hac expulsione; illud tamen obserua, omnia hæc solum de peccato mortali intelligenda, vt & initio notaui; nam per venialia

Digitized by Google

Venialia non minuunt gratiam.

venialia non amitti gratiam ostendi fusè,dum de venialibus egi Tom. tertio,quidquid in contrarium vnus aut alter Theologus dicat : venialia enim solùm impediunt indirectè augmentũ gratiæ impediẽdo actus bonos,quibus essemus promerituri huiusmodi augmentũ:hinc fit,vt quantumuis multiplicentur , non faciant mortale, facerent autem, si gratiam minuerent;tãdem enim vltimò nihil ex eâ relinquerent. Ratio etiam à priori ea est;nã venialia non sunt contraria amicitiæ simpliciter,& consequenter neque gratię;si autem ex se non sunt contraria , etiamsi multiplicentur, non opponentur. Aliquas solutiones improbabiles vide apud Suar.cap.8.vbi eas optimè refutat, & de hoc puncto fusiùs agit;ac benè ostendit, nullum peccatum veniale habere repugnantiam cum vllâ intensione gratiæ ; nam veniale,quod hodie facio dum habeo gratiã vt centum , & ideò in aduersâ sententiâ tollit centesimũ gradum eius gratiæ,potuit esse in me,etiamsi habuissem mille gradus ; & tunc non expulisset, iuxta aduersarios, nisi millesimum, ergo mansisset non solùm cum centesimo,sed cum nongentis amplius,vno minùs;ergo non opponitur centesimo ; ergo non potuit centesimum expellere per oppositionem cum illo;ergo nullum gradum expellet, quia dato quocumq; gradu gratiæ cum maiori potuit illud idẽ veniale fieri; dicere verò, quòd Deus per modum pœnę auferat vnum gradum,est planè arbitrarium, contra omniũ aliorũ Catholicorum sensum. Et satis nunc eâ de re.

Solutiones aliquas refutat Suarez.

DISPVTATIO XLVI.

An forma sanctificans necessariò sit res absoluta : vbi, an peccatum sine formâ intrinsecâ deleri queat diuinitus , velè contrario cohærere cum gratiâ possit.

SECTIO I.

Vtrùm forma sanctificans sit res, an modus.

1. *Suarez videtur docere,de fide esse,gratiam & alia dona supernaturalia esse res, & non modos.*

HÆc difficultas ad maiorem declarationem eorum quæ in præcedentibus disputationibus diximus ordinatur ; moueo autem illam propter P. Suarez , qui cap. 15. impugnans sententiam quandam Ioannis Vincẽtij,videtur docere esse de fide,gratiam sanctificantem(& idem de aliis donis supernaturalibus) esse res,& non modos;imò n.8.dicit sine magno errore nec quidem in dubium id posse reuocari; sine deniq;capitis ait,nec mente contrarium esse conceptibile.Et verò,saluâ reuerentiâ tanto Magistro debitâ,vehemẽter admiror eiusmodi censuram ; quæ videtur mihi prouenire ex minori consideratione differentiæ inter rem & modum: vt ergo certa ab incertis separemus , & quid ponderis quælibet habeat sententia , videamus.

Modus tam realiter à parte rei distinguitur à subiecto ac quæuis accidens absolutum.

Aduertendum est, quod sæpè obseruaui, modum tam verè & realiter à parte rei esse quid distinctum à subiecto, quàm sit distincta quælibet forma accidentalis absoluta : sicut non minùs forma equi distinguitur à materiâ , quàm ab eadem materiâ distinguatur anima rationalis,etiãsi hæc possit esse naturaliter sine materiâ , forma verò equi non possit : sicut in nostro casu forma accidentalis absoluta potest esse supernaturaliter sine subiecto , forma verò modalis non potest esse : vt enim dependentia naturalis , græ non-dependentia naturali , non arguit minorem distinctionem , ita dependentia etiam in ordine ad eamdem potentiam non arguit minorem distinctionem;igitur tota quanta diuersitas formæ modalis à reali in hoc consistit , quòd illa non potest diuinitus esse sine subiecto, hæc verò potest ; in cæteris verò omnibus possunt optimè conuenire.

Patres & Concilia, an gratia sit modus vel res absoluta, tacent.

Ex hac suppositione cùm Concilia & Patres de iustitiâ solùm dicant esse aliquid intrinsecum reale inhærens animæ, verumq; ens,non fictum; quòd verò illa gratia possit diuinitus conseruari extra subiectum (in quo consistit conceptus formæ absolutæ) nec per vmbram vmquam à Patribus vel Conciliis insinuetur , neque penitus inferatur ex prædicatis insinuatis ; quomodo, quęso,dici potest magnus error,vocare in dubiũ, an gratia sit modus, nedum id asserere absolutè? Numquid ex hoc capite recentiores aliqui valdè docti , qui dicunt omnes actus intellectus & voluntatis esse modos , quia censent , nec diuinitus posse à subiecto separari , incident iam ex hoc capite in nouum magnum errorem , si dicerent actum contritionis iustificare formaliter, ideóque ex eâ parte iustificationem esse formam modalem ?

2. *Æquè probabile est gratiã esse modi ac rẽ absolutã, Theologicè loquendo. Obiectio à variis gratiæ muniis desumpta. Responsio.*

Hinc Dico, Theologicè loquendo, tam probabile esse eam gratiam esse modum quàm esse rem absolutam ; quia ex principiis Theologicis de eo puncto in neutram partem quidquam potest decidi.

Dices : Gratia est infusa à Deo,expellit peccatum,habet annexas virtutes & habitus,est interna hominis renouatio, est forma superioris ordinis animæ indita.&c. ergo non est modus. Respondeo:Cõcedo antecedens,& nego consequentiam:rogo enim,an ex eis omnibus prędicatis inferatur consequentia:hæc,*Ergo gratia potest diuinitus esse extra animam*;si enim hęc non infertur, ergo non infertur,eam esse modum,quia ibi continetur adæquata definitio modi;non potest autẽ inferri alicui conuenire definitum, nisi inferatur conuenire definitionem. Porrò eam consequentiam non inferri ex illis antecedentibus , est lumine naturæ notum , quia si Deus potest alicui infundere rem separabilem ab ipso, potest etiam infundere rem,quæ nec diuinitus queat esse sine ipso subiecto ; non enim debet concipi,ante infusionem eam rem fuisse extra illud subiectum; id enim esset grandis error in Philosophia & Theologia ; alioquin anima rationalis debuisset esse creata extra corpus , antequam in illud infunderetur : eodem modo discurro in ordine ad alios effectus expellendi peccatum , iustificandi: quid enim , quæso, ad expellendum peccatum iuuat , quòd ea forma possit diuinitus esse sine subiecto ?

Cõsequentia ex dictis antecedentibus malè infertur.

3. *Secundùm P. Hurtadũ, vnio hypostatica, etsi modus sit formalitas tamẽ sanctificat.*

Vrgeo id ex probabili Patris Hurtadi,Tom.de Incarnatione,doctrinâ ; asserit enim,ipsam etiam vnionẽ hypostaticam, vt condistinctam à Verbo

tribuere

Digitized by Google

tribuere animo formalem sanctitatem. Nec potest ea sententia, vel apparenter teneri, eò quòd ea vnio sit modus, seu inseparabilis (vt dixi) diuinitus à subiecto, ergo. In conceptu habitus forte malor esse posset difficultas; dico tamen, effectus totus, qui ab habitu præstatur nempe facilitare potentias, &, si vis, etiam producere actus, non ostendit vllo modo, ad id requiri separabilitatem diuinitus eius iustitiæ à potentiâ. Dixi, *si vis, etiam producere actus*; nam gratia sanctificans (de qua nunc agimus) non producit actus; ergo ex hoc capite nihil de separabilitate. Confirmo, & rem totam manifestè ad prima & propria principia deduco; nam quòd communia accidentia, albedo & cætera, sint res, & non modi, colligimus ex Eucharistiæ mysterio, vbi fides docet ea manere sine subiecto: si enim hoc argumentum non haberemus, certè probabilissimè discisset ille, qui accidentia eiusmodi dixisset esse alligata essentialiter subiecto, ita vt sine illo nec diuinitus conseruari possent: nec per hanc alligationem dici ille auctor potuisset impedire in albedine effectum reddendi album, dissegregantis visum, & similes effectus, quia illa inseparabilitas nulli plane effectui tali est contraria; ergo cum argumentum hoc à mysterio illo desumptum non transeat, Theologicè loquendo, ad actus vitales, & ad habitus voluntatis, non est, cur ex illo censeatur Theologicè minùs probabilis sententia dicens, gratiam esse modum, non rem absolutam.

Absurdum à fide non posse probari accidentia communia subiecto suo non esse essentialiter alligata.

Philosophicè loquendo probabilius est gratiam & alia dona esse res absolutas.

Secundò tamè dico, Philosophicè loquendo, longè probabilius videri, eiusmodi dona esse entitates absolutas. Dico *Philosophicè*, quia ob similitudinem cum aliis antecedentibus realibus sic possumus argumentum formare: Tantæ dignitatis & independentiæ debet esse gratia, & cætera dona supernaturalia, quàm albedo, frigus, calor, &c. non enim habemus vllum fundamentum, quo moueamur, ad ea alliganda subiecto, ergo. Vel si vis aliter formare argumentum, vt illud formam; ad probandum vbicationem & durationem esse res, & non modos, sic argumentare: Quando res aliqua distinguitur ab aliâ, & non habemus positiuum argumentum quo moueamur, vt dicamus, eas duas res non esse inter se mutuò separabiles, non debemus id asserere, sed potius dicendum est Deum posse diuinitus hanc ab illâ, & illam ab hac disiungere, quia standum est & pro potentiâ Dei, & pro independentiâ earum rerum inter se; atqui, vt formam sanctificantem dicamus non posse à Deo diuinitus separatam à subiecto conseruari, nullum habemus fundamentum, ergo non debemus eam dicere inseparabilem, ergo nec debemus eam facere modum. Hæc est tota substantia huius quæstionis, nec maiora in eâ sunt quærenda mysteria, multò minùs censuræ erroris aut hæresis.

Sectio II.

Quid de sententiâ Ioannis Vincentij.

4. *Doctrina Ioannis Vincentij. Modum permanentem à contritione in animâ produci affirmat, qui vere illa perunte sanctificat.*

Iam de sententiâ Ioannis Vincentij, quem Suarez suprà fusè refutat, breuiter à nobis agendum erit. Igitur ille auctor ità docet cum Patre Vasquez, actum contritionis habere vim sanctificandi ex naturâ suâ, vt censeat ab illo produci posse quemdam modum supernaturalem permanentem in animâ, per quem postea homo sit verè & realiter sanctus, etiam transacto eo actu contritionis: licet autem talis actus eam vim habeat, non affirmat, vllum de facto producat eiusmodi permanentem sanctitatem. In hanc sententiam multus est P. Suarez; maximè autem eam refutat ex eo quòd talis enuntiatio ponatur modalis, non verò absoluta & realis.

Meritò impugnatur inconsequentia à Suario.

Dico Primò: Meritò P. Suarez eam sententiam impugnat vt minùs consequentem: dicimus actus contritionis habere eam vim naturalem, nihil est quòd de facto eam impediat, quò minùs producat talem modum; nam actus est agens necessarium, & subiectum est capax; Deus autem non impedit agentia naturalia, nisi quando occurrit specialis ratio faciendi aliquod miraculum, qualis in præsenti non cernitur, vt saltem ab hoc auctore non ostenditur: denique habitus supernaturalis gratiæ productus non est contrarius illi effectui, ergo.

Malè infertur, modum huiusmodi meritis posse cum mortali manere, eò quòd hoc non adæquatè illum destruat.

Dico Secundò, Non benè ex eâ sententiâ infertur, posse iustificationem seu modum illum manere simul cum peccato mortali, eò quòd vnus actus mortalis non possit destruere totum modum productum per multos actus contritionis sicut vnus actus contrarius non expellit totum habitum productum per multos actus contrarios: hoc, inquam, non rectè infertur contra eam sententiam, quia pro effectu formali sanctificandi, qui etiam in indiuisibili contrarius est naturaliter omni mortali, facilè respondere posset Ioannes Vincentius, per quodlibet mortale expelli totum illum modum, in quacumque intensione sit; sicut P. Suarez & omnes Catholici dicimus, per quodlibet mortale expelli totam gratiam habitualem, in quacumque intensione sit. Quæ doctrina locum etiam haberet, licet gratia habitualis produceretur physicè per actus contritionis: non enim video quid illa productio posset obesse ad impediendam contrarietatem, quam illæ formæ habent ex suis conceptibus formalibus; ergo cum illæ formæ, peccatum scilicet, & modus ille sanctificans, productus per contritionem, haberet effectus formales contrarios sanctificandi & maculandi animam, certè esto modus ille produceretur ab actu contritionis, adhuc retinebit oppositionem cum peccato, etiamsi sit in magnâ intensione.

5. *Contritio non habet vim talem modum sanctificantem producendi.*

Dico Tertiò: Actus contritionis & amoris super omnia non habent eam vim producendi talem sanitatem, siue modalis illa sit, siue absoluta. Hæc probatur manifestè ex dictis sectione secunda contra P. Vasquez; ostendimus enim, actus illos non esse dignam satisfactionem pro peccato; ergo non possunt habere vim illud expellendi neque per se, neq; per formam à se productam; quæ sine dubio non est nobilior ipso actu: omnis enim causa totalis est minimum tam perfecta quàm effectus: hinc etiam infertur non posse eam vim habere per modum formæ sanctificantis, quia ostensum est contritionem non habere vim sanctificandi; causare autem eam formam non potest, quia ad hoc deberet illam in se præcontinere, & quidem eminenter; & certè tunc potioti iure ipse actus esset pulchritudo animæ eam sanctificans: denique, quia (vt dixi suprà) non est ratio vlla probans, id debere habere actum contritionis, etiamsi sit nobilior, & non cæteros actus supernaturales virtutum.

6. *Non implicat forma expulsiua peccati essentialiter affixa subiecto.*

Dico Quartò: Non video vllam planè repugnantiam in eo quòd possibile sit aliqua forma sanctificans expellensq; peccatum, quæ sit affixa essentialiter suo subiecto, ideóq; sit modus illius. Constat hæc conclusio ex dictis sectione

Digitized by Google

præcedenti, ostendendo eam essentialem dependentiam formæ à subiecto (in quo consistit ratio modi) non esse vllo modo contrariam his effectibus; vnde addo ex hoc capite non posse reiici doctrinam Ioannis Vincentij.

Obiectio Suarij. Obiicies cum Patre Suario, Ergo sine lumine poterunt expelli tenebræ per modum aliquem actiui identificatum: quod nec verbis dici nec mente concipi potest. *Responsio* Respondeo ibi esse aliquam æquiuocationem; etenim modus ille expellens tenebras esset formalissimè lux & lumen; quia ratio lucis & luminis non desumitur ex separabilitate lucis à subiecto, in quo consistit ratio formæ absolutæ seu nó modalis, sed ex aliis prædicatis, quæ reperiri possent in eo modo; esto nó posset illa entitas etiam diuinitus conseruari sine subiecto, vt fusiùs explicatum est in aliis effectibus sectione 3.

Obiectio secunda. Secundò obiicies, Non potest fieri in voluntate noua conuersio supernaturalis sine nouâ formâ, ergo. *Responsio.* Respondeo ex dictis, etiam modum esse veram formam & absolutè distinctam à subiecto, etiamsi extra illud sola conseruari nequeat. Et satis de hac digressione.

SECTIO III.

Vtrùm peccatum mortale deleri possit sine actu peccatoris, aut etiam sine aliâ physicâ mutatione eiusdem.

7. *De facto non remittitur peccatum sine infusione gratiæ.* HÆc difficultas valdè est præcedentibus annexa, ideò hîc discutienda erit. Suppono de facto non remitti habituale sine gratiæ infusione, hanc verò non infundi adultis sine aliquâ præuiâ dispositione; extra Sacramentum quidem sine contritione, in Sacramento verò confessionis & Baptismi cum attritione: cuius rei non alia potest reddi ratio, quàm quod Deus ita velit, & congruum etiam sit, vt non remittatur peccatum propriâ voluntate commissum, nisi propriâ voluntate illud homo detestetur, & quidem per actum supernaturalem ac proportionatum, saltem in ordine cum gratiâ supernaturali infundendâ: est ergo tota quæstio circa potentiam Dei absolutam: in eâ autem multa sub hoc vnico titulo comprehendo, quæ sub diuersis fusè tractantur ab auctoribus. Meo autem iudicio eadem est ratio decisionis in omnibus, vt constabit; ergo, vt breuitati consulamus, nec Lectoris patientiâ abutamur, omnia simul expediemus.

An peccatum diuinitus remitti possit sine actu ipsius peccatoris, & sine gratiæ infusione. Quæri ergo solet Primò, an peccatum habituale (nam actuale, quia per se physicè existit, sine dubio non potest tolli, nisi homine ab eo cessante physicè) possit tolli sine actuali ipsius peccatoris retractatione, siue infundantur alia dona gratiæ, siue non: Secundò, vtrùm possit tolli sine gratiâ habituali, siue homo illud retractet, siue non: Tertiò, an possit sine vllâ omnino mutatione intrinsecâ peccatoris per solam Dei voluntatem: Quartò, an eadem sit ratio de peccato mortali commisso in pura natura: Quintò denique, an eadem etiam sit de peccato originali. De quibus omnibus difficultatibus per tria magna capita fusè agit Pater Suarez suprà à cap. 21. Vasq. disp. 206. & 207.

SVB SECTIO I.

Necessaria obseruatio & decisio quæstionis.

8. EA sit, totam ferè hanc quæstionem pendere ex aliis duabus aut tribus iam superiùs tractatis, quibus suppositis nulla planè in præsenti aut certè exigua restat ratio dubitandi, nec quæ longam exigat disputationem. Prima ergo & præcipua difficultas, à qua hęc quęstio pendet, est de constitutiuo peccati habitualis & originalis: Secunda, quæ ferè cum prima coincidit, est de modo quo peccatum habituale à Deo dici potest conseruari, Tertia potest etiam addi, licet magis extrinseca, an Deus possit liberum aliquê actum habere sine mutatione noua in creatura. Ex varietate in his punctis tota quanta varietas sententiarum circa remissionem peccati oritur: & quidem satis consequenter auctores discurrunt; qui enim cum P. Vasq. dicit peccatum habituale non conseruari vllo alio modo à Deo, quàm quatenus homini non dat formam physicam contradictoriam peccato; & qui dicit sine mutatione physica in creaturis non posse esse nouum liberum actum Dei, consequenter sanè dicit, sine aliqua mutatione vel per gratiam vel certè per actũ contritionis, quem etiam iudicat sanctificare, non posse à Deo remitti peccatum. Vlteriùs, qui habituale personale docent consistere in actuali præterito non retractato ab ipso homine, consequenter omnino dicunt, illud remitti non posse, nec quidem diuinitus, sine ipsius peccatoris retractatione; quia nisi ponatur ea retractatio, non tollitur vlla pars constitutiua peccati, cùm præcessio ipsa physica tolli non possit. Tertiò, qui sentiunt peccatum originale cõsistere in priuatione gratiæ habitualis, satis consequenter dicunt, illud remitti non posse sine infusione gratiæ, licet aliqui etiam, data ea doctrina, dicant posse illam priuationem transire in puram negationem, & sic originale cessare. Quartò, qui habituale personale constituunt etiam in priuatione gratiæ, valdè consequenter docent illud sine eadem gratia tolli non posse. Denique, qui habituale in hoc constituunt, quòd homo peccauerit, & non satisfecerit, nec ei sit condonata offensa; quam doctrinam fusè Tomo 3. probaui; consequenter docent, dupliciter posse concipi tolli peccatum; Primò, si æqualis pro eo satisfactio offerretur; quo casu tolleretur immediatè, independenter etiam ab vlteriori volitione Dei, quia tamen à pura creatura, maximè ab ipsa quæ peccauit, non potest offerri condigna satisfactio, hic modus re ipsa possibilis non est, licet sit conceptibilis; ergo secundo modo potest tolli per ipsam remissionem seu condonationem diuinam, quo modo de facto semper tollitur: nam licet semper de facto tollatur per infusionem gratiæ, hæc tamen non extinguit immediatè peccatum; sed quatenus posita in anima petit à Deo, vt remittat illam culpam, & sequitur immediatè in Deo condonatio; quæ est ipsa formalissima remissio. Ex quo principio vlteriùs efficacissimè inferunt, Ergo diuinitus potest fieri ea remissio sine vllo præuio dolore peccatoris aut vlla infusione gratiæ. Quam consequentiam sic ego probo: Quidquid Deus concedit ad instantiam, vt sic dicam, creaturarum, potest etiam concedere sine vlla præuia petitione pro sua sola libertate; atqui ipse solus formalissimè aufert habituale de facto, licet ad petitionem seu exigentiam creaturæ, id est gratiæ, aut contritionis;

Difficultates à quibus quæstio hæc pendet, addúcuntur:

ex varijs circa has auctorum sententijs varietas circa remissionem peccati oritur sententia. Vasquez opinio,

& aliorum.

Peccatũ habituale constituit in actu præterito, carentiâ satisfactionis & diuina condonationis.

9. *Efficacissimè infertur peccatum remitti posse sine actu peccatoris aut gratiæ infusione.*

Digitized by Google

tionis, ergo potest non præuia huiusmodi petitione illud remittere ex sola sua voluntate. Consequentia est euidens: minor supponitur in eâ doctrina de habitualis constitutiuo: maior est euidens ex terminis, & patet etiam in humanis; nam omnem gratiam, quam Rex aut aliquis alius potest facere, si rogetur, potest facere omnino liberaliter non rogatus: ratio verò à priori ea est, quia licet qui offendit alium in ipso fieri sit dominus offensæ; ipse enim eam offensam ponit; at iniuria semel commissa amplius non est sub cómittentis potestate, neque ad ipsum spectat eam remittere, nisi quatenus ponere potest satisfactionē æqualem: quòd si hanc non possit, tunc penes solum offensum est illam tollere cedendo suo iuri, quia ipse est iã dominus illius: sicut si debeo ego centum Petro, certè in manu Petri est tollere à me illud debitum, si ipse illud remittat cedátque suo iuri: atqui Deus potest cedere suo iuri, etiamsi nihil sit, quod ipsum ad cessionem obliget; ergo poterit remittere peccatum per solam extrinsecam condonationem.

Hæc est tota substantia huius difficultatis sic decidenda, iuxta cuiuslibet principia in illis primis difficultatibus. Nos ergo, qui vltimam tam sententiam defendimus, consequenter hanc vltimam resolutionem de remissione peccati per solam extrinsecam condonationem approbamus non solùm in habituali personali, sed etiã in originali; nam & hoc non consistere in priuatione gratiæ eodem etiam Tomo efficaciter probaui; ideò consequentiam discursus semper tenendo, idē de vtroq; dicemus. Quoad habitualis remissionem sentit nobiscum P. Suarez suprà, multos ibi pro eâ doctrinâ referens; sentit etiam Tannerus disp. 4. dub. 6. q. 5. & communiter Thomistæ: quoad originale dissentit ille, quia contrario nititur fundamento de originalis constitutiuo. Explicata ergo iam quæstione totâ, restat aliquas breuiter difficultates, quæ fieri possunt, soluere & eadem via aliqua notare, quæ videntur minùs consequenter à quibusdam tradita.

Vltimam sententiam approbamus non solùm de habituali personali, sed etiam de originali.

SVBSECTIO II.

Deciduntur quædam ex dictis.

Est de fide, originale posse remitti sine actu proprio peccatoris.

PRimo ergo circa peccatum originale, ex fide constat posse illud remitti sine vllo peccatoris actu: vt patet in infantibus, quibus sine eorum dispositione remittitur: vbi obserno ex dictis, minùs bene, licet consequenter ad sua principia, docere à P. Suatio cap. 21. num. 3. non posse infundi gratiam, nisi simul originale remittatur, nec remitti prout de facto contrahitur sine gratiâ, vt docet cap. 23. num. 3. iam enim ostendi, illud non consistere in priuatione eius gratiæ, sed in auersione moraliter permanenti; vnde dico posse non minùs quàm in aliis habitualibus gratiam infundi adhuc manente eâ ratione auersionis, & hanc tolli è contrario sine infusione gratiæ. Vide quæ suo loco de originali dixi.

Error quòd peccatum actuale in actu præterito non retractato consistit, leuiter probatur sine illius retractatione remitti non posse.

Secundò ex dictis constat, leuia esse eorum argumenta qui dicunt, sine retractatione ipsius peccatoris non posse diuinitus remitti peccatum, eò quòd hoc consistat in actu præterito non retractato & voluntario; & quia Deus non potest remittere peccatum, nisi hominem diligendo; ergo debet videre in eo retractationem, quam diligat; constat, inquam, hæc argumenta leuia esse; nã primum, vt dixi, falsum supponit: voluntarium enim actuale iam omnino periit, permanentia autem voluntaria, quæ tunc censetur esse, non pendet vllo modo à ratione nouæ libertatis ipsius offendentis, sed potiùs à liberâ non remissione offensi; ideò hac remissione positâ iam non manet voluntarium moraliter, esto maneat vna denominatio, quòd fuerit actus, & non sit ab ipso retractatus, quâ non constitui vllo modo peccatum habituale ostendi eo Tomo 3. Argumentum verò Secundum; ex eo quòd Deus, vt remittat habituale, debet amare subiectum, summam suadet necessitatem retractationis vel gratiæ disiunctiuè. Verùm neque hoc, vt Deus remittat peccatum, sufficit, si relinquat hominem in eo statu, in quo fuisset in purâ naturâ.

II. *Obiectio.*

Obiicies: Homo per peccatum non solùm auertitur à Deo, sed etiam à naturâ rationali; vnde de agente de peccato diximus, si ignoretur inuincibiliter Deus, tunc homicidium v.g. habituram grauitatem aliquam malitiæ contra naturam rationalem; ergo licet Deus extrinsecè condonando peccatum tollat illud, quatenus est offensa ipsius Dei, non tamen tollet, quatenus est contra naturam rationalem. Respondeo, Deum, vt supremum caput naturæ rationalis posse illud peccatum remittere, non solùm vt est contra se; sed etiam vt est contra omnes rationales creaturas; nam quatenus Dominus supremus earum potest earum quasi nomine cedere: vt enim agentes de peccato originali diximus, Deus ob supremum dominium in homines potuit transferre eorum voluntates in voluntatem Adami, ex quo factum est, vt omnes in illo peccauerint; ergo facilius poterit offensam sibi & toti naturæ rationali factam condonare, etiam si aliæ creaturæ eam non condonent. Vnde addo, obiectionem factam etiam probare nec per gratiam, nec per retractationem ipsius hominis, offensam illam, quatenus est contra naturam rationalem, posse deleri, nisi tota natura rationalis consentiat in eam remissionem; quod est absurdum.

Respondeo. Deus supremus rationalis naturæ Dominus peccatum contra illam factum remittere potest.

I 1

I 2

Culpa contra naturam rationalem, si Deus ignoret, remitti posse à Reipublicæ Principe.

Hinc colligo, si per impossibile non esset Deus, & peccasset quis contra naturam rationalem, fore, vt posset tunc illa iniuria remitti ab eo qui esset caput Reipublicæ, non aliter quàm de facto remittuntur inter homines culpæ in Rempublicam cómissæ, quia in tali remissione agunt de facto humani Iudices, perinde ac si illud debitum non esset vllo modo offensa Dei; ergo etiam tunc agerent, quando re ipsâ non esset offensa.

Obiectio.

Dices, Ergo qui de facto ignorans inuincibiliter Deum peccauit, poterit à Republica absolui, quia reuerà non commisit offensam Dei (vt suo loco docuimus.) Respondeo, illud non esse propriè peccatum promerens æternam pœnam; qualecunque autem est, non potest de facto à Republica tolli; quia ad id Deus non dedit auctoritatem: sed eam sibi reseruauit vt caput hominum: si autem per impossibile non existeret, tunc necessariò deberet esse in Republica ea potestas.

Respondeo.

Malè Vasq. probat habituale remitti posse sine retractatione, quòd hoc à fortiori quàm Deus agente non consequatur.

Tertiò ex supradictis infertur, malè à P. Vasq. probari, posse remitti habituale sine retractatione, eò quòd peccatum habituale non conseruetur à fortiore agente quàm sit Deus; ergo potest Deus illud tollere infundendo gratiam: etenim, vt benè Suarez à num. 11. illud principium de fortiori agente non est ad rem; id quod ego duobus verbis sic probo, quia Deus non potest destruere totum aliquod, nisi auferendo aliquam partem illius: ergo si habituale consistit in

Digitized by Google

peccato præterito non retractato, dicendum est Deum non posse illud tollere nisi tollendo vnum ex his duobus; atqui præteritionem non potest, ergo debet tollere retractationem; sed hæc non tollitur nisi per ipsam retractationem; sicut tenebræ non tolluntur nisi per lucem; ergo non potest ea sententia reiici nisi reiecto eo principio de constitutiuo habitualis.

13. *Rationes Suarij pro nostrâ doctrinâ vt quid valeãt, reducenda sunt ad traditũ à nobis principium.*

Quartò infertur, rationes, quibus nostra sententia à Patre Suario probatur, eò quòd actus noster non potest requiri neque post remissum peccatum, neque ante, neque simul, id quod ibi fusè deducit; reducendas esse, vt quidquam valeant, ad principium à nobis traditum; quòd illi actus formaliter non sint ablatio peccati, sed summùm petant à Deo remissionem; & quòd eo ipso etiam Deus sine eorum petitione possit peccati remissionem concedere, quam ad eorum exigentiam concessisset.

Falsum supponunt, qui putant gratia carentiã animam maculam.

Quintò infertur, illos qui necessitatem gratiæ habitualis requirunt essentialiter ad remissionem, eò quòd carentia gratiæ maculet animam, eámque reddat inuisam Deo; falsum supponere; quia ea carentia est quid physicum, & effectus ac pœna peccati, non verò moralis macula; idéoque non est necessum eam tollere, vt tollatur offensa peccati, esto eo casu homo maneret carens pulchritudine eius gratiæ: id quod omnino est extra conceptum peccati.

Gratia aliqui se fatigant circa remissionem habitualis in statu puræ naturæ.

Sextò infertur, gratis aliquos defatigari circa remissionem habitualis in statu puræ naturæ inquirendo, vtrùm tunc illud esset priuatio gratiæ, & consequenter, an sinè gratia posset remitti: vno enim verbo

14. *Tunc eodem modo pugnaret cum gratiâ sicut de facto. Non inferret priuationem præuiè gratiæ.*

DICO PRIMÒ, illud tunc habiturum eamdem repugnantiam cum gratia quam iam. quia eam nunc habet ob rationem offensæ grauis Dei, quam etiam tunc haberet.

Æqualis pœnæ esse grauitatis cum illis qui de facto fiunt.

SECVNDÒ DICO, tunc non illaturum propriam priuationem gratiæ, quia priuatio requirit subiectum absolutè capax formæ: at in eo statu homo non esset elevatus ad gratiam, neque capax illius; ergo non deberet tunc ea carentia gratiæ dici priuatio.

TERTIÒ DICO, tunc illud peccatum potuisse esse æqualis grauitatis cum multis quæ iam fiunt, cum illis scil. omnibus quæ committunt quotquot inuincibiliter ignorant se esse elevatos ad ordinem supernaturalem; vnde tunc essent eadem pœna digni, qua hi iam: quod tamen postrèmò P. Suarez vertit in dubium: fortè tunc non torquerentur apprehensione carentiæ visionis; attamen ex pœna damni deberet fieri compensatio, vt æquale esset tormentum cum his qui nunc non grauiùs peccauêre.

Sicut in elevata, ita etiã in natura pura remitti posset peccatũ sine infusione gratiæ.

QVARTÒ circa hoc DICO, eisdem rationibus, quibus mouemur ad asserendam eam remissionem possibilem sine gratiæ infusione in natura elevata, debere defendi etiam in pura, quia priuatio gratiæ est in vtroque statu extra constitutiuum peccati, & semper habet vim principium nostrum; quod Deus potest non rogatus donare, quod potest rogatus; quam autè prouidentiã esset tunc habiturus pro remissione mortalis, & quos actus naturales requisiturus, an amorem sui naturalem super omnia, an alios, dubium est, quia pendet ex decretis conditionatis Dei; de quibus nos non nisi diuinando sine fundamento discutere possumus. Quod enim nonnulli fingunt vnã qualitatem naturalem respondentem nostræ gratiæ, vt tunc iustificaret, reiicitur à Suario hic.

Fingunt aliqui naturalem qualitatem nostræ gratiæ respondentem.

De quâ ego sic censeo, Primò, sine necessitate eam poni; Secundò, non videri repugnare diuinitus aliquam qualitatem naturalem suo modo imperfecto licet sanctificantem; Tertiò, illam non habituram vim ex se peccatum expellendi, quia ea vis expulsiua difficulter saltem à multis conceditur qualitati supernaturali; cur ergo extendemus illam ad qualitates, quæ sunt imperfectioris ordinis?

SECTIO IV.

Vtrùm diuinitus peccatum & gratia possint esse simul in animâ.

PRæcedenti disputatione ostendimus ea duo se naturaliter expellere, iam videndum an etiam diuinitus.

SVBSECTIO I.

Proponitur sententia affirmans.

Sententia Suarez.

DE hac difficultate fusè P. Suarez eo lib. 5. cap. 19. & 20. sub duobus titulis. Primus est, an possit diuinitus gratia cohærere cum peccato actuali; alter, an cum habituali. Meo autè iudicio, eadé planè est de vtroq; ratio, nisi fortè propter eos, qui dicunt habituale consistere in priuatione gratiæ: ex quo capite non videtur posse illud manere, eo ipso quòd ponatur gratia: verùm quia nos eam sententiam non defendimus, difficultatem dicimus esse eamdem respectu vtriusque peccati.

Distinguit etiam inter gratiam & habitum charitatis. Distinctio superuacanea est.

Distinguit etiam ibi P. Suarez inter gratiam & habitum charitatis; & de vtroque quærit, an possit esse diuinitus cum peccato actuali & habituali: Mihi verò ea distinctio non videtur necessaria vllo modo; nam cùm habitus charitatis, si à gratia sit distinctus (vt pro hac quæstione debet supponi) non sit forma sanctificans (vt suprà iam ostendimus cum ipso) neque habeat aliud, quàm esse principium actus charitatis; ex quo capite solùm aliqualem maiorem perfectionem habet quàm habitus fidei & spei, qui sunt principia actuum minùs perfectorum; non video, cur etiam naturaliter non posset cum peccato hærere, si sine gratia poneretur. Dico *cum peccato*, etiam id extendendo ad odium Dei; nam potentia ad amandum non opponitur odio, nec potentia ad dissentiendum opponitur dissensui etiam ex natura rei: ex quo capite valdè probabile iudico, habitum fidei non expelli per actum infidelitatis ex natura rei, sed demeritoriè & in pœnam; & idem dico de habitu spei per actus desperationis. Verùm, quidquid sit de oppositione naturali, certum mihi videtur non esse vllum fundamentum ad ponendam oppositionem essentialem in ordine ad potentiam absolutam. Deniq; posse habitum charitatis, si distinguatur, conseruari diuinitus sine gratia, nihil est quod cogat vel dubitare; nam etiamsi ille procederet efficienter à gratia, posset tamen Deus supplere eam causalitatem. Igitur tota quæstio reducitur ad gratiam respectu peccati mortalis tam actualis quàm habitualis. In quo puncto sententia est Patris Vasquez 1. 2. disput. 204. per totam, & P. Turriani sæpè in Tomo de Gratia, maximè Opusc. 6. disp. 1. & Ioannis Vincentij Relectione de gratia Christi in præfatione §. *Primum consectarium.* docentium, omnino repugnare eam

Charitas secundum se potest naturaliter esse cum peccato.

Potest habitus charitatis diuinitus separari à gratia.

Auctores negantes posse diuinitus peccatum cum gratia cohærere.

Digitized by Google

eam coniunctionem. Eorum fundamenta hæc sunt. Primum, quia homo per gratiã est conuersus ad suum vltimum finem; ergo non potest per peccatum simul esse auersus ab eodem fine, quia ea duo sunt inter se repugnantia. Huc videntur facere ea verba Ioannis Epist. 1. cap. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Secundum fundamentum sit, quia sequeretur hominem esse sanctum, & simul malum: quod omnino repugnat. Tertium, si sanctitas ex se non excludit essentialiter peccatum, ergo necessarius est nouus fauor Dei pro eâ expulsione; ergo ea gratia non facit ex se sanctum; ergo reddimur per extrinsecam denominationem sancti: quod videtur esse contra Tridentinum sæpè citatum. Confirmatur, esse gratum Deo per vnionem hypostaticam, & esse in mortali, omnino inter se repugnãt etiam diuinitus, iuxta communiorem sententiã, eò quòd vnio sit vera sanctitas; ergo omnino repugnat cum peccato etiam diuinitus. Quartum, si peccatum & gratia non possunt naturaliter cohærere, nec possunt etiam diuinitus, quia Deus non conseruat peccatum habituale; ergo, eo ipso quòd infundat gratiam, illud peribit independenter ab vllâ aliâ Dei voluntate; ergo Deus non potest efficere vt adhuc maneat. Confirmatur hoc argumentum; nam si simul conseruaretur peccatum & gratia, necessarium omnino esset, vt Deus conseruaret peccatum miraculosè, saltem quoad modum contra exigentiam scilicet gratiæ: atqui Deus non potest miraculosè peccatum cõseruare; id enim esset illud causare, ergo. Quam rationem sectione præcedenti ex P. Coninck tetigimus.

16. *Eorum fundamenta.* *Primum.* *Secundum.* *Tertium.* *Quartum.*

Svbsectio. II.

Nostra sententia proponitur.

17. *Possibile est coniunctio gratiæ cum peccato.*

His tamen non obstantibus, contraria sententia, affirmans possibilem esse eam coniunctionem, longè est probabilior, vt etiam cõmunior. Auctores vide apud Suarium suprà & Tannerum disp. 6. q. 5. num. 53. & seqq.

Ego rem totam breuiter sic decido, & dico Primò: Non repugnat aliqua qualitas creata sãctificans animam adeò perfecta, vt ex naturâ suâ habeat essentialem repugnantiam cum peccato mortali. Hanc do Patri Vasquez, & meo iudicio efficaciter probo, quia ea repugnantia non arguit perfectionem infinitam, quæ creaturæ conuenire non possit. Vt enim omni peccato actuali repugnat etiam diuinitus volitio non peccandi, ita potest excogitari aliqua qualitas habens ex se similem oppositionem cum peccato etiam habituali. In quo puncto non video aliam difficultatem, nisi quòd dicatur, nos non posse ostendere vnde proueniat ea repugnantia, sicut ostendimus in ipsis actibus. Respondeo tamen ad hoc sufficere, si dicamus eam prouenire ex specifica & particulari perfectione illius; quia talem perfectionem conuenire alicui creaturæ qualitati nullatenus dicit duo contradictoria.

Nẽ repugnat qualitas essentialiter pugnans cum peccato.

18. *Non etiam repugnat qualitas naturaliter expellens peccati, diuinitus tamen potens cum illo existere.*

Secvndò dico: Etiam è contrario non repugnat alia qualitas habens solùm naturalem exigentiam expulsionis peccati, diuinitus tamen potens cum illo existere. In hac etiam conclusione non puto Patrem Vasquez dissensurum: quæ enim vel leuis in hoc repugnantia ostendi potest; Vt enim calor summus naturaliter expellit frigus summum, & è contrario frigus calorem, non tamen diuinitus: & idem est in habitibus naturalibus oppositis, idem in humore & siccitate, si distinguantur, & denique in omnibus dispositionibus contrarijs: cur, quæso, repugnabit vna qualitas talem habens gradum perfectionis moralis, vt naturaliter expellat peccatum omne, non tamen diuinitus, siue illa vocanda sit sanctitas, siue non; à quo nunc abstineo, vt euitem priora argumenta Patris Vasquez, quæ ex conceptu sanctitatis desumebantur. Illud autem, quod ex essentia peccati habitualis formatur sæpè à Patre Vasquez, solutum est abundè superiùs; vbi ostendi, quo pacto necessaria sit omnino voluntas Dei condonatiua ad remissionem peccati etiam positâ gratiâ; vnde facilè infertur, Si Deus hanc voluntatem non habeat, manserum ibi peccatum cum gratiâ.

tus tamen potens cohærere cum illo.

Solùm videtur obesse huic conclusioni argumentum, quod vltimo loco nos addidimus; nam tunc temporis sequeretur Deum conseruaturum miraculosè peccatum: ei tamen respondeo ex doctrinâ à me alibi traditâ, dupliciter posse Deum se gerere in conseruatione peccati & gratiæ; (idẽ est in conseruatione frigoris & caloris ceterarúmque qualitatum contrariarum;) Primò, vt priùs naturâ conseruet gratiam, & posteriùs naturâ peccatum. Secundò, vt è contrario priùs naturâ videat iam existens in subiecto peccatũ, & posteriùs naturâ addat gratiam. Si primo modo se gerat, tunc sola productio peccati erit supernaturalis quoad modum; si verò secundo modo, è contrario sola conseruatio gratiæ erit supernaturalis: licet autem Deus non possit (de quo statim) miraculosè conseruare peccatum, certè gratiam benè potest miraculosè conseruare. Explico: Peccator nihil cogitans de pœnitentia naturaliter conseruat suum habituale peccatum, quod ob contrarietatem, quam cùm gratia habet, petit, ne simul ei homini infundatur gratia, si Deus dicat, *Non obstante hac peccati exigẽtiâ, ego volo miraculosè gratiam simul infundere in hoc instanti*; certè existentia peccati connaturalis esset, quia nihil præcessit, quod exigeret, ne illud existeret: at existẽtia gratiæ esset miraculosa; quia peccatum exigebat, ne secũ ea gratia poneretur: ergo sola gratiæ positio fuit tunc contra exigẽtiam naturæ. Neque potest dici, peccatum petijsse tunc, vt posita gratia ipsum destrueretur, aut certè ipsam gratiam id exegisse; hoc, inquam, dici nullo modo potest; nam cùm iam supponamus in eo instanti reali existens ipsum peccatũ, vt possit petere, ne existat gratia, repugnat in terminis, vt illud petat annihilari eodem instãti, quia id est omnino impossibile; & ob eamdẽ rationẽ neq; gratia potest petere, vt peccatum, quod iam existit in eo instanti, annihiletur in eodem: summùm id petit pro sequenti instanti reali: ergo in eo primo peccatum connaturaliter extitit, & sola gratia miraculosè; quòd si in secundo instanti reali, tertio, & quarto, non nisi præuiso iam peccato, priùs natura in subiecto, decreuerit Deus gratiam conseruare, certè inde nulla refundetur in Deum specialis actio circa peccatum, sed solùm circa gratiam. Quæ doctrina habet locum, quandocumque inter duo contraria vnum producitur aut conseruatur priùs natura altero; tunc enim sola secundi conseruatio erit supernaturalis quoad modum.

Vltimum argumentum à nobis additũ conclusioni obesse videtur.

Dupliciter Deus conseruat gratiam & peccatum.

19. *Explicatur quomodo existentia peccati naturaliter possit esse in præsentiã gratiæ.*

Deus potest dici indirectè conseruare peccatum.

Verùm adhuc Secundò respondeo ex dictis alibi de peccato habituali, Deum sine dubio suo modo

Digitized by Google

modo illud indirectè conseruare; potest enim illud tollere remittendo illud, imò (vt infrà dicemus) per solam eius remissionem potest hoc tolli; ergo cùm dicit, *Nolo tollere, quia ius habeo ad illud*, sine dubio illud indirectè conseruat: hoc posito dico vltetiùs, cùm gratia, etiamsi ex naturâ suâ exigat remitti peccatum, non tamen sit satisfactio æqualis, nec omnino obliget Deum ad cedendum suo iuri, seu ad remittendum peccatum, poterit sine dubio Deus dicere, *Nolo adhuc illud remittere, esto gratia id exigat*, quia non exigit id omnino necessariò, nec est satisfactio æqualis pro illo; in hac autem nolitione prædicto modo supernaturali nullam planè videò indecentiam.

20. *Solutio in peccato actuali patitur difficultatem.*

Habet tamen hæc solutio difficultatem in peccato actuali; nam illud non pendet à non-remissione Dei; ergo præuisâ gratiâ in subiecto non poterit Deus hominem specialiter eleuare ad peccandum actualiter, quia id esset quodammodò ad illud peccatum specialiter concurrere. *Respondetur.* Respondeo, Deum non determinaturum tunc hominem ad peccatum, sed se gesturum ac si diceret voluntati, Adhuc posità gratiâ do tibi vires, vt, si velis, pecces; quod mihi nullo modo erit gratum; opto enim vt non pecces: hæc autem volitio nullam dicit Imperfectionem. Et satis de eo argumento, quod, quia petit solutionem multis materiis valdè vtilem, aliquantulùm nos, non tamen inuitos, detinuit.

Qualitas supradicta est vera sanctitas.

Tertiò dicendum est, eam qualitatem (de quâ in secundâ conclusione) esse veram & rigorosam sanctitatem; quia vt aliqua forma dicatur verè & absolutè habere aliquem effectum, sufficit, si illum præstet naturaliter, esto diuinitus impediri possit: sic nemo non dicet, calorem verè & absolutè expellere frigus, & è contrario aquam verè & absolutè purgare manus v. g. etiamsi Deus efficere possit, vt calor non expellat frigus, & aqua non mundet manus; quantumuis homo se ea lauet. Deinde quis dicet, calorem intensum non torquere hominem ex natura sua, etiamsi diuinitus ea tortura impediri possit? Ergo qualitas, quæ natura sua expellit peccatum, & ex natura sua reddit pulchram animam, absolutè erit vera iustitia & sanctitas, esto diuinitus impediri possit effectus ille expulsionis peccati. Et per hoc satisfit aliis argumentis Patris Vasquez; solâque deest vltima confirmatio desumpta ex vnione hypostaticâ. *Confirmationi ex vnione hypostaticâ desumpta respondetur.* cui vnico verbo respondemus negando consequentiam: fit enim argumentum à sanctitate infinita & summa, quæ potest excogitari, ad sanctitatem finitam & creatam: quod argumentum haud dubiè non valet, alioquin etiam deberet inde inferri, & gratiam habitualem esse inamissibilem, & excludere etiam venialia, quia id habet sanctitas Verbi. hinc

21. *De facto gratia est compossibilis cum peccato diuinitus.*

Dico Quarto: E quarũ numero sit gratia, quæ de facto datur, an ex his, quæ omnino repugnant etiam diuinitus peccato, an ex aliis, dubium est: probabilius censeo esse ex numero earum, quæ possunt diuinitus cohærere cum peccato; tum quia id suadet ferè communis Doctorum sententia; tum quia, quidquid sit de alia possibili, cui ea coniunctio repugnet, non debemus de facto asserere, Deum non posse diuinitus cum hac coniungere peccatum, cùm nulla in ea coniunctione nobis appareat repugnantia.

Obiectio.

Dices, Casu quo Deus produxisset eam gratiam, quæ essentialiter repugnaret, etiã non apparerent nobis vlla contradictoria; & tamen non deberemus dicere, non repugnare, ergo neq; nunc debemus id asserere, cùm nobis quid sit productum non constet: & vrgeri id maximè potest iuxta P. Suarez principia, qui frequenter docet, non esse possibilem aliam gratiam altioris ordinis quàm hæc sit. *Responsio.* Respondeo, in illo etiam casu nos debuisse discurrere sicut iam, esto inuincibiliter erassemus; quia non debemus ponere de facto sine vllo fundamento in rebus, quas videmus, omnes perfectiones, quæ diuinitus non repugnant alicui creaturæ; neque item debemus dicere, Deum non posse cum his creaturis, quas videmus, alias coniungere, esto possibiles multæ sint quæ habeant inter se repugnantiam. Ad confirmationem ex doctrinâ Suarez fateor, eâ datâ, probabiliorem esse sententiam, negantem gratiam & peccatum non posse coniungi, quia reuerà non potest probabiliter dici, repugnare vnam sanctitatem creatam adeò perfectam, vt nec diuinitus cohæreat cum peccato: ergo si gratia, quæ de facto datur, est nobilissima quæ potest esse, profectò iure meritò ei tribuetur eiusmodi repugnantia; vnde duas eas sententias P. Suarez non benè combino. Circa substantiam verò nostræ sententiæ illud aduerto, casu quo poneretur simul peccatum & gratia, animam tunc non reddendam simpliciter & absolutè Deo gratam, amicam & heredem Regni; nam ad hos effectus duo requiruntur: vnum est carentia peccati defœdantis animam; alterum verò positiua pulchritudo gratiæ: cùm ergo tunc non daretur ea carentia; non daretur absolutè effectus ille: vnde minùs placet P. Suarez, qui cap. 19. num. 20. videtur absolutè docere, etiam posito peccato Deum amaturum illum hominem à quo offenderetur; neque repugnare, vt Deus diligat personam propter bonitatem quam habet, & odio habeat illius actionem: hoc, inquam, mihi minùs placet; nam quando actio talis est, vt simpliciter reddat personam inimicam & turpem, vt peccatum mortale reddit hominem, proculdubio repugnat tunc simpliciter amare eam personam vt amicam. Aliquam fortè complacentiam imperfectam potèrit Deus habere, at amorem simpliciter amicitiæ non poterit. Et verò cap. sequenti num. 22. videtur tandem in eamdem doctrinam hic auctor consentire, ostendens, omnes eos effectus non prouenire à gratiâ, nisi quatenus habet annexam remissionem peccati, quæ si impediatur, eo ipso etiam illi impediuntur. Et satis de hac coniunctione.

Dato iuxta Suarez doctrinam gratiam, quæ de facto est nobilissima esse quæ dari potest, essentialiter tamen cum peccato pugnaret.

22. *Positâ gratiâ & peccato simul anima non esset absolutè Dei amica.*

Suarij doctrina displicet.

Disputatio XLVII.

An remissio peccati venialis ad effectus gratiæ habitualis petineat.

EX principiis, quæ iecimus circa remissionem mortalis habitualis, facilè possumus discutere circa remissionem venialis; & quidem circa potentiam absolutam nulla est planè difficultas, quia, sicut diximus, habituale mortale conseruari indirectè à Deo, quatenus illud

1. *Nulla est difficultas circa potentiam absolutam.*

Digitized by Google

illud non condonat, priuationem verò gratiæ excluſimus à cõſtitutiuo illius, ita potiori iure id de veniali dicendum; de fide enim eſt, illud non conſtitui eâ priuatione, ergo eadem facilitate Deus poterit illud remittere per ſolam extrinſecam condonationem. Quæſtio ergo præſens maximè tangit remiſſionem prout de facto contingit: eſt autem in veniali quoad hoc maior ratio dubitandi quàm in mortali, quia hoc habet formam contrariam, ſcilicet gratiam qua expellitur, at veniali gratia non opponitur in nulla planè intenſione; nam quacumque intenſione gratiæ habita, poſſum ego venialiter peccare; quid ergo erit quo de facto tolletur; Et licet ad materiam de pœnitentia videantur ſpectare aliqua, quæ de venialis remiſſione infrà dicemus, quia tamen omnis remiſſio venialium eſt quædam ſpecies iuſtificationis, de qua nobis in præſenti eſt ſermo, ideò etiam proprium hîc ea omnia ſibi locum vendicant, & faciliùs ſimul intelliguntur quàm diſperſa.

Quæſtio eſt de remiſſione de facto.

SECTIO I.

Vtrùm de facto omni remiſſioni venialis ſit adiuncta gratiæ infuſio.

2. *An remiſſio venialis ſemper coniungatur cum infuſione gratiæ. De facto ſemper coniungitur.*

DVPLICEM ſenſum poteſt hæc difficultas habere; Primum, an remiſſio venialis, per accidens ſaltem, ſemper tamen coniungatur cum infuſione gratiæ. In hoc ſenſu facilis eſt ſolutio; loquor de remiſſione in hac vita, dico ergo ſemper coniungi, quia de facto non remittitur peccatum, niſi homo efficiat aliquem actũ bonũ, vel debitè ſuſcipiat Sacramentum: in quibus caſibus ſemper augetur gratia: omne enim opus bonum ſupernaturale hominis iuſti ſemper habet annexam gratiæ infuſionẽ: exiſtenti enim in mortali numquam remittitur de facto veniale, etiamſi de illo habeat attritionem: hæc enim tunc ob indignitatem perſonæ redditur minoris valoris & inſufficiens ad abolitionem venialis, maximè cùm hoc non remittatur non remiſſo mortali.

An remiſſio coniuncta cũ infuſione gratiæ formaliter proueniat à gratia. Vaſquez ad illius remiſſionẽ requirit attritionem cũ gratia extra Sacramentum.

Secundus ſenſus, an remiſſio venialis coniuncta cum infuſione gratiæ prouoniat formaliter ab ipſa gratia, an verò hæc ſe habeat per accidẽs & purè concomitanter, remiſſio verò fiat per ſolam Dei condonationem extrinſecam. P. Vaſquez 1.2 diſp. 207 cap. 4 duo docet: Primum eſt, veniale non poſſe tolli diuinitus vel per ſolam gratiã habitualem, vel per attritionem ſolam, vel per vtramque ſimul extra Sacramentum: alterum eſt, illud tolli vel per contritionem extra Sacramẽtum, vel per attritionem in Sacramento cum infuſione gratiæ relatæ ad eam remiſſionem fundatur in eo, quòd ex veniali relinquitur auerſio voluntaria à Deo, & conuerſio ad creaturas; quæ non poteſt tolli niſi per actum proprium eam retractantem: cùm autem attritio extra Sacramẽtum non ſit ſufficiens retractatio, requiritur, vt vel hæc ſit intra Sacramentum, vel extra deretur contritio. Hanc opinionem cogitur Vaſquez defendere ob diuerſa principia aliũde ab eo tradita, quæ non poteſt omnia in præſenti combinare: & quidem per hanc ſententiam ipſum non ſaluare vllo prorſus modo ſuum principium generale, quod Deus non poſſit habere actum liberũ ſine mutatione noua phyſica in creaturis, manifeſtè oſtendi primo Tomo in primam partem de eo principio diſputant: & patet breuiter, quia totum illud phyſicum, nempe gratia & attritio potuerunt eſſe & non eſſe in Deo voluntas illa; ergo quando id vult diuerſam habet volitionem, quæ tamen nihil phyſicum nouum ponit: ſed de hoc fuſiùs vbi dixi.

Fundamentũ illius. Primum.

Per hanc opinionem non ſolum Vaſq. ſua principia.

Iam magis ad rem: dico ergo in primis, minùs conſequenter eum loqui; nam multò maior auerſio à Deo & conuerſio ad creaturam relinquitur ex mortali quàm ex veniali; hoc omnino eſt extra dubitationem; & tamen ipſe docet, ſine vlla retractatione peccatoris per ſolam gratiam habitualem poſſe tolli eam auerſionem & conuerſionem mortalis, ergo à fortiori idem erit de veniali: vel certè ſi in veniali hoc repugnat, non debet id probari ex auerſione vel conuerſione in ipſo reperta, ſed ex alio capite. Vrgeo: Attritio cum gratia extra Sacramentum non eſt ſufficiẽs retractatio venialis, nec forma incompoſſibilis cum illo, ergo neque etiam intra Sacramentum. Patet euidenter conſequentia; nam inſtitutio Sacramenti non facit illam attritionem eſſe maiorem vel minorem retractationem peccati, ergo non addit illi incompoſſibilitatem cum illo: ſi ergo in Sacramento poteſt Deus per extrinſecam ſuam voluntatem ſupplere defectum perfectæ retractationis, poterit & extra Sacramentum. Quæ ratio mihi euidentiſſima videtur. Deinde, ſi poteſt ſupplere defectum perfectæ retractationis, poterit etiam omnis omnino retractationis; quia ex natura rei tam non tollitur peccatum per imperfectam retractationem quàm per nullã. Quomodo hæc auerſio tollatur diximus ſuprà in mortali: inde pete abſolutam ſolutionem argumenti.

Minùs conſequenter loquitur.

3. *Vrgetur.*

Secundum fundamentum illius.

Secundum Patris Vaſquez fundamentum eſt, ſi veniale per ſolam Dei condonationem tollitur, ergo non tollitur macula illius, nec homo verè mundabitur, ſed ſolùm tegetur peccatũ: quod eſt hæreticum. Argumentum commune eſt mortali, & ad ſummum probare requiri gratiam pro remiſſione venialis: ſed neque hoc probat; ex dictis enim ſuprà conſtat, ſicut macula habitualis non eſt aliquid phyſicum, ſed morale, ita poſſe propriſſimè tolli ſine phyſica renouatione hominis per ſolam Dei condonationem quã manetur moraliter homo: quod longè abeſt à ſententia hæreticorum docentium, Deum non condonare peccata, ſed ſolùm pœnam pro illis debitã.

Nihil probat.

Solutio ipſius Vaſquez.

Adde, hanc etiam eſſe ſolutionem ipſius Vaſquez, qui oppreſſus argumento ſtatim contra ipſum vrgendo, dicit peccatum veniale remitti per attritionem & gratiam ſacramentalem cum reſpectu rationis ad voluntatem Dei dantis gratiam animo, vt homo mundetur: vbi addit: Nec mirum eſt, quod per illum reſpectum rationis remittatur veniale, cùm macula ex veniali relicta ſolùm ſit reſpectus rationis ex præcedenti peccato. Hæc ille. Vides ergo iam illum confugere ad hoc, quòd habituale non ſit aliquid reale inhærens, ideòque poſſit tolli per reſpectum rationis ex voluntate Dei. Quæ quidem eſt optima ratio, ſed quã deſtruit ipſe Vaſquez ſuas concluſiones de neceſſitate gratiæ & renouationis interioris pro remiſſione peccati.

4. *Obijcitur pro Vaſquez. Refutatur.*

Tertiò arguimentari quis poſſet pro Vaſquez: Veniale opponitur feruori charitatis, ergo non poteſt tolli niſi per eum feruorem. Mala conſequentia, quia poſſunt etiam eſſe alia quæ opponuntur peccato; & per quæ expellatur etiam abſente feruore. Odium enim Dei actuale & ma-

Digitized by Google

cula ex illo relicta opponitur formaliter in sententiâ ipsius Vasquez amori Dei super omnia, & tamen etiam in sententiâ eiusdem sine illo amore per solam gratiam habituale potest tolli, quia etiam huic opponitur. Deinde antecedens falsum; nam feruori charitatis habitualis nullo modo opponitur veniale; hoc enim stat cum quacúque intensione gratiæ; solùm ergo opponitur amori actuali intenso valdè; quo stante non videtur nec peccato veniali manere locus: hæc autem oppositio non est formalis, sed quasi virtualis; ex qua nullo modo licet inferre necessitatem huius intensi amoris ad remissionem venialis.

Veniale per se non expellitur per gratiam habitualem. Probatur.

Communior ergo & vera sententia docet, veniale non expelli per se per gratiam habitualem: de quo vide Patrem Suarez Tom. 3. de Gratiâ lib. 7. cap. 14. vbi multos alios pro eâ refert. Probatur ex dictis, quia gratia in quacumque intensione potest stare cum veniali, ergo non opponitur illi magis quàm habitus fidei aut spei; imò nec attritio etiam coniuncta cum gratiâ opponitur veniali: in quo & assentientem habemus Patrem Vasquez, qui ait, Si iustus ante Sacramentum habeat attritionem de veniali, licet illi augeatur gratia, non tamen remittetur veniale; ergo nec per gratiam & attritionem remittetur ob oppositionem illorum inter se, etiam intra Sacramentum: nam Sacramenti institutio non immutat physicam & moralem repugnantiam attritionis & gratiæ cum veniali, vt suprà dixi.

5. *Obiectio. Refellitur Primò.*

Dices: Opponitur veniale cum gratia & attritione, quatenus subsunt decreto Dei volentis per ea condonare peccatum. Contrà Primò, quia hoc modo attritio extra Sacramentum vel sola gratia posset delere veniale; & ad hoc non esset necessarium recurrere ad Sacramentum, & negare etiam diuinitus extra illud non posse veniale deleri per attritionem & gratiam etiam simul.

Secundò.

Contra Secundò, quia hoc non est expelli peccatum formaliter à gratia & attritione, sed à condonatione Dei; nam gratia & attritio non habet ex decreto Dei in se maiorem oppositionem formalem cum peccato; nec Deus potest facere, vt illam habeant, si ex se non habent: licet enim possit eleuare ad producendum efficaciter rem aliquam improportionatam, non tamen potest eleuare ad dandum effectum formalem, quem ex se non habebat res eleuata, vt suprà ad aliud propositum dixi; vnde potest facere vt albedo producat nigredinem, non tamen vt constituat nigrum: cuius ea est ratio, quòd effectus formalis non est aliquid distinctum à partibus simul sumptis; ideò, quòd dent hunc vel illum effectum, non pendent à Deo, supposito quòd sint vnitæ; ergo gratia & attritio non expellunt veniale, sed id præstat solum decretum Dei: hoc autem modo quemcumq; alium actu potuisset Deus designare; quo posito deleretur peccatum. Contrà Tertiò, quia si entitas physica gratiæ & attritionis potuerunt à Deo produci ex vi diuersæ voluntatis non condonantis venialis, ergo non potuit Deus habere decretum per illas condonandi veniale, quia non admittit Vasquez liberum decretum nisi facta mutatione physica in creaturis. Verùm hoc argumentum paulò antè tactum est, & magis est ad hominem quàm absolutum pro communi sententia.

Non possunt gratia & attritio eleuari ad dandū effectum formalem, quem in se non habent.

Sectio II.

Per quæ de facto tollatur veniale.

6. Dispvtari in præsenti poterat, vtrùm actus amoris Dei sit æqualis satisfactio pro veniali, illúdque de facto tollat: verùm hanc quæstionem ad materiam de charitate remitto: ex quâ negatiuam resolutionem quoad actualem remissionem suppono. Videndum ergo quid de facto illud tollat. In quo puncto dicendum cũ Suario lib. 5. de Gratia cap. 24. & multis alijs, de facto etiam extra Sacramentum non requiri cõtritionem ad remissionem venialis, sed sufficere attritionem. Hæc in primis probabiliter deducitur ex Tridentino sess. 14. cap. 5. vbi, ostendens non esse obligationem confitendi venialia, reddit rationem, quia hæc multis alijs modis tolli possunt; si autem non possent extra Sacramentum tolli nisi per contritionem, & in Sacramento per attritionem, non possent tolli pluribus modis quàm mortalia: quod videtur esse contra Concilium: si ergo extra Sacramentum prætet contritionem est alius modus tollendi venialia, certè is erit per attritionem de illis; quia post contritionem hæc est perfectissima dispositio ad remissionem peccati. Ratio congruentiæ potest esse, quia sicut sunt in se leuia, & solùm secundùm quid iniuria Dei, ac valdè frequentia, oportuit, vt non requireretur tanta & tam difficilis satisfactio, quanta pro mortali; sufficiet ergo attritio.

Veniale tollitur per attritionẽ extra Sacramentum.

Ratio congruentiæ.

Obiectio.

Obijcies: Si attritio ante Sacramentum remittat venialia, ergo ea numquam remittuntur per Sacramentum: quòd videtur esse contra omnium fidelium sensum, qui ideò de venialibus confitentur, vt eorum obtineant veniam: imò etiam videtur esse contra Tridentinum suprà; dum enim docet, multis aliis modis posse tolli venialia, iudicat posse etiam tolli per confessionem. Sequela verò probatur, quia vel ante confessionem præcessit attritio de venialibus, vel non: si non præcessit, non dimittentur in confessione, quia non dimittuntur sine retractatione peccatoris; si verò præcessit attritio, iam per illã erunt remissa venialia: ergo numquam remittentur in Sacramento. Hoc argumento motus Vasquez negat vmquam per attritionem extra Sacramentum remitti venialia, imò nec posse diuinitus: alij verò recentiores, vt fugerent hanc difficultatem, dixerunt, aliquando per attritionem extra Sacramentum remitti venialia, aliquando non remitti, prout Deus vult: Vasquez mouetur principiis suprà impugnatis in ordine ad negandum diuinitus id posse fieri; in ordine ad factum statim illi respondebimus. Hi verò recentiores prorsus videntur diuinare sine fundamento & loqui inconsequenter, quia nullum est vel in auctoritate vel in ratione argumentum ad asserendum aliquando remitti venialia per attritionem, aliquando non: excogitarunt enim hanc opinionem, vt ex vna parte non viderentur tantum requirere pro remissione venialis quantum pro mortali; ex alia verò parte, quia non inuenerunt solutionem argumenti statim immediate facti.

Vasquez negat venialia etiam diuinitus per attritionẽ extra Sacramentum deleri posse.

7. Respondeo ergo argumento cum Patre Suarez, D. Thoma & multis aliis, in Sacramento pœnitentiæ remitti venialia ex opere operato, etiamsi de illis non habeatur attritio, dummodò non ponatur obex, id est complacentia in illis venialibus; vnde negatur non remitti venialia

Respondetur cum Suarez & D. Thomã

per

per confessionem, licet remittantur per attritionem: nam remittuntur per confessionem, quando non præcessit de illis attritio, & non ponitur obex actualis complacentiæ. In hanc solutionem incidunt etiam recentiores impugnati, qui, vt defenderent doctrinam D. Thomæ, docentis per omnia Sacramenta remitti veniale, dixerũt, quotiescumque augetur gratia habitualis, remitti aliqua venialia; & ex humanis rationem reddidêre, quia quotiescumque amicus elevatur ad maiorem strictioremque amicitiam, & ad nouos fauores, &c. condonantur simul illi aliquæ offensiunculæ leues; ergo in diuinis, quoties per augmentum gratiæ elevatur homo ad strictiorem amicitiam cum Deo, remittuntur aliqua venialia. Ecce concedunt in quocumque augmento gratiæ remitti venialia aliqua, cùm tamen nõ sit necessarium, imò frequentissimè contingat vt augeatur gratia sine bono vllo opere, & consequenter sine dolore de venialibus: si v.g. recipiat quis Sacramentum viuorum non ponendo obicem, licet nullum habeat bonum opus supernaturale, quo disponatur: (quod posse fieri, & tunc augeri gratiam est & horum & omnium sententiæ) ergo tunc Sacramenta remittunt venialia sine detestatione vllâ de illis: ergo à fortiori id præstabit Sacramentum pœnitentiæ per se ad remissionem peccatorum institutum.

Dolentur venialia in Sacramento, etiamsi non præcesserit attritio de illis.

Recentiores aliqui docent venialia aliqua remitti quoties augetur gratia.

Frequenter augetur gratia sine vllo bono opere aut dolore de venialibus.

8.

Vrgeo: Actus, quo iustus diceret priùs, Millies paterer infernum, quàm Deum graviter offenderem, etiam stante tunc voluntate non cauendi venialia, procul dubio esset actus amoris Dei super omnia, & valdè meritorius augmenti gratiæ; daretur ergo illi gratia tunc: ergo, iuxta horum doctrinã, & remitterentur aliqua venialia; & tamen nullam haberet ille de illis retractationem, sed potiùs complacentiam in illis: ergo remittuntur venialia etiam extra Sacramentum sine retractatione illorum, imò cum complacentiâ in illis. Quid ergo mirum si ego dicam, in Sacramento pœnitentiæ instituto ad remissionem peccatorum remitti venialia etiam sine retractatione, dummodò non ponatur obex complacentiæ in illis.

Casus, in quo remittitur veniale sine attritione de illo in Sacramento.

Probabile nõ est veniale aliquod remitti quoties infunditur gratia.

Absolutè autem, quòd hi docent, quotiescumque augetur gratia habitualis remitti aliquod veniale, omnino reputo improbabile; quia non potest remitti veniale quando est complacentia in illo, vt per se patet, & ex dictis suprà constat; stante enim peccato veniali non potest illud remitti: sed cum voluntate actuali peccandi venialiter, & nullum curandi peccatum veniale, potest gratia augeri, vt ostendimus immediatè aptè; ergo tunc nullum remitteretur peccatum veniale. Adde, etiamsi omne opus bonum, quo augetur gratia, & omnis susceptio Sacramenti haberent ex se oppositionem cum aliquo peccato veniali (quod tamen ex dictis constat esse falsum) contingere sæpissimè, vt iustus exerceat bonum opus licet habeat alia venialia, non tamen illud quod tali operi opponitur, quia vel in illâ materiâ non peccauerat; vel per aliud opus simile præcedens iam illi esse desitum veniale illud: ergo in eo casu nullum veniale deberet deleri, quia de nullo est retractatio: non ergo est vniuersaliter verum, quoties augetur gratia remitti etiam aliquod veniale. Est tamen adhuc aliqua difficultas in nostrâ doctrinâ; non enim videtur satisfactum Tridentino, quod supponit posse venialia remitti per confessionem; hoc autem fieri nequit, iuxta dicta à nobis, nam si quis ea venialia vult confiteri, & dare vt materiam Sacramenti, oportet habeat dolorem de illis; eo autem ipso iam per attritionem remittentur, ergo numquam vi confessionis: quod videtur planè absurdum. Verùm facilè respondeo, si accedat quis ad confessionem habens simul peccatum mortale, proculdubio non obtenturum remissionem venialium per attritionem illam, sed vi Sacramenti; vnde constat etiam venialia vi confessionis Sacramentalis posse remitti, etiãsi in iusto semper, quando de eis est attritio, remittantur ante absolutionem.

Soluitur illud quod ex Tridentino contra nos adfertur.

9.

Quæ diximus de Sacramento pœnitentiæ etiam de Extremâ vnctione dicenda puto, scilicet, per ipsam remitti venialia, licet homo de illis non sit attritus, dum tamen non ponat obicẽ, Ratio est, quia hoc Sacramentum videtur institutum ad remissionem venialium, iuxta illud Iacobi Apostoli, *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* quod de venialibus præcipuè debet intelligi. Et ratio huius institutionis facilis est: cùm enim hoc Sacramentum sit Sacramentum viuorum, id est, iam existentium in gratiâ & consequenter habentium ius ad gloriam, detúrque in fine vitæ, quando homini decedenti in gratiâ debent remitti venialia vt possit Deum videre (solutâ priùs pœnâ debitâ in Purgatorio) congruentissimum fuit dare huic Sacramento virtutem remittẽdi ea venialia, casu quo non ponatur obex vt hoc modo fieret in hac vitâ remissio omnium peccatorum quoad culpam, quantum commodè fieri potest. Dico *commodè*, quia si in ipsâ actuali susceptione homo peccet venialiter, non est congruum, vt per illud deleatur tale peccatum.

Sacramentũ Extremæ vnctionis institutum etiam est ad remissionem venialium. Iacobi 5.

Congruentissimum fuit huic Sacramento vim delendi venialia dare.

Hoc modo dicendi facilè explicatur communis difficultas, quo scilicet pacto intra Sacramentum pœnitentiæ minùs requiratur ad remissionem venialium quàm mortalium: quod alij difficulter explicant; aiunt enim ad remissionem mortalis requiri propositum non peccandi de cetero mortaliter in vlla materia, ad venialis verò remissionem non requiri propositum numquam peccandi venialiter, sed præcisè in ea materia, de quâ quis atteritur.

Ex doctrinâ nostrâ facilè explicatur quomodo minùs pro remissione venialis quàm mortalis in Sacramento requiratur.

Hæc tamen differentia nulla est; nam de ipso veniali, quod debet remitti, tantus dolor requiritur & tam efficax propositum quàm de mortali; quod autem de alijs venialibus non requiratur, ideò est, quia illa non remittuntur tunc, & quia vnum sine altero remitti potest; quod non habent mortalia: id autem votum per accidens est ad punctum maioris doloris de quo agimus.

Differentia aliquorum inter remissionem mortalis & venialis nulla est.

Ideò dicunt Secundò, in eo, qui memor mortalis accedit ad confessionem, per se requiri expressum dolorem de illo, non verò in venialibus. Sed contrà; nam etiam memor venialis si debet de illo atteri pro confessione, certè expressè id debet facere; inintelligibile enim est, aliquem expressè cogitare de peccato, & de illo dolere, & non dolere expressè; nec aliquid amplius requiritur de mortali; ergo non explicatur, quomodo minùs requiratur in Sacramento pœnitentiæ pro remissione venialis quàm pro mortalis, nisi nobiscum dicatur posse intra Sacramentum remitti veniale etiam sine attritione, dum tamen non sit complacentia in illo.

Refutantur qui dicunt requiri dolorẽ expressum de mortali cuius quis memor est, non autẽ de veniali.

10.

Fortè posset ex doctrina Patris Suarez dici, ad remissionem venialis non requiri propositum illud non committendi de cetero, sed sufficere quòd doleat se illud commisisse, & velit aliquã satisfactionem offerre, de mortali verò requiri tale

Illatio ex Suarij doctrinâ, nimirum non requiri propositum de cetero non peccandi, sed dolorem de commisso veniali, refutatur.

tale propositum. Verùm neque hoc satisfactum quia est doctrina sat dura; unde & ipse Suarez eam absolutè non docet, tum quia, licet fortè extra Sacramentum habeat locum, intra Sacramentum tamen non videtur esse sufficiens dispositio sine proposito non committendi de cetero illud peccatum, quod pro materiâ adducitur.

Aliud argumentum pro nostrâ sententiâ.

Pro maiori nostræ sententiæ probatione sic adhuc argumentari quis posset: Si Sacramentum non remittit venialia sine attritione de illis, ergo adulto recipienti Baptismum sine ea attritione non remittentur illa ex opere operato, esto sit attritus de mortalibus, & recipiat gratiâ; unde vlteriùs fieret, vt si moreretur ille immediatè post, non iret rectà ad cælum, sed priùs deberet in Purgatorio pro eis venialibus satisfacere. Quod videtur esse contra communem sensum Doctorum. Idem argumentum potest fieri in Martyre proportionaliter. Hoc tamen argumentum non est pro nobis, quia potest cõtingere vt adultus, qui baptizatur, aut etiam Martyr, non solùm non habeat attritionem de venialibus, sed habeat voluntatem peccandi venialiter, quia hæc voluntas nullo modo pugnat cum martyrio, neque cum effectu Baptismi: quo casu nos diximus non remitti ea venialia; ergo, argumentum hoc omnes vrget. Respondemus ergo, posse martyrem & recens baptizatum mori in veniali, negamus tamen ideò detinendum in Purgatorio, quia virtute Baptismi & martyrii, postquam in instanti mortis remittitur illi venialo, remittitur etiam & omnis pœna; sicut in simili diximus Tractatu de Baptismo, illum habere suum effectum non quando suscipitur, sed quando posteà obex auferetur.

Reprobatur.

Vi Baptismi & martyrij in instanti mortis remittitur culpa & pœna illi debita.

II.

Argumento secundo ex Augustino respondetur.

Obijcies nobis Augustinum Tomo 3. lib. de Veræ & falsæ pœnitentia cap. 4. & 8. vbi docet, nullum peccatum remitti nisi per pœnitentiam. Respondeo, Augustinum eo c. 4. docere, venialia etiam per orationem Dominicam remitti; vnde potiùs est hic locus pro his qui affirmant ex opere operato per Sacramentalia remitti venialia, de quo infrà, quàm contra nos in præsenti. Augustinus enim ibi loquitur de necessitate pœnitentiæ ad salutem; vnde loquitur de peccatis grauibus, quia de venialibus non est necessaria pœnitentia. Adde, nomine pœnitentiæ posse intelligi vel attritionem, vel Sacramentum ipsum pœnitentiæ, aut aliud medium per se institutum ad remissionem venialium, etiamsi non sit attritio: & hoc modo possunt intelligi quæ idem Sanctus docet Tomo 1. Epistola 48. Et refertur in decreto de pœnitentia dist. 45. neminem sine pœnitentia posse siue à magno siue à paruo peccato ad correctionem redire. Adde, illud magnum & paruum non tam esse inter veniale & mortale quàm inter ipsa mortalia; nam inter ea nonnulli dicebant, de aliquibus non esse possibilem pœnitentiam, Augustinus verò docet non solùm de omnibus esse possibilem, sed nec vllum posse remitti sine illa.

Loquitur Augustinus de necessitate pœnitentiæ ad salutem respectu mortalium, non autem respectu venialium.

SECTIO III.

An aliis modis tollantur venialia: & quid post hanc vitam insuper.

PRIMA difficultas, an omnia alia Sacramenta remittant venialia ex opere operato. De Eucharistia affirmatiuè respondimus in proprio loco; & videtur ea Tridentino suaderi, docet enim effectum huius Sacramenti esse remissionem peccatorum: quod de venialibus præsertim debet intelligi. Dico ergo in susceptione Eucharistiæ; etiamsi homo non sit attritus de venialibus, dum tamen non habeat in illis complacentiam (sicut dixi de pœnitentia & Extrema vnctione) ea remitti quoad culpam: id quod ex similitudine cibi corporalis potest confirmari: sicut enim cibus sanat debilitates corporis, ita Eucharistia debilitates animi contractas ex venialibus, seu in ipsis venialibus consistentes. Aliam congruentiam addunt nonnulli, quia in cõuiuiis semper solent aliquæ offensiunculæ leuiores inter amicos condonari: suas habet hæc congruentia impugnationes; sed transeat pro congruentia. De cæteris Sacramentis non est res ita certa, quia ex Conciliis aut Scriptura non potest aliquid deduci; nullibi enim docetur ea instituta ad remissionem peccatorum: nihilominùs probabile videtur idem etiam dicendum, quod cum D. Thoma q. 87. art. 3. id docent multi Theologi; potestque etiam reddi ea congruentia, quòd cùm omnia Sacramenta instituta sint ad disponendum hominem, vt sanctè & rectè exerceat aliquod munus, & in ordine ad eum finem sine dubio conducat ablatio saltem eorum venialium, quæ eius muneris rectæ administrationi possunt obesse, expediens fuit vt ea per talia Sacramenta auferentur. Omitto rationem D. Thomæ desumptam ex eo quòd per omnia Sacramenta infunditur gratia; nam gratia non opponitur veniali; ergo ex eius infusione non colligitur benè venialium remissio.

Suscipienti Eucharistiã, sinè sit obex, sine attritio, ne remittuntur venialia.

De reliquâ Sacramentis etsi ex Conciliis & Scripturâ non sit certum, probabile tamen est per illa etiam deleri venialia.

Secunda difficultas de aliis operibus bonis; quæ non sunt retractatio venialium vllo modo: de his omnino certum puto non remittere venialia, quia nullum est ad hoc fundamentum.

Per alia bona opera, quæ non sunt venialium retractatio vllo modo, non delentur.

Tertia, de aqua benedicta, oratione Dominica, benedictione Episcopali & aliis Sacramentalibus, de quibus communis fidelium sensus videtur esse, quòd remittant venialia; & Augustinus supra de oratione Dominica id videtur expressè docere. Propter quæ nonnulli Scholastici affirmant Primò, certum esse, Ecclesiæ propria auctoritate non potuisse hanc vim his actionibus contribuere; nam condonare offensam pertinet ad solum offensum: Secundò, potuisse Deum eam virtutem his actionibus tribuere, sicut tribuit Sacramentis: dubium verò quid fecerit. ego probabilius censeo non tribuisse, quia ita docetur à D. Thoma supra & ab omnibus ferè Scholasticis, vno vel altero excepto. Videatur P. Suarez disp. 12. de pœnitentia sect. 2. Ratio huius est, quia in re tam graui non videtur aliquid asserendum, nisi quod vel ex traditione Ecclesiæ, Scriptura aut saltem cõmuni Theologorum consensu inferatur; in præsenti autem nihil est simile, ergo.

Sacramentalibus vim remissiuã peccati venialis Ecclesia tribuere non potuit: potuit Deus tribuere: de facto tamen non tribuit.

Rogabis, Cur ergo his rebus tribuitur communiter talis vis? D. Thomas supra respondet, quia communiter excitamur in suscipientibus dolorem aliquem saltem imperfectum de venialibus, ratione cuius illa remittuntur; excitatur autem dolor specialiter per has actiones, quia sunt institutæ ad hoc ab Ecclesia, & per modum signi mouent intellectum, deinde voluntatem ad talem dolorem. Secundò, specialiter tribuitur eis hæc vis, quatenus sunt actiones seu orationes externæ Ecclesiæ, per quas illa petit à Deo hanc remissionem; vnde fit vt Deus specialiter propter

13.

Remittuntur venialia suscipientibus Sacramẽtalia per dolorem, ad quem Deus potente Ecclesiâ excitandum auxilia confert.

Digitized by Google

pter illas det auxilia pro dolore remissiuo venialium.

Ad argumentum suprà respondeo, Augustinum de solâ oratione Dominicâ locutum: cui tribuit hanc vim non per modum operis operati: sufficienter enim explicatur de virtute per modum orationis: petitur enim in illâ ea remissio: sicut in Scripturâ dicitur eleëmosyna remittere peccatum, quatenus saltem de congruo meretur auxilia; quæ frequentissimè Deus dat ad dolorem de peccatis.

Varia variorum doctrina de remissione venialis post hanc vitam.

Vltima difficultas, quo modo iustis post hanc vitam remittantur venialia, quæ habuerunt in morte. Nonnulli dixerunt ea remitti per solam Dei condonationem, alij per actum contritionis elicitum in instanti mortis, tamquam per satisfactionem condignam; alij verò dicunt remitti quidem per contritionem, non tamen tamquam per condignam aut congruam satisfactionem, sed potè tamquam per conditionem sine quâ non. Quorum fundamentum est, quia post hâc vitam non est amplius tempus merèdi; alioquin etiam ea contritio posset esse satisfactoria pro pœnâ: quod est contra communem sententiam

14. *In hac re aliqua sunt certa, aliqua dubia: certum, contritionem esse condignâ satisfactionè pro venialibus; etiam satispassionem. Quid dubij in hac re Remittuntur venialia post hanc vitam ex condignitate contritionis.*

In hac re aliqua sunt certa, alia dubia: certum est, eam contritionem etiam post mortem ex se esse condignam ad satisfaciendum, quia nec libertas nec bonitas illi deest; status autem separationis non immutat naturam illius nec condignitatem. Secundò certum est, ob eamdem rationem eam esse condignam ad satispatiendum: Tertiò, hoc non obstante, Deum potuisse non acceptare illam ad nullum ex his effectibus, è contrario ad vtrumque, aut tandem ad vnum & non ad alium, sicut potuit in hac vita: dubium ergo est, quid de facto hac in re statuerit; neque enim ratio, neque auctoritas sufficiens potest pro decisione adduci. Dico tamen, probabilius esse remitti venialia ex condignitate contritionis, sicut docebant secundi auctores: moueor, quia omnes conueniunt remitti venialia dependenter à contritione, siue vt condigna satisfactione, siue vt conditione; cùm ergo ipsa habeat condignitatem, & de facto concurrat ad remissionem, non potest nisi diuinando dici non concurrere secundùm totam suam dignitatem; sicut si quis diceret ignem, licet ex se sit potès vt causa principalis alium ignem producere, de facto tamen concurrere vt instrumentum & non per suam virtutem principalem. Ideò verò diximus suprà, in hac vita eam non concurrere de condigno, quia occupatur in promerendo augmento gratiæ, & non habet condignitatem ad vtrumque: hæc autem ratio cessat in alia vita, in qua non est meritum augmenti gratiæ, & gloriæ.

Deus acceptat contritionem in alterâ vitâ solùm ad delèndam culpam venialis.

Nec potest dici, Deum eam contritionem petere in alia vita ob alium titulum, quia ad hoc nullum est fundamentum. Tandem, neque hinc sequitur, quod obijciebant tertij auctores, eam futuram satisfactionem pro pœna: etenim ad hoc negandum habemus sufficiens fundamentum ex communi omnium consensu, docente in alia vita hominem non satis pati per actus bonos, sed per physicam tolerantiam pœnarum: cuius rei potest reddi manifesta disparitas; nam si semel datur remissio venialis post mortem ad præsentiam contritionis, certè quòd illa detur de condigno, vel de congruo, vel tamquam propter puram conditionem, non videtur habere vtilitatem vllam ad deterrendos homines in hac vitâ à venialibus; nec apparet vlla congruentia, ob quam Deus nolit acceptare eam condignitatem. Quòd autem non acceptetur ad satispatiendum, habet manifestam vtilitatem, scilicet, frenare homines à venialibus timore pœnarum, vel incitare illos ad bona opera in hac vita, quibus pro illis pœnis satispatiuntur, ne postèà in Purgatorio tantas cogantur sustinere; quod sanè non curarent, si pro illis satispaterentur in alia vita per actum contritionis, ad quem remitterent hinc omnem satispassionem. Neque hæc differentia est præter naturam ipsam rerum; nam (vt suprà diximus) satisfactio æqualis semper operatur, nisi impediatur ob alium titulum: quando ergo nobis constat de condignitate satisfactionis, & aliunde non constat quod impediatur, debemus dicere, quòd de facto operetur ex sua condignitate: at in satispassione aliter se res habet; nam satispassio omnino debet determinari à Iudice; vnde non valet consequentia, *Ego patior libèrè aliquid condignum pro pœnâ, ergo satispatior*, quia nisi Iudex illud determinet, nihil prodest talis passio; ergo quando non constat de determinatione Iudicis, non possumus dicere, esse satispassionem de facto. In hac vita habemus fundamentum ad id dicendum de bonis operibus ex definitione Ecclesiæ, in altera verò nullum habemus; ergo gratis id diceretur: quo autem instanti sit hæc remissio dubium; probabilius tamen est fieri in primo instanti mortis seu separationis animæ à corpore, quia tunc habet anima iusti perfectam de Deo cognitionem per fidem, item & de grauitate peccatorum; estque iam libera ab incitamentis ad peccata, cognoscitque summum beneficium salutis æternæ: quis ergo negabit tunc illam prorumpere in amorem Dei & detestationem offensæ contra illum? nec apparet aliqua probabilis ratio, cur id debeat in aliud instans differri: & connaturalius est, vt, antequam satispatiatur, condonetur ei culpa. Et satis de remissione venialis vt spectante aliquo modo ad perfectam iustificationem, de qua tractamus in præsenti.

15. *Cur non acceptet Deus contritionem ad satisfatiëdum.*

Hæc remissio fit primo instanti mortis.

DISPVTATIO XLVIII.

De dignitate, causâ materiali & efficienti iustificationis: vbi de dispositione in communi ad primam gratiam.

SECTIO I.

Vtrùm iustificatio sit maximum opus Dei.

1. *An gratia & dona supernaturalia perfectiora absolutè animâ rationali & Angelis sint. Quæstio est non de rebus ipsis, sed de illarum productione.*

AN gratia & dona supernaturalia sint in suâ substantiâ perfectiora, absolutè loquendo, quàm animæ rationalis & quàm Angeli substantia, dixi suprà; ideò de comparatione rerum supernaturalium cum naturalibus nihil amplius hîc dicam. Quæstio ergo præsens non tam agit de comparatione rerum ipsarum, quàm

Digitized by Google

quàm de comparatione actionis seu productionis illarum. Quæ res facilis est ideóque breuiter expedienda.

Dico ergo, Si creatio consideretur, quatenus non est ex præsupposito subiecto, nobilior modus operandi est creatio cæli & terræ, saltem quoad materiam primam, quàm iustificatio, quæ fit ex præsupposito subiecto, & per propriam generationem (vt dicemus:) vbi obitet aduerse, hunc excessum solùm inueniri in rebus naturalibus, quæ sunt independentes à subiecto, quia illæ solæ propriè creantur, non autem in formis substantialibus materialibus, & omnibus alijs accidentibus, ideò paulò antè dixi, saltem quoad materiam primam. *Quomodo perfectior & imperfectior sit creatio iustificationis.* Si verò consideretur iustificatio, quatenus est collatio donorum supra omnem exigentiã subiecti, sic maius opus est quàm creatio: si item consideretur illud opus in genere liberalitatis & misericordiæ, etiam est maius; quia donantur ea, quæ nullo modo debebantur subiecto.

Obiectio. Dices, Etiam in creatione Angeli donata est illi substantia, quæ nullo modo debebatur ipsi; quia, antequam existeret, nihil poterat petere; cúmque alibi dixerimus eam esse nobiliorem absolutè entitate gratiæ, absolutè etiam erit ibi maior ratio doni. *Responsio.* Respondeo eam creationem, quatenus ad substantiam terminatur, non dici donationem, quia nihil supponitur, cui donetur, ideò de illâ non esse hic comparationem, sed de opere naturali, in quo datur substantiæ priùs saltem naturâ existenti perfectio naturalis: quo sensu, quia perfectiones naturales sunt magis debitæ subiectis quàm supernaturales, minùs sine dubio habet liberalitatis opus naturæ quàm opus gratiæ.

2. *Quoad liberalitatem maior est remissio quàm sanctificatio, licet minor physicè.* Secundò, si in ipsâ iustificatione remissionem peccati cum sanctificatione comparemus, dicimus, quoad liberalitatem maiorem esse remissionem; quia peccatum mortale in altiori ordine constitutum infinitè quodammodò auertebat Deum ab homine; & in eius remissione cessit Deus titulis, quos in hominem ad exigendam æqualem satisfactionem habebat: de quo fusiùs Tomo septimo: si verò physicè res consideretur, maius quid esse sanctificationem, quia hæc dicit positiuam perfectionem gratiæ, illa verò solùm negatiuam, vt & superiùs dixi tractando de comparatione illarum inter se.

Beatificatio minus est donum quàm iustificatio. Hinc autem colligitur, beatificationem respectiuè ad hominem gratum minus esse beneficium quàm iustificationem respectu hominis peccatoris: nam esto in se visio sit maius bonum quàm gratia (de quo nunc non disputo) longè tamen magis, ferè quasi infinitè, distat peccator à iusto quam iustus à beato; cùm iustus habeat exigentiam beatitudinis, ille verò non solùm nõ exigat gratiam, sed potiùs habeat summam indignitatem respectu illius.

Secundò infertur, Si comparatio fiat inter iustificationem nostram & gratiam vnionis hypostaticæ Christi, hanc esse maiorem illâ, quantò maius quid est, esse naturalem filium Dei, quàm adoptiuum. Quæ omnia ex se explicatis terminis facilia sunt.

An magis optabile sit in purâ naturâ sine omni peccato conseruari quàm gratiam remissiuam peccati adipisci. Vna alia hîc posset moueri quæstio circa cõparationem carentiæ omnis peccati & gratiam remissiuam peccati, quid scilicet sit magis optabile; si v.g. daretur per impossibile optio homini, *Quid magis eligere vis, aut creari in purâ naturâ, & semper à Deo conseruari sine vllo peccato & sine gratiâ ac visione, an verò permitti labi in vnũ mortale, quod tamen remittatur tibi posteà, & habeas tantam gratiam quantam habuit D. Petrus, vel certè* (vt maior sit difficultas) *habeas posteà vnionem hypostaticam in perpetuum.* Respondeo, sine dubio magis eligendam eam carentiam omnis peccati; quia malum culpæ non licet eligere ob vllum bonum.

An iustificatio miraculosa sit. Vltimò quæri potest, an iustificatio sit opus miraculosum. Respondeo Primò, quæstionem esse de voce; nã qui per miraculũ intelligit opus vltra vires naturæ, sine dubio iustificatio est miraculosa; qui verò per opus miraculosum intelligit solùm opus rarò seu extraordinariè factum, non dicet iustificationem esse miraculosam, quia hæc frequentissimè fit, sed solùm ea quæ fiunt intra ipsum ordinem gratiæ extraordinariè: vt conuersio Pauli, Latronis in cruce, &c. dici possunt miraculosa. Neque in hoc puncto maius est quærendum mysterium.

SECTIO II.

De causâ finali & materiali gratiæ habitualis.

PRIMÒ quærimus, ad quid vt ad finem ordinetur gratia habitualis. Quæstio hæc facilis est: cui respondeo Primò, gloriam & laudem Dei esse præcipuum finem nostræ iustificationis & glorificationis: vt enim alia opera propter semetipsum operatus est, ita etiam iustificationem: in quâ maximè gloria ipsius resplendet: quomodo autem cùm gloria Dei sit quid creatũ, nempe bona de eo fama, laus, &c. dum dicitur propter illam omnia fecisse, non tamen dicatur operari propter creaturã, facilè explicatur. Dicimus enim Deum esse *finem cui* ea gloria appetitue vt bonum ipsius, gloriam verò esse *finem qui*; non repugnare autẽ, imò necessum esse vt finis, qui intenditur, sit creatura, quia debet esse aliquid quod possit produci. Alia causa finalis nostræ iustificationis est Christus vt homo, in cuius gloriam, vt Redemptoris nostri, ea ordinatur; an autem Christus fuerit à Deo primò intentus nec ne, dicetur tertiâ parte in materiâ de Incarnatione. Tertia causa finalis est nostra beatitudo æterna, ad quam iustificatio ordinatur. Quæ omnia clara sunt, nec indigent maiori discussione.

3. *Gloria Dei præcipuus finis nostræ iustificationis.*

Christus vt homo etiam finis nostræ iustificationis est. etiam beatitudo nostra.

De causâ materiali gratiæ. Circa causam verò materialem gratiæ fusè discurrit P. Suarez lib. 8. c. 2. Res tamen meo iudicio est facillima, quámque duobus verbis concludo. Non defuêre qui, fundati vno aut altero Scripturæ testimonio, in quo Deus dicitur creare in homine cor nouum, censuerint gratiã habitualem non educi è subiecto, sed creari. Verùm hoc fundamentum leuissimum est, quia in Scriptura sæpè τὸ *creare* vsurpatur pro facere: sic dicitur *creasse cælum & terram*; & tamen forma cæli & terræ non est propriè creata, sed educta. In quo puncto minùs videtur P. Suarez consequenter locutus, qui docet in ea prima creatione etiã formas materiales creatas, fortè motus eo loco Scripturæ; hîc autem id negat gratiæ. Sed de creatione cæli alibi. Secundum fundamentum eorum est, quòd gratia sit ens nobilissimum; ergo debet creari. Verùm & hæc ratio nullius est momenti, quia tota ea perfectio gratiæ est intra genus accidentis, cuius totum esse est inesse. Tertium, quia Deus eam infundit; ergo non educitur ex subiecto. Respondeo, consequentiam esse

Fundamenta docentiũ gratiam creari.

nullam

Digitized by Google

nullam, quia etiam Deus infundit Angelis species cognoscitiuas; & tamen illæ verè educuntur. Ratio est, quia infundi à Deo solùm denotat, quòd solus Deus sit causa efficiens illius; hoc autem non tollit quò minùs subiectum concurrat materialiter ad illam.

4. *Gratia materialiter producitur ex subiecto.*

Dicendum ergo est, gratiam verè produci materialiter ex subiecto, seu ex animâ. Quę est communis Theologorum sentẽtia, pauculis exceptis. Vide Suarez suprà & Turrianum Opusculo 3. disp. 1. dub. 12. Ratio est, quia gratia non est ens subsistentiale per se potens existere, sed necessariò pender ab animâ, eámque informat, & (vt Tridẽtinum dicit) ei inhæret: denique, vno verbo, est qualitas seu accidens, ergo debet causari materialiter, & etiam conseruari dependenter ab animâ, sicut cetera omnia accidentia: nam licet possemus fortè excogitare eam informare animam, eíque adhærere sine dependentiâ à priori, vt de actione creatiuâ suo loco diximus; nullum tamen in præsenti fundamentum est, vt recurramus ad smiles difficultates, & vt aliter de hoc accidente quàm de alijs discurramus.

Verè educitur gratiâ.

Hinc colligo Primò, gratiam verè educi (quidquid aliqui fortè solâ voce à vera sententia alienum dicant;) nam accidens educi nihil est aliud, quàm produci dependenter à subiecto.

Actio eductiua gratiæ eadem cum efficienti.

Colligo Secundò actionem eductiuam gratiæ esse idem realiter cum efficiente seu alijs terminis, passionem & actionem illius esse realiter idem, vt vniuersaliter alibi docui omnes esse realiter identificatas; quia nulla vel leuis ratio cogit nos eas hic distinguere.

Gratia priùs naturâ educitur, & posteriùs vnitur.

Tertiò colligo contra Patrem Suarez & alios, sicuti ceteræ formæ materiales priùs natura educũtur quàm vniantur; distinximus enim suo loco vnionẽ ab eductione; ita etiam gratiam priùs natura educi, posteriùs verò vniri. Id quod docuit optimè Durandus in 2. disp. 7. q. 4. ad vltimum. In quo puncto, quia commune est alijs formis, nihil amplius dicendum censeo: neque iudico diutiùs in hac dependentia gratiæ ab anima vt à subiecto, à quo educitur, hærendum esse.

Sectio III.

De causa efficiente iustificationis.

5. *De causâ efficiente gratia. A solo Deo producitur efficienter physicè.*

Sit ergo tertia difficultas circa causam efficientem gratiæ, quæ illa sit. De hac difficultate P. Suarez cap. 3. & Turrianus suprà dub. 10. & 11. Res meo iudicio est facilis. Dico ergo gratiam à solo Deo efficienter produci physicè. Hæc conclusio ex parte est contra Patrem Suarez, qui saltem quando prima gratia causatur per Sacramẽta, censet produci efficienter instrumentaliter ab illis: id quod in materia de Sacramentis fusè cum communioti sententia reieci; ideò hic nihil ea de re ampliùs: quâ verò parte asserimus, in alijs casibus à solo Deo produci, defenditur ab eodem fusè; adducítque multas rationes, ad probandum repugnare causam creatam principalem eius gratiæ productiuam: cùm enim sit qualitas supernaturalis, non potest produci per virtutem connaturalem alicuius substantiæ creatæ; per aliam verò qualitatem supernaturalem etiam non potest, quia ea qualitas prior deberet continere eminenter gratiam; ergo illa potiùs esset gratia. Quam sententiam etiam defendit Turrianus immediatè antè citatus.

Quòd firma

Ego omissis his rationibus, circa quas multa dici poterant, maximè circa primam; nam (vt ostendi primo Tomo agens de ente supernaturali) non est contra rationem formæ supernaturalis, quòd aliqua substantia naturalis habeat vim sibi connaturalem eam formam producendi; vt patet in ipso Deo, qui est substantia naturalissima, & tamen habet vim naturalem producendi gratiã; nam ibidem ostendi supernaturalitatem non accipi respectiuè ad causam efficientem, sed ad subiectũ, in quo forma recipitur: ergo, his & similibus rationibus reiectis, conclusio ea communis faciliùs probatur; Primò auctoritate Cõcilij Tridentini, quod, quandocumq, loquitur de ea gratia, semper insinuat eam à Deo produci, infundi, &c. quod haud dubiè non denotat solam causalitatem generalem, quam Deus habet in omnes alias res, sed specialem & proprium Dei influxum in eam gratiam: éstque satis magna congruentia, quòd forma illa, quæ petit amicitiã Dei, ab ipso Deo debeat produci specialiter. Verùm, quia hæc ratio solùm probat, Deum esse specialem Auctorem, non tamen excludit, quò minùs sit etiam alia concausa creata, licet minùs principalis. Addo, nullum planè esse fundamentum ad tribuendum alicui alteri qualitati aut creaturæ vim efficientem eius gratiæ; non quidem animæ, quia hæc, iuxta probabilem sententiam, nec quidem in habitus naturales habet aliũ concursum quàm receptiuum: & licet in naturales ei concedatur, certè vt concedatur in supernaturales, nullum est fundamentum: non alteri qualitati supernaturali præuiæ, quia talis qualitas nulla est: & esto prærequireretur, sufficeret ei tribuere vim dispositiuam; multò autem minùs potest id tribui alteri gratiæ existenti in alio subiecto: quod tamen nõ probo ratione Patris Suarez, quòd scilicet solæ qualitates materiales producant sibi similes in alienis subiectis; non enim video vel apparentẽ repugnantiam, cur sicut materialis qualitas habet vim in subiecto extraneo materiali producendi sibi similem, non possit eamdem vim habere spiritualis in aliquo subiecto spirituali. Ergo hac ratione omissa id inde probo, quod esto aliquibus qualitatibus id non repugnet, non debemus tamen vlli id tribuere sine fundamento; quale in præsenti nullum est respectu gratiæ, maximè cùm (vt dixi) producere in altero formam petentem amicitiam solùm videatur spectare ad ipsum, qui in amicum acceptat. Confirmatur ex habitibus naturalibus & alijs accidentibus, quibus eam virtutem negamus ea solùm ratione, quòd nec experientia nec aliunde habeamus fundamentum ad eam concedendam; idem ergo erit in gratia.

naturalis habeat vim productiuam gratiæ, nõ est contra rationem formæ supernaturalis. Conclusio probatur ex Tridentino.

6. *Nullum est fundamentũ de facto vim productiuam gratiæ vlli creaturæ tribuendi.*

Probatio nostra.

Confirmatur.

Hac occasione disputari posset, vtrùm saltem diuinitus possit esse creatura aliqua, quæ habeat vim producendi gratiã vt causa principalis. Ratio dubitandi est, quia ex vnâ parte talis virtus non est infinita, ergo non repugnat creaturæ; aliunde verò, cùm gratia constituat formaliter amicum Dei, non videtur vllus alius à Deo ipso posse esse causa principalis eius amicitiæ. Secundò, quia ea est diuinæ naturæ participatio; ergo non potest fieri nisi à Deo; alioquin esset etiam participatio naturæ creatæ. Similem quæstionem moui Tomo primo agens de visione beatâ, vtrùm possit esse connaturalis alicui creaturæ; vbi defendi negatiuam partem, & eodem modo de gratiâ ibi discutri: illud tamen aduerto, aliud esse, nulli subiecto eam gratiam esse connaturalem, aliud, non posse ab vllâ creaturâ effectiuè produci;

7. *An diuinitus aliqua creatura producere possit gratiam. Rationes dubitandi.*

Digitized by Google

vnde ex hoc capite non censeo repugnare eiusmodi productionem: addo tamen, si illa causa esset substantia, deberet continere quidquid perfectionis est in eâ gratiâ, vnde à fortiori ea substantia peteret vt amaretur à Deo amore amicitiæ, &c. quod iam supponimus repugnare: facilius fortè dici posset eam causam fore accidentalem: ex quo capite non video vllam repugnantiam.

Substantia productiua gratiæ repugnat, non autem accidés.

Obiectio refutatur.

Dices: Illa est nobilior gratiâ. Primò, concedo id libenter; neque video (quidquid multi dicant) repugnantiâ in nobiliori aliquâ qualitate quàm sit gratia. Secundò respondeo posse concipi aliâ gratiam siue æqualem, siue minorem, siue nobiliorem, quæ habeat virtutem producendi sibi similem: vt calor producit calorẽ & frigus frigus. Neque argumenta suprà allata id reijciunt, quia producere aliquam rem, quæ ob suam perfectionem sit capax amoris Dei, nõ repugnat creaturæ: & licet amicitiâ non contrahat nisi amicus ipse, at producere seu ponere aliquid quod amicitiam mereatur, etiam potest pertinere ad non amicũ. V.g. ego non efficio amorem amicitiæ, quo me Petrus prosequitur; id enim ab ipso Petro debet fieri; at ego possum taliter me gerere, vt dignus reddar amicitiâ Petri, imò quodammodò allicià illum & obligem ad illam. Quod verò de participatione diuinæ naturę dicitur minùs adhuc vrget; nã eiusmodi participatio non est aliud quàm illa perfectio exigens eum amorem; cur autem, quæso, non poterit vna creatura habens in se tãtam perfectionem, vt mereatur eum amorem, producere aliam quæ similis condigna sit? Non est ergo cur talis virtus dicatur repugnans omni creaturæ: & sanè qui diceret actus supernaturales in gratia factos, sicuti habent vim merendi de condigno gratiam, habere etiam vim eam physicè intendendi, etiam per modũ causæ principalis, non posset facilè redargui ratione eius participationis, &c. sed summùm, quòd gratis id dicat. Quæ ratio in ordine ad probandum diuinitus omni creaturæ talem vim productiuam repugnare nullius est momenti. Quòd si cum Suario dicatur, eos actus, etiam sine habituali gratia factos, mereri eam de condigno, si peccatum nõ præcessit; possent etiam primam gratiam de condigno mereri, & eã physicè principaliter causare.

§.

Actus supernaturalis sicut de facto de condigno meretur gratiam, ita etiã eamdem vt causa principalis intẽdere potest.

Secundò posset quæri, vtrùm habitus alij supernaturales producantur à suis actibus. Difficultas hæc, vt habeat probabilem rationem dubitãdi, non debet ita proponi, vt quæramus, vtrùm habitus castitatis producatur physicè per actus fidei, per actus patientiæ, &c. In hoc enim sensu negatiua responsio est certissima; vt patet in ipsis habitibus naturalibus: quæstio ergo sic proponitur, vtrùm habitus fidei producatur per actus fidei, & habitus castitatis per actus castitatis, & sic de cæteris.

Actus supernaturales nõ producunt habitus.

Communis & longè probabilior sententia etiam in hoc sensu negat; omissis verò eorum argumentis, qui ex supernaturalitate eorum habituum id inferunt, quæ sine dubio non sunt efficacia, quia res supernaturalis potest produci physicè ab alia re supernaturali, vt ipsimet actus supernaturales producuntur ab habitibus, & visio beata à lumine gloriæ, ratio communis & efficax ea est, quia habitus supernaturales sunt per modum potentiarum dantiũ simpliciter posse, ideóque ex natura sua sunt priores suis actibus; ergo non possunt per illos naturaliter produci. In hoc enim differunt hi habitus ab acquisitis, quòd acquisiti supponant potentiam completam per se, ideò etiam supponunt actus, ideóque per illos possunt produci; habitus verò infusi per se sunt ante omnes actus.

9. *Replica.*

Respondebis, hac ratione solùm probari, naturaliter loquendo, non posse actus supernaturales producere primum gradum eius habitus, quia illum præsupponunt, at non ostendere, non posse per primum actum intendi habitum iam præexistentem: sumique hinc potest disparitas ad potentias naturales; nam hæ non sunt capaces intensionis, vnde mirum non est, quòd non possint produci per actus: at hi habitus, cùm habeãt gradus, possunt præsupponi ad actum quoad primos gradus, & quoad vlteriores subsequi. Respondeo, obiectione sufficienter probari, ex eo capite nullam repugnantiâ esse in eiusmodi productione; nihilominùs tamen, cùm in nostra sententia gradus intẽsionis sint omnino homogenei, satis probabiliter infertur, Primus non potest produci, ergo nec secũdus. Præterea ratio suprà facta adhuc videtur efficax; nam potentia quà talis continet quasi adæquatè suum actum; hic autem non cõtinet potentiam seu habitum, cùm non sit eiusdẽ rationis, sed inferioris cum illo: est enim effectus æquiuocus, & consequenter simpliciter minùs perfectus illa causa, in qua adæquatè cõtinetur; ergo non potest habere vim vt producat rursus suum habitum, saltem vt causa principalis. Et hinc desumitur differentia inter hos habitus & acquisitos; nam hi non cõtinent adæquatè actus, quia non sunt potentia ad illos, ideò possunt produci ab actibus; ipsi autem coniuncti cum potentijs, vbi est continentia perfecta actuum, possunt rursus eos actus producere; at habitus infusi, & à Deo solo primò producti vt potentiæ, eminenter continent ipsos actus, ergo non possunt posteà ab actibus ipsis intendi, quia non continentur ab illis; neque est fundamentum vt eis tribuamus partialem concursum.

Respondetur.

Ratio suprà facta adhuc efficax.

Differentia inter habitus acquisitos & infusos supernaturales.

SECTIO IV.

De dispositione physicâ pro gratiâ habituali.

10. *An gratia petat aliquã dispositionem supernaturalẽ in subiecto.*

OCCASIONE præcedentium quæritur, vtrùm gratia, vt recipiatur in subiecto, requirat aliquam dispositionem supernaturalem permanentem. Et ratio dubitandi est, quia omnis essentia solet habere suas dispositiones præuias; ergo cùm gratia sit in genere supernaturali per modum essentiæ, debet etiam habere præuias aliquas dispositiones.

Gratia vt sit quà forma supernaturalis talem dispositionem nõ exigit.

Quæstio hæc exiguam aut nullam habet difficultatem; ideò breuissimè DICO PRIMÒ, Ex conceptu formæ habitualis supernaturalis nõ potest gratia talem dispositionem habitualem seu permanentem exigere; nam alioquin ex eodem conceptu illa eadem dispositio seu forma peteret aliam ante se; & sic daretur processus in infinitum.

Talis dispositio vt nõ necessaria reijcitur.

DICO SECVNDÒ, quòd eam gratia requirat ex particulari ac proprio conceptu, vt inter alias formas supernaturales nobilior, non potest vlla probabili & efficaci ratione ostendi, ideóque vt non necessaria reijciẽda est talis dispositio. Et ita docet communis sententia Theologorum, vt videre est apud Vasquez 1. p. disp. 43. num. 4. & Thomistas ad q. 112. 1. 2. & Suarez c. 51. num. 7. qui omnes negant vllam esse dispositionem physicam ex natura rei requisitam ad gratiam.

Ratio.

Digitized by Google

Ratio huius iam est insinuata, quòd non debeamus entitates multiplicare sine necessitate. Aliæ rationes, quibus fusè vtitur Suarez hîc, probando eiusmodi dispositionem non posse requiri neque in potentijs, quia dispositio debet esse in eodem subiecto, in quo est forma, gratia autem est in anima; neque item requiri in ipsa anima; nam talis forma esset participatio diuinæ essentiæ, & consequêter esset gratia. Deinde, gratia est forma accidentalis, ergo non petit aliam dispositionem præuiam. Deniq;, quia sicut in Deo ipso nihil intelligitur prius ratione, quàm sit ipsa natura; ita nihil potest intelligi prius natura quàm ipsa gratia habitualis, quæ est participatio diuinæ naturæ. Hæc, inquam, argumenta omitto, quia quando venitur ad ostendendam repugnantiam etiam diuinitus in his formis possibilibus, magna est difficultas; & facile est argumenta eludere, specialiter autem allata, quæ & partim nituntur falso fundamento de distinctione potentiarum ab anima, partim non benè concludunt; nam natura diuina cùm non sit per modum formæ, sed potiùs per modum subiecti, non potest ante se supponere dispositiones vllas etiam ratione, vt eas non supponit Angeli natura, imò etiam ipsa materia: inde autem non infertur vllo modo, ea, quæ ita sunt per modum naturæ vt sint simul formæ, non debere habere in suo subiecto aliquas dispositiones; imò cõtrarium solet esse commune; vt in omnibus formis substantialibus. Deinde, quòd gratia sit accidentalis, non vrget; non enim est repugnantia vlla in eo, quòd vnum accidens minùs perfectum disponat ad aliud perfectius. Denique, neque sequeretur ipsã dispositionem futuram participationem diuinæ naturæ, sed summùm dispositionem ad eam participationem: ergo, quidquid sit de eâ non repugnantia, dicendum est, non debere de facto admitti, quia nullum planè fundamentum est ad eam de facto ponendam.

Argumenta Suarez vt falso fundamento nitentia facilè eluduntur.

Argumentũ ab alijs formis substantialibus desumptum diluitur.

Fortè exemplum de alijs formis substantialibus vrgere videbitur; sed respondeo, non in omnibus debere eam similitudinem gratiæ cum alijs naturis vsurpari, sed in eo, quòd sit prima intrinseca radix omnium aliorum habituũ supernaturalium. Rogabis, an saltem exigat aliquam dispositionem physicam transeuntem, seu existẽtem eodem instanti, quo gratia confertur, esto postea non duret. Eiusmodi dispositio nihil aliud potest pro præsenti probabiliter concipi quàm actus aliquis virtutis elicitus ab homine, qui eam gratiam est susceptus.

An actus virtutis sit dispositio physica, an moralis ad gratiam.

Argumentũ Suarez ex distinctione potentiarum ab animâ.

12.

Quæritur ergo, an actus virtutis sit dispositio physica ad gratiã, an verò moralis; hoc est, vtrùm solùm requiratur ex voluntate & ordinatione diuinâ, & meritoriè, an verò ex natura rei. Hîc iterùm argumentatur P. Suarez ex distinctione potentiarum ab anima; inde enim probat, actus, qui in potentijs recipiuntur, nõ requiri per modum dispositionis ad gratiam in anima receptã. Ego tamen & potentias nego distingui, & (vt probaui suo loco) etiã data ea distinctione actus debere in anima recipi: hæc enim est, quæ intelligit & amat formaliter, non potentiæ; quæ solùm concurrunt effectiuè adiuuando animam: omisso igitur eo argumento dicendum, non requiri eum actũ physicè, sed summùm moraliter de quo paulò pòst: (non loquor, quando præcesserit mortale, & videtur necessaria satisfactio aliqua:) nam in primis, cùm gratia sit causa habituum generalis, non est cur per modum dispositionis physicæ magis requirat actum vnius virtutis quàm omnium; esset autem planè absurdũ dicere, naturaliter non posse gratiam recipi, nisi priùs quis omnium virtutum actus eliceret; maximè cùm omnes illi actus natura sua petant tãtùm fieri per ipsos habitus: hi enim soli sũt causa proportionata & connaturalis illorum, ergo ex natura sua supponunt infusos habitus & à fortiori gratiam; ergo non possunt esse dispositio naturaliter præcedens eosdem habitus & gratiam; nec potest dici, posse eos actus elicitos per auxilium extrinsecum præcedere; hoc enim naturaliter omnino repugnat; nam talis concursus est contra exigentiam actus, ergo non potest esse connaturalis; ergo ex natura rei iam supponitur habitus ad actum; ergo hîc non est dispositio physicè & ex natura rei requisita.

Actus talis requiritur solùm moraliter.

SECTIO V.

De dispositione morali ad gratiam requisitâ.

NON decerno iam, quæ sint futurę eiusmodi dispositiones, sed, an requirantur; & cuius generis debeant esse, naturalis an supernaturalis. Aduerto autem nos agere de adultis; nam paruulos sine vllo actu iustificari suppono vt certum de fide. Quæ veritas non impugnatur ex eo, quòd Christus dixerit Marci vltimo, eos qui non crediderint damnandos: id enim ad adultos solos & rationis capaces extenditur. Neq; curãdum est, quòd aliqui hæretici in contrarium oblatrauerint, stultè fingẽdo, in eis infantibus dari actus aliquos liberos & supernaturales; id enim sine ingenti miraculo, ad quod astruendum nec leue habemus fundamentum, admittendum nõ est. Secundò agimus de infusione gratiæ cum remissione peccati mortalis: nam de facto non datur medium inter statum peccati & gratiæ; vnde nemo accipit primam gratiam, nisi anteà fuerit in peccato: quid autem in Angelis, in Adamo ante lapsum, in beatissima Virgine, & in humanitate Christi in primo instanti cõceptionis factum sit, non est huius loci.

13.

Quæstio est de adultis.

Stulta hæreticorũ fictio.

Non datur medium de facto inter statum gratiæ & peccati.

SVBSECTIO I.

Statuitur certa & Catholica doctrina.

CONCLVSIO ergo PRIMA est, ad iustificationem impij necessariam esse aliquã dispositionem moralem, quæ per aliquem aut aliquos actus bonos fiat. Hanc re ipsa non negant hæretici huius tẽporis; admittunt enim saltem actum fidei debere præcedere; licet illum nõ vocent dispositionem; quod ad modum loquẽdi pertinet; an autem solus ille actus sufficiat, iam non explico, quia solùm in communi dico, aliquem actum requiri. Probatur autẽ veritas. Primò ex innumeris Scripturę locis, in quibus Deus ab homine petit, vt agat pœnitentiam, & reuertatur ad Dominum, ad hoc, vt ipse Deus eum in suam gratiam recipiat: ita Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam, vitâ viuet:* & 33 36. *Conuertimini à vijs vestris pessimis, & conuertar ad vos.* Matth. 3. *Pœnitentiam agite*, Ioël. 2 *Scindite corda vestra*, &c. 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino.* 2. Reg. 12. *Peccaui: Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* Secundò, eadem veritas definita est in Tridentino sess. 6. cap. 5. & 7. in

14.

Necessaria est ad iustificationẽ peccatorũ dispositio per actus aut actum bonum.

Scripturæ testimonijs probatur;

vti & ex Tridentino & Arausicano.

Digitized by Google

in Arausicano, dum definit, sine gratiâ non posse nos credere, &c. prout oportet, vt iustificationis gratia nobis conferatur, &c. Est etiam hæc veritas toties à Patribus tradita, dum peccatores ad pœnitentiam hortantur, vt superfluum sit eorum testimonia referre.

Ratio non potest desumi ex naturâ rerum propriè.

Ratio huius non potest ex naturâ ipsâ rerum propriè desumi; diximus enim suprà, ex naturâ rei gratiam ceterósq; habitus supernaturales nó exigere vllam præuiam dispositionem, etiam actualem: nihilominùs, moraliter & prudenter rẽ considerãdo, obuia est summa congruentia huius rei, ob quam Deus prudentissimè de facto requirat ab homine talem dispositionem: Primò, quia cùm peccatum fuerit homini voluntarium, & per illud grauissimè Deum offenderit, iustissimũ profectò fuit, ab eo homine exigere aliquam satisfactionem & pœnitentiam, quâ quodammodò retractaret peccatum præcedens, supposito auxilio Dei præparato ipsi homini ad tales actus ante gratiam efficiendos. Quæ ratio directè solùm probat de effectu remissionis peccati: sed quia de facto hoc non remittitur nisi per infusionem gratiæ, etiam probat de hac: specialiter ergo de ipsâ gratiâ idẽ suadetur: oportuit enim, vt pro tam ingenti beneficio se homo aliqualiter præpararet per bonos actus. Confirmatur, quia de facto Deus remittit vni homini peccatum, alteri verò non, nisi quia ipsi homines in se sunt inæqualiter dispositi; quia scilicet vnus agit pœnitentiam, alter verò non: vnde nemo potest vllo modo conqueri contra Deum, quia damnatus sit præ alio, qui non erat magis dignus venia: responderi enim poterit, *Ille egit pœnitentiam, tu verò non*; ergo non Dei, sed tua est culpa.

Congruentia, quare Deus de facto talẽ dispositionẽ ab homine requirat.

15. *Obiectio.*

Obijcies fortè: Idem argumentum fieri posset in ipsa gratia vocationis, cur scilicet vnus vocetur, alter verò non. Respondet P. Suarez c. 6. n. 9. in fine, hanc diuersitatem esse ex sola voluntate Dei, ideóq; non esse necessariũ in diuersam hominis dispositionem reducere illius rationem. Hæc solutio non satisfacit, quia eodem modo aduersarij respondere possent, eam diuersitatem remissionis peccati esse in sola voluntate Dei, ideóque non esse necessarium rationem illius in diuersam hominis dispositionem referre. Melius ergo respondetur, Deum omnibus dare auxilia sufficientia, quibus ipsi homines possunt, si velint, conuerti; quòd si non faciant, ipsorum culpæ tribuendum est: at si remissio fieret immediatè sine diuersitate præuia ex parte illorum, haberent magnam querelæ occasionem. Video adhuc sic explicatam hanc rationem, ob ea quæ dixi sæpè in materia gratiæ, non valdè vrgere; nam quòd homo, Petrus v. g. qui peccauit, damnetur, soli sibi imputet qui peccauit, cùm potuisset nó peccare; quia non tenebatur Deus ei remittere peccatum: quod verò alteri etiam peccatori fuerit ex Dei fauore condonata iniuria, non auget Petri malum, sed fit alteri specialis fauor, qui neutri debebatur: in indebitis autem potest quilibet donare quæ vult vni præ altero.

Solutio non sufficit.

Melius respondetur.

16. *Duplex dispositio requiritur ad iustificationem, proxima & remota. Proximam requirit Tridentinum.*

SECVNDA CONCLVSIO: Dispositio ad iustificationem alia est remota, alia proxima: ita communiter omnes Theologi: éstq; explicatis terminis res de fide; nã aliqui sunt actus, quibus in eodem instanti annexa est gratia, vt de contritione etiam extra Sacramentum definit Tridentinum sess. 14. cap. 4. & ante Sacramenta nostra institura eiusmodi dolor fuit omnino necessarius ad iustificationem; nunc autẽ cum Sacramento Confessionis & Baptismi dici potest dispositio proxima ipsa attritio, quę in eo Sacramento habet sibi annexam gratiam. Vbi obserno, eam dispositionem, si præcedit tẽpore Sacramentum, non debere dici proximam, nisi eo instanti quo Sacramentum perficitur, & causatur gratia. Vtrùm autem cum Sacramentis alijs cõcedatur aliquando gratia prima ob attritionem existimatam contritionem, non est nunc discutiendum: si asseratur, tunc simul erit dicendum, eam attritionem sic existimatam & coniunctam Sacramento esse proximam dispositionem ad gratiam: si negetur suppositio, negabitur etiam esse proximam: vtrùm autem contritio sit ipsa remissio, an in omni rigore dispositio, superiùs diximus, & statim ampliùs declarabimus.

Dispositio remota præcedere potest tempore.

Dispositio remota est illa, quæ præcedere potest tempore, & aliquo modo promereri à Deo nouam gratiam excitantem ad obtinendam remissionem peccati; cùm tamẽ illa sola dispositio insufficiens sit ad obtinendam eam remissionẽ: talis est eleëmosyna, de qua Daniel 4. dicitur, *Peccata tua eleëmosynis redime.* Tales sunt actus aliarum virtutum, quibus solet Deus moueri, licet non semper & infallibiliter, ad conferenda auxilia efficacia pro contritione aut cõfessione.

17. *Remota est duplex: vna per accidens, vt actus eleëmosyna, &c. alia per se, vt actus fidei, &c.*

Obserno autem hanc dispositionem remotã posse adhuc esse duplicem; vnam, quæ per accidens solet reperiri: quales sunt actus eleëmosynę, humilitatis, &c. nam hi per se necessarij non sũt; licet, quando existunt, conducant modo explicato: aliam verò esse remotam, quæ per se requiritur ad habendam proximam; vt sunt actus fidei: hæc enim est initium omnis iustificationis: item actus spei: ad hoc enim vt homo se disponat ad obtinendam veniam, per se necessarium est, vt habeat spem de illa obtinenda: spes item beatitudinis maximè ad hoc conducit, vt & timor pœnarum: vtrùm autem hæc spes & timor sint ita necessarij, vt sine illis numquam possit haberi actus contritionis, dicam infrà; nunc satis nobis est, quòd ferè semper & ordinario modo requirantur. Posset etiam aliter hæc eadem dispositio remota subdiuidi in partialem & totalem: illa erit quilibet ex his actibus qui remotè conducunt; hæc verò omnes illi simul sumpti. Verùm hæc diuisio & facilis est & nullius momenti.

Remota per se diuiditur in partialem & totalem.

SVBSECTIO II.

Qualis debeat esse ea dispositio ad gratiam.

18. *An dispositio ad gratiam supernaturalis sit.*

DVÆ difficultates hîc agitantur ex professo ab aliquibus, maximè à Patre Suario; quas aliunde sufficienter supponimus discussas: insinuabo eas duobus verbis. Prima est, an hæc dispositio ad gratiam supernaturalis sit, seu procedens ex vera gratia. Verùm de hac difficultate egimus suprà, ostendentes esse necessariam gratiã ad actus siue immediatè siue mediatè influentes in salutem: vbi simul tractauimus, vtrùm ea supernaturalitas debeat esse solùm quoad modũ, an quoad substantiam. Vbi rursus ab eodem Patre Suario fusè disputatur, vtrùm in definitione Tridentini sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione atque eius adiutorio, hominem credere, &c. posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur*; vtrùm, inquam, in eâ definitione nomine iustificationis intelligatur

Quid nomine iustificationis ex Tridentino intelligit Suarez & Vasq.

intelligatur ea quæ fit per infusionem gratiæ habitualis, an verò totus ordo auxiliorum ab initio (vt intendit fusè P. Vasquez 1. p. disput. 91. a. 2. & seq.) Probat autem Suarez omnino intelligi eam, quæ fit per gratiam; nam Concilium ibi distinguit ipsum credere à iustificatione; & insinuat, illud ad gratiam seu iustificationem esse dispositionem: hoc autem non posset dici vllo modo, si iustificatio eos actus includeret. Verùm ego, licet iudicem euidentissimum esse quod P. Suarez dicit, & verba ipsa Tridentini ostendunt ad punctum tamen præsens planè censeo non magis fauere explicationem Suarez quàm Vasq. sed vtramque habere eamdem omnino vim; etenim, siue dicamus intelligi ipsam gratiam habitualem, siue totam iustificationem, certum est, à Concilio definiri, *credere, sperare*, &c. & alios actus, quibus disponimur, non fieri solius liberi arbitrij viribus, sed inspiratione Spiritus sancti quid ergo, quæso, ponderis est ad hoc intentum, in eo quòd iustificatio ibi significet gratiam habitualem potius, quàm totam seriem auxiliorum & iustificationis? ergo pro præsenti quæstione mihi adimunt per explicationem Vasquez, esto bona absolutè non sit.

Eadem est vis explicationis Suarez, quæ Vasquez quoad præsens punctum.

An omnem dispositionem etiam remotam esse ex gratiâ de fide sit, Affirmat Suarez. De fide est, nullam dispositionem dari posse positiuè concurrentè ad merendũ gratiam etiã remotè sine gratiâ.

Quæri autem circa hanc difficultatem potest, an sit de fide, omnem dispositionem etiam remotam debere esse ex gratiâ. Multi affirmant, Patet verò Suarez, ob multorum Theologorum modum loquendi, qui non solùm id non tenent de fide, verùm absolutè defendunt, eas remotas dispositiones non esse necessariò ex gratiâ; abstrahit ab eâ censurâ. Crediderim sic posse rem totam explicari, vt dicatur esse de fide, nullam dari dispositionem sine gratiâ, quæ positiuè & propriè concurrat impetrando aut merendo aliquo modo etiam remotè gratiam, non verò sit de fide, non posse aliquid præcedere, quod indirectè quidem putè remouendo prohibeat, peccatum scilicet, concurrat ad eam iustificationem: & fortasse in hoc solo sensu locuti sunt Theologi, vocantes dispositionem, eam remotionem impedimenti: quod verò non hoc sensu res non sit de fide, moueor propter ea quæ superiùs dixi agens de eo principio, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.*

12. An hæc dispositio debeat fieri ex libero arbitrio, breuiter expeditur.

Secunda præcipua difficultas, quæ hîc discuti solet, est, an eiusmodi dispositio debeat fieri ab ipso libero arbitrio. Verùm hanc duobus verbis expedio: DICO ergo: Prima gratia seu primus vocatio Dei, esto fiat à nobis, quia est actus vitalis noster, non fit tamen à libero arbitrio quà tali, quia actus ille nobis liber non est, iuxta sæpè dicta, vnde si hic actus vocetur dispositio ad gratiam, certum erit non omnem dispositionem esse nobis liberam, quia vocatio quà talis, cùm præcedat omnem nostrum consensum liberum, libera esse non potest.

DICO SECVNDÒ: Omnis consensus noster Deo vocanti, & consequenter ea dispositio, quæ propriè tener se ex parte nostrâ, est nobis libera. Hæc est de fide in Tridentino definita sess. 6. can. 4. Id ipsum probant omnia Scripturæ loca, quibus homines inuitantur ad respondendum Deo vocanti, ad agendum pœnitentiam, ad conuersionem, &c. quia nisi in eis actionibus libertatem haberemus, frustrà ad id excitaremur. Vide quæ dixi agens de libertate humanâ; ea enim omnia habeat hîc locum; neque oportet quidquam amplius nunc reperire.

Tractari tamen posset doctrina eorum, qui dicunt, opus non prout factum à libero arbitrio, sed prout procedit à gratiæ auxilio, esse dispositionem ad gratiam habitualem. Verùm hæc opinio forte ad solum modum loquendi spectat; videtur autem in eo errare, tum quia meritum in suo formalissimo conceptu dicit non minùs libertatem operis seu laudabilitatem illius, quæ libertatem requirit, quàm ipsum valorem; ergo licet dignitatem accipiat opus à gratia, quia tamen habet laudabilitatem ab arbitrio sub veraque ratione, formalissimè dicendum est dispositio; vnde fit, vt Scriptura ipsum hominem maximè inuitet ad conuersionem, quia opus, quatenus ab ipso factum, est dispositio, licet simul debeat à gratia dignificari, seu à gratia accipere supernaturalitatem.

Doctrina affirmans, opus non vt à libero arbitrio, sed vt à gratiâ procedit, dispositionem ad gratiam habitualẽ esse, erronea videtur aliquo modo.

DISPVTATIO XLIX.

De dispositionibus in particulari ad iustificationem requisitis, ex parte intellectus: vbi de reflexâ certitudine illarum.

INTER dispositiones motiuas primo loco occurrit fides, quæ per se alioquin est initium iustificationis: de ea dicitur Marci vltimo, *Qui verò non crediderit, condemnabitur*; & ad Hebræos 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*: ideò primo loco declarandum, quomodo ea ad iustificationem requiratur; reliqua autem quæ ad exactam eiusdem fidei declarationem spectant, quinto Tomo expedita inuenies.

1. Fides est initium iustificationis.

SECTIO I.

Hæreticorum error reijcitur: vbi, quæ fides sit ad salutem necessaria.

HÆRETICI huius temporis fidem vsurpant pro fiducia, vnde quidam Scholastici docent, eos non actus intellectus, sed voluntatis requirere: ego autem non persuadeo mihi id ab eis doceri, cum expresse loquantur de fide, qua certò credunt sibi esse remissa peccata, vel se saluandos, vel sibi imputari iustitiam Christi: qui actus propriè ad intellectum pertinent: vnde, vt verum fatear, non capio quod de eis Patet Suarez c. 15. dicit, eos negare eam fidem esse actum intellectus, quia dicunt esse fiduciã, quâ quis firmiter credit sibi esse remissa peccata: non inquã, hoc intelligo, quia si fiducia est, quâ quis credit firmiter esse dimissa peccata, ponit sine dubio ibi actum intellectus. Neq; enim tam stulti sunt hæretici, vt suspicentur, credere firmiter sibi esse aliquid promissum, aut remissum, esse actum voluntatis: putauerim illos præter hunc actum etiam requirere alium voluntatis, quo se tradãt Deo & sperent, &c. per hoc tamen non excludunt actum proprium intellectus credentem Christum passum, &c. Hanc ergo fidem, quæ est assensus firmus innitens reuelationi & veritati Dei, necessariam esse, non potest ab vllo

Hæretici fidẽ pro fiduciã vsurpant.

Non satis intelligitur Suarez docẽs eos negare eam fidem esse actum intellectus.

Fidem esse necessariam ad iustificationem certũ ex Scripturâ, Conciliis & SS. Patribus

Digitized by Google

in dubium verti, ob innumera & obuia Scripturæ, Conciliorum & Patrum testimonia: ratio verò cur ea requiratur, est tum voluntas Dei meritò exigentis à nobis, vt ipsius dictis fidem adhibeamus, & per hoc ei quodammodò adhærere incipiamus, tum maximè propter actus spei & charitatis ad eandem iustificationem necessarios; quomodo enim sperare poterit quis salutē, si non credit certò, illam esse promissam bene operantibus? quomodo etiam diliget super omnia, quem per fidem non agnoscit vt omnis bonitatis fontem? Fortè respondebis, Sufficiet ad eum amorem cognitio naturalis euidens, quæ de Deo haberi naturaliter potest. Sed contrà *Primò*, nam tales cognitiones sunt valdè imperfectæ, neque communes omnibus hominibus; per fidē autem facilè cuilibet proponi possunt omnia mysteria de Deo. Contrà *Secundò*, nam ratio naturalis non se extendit ad mysteria omnia; v.g. ad Trinitatem, Incarnationem, passionem, &c. *Tertiò* denique, quia talis cognitio naturalis est improportionata ad actus voluntatis supernaturales requisitos ad iustificationem; ergo fides, quæ fundamentum est totius iustificationis, debet esse supernaturalis.

Non sufficere fidem naturalem tribus rationibus probatur.

Tres quæstiones circa hāc fidem moueri possunt. Prima. Qua fides requiratur ad iustificationē, specialis ne minimum: an Catholica.

Circa hanc fidem moueri possunt duæ vel tres quæstiunculæ magis ad controuersias cum hæreticis huius temporis, quàm ad scholasticam speculationem pertinentes; quas tamen breuiter expediemus. Prima est, quam in hac sectione expediemus, an fides, quæ est fundamentum iustificationis, debeat esse specialis, quâ quilibet credat certò, se esse in gratiâ, saluandum, &c. an verò debeat esse fides Catholica extendens se ad ea quæ omnibus proponuntur credenda. De hac quæstione agit hîc cap. 16. P. Suarez; meo tamen iudicio, cùm ipse fateatur ibidem, hæreticos non excludere aliam fidem generalem; quæstio hæc cota quanta relabetur in alteram, de qua fusè idem libro sequenti cap. 9. an scilicet possit aut teneatur quilibet credere certa fide sibi esse remissa peccata.

2. *Conclusio nostra contra hæreticos: Fides specialis non est necessaria nec possibilis præsertim eorum rerum fiducia.*

Dicimus ergo contra hæreticos, talem fidem non solùm non esse necessariam, sed nec possibilē, nisi Deus ex singulari gratia alicui faciat ea de re specialem reuelationem; quam cōmuniter non facit: vnde fides ad salutē necessaria est fides Catholica & generalis. Hæc veritas certissima est ex locis omnibus Scripturæ, quibus insinuatur, neminem esse certū, an sit dignus amore, an odio; vt cum timore & tremore salutem operemur, & multis alijs, quę videri possunt apud Bellarminum, qui l. 3. de Iustificatione eam quæstionem latè prosequitur, & Stapletonum lib. 7. de Iustificatione, Vegam lib. 9. in Concilium Tridentinum, & Suarez lib. 9. cap. 9. vbi inter alia loca pro ea veritate inducit hunc ex 1. ad Corinth. 4. *Neque meipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum*: quem ad hanc intentum videntur intellexisse D. Thomas lect. 1. in hoc cap. Epistolæ, Anselmus, & alij, etiamsi Pater Vasquez putet illum esse inefficacem, eò quòd tunc iam Paulus habuerit reuelationem de sua gratia & prædestinatione. Huic tamen obiectioni Bellarminus lib. 5. de Iustificatione cap. 6. & Suarez benè responderunt, Paulum nō negasse absolutè se esse certum ex alio capite, sed ex eo principio quod præmiserat, *Nihil mihi conscius sum*; ac si generalem hanc pro omnibus doctrinam tradidisset, *Etiamsi quilibet nihil sibi conscius sit, non tamen ideò se reputet iustum*: vnde malè & sine fundamento Vasquez vt *Non iustificatus sum* dicit debere de iustificatione à veniali intelligi. Quod vltimum ego sic reijcio; nam cùm, teste Ioanne Apostolo, vix vnquam venialibus careamus; septies enim in die cadit iustus; non poterat Paulus adeò audacter dicere, se non esse conscium, quod vllum haberet veniale; ergo loquitur de propria iustificatione à mortali.

Obiectioni Vasquez Bellarminus & Suarez respondent.

3. *Hæc veritas tradita à Patribus, & definita à Tridentino. Aliquorum explicatio Concilij refutatur. Error Catharini.*

Eadem veritas traditur à Patribus passim, & definita est in Tridentino sess. 6. cap. 9. Dicunt nonnulli eo loco Concilium noluisse reprobare eam certitudinem vt possibilē ordinario modo, eò quòd anathema nō dixerit postea nisi in hæreticos, qui eam fidem dicunt esse necessariam. Sed contrà; etenim non solùm definiūt Concilia ea quę in canonibus, sed quæ in capitibus assertiuè statuunt; vnde grauissimè salté in modo loquendi Catharinus errauit, qui post Concilium dicere ausus est, posse id credi fide, non tamen Catholica seu vniuersali, sed particulari: errauit, inquam, quia neque hæretici eam fidem genere petierunt; non enim adeò deliraunt, vt putauerint etiam alios teneri ad credendum v.g. de me, quòd ego essem in gratia, aut prædestinatus: ergo particularem etiam fidem excludere voluit Concilium. Ratio à priori huius veritatis est, quia, vt aliquid credatur fide diuina, oportet quòd sit vel expressè à Deo reuelatum, vel saltem implicitè in reuelatis inclusum: atqui non est reuelatum expressè, Caluinum esse in gratia, vt per se patet; neque est inclusum in reuelatis: nam licet reuelata sit propositio vniuersalis, *Omnes qui ritè & debitè baptizantur, qui agunt pœnitentiam, &c. peccatorum veniam acquirunt*; at minor, nempe *Caluinus hæc rectè fecit*, nullibi est vllo modo reuelata: nec potest dici, illam minorem esse euidentem; etenim esto ita sit, solùm inde sequeretur, conclusionem esse omnino infallibilem, eam tamen fore de fide nequaquam: vt enim dixi fusè in prooemialibus Theologiæ, conclusio non est de fide, nisi vtraque planè præmissa sit de fide: ibi enim ostendi contra aliquos, non esse de fide, Ciceronem esse conceptum in peccato, cùm non sit de fide, Ciceronem fuisse.

Ratio huius veritatis à priori.

Conclusio nō est de fide, nisi vtraque præmissa de fide sit.

4. *Nulla est certitudo illius propositionis, Ego sum in gratiâ.*

Ne tamen ab hac opinione faciamus dependentem rem certissimam, addo nullam esse certitudinem eius minoris propositionis; nam si gratia in me pendet ab intentione alterius administrantis Sacramentum, sanè ego non possum esse certus de ea intentione, quia est res mihi occulta & ex hoc capite magis certus ego possum esse de gratia infantis, quem ipsemet baptizaui, quàm de mea: si verò gratia pendet à mea contritione, non possum ego certò scire, me habuisse eam amorē sub eo motiuo & supernaturalitate, prout necessarius est ad salutem, etiamsi magnā sæpè ea de re probabilitatem habere possim. Denique, confingere reuelationem specialem, quæ fiat cuilibet de sua gratia, planè est ridiculum, & contra experientiam omnium, ergo:

Contra nostram doctrinam obiectiones ex Scripturâ. Obiectio Prima ex Ioanne Responsio Prima. Secunda.

1. Contra hanc veritatē obijciuntur aliqua loca, quibus facilè respondetur. Primus est ex Ioanne 14. vbi Christus Apostolis dixit, *Vos autem cognoscetis eum*, id est Spiritum sanctum, *quia in vobis erit*. Respondeo ibi non agi de cognitione Spiritus sancti vt habitantis in Apostolis per gratiam, sed quòd Apostoli essent habituri notitiam magis distinctam de Trinitate & consequēter de Spiritu sancto. Secundò, esto specialiter

Apostolis

Digitized by Google

Apostolis concederemus hanc reuelationem, non continuò omnibus aliis concedenda esset, quia ipsemet Christus eis dixerat antè, vos mundos, sed non omnes: quod propter Iudam additum esse notauit Ioannes ipse: & sine dubio id intellexerunt Apostoli postquam ille tradidit Christum.

Obiectio Secunda ex Paulo. Responsio.

Secundus locus est ex Paulo ad Romanos 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* Respondetur, ibi Paulum solùm dicere Spiritum sanctum inducendo nos ad bene operandum testificari in actu exercito nos esse filios Dei, iuxta illud Christi Domini Matthæi 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos*; at non ideò insinuari ibi vllam reuelationem de eo iustitia. Argumentum autem, quod ab operibus sumitur, habet suam probabilitatem, & sæpè quamdam moralem certitudinem, à certitudine tamen fidei longè deficientem.

Obiectio Tertia ex eodem Paulo.

Tertium testimonium ex eodem Paulo 1. ad Corinth. 2. *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Respondeo, hoc non esse ad rem, solùm enim probat, nos non fide ab hominibus accepta, sed à Deo, scire ea, quæ de vita æterna omnibus in gratia decedentibus promittuntur.

Responsio.

Obiectio Quarta ex Ioanne. Responsio Prima.

Quartum ex 1. Ioan. 4. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis; quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Respondeo Primò, eum locum intelligi de promissione in generali facta pro Ecclesia, abstrahendo iam ab hoc vel illo in particulari; quia in eo sensu maximè ibi locutus est Ioannes. Respondeo Secundò, si intelligatur de speciali reuelatione; intelligendum solùm de Apostolis, quibus id fuit reuelatum; non verò vniuersaliter de omnibus fidelibus.

Secunda.

Obiectio Quinta ex Petro. Responsio Prima.

Quintum & vltimum ex 2. Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* Respondeo, hoc potiùs esse contra hæreticos, qui eam certitudinem non ex operibus, sed ex apprehensione per fidem volunt suadere. Respondeo absolutè, non negari à nobis ea de re posse aliquem moralem certitudinem habere, & hanc desumi ex operibus, idcóque meritò Petrum hortari, vt per bona opera ad eam veniamus; inde tamen nihil penitus infertur de certitudine omnimoda fidei diuinæ. Secundò responderi potest, *vt certum facere* idem esse, ac se ipsa ponere media ad illam necessaria, quidquid sit de certitudine nostræ cognitionis. Alia loca obiici possunt, in quibus significatur, nos esse certos, quòd impleamus præcepta: verùm hæc non sunt ad rem, quia inde non sequitur certitudo erga iustitiam, ad quam non sola obseruatio præceptorum, sed alia media requiruntur, de quibus non sumus certi, vt ostensum est: adde, ibi non dici, posse nos id credere certitudine fidei.

Secunda.

Reliqua quæ obici possunt non sunt ad rem.

Explicatio SS. Patrum.

Obiiciuntur etiam aliqua testimonia Patrum, sed quæ vel loquuntur de reuelatione assistentiæ Christi generaliter in Ecclesia; vel loquuntur de aliqua certitudine morali ex operibus acceptâ, vt ad loca ex Scriptura paulò antè dixi. In particulari autem ea explicata vide apud Bellarminum suprà. Poterat etiam à ratione obiici, ex his propositionibus de fide, adiuncta particulari nobis nota, inferri consequentiam de fide; sed iam probando veram sententiam ostendi, neque eam particularem esse posse nobis benè notam, neque etiam id sufficere, vt assensus sit de fide.

SECTIO II.

An possit esse certitudo Theologica de propria iustitia.

EXclusa certitudine fidei de statu gratiæ certi in dubium potest Secundò, an saltem certitudo Theologica possit esse de propria iustitia. De qua difficultate P. Suarez cap. 10. Verùm mihi res tota videtur iam in præcedentibus decisa. Pro quo aduerte, eam dici conclusionem Theologicam, quæ nititur vni principio de fide, & altero euidenti naturali, & ex eis infertur per consequentiam euidentem; Cùm ergo in præcedenti difficultate non solùm probauerimus non esse duas propositiones reuelatas, ex quibus inferatur me habere gratiam, sed nec esse vllam naturalem certam, quia nec nobis certò constat de intentione ministri, nec de consecratione illius, nec de dispositione nostra, iam eo ipso ostendimus, nos non habere nec quidem Theologicam certitudinem de nostra salute; non ergo est, quòd in hoc puncto amplius immoremur.

6.

Non habemus certitudinem Theologicam de nostrâ salute.

Obiectio Prima ex Tridentino. Soluitur.

Dices Primò: Tridentinum non excludit nisi assensum fidei; ergo admittere alium Theologicum non est contra Concilium. Respondeo, à Concilio excludi omnem assensum certum, cuique non possit subesse falsum; qualis esse dubio esset hic Theologicus de quo disputamus. Secundò dico, Esto id, ex Tridentino non inferatur, infertur aliunde ex dictis suprà.

Obiectio Secunda ex Patribus. Soluitur.

Secundò obiicies aliquos Patres docentes, iustos esse certos de sua iustitia. Respondeo, eos debere intelligi de morali certitudine, vt diximus suprà, & paulò pòst fusiùs.

Obiectio Tertia ex Paulo. Soluitur.

Tertiò obiicies Paulum asserentem ad Romanos 8. se esse certum, quòd neque Angeli, &c. poterunt ipsum separare à charitate Dei. Respondeo Primò, posse id intelligi de solo Paulo ob specialem reuelationem ipsi factam; vnde ad cæteros non licet argumentari: Secundò fortè agere de certitudine morali: Tertiò, fortè de fiducia; id est, Firmiter confido, quòd, &c.

Obiectio Quarta.

Quartò obiicies: Saltem ex effectibus poterit id homo dignoscere; si enim agnoscat homo se diu sine mortali viuere, & (quod magis est, si etiam venialia se diligenter cauere aduertat, si etiam experiatur in se consolationes diuinas, poterit esse certus de sua gratia; quia hæc omnia non contingunt nisi iustificatis. Respondeo, non esse certam hanc minorem quam assumit scilicet, hæc non contingere nisi iustificatis. Secundò dico, neminem posse habere certitudinem quòd non commiserit peccatum aliquod graue; licet enim non habeat conscientiam illius, seu nó recordetur, non tamen ideò licebit certò dicere, Non habeo, quia fortè habes, & non recordatur; fortè commisit ex negligentia crassa, & non se reflexit supra illud.

Soluitur.

7.

An certitudinem moralem possimus de propria salute habere.

Tertiò quæritur, an certitudinem saltem moralem gratiæ habere possumus ex illius signis. Hac de re omnes ferè Scholastici disputant, qui (vt P. Suar. optimè notauit cap. 11. n. 2.) proueniunt ex significatione vocis *moralis certitudo*. Moralia enim admittunt magis & minus; nec potest facilè assignari regula certa ad determinandum gradum eius certitudinis in præsenti. Pro decisione ergo aduerte Primò, non esse eamdem de omnibus iustis rationem; nam in aliquibus eximis

In hac non est de omnibus iustis eadem ratio.

miæ & diuturnæ sanctitatis sine dubio maius fundamentum est ad quærendum, an habere possint certitudinem hanc, quàm in aliis, qui post grauia peccata accedunt semel ad confessionem sine magnâ dispositione; & quia inter hæc duo extrema dantur varij ac diuersissimi iustorum gradus, potest etiam inde varius esse certitudinis gradus; dicemus ergo de duobus extremis, vt inde quilibet, quò magis accedit ad vnum quàm ad aliud, valeat dignoscere, qualem sit habiturus certitudinem suæ iustitiæ.

Diuersi dantur iustorum gradus.

Accedens ad confessionem sine magna præparatione post multa mortalia non potest esse moraliter certus de suâ salute.

Igitur pro 1. PRIMO: Qui post multa mortalia accedit ad confessionem sine magnâ præparatione, etiamsi (quod nunc suppono) ita fuerit dispositus, vt non peccaturus accedendo, quia formauit iudicium probabile se sufficienter satisfacere obligationi præcepti, ac proinde certus sit se de nouo non peccare in eo Sacramento; hic, inquam, nullam planè potest habere certitudinem de suâ salute: potest quidem iudicium probabile de eâ formare & sufficiens, vt licitè accedat ad Eucharistiam, vt non teneatur de peccatis de nouo confiteri; certitudinem tamen, vt dixi, nullam potest habere; vt enim dubitet multa nos cogunt. Primò, quia non est certus se esse baptizatum: sine Baptismo autem non est validum Sacramentum pœnitentiæ. Secundò, non est certus confessarium esse Sacerdotem. Tertiò, non est certus, quòd ille habuerit intentionem. Quartò, non est certus se habuisse sufficientem dispositionem. Cùm ergo quodlibet ex his capitibus etiam seorsim sufficiat ad causandam incertitudinem, procul dubio omnia simul efficient, vt meritò formidare possit, & consequenter vt simpliciter careat omni certitudine.

Idq; ex variis capitibus.

8. Retorquebis tamen argumentum in contrarium: Qui inter Christianos parentes natus est, si ab eis aliisq; audiat se esse baptizatum, sine dubio certus erit de suo Baptismo. Secundò de sacerdotio alterius etiam potest esse certus: Tertiò, quòd ille, maximè si sit homo doctus, religiosus, grauis, &c. habeat intentionem absoluendi, non est cur dubitet; ergo est de eâ re certus. Quartò denique, quòd habeat in se attritionem; & quòd ea sufficiat cum Sacramento, potest etiam esse certus: ergo de omnibus aliis capitibus habet certitudinem, etiamsi non summam, ergo & de statu gratiæ.

Retorquetur argumentum in contrarium, quemlibet posse habere certitudinem de omnibus illis capitibus.

Respondetur.

Certitudo illa impropria est.

Respondeo negando antecedens quoad omnia capita, maximè quoad vltima duo. Ad probationem dico, fortè impropriè vocari certitudinem illam, quæ ex dictis patentum habetur de Baptismo: ne tamen faciamus quæstionem de nomine, admittimus hanc esse aliquam certitudinem sufficientem ad hoc, vt non possit Baptismus iterari; quia cùm in omnibus posteà repetitionibus illius esset semper eadem ratio dubitandi, semper deberet repeti: quod est ridiculum. Addimus tamen, eam certitudinem ita esse imperfectam, vt admittat facillimè rationem formidandi, maximè circa voluntatem ministri. Idem dico de sacerdotio alterius, vbi maior longè est ratio dubitandi; nam sacerdotium illud pendet ex innumeris pœnè capitibus, tum ex Baptismo ipsius, cum ex Episcopi consecrantis sacerdotio & Baptismo, sicque ascendendo semper per omnes Episcopos ad Apostolos vsq; exclusiuè. Tertiò, circa propriam dispositionem maximus est locus dubitandi, præsertim in casu à nobis posito quo homo non adhibuit magnum conatum ad eam dispositionem acquirendam. Denique, esto de quolibet ex illis capitibus sit certitudo, procul est vehementes timere, ne in vno aut altero sit deceptio, etiamsi non in omnibus; & sine dubio perit tota certitudo.

Admittit rationem magnam formidandi.

9. Dico SECVNDÒ: Aliqui iusti possunt habere talem moralem certitudinem, vt licet possit absolutè subesse falsitas, & consequenter possint etiam humano modo dubitare; nihilominus tamen simpliciter ita homines reddat securos, vt regulariter non admittat eam formidinem. In hac conueniunt Valentia disp. 8. quæst. 5. puncto 4. Suarez suprà n. 5. & 10. vbi pro se citat P. Vasq. non dicit autem vbi id doceat: & sanè in totâ disp. 200. in quâ eâ de re agit, nihil simile potui reperire, quin potius contrarium: expresè enim cap. 8 & sæpè per disputationem totam docet, non posse nos habere vllam certitudinem, quæ excludat formidinem, sed solùm quæ excludat dubitationem: nam dubium ille dicit, quando quis neutri parti assentitur, vt, quòd stellæ sint pares: hoc autem dubium non solùm excludit Vasquez à iustis magnæ virtutis, de quibus agit Suarez, sed etiam ab omni iusto, quando accedit ad communiones, &c.

Aliqui iusti talem certitudinem habere possunt, qua nullam regulariter timorem admittat.

Non videtur fauere huic doctrinæ Vasquez.

Siue ergo ista sententia sit Vasquez, siue non, illam libenter amplectimur; & quidem eam esse docuit aliquorum Patrum, quorum verba ibi Suarez citat, dubium non est; nam Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 2. admittit in aliquibus euidentissima signa iustitiæ, & lib. 6. Epistolar. Epist. 187. formidinem ait longa mœroris anxietate posse consumi: idem docet Bernardus ex proposito tractans ea signa certitudinis. Consultò dixi testimonia aliquorum; nam non omnia quæ adducuntur id persuadent: etenim Augustinus Tract. 5. in Epistolam primam Ioannis loquitur per vetbum omnibus fidelibus generale, hoc est, *vnusquisque*; id verò manifestè non est ad mentem eorum qui eo testimonio vtuntur; non enim agunt de omnibus, sed præcisè de sanctioribus. Eodem modo Ambrosius Epist. 5. de omnibus loquitur, *Quisquis adhæserit Christo.* Idem fere ad alios Patres dici potest.

Hanc certitudinem admittunt SS. Patres.

Ad loca Scripturæ respondetur.

Ad loca verò Scripturæ, qualis est ille 2. ad Corinth. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*; & ad Galatas. 5. *Fructus Spiritus est gaudium, pax*, &c. respondeo vno verbo, vel non inferri inde tantam certitudinem quantam admisimus in hominibus sanctioribus, vel Apostolos habuisse circa se reuelationem: his ergo testimonijs relictis.

10. Optimè conclusio hæc fundetur, quia neq; est contra Tridentinum, quod solùm excludere voluit talem certitudinem, cui non possit subesse falsum; hanc autem aliam, quam nos ponimus, videtur quasi eo ipso admisisse: deinde neq; Patribus est contraria, imò conformis, vt diximus: ratione item fundetur, quia si ponamus aliquem, qui & decursu longi temporis variis Sacerdotibus confessus sit, nullam habens de aliquo in illis rationem dubitandi tam circa ordinem quàm circa intentionem, ipséque semper ad maximum dolorē se excitauerit, semper bonâ fide accedendo, omni morali diligentiâ adhibitâ, sine vllâ nouâ mortalis conscientiâ toto eo tempore, confitendo etiam venialia cum proposito millies moriendi citiùs quàm vllum mortale admittendi, magnam item pacem spiritus, faciliratem in vitandis etiam venialibus ex deliberatione expertus sit, rebus diuinis & contemplationi deditus, magnam in eis senserit consolationem; profectò licet, si omnia hæc signa velit homo diligenter & reflexè considerare, possit inuenire aliquem

10. Conclusio nostra non est contra Tridentinum, solùm excludit certitudinem cui non potest subesse falsum. Ratione probatur ex variis signis desumpta.

Digitized by Google

quem locum formidini; addò tamen difficulter, vt ordinario modo non possit haberi ea formido, vel certè dari homini sufficiens occasio ad omnem illam excludendam.

Obiectio.

Dices tamen Primò, si reflexè cogitando potest locus esse formidini, ergo volens nolens debebit homo tunc formidare. Respondeo negando consequentiam: quòd sic explico ex assensu probabili; etenim stantibus duabus apprehensionibus probabilibus, potest homo assentiri huic aut illi parti, non tamen propterea cogitur assentiri determinatæ vlli. Dico ergo hominem iustum habentem ea signa suæ sanctitatis posse (si se reflectat) habere & quidem prudenter actum aliquem formidinis, non tamen ad id teneri; quia motiuum formidandi non cogit, sed liberum relinquit voluntati, vt possit, si velit, determinare intellectum ad omnem eam excludendam.

SECTIO III.

Declaratur magis, quanta possit esse ea certitudo.

11. *An tantâ certitudine credere possit iustus se esse in gratia quanta credit Romam esse. Negat Vasq. cum Medina. Responsioni, non rationi Vasq. acquiescimus.*

ROgabis Primò, an tantâ certitudine possit talis ille iustus credere se esse in gratiâ quantâ credimus Romam esse aut Constantinopolim. P. Vasquez suprà num. 54. secutus Medinam negat, eò quòd Concilium Tridentinum dixerit, neminem posse credere, se esse in gratiâ, fide diuinâ, cui non potest subesse falsum; addítque, quoties creditur aliquid non fide diuinâ, manere posse iudicium vniuersale, fortè aliter est. Ego, vt verum fatear, etiamsi in substantiâ responsionis omnino acquiescam Medinæ & P. Vasquez contra Scotum, vt & acquieuit Suarez, rationem tamen Vasquez non possum probare; nam fides, quòd Roma & Constantinopolis sit, non est diuina, & consequenter potest ei subesse falsum: ergo ex Tridentino non excluditur similis fides de iustificatione. Quòd si dicas, etiam illi fidei de Constantinopolis existentiâ non posse subesse falsum, & ex hoc capite induci posse Concilium;

Probatio nostra.

Contrà, Ergo malè dicit ibi P. Vasquez, soli fidei diuinæ non posse subesse falsum, Eo ergo fundamento omisso, sic probatur nostra & communis conclusio, quia humano modo & moraliter loquendo planè est impossibile, quòd tot homines oculati testes tot sæculis conuenerint ad decipiendum, dum dixerunt esse Romam & Constantinopolim, etiamsi metaphysicè decipere potuerint; ideò non potest homo, quantumuis velit, formidare de ea veritate. At in nostro casu omnia iudicia sunt maiori ex parte homini ipsi occulta, & in eis facilè potest aliquis error irrepere, quia homo in causâ propriâ non semper est perfectus iudex, ideò relinquitur semper locus aliquis, vt possit, si velit, prudenter subtimere, ne re ipsâ subsit aliquis error.

Multò minùs potest quis esse certus de sua prædestinatione.

Hinc obiter dicendum est de prædestinatione, multò minùs hominem esse posse certum, quia tangit rem futuram: non enim homo scit, sit casurus nec ne; res enim futuræ longè sunt à nobis magis absconditæ: vnde de eâ perseuerantiâ non potest esse nec quidem hæc certitudo, quam de gratiâ concessimus; ideò Paulus ad Romanos 11. *Tu autem fide stas: noli altum sapere, sed time, ne forte nec tibi parcat.* & 1. ad Corinth. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* & Apocalypsis 3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Id ipsum passim tradunt Patres; quos omitto, quia res est valdè certa, quidquid stultissimè aliqui hæretici in contrarium dicant.

12. *Eodem modo de perseuerantiæ dono discurrendum est.*

Quod de prædestinatione diximus, dicendum est de perseuerantiæ dono; est enim eadem planè de vtroque ratio; quia prædestinatio non alia re completur quàm perseuerantia; vnde valde miror Patrem Suarez suprà eo cap. 11. num. vltimo, cùm benè dixisset, esse eamdem rationem de prædestinatione quæ est de perseuerantiâ, addere tamen statim, *Et in prædestinatione est peculiaris ratio, quia latet in altissimâ mente Dei, & non manifestatur nisi per effectus:* mirot, inquam, hæc dici, quia quòd prædestinatio sit actus Dei, & in eius alta mente resideat, est impertinens ad punctum præsens: eo enim ipso quòd necessariò de facto sit connexa cum perseuerantia, iuxta illud Christi Domini Matthæi 10. *Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, non capio vllo prorsus modo, quomodo sit de facto maior difficultas in habenda certitudine prædestinationis, quàm in habenda de perseuerantia finali: constet igitur eamdem omnino rationem esse de vtraque quoad certitudinem, sine vlla planè differentia.

Nec maior certitudo de vna quàm de altera haberi potest, quia cõnexa sunt.

SECTIO IV.

An & quomodo possit quis esse certus se habere fidem diuinam.

DIfficultas hæc meo iudicio non est diuersa à præcedenti: vt enim non possum habere euidentiam aut certitudinem ad fidem pertinentem siue aliam summam, quòd habeam actum amoris Dei super omnia ex motiuo & modo sufficienti ad actũ supernaturalem; ideóq; diximus, non posse hominẽ habere certitudinem quòd sit in gratia; ita ob easdem omnino rationes censeo non posse hominem habere reflexum iudicium omnino certum, quòd habeat actum supernaturalem fidei; videtur enim mihi eadem planè ratio de vtriusque supernaturalitate: quia tamen aliqui graues auctores aliter omnino de actu fidei sentiunt, oportet eorum specialia fundamenta paucis examinare, vt magis appareat doctrinæ consequentia.

Non potest homo habere reflexum iudicium certũ se habere actum supernaturalem fidei.

SVBSECTIO I.

Proponitur sententia Patris Vasquez.

13. *Vasq. duos admittit assensus fidei, vnum, quo assentimur mysterium proponenti; alterum, quo Deo reuelanti. Displicet illius resolutio. Fatetur certò in infantibus baptizatis dari habitũ fidei.*

INter alios igitur P. Vasquez disp. 201. cap. 2. supponit ex Theologorum communi sententia dari in nobis duos fidei assensus; vnum, quo assentimur Prædicatori mysterium proponenti; alium, quo innitimur Deo dicenti: inter quos secundus est fidei diuinæ, primus verò solùm fidei humanæ: ita tamen connexus est secundus cum primo, vt non possit primus esse sine secundo: quo posito, Primò docet de habitu ipso neminem posse fide diuina credere, se illum habere; quia non est de fide illum dari. Ex hoc tamen capite resolutio hæc non mihi placet; nam saltem in infantibus ipse Vasquez fatetur ita certum esse talem habitum dari, vt euidenter inferatur ex principiis de fide; ergo saltem ille, qui infans baptizatus est, & certò scit se non commisisse hæresis peccatum, posset esse omnino certus de habitu, si aliunde non dubitaret ratione intentionis ministri; vnde censeo dicendum, qua certitudine

Digitized by Google

tudine quis credit se esse baptizatum in infantiâ, & deinceps non commisisse hæresim, eadem posse & debere credere, se habere habitum fidei. Dixi *baptizatum in infantiâ*, quia si iam adultus baptizetur, cùm vel non sit de fide, quòd habitus fidei tunc infundatur, vel saltem non sit certum infundi sine habitu gratiæ, & non sit quis certus se accepisse gratiam; ita neque erit certus de habitu fidei. Et de habitu satis, quia præcipua difficultas est circa actum.

14. *Qui audiret Pontificem definientem, secundùm Vasquez, tenetur credere firmiter se habere fidem Catholicâ ad salutem necessariam.*

Censet ergo Secundò Vasquez, si audiamus proponi nobis mysteria fidei à Prædicatore, quem iudicamus esse Catholicum, & simul in totâ Prouinciâ aut Regno ita credi; vel certè, si ipsummet Romanum Pontificem audiamus definientem, semper debere firmiter credere, habere nos fidem Catholicam necessariam ad salutem, ita vt de eâ re formidare non possimus; quia cùm tunc quilibet experiatur se credere omnia illa mysteria, quę ab Ecclesiâ proponuntur, tenetur etiâ credere se habere fidē Catholicam & ad salutem necessariam, alioquin etiam de ipsis mysteriis fidei dubitare posset: habet enim homo tunc euidentiam, quòd credat illa mysteria eo modo quo sibi proposita sunt; & quòd assensus ille innitatur testimonio Dei, qui mentiri non potest: quilibet enim in se euidenter experitur assensum, quem in se habet. Vbi aduerto, cùm tam clarè loquatur Vasquez, maximè n. 9. mirari me valdè eum à Patre Turriano Opusc. 3. dub. 3. pro contrariâ sententiâ citatum. Pro quo rursus obseruo, etiamsi Vasquez dicat nullum fidelem euidenter cognoscere se habere assensum fidei innitentem solùm testimonio Dei, id tamen eâ solâ ratione ab ipso doceri, quòd dicat non esse omnino de fide, duos eos assensus esse necessarios ad salutem; quòd si necessarij sint, dicit, non teneri fide diuina credere, eos in nobis esse: vniuersaliter enim asserit, debere nos assensu fidei credere, habere nos verum & sufficientem assensum fidei ad salutem necessarium.

Turrianus malè illum pro contrariâ sententia citat.

Duos assensus supradictos esse necessarios ad salutem negat esse de fide.

15. *Quòd euidenter quis suos actus experiatur in vno sensu falsum, in alio non est ad rem.*

In hac doctrina videntur aliqua esse dicta sine sufficienti distinctione, aliqua verò falsa; etenim hoc vltimū, quòd quilibet experiatur euidenter suos actus, videtur in vno sensu falsū, in alio non ad rem: si enim dicat, quòd experiatur euidenter suos actus, quoad vltimam eorum differentiam, falsum id omnino est; vt patet in eo qui habet actum amoris Dei super omnia; non enim potest experiri suum actū quoad vltimam differentiā illius, vt ipsemet Vasq. fatetur; alioquin sciret, euidenter se esse in gratiâ; neq; dici potest id habere locū in actibus intellectus, eò quòd in ipso intellectu recipiantur, non autem in actibus voluntatis: id, inquam, dici non potest, quia (vt benè P. Suarez notauit) intellectus non nosci se faciliùs quàm voluntatem: adde, probabilius esse, non distingui potentias, imò, etiamsi distinguantur, actus tamen non recipi in illis, sed in animâ immediatè; ergo ex eo capite nulla est diuersitas: Quòd si dicat, cognosci euidenter eum actum secundùm rationem generícam, id est, quòd habeat actum credendi erga tale mysterium, ignoret autem esse naturalem aut supernaturalem, admittemus propositionem; & inde nihil ad quæstionem propositam; non enim inde infertur habere illum fidem supernaturalem.

Confundit Vasq. certitudinem de mysterijs & certitudinem de ipso actu credendi.

Secundò videntur in vnum confusa duo hæc, *certitudo erga mysteria*, & *certitudo de ipso actu credendi*: etenim mysteria possunt credi fide diuina, quia reuelata sunt; at ipse actus credendi meus seu existentia illius, vbi, quæso, reuelata est, vt sit obiectum fidei diuinæ? vnde meritò P. Suarez dixit num. 15. ignorare se, quo poterit fundamento Vasquez asseuerare, si quis credit mysteria nostræ fidei prudenter proposita, eo ipsō illum esse de fide certum, se habere fidem ad iustificationem requisitam: vbi enim in Scripturâ aut ab Ecclesiâ id est definitum?

16. *Doctrinam Vasquez falsam esse positiuè probatur.*

Et verò positiuè ostendo id esse falsum; tantum abest à veritate definita: si enim hæretico proponat Doctor Catholicus mysterium incarnationis vt in Scripturâ reuelatum, vt à Patribus traditum, vt à mysteriis comprobatum, profectò proponit illi mysterium fidei valdè prudenter credibile; & tamen ille credens non habebit actum supernaturalem fidei. Ostendo id fortiùs etiam in Catholico, cui Parochus seu Doctor proponit mysteria fidei, & omnes rationes, quæ ad prudenter credendum requiruntur; proponit autem vel lapsu linguæ, vel certè ex malitia vnum falsum mysterium inter cætera vera; sanè ille homo habet prudentia motiua ad credendum; ita vt si de facto non crederet etiam illud falsum, peccaret; & tamen non inde infertur, illum habere supernaturalem actum fidei circa illud: quo ergo principio fidei poterit ille determinari vt discernat, & dicat, Hoc mysterium non credo fide supernaturali & ad salutem sufficienti, credo verò cætera ea fide; proculdubio euidens est, illum non posse distinguere: ergo ex vi modi credendi non habet ille certitudinem de supernaturalitate vllius ex illis actibus.

Idem probatur ratione à priori.

Idem rursus ostendo ratione à priori, quia non est de fide, quin potiùs falsum (vt meo iudicio ostendi manifestè suprà) non posse actu naturali attingi idem motiuum, quod tangitur per actum supernaturalem; ergo ex vi motiui non potest vllus esse certus fide diuina se habere eum actum supernaturalem, qui ad iustificationē requiritur.

Idem motiuum, quod à supernaturali tangitur, à naturali actu tangi potest. Replica.

Dices, id inde colligi, quòd auxilium Dei sit paratum ad concurrendum cum homine, & ad eliciendum actum supernaturalem, quando elicit naturalem. Sed contrà Primò, quia in hoc sensu etiam essemus certi de attritione & contritione supernaturali. Contra Secundò, quia illud principium non est verum, nisi quando homo efficit quantum est in se; at nemini constare certò potest se facere quantum est in se.

Refutatur.

Tandem reiicitur doctrina hæc Vasq. Non potest cognosci fide diuinâ an pia affectio sit supernaturalis.

Vltimò eam doctrinam reiicio; nam fides supernaturalis pendet à piâ affectione voluntatis; & quidem, iuxta probabiliorem sententiam, ea debet esse supernaturalis in substantia, vel certè id adhuc sub lite est: atqui vtrùm ea pia affectio sit supernaturalis, non potest cognosci fide diuina: quæ enim, quæso, reuelatio, quòd ego habeam talem supernaturalem affectionem? euidenter autem cognosci longè minùs potest illa supernaturalitas; neque ibi habet locum argumentum Patris Vasquez, quòd actus intellectus faciliùs cognoscantur; nam pia affectio non est actus intellectus; ergo de primo ad vltimum, neque ipse actus supernaturalis fidei poterit certò cognosci.

17. *Hominē habere euidentiam quòd credat testimonio proponentis mysterium, secùs verò de actu fidei diuinæ, consentimus cum Vasquez.*

Tertio loco docet Vasquez, quemlibet habere euidentiam, quòd credat testimonio illius, qui ei immediatè proponit; an verò sequatur actus alius fidei diuinæ, non habere euidentiam, quia ille vt condistinctus non percipitur per experientiam. Hæc doctrina placet, estque per se satis clara.

Quartò docet, quemlibet fidelem debere credere

Digitized by Google

Docet etiam quemlibet fidelem debere fide diuinâ credere assensum suũ tam diuino quàm humano testimonio innitenti esse ex gratiâ per Christum.

dere fide diuina suum assensum, siue innitatur testimonio humano, siue diuino, per quemcúmque ex duobus illis assensibus enumeratis, esse ex dono gratiæ per Christum; quia vtrumque requirere gratiam dicit se probasse disp. 186. cap. 1. & 2, ibi tamen solùm loquitur de fide diuina; semel tamen dicit obiter debere præcedere fidem humanam; non probat autem, cur ea etiam debeat esse ex gratia per Christum. Fortè ex principiis eius generalibus, quòd omne opus bonum etiam naturalis ordinis sit ex gratia per Christum, probabitur etiam illum assensum esse ex eadem gratia: verùm neque id sequitur, quia in eo capite agit de assensu fidei speculatiuo, qui non ordinatur ad opus: tales autem actus bonos in intellectu expresè ibi admittit sine gratia Christi.

Hæc doctrina refutatur breuiter ab exemplo Parochi mysterium verum & falsum ob eadem motiua proponentis.

Doctrina hæc, quia connexa est ei quam paulò antè allegaui, eodem modo refutanda: id quod breuissimè ostendo ex eo exemplo, quod in refutatione posui de homine, qui à suo Parocho audit proponi sibi mysteria duo, & vtrumq; ob eadẽ motiua, credítq; eodem modo vtrumque, estè re ipsa in vno decipiatur, quia Parochus erranit; sanè assensus ille falsus, quà se tenet ex parte intellectus, gratia non indiget, quidquid sit de pia affectione præuia, de qua nõ egimus; ergo nõ potest ille fide diuina credere suum assensum esse ex dono gratiæ, quia tunc falleretur. Ratio item

Ratione etiã à priori.

à priori tacta est paulò antè; nam, cùm reuelatum non sit, talem hominem habere actum illum, de quo Concilia loquuntur: vbi enim, quæso, est ea reuelatio? non potest ille id credere fide diuina; euidenti autem experientia multò minùs potest agnoscere se habere quæ requirunt Cõcilia. Tertiò denique; nam licet actus fidei diuinæ gratiam requirat, de actu tamẽ prouio fidei humanæ nullibi est definitum gratiam requirere; & verò iudico probabilius, sine gratia posse fieri, quòd enim prærequiratur ad alterum nihil probat; nã etiam audire loquentem Concionatorem requiritur ad credendum, & tamen nemo dicet ipsam auditionem externam fieri ex gratia. Præterea, ipsa etiam volitio haberi potest sine gratia, imò potest esse mala: vt, si quis ex malo fine velit audire alterum loquentem, & deinde tangatur à Deo ad pœnitentiam. Quinto & vltimo loco docet, quemlibet debere credere fide diuina, etiam se assentiri veritati proximè propter testimonium Dei, ideóq; certum illum fore fide diuina de sua vera fide. Verùm iam hoc est reiectum suprà, quia est quasi illatio illius: tum quia facillimè homo, dum putat se assentiri propter testimonium Dei, habet aliud motiuum (vt ipse Vasq. expresè docet:) ergo nemo est certus certitudine, cui non possit subesse falsum, se assentiri propter solum dictum Dei, etiamsi valdè probabiliter id possit noscere. Secundò, quia esto concedamus, illum esse certum de motiuo, longè tamen probabilius est posse assentiri ob idem motiuum per actus naturales (vt suprà ostendi; & licet demus id non esse verum, tamen nemo dicere audebit, de fide certum esse, actus naturales à supernaturalibus debere in motiuo differre: quòd si id non est fide certum, quomodo, quæso, ex eo quòd tangat illud motiuum, inferet per illationem de fide, se habere actum supernaturalem?

18.

Etsi actus fidei diuinæ gratiam requirat, actus tamen fidei humanæ eam non postulat.

Reiicitur quod vltimo loco docet Vasquez.

Facilè putat quis se assentiri propter testimonium Dei cùm tamen aliud habet motiuum.

Nec Theologica fidei ant euidens haberi potest certitudo de supernaturalitate actus fidei.

Vnde ex his omnibus concludo, neque certitudinem fidei, neq; Theologicam, neque euidentẽ haberi posse de supernaturalitate actus fidei: id quod suprà agens de actu contritionis & de statu gratiæ, hîc verò refutando sententiam Vasquez abundè mihi videor probasse.

Svbsectio. II.

Alia obiectiones soluuntur.

19.

Obiectio Prima. Soluitur.

PRimò obiici potest: Actus fidei, dum cognoscit mysterium, est etiam reflexus suprà se; ergo credit seipsum fide diuina. Respondeo Primò negando antecedens; etenim multi putarunt etiam diuinitus repugnare aliquem actum intellectus esse reflexum supra se: & licet id sit minùs probabile (vt ostendi alibi) certissimum tamen est id non conuenire de facto omnibus actibus. Secundò respondeo, Esto concederemus seipsum noscere, adhuc deberet negari consequentia, seu vt meliùs dicam, distingui consequens, *Ergo ille actus se cognosceret fide diuina*; materialiter concedo, formaliter nego. Explico per instantiam: Si vnus actus indiuisibilis esset simul fidei de vno obiecto & de altero diuerso, esset cognitio clara, non dico eiusdem obiecti, sed alterius (vt sic minor sit oppositio inter eos duos conceptus; nam obscuritas erga vnum & claritas erga aliud omnino distinctum non repugnant inter se diuinitus.) In eo casu licet alterum obiectum cognosceretur per fidem seu per fidei actum, non tamen formaliter quà fidei, quia respectu eius obiecti motiuum non esset reuelatio diuina; vnde dicere, illum actum ex ea parte non esse verum, non esset quidquam detrahere de reuelatione & veracitate Dei. Idem ergo dico in

Explicatur responsio per instantiam.

Reuelatio non existens non potest esse motiuũ fidei.

præsenti, Etiamsi actus ille seipsum nosceret, quia tamen non se ex motiuo reuelationis & veracitatis diuinæ nosceret, quia de existentia absoluta eius actus nihil est reuelatum, reuelatio autem non existens non potest esse motiuum fidei, non crederet seipsum ille actus nisi notitia experimentali, quæ sub hac consideratione non haberet fidei certitudinem.

Obiectio Secunda.

Secundò obiicies: Si quis non est certus de suâ fide, ergo neque est certus de mysteriis. Patet; nam si formidare potest, vtrùm ea fides sit supernaturalis, potest formidare, vtrùm sit necessariò vera; ergo potest dubitare, vtrùm mysteria verè existant vt affirmantur. Hanc obiectionem videtur suprà insinuasse Vasquez duobus verbis, licet non eam explicuerit; est autem iuxta multorum principia vtcumque difficilis; ei tamen Primò re-

Respondetur Primò.

spondeo, argumenti formam non esse bonam: etenim si quis diceret sic, Ego meam visionem non video, ergo non video albedinem, malè inferret: item si diceret quis, Non sum certus quid sit visio, & vbi ea sit; ergo per illum non sum certus quid sit albedo, & vbi ea sit. Ratio huius facilis est; nam certitudo cognitionis non est in ipso obiecto (vt benè notauit ipse Vasquez alibi) sed in actu respiciente obiectum; potest ergo contingere, vt actus circa Deum sit certus, etiamsi aker reflexus circa ipsum actum non sit de eo actu certus. Hinc respondeo Secundò negando sequelam; ad eius confirmationem dico, me non posse dubitare illum actum esse verum, sed præcisè, an sit essentialiter verus; vnde non possum dubitare de mysterij veritate. Explico id euidenter Primò instantia, deinde ratione Quæstio est inter Philosophos, an actus iudicij, qui est verus, sit per suam essentiam verus, an solùm accidentaliter: quam quæstionem latè discussi in Philosophiâ; defendens tamen vt longè probabiliorem sententiam docentem, veritatem esse

20.

Secundò.

Veritatẽ esse accidentalem actui fusè probatum est in Philosophiâ.

acci

accidentalem, & actum illum eumdem numero; quem habeo, quando res ita est, potuisse existere, etiamsi obiectum non esset, & consequenter potuisse esse falsum. Hoc ergo posito, quando ego video Petrum currentem, dubitare non possum, an iudicium, quo tunc dico, *Petrus currit*, verum sit; etenim certissimus tunc sum, id ita esse; at si roger, vtrùm actus ille essentialiter sit verus, non scio certò: licet enim cum eâ opinione (quàm dixi probabiliorem) iudicem, eum esse accidentaliter verum, & potuisse absolutè esse falsum, non tamen licet mihi de obiecti veritate tunc dubitare, imò, etiamsi essem certus, illum posse esse ex se falsum, non ideò dubitare liceret, vtrùm de facto sit falsus. Ratio à priori est manifesta; nam vt actus hîc & nunc sit verus, sufficit si obiectum hîc & nunc existat prout per actum affirmatur, esto actus ille in aliâ occatione, obiecto non existente, potuerit esse falsus. Hinc dico, posse me dubitare, an habeam actum, qui possit ex se esse falsus; & hoc probat argumentum; non tamen posse me dubitare, an de facto sit falsus: vnde si hæreticus dicat, Verbum incarnatum est, non possum ego Catholicus formidare, an illa propositio seu iudicium illius hæretici de eo obiecto sit verum, & tamen non solùm formidare, sed absolutè possum dicere, illud iudicium ex se posse esse falsum, seu, quod idem est, illud potuisse existere, etiamsi Verbum re ipsâ non fuisset incarnatum; ergo dubitare, an iudicium sit supernaturale, & essentialiter verum, non idem est, ac dubitare de obiecti existentia. Et satis de hac obiectione.

Ratio à priori: vt actus sit verus, satis est si obiectum hic & nunc existat prout affirmatur.

21. Addendum tamen in hac materia, de supernaturalitate actus fidei haberi posse omnem certitudinem, quam de gratiâ diximus suprà, seu de contritione aut attritione; tum quia ad omnem actum supernaturalem necessarius est actus fidei; tum quia facilius est habere fidem prout oportet, quàm actum contritionis; nam ab hoc retardât difficultates in obseruatione præceptorum repertæ, ab illo verò non; tum quia gratia sæpè pendet ex voluntate alterius administrantis Sacramenta: quod non habet fides. Præterea in dignoscendo motiuo intellectus minor est difficultas, quia ibi non admiscetur affectus, qui turbet, sicut in voluntate. Hæc tamen vltima ratio fortè in meis principiis non est valdè efficax; habet tamen suam probabilitatem.

Tanta certitudo haberi potest de actu fidei sicut de gratiâ aut quocumque actu supernaturali.

Denique circa spem eodem modo discurrendum; vnde miror Patrem Vasquez, nullâ planè allatâ ratione, dicere, etiam nos teneri fide diuinâ credere habere nos spem supernaturalem: vbi enim, quæso, id est reuelatum? aut cur magis quàm de attritione vel contritione?

Idem dicendum de spe.

Reiecta ergo eâ fide speciali, constat fidem ad iustificationem necessariam illam esse, quæ circa mysteria reuelata generaliter versatur; iuxta illud Pauli Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Quorum autem mysteriorum in particulari sit necessaria fides expressa, non est huius loci; de eâ dicam Tomo 3.

Fides Catholica (& non specialis illa) necessaria est ad iustificationem.

DISPVTATIO L.

De dispositionibus ad iustificationem ex parte voluntatis requisitis.

EXPLICATA necessitate fidei & certitudinis de illa, agendum de his quæ ex parte voluntatis debent præcedere. 1.

SECTIO I.

Statuitur contra hæreticos Catholica sententia.

OLim statim ab initio Ecclesiæ (vt constat ex Epistolâ Iacobi Apostoli) hæretici nonnulli dixêre, solam fidem sufficere; nixi Pauli maximè testimonio ad Romanos 4. malè intellecto; vnde Augustinus lib. de fide & operibus cap. 14. putat ad hunc locum alluisse Petrum Epistolâ 2. cap. 3. dum ait in Paulo esse aliqua difficilia, quæ aliqui deprauant: putat etiam contra eum errorem scripsisse Ioannem, Petrum & Iacobum: illum tenent ferè omnes hæretici huius temporis, toti in extollendâ fide & operibus attenuandis.

Error hæreticorum, solam fidem sufficere ad salutem affirmantium.

Contra hanc tamen hæresim stat tota ferè Scriptura, Patres & Concilia: in quibus, præter fidem, maximè requiruntur opera. Id constat ex Matth 25. vbi damnantur illi qui opera pietatis neglexerunt; & ex virginibus fatuis, ex iudicio futuro, ex seruo abscondente talenta: idem Matth. 7. Paulus sæpè in suis Epistolis excludit Regno fures, homicidas, raptores, &c. & clariùs 1. ad Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem*, &c. Petrus, Ioannes & Iacobus etiam passim: vt & in veteri Testamento petitur pœnitentia de toto corde in fletu, planctu, &c. Et tandem hæc veritas definita est in Tridentino sess. 6. cap. 6. & can. 9. His posset responderi, opera bona necessaria quidem esse vt seruentur mandata Dei, ne homo peccet; non tamen vt homo iustificetur. Sed contrà, quia Paulus eo loco, *Si habuero fidem*, &c. supponit se fore in peccato, si non habeat charitatem; ergo nisi per hanc non potest quis consequi gratiam. Secundò, ea loca, quæ pro pœnitentiâ petunt dolorem, contritionem, &c. sine dubio agunt de iustificatione. Tertiò, si posteà sunt necessaria ea bona opera, ergo necessarium saltem erit propositum ea faciendi: quod ad voluntatem spectat: ideò Paulus ad Galatas 5. ait, *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur.*

Præter fidem requiri opera ad salutem Scriptura, Patres & Concilia affirmant.

Refutantur responsiones hæreticorum.

Contra hanc veritatem obiiciuntur Primò duo vel tria loca ex Euãgelio, in quibus fides dicitur saluasse hominem; vt Matth. 9. *Videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili remittuntur tibi peccata tua*, & ad Magdalenam Luc. 7. *Fides tua te saluam fecit.* Respondetur, his & similibus probari, fidem saluasse, non tamen solam, sed quæ per charitatem operata est: vt paret in Magdalenâ; de quâ priùs dixit Christus, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: ergo quando addidit, *Fides tua te saluam fecit*, 2.

Obiiciuntur duo aut tria loca ex Euangelio.

Respondetur: Nõ sola fides, sed quæ per charitatem operata est saluat.

Digitized by Google

fecit, solùm denotauit ex fide secutam charitatẽ, quæ vltimò saluam illam fecit:eodem modo intelligendus est locus ille Marci vltimo, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* cæteráque omnia loca, quæ positiuè non excludunt opera: quod dico propter locum Pauli inferiùs explicandum. Explicanda etiam sunt aliqua Patrum loca, quæ fidei salutem tribuunt; quatenus scilicet fides, vtpote fundamentum, requiritur, & ipsa iuuat ad charitatem, aliósque actus ad salutem necessarios habendos.

Explicantur Patrum loca quæ fidei salutẽ tribuũt.

Replica. Replicabis: Aliqua loca Scripturæ promittunt vitam æternam omni credenti, ergo supponunt solam fidem sufficere, alioqui multi credentes nõ haberent vitam, omnes scil. qui non habent opera: id quod est contra vniuersalem promissionem.

Respondetur. Respondetur, promitti vitam credẽti sicut oportet per fidem viuam, quæ per charitatem operetur. Vide Bellarminum lib. 4. de Iustificatione, & Suarez cap. 21. à num. 14.

Obiectio à ratione. A ratione verò obiiciunt hæretici iustificari nos per iustitiam Christi nobis imputatam. Respondeo, hunc esse errorem quodammodò peiorem priore; de quo alibi. Obiiciunt item, iustificari nos gratis. Respondeo inde etiam probari, nec fidem esse necessariam; nam si fidem debemus afferre, ergo non gratis iustificamur. Secundò respondeo absolutè, ideò nos iustificari gratis, quia nihil quod iustificationem præcedit eam meretur; & quia gratiæ auxilium præcedit omnia opera nostra, etiam ipsam fidem.

Responsio Altera obiectio. Responsio Prima. Secunda.

Obiectio Tertia. Responsio. Obiici etiam potest Tertiò, quòd homo nihil boni possit operari, maximè antequam iustificetur. Sed & hoc principium falsissimum esse alibi ostendi; & constat ex Scriptura, vbi peccatores monentur, vt eleemosynis & aliis operibus bonis sua peccata redimant, seu se ad iustitiam præparent.

Sectio II.

Obijciuntur & explicantur testimonia S. Pauli.

3. *Obiectio præcipua hæreticorum desumitur ex S. Paulo.* PRæcipua obiectio contra dicta desumitur ex testimoniis Pauli ad Roman. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* & infrà: *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis.* & 4. cap. *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum:* reddit autem rationem: *Ei qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum: ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundùm propositum gratiæ Dei:* cap. item 11. *Si gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.* & Ephes 2. *Gratiâ estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est; non ex operibus, vt ne quis glorietur.*

Responsio. Respondeo, inter hæc loca aliqua esse quæ difficultate carent, ea scil. quæ agunt de operibus legis; in eis enim ostendit Paulus iam legem euanuisse, & solam fidem Christianam secundùm ea quæ continet vtilem esse: ostendit item opera legis etiam olim ex se non habuisse vim sanctificandi, quia erant purè cæremonialia; per quod tamen non negat fuisse tunc necessariam obseruationem illorum ad non peccandum: talia loca sunt ex Epistolâ ad Galatas, quia in ea totus fuit Apostolus vt retraheret eos à circumcisione & ege, in quam videbantur relapsi. Alia etiam loca sunt, in quibus Apostolus docet nos gratis saluari, ne gloriemur; & in eis manifestè excludit vel meritum proprium seu de condigno ante iustificationem (vt sæpè diximus, & inferiùs ex proposito ostendemus:) vel negat etiam omne omnino meritum etiam congruum: agit autem tunc de iustificatione, eam inchoando à vocatione primâ: vt 2. ad Timotheum 1. *Vocauit nos vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra.*

Solus restat aliquantò difficilior ille ad Romanos 3. & 4. circa quem fusissimè discurrit Pater Suarez toto capite 22. tam vt illum explicet, quàm vt ostendat, quî non opponatur Apostolo Iacobo in suâ Canonicâ docenti primo aspectu contrarium; maximè cùm Paulus dicat Abrahamum non iustificatum ex operibus; Iacobus verò dicat ex operibus iustificatum. Laborant etiam in his duobus locis interpretes omnes & controuersistæ. Breuissimè rem expediam: & Primò suppono, Paulum non agere ibi de solis operibus legis, vt in prioribus aliquibus testimoniis; tum quia agit de Abrahamo; de quo nemo poterat dubitare, an esset iustificatus ex operibus legis; quia tunc lex non erat: tum quia etiam olim in lege veteri fuerunt opera necessaria ad iustificationem, v. g. contritio, amor Dei super omnia: & ad augmentum gratiæ etiam conducebant omnia opera bona: licet autem ea opera non habuissent eam vim ex lege, tamen absolutè eam habebant: Paulus verò excludens etiam pro tempore præcedenti opera legis, videtur omnia absolutè excludere. Ex quo capite testimonium hoc est difficilius prioribus, quæ agunt de tempore post promulgatum Euangelium. Denique, quia ratio, quam Paulus addit, est generalis ad omnia opera, cùm dicat, *Ei qui operatur merces non imputatur secundùm gratiam.* Addo tamen has obiectiones non esse tales, vt non posset absolutè defendi ea explicatio de operibus legis, quam nonnulli tenent; & per quam tolleretur omnis difficultas: nam Paulus ageret de diuersis operibus ab his de quibus Iacobus, & de quibus nos etiam agimus: suppositâ ergo eâ explicatione generali de omnibus operibus, duplex est expositio; & vtraque facilis. Prima, quòd Paulus agat de operibus præcedentibus fidem, sensusque sit: Ante fidem non præcesserunt vlla bona opera, quæ eam fidem mererẽtur, non solùm de condigno, sed neque de congruo; quia antequam per gratiam suam nos Deus vocet ad fidem, nihil potest præcedere, quod vllo modo eam promereatur, vt contra Semipelagianos dictum est. Altera expositio, quòd loquatur de ipsâ infusione iustitiæ & remissione peccati, ideóque eam dicat non esse ex operibus, quia opera non habent condignitatem cum illa remissione, etiamsi sint dispositiones de congruo: nam id quod non datur ob meritum condignum, dicitur communiter dari gratis: sic enim Tridentinum sess. 6. cap. 8, docuit, ideò nos dici iustificari gratis, quia quidquid infusionem gratiæ præcedit non est meritum illius: Iacobus verò loquatur de solo augmento iustitiæ, postquam iam homo est in gratiâ, ideóque eam dicat esse ex operibus, quia hæc illam merentur de condigno.

4. *Difficiliora Pauli loca.*

Breuiter expediuntur.

In veteri lege aliqua opera necessaria erant ad iustificationẽ.

Duplex expositio horum locorũ. Prima dicit Paulũ agere de operibus fidem præcedentibus.

Secunda ait infusionẽ gratiæ & remissionem peccati nõ fieri per opera de condigno illa merentia.

Prima expositio est Augustini lib. 83. quæstionum, q. 76. sic concilians eas duas diuersas sententias Apostolorum; idem habet lib. de Fide & operibus ca. 14. est tamen contra illam non leuis obiectio, quia Paulus videtur agere etiam de

Prima expositio est Augustini.

Digitized by Google

secundâ iustificatione, seu de augmento gratiæ; adducit enim in probationem fidem Abrahami Genesis 15. tunc autem iam erat iustus. Respondeo, omnino certum esse, Paulum ibi egisse de primâ iustificatione, quia adducit in confirmationem locum Psalmi 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates:* id quod solùm habet locum in prima iustificatione. Ad rationem oppositam respondetur.

Certum est Paulum ibi egisse de primâ iustificatione. Ad rationem oppositam respondetur.

Homo habens gratiam potest habere opera quæ non sunt à fide.

Primò, Paulum in citato exemplo Abrahami argumentatum fuisse quasi à fortiori; ac si dixisset, *Non fuit iustificatus Abrahamus quoad augmentum gratiæ per opera independentia à fide, multò ergo minus fuit primò iustificatus per opera non dependentia à fide.* Pro quo aduerte, etiam postquam homo habet gratiam, posse habere opera, quæ non sint à fide; ergo de his Paulus loquitur, dum negat Abrahamum iustificatum fuisse ob opera: iuxta quam solutionem debet illa prior Augustini expositio non solùm intelligi de operibus, quæ antecedunt tempore totam iustificationem, sed de omnibus, siue antecedant tempore, siue sequantur, ita tamen vt à fide non procedant, sed quasi per accidens materialiter eam supponant in homine. Et ita hanc expositionem tenet fusè Vaquez disp. 210. cap. 8. vbi pro eâ multos refert auctores: eam etiam Suarez defendit, licet aliquam dicat adhibendam moderationem, quam tamen in ipso non inuenio: nam licet dicat Paulum loqui de totâ iustificatione, Iacobum verò de iustificatione, prout rigorosè accipitur pro infusione primæ gratiæ, aut certè pro augmento, quod videtur à Vasquez & alijs negatum, re tamen ipsâ idem dicunt: nam Iacobus in tantum (iuxta Suarez) agit non de vocatione primâ ad fidem, in quantum agit de operibus iam procedentibus à fide; at id ipsum Vasquez & alij dicunt, dum docent Paulum agere de operibus independentibus, Iacobum verò de dependentibus à fide: non est ergo vlla limitatio, sed fortè maior explicatio eius expositionis.

6.

Iuxta hanc expositionem, tres quæstiones, quas vt diuersas mouet Suarez, in vnam coincidunt.

Hinc infero, iuxta hanc expositionem, coincidere planè in vnum tres quæstiones, quas vt diuersas mouet Suarez fusè circa tria verba eorum locorum, *iustificatio*, *opera*, & *τὸ ex*; nam cùm Iacobus loquatur de opere procedente à fide, Paulus de non procedente, eo ipso Iacobus debet comparare ea opera vt meritoria non cum fide, quia eam iam supponunt, sed cum reliquis quæ sequuntur cum infusione gratiæ & augmento illius; Paulus verò debet eadem opera comparare cum totâ iustificatione: vnde vlteriùs etiam fit vt *τὸ ex* abstrahat in vtroque à merito congruo & condigno, & Paulus omne neget, quia opera ante fidem nullo modo merentur, nec de congruo, fidem, Iacobus verò vtrumque admittat iuxta subiecti capacitatem; si opera sint ex fide ante rigorosam iustificationem, solùm meritum congrui; si sint in ordine ad augmentum gratiæ, etiam meritum condigni. Ecce huius expositionis totam substantiam clarè & breuiter expeditam.

7.

Secundam expositionem grauissimi tenent auctores.

Secundam expositionem, quòd Paulus loquatur de remissione peccati, & neget solùm meritum condigni, Iacobus verò de solo augmento gratiæ, & concedat meritum condigni, tenent etiam grauissimi auctores; vt Vega lib. 10. in Trident. cap. 8. Bellarminus lib. 4. de Iustificatione cap. 18. & multi alij, quos Suarez & Bellarminus referunt: videnturque esse valdè conformis his quæ paulò antè, dum eam primò insinuauimus, diximus ex Tridentino: ex quo vlteriùs confirmatur; nam dum agit de merito augmenti gratiæ eâ sess. 6. cap. 10. adducit in confirmationem hoc testimonium Iacobi; ergo sentit Iacobum de solo augmento agere: & historiæ de Abrahamo, quas adducit, idem suadere videntur; nam in eis iam Abrahamus supponebatur iustificatus. Posset ad has confirmationes responderi, intentum Iacobi fuisse ostendere, opera esse necessaria simul cum fide tam ad augendam gratiam, quàm ad primò recipiendam: pro quo intento sufficit illi adducere exempla ex augmento; neque ideò sequitur ad solum illud restrictam fuisse doctrinam generalem illius. Et idem dici potest ad Tridentinum, scilicet, eò quòd in confirmationem vnius veritatis adduxerit illud testimonium, non propterea negare, posse intelligi de aliâ.

Confirmatur ex Tridentino.

Contra hanc expositionem duæ difficultates. Prima desumpta ab exemplo Rahab meretricis.

Contra hanc expositionem duæ sunt difficultates. Prima, quòd exemplum Rahab meretricis, quo vtitur Iacobus, probat illum loqui de primâ iustificatione; quia Rahab recipiendo exploratores primò iustificata est. Huic tamen facilè responderi potest, eam non tunc primò iustificatam, sed ante aduentum exploratorum, auditis mirabilibus à Deo patratis, ipsam concepisse fidem, timorem & amorem Dei; vnde ipsa, quando agit cum exploratoribus, semper loquitur de præterito, ostendens se timuisse Deum, &c.

8.

Secunda difficultas ex loco Pauli.

Secunda, & grauior, obiectio est, quia Paulus vult eo loco excludere omnem gloriationem hominis erga propriam iustificationem; vt illa verba denotant, *Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*; ergo excludit etiam opera meritoria de congruo; nam & hæc habent aliquam apud Deum gloriam. Et sanè (vt dictum est contra Semipelagianos) gratia Dei non potest annecti operi hominis etiam tamquam merito congruo, alioquin cessaret totum fundamentum ex Paulo ad impugnandos eos Semipelagianos, qui dicunt opera nostra esse de congruo meritoria fidei. Ob hanc vltimam rationem minùs approbo hanc secundam expositionem, quam P. Vasquez dicit improbabilem; nimia tamen est ea censura: nam cùm Concilium Tridentinum dicat, ideò nos iustificari gratis, quia fides & ea quæ præcedunt iustificationem non sunt meritoria gratiæ, vtique de condigno, satis insinuat, vt homo non glorietur simpliciter; & vt gratis iustificemur, sufficere, excludere meritum de condigno. Vnde autem Semipelagiani sint reijciendi superiùs diximus suo loco. Et satis contra inanem hæreticorum fidem.

Secunda expositio minùs placet.

SECTIO III.

Declaratur in particulari, qui actus voluntatis sint ad iustificationem necessarij.

9.

Tridentinum enumerat actus voluntatis concurrentes ad iustificationem.

RESTAT nunc breuiter declarare, qui actus voluntatis in particulari ad iustificationem concurrant: eos annumerauit Tridentinum eâ sess. 6. cap. 5. vbi post fidem & voluntatem credendi, quæ ad fidem præsupponitur (de quâ fusiùs Deo dante Tomo sequenti) ponit timorem Dei, spem in Deum, amorem Dei, odium peccati, propositum nouæ vitæ, & propositum Baptismi seu pœnitentiæ in baptizatis. Priùs agemus de spe,

SVB

Digitized by Google

Subsectio I.

De spe: vbi discutitur sententia Patris Vasquez.

Spes duplex.

OBseruo, spem hanc duplicem posse intelligi in præsenti: vnam, quæ sit Theologica, & versetur circa beatitudinem; alteram, quæ sit immediatè de veniâ obtinendâ à Deo: quæ vt sic ex suo obiecto formali immediato, etiamsi à Deo veniam speret, non est Theologica; quia ad rationem Theologicæ (vt ostendi in materiâ de spe) non sufficit sperare aliquid à Deo, nisi etiam Deum ipsum vt obiectum formale speret: vtramquè ergo spem dicimus in præsenti esse necessariam ad iustificationem, & quidem indefinitiuè: de spe multa sunt loca Scripturæ quæ id persuadent; vt ad Romanos 8. *Spe salui facti sumus*; & Psalmo 90. *Quoniam in me speranit, liberabo eum*; & alibi passim. Ratio huius desumitur ex verbis Ambrosij lib. 1. de Pœnitentiâ cap. 1. *Nemo potest agere pœnitentiam, nisi qui speranit indulgentiam.* Vt enim nemo adhibet media nisi pro fine, quem putat possibilem; ita nemo cogitat de veniâ, nisi eam speret præterèà cùm eam remissionem homo ordinet ad consequendam salutem, debet etiam sperare salutem seu visionem beatam vt possibilem; quòd autem non debeat ea spes esse omnino certa, ita vt homo credat infallibiliter sibi dimissa esse peccata, aut certè dimittenda, constat ex dictis suprà contra hæreticos de incertitudine salutis. Dixi absolutè, quia quòd obtinebit eam salutem, si fecerit quæ Deus præscribit, est de fide ex promissionibus generalibus Dei; quòd verò ipse homo absolutè sit ea facturus, non potest ex fide, illâ generali deduci, neque ordinariè loquendo, ex vllâ alia particulari.

Vtraque est necessaria ad salutem.

Ratio.

Singularis sententia P. Vasquez.

P. Vasquez disp. 210. cap. 4. & 5. singularem in hoc puncto sententiam tenet; nam præter hanc fidem certam, Catholicam, conditionalem, vt diximus, ponit aliam particularem, quâ quis absolutè credit Deum sibi daturum auxilium efficax ad conuersionem, & consequenter credit se iustificandum; vnde id firmissimè & absolutè sperat non ex testimonio primæ veritatis, sed ex peculiari auxilio & motione gratiæ per Christum. Nam si homo existimaret Deum sibi negaturum auxilium efficax ad salutem, omnis ad iustificationem progressus & dispositio impediretur. Hanc sententiam acriter reijcit cap. 18. P. Suarez. Primò, quia, vt quilibet in particulari speret, sufficit fides generalis applicata cuilibet in particulari; etenim illa dicit, *Deus omnibus aderit, si per ipsos non steterit*; in quâ propositione includitur, *Et mihi aderit, si per me non steterit*: hoc autem satis est ad sperandum. Neque est aliqua lex specialis à Deo lata, in quâ maior fides requiratur; neque propter fiduciam secutam requiritur maior certitudo, quia illa fiducia debet esse sicut ipsa spes, quòd scilicet aderit sibi Deus, si per ipsum hominem non steterit. Hoc argumentû, ob dicenda paulò pòst, mihi non placet.

10. *Reijcitur à Suario Primò. Cuilibet in particulari vt speret sufficit fides generalis illi applicata.*

Secundò reijcitur.

Meliùs Secundò reijcitur, quia nullus ordinariè habet promissionem aut reuelationem sibi absolutè factam; ergo non est vnde habere possit eum firmum assensum: sicut enim assensus, quo se iustificatum credit ex aliquibus signis, patitur formidinem, à fortiori eam patietur ille quo se iustificandum putat: imò si ante iustificationis tempus habet assensum firmum de futurâ iustificatione, profectò aduenientè ipso tempore debebit habere certum assensum, quod sit iustificatus; hoc autem planè absurdum est. Sequela probatur, quia ille assensus certus de futuro nihil habuit, quo de præsenti redderetur dubius: quod sic vrgeo, Si accedente tempore de præsenti est dubius in omnibus iustis, ergo de futuro debuit esse dubius. Patet consequentia manifestè, quia non potest propositio de futuro certa esse, si sciam aduenientè tempore per illam importato futuram esse de præsenti dubiam. V. g. hodie ego scio cras me dubitaturum de præsenti, *vtrum iustificer*: certè eo ipso non possum hodie dicere de futuro, *Cras certò iustificabor.* Quod argumentum clarissimum mihi videtur, quia omnis propositio de futuro vera debet suo modo accedente tempore verificari de præsenti.

11. *Vrgetur argumentum.*

Argumentor vlteriùs, Iudicium, illud, esto certum sit, planè improbabiliter dicitur esse fidei: etenim actus fidei quà talis nititur dicto vel Dei, vel hominis, alioquin non erit fides: atqui (vt fatetur ipse Vasquez) tunc non nitor dicto Dei; nam quoad absolutam futuritionem nullum dictum tale est: neque etiam nitor dicto alterius hominis, vt per se constat; quâ ergo ratione dicitur fides? Tertiò; nam ad absolutum illud iudicium duæ debent assumi minores, de quibus nullam certitudinem habere possumus: vna est, *Ego durabo vsque ad illud tempus*; non potest autem Vasquez aut vllus alius dicere, me posse certò de fide credere, victurum me vsquedum perficiam iustificationem: & id verum est, etiamsi ea dispositio incipiat ictu oculi ante tempus iustificationis. Alia minor subsumenda est, *Deus dabit mihi auxilium efficax*: de quâ etiam nullam habeo certitudinem.

Notandum circa argumentum Suarij contra Vasquez.

Obseruo autem circa argumentum primum Patris Suarij contra Vasquez, & circa hanc minorem immediatè positam, minùs benè dici ad eâ applicari generales promissiones à Deo factas: non enim video vbi sint promissiones generales de cõcedendo auxilio efficaci omnibus, nec quidẽ sub cõditione illâ, *Si per homines non steterit*, quia auxilium efficax cùm præcedat opus, & è contrario eius negatio præcedat omnem operationẽ hominis, malè dicitur, *Deus dabit auxilium efficax, si per hominem non steterit*: ergo de hac donatione nulla facta est, nec quidẽ generalis promissio; ergo nõ habeo vnde mihi eam applicem.

12. *Argumentũ præcedens magis declaratur.*

Quartò argumentor, seu declaro magis procedens argumentum contra Vasquez, quia rogo, an omnes qui habent eam fidem, & per eam incipiunt disponi ad iustificationem, accipiant illud auxilium efficax, an non: si omnes, ergo illi fidei annexa est certò iustificatio, etiam antequam coniungatur cum amore Dei super omnia, aut cum actuali Sacramento: hoc autem dicere esset ferè hæreticum; ergo dicendum est, multos eo modo credentes non habere deinceps auxilium efficax: ergo nemo poterit de se dicere certò & infallibiliter, *Ego ero ex numero illorum qui habebunt*: semper enim meritò poterit timere, ne potiùs sit de aliorum numero. Quæ argumenta adeò sunt clara, & vel obiter rem consideranti obuia, vt planè mirer Patrem Vasquez in eam sententiam iuisse.

Iudicium illud de gratiâ efficaci adfuturâ tantùm esse probabile ex coniecturis varijs desumptum; & hoc sufficere vt homo habeat fiduciam, & conetur in salutem: quòd verò

Dicendum ergo, Iudicium illud de gratiâ efficaci adfuturâ tantùm esse probabile ex coniecturis varijs desumptum; & hoc sufficere vt homo habeat fiduciam, & conetur in salutem: quòd

Digitized by Google

verò dicebatur, si quis existimaret sibi à Deo non dandum auxilium efficax, non posse conari in salutem, admitti posset, neque inde quidquam contra nos: aliud enim est iudicare, *Non dabit*, aliud iudicare, *Certò dabit*, aliud, *Probabiliter dabit*. Duo illa priora iudicia excludo, tertium solùm admitto; quo posito nego impediendum conatum salutis: in negotijs enim & prætensionibus humanis, vt quis aliquid petat & speret à Rege, non est necessum ipsum formare tale iudicium, *Rex certò & infallibiliter mihi concedet quod ab eo petiero*; sufficit enim si probabiliter putet id facturum: ergo neque vt à Deo salutem expectemus, & vt eam procuremus, necessum est habere tale iudicium certum; imò addidetim, illud potiùs ad ignauiam quàm ad sollicitudinem inducere: nam qui certus est se aliquid obtenturum, non est de eâ re sollicitus. Constet ergo sufficere certitudinem de promissionibus vniuersalibus cum probabilitate, quòd ipse sit eas participaturus, & id solum petere actum Dei.

Sufficit iudicium affirmans, Deus probabiliter dabit gratiam efficacem.

An actus spei sit simpliciter necessarius ad iustificationem. Suarez sententia.

Circa quem actum rursus inquiri potest, an simpliciter sit necessarius ad iustificationem. P. Suarez cap. 19. nixus testimonio Tridentini, docet, Primò in peccatore fideli, & qui non desperauit priùs, non esse necessarium, per se loquendo, actum spei, secùs in infideli, vel in eo qui per desperationem amisit habitum spei: rationem adducit, quòd actus spei sit necessarium medium ad habendum habitum spei; ergo debet necessariò præmitti talis actus, quando in subiecto non supponitur habitus: addit tamen, si Deus extraordinario modo aliquem immediatè moueret ad contritionem sine præuio actu spei, eo ipso iustificandum, de facto tamen non vocari homines communiter eo modo.

13. *Iudicium auctoris. actus spei non est medium necessarium ad habitum recipiendum.*

IVDICO PRIMÒ Patrem Suarez eam propositionem, quòd actus spei sit medium ad habitum spei, sine fundamento sufficienti asserere: etenim cùm iustificatio formaliter non fiat per ipsos habitus, sed per gratiam, quæ est illorum radix; hæc autem æquè petat habitus alios supernaturales morales, ac fidem & spem, non video vllam rationem probabilem, cur potiùs ad recipiendum habitum spei mediante gratiâ sit medium necessarium actus spei formalis, quam ad recipiendum habitum castitatis debeat etiam esse medium actus castitatis, &, quòd grauius est, quàm ad recipiendum habitum charitatis, qui præcipuus est, sit medium necessarium actus charitatis super omnia: constat autem sine tali actu per attritionem, quæ ab illo non oritur, posse obtineri iustificationem; ergo illud principium de medio necessario ad habitum non habet vllam probabilitatem.

Distinctio inter fidelem desperantem & infidelem est sine fundamento.

SECVNDÒ hinc DICO, totam illam distinctionem de peccatore fideli despetãte aut infideli esse etiam sine fundamento; nam necessitas actus spei solùm potest fundari in auctoritate Tridentini, & ratione, quam adduxi ex Ambrosio; quòd scilicet nemo moueatur ad procurandam veniam, nisi eam censeat posse obtineri: atqui tota quanta Concilij auctoritas agit de peccatore, etiam de peccatore post Baptismum: insuper ea ratio eodem modo probat de peccatore fideli, ac infideli, quia etiam vterque debet moueri spe veniæ, si eam procurat, ergo.

TERTIÒ DICO, ab ipso consequenter quidem ad principium positum, non tamen benè, absolutè doceri, si in infideli peccatore priùs tempore præcesserit actus spei, quantumuis diu ante iustificationem, sufficere illum actum, nec necessarium esse postea circa ipsum tempus iustificationis alium actum spei elicere. Dico *consequenter*, quia iam per illum actum supponit esse obtentum habitum spei, pro quo requirit Suarez actum. Dico *minùs benè*, quia Tridentinum illum actum requirit vt influat in ipsam iustificationem per modum dispositionis; hoc autẽ habere non potest, nisi in ipso tẽpore exstat, vt aliquo modo disponat voluntatem ad vlteriores actus.

Tridentinum actum spei requirit ad iustificationẽ per modum dispositionis.

DICO QVARTÒ: Si ille actus requiritur vt medium ad iustificationem, minùs consequenter docetur, casu quo quis extraordinario modo disponeretur ad contritionem, immediatè fore iustificandum; per hoc enim, quòd Deus illum excitaret, non dispensaret in necessitate spei, ergo non posset tunc ea contritio esse sufficiens: id quod videtur absurdum.

14. *Moraliter & ordinariè necessarius est actus spei ad iustificationem.*

Probabilius ergo absolutè dico, moraliter & ordinario modo necessarium esse eum actum spei, ob rationem ex Ambrosio allatam; quia homines ex statu peccati non incipiunt statim moueri ad summa immediatè, sed per inferiora; ergo non mouentur immediatè ad summum affectum dilectionis Dei super omnia, sed gradatim eo amore, qui magis est intrinsecus ipsi homini, nempe spe veniæ & salutis; denique amore in ipsum Deum, vt vult ibi Concilium: addo tamen, per hoc non negari, quin possit esse, & verò aliquando etiam contingat, vt ex singulari Dei illustratione homo ita primò de bonitate Dei & grauitate peccati illuminetur per fidei actus, vt immediatè, non prorumpendo in actum spei, eliciat detestationem efficacem peccati & amorem Dei super omnia, quâ iustificetur. Quæ est sententia Vegæ lib. 6. in Trident. cap. 27. Petri & Dominici Soti; illius lectione 10. de pœnitentiâ, huius verò lib. 2. de Naturâ & gratiâ cap. 13. & in 4. dist. 14. q. 2. art. 5. Valentiæ Tomo 2. disp. 8. q. 5. punct. 4.

Singulari Dei illustratione aliquando sine actu spei contingit hominem iustificari.

Ad rationem ex Ambrosio, quatenus huic limitationi aduersari videtur, dicimus, ea quidem probari, ordinariè requiri eam spem, quia homo operatur ex desiderio remissionis, ad quod oportet præcedere iudicium de probabili futuritione talis obiecti; negamus tamen semper esse necessarium operari ex eo desiderio, sed immediatè posse hominem nec cogitando, an sit possibilis venia, dolere, quòd infinitam bonitatem offenderit, & proponere se nolle ampliùs grauiter peccare: qui dolor in actu exercito est remissionis causa etiamsi homo de eâ non cogitaret; & quidem quoad beatitudinis spem res est clarior; nam si Deus non eleuasset hominem ad videndum Deum, sed, solùm ad statum gratiæ habitualis, aut ad auxilia pro solâ remissione mortalis, procul dubio posset quis habere tunc actum contritionis sine spe beatitudinis: ergo contritio ex se eum actum non petit, imò, etiam quando homo scit, *Per hunc actum amoris potero obtinere beatitudinem*, non tamen est necessum vt operetur amore illius; sed dicere poterit, *Non doleo ob spem beatitudinis, sed purè ob tuam bonitatem.*

Ad rationem Ambrosij responsio.

Actus contritionis secundùm se actum spei nõ petit.

Dices: Debet homo proponere suscipere Baptismum, ergo debet habere spem, quod per illum remittentur peccata. Respondeo Primò non esse necessum, per se loquendo, vt de eo Baptismo cogitet. Secundò, esto cogitet, & credat se obtenturum veniam, non esse necessum, vt voluntas operetur ex eo motiuo: aliud enim est id credere, aliud, propter illud operari.

Obiectio.

Responsio.

SVB

Digitized by Google

Subsectio II.

De alijs actibus disponentibus ad iustificationem.

15. *De timore quò dispositio est ad iustificationem.*

Secundo loco ponitur timor, qui annexus est actui spei: de eo aliquid breuiter dicendum: & quidem timere pœnas esse actum honestum, ostendi Tomo 3. agens de timore & alijs affectibus voluntatis; nihil ergo eâ de re contra hæreticos mentientes, eum actum esse peccaminosum: quid autem sit timere Deum, & quid timere pœnas, ibidem ostendi, hoc posito.

Prodest valdè ad iustificationem.

Conclvsio Catholica est, timorem Domini multum prodesse ad iustificationem, imò ordinariè esse necessarium ob eamdem rationem, quam pro spe attulimus; quia timor pœnarum est quasi prima dispositio ex parte voluntatis: vnde Augustinus de Catechizandis rudibus cap. 5. dixit: *Rarissimè accidit, imò fere numquam, vt quisquam veniæ volens fieri Christianus, qui non sit aliquo modo Dei timore correptus*: & Gregorius homiliâ 34. in Euangelia, *Prava mens, si non prius per timorem auertitur, ab assuetis vitijs non emendatur*; addendum tamen (quod de spe paulò antè diximus) non esse illum omnino necessarium: potest enim Deus immediatè hominem excitare ad generosiorem actum, maximè peccatores fideles, qui per fidem magis formem radicatam habent cognitionem de Dei bonitate & beatitudinis magnitudine, ideoque faciliùs in spem vel in dilectionem moueri possunt: habet etiam id locum in infidelibus, licet Augustinus videatur id negare verbis citatis; quibus tamen præcipuè intendit, rarissimè id contingere: quòd verò hic actus non sufficiat extra Sacramentum aliunde suppono.

Non est tamen omnino necessarius ad iustificationem.

16. *De amore Dei vt dispositio est Vasquez putat solùm Concilium requirere amorem imperfectum. Ad iustificationem extra Sacramentum requiritur perfectus, in Sacramento imperfectus sufficit. Ad rationes in contrarium respondetur. Ad Primam.*

Tertius actus, quem Concilium ponit, est dilectio Dei: Vasquez putat intelligi dilectionem imperfectam, quia dicit, *diligere incipiunt*; ergo nõ agit de perfectâ & vltimâ dilectione. Secundò, quia ea dilectio versatur circa Deum, vt fontem omnis iustitiæ: quod pertinet ad dilectionem concupiscentiæ. Tertiò, quia Tridentinum non addidit particulam *super omnia*. Nihilominùs tamen dicendum est, quod suprà fusè probauimus, ibi abstractè à Concilio intelligi dilectionem cum distributione accommodâ; dilectionem super omnia, si iustificatio fiat extra Sacramentum, imperfectam verò si fiat intra Sacramẽtum. Ad rationes in contrarium facilè respondetur. Ad Primam dicimus τὸ *incipere* non intelligi in ordine ad maiorem vel minorem dilectionem, sed in ordine ad transitum à non diligente ad diligentem; nam si anteà non amaui, certè cùm primùm amo, etiamsi intensissimè amẽ, verè incipio amare. Ad Secundam dicimus, etiã Deum vt fontem pietatis posse terminare amorem super omnia; quia esse fontem pietatis est in Deo ipso & (vt sic dicam) pro ipso Deo maxima perfectio; ergo potest amari amore in ipso sistente. Imò communiter docetur, Deum non amari amore supernaturali super omnia, nisi ametur vt Auctor supernaturalis: vbi est eadem difficultas, quæ de fonte pietatis: nam Auctor supernaturalis vt talis ordinatur ad bonum nostrum. Ad Tertiam dicimus, meritò non positam particulam *super omnia*; quia loquitur Concilium abstrahendo à perfecto & imperfecto amore, vt à nobis explicatum est; vnde superiùs ostendimus, Concilium docere, etiam dilectionem perfectam esse dispositionem ad iustificationem extra Sacramentum.

Secundam.

Tertiam.

Quale odium ad iustificationem exigit Concilium. Vasquez ait sufficere odium attritionis.

Hinc deciditur altera quæstio cum eodem Vasquez, an odium illud, seu detestatio, quam Tridentinum quarto loco ponit, sit odium perfectæ contritionis, an attritionis. Vasquez consequenter dicit, esse solam attritionem, quia τὸ *aliquod* est particula diminuens: & propterea agit Concilium de odio, quod oportet habere ante Baptismum: atqui ante Baptismum sola attritio est necessaria, ergo. Nihilominùs nos consequenter sicut dicimus dilectionem abstrahere à perfectâ & imperfectâ, ita idem dicimus de odio, intelligi scilicet abstractè, vel de odio attritionis cum Sacramento, vel de odio contritionis extra Sacramentum: & quidem id probo retorquendo ipsum auctoris huius argumentum: Concilium agit de eo dolore qui debet præmitti; atqui attritio determinatè non est necessum vt præmittatur, alioquin, etiamsi quis haberet contritionem, non esset sufficienter dispositus, si simul non haberet attritionem; quod est ferè hæreticum; ergo non imperfectam determinatè, sed vel hanc vel illam intellexit, cum eâ distributione accommodâ superiùs insinuatâ. Quod rursus vrgeo; nam Concilium vtitur ibi in confirmationem eo dolore, quem in veteri Testamento habuêre qui gratiam remissionis obtinuêre; ille autem debuit esse omnino perfectus, quia tunc non erat Sacramentum supplens illius defectum, & cum solâ attritione causans gratiam; ergo Cõcilium etiam perfectum dolorem ibi comprehendit saltem disiunctiuè. Verbum autem *aliquod* non vrget; dicimus enim propterea positum, quia nec attritionem nec contritionem determinatè requisiuit, sed vnam ex illis vagè: id quod sufficit, vt de qualibet, quando reperitur, dici queat, quòd sit dispositio ad gratiam. Et ita explicuerunt hunc locum Bellarminus lib. 7. de Iustificatione cap. 13. & Vega lib. 13. cap. 17. quos Suarez suprà sequitur. Maior est aliunde difficultas circa hos actus, an ambo simul sint necessarij, an verò quilibet sufficiat. Hanc quæstionem tetigi in materiâ de pœnitentiâ, vbi cum communi docui, quemlibet ex illis per se esse ad salutem sufficientem, quia continet alterum virtualiter; nam amor Dei super omnia procul dubio continet virtute detestationem peccatorum Deo contrariorum. Item actus detestationis, ob Dei infinitam bonitatem, etiam in se continet amorem Dei, qui est motiuum formale eius actus. Dixi enim eo loci, propositâ per intellectum infinitâ Dei bonitate in se, item propositâ malitiâ peccati grauiter Deum offendentis, posse voluntatem tripliciter prodire in actum; Primò, purè amando Deum super omnia; Secundò, simul cum eiusmodi amore habendo detestationem expressam peccati; Tertiò, efficiendo vnum actum, qui esset simul amor eius obiecti formalis & detestatio expressa peccati: ostendi enim, etiamsi finis frequenter primò ametur, secundò verò media, voluntatem tamen posse simul vno actu indiuisibili prodire amando finem & media conducentia ad illum: addidique, quemlibet ex illis tribus actibus verè esse sufficientem ad iustificationem, quia quilibet est verè amor Dei super omnia.

17. *Odium attritionis in Sacramento, extra verò odium contritionis requiritur. Probatur huius auctoris argumentum retorquendo.*

Concilium nec contritionem nec attritionem determinatè exigit.

Quilibet ex his actibus per se sufficiens est ad salutem.

Propositâ malitiâ mortalis tripliciter voluntas potest prodire in actum.

Rogabis, an etiam possit esse actus, qui solùm sit odium peccati, quà malum est contra infinitum Deum, qui tamen non amet expresse Deum; & an talis sufficiat ad iustificationem. Respondeo, mihi esse valdè probabile, talem

18. *An dari possit & ad iustificationem sufficere actus, qui sit odium peccati vt Deo malum est, & non sit amor Dei expressus.*

Digitized by Google

Talis actus probabiliter repugnat. Apprehendens peccatum sibi moraliter malum, quia cõtra Deum illud odio habere potest ex virtute pœnitentia. Lorcæ doctrina.

actum repugnare: non enim videtur quis posse odisse malum alterius quà tale, nisi amando illũ; nam alioquin malum alterius potest amari, si alterũ odio habeo: vt patet in odio inimici, ex quo determinor ad amandum malum illius quà tale; ergo è contrario, vt fugiam seu odio habeam illud malum quà alterius malũ, debeo amare personam cui est malum. Addo tamen, si sistatur præcisè in eâ malitiâ, & *tò quòd sit cõtra alterum*, tantùm se habeat vt ratio, ob quam peccatum apprehendatur in se malum, ac si dicerem, *Hic actus est mihi malus moraliter, quia est contra Deum*, posse tunc odio haberi per virtutem pœnitentiæ, quæ non est charitas, vt suo loco ostendi; nam esto alterum odio habeam, possum nolle illum offendere; quia offendere illum est malum in se, seu mihi est malum. Ex quo capite veram censeo doctrinam Lorcæ apud P. Suarez nu. 14. non admittentis actum odij peccati, qui solùm sit implicita dilectio Dei; licet simul addat, non posse nos ab odio incipere: in quo vltimo illi non acquiesco, quia iam ostendi, ab odio, quod simul sit amor obiecti formalis, bene posse inchoate volũtatem: non approbo etiam exaggerationes contra sententiam ponentem tale purum odium, quod ex charitate procedat: quas optimè reiicit ibi P. Suarez; qui cùm benè n. 13. fateatur, illud odium debere habere respectum ad Deum per modum amoris seu complacentiæ, negat tamen illud esse verum amorem. sed hoc ad quæstionẽ de nomine spectat. Fortè Lorca non aliud negat odiũ, quàm quòd non complaceat propriè in Deo, & consequenter, quòd non habeat aliquam rationem amoris Dei.

19. *Propositũ non peccandi de cætero in attritione & contritione includitur: non requiritur ad iustificationem actus distinctus quo id ametur. Præter hos actus nullus alius requiritur. tò pœnitere sicut oportet est aggregatum ex tribus.*

Quintus, seu (alio ordine) Sextus actus, est propositum non peccandi de cætero: qui in attritione & contritione virtualiter includitur: vnde non est necessarius actus distinctus ad iustificationem, quo expresè id ametur, licet in homine attendẽte ad tempus futurum & dolente seriò de peccatis vix sit mortale, vt non detur expresè propositum de cætero non committendi. Sed de hoc fusiùs in materiâ de pœnitentia.

Pro complemento quæri potest, an præter hos actus alij requirantur. P. Suarez dicit præter credere, sperare, diligere & pœnitere sicut oportet nullum alium requiri. Ego tamen *tò pœnitere sicut oportet* non iudico esse quartum, sed aggregatum ex illis tribus, credere, sperare & diligere sicut oportet; quia, vt diximus, in ipso diligere est detestatio &, propositum virtuale sufficiens, potest tamen dici ordinariè esse actum etiam nouum, & sic eos quatuor sufficere modo superiùs dicto. Quando verò accedit Sacramentum, non est per se necessaria dilectio propria Dei ad charitatem spectans, distinctáque à spe aut timore.

SECTIO IV.

Quem ordinem debeant hi actus seruare cum iustificatione.

20. *Duplex ordo actuũ in iustificatione, temporis & naturæ.*

DVplex ordo potest in his actibus concipi; vnus temporis, alter naturæ: & de vtroque locum habet præsens quæstio.

SVBSECTIO I.

Quid de ordine temporis inter dispositiones ad gratiam.

Actus quà dispositiones sunt, si simul sint, ad gratiã & remissionẽ peccati mortalis non exigunt.

CIrca ordinem temporis DICO PRIMÒ; Actus illi quatenus dispositiones sunt ad gratiam & remissionem peccati, non exigunt vllã moram temporis, sed, si simul habeantur omnes, includo etiam vltimam dispositionẽ, eo ipso momento infundetur gratia, & remittetur peccatum: nam etsi aliqui, vt Michaël Baius, contrarium asseruerint, tamen ea sententia ab omnibus reiecta est. Et quidem in Philosophiâ communis & certa sententia docet, eo ipso instanti, quo datur vltima dispositio ad formam, dari formam, quia non est quod amplius exspectetur; idem autem est in Theologiâ: vnde sicut è contrario, dato peccato, quod est (vt sic dicam) vltima dispositio ad gratiæ expulsionem, hæc eodem instanti expellitur; ita datâ vltimâ dispositione ad gratiam & peccati expulsionem, gratia eodem instanti introducitur, & peccatum remittitur.

Tarditas nostrarũ potentiarũ ordinariè in operãdo aliquam successionem temporis parit.

SECVNDÒ DICO, ordinariè loquendo, ob tarditatem nostrarum potentiarum in operando esse aliquam successionem temporis, & priùs fieri eos actus minùs perfectos, deinde vltimam dispositionem: quod maximè verum est, quando per Sacramenta obtinetur remissio, quia tunc & ipsum Sacramentum est successiuum, & dispositio ac voluntas illud recipiendi ac petendi ab administrante procul dubio requirunt satis longã morem temporis: & hinc vno verbo respondetur quæstioni, quam D. Thom. q. 113. tractat, vtrùm iustificatio fiat in instanti; dicimus enim, quoad omnes actus, quos solet secum habere, non fieri, ob rationem datam: quòd si Deus hominem specialiter ad eos habendos in instanti eleuaret, fieri posset in instanti. Quoad vltimam verò dispositionem non est vlla difficultas; eodem enim instanti, quo illa est, infunditur etiam gratia.

12. *An gratia in cẽpere an instãti incipiat.*

Posset autem hac occasione quæri, vtrùm gratia incipiat in tempore, an verò in instanti; & vtrùm immediato instanti post peccatum possit homo recipere gratiam, an è contrario necessum sit aliquam moralem in peccato manere. P. Suar. suprà cap. 23. num. 9. censet dicendum, omnino posse gratiam in instanti immediato post peccatum infundi, quia censet absurdissimum esse dicere, hominem vltra vnum instans cogi ad manendum in peccato; neque negandum esse ei potentiam statim resipiscendi. Verùm ego rem hãc fusè discussi Tom. 3. & ostendi nos in viâ, ob sensuum tarditatem, numquam elicere actus, qui non magis durent quàm per instans. Obiter autem obseruo ex hac P. Suarez doctrinâ manifestè sequi, tempus solùm componi ex puris instantibus sibi immediatis; cuius contrarium ille cum Aristotele supponit: sequela verò patet, quia peccatum potest vno solo instanti durare, & loco illius immediatè succedere actus liber bonus; hic autem, iuxta huius auctoris principia, potest vno solo instanti durare, & rursus aliud peccatum succedere. Vides ibi sola instantia sibi immediatè succedentia Ergo in præsenti dico, si gratia incipiat in instanti, peccatum debere desinere per primum sui non esse, ideóque necessariò debuisse durare diutiùs quàm per instans. Quæ ratio, suppositâ sententiâ Aristotelis de continuo, habet locum etiam in Angelis: in nobis autem, ob tarditatem, quam dixi, sensuum durant actus nostri liberi per partes satis determinatas. Vide quæ eo Tomo 3. dixi; nihil enim amplius occurrit addendum.

Actus nostri in viâ plus durant quàm instanti.

Si gratia incipiat intrinsecè peccatũ necessariò desinit extrinsecè.

SVB

Digitized by Google

SVBSECTIO II.

Quid de prioritate naturæ inter dispositiones pro iustificatione.

NOn est magna in hoc puncto difficultas. Primò enim dicimus actum fidei, vt pote dirigentem actus voluntatis spei & amoris, & ab illis independentem, esse omnino priorem naturâ illis. Secundò dicimus actum spei ordinariè esse priorem naturâ actu charitatis, quia disponit etiam ad illum.

22. *Actus fidei prior naturâ est amore & actu spei: & hic ipso amore ordinariè prior est.*

Obiectio.

Sed dices: Actus spei præcessit tempore actum charitatis, & non datur spes quando hic fit; quomodo ergo disponere aut facilitare ad illum potest, quod enim non existit non disponit. Respondeo, casu quo actu non existat, physicè sufficere memoriam illius, vt dum recordatur eorum præmiorum, & se illa sperasse, facilius excitetur ad amandum propter se illum Dominum, à quo tanta bona se agnoscit sperasse, & fortasse tunc amat; forte simul iterum reproducitur quasi imperceptibiliter alius actus spei. Quoad actus verò amoris & odij, quando dantur duo distincti, diximus suprà, ex amore oriri suo modo odium, non è contrario, quia amor personæ est qui determinat ad odio habendum malum illius. Actum verò, qui est vltima dispositio ad gratiam, diximus etiam suprà, esse omnino illâ priorem naturâ in omni genere causæ, gratiam verò posteriorem. De quo puncto nihil amplius monendum esse censeo.

Solvitur.

Actus vt dignificatur gratiâ ab prior non est.

Aduerte tamen, illum actum, vt formatum seu dignificatum gratiâ, non esse priorem gratiâ, quia vt sic iam includit ipsam gratiam, sicut albū quà tale albedinem. Vbi nota aliquos dubitare, an quà dignificatus sit prior remissione peccati, an verò posterior. Arbitror, explicatis terminis, nullam esse quæstionem; si enim per dignificationē intelligimus solam quasi vnionem physicam cum gratiâ, tunc in sententiâ (quam probabiliorem iudico, vt fusè in Philosophiâ) asserēte, generationem esse priorem naturâ corruptione, certum est, actum vt sic dignificatum physicè esse priorem remissione peccati, quia gratia vt existens in subiecto est quæ petit remissionem, non verò è contrario, remissio vt existens petit gratiam; si verò per actum dignificatum intelligatur non sola coniunctio cum gratia, sed absoluta dignitas; sic sine dubio includetur ipsa remissio peccati: nam subiectum, etiam habens gratiam, non est simpliciter gratum & sanctum, donec intelligatur remissum peccatum, vt diximus fusiùs suprà agentes, an gratia & peccatum simul esse diuinitus possint.

An dignificatio sit prior aut posterior remissione. pēdet à significatione vocis illius.

Nullus actus intercedit inter remissionē peccati & infusionem gratia.

Secundò quæri posset, an inter gratiæ infusionem & remissionem peccati intercedat actus liberi arbitrij. Quæstionem hanc superiùs explicuimus, vbi diximus, auxilium actuale esse primum, dein contritionem, ac tertiò immediatè infusionem gratiæ, neq; vllum esse actum qui possit interponi: vbi simul de mente Diui Thomæ in hoc puncto contra Patrem Vasquez.

Gratia quia radix cæterorū, ante omnes alios habitus infunditur.

Tertiò quæri potest, quem ordinē naturæ habitus seruent cum gratia. Respondeo, gratiā, quia est per modum radicis exigentis alios habitus, infundi priùs natura, inter ipsos verò habitus P. Suarez dicit habitum charitatis priùs natura infundi vt primam proprietatem. Ego verò iudico planè id arbitrarium esse; nam licet habitus charitatis (suppono distingui) sit perfectior cæteris, & in eo sensu dici possit prima proprietas; non video tamen vllam rationem apparentem, cur in ordine ad causalitatem debeamus illi dare eam priorit.atem; alioquin teneremur eadem omnino consequentia idem dicere de secundò habitu in perfectione respectu certi, & de hoc respectu quarti, & sic vsq; ad vltimum: id quod absurdissimum est, & negatur ab hoc auctore: nulla tamen assignata disparitate, cur aliter de habitu charitatis discurratur quàm de alijs. Dici forte posset, actū charitatis ordinare alios: verùm id non suadet quidquam de ipsis habitibus. Deinde fortè idem de alijs actibus dicere possemus, maximè de actu obedientiæ.

Habitus charitatis etsi sit perfectior reliquis, quoad causalitatem tamen ideò prior illis non est.

23. *Si fides ante gratiā infunditur, etiam ante spem infunditur.*

Iam hic illud obiectum circa habitum fidei & spei: Primò, admissa ea sententia, quòd fides ante gratiam infundatur, necessariò etiam dicendum, infundi ante spem; nam priùs naturâ vt minimùm est actus fidei, quàm supernaturalis actus spei: ergo si actus fidei, cùm primùm existit, producit suum habitum, profectò priùs illum producet quàm spes producet suum; & vterque priùs erit quàm gratia. Quòd si dicamus eos produci cum gratiâ, tunc consequenter dicendum erit, omnes illos simul naturâ produci; sicut de habitu charitatis paulò antè dixi.

Sic cū gratia tunc illi habitus simul natura infundentur.

An in fideli peccatore habitus fidei sit pars ædificij spiritualis.

Secundò obseruandum, admissa existentia habitus fidei ante habitum gratiæ, vel certè permanente eo habitu sine charitate, vt in peccatore fideli, verti in dubium à nonnullis, an dicendus sit ille habitus pars ædificij spiritualis, neq; ne Pater Vasquez 1, 2. disp. 210. cap. 7. rem hanc fusè tractat, atque Banes id negantem detrahere non nihil fidei; è contrario Banes censet, id asserere esse fauere Luthero. Ego iudico hos auctores de solo nomine disceptare, & re bene intellecta non posse vllam esse inter Catholicos dissensionem: etenim omnes fatemur habitum fidei solitariè acceptum nec iustificare, nec necessariò exigere iustitiam: hoc neque qui illum dicunt esse partem ædificij, nec qui negant esse partem, inficiari possunt. Item, neque è contrario Banes, etiamsi neget eum esse partem, negat eum esse prærequisitum ad iustificationem, esse supernaturalem, esse mediis suis actibus inductiuum, liberè tamen iustificationis; nam vehementer homo per actus fidei excitatur ad alias dispositiones, quibus vltimò debetur iustificatio. Iis ergo de re inter Catholicos stabilitis, procul dubio erit quæstio de sola voce, vtrùm ante gratiæ infusionem, eò quòd tunc non existat absolutè ædificium spirituale, non dicendus sit pars eius ædificij, an verò dicendus sit pars, eò quòd humano modo, etiamsi ædificium non sit perfectum, soleamus dicere, Iam est posita pars domus, pars pontis, &c. Vides per hanc diuersitatem sententiarum neque quidquam de perfectione detrahi fidei, neque accedi ad hæreticorum sententiam; & verò re intellecta quæstionem esse haud magni momenti, posseque optimè sustineri vtrumque modum loquendi; ita vt dicamus ante gratiam non esse actu partem, quia nihil est actu pars nisi actu existat totum: id quod maximè verum est, scholasticè loquendo: in quo solo sensu crediderim locutum Banes: absolutè tamen posse vocari partem, quia vox illa communiter vsurpatur pro re, quæ licet actu non componat, ideóque non sit quasi formaliter pars, est tamen aliquid, quod deinceps componet simul cum altero; vt in exemplis vulgaribus paulò antè allatis constat.

Potest absolutè dici pars.

Digitized by Google

Et in hoc solo sensu Vasquez affirmauit. Et per hanc distinctionem dirimitur tota hæc lis de solâ voce.

DISPVTATIO LI.

De augmento iustificationis.

1. OBSERVO valdè multa hîc tractari à Doctoribus, quæ alibi solent, vt in magis aut saltem æquè proprio loco, disputari; quæ ideò ego breuissimè tangam, ne eadem repetendo molestus fiam.

SECTIO I.

Gratia esse potest inæqualis, & vnde id oriatur.

Gratia nõ est æqualis in omnibus.

NOn omnes beatos futuros in gloriâ æquales, sed sicut *stella à stellâ differt in claritate*, teste Paulo 1.Cor.15. ita illos futuros etiam inter se diuersos, latè ostendi ex multis Scripturæ locis tam in materiâ de visione quàm de beatitudine. Hinc contra aliquos hæreticos huius temporis dicendum est gratiam non esse æqualem in omnibus; est enim semen gloriæ, & iuxta illius magnitudinem visio seu gloria datur; ergo si visio est inæqualis, etiam est gratia. Secundò dicendum, eumdem hominem crescere posse in iustitiâ, iuxta illud Eccli. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* & Apocal. vlt. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* & Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectam diem.* & Psalm. 83. *Beatus vir, cuius est auxilium ab te: ascensiones in corde suo disposuit.* & ibid. *Ibunt de virtute in virtutem.* Id ipsum parabolæ talentorum & mnarum aliáque multa testimonia Scripturæ demonstrant: quare meritissimè ea veritas in Tridentino definita est sess. 6. capite 6. dum dicit infundi iustitiam iuxta cuiusque dispositionem & cooperationem, & gratiam augeri per bona opera: de quo cap. 10. & can. 24. & 32.

Idē homo potest crescere in iustitiâ.

Ex variis titulis oritur gratia inæqualitas.

Supponendum item, eam inæqualitatem gratiæ fieri per bona opera intensiora aut frequentiùs multiplicata, vel certè per frequentiores susceptiones Sacramentorum, quæ ex opere operato gratiam conferant; licet etiam tunc communiter aliquod debeat admisceri bonum opus ipsius suscipientis. Dico *communiter*, nam si Eucharistia daretur infanti, etiam sine vllâ dispositione illius, augeretur gratia. Quæ omnia alio spectant; ideò sufficiat ea hîc insinuasse.

2. Secunda difficultas est, an verè fiat intensio ipsius habitus gratiæ, an solùm dicatur homo magis iustus ob frequentiora opera moraliter permanentia. Verùm hæc difficultas tractata est suprà, dum ostendimus, hominem formaliter non iustificari per actus; inde enim consequenter dicitur, augmentum in iustitiâ debere etiam esse in ea forma, quæ iustitia dicitur; & hoc denotat Tridentinum dicens, per bona opera mereri nos augmentum gratiæ; supponit enim illud augmentum esse ab ipsis operibus distinctum, quia opera non merentur seipsa: deinde id ipsum suadetur ex augmento, quod fit virtute Sacramentorum, vt est formaliter ex opere operato: illud enim non potest desumi ex bono opere moraliter permanente, quia nullum tale est; ergo debet desumi ex forma aliqua permanente, quæ sit iustitia, quæque intendatur per Sacramentorum susceptionem. Denique, gratiam, cùm sit qualitas physica, capacem esse augmenti & intensionis, vt sunt cæteræ ferè omnes qualitates, calor, frigus, color, dolor, lux, &c. nihil est quod impugnet; ergo cùm per tale augmentum omnia optimè componantur, debet procul dubio illud concedi.

Ipsa gratia in iustis physicè augetur.

Obiectio. Dices: Virtutes supernaturales sunt per modum potentiarum; sed potentiæ non sunt capaces intensionis, ergo neque habitus. *Responsio.* Respondeo (quod & sæpè dixi) non esse necessum vt ea comparatio fiat in omnibus; vt enim non fit in eo quòd potentiæ non sunt amissibiles, habitus tamen amittuntur, ita dico de intensione.

Actus supernaturales solùm meritoriè suos habitus intendunt.

Posset adhuc hîc quæri, quomodo isti habitus intendantur per actus; sed de hac re superiùs, vbi diximus, solùm meritoriè, abstraho à merito condigno & congruo; quia vtroque modo possunt intendi; vt cùm peccator ex merito congruo resurgit ad maiorem gratiam quàm anteà habuerat. Posset item quæri de ipso primo augmento, an fiat per maiorem radicationem, an per additionem gradus; item, an hi gradus sint homogenei, an heterogenei. Sed omnia hæc physica sunt, & satis à nobis suo loco discussa.

SECTIO II.

An gratia augeatur per quodlibet opus bonum quantumuis remissum.

3. QVæstio hæc celebris est, & magni momenti, quia ex ea valdè multa sequi possunt in ordine ad mores, vt in discursu illius videbimus. De illa egit fusissimè P. Suarez toto cap. 4. eius lib. 9. priùs verò egerat in Opusculis relectione de Reuiuiscentia meritorum disp. 2. sect. 1. à n. 17. & Vasquez disp. 220. & alij in materia de merito & de charitate. Pro illa verò nunc suppono. Primò sermonem esse de bonis operibus supernaturalibus in gratia factis; nam, vtrùm actus boni purè naturales in iusto accipiant valorem ad merendum, dicemus inferiùs. Suppono Secundò, à nullo Catholico negari actus intensiores ipso habitu gratiæ, qui existit in homine, esse meritorios augmenti; vtrùm autem solùm mereantur augmentum quoad excessum, in quo superant habitum, an verò secundùm omnes suos gradus, dicemus in decursu quæstionis: est ergo difficultas de actibus vel æqualibus habitui vel ipso remissioribus.

Actus intensiores habitu semper merentur eius augmentum.

Quæstio est de actibus æqualibus aut remissioribus habitu.

SVBSECTIO I.

Proponitur sententia negans.

Negat Bañes.

DOminicus Bañes 2. 2. quæst. 24. artic. 6. censet, gratiam non intendi nisi per actus intensiores ipsa; vnde æquales & à fortiori remissiores non mereri vllum augmentum gratiæ & gloriæ. Hoc vltimum de remissioribus videtur etiam docuisse Durandus in dist. 17. q. 8. & Bonauentura in 2. d. 40. art. 2. q. 3. quibus fauet D. Thomas

Fauere videtur Durandus, Bonauentura & D. Thomas.

Digitized by Google

Thomas in 1. disp. 17. q. 2. art. 3. ad 2. & 1. q. 114. artic. 8. ad 3. Verùm licet in his locis D. Thomas satis obscurè loquatur, ea tamen quæst. 24. art. 6. in corpore expressè omnibus actibus concedit meritum augmenti gloriæ & gratiæ; licet dicat illud non statim conferri, sed posteà, quando homo elicit actum aliquem æquè intensum ac est ipse habitus charitatis; ideò alia loca sunt intelligenda ex isto: in præsenti ergo quæstione, est à nobis D. Thomas, licet circa collationis tempus ei non facilè assentiamur: de quo paulò pòst.

4. *Fundamentū Primū huius doctrinæ.*

Fundamenta huius sententiæ sunt: Primum ab absurdo; sequeretur enim ex quolibet opere, per breuissimum etiam tempus durante meritum infinitum, quia instantia sunt infinita; & in quolibet datur augmentum nouum æquale primo. Huic argumento feci satis in materia de peccatis, ostendens non esse in quolibet instanti nouam libertatem.

Secundum.

Secundum fundamentum, quia in Physicis causa non intendit passum sibi æquale, ergo neque in merito. Sed primùm sequelam nego, nullum enim est argumentum à causis physicis ad meritum; causæ enim physicæ operantur vel propter formam substantialem, vel ad assimilandum sibi passum: at meritum non tendit nisi ad demerendam sibi personam, cui seruit, & ab ea præmium nouum obtinendum: in quo nihil de assimilatione. Neque meritum producit physicè gratiam, sed solùm moraliter; vnde non est inconueniens, si intendat gratiam supra se. Secundò respondeo, mihi esse valdè probabile, habitus naturales etiam physicè intendi actibus remissioribus, vt fusè in Philosophia agens de speciebus & de habitibus dixi; vbi ostendi, etiamsi in aliis agentibus, calor ex. g. luce, id non fiat, non posse tamen inde quidquam inferri contra habitus. Ratio est, quia (vt sæpè ibidem dixi) non valet hæc consequentia: *Hæc entitas habet talem virtutem, ergo illa habebit:* vna enim natura sua est limitata ad hoc, alia ad illud: & sicut experientia nos docet, lucem aut calorem non intendi ab æquali; ita docet nos, habitus intendi ab actibus etiam remissis; vnde non est, cur ex calore ad habitus naturales, & multò minùs ad supernaturales, quique solùm moraliter ab actibus causantur, argumentum desumatur.

Physicè à remissioribus actibus habitus naturales & supernaturales verò moraliter intenduntur.

5. *Fundamentū Tertium.*

Tertium fundamentum est, quia non meretur accipere augmentum donorum, qui tepidè vtitur acceptis. Hæc tamen congruenti in primis solùm habet locum in actibus remissioribus; nam qui vtitur secundùm totam intensionem habitus, satis debito modo operatur. Secundò ea congruentia caret difficultate, quia licet talis non operetur tam laudabiliter quàm potest, tamen operatur absolutè laudabiliter; ergo absolutè meretur; alioquin nisi quis actum efficeret quàm potest intensum, & perfectissimæ virtutis, non deberet dici merens apud Deum aut benè operans; quod est absurdissimum.

Cōgruētia illa difficultate caret.

Fundamentū Quartum.

Quartum fundamentum desumitur ex variis inconuenientibus, quæ videntur sequi ex contrariâ sententiâ. Primum est, gratiam excrescere quodammodò in infinitum, maximè in iustis, qui diu in acceptâ iustitiâ viuunt; habent enim frequentissimos actus: quòd si per quemlibet augeat gratiam, secundùm totam latitudinem actus præmium excresceret incredibiliter. Respondeo, hoc non esse inconueniens, sed magnum Dei fauorem erga nos, fundatum in ipso valore operis & dignitate ei proueniente à gratiâ iustificante. Vtrùm autem cuilibet actui etiam inferiorum virtutum respondeant tot gradus gratiæ, quot actus habet intensionis, an plures, an pauciores, dicemus infrà sect. 3. Secundum absurdum, quod illi inferunt, est, posse fieri per multiplicationem actuum, vt quis remississimè operans, si tamen per 40. aut 50. annos viuat, adæquet aut etiam superet gratiam alterius, qui per annum intensissimè operatus est; etiamsi martyrio ea merita cumulauerit. Id autem sine dubio est absurdum, & daretur inde occasio ad operandum remissè. Respondeo in primis, hoc vltimum difficultate carere, quia nos non dicimus tam multum per remissos quàm per intensos actus homines mereri; inde enim sine dubio daretur ea occasio remissè operandi; at ex eo, quòd actus remissus aliquid obtineat, nullatenus datur ea occasio, quia dicitur ei, *Operare intensius, & habebis plus.* Ad alterum, etiamsi id negent aliqui, dicimus, omnino posse contingere, vt per multiplicationem homo compenset intensionem; at negamus id esse absurdum. Quòd si vrgeas, Ergo non poterit homo diligentiâ suâ breui tempore vitæ lucrari quod alius multis annis: id quod videtur modo loquendi Scripturæ contrarium. Respondeo concedendo facilè consequens, quod neque ab ipsis aduersariis negari potest, vt manifestè ostendo; nam si ille, qui breui tempore viuens effecit intensissimos actus, habuisset post illos plus temporis, potuisset adhuc elicere actus intensiores, & sic augere adhuc gratiam; quod tamen morte præuentus non potuit; nisi fortè dicant hi dari terminum meritorum, vltra quem nō possimus crescere: qui esset error peior priore. Negari ergo non potest, cæteris paribus, plus hominem posse mereri in longiori vitâ quàm in breuiori, vnde in toto rigore iactura quælibet bonorum operum semper est irreparabilis: nam si id quod fit pro reparatione habitum fuisset simul cum eo actu emisso, plus homo promeritus esset quàm solum habendo ea quibus adnititur reparare damnum. Vnde ille, cui Deus dat longum tempus meriti, si semper vtatur occasione, & faciat quantum potest, maius sine dubio accipiet præmium quàm alter, qui solùm breuissimo tempore fecit, etiam quantum tunc potuit: cur enim ille, qui duplo plus laborauit, non etiam duplo plus accipiet? Neque huic veritati quidquam in Scripturâ contrarium reperietur.

6. *Per multiplicationē actuū remissorum cōpensari potest intensio actus.*

Plus moretur quis longiori quàm breuiori vitā, cæteris paribus etiamsi vnus intensiùs altero operetur.

Sententia hæc eo rigore prolata multis meritò durissima visa est, ideò variè nonnulli eam correxêre. Primò enim quidam asseruêre, iustos per omnes actus quantumuis remissos mereri augmentum gratiæ, illudque statim consequi, non tamen augmentum charitatis. Ita Victoria relectione de augmento charitatis parte prima: vbi docet; Licet beatitudo essētialis sit proportionata gratiæ, non tamen necessum esse, vt charitas & gratia in hac vita proportionentur, aut vt beatitudo & charitas in alia: idem videtur sentire Medina 1. 2. q. 53. art. 3.

Aliqui hanc sententiā cōstringunt ad admittentes per actus remissos augmentū gratiæ nō tamen charitatis.

Secundò alij docent, iustos per omnem actum mereri augmentum gloriæ essentialis & gratiæ, non tamen gratiæ in esse qualitatis, sed in esse gratiæ & acceptationis ad maiorem gloriam. Ita Sotus in 4. dist. 15. q. 2. art. 2. Vega lib. 7. in Tridentinum cap. 26. Zumel Tomo 2. in 1. partem quæst. 95. art. 9. disput. 1. conclus. 5. ex eo enim, quòd

aliqui docent mereri per singulos actus augmentum non in esse qualitatis, sed in esse gratiæ & acceptationis.

Digitized by Google

quòd charitas sit habitus operatiuus, existimant augendam esse solùm per actus intensiores; quia verò quicumque actus charitatis elicitus à iusto meritorius est vitæ æternæ, censent, deberi cuilibet concedi nouos gradus gloriæ; atque adeò iustum debere ad maiorem gloriam acceptari propter quemlibet actum: hoc autem illi dicunt esse gratiam crescere in esse gratiæ.

7. *Alij docent augeri gratiã, charitatẽ & gloriã, non tamen in instanti actus. In quo differunt hi Doctores inter se.*

Tertiò alij docent, iustos per omnes actus mereri augmentum gratiæ, charitatis & gloriæ, hoc tamen augmentum non conferri in eodem instanti, in quo illi actus efficiuntur. Ita Sotus in 4. dist. 21. q. 1. §. *Et istud est probandum.* & dist. 22. q. 1. artic. 2. §. *Ad hoc dico.* Capreolus dist. 14. q. 2. artic. 3. ad 2. Richardus in 1. dist. 29. art. 3. disput. 75. artic. 6. ad 2. Differunt autem inter se hi Doctores, quòd aliqui affirmant per actus remissos charitatis etiam in hac vitâ charitatem augeri, quando posteà haberur actus intensior. Ita Richardus & Capreolus (& insinuat D. Thomas in corpore) in 1. dist. 17. quæst. 1 artic. 3. Alij verò censent, augmentum illud solùm in patriâ conferri, quia ibi habetur actus charitatis proportionatus gratiæ, visioni, seu essentiali beatitudini.

Harum sententiarum nulla specialia sunt fundamenta pro superiùs allatis; solùm enim videntur eò collimare, vt vtriusque extremæ partis incommoda vitent, cùm tamen (vt ostendam in decursu disputationis) ferè ex integro in vtriusque argumenta manifestè videantur incidere.

SVBSECTIO II.

Proponitur vera & communis sententia.

Quilibet actus bonus supernaturalis iusti est est meritorius;

COnclusio ergo Prima sit: Quilibet actus supernaturalis bonus & liber hominis iusti est meritorius augmenti gratiæ & gloriæ. In hac omnes recentiores conueniunt, imò ipse Bañes, videns suam sententiam grauissimè reiici tamquam Tridentino contrariam, tandem in relectione de hoc puncto nostram vt probabiliorem & D. Thomæ magis conformem defendit; licet in explicatione eius sententiæ re ipsâ illam neget, vt dicemus paulò pòst: eamdem tenent omnes, quos pro limitationibus prioris retulimus subsectione secundâ: vnde in eâ planè omnes ferè Theologi conueniunt, vno aut altero excepto; vt videre est apud Vasq. suprà c. 5 & Suar. n. 14. & 15. Præcipua eius probatio desumitur ex Tridentino, in quo videtur manifestè definita; in Scripturâ verò licet sub nomine habitus gratiæ & augmenti illius nihil de hac conclusione dicatur, sub nomine tamen meriti præmij & retributionis in cœlo, quod nos nunc in conclusione maximè intendimus, profectò manifestè est tradita, vt ostendemus.

Præcipua eius probatio ex Tridẽtino.

8. *Quatuor loca Concilij ponderantur. Primus locus;*

Quatuor ergo loca in Concilio sess. 6. reperio, quæ ad hoc propositum meritò debent ponderari. Primus locus est totum caput decimum, vbi etiam Scripturæ loca à Concilio referuntur: ideò illud ferè ex integro referam; non enim longum est: *Sic ergo iustificati, & amici Dei ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem renouantur (vt Apostolus inquit) de die in diem, per obseruationẽ mandatorum Dei & Ecclesiæ, in ipsâ iustitiâ per Christi gratiam acceptâ, cooperante fide operibus bonis, crescunt, atque magis iustificantur; sicut scriptum est: Qui iustus est, iustificetur adhuc: & iterùm, Ne verearis vsque ad mortem iustificari: & rursùs, Videtis; quomodo ex operibus iustificatur homo.* In hoc loco pondero, à Tridentino indefinitè vniuersaliter & sine vlla limitatione proponi præmium bonis operibus; vnde qui eam definitionem ob solam congruentiam leuem vel ob similitudinem cum augmento habituum naturali restringit ad sola opera intensiora, planè improbabiliter discurrit, datque occasionem, vt clarissimas Conciliorum definitiones ob leuia motiua impropriè intelligamus, maximè cùm (vt dixi in responsione argumentorum) nec quidem in habitibus naturalibus sub sistat ea doctrina, & longè sit experientiâ probabilius, etiam per remissiores actus habitum illum intendi. Confirmo id instantiâ, quæ apud Bañes & omnes Catholicos magnam debet habere vim; desumiturque ex eodem Tridentino, quod agens sess. 14. cap. 4. de contritione, etiamsi non vtatur verbo vniuersali, *Omnis contritio charitate formatâ*, sicut in præsenti etiam non vtitur verbo vniuersali, *Omne opus bonum*; tamen eo ipso quòd indefinitè dicat, *eam, si charitate formata sit, hominem Deo reconciliare*, nullus tutò potest locum illum ita interpretari, vt dicat, ad id non sufficere nisi contritionem valdè intensam; hoc enim dicere planè esset erroneum: ergo neque in nostro casu licebit eam definitionem explicare de operibus in aliquâ certâ aut maiori intensione; est enim eadem prorsùs vtrobique ratio: nec sufficit dicere, in nostro casu esse argumentum pro eâ limitatione, non verò in puncto contritionis: hoc, inquam, nullo modo sufficit. Primò, quia illud fundamentum est ridiculum in ordine ad res supernaturales. Et sanè cùm in Concilio tam docti homines, & quibus adeò notum erat illud principium de augmento qualitatum naturalium, interfuerint, mirandum omninò esset, nullum suggessisse, debere addi, *saltem intensioribus*, vt tolleretur occasio omnis erroris. Secundò, si ad eas futiles congruentias recurrere licet, etiam eas inueniam ego, & fortè maiores, pro contritionis intensione: etenim contraria physica non se expellunt nisi per certam intensionem, ratione cuius vnum sit fortius altero; vnde dicam, Nisi contritio excedat in intensione intensionem mortalis, quod est expellendum, non posse illud pellere: & certè tam apparenter id dicitur, quàm quod de maiori intensione: vel quis iam poterit decernere, an tua sit melior limitatio quàm mea? sanè ex Concilio id non fiet, ergo licebit similes excogitare congruentias, & sic nihil penitus certi ex definitionibus omnibus habere: quod quàm sit graue absurdum, nemo non videt. Constet ergo, colligi optimè ex instantia de contritione, quomodo sit hoc caput Concilij explicandum.

In hoc loco vniuersaliter sine limitatione proponitur bonis operibus præmium. Ob leuia motiua aliqui definitionẽ Concilij improbabiliter restringunt. Confirmatio ab instantiâ de contritione.

Ostenditur erroneum esse verba Concilij indefinitè posita limitare.

Maiora motiua vrgent contritionem nõ iustificare nisi intẽsam.

9. *Secundus locus Concilij efficacior.*

Secundus locus Concilij, & meo iudicio adhuc efficacior, est ex cap. 16. in quo statim ab initio ait, *Iustificatis proponenda esse Apostoli verba, Abundate in omni opere bono, scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino; atque ideò bene sperantibus vsque in finem proponenda est vita æterna tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Vbi pondero & Apostoli & Concilij verba, *in omni opere bono*: quæ profectò definitio remissa opera continet, quia & illa sunt opera bona; nec sine ingenti audacia dici potest, ibi solùm intelligi opera bona intensiora quàm sit habitus: atqui eis dicit Apostolus respondere præ-

Concilij definitio temerariè interpretaretur de operibus intensis sic

Digitized by Google

præmium,& laborem illum non futurum inanẽ; quis autem non dixerit inanem, si nihil pro illis operibus detur? nec potest hîc recurri ad præmia accidentalia ; nam ibi statim agit Concilium de præmio vitæ æternæ , quod non significat quid accidentale;multò autẽ minùs responderi potest, reddẽdum præmium, quatenus gloria,quæ antèà debebatur,dabitur ob nouum titulum:hæc enim solutio est ridicula , & impertinens ad mentem Apostoli:si enim ego nihil sum noui accepturus, sed solùm dicendum mihi,*Hoc do tibi ob duos titulos*,respondere possũ,Satis mihi esset vnus,quia tam me ob vnum quàm ob duos beabit visio.

Probatur nostra doctrina.

Sed vrgeamus adhuc magis ex eodem capite paulò inferiùs : *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est,quo minùs plane illis quidem operibus,quæ in Deo sunt facta,diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse & vitam æternam verè promeruisse censeantur.* In quibus verbis primò manifestè agitur de omnibus etiã remissis.Probo euidenter;nam de iis agitur,quę sufficiunt ad satisfaciendum in hac vitâ diuinæ legi : atqui per omnia etiã remissa satisfit diuinæ legi:esset enim hæreticum dicere , non satisfacere præcepto audiendi Sacrum v.g.eum qui actu honesto id vellet,si actus ille non esset intensior quàm habitus charitatis existens in homine;inde enim vlteriùs sequeretur,illum actum esse peccaminosum,quia non satisfaceret præcepto ; ergo inclusit omnia opera ; ergo omnia censet esse digna præmio gloriæ.

10. *Banes requirens intensionem operum contradicit Concilio.*

Secundò põdero,ibi dictum,operibus in gratia factis nihil deesse ad meritum glorię;atqui in sententia Bañes id est falsum ; etenim deest illis intensio ad hoc meritum;ergo contradicit Concilio:sicut si ego dicerem, vt animal rationale sit homo,nihil illi deest;sanè qui diceret,non omne animal rationale esse hominem,sed debere etiam esse album, manifestè ei meæ propositioni contradiceret:ergo qui dicit,opera supernaturalia in gratiâ facta non esse meritoria,nisi sint intensiora,requirit plus quàm Concilium,ideóq;illi contrariatur,quia Concilium non solùm in actu exercito non requirit plus ; sed asserit reflexè , non plus requiri:vtrùm autem ex hoc modo arguendi inferatur etiam non requiri impetum charitatis , dicam infrà.

Concilii reflexè asserit nihil aliud requiri ad meritũ quàm operâ in gratiâ facta.

Tertiò pondero ex eodem capite,ad præcedentium confirmationem adduci testimonium Christi Matth. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, nõ perdet mercedem suam* ; & illud Pauli 2.ad Corinth.4.*Momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ æternũ gloriæ pondus*, &c. Quibus testimoniis maximè significatur,etiam leuissima opera habitura mercedem gloriæ : vnde obseruat Concilium,in sacris Literis valdè multum tribui bonis operibus. Quæ doctrina falsa esset , si omnia opera bona, quæ non excederent propriam gratiam in intensione,essent planè à mercede vacua.

Tertium & Quartũ testimonium Concilij Tridentini.

Tertium & quartum testimonium Tridentini petitur,ex c. 24. & 26. in quibus sine vllâ limitatione definitur, iustum mereri augmentum gratiæ per bona opera. Quæ definitiones sine euidenti ratione aut auctoritate aliâ Scripturæ vel Conciliorum clarissimâ in contrarium non debent vllo modo limitari ad opus sub tali aut tali intensione.

Svbsectio III.

Probatio eiusdem sententiæ ex Scripturâ & Patribus.

11. *Nostra doctrina probatur ex Scripturâ;Primò, ex parabolâ talentorum & mnarum.*

Secundò probo ex Scripturâ, ex quâ multa loca adduci possent : insinuabo aliqua clariora: & primus, qui mihi occurrit, videtur efficacissimus ; desumiturque ex parabolâ talentorum & mnarum:etenim non solùm ille qui habẽs vnam mnam fecit decem, & qui fecit quinque, hoc est supra intensiorem habituum quos habebant;sed & ille qui habens quinque talẽta fecit alia quinque,& qui habens duo fecit duo , acceperunt à Deo mercedem:ergo non est necessum ad meritum opus intensius quàm sit propria gratia & proprium talentum.

Secundò, ex Epistola ad Romanos.

Secundus locus sit ad Roman. 6. vbi loquens Paulus cum iustificatis hæc habet, *Humanum dico , propter infirmitatem carnis vestræ : sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanstificationem*:vbi per sanctificationẽ intelligit augmentum maioris sanctitatis ; sermo enim est cum iustis & liberatis à peccato,seruisque iustitiæ , quibus non potest contingere sanctificatio nisi per augmentum , quod vocari solet secunda sanctificatio : & ita intellexit hæc verba Concilium Tridentinum sess.6.cap. 10. & antiquiores. Vide D.Thom.& Anselmum ad eum locum. Atqui ad sanctificationem , de quâ loquitur Paulus,supponit non esse necessariam maiorem intensionem quàm sit in habitu ; neque vllam requirit determinatam Paulus. Pondera vlteriùs sequentia , *Humanum dico, propter infirmitatem carnis*.id est,*Cùm possem maiora postulare , attendens tamen infirmitati vestræ , solùm postulo naturæ humanæ proportionata: vt sicut exhibuistis membra vestra iniquitati,id est peccato,per quod iniquitas in vobis augebatur ; ita nunc exhibeatis seruire iustitiæ, vt in vobis augeatur sanctitas*.id est(vt ait Chrysostomus in Psalm.20)*Cum quanto studio vitia fecistis abamini , cum tanto virtutem sectemini*.Quomodo exponunt etiam Anselmus & D.Thom.eũ locum.Atqui vt seruiat quis iustitiæ eâ mensurâ quâ priùs seruierat iniquitati , non est necessum semper maiori intensionẽ operari;nam sine dubio per peccata mortalia minùs intensa quàm fuerit primum, augetur pœna substãtialis inferni & ratio inimicitiæ cum Deo: ergo & è contrario augebitur præmium per opera minùs intensa.

12. *Tertiò, ex Epistola 2.ad Corinthios.*

Tertium testimonium ex 2.ad Corinth.9, insinuatum est in verbis Tridentini. Explicans ergo Paulus fructus eleemosynæ ait, *Qui parcè seminat, parcè & metet.* & infrà : *Qui administrat semen seminanti* (hoc est Deus,qui tribuit bonâ temporalia vt fieri possint eleemosynę)*multiplicabit semen vestrum , & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ ; vt in omnibus locupletati abundetis*.id est,Non solùm incrementa conferet temporalium bonorum , si conducant in vitam æternam,sed etiam incrementa iustitię.Ita explicuit Augustinus sermone 5. de verbis Domini ad illud Psalmi 111. *Disperſit , dedit pauperibus*; ex quo Paulus suam sententiam confirmat. *Erogando* (inquit Augustinus) *pecuniam auge iustitiam : vide quid minuatur,quidve augeatur : minuitur pecunia,iustitia augetur:illud augetur,quod in æternum exposcimus.* Promittit ergo augmentum

Digitized by Google

tum iustitiæ eleemosynis, siue intenso actu fiant, siue non; id est, siue parcè, siue intensè seminetur. Vide Basilium in Psal. 83.

Quartò, ex Epistola 1. ad Corinthios.

Quartum ex 1. ad Corinth. 3. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, Vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, mercedem accipiet.* Hinc argumentor efficacissimè: Opera remissiora in iudicio probata manebunt, quia in illis nullus culpæ defectus inuenietur: sunt enim aurum, argentum, gemmæ: ergo mercedem accipient. Vbi rursus pondero Apostolum dicere, etiam post aurum valere argentum; ergo opera minora etiam post maiora valent. Neque possunt hæc loca ad præmium accidentale limitari; nam in eis semper agitur de præmio, quod Christus in Euangelio promisit: illud enim solùm vocatur merces & Regnum: ergo cùm Christus promittat potum aquæ frigidæ non carituram esse mercede; cùm item in die iudicij conferat Regnum iustis propter esum & potum pauperibus erogatum, *Esurini enim*, inquit, *& dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere*, &c. *possidete paratum vobis Regnum*; certum est, eum loqui de gloriâ essentiali, de mercede, inquam, & Regno: id quod expressit Tridentinum suprà, vt ibidem ostendi.

Expresè S. Paulus hic opera remissiora præmiâ acquirere asserit. Non potest explicari de accidentali præmio. Matth. 25.

Concilium Tridentinum suprà agit tam de augmento gratiæ quàm gloriæ.

Confirmo: Concilium eo loci non solùm egit de augmento gloriæ, sed etiam de augmento gratiæ; in quâ non potest distinguere Bañes gratiam accidentalem & essentialem, cùm Concilium expresè doceat, mereri iustos augmentum gratiæ per bona opera.

13. *Ex Patribus probatur, Cypriano, Chrysostomo,*

Ex Patribus breuiter insinuabo aliqua clariora testimonia. Cyprianus Epistolâ 26. *Tot* (inquit) *sunt vestræ laudes quot dies, quot mensium vincula, tot incrementa meritorum.* Chrysostomus homiliâ 10. in Matth. longè post medium, *Si certa*, inquit, *est merces gemituum & lacrymarum, considera, quanta sit retributio conferenda.* Vbi pondero id quod aduersarij pro absurdo ex nostrâ sententiâ inferebant (vt suprà vidimus) scilicet fore, vt nostra gratia & præmium in immensum excresceret, hoc à Chrysostomo, & quidem meritò, pro magnâ nostrâ consolatione adduci. *Hieronymo,* Hieronymus lib. 2. Contra Iouinian. *Apostolus*, inquit, *die ac nocte operatur, & ministrat iis qui secum sunt*: qui ideò vtique hoc facit, vt plus laborans plus aliquid mercedis accipiat. & post pauca: *Qui plus & qui minùs seminat per eleemosynas, de parte sunt dextrâ: & cùm vnius sementis genus sit, mensurâ & numero differunt.* *Augustino,* Augustinus lib. de Sancta virginitate cap. 46. *Multa*, inquit, *sunt dona, & alia aliis clariora; & aliquando vnus fructuosus est donis pauciori bus, sed potioribus, alter inferioribus, sed pluribus*: (quò nihil clarius pro nostrâ sententiâ:) *quemadmodum autem vel coæquantur, vel distinguuntur, quis valeat iudicare, dum tamen constat, & multa esse & diuersa & in æternum mansura.* *Bernardo.* Prosper lib. de Vocatione Gentium: *Per laborem operis, per instantiam supplicationis, per exercitia virtutum, fiunt incrementa meritorum.* Bernardus sermone de conuersione ad Clericos cap. vltimo: *Qui multa patiuntur, gaudeant, vbi mercedis multiplicitatem attendunt: gaudeant, quòd non tantum persecutio quantum remuneratio augeatur; quia quò plura sustinent pro Christo, eò copiosior merces manet apud ipsum, dummodo sit iustitia in intentione, & Christus in causâ.* Expende vltima verba; ex quibus constat, ad multiplicitatem mercedis non esse necessariam maiorem intentionem. Et idem ex omnibus locis Patrum colligitur, neque necessum est ad singula specialiter eam ponderationem applicare.

SVBSECTIO IV.

Probatur idem ratione.

14. *Ratione ab absurdo nostra sententia probatur.*

RAtione verò ab absurdo probatur Primò nostra sententia. Quis enim dicat, si duo æquales in gratiâ semel propter Deum fecissent actū intensissimum, v.g. vt centum, quo voluissent temperatè abstinere à perdice, intendissentque gratiam vt centum; vnus verò statim moreretur, vel ampliùs nullum actum bonum faceret, alter posteà totâ suâ vitâ per centum, si placet, annos singulis etiam momentis repeteret actus charitatis vt centum, quibus vellet & sanguinem profundere, omnia tormenta pati, postponi, contemni, &c. propter Deum; quis, inquam, audebit dicere, hunc in cælo nihil planè ampliùs de gloriâ habiturum, quàm illum qui solùm eum actum abstinendi à perdice effecit? Certè vel ex hoc solo capite apparet, sententiam contrariam esse penitus improbabilem fortè & erroneam; daret enim occasionem magnam desperandi de augmento, & de bonis operibus: si enim semel quis conatus esset quantum posset intensè operari, posteà diceret, Frustrà ego iam laborabo; nam intensiorem actum efficere vix potero, æquè intensi aut remissiores non proderunt; ergo otiabor.

Doctrina aduersariorum ausâ prabet abstinendi ab omnibus bonis operibus post vnum in, tensissimum. Declaratur absurdū. Sequeretur infantes baptizatos & cōfirmatos nūquā ampliùs mereri posse; etiā Apostolos gratiam à Christo prima vocatione acceptam numquam auxisse.

Declaro hoc absurdum; nam probabilissimum est infantibus intuitu meritorum Christi tot gradus gratiæ infundi, maximè si vlteriùs coniungatur Confirmationis Sacramentum, vt vix iustus per ordinaria auxilia gratiæ efficere possit actum tam intensum; vnde sequitur illum talem totâ vitâ deinceps etiam per centum annos benè & intensè frequentissimè operantem nihil penitus nec vnicum indiuisibile meriti auctarum. Id clariùs intelligetur in Apostolis, quibus cùm primò vocati sunt ad dignitatem summam Apostolatus, dum baptizati, dum in primâ institutione Eucharistiæ illam susceperunt, dum Confirmationis & Ordinis Sacramenta acceperunt, & in aduentu Spiritus sancti moraliter certum est accepisse tantam copiam gratiæ, quia tunc maximè decebat Christū liberalem esse, vt ad millenos & millenos gradus peruenerit; vt propterea probabilissimum sit, nō nisi singulari nouo miraculo, quod adstruere sine fundamento non possumus, non valuisse eos elicere actum habentem plures gradus intensionis, quàm ea gratia simul sumpta; ergo illi posteà per omnia opera sua nihil amplius sunt promeriti: quis autem id non iudicet plus quàm erroneum?

Declaratur absurdum Secundi.

Declaro id ampliùs; nam probabilissimum est Magdalenam numquam posteà ita intensè operatā quàm dum primò à Christo eo singulari modo fuit vocata; ergo posteà gratis totos quadraginta annos aut plures Deo seruiuit.

15. *Declaratur Tertiò ex Suario.*

Rursus idem absurdum declaro ex P. Suario ea selectione suprà citata num. 24, vbi obseruat meritò, in sententia Bañes probabilissimè dici posse sanctum Franciscum aut quemlibet alium ex Sanctis esse æqualem diuo Paulo, Petro cæterisque Apostolis; quia licet Paulus excedat Franciscum, & hic priuatum Religiosum, in excellentia vitæ, multitudine operum & gratiarum, in

Sufti

Digitized by Google

sustinentiâ passionum & tormentorum, &c: nihil tamen verat; imò per se est valdè probabile, & sæpè contingens, vt Franciscus in aliquo raptu vel mentis eleuatione habuerit vnum actum amoris Dei tam intensum, quantum fuit quilibet actus meritorius Petri aut Pauli: sæpè enim contingit, vt qui in toto ferè progressu vitæ est longè imperfectior, in aliquo actu vnius orationis & contemplationis intensiùs amet Deum quàm alius in singulis actibus & momentis; vnde fieret, Ecclesiam non habere fundamentum ad tam altè sentiendum de Apostolis præ aliis Sanctis quod est valdè absurdum.

Quartò explicatur idem.

Quartò idem absurdum declararet; nam si Deus vni infunderet habitum gratiæ intensum vt centum, alteri verò vt vnum, & ille operaretur vt centum, hic verò vt duo, sequeretur, obtenturum hunc præmium à Deo, illum verò non, cùm & actum fecerit nonaginta & octo gradibus gloriosiorem; & ratione præcedentis gratiæ potiùs esset magis dignus præmio: hoc autem nemo prudens negare poterit, grauissimum esse absurdum.

Tandem Quintò declaratur.

Quintò denique, quia sequeretur aliquem nihil hodie mereri, etiamsi strenuissimè se gerat, eâ solùm ratione, quòd heri se gesserit strenuè, quòd etiam summè indignum est & liberalitate Dei & omni æquitate, cùm potiùs ex eo capite plus deberet augeri meritum etiam hodiernum.

16. *Probatur à priori ratione morali.*

Hinc autem potest ratio moralis à priori deduci: Sicut enim qui in bello gloriosè se gessit, etiamsi abceperit simul præmium eiusmodi facinori æquale; si tamen posteà iterùm æquè gloriosè se gerat, nouum procul dubio meretur præmium. Ratio enim naturalis id videtur dictare, vt nouis facinoribus noua promereatur præmia; ita similiter dicendum apud Deum, qui liberalior & multò magis remunerator est quàm sint homines, id ipsum videtur natura exigere: cùm enim præmia sint incentiua meritorum, negari nequit, quin oportuerit, vt etiam post gloriosissimum facinus locus esset nouo præmio, quod ad nouum facinus seu meritum, licet fortè non tantum quantum primum, inuitaret; quia & hæc etiam merita sæpè sunt necessaria; & sæpè non datur occasio habendi alia æqualia primis.

A Tridentino Augmentum gratiæ & gloria semper cõiunguntur.

Aduerte, quæ dicta sunt non solùm de augmento gloriæ intelligenda, sed etiam de augmento gratiæ, tum quia à Tridentino semper ea duo reperiuntur coniuncta; tum quia gloriæ augmentum respondet augmento gratiæ: qui enim iudicatur dignus vt ab amico maiori donetur præmio, eo ipso necessariò iudicatur dignus, vt magis etiam ab amico ametur: quæ maior amicitia respectu Dei à gratiâ prouenit.

SVBSECTIO. V.

Quando tale augmentum concedatur: & quæstiunculæ aliquæ solutæ.

Augmentum gratiæ datur in instanti operationis. Probatur ex Tridentino.

DIco: Hoc augmentum gratiæ conceditur statim, cùm primùm quis operatur. Hæc videtur esse contra D. Thom. est tamen communis inter cæteros: probaturque ex Tridentino, quod locis suprà citatis, vbi loquitur de augmento gratiæ & gloriæ, loquitur cum distinctione; nam gloriam docet non dari nisi suo tempore in fine vitæ, &c. de gratiâ verò nihil limitat; vnde manifestè videtur iudicare hanc statim concedi: exceptio enim, quæ in vno extremo ponitur, & non in altero, manifestè firmat regulam in contrarium. Secundò probatur, quia gratia non causatur physicè ab actibus, nec eos requirit tanquam dispositionem ad ipsi productionem: vnde per Sacramenta ex opere operato cum remississimâ attritione aut alia dispositione, v. g. in Eucharistiæ sumptione producitur, & quidem statim (vt ipsemet D. Thom. fatetur); quæ ergo, si actus remissus eam gratiam meretur, illam non statim accipiet, sed debebit expectari actus intensior. Cerè nulla potest huius rei ratio sufficiens assignari.

Probatur Secundo.

Posito actu remisso bono, non est necesse vt pro præmio accipiendo expectetur intensior.

17. *Probatur positiuo argumento etiam admissa doctrina Diui Thomæ.*

Sed ago ostendamus iam positiuo argumento id non posse dici, quia etiam admissa doctrina D. Thomæ, adhuc videtur omnino eadem difficultas manere: D. enim Thomas docet, hominem habentem gradus gratiæ vt octo v. g. non recipere augmentum gratiæ per actum vt septem, habitæ actum intensum vt octo aut vt nouem: donec ergo eum effecisse actus multos remissiores, quibus simul sumptis mereatur centum v. g. efficiat posteà actum intensum vt octo vel nouem, qui sufficiat (iuxta D. Thom.) pro dispositione, vt infundatur ei gratia, quam per præcedentes & peristum fuerat promeruit; ergo infunderetur ei gratia vt centum & modo, quia centum meruerat per primos actus, per secundum verò octo; erat autem tunc statim ergo datur vt centum & octo: atqui licet actus ille in ei gratiæ quam actu habet, æqualis, quia supponimus non habere nisi octo gradus, non est æqualis dispositio pro eâ infundendâ, hæc autem est, quæ proportionata tam requirit dispositionem, ergo etiam tunc infunderetur sine sufficienti dispositione; ergo etiam eodem modo posset antea infundi, non obstante defectu eius dispositionis. Et hoc argumentum semper in omni casu à D. Thom. excogitabili habet vim; nam cùm adueniente posteà actu intensiori debeat infundi simul gratia, quam ille intensior meretur, & præterea ea, quam alij actus præcedentes remissiores fuerant promeriti, semper debebit infundi intensior gratia, quàm promereatur de præsenti actus ille qui est dispositio; & consequenter semper dabitur vltra dispositionem: id quod videtur velle vitare Diuus Thomas: si ergo posteà sine dispositione danda est, melius erit, vt detur eodem instanti.

Argumentum hoc habet vim in omni casu excogitabili à D. Thomâ.

Refutatur responsio affirmans gratiam dari primò in patriâ tunc cum quis actus intensiores elicit.

Posset fortè responderi cum quintâ limitatione suprà positâ, illud augmentum non dari in hac vitâ, sed in patriâ, cum primùm homo elicit actus intensiores. Sed contrà Primò, quia hoc est planè diuinare sine vllo fundamento, imò satis apertè contra Tridentinum; quod docet, hominem in hac vita crescere per opera bona in sanctitate & iustitia: hoc autè requirit, vt in hac vita etiam intendatur ea quæ est sanctitas. Ex quo capite obiter reiiciuntur illi, qui dixerunt, non infundi statim gratiam in esse qualitatis, sed in esse gratiæ seu acceptationis ad gloriam; reiiciuntur, inquam; nam gratia secundùm suam entitatè physicam & pulchritudinem ac per sui inhærentiam causat eam amicitiam & acceptationem ad gloriam: vnde si physicè non infunditur de præsenti, non potest facere homines iustiores & gratiores Deo de præsenti, esto, dum posteà in fine vitæ infunderetur, præstaret talem effectum.

18. *Reijcitur solutio principalis de gloriâ. In eodem instanti beatitudinis gratis ponuntur duo amores.*

Secundò eam solutionem principalem de gloria reiicio, quia (vt benè P. Suarez suprà) si infundatur ea gratia posteà per amorem non beatificum, in primis planè gratis & otiosè in eodem instanti beatitudinis ponuntur duo amores Dei vnus prior natura visione, alter verò posterior;

Digitized by Google

Secundò, quia ille prior, nisi ex speciali miraculo, quod non possumus asserere, non posset esse tam intensus, quàm fuerit tota gratia, quam ille homo tota vitâ consecutus est. Quòd si propterea dicatur amor ille esse beatificus; Contrà quia amor beatificus est iam post visionem, visio autem post gratiam, quia datur ad proportionem gratiæ; ergo priùs supponitur sine dispositione vlla tota intensio data: potuit ergo id ipsum concedi in hac vita, quando homo operatus est. Ratio à priori huius conclusionis nostræ est, quia (vt dixi in præcedenti) meritum non concurrit vt dispositio physica, sed moralis, ideò non necessariò est æqualis ordinis: præterquam, quòd sæpè etiam physicè actus remissus intendit habitum in se intensiorem, vt dixi suprà. Nec video, quid aliud obiici possit.

Ratio à priori huius conclusionis.

Concluditur doctrina hac verbis Gabrielis.

Concludo hanc doctrinam verbis Gabrielis in 4. dist. 14. q. 3. art. 3. dubio 3. vbi hæc habet, *Dicere, quod augmentum actus remissi non fiat in deum, sed vsque ad instans mortis differatur, vt omnino voluntarium nullâ ratione vbi auctoritas suffulciatur.*

Hactenus dicta intelligenda sunt de omnibus actibus supernaturalibus ipsis.

Aduerto, ea omnia, quæ hucusq; diximus, intelligenda esse non solùm de actibus charitatis, sed etiam de omnibus aliis fidei & virtutum moralium; nam Concilium Tridentinum & Scriptura nullam penitus exceptionem faciunt, neq; per vllũ verbũ ostendunt se loqui de solis actibus charitatis; imò expresè Christus Dominus in illâ propositione futuri iudicij exemplum ponit in operibus misericordiæ, deinde sæpè & oratione & ieiuniis & patientiæ tribuit meritum, iuxta illam parabolam seminis in terram bonam cadentis; vbi patientiæ tribuitur fructus centesimus. Denique, omnia quæ probant, Concilia & Scripturam non esse ad actus intensiores coarctanda, probant, neque ad actus solius charitatis; an verò aliquod saltem charitatis imperium sit necessarium, dicemus paulò pòst.

19.

An quod de augmẽto gratiæ dictũ est, etiam de habitibus à gratiâ distinctis dici debeat.

Restat nunc pro complemento huius difficultatis quærere, vtrùm augmentum hoc, quod in gratia concessimus propter actus etiam remissiores, debeat eodem modo in habitibus à gratiâ distinctis concedi. Dico *distinctis*; nam si habitus charitatis sit idem cum gratiâ, vt superiùs ostendimus, necessum omnino est, vt si realiter augetur gratia, realiter etiam ille habitus augeatur: quæ enim idem realiter sunt, non possunt realiter in augmento discrepare (vt ex terminis patet:) est ergo quæstio de habitibus realiter distinctis. In quo puncto suprà retulimus sententiam quorumdam affirmantium, eos non intendi nisi per actus intensiores. Disparitatem inter eos & gratiam assignant, quòd gratia videtur necessariò concedenda propter maiorem amicitiam & sanctificationem, quam homo per omnes actus acquirit, vt ostensum est: hæc autem ratio cessat in habitibus; vnde consequenter hæc sententia dicet, neque vnum habitum intendi per actus alterius, quia etiam illi non sunt apti ad eam intensionem. Alij verò auctores censent, omnes habitus, qui comitantur gratiam, intendi simul cum illâ; fidem verò & spem præcisè intendi, quamlibet per proprios actus; vnde poterunt sæpè maiorem, minorem, aliquando intensiorem habere quàm gratia, ita P. Vasquez disp. 220. num. 56. Tertiò denique alij dicunt, etiam spem & fidem intendi, quoties intenditur gratia; quia tamen putant, aliquando infundi eos habitus ante gratiam, dicunt, eos etiam intendi independenter à gratiâ tam in peccatore fideli quàm in Catechumeno adhuc peccatore. Ita P. Suarez suprà cap. 4. eam tamen addit limitationem; vt quando habitus fidei aut spei ante iustificationem est vt quatuor v. g. nullam accipiat intensionem nouam, si gratia, quæ producitur, non sit nisi vt quatuor, quia tunc vi gratiæ non potest augeri; quia si gratia est solùm vt quatuor, non exigit fidem nisi vt quatuor. Iudico in hoc puncto planè diuinari sine solido fundamento; ac Primùm limitatio hæc vltima P. Suarez, meo iudicio, manifestè reuincitur; & ostenditur, iuxta eius principia, necessariò semper fidem augeri per omne meritum. Non loquor de spe, propter statim dicenda. Probo autem sequelam, nam licet tunc ea fides non augeatur ratione augmenti gratiæ, ob rationem ab eo datam, cùm tamen, quandocumque benè operatur voluntas, interueniat actus fidei dirigens voluntatem, hic autem sit dispositio sufficiens ad augmentum habitus fidei (vt ipse Suarez concedit etiam in peccatore) à fortiori certè erit in iusto. Quæ ratio non habet locum in spe, quia illa non est necessaria ad omne opus bonum. Fateor tamen non sequi inde, habitum fidei, in eo qui aliquando fuit fidelis peccator, futurum intensiorem quàm sit gratia; quia potest ille habere intensiorem actum voluntatis, quàm sit actus fidei; ideóque tunc plus creseceret gratia ex eo capite quàm fides, posséetque compensari excessus, si quis erat à tempore peccati. Et in hoc acquiesco P. Suario.

Manifestè ostenditur Suarij principijs semper fidem augeri.

Negant alij quod habitus intendi nisi per actus intensiores. Disparitatem inter gratiam & habitus assignant. Alij censent simul cum gratiâ intendi habitus. Tertiò aliqui aiunt in iusto spem & fidem cũ gratiâ, in peccatore verò & catechumeno independenter ab illâ intendi. Limitationem addit Suarez.

20.

Fidem, spem & reliquos habitus supernaturales proportionaliter cũ gratiâ semper augeri probabilius est.

Iam verò ad substantiam totius difficultatis dico in dubiâ re, mihi longè videri probabilius, semper fidem, spem cæteróſq; habitus omnino sequi proportionem ipsius gratiæ: & quidem de fide suprà dixi, non infundi habitum ipsius ante gratiam; idem dico de spe: vnde etiam censeo consequenter, hos habitus numquam augeri nisi ad augmentũ gratiæ: moueor, quia probabilissimũ est, eos natura sua consequi gratiã non minùs quàm cæteros supernaturales: & licet Deus faciat miraculũ conseruando illos sine gratia, ob moralem necessitatẽ eorũ pro actibus fidei & spei, non propterea debemus illud miraculũ ad augmentũ extendere; maximè cùm non habeamus vllum fundamentũ dicẽdi actus supernaturales esse alio modo dispositiones ad suos habitus, quàm per modũ meriti ratione gratiæ: ergo, quando nõ datur tale meritũ gratiæ, nõ est, cur dicamus intendi eos actus: aut, quæso, dicant mihi, cur magis actus fidei est dispositio petens augeri specialiter suum habitum, quàm actus castitatis respectu sui habitus? aut è contrario, cur, si hic actus non est dispositio, sed solùm meritoriè in gratiâ eum auget, non habebit idem actus fidei & spei?

Sunt enim velut proprietates naturales emanantes à gratiâ æquè ac ipsa capaces intendi.

Igitur vniuersaliter videtur dicendum, hos omnes habitus, velut proprietates naturales emanantes à gratiâ, & ex se habentes capacitatem augmenti non minùs quàm habeat gratia, intendi semper iuxta ipsius gratiæ intensionem, & non aliter, ideoque per vnum actum omnes intendi, quia gratia intenditur; hæc verò habet suas proprietates in ea intensione, in quâ ipsa est. Qui modus dicendi ex eo præ aliis placet, quia magis vniuersaliter & consequenter discurrit, fundatúrque in vi naturali gratiæ ad eos habitus sibi proportionandos.

Ad rationem in contrarium respondetur.

Hinc ad rationem in contrarium dicimus, Esto quæ attulimus ex Concilio, Scripturâ & Patribus non tam vrgeant pro his habitibus quàm pro qualitate gratiæ, ac propterea non sit

hæc

Licet ex Scripturâ & Patribus tam certum nõ sit de habitibus ac de gratiâ; consequenter tamen dicitur habitus vt gratia proprietates eum illa augeri.

hæc pars tam certa quàm illa; nihilominùs, supposito augmento gratiæ per actus remissiores, consequenter dici, etiã intendi habitus vt gratiæ proprietates, neq; esse necessariam vllam maiorem intensionem ex parte actuum, qui non physicè sed moraliter per modum meriti ad illud augmentum concurrunt; & quidem non aliter quàm immediatè promerendo augmentum gratiæ, quæ statim naturaliter exigit etiam habitus augmentum, siue in ipsos influat physicè, siue tantùm eos exigendo naturaliter. de quo suprà.

Sectio III.

Vtrùm quilibet actus virtutis tot mereatur gradus gratiæ, quot habet in se intensionis.

21. *An meritum æquale sit gradibus actus.*

PRæcedenti sectione ostensum est; quemlibet actum virtutis esse meritorium augmenti gratiæ; videndum nunc quantũ sit tale augmentum, an æquale gradibus actus, an maius, an minus. Recentiores nonnulli, quibus sæpè fauet P. Suarez, maximè relectione de Reuiuiscentia meritorum disp. 2. sect. vlt. docuerunt satis esse, si nobilissimæ virtutis actui, charitati scilicet, tot gradus respondeant præmij, quot ipse actus habet in se, aliis verò actibus inferiorum virtutum multò minùs, iuxta earum maiorem imperfectionem respectiuè ad charitatem. Huius doctrinæ non aliam ipsi rationem adferunt, nisi quòd satis sit, si quatuor gradus charitatis mereantur æquales numero gradus gratiæ; vnde clarè infertur, alias virtutes inferiores non tam multum promerituras. Hanc sententiam iudico minùs probabilem; videtur enim ex eâ sequi, certam intensionem esse necessariam ad meritum, infrà quam actus etiam supernaturalis hominis iusti non sit meritorius: cuius oppositum fusè suprà contra Bañes ostendimus ex Tridentino cum his eisdem recentioribus, ipsóq; Suario. Pro probatione autem sequelæ suppono sententiam Zenonis; licet enim in continuo extensiuo ea non admittatur, vt eam non admisi, quia indiuisibile additum indiuisibili illud penetrat, ideóq; non facit extensionẽ; licet, inquam, ita ibi concedamus, in intensione tamen, maximè rei spiritualis, & suo modo etiam materialis, vbi omnia argumenta, quæ contra Zenonem in extensione fiunt, omnino cessant; planè inutiliter, & solùm affectando, vt sic dicam, confusionem & obscuritatem in sententiis, cùm alioquin clarè possimus discurrere, ad Aristotelis labyrinthum recurremus: siue ergo quia ita reuerà est, siue quia pro præsenti quæstione potest admitti, demus, intensionem actus ex solis indiuisibilibus componi. Vnde sic argumentor: Si Angelus habens diuinitus indiuisibile vnicum gratiæ eliceret indiuisibilem actum infimæ virtutis, haud dubiè mereretur; haberet enim omnes omnino conditiones à Tridentino requisitas ad meritum; nam de intensione nihil Concilium dicit (vt hi etiam, cum quibus disputo, obseruarunt benè contra Bañes suprà:) atqui non posset minùs mereri quàm indiuisibile gratiæ quia minus præmium non est possibile. Hinc autem sequitur, si actus haberet duo indiuisibilia intensionis, debere mereri gratiam vt duo, & sic ascendendo; ergo necessum est fateri, præmium esse vt minimum tam intensum quàm sit actus.

Sententia hæc improbabilis est. Aliàs certa intensio esset necessaria, infra quam nullus actus iusti meritorius esset.

Suppositâ Zenonis doctrina de compositione continui, probatur nostra conclusionis sequela.

Præmium est tam intensũ quàm est ipse actus.

Nec satisfacies, si dicas cum nonnullis ex his illum casum non contingere de facto; quidquid enim de hoc sit, in tali actu, si daretur, esset condignitas ad præmium; vnde rectè infero, Ergo nunc, quando sunt duo vel centum indiuisibilia, erit condignitas ad totidem indiuisibilia gratiæ. Patet euidenter consequentia; nam si vnum solũ indiuisibile meriti habuisset indiuisibile præmij, ergo duo habebunt duo; quia ex consortio vnius cum altero non tollitur vlli sua condignitas ad vnum indiuisibile præmij; ergo quot sunt de facto indiuisibilia, tot sunt condignitates ad tot indiuisibilia præmij.

22. *Responsio aliquorum refutatur.*

Respondebis Secundò in eo casu, illum actum mereri in se aliquid; quia tamen non attingit integrum indiuisibile gratiæ, mereri solùm medium, non quia hoc sit possibile, sed vt, cùm primum superuenerit alius actus similis, habeat condignitatem ad vnum integrum gratiæ gradum, qui tunc detur: sicut ad vnionem aut gemmam valdè pretiosam emendã valet aliquid nummus, non quia solus sufficiat, sed quia ex illo & aliis coniunctis fieri potest pretiũ æquale. Sed contrà, quia hoc re ipsâ est dicere claris terminis, illum actum nihil mereri, nisi cùm primùm fuerit intensior, & consequenter, hoc est formalissimè, requirere ad meritum aliquam intensionem. Quod Suarez & alij impugnant contra Bañes, qui docuit, nisi actus sit in certa intensione, nihil mereri: etenim etiam Bañes docet (si velimus ea subtili diuisione vti) posse admitti, actum infra eam intensionem esse meritorium, hoc est, si addatur altera pars, simul vtramque fore meritoriam, ita vt ratione nostrâ media pars præmij respondeat vni parti intensionis, & altera alteri, seu medium indiuisibile vni, & medium alteri: ergo fieret per hoc ridicula doctrina illa excludens necessitatem intensionis ad meritum.

23. *Sententia huic refutatæ valdè adhæret Coninck.*

Refutatam hanc recentiorum sententiam ita tenet Pater Coninck disp. 22. de charitate dub. 4. vt non solùm censeat actus aliarum virtutum charitate inferiores, &c. non mereri tot numero gradus gratiæ, quot ipsi habent, sed nec quidem supremis actibus charitatis id tribuit. Pro quo Primò supponit, gradus intensionis esse heterogeneos; Secundò, ex maiori gratia merita crescere; Tertiò, intra ipsam charitatem non omnes gradus actus esse æquè perfectos: vnde infert ex primâ quidem suppositione, quando homo habet gratiam vt centum v. g. etiamsi eliciat actum vt quatuor perfectissimũ, non posse mereri quatuor gradus gratiæ quia deberet illi quatuor esse ex supremis, qui plùs valent quàm quatuor primi: solùm ergo tunc potest mereri vnum aut alterum, qui æquiualeat eis quatuor. Ex secunda suppositione infert peccatorem, quando iustificatur per actum charitatis vt sex v. g. non posse mereri præmium vt sex, quia non dignificatur illud opus per vllam gratiam. Ex tertiâ suppositione infert, nec iustum, nec peccatorem, dum eliciunt actum charitatis, mereri tot gradus gratiæ, quot habet actus, quia non eliciunt tam perfectum actum quàm possent. Porrò principium vniuersale huius sententiæ non aliud adducit, quàm quod auctores summùm concedere videantur actui summè perfecto vt sex præmium vt sex; ergo actui charitatis minùs perfecto non debent tot gradus respondere. Alias etiam habet ibi illationes, quæ ferè in præcedentes recidunt.

Illata illius ex variis suppositionibus.

Principium illius vniuersale.

Nihilominùs non est à nostrâ sententiâ recedendum 24.

Digitized by Google

Nostra doctrina ex Tridentino firma.

dendum, quæ valdè ex Tridentino, vt dixi, confirmatur. Ne tamen vlli opinioni plus tribuamus certitudinis quàm in se habeat, subiungam solutionem quamdam; quæ pro argumento à me facto adhiberi potest, & quâ vtcumque satisfieri videtur Concilio.

Solutio argumenti à nobis facti adducitur.

Dicet ergo aliquis, Eo casu quo fieret opus infimæ virtutis & in vno solo indiuisibili intensionis, non dandum ei vllum præmium; non tamen ideò negandum, illum verè & propriè aliquid mereri, neque etiam ideò relabi in sententiam Bañes suprà impugnatam, vt paulò antè obiiciebamus: etenim Bañes docet, illum actum ita tunc non mereri, vt licet millies, imò infinities repeteretur, nihil planè mereretur; perinde planè ac si non fuisset vnquam factus. Atqui sententia horum recentiorum & Coninck ita ille actus mereretur, iuxta dicta suprà, mediam v. g. partem indiuisibilis, vt post se relinqueret ius, vt facto deinde alio actu simili, qui mereretur eam alterâ mediam partem indiuisibilis, daretur ob vtrumque actum gradus vnus indiuisibilis gratiæ: neque inconueniens est etiam in re indiuisibili physicè accipere per rationem mediatas vel partes multas in ordine ad moralem considerationem. Pone vnum indiuisibile auri, certè illi non æquiualet indiuisibile argenti, nisi solùm in ordine ad vigesimam fortè partem; hoc est, vt si posteà accedant alia nouemdecim argenti, possit ad æqualitatem fieri permutatio.

25. *Hæc solutio vtcumque ostendit differentiam inter sententiam Bañes & recentiorum doctrinam.*

Hæc solutio est satis probabilis, & vtcumque ostendit differentiam inter sententiam Bañes & recentiorum. Ampliúsque idipsum confirmari potest; quia Bañes ita negat illi actui indiuisibili meritum, vt si homo innumeros haberet gradus gratiæ, numquam posset talis actus mereri quidquam, etiamsi repeteretur frequentissimè, imò infinities, nisi summùm quando efficerent omnes illæ partes simul sumptæ tantam intensionem, quanta sunt gratiæ: ideò in eius sententiâ, quò plures in subiecto gradus gratiæ supponerentur, deberet frequentiùs actus ille repeti, vt vel vnicum indiuisibile gratiæ mereretur; (si tamen hunc modum coniunctionis præcedentium cum sequentibus operibus concederet Bañes; quod adhuc non facit.) In hac verò sententia nullo modo, ob plures gradus gratiæ hominis operantis, requiruntur plures repetitiones eius actus indiuisibilis; imò fortè quia inde quodammodò magis dignificatur opus, pauciores deberent dici necessariæ; ea ergo solùm ratione requiruntur, vt adæquent valorem gratiæ dandæ, quia indiuisibile infimi operis non est tanti valoris, quanti vnum indiuisibile gratiæ; si enim esset, nullatenus deberet considerari, octóne, an centum, an vnum haberet gradum gratiæ ipse operans; id quod Bañes solùm considerat. Hic est eam sententiam defendendi optimus modus; quem tamen eius auctores non consideraruntur; ideóque censeo illam non esse improbabilem: nihilominùs non est à nostrâ recedendum, quia (vt suprà dixi) vehementer eam confirmat auctoritas Tridentini; quòd cùm nullo modo faciat mentionem vllius certæ intensionis ad merendum necessariæ, omnésque conditiones ab ipso requisitæ in eo opere indiuisibili hominis iusti reperiantur, profectò supponit ibi fore meritum actuale; recurrere autem ad eas diuisiones per rationem vnius indiuisibilis gratiæ in tot partes, & exspectare vt repetantur sæpè multi similes actus ad hoc, vt tandem homo vnum indiuisibile gratiæ promereatur, profectò etiamsi ratione manifestâ reiici nequeat, quia non se ita explicuit Concilium, videtur tamen valdè extra illius mentem, & solùm confictum ad effugiendam vim testimonij.

Modus his hanc sententiam defendendi etsi bonus, non tamen ab illius auctoribus consideratus. Nostra tamè doctrina probabilior.

Vrgeo id Primò, quia non solùm in eo casu, quem aduersarij dicunt metaphysicum, sed in multis aliis fortè frequentissimis deberemus dicere iustum etiam actu intenso vt octo non mereri nec quidem indiuisibile gratiæ, sed debere expectari donec ille aliquot tales eliceret; hoc autem haud dubiè est absurdissimum. Probo sequelam apertè; nam aduersa pars vult nullum actum nisi perfectissimum charitatis mereri tot gradus gratiæ, quot habet in se; vnde cùm inter ipsos actus charitatis sit maxima inæqualitas; nam velle propter Deum dare eleemosynam, velle ieiunare, velle tolerare sitim, velle tolerare martyrium, &c. sunt actus inæquales; profectò plus quàm centum excogitari possunt actus charitatis inæquales: vnde solus centesimus, si sit intensus vt octo, merebitur octo gradus, si vt centum, centum: at minimus inter actus charitatis, etiamsi sit vt centum, non merebitur nisi vnum indiuisibile gratiæ; ergo si sit vt octoginta, nonaginta, nihil merebitur: quid autè dicemus de actibus aliarum virtutum imperfectiorum, v. g. abstinentiæ, temperantiæ, &c. sanè hi, etsi intensi sint vt mille, non mererentur vnum indiuisibile gratiæ. Id quod maximè vrget in sententiâ Coninck gradus intensionis adstruente inæquales, nam in eâ si iustus habeat tunc centesimum gradum, cùm centesimus primus, ei alioquin dandus, sit longè nobilior quàm primus, & ad primum non habeant illi actus condignitatem, multò minùs habebunt ad centesimum primum.

27. *Aliàs iustus frequentissimè per actum vt octo intensum nihil mereretur. Manifestè probatur.*

27. *Nihil est quod nos cogat in intensione qualitatum Aristotelem de continui oppositione sequi.*

Neque recurri potest pro solutione ad sententiam de punctis & partibus infinitis; iam enim ostendi suprà, etiamsi in continuo ob penetrationem & alia argumenta mathematica, debeamus Aristotelem sequi, in intensione tamen qualitatum, vbi omnia ea argumenta omnino cessant, non esse, cur non per indiuisibilia gratiæ dicamus eam qualitatem intendi. Iam autem videat quis, quàm sit ordinarium inter homines etiam iustos efficere actus bonos valdè remissos, in quibus nó possumus probabiliter negare, sæpè nec centum esse indiuisibilia; & esto sint ducenta, iam illa ostendi nec quidem vnum indiuisibile gratiæ mereri, iuxta horum principia: ergo ad incredibiles angustias reducimus meritum per eam opinionem; ergo vel ex hoc solo capite ea fit minùs probabilis.

Confirmatur nostra doctrina.

Confirmo (vt in simili argumentabamur contra Bañes:) Nulla ratio est, quæ ostendat, non habere etiam infimum opus virtutis condignitatem cum vno gradu gratiæ, aut debere considerari hîc proportionem illam physicam, quæ in agentibus physicis consideratur. Aliunde autem magis clarè iuxta sensum Patrum & Tridentini loquimur, si omnibus eis actibus concedamus meritum, & quidem non respectu partium quasi chimæticarum, & per rationem, sed respectu veri & realis præmij: cur ergo non ita discurremus?

28. *Obiectio ab absurdo.*

Dices Primò, me è contrario nimis multùm augere meritum; nam si vnus gradus indiuisibilis infimæ virtutis mereretur alium gradum gratiæ, ergo vnus gradus perfectissimi actus charitatis merebitur ducentos v. g. gradus gratiæ, iuxta discursum suprà factum contra sententiam

aduer

aduersam: hoc autem etiam est absurdum. Respondeo concessâ sequelâ, negandóq; vllum esse in consequenti absurdũ: etenim vt ille actus charitatis æquivalet in perfectione eis ducentis gradibus seu indiuisibilibus virtutis infimæ, ita non esse mirum, si mereatur ducentos gradus gratiæ; nam quilibet gradus etiam indiuisibilis meriti hominis iusti mereatur vt minimum gradum indiuisibilem gratiæ, vt ostensum est.

Obiectio Secunda. Soluitur.

Dices Secundò, id esse contra omnem sententiam. Nego subsumptum; nam auctores communiter non tractant hanc quæstionem cum tantâ distinctione; sed quando dicunt, meritum vt sex solùm habere præmiũ vt sex, loquuntur de merito, quod quoad valorẽ æquivaleat sex, seu quod habeat condignitatem vt sex; an autem illa condignitas possit venire etiam ex nobiliori virtute, licet intensio physica non sit vt sex, non negant, imò potiùs videntur supponere ita fieri posse: quando enim vniuersaliter docent, nullam ad meritum requiri intensionem, item, omnes etiam actus aliarum virtutum à charitate esse meritorios, profectò supponunt futurum meritorium etiam omnium remississimum, & infimæ speciei; illum autem non posse, nisi præmij sibi in intensione physica æqualis; iam ostendi: nam de illis diuisionibus per rationem vnius indiuisibilis, vt vna solùm metaphysica pars illi respondeat, nemo aut ferè nemo cogitauit.

Auctores nostra sententia fauent, etsi hanc tam distinctè non tractent.

Summũ actũ charitatis ad summum dignum esse æquali intensione præmio vult Coninck.

Iam hinc ad illationes P. Coninck. suprà positas, & quidẽ cùm omnes illæ nitantur eo principio, quòd summus actus charitatis summùm sit dignus præmio æquali sibi in intensione, facilè eo principio reiecto ruunt omnes illæ: ad auctoritatem verò, ex qua vnica illud probatur, iam est responsum. Secundò, adhuc circa illas dico, etiam supponi pro eis alia principia non valdè probabilia; vt, quòd intensio fiat per gradus heterogeneos: deinde, quòd ex maiori gratia merita crescant: quorum primum in Philosophia, secundum in hac materia reieci. Addo, hunc tamen auctorem benè supposititijs eis duobus principiis discurrere in duabus prioribus illationibus: tertia aliquid adhuc includit consideratione dignum, scilicet etiam actum perfectissimum charitatis, quo peccator ad Deum conuerteretur, non promeriturum tot gradus quot habet in se, eò quòd non habet gratiam, à qua dignificetur: hoc, inquam, mihi adhuc videtur dubium; etenim peccator ille non mereretur tunc eos gradus gratiæ de condigno, sed solùm de congruo: non ostendit autem vllo modo Pater Coninck, cur actus nobilissimæ virtutis & intra illam nobilissimus non possit de congruo saltem mereri tot gradus gratiæ, quot ipse in se habet: quòd enim talis non habeat gratiam præcisè efficit, vt ille actus non sit condignus cum eis sex, vel certè neplus aliquid mereatur (si gratia dat non solùm condignitatem, sed etiam extensionem ad maius meritum, vt supponitur:) non est igitur cur tali negetur meritum congruum æquale suæ intensioni, etiam datis eis duobus principiis Patris Coninck. Vnde dico talem actum mereri de condigno, casu quo sit dignificatus per gratiam, non solùm eos sex gradus, sed etiam aliquid amplius, ob gratiam, quæ auget in ea sententia modum merendi, & tem etiam promeritam. Et satis de hoc merito.

Benè discurrit in duabus primis illationibus.

Peccatorem actu perfectissimo contritum, gratiã non dignificatum, non mereri de congruo æquale in intensione gratiæ, dubium videtur.

Probabilius tamen est mereri.

SECTIO IV.

Vtrùm habitus gratiæ habeat terminum suæ intensionis: vbi, an iusti possint in hac vitâ semper in gratiâ crescere.

CIrca primam tituli partem duo in dubium veniunt. Primum, an diuinitus gratia possit in infinitum augeri eo modo, quo de aliis qualitatibus, calore, frigore, &c. solet quæri. Secundum, an etiam naturaliter possit semper magis & magis sine termino crescere, an è contrario habeat præfixum aliquem terminum, siue ille centesimus sit, siue millesimus; vltra quem non possit augeri ampliùs, ita vt sine nouo miraculo intra ordinem gratiæ nequeat esse intensior. Variæ sunt in hoc puncto sententiæ, quæ videri possunt apud Suarez cap. 5. Res facilis est, ideóq; non censeo diu in ea immorandum. 29.

An gratia diuinitus augeri possit in infinitum, & an naturaliter crescat sine termino.

ASSERO ergo PRIMÒ, gratiam ex se non habere vllum terminum intensionis, etiam naturaliter loquendo. Id probo relictis aliorum rationibus, quia gradus intensionis in aliquo subiecto cum sint inter se, vt sic dicam, amici, non potest octauus petere, ne producatur nouus, & sic in infinitum, si alioqui sunt possibiles diuinitus plures & plures: de quo statim. Tota ergo ratio in aliis qualitatibus, cur detur terminus naturalis, est limitata capacitas subiecti: atqui in gratia hæc ratio non habet locum: cùm enim ea etiam quoad primum gradum non producatur nisi diuinitus, non magis naturaliter educetur è subiecto primus gradus quàm secundus, &c. ergo non est vllus terminus naturalis intensionis magis quàm primæ productionis.

Gratia etiam naturaliter non habet terminũ intensionis.

Cur alia qualitates in subiecto terminum habent, & non gratia.

SECVNDÒ DICO, diuinitus posse esse plures & plures gradus sine fine. Probatur id ratione generali ad omnes alias qualitates, in quibus diximus possibile esse talem augmentum, vt suppono ex his quæ in materia infiniti disputaui: quæ non sunt repetenda in præsenti, quia nulla specialis ratio potest contra gratiæ augmentum adduci. Confirmatur in nostra sententia affirmante gradus intensionis esse homogeneos, etenim saltem pro diuersis ac infinitis hominibus & Angelis possibiles sunt gradus infiniti, pro quolibet vnus, qui sit primus; atqui si coniungantur in vno subiecto omnes illi, iam facient intensionem infinitam: neque potest ostendi ratio, cur implicet talis coniunctio, ergo. Quòd si negaueris etiam ipsos homines & Angelos possibiles esse infinitos, iam reducetur difficultas ad vniuersaliorem quæstionem de infinito, de qua nihil censeo hîc dicendum. Hanc veritatem probat P. Suarez, eo quòd visio beata potest augeri in infinitum, quia habet obiectum infinitum magis visibile, cuique numquam potest visio adæquari: ergo gratia, quæ debet conformari visioni, poterit esse infinita. Hoc tamen argumentum ego nullo modo puto efficax, quia non minor est difficultas in probanda infinitate visionis quàm in infinitate gratiæ. Quod verò ille dicit de infinitate obiecti visionis dici aliis terminis, potest de sanctitate infinita Dei participabili per gratiam; ergo nõ est magis certa infinitas visionis, vt ex ea probetur infinitas gratiæ. Secundò, quia absolutè in vtraque non vreget ea ratio. Dicetur enim obiectum illud esse quidem infinitè visibile, non tamen à creatura, sed præcisè à Deo: quod vel inde confirmatur; nam etiam tota quanta intensio

Gratiam diuinitus augeri posse in infinitum probatur.

Confirmatur in nostra sententia gradus homogeneos admittente.

Ratio Suarij à visione desumpta inefficax est.

Nõ enim minor difficultas in visione quàm in gratiâ.

Nec in vtraque absolutè vreget.

Digitized by Google

sio visionis, quæ à Deo agnoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ, vltra quam nullus proculdubio gradus ampliùs est possibilis; tota, inquam, illa distat à Deo, & non adæquat neque comprehendit Deum (quibus verbis vtitur Suarez) & tamen non propterea rectè infertur; Ergo supra illam totam intensionem est alia.

30. *Responsio pro Suary aggregato infinitorum graduũ scindit cum responsione Scoti finitos solùm admittentis.*

Respondebis id repugnare, cùm iam in illo aggregato supponantur omnes gradus possibiles. Sed contrà quia eodem planè modo responderet Scotus ponens tantùm esse possibiles v. g. mille gradus, diceret enim, Etiamsi illi non adæquent obiectum, nec sint comprehensio, non posse tamen esse alium gradum ampliùs, quia iam ibi supponuntur omnes: & sanè si ille impugnetur, dicatúrq; ibi omnes non esse, non debet id eâ ratione fieri, quòd illi distent infinitè à Deo: nam hæc ratio etiam habet locum in aggregato P. Suarez, licet infinito intensiuè: neq; etiam sufficit dicere, Deum numquam posse totum illud producere: etenim argumentum habet vim in illo vt cognito per scientiã simplicis intelligentiæ, quia supra totum illud, quod Deus hodie cognoscit, non est aliquid aliud possibile; & tamen illud totum distat à Deo, & non comprehendit Deum, &c. Ob hanc rationem ostendi in Physicâ, debile esse argumentum cómune ad probandum, non posse dari creaturam omnium perfectissimam, eò quòd quæcumque assignata distaret adhuc infinitè à Deo; ergo posset esse alia nobilior quæ ad Deum non accederet: dixi, inquam, hoc argumentum non esse bonum, quia eodem modo dicam, In toto aggregato possibiliũ nihil est, quod non distet infinitè à Deo; seu clariùs, Totum illud distat infinitè, & tamen nihil admittit suprà se medium inter se & Deum: ergo argumentum illud non est efficax; eo ergo relicto non potest nostra conclusio de gratiâ & visione meliùs probari quàm eadem ratione, quâ de calore, frigore, &c. aliísque qualitatibus.

Omnia possibilia infinitè à Deo distãt, etsi nihil medium inter se & Deum admittant.

31. *Iustos posse in hac vita crescere in gratiã sine termino ex dictis facilè colligitur.*

Hinc deciditur altera quæstio in titulo sectionis proposita, vtrùm scilicet iusti possint sine termino in hac vitâ crescere in gratiâ. Et verò nulla planè videtur esse difficultas, suppositis his quæ paulò antè diximus de capacitate gratiæ, vt intendatur; licet in modo concipiendi possit esse alia æquiuocatio.

Pro quo supponendũ, gratiam non posse crescere de facto nisi per opera hominis facta ex auxilio speciali Dei. Dico *de facto*, quia si Deus vellet illam magis & magis intendere non exspectatis bonis operibus, proculdubio posset id facere.

Excepto Christo & beatâ Virgine nullus est Sanctus qui efficaciùs & frequentiùs operari non potuerit. Iusto cuilibet sufficientia dãtur auxilia, vt per nouos actus in gratiã crescat.

Secundò supponendũ, ea auxilia ad benè operandum non dari à Deo sine termino, hoc est, non dari cuilibet auxilium ad faciendum actum supernaturalem in quacumque intensione possibili: quod non solùm de auxilio congruo, sed etiam de sufficienti, intelligendum est: non enim dat Petro v. g. auxilia sufficientia tã intensa, quàm dedit congrua Christo; qualia autem cuilibet det in particulari, res est nobis penitus ignota.

Tertiò supponendum, probabilissimum esse, excepta beatissima Virgine, & à fonsori Christo Domino, nullum esse Sanctum, qui aliquando non potuerit efficaciùs aut frequentiùs operari per auxilia gratiæ, quàm de facto sit operatus; & consequenter, nullum esse qui non habuerit auxilia aliqua sufficientia non congrua.

Hinc DICO Primò: Iustus quamdiu est in vita, & rationis capax, habet auxilia sufficientia, vt nouos & nouos actus efficiat; vnde semper potest crescere in gratia. Hæc est definita in Clementina *Ad nostrũ*. de hæreticis, contra Beguardos & Beguinas; & constat ex Scriptura Eccli. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari* & Apoc. vlt. *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc*: & ad Ephes. 4. *Veritatem facientes in charitate crescamus*: præmiserat verò Paulus terminum, *Donec occurramus*, &c. id est, vsque ad mortem. Id ipsum Patres passim supponunt, dum hortantur nos ad benè operandum ad mortem vsque. Ratio verò est, quia cùm gratia intendatur etiam per actus remissos, nec possimus dicere, Deum homini rationis capaci negare auxilia ad benè operandum, non est, cur dicamus, eum non posse semper in gratia crescere. Quæ contra hanc veritatem obiici possent ex secunda conclusione soluuntur.

32. *Nõ potest iustus ad quãcumq; intensionem crescere. Deus non dat auxilia summè intensa ad operandum.*

DICO SECVNDÒ, nihilominùs esse certum, non posse quemlibet crescere ad quamcumque intensionem gratiæ. Ratio est facilis ex secunda suppositione, quia licet Deus semper det auxilia ad benè operandum, non tamen dat summè intensa, nec ad quamcumque possibilem intensionem actus; vnde licet possit semper tota vita, v. g. per centum annos, addere actus vt centum, non tamen potest addere actus vt mille, vt decem millia, quia non dat Deus talia auxilia; ergo licet possit semper crescere, non tamen sine vllo termino. Exemplo rem declaro: Si quis ex oceano per poculum velit aquam extrahere, & in vas infundere, sine dubio verissimũ est, posse semper & semper, quamdiu voluerit, augere aquam in vase; at non est verum, posse augere sine termino, in sensu dicto: nam extrahit semper per poculum determinatum & finitum, ideò finitè extrahit: quòd si ponamus alium cui detur poculum duplo maius, absque dubio, licet vterque semper possit addere; ille tamen, qui cum minori poculo extrahit, non poterit venire ad quantitatem alterius qui cum maiori.

Soluuntur aliqua quæ difficultatem videbantur habere. Christus, B. Virgo & Apostoli habuerunt extraordinaria auxilia, quare nos imperfectiores ad similẽ intensionem non possumus peruenire, etiamsi diutiùs viuamus.

Hinc soluuntur aliqua, quæ ex Prima conclusione videbantur habere difficultatem: Primum, scilicet posse hominem crescere vsque ad gradum Christi & beatissimæ Virginis ac Apostolorum: quod est absurdum: negamus enim ex dictis consequentiam; nam illi habuêre talia & tam extraordinaria auxilia, seu, vt sic dicam, per tam intensos actus gratiam in se infuderunt, vt licet nos semper plus & plus possimus, quia tamen semper per actus longè imperfectiores, non possimus tamen absolutè ad eam gratiam venire.

Dices: Argumentum & similitudo allata euidenter conuincit, si ponamus æquale vitæ tempus pro vtroque; at si ego diutiùs longè viuo, potero saltem multiplicatione id compensare. Respondeo negando consequentiam, quia etiam meum tempus vitæ est finitum & limitatum: & ibi ex singulari gratia Dei excessus fuit tantus, vt ego etiam per longiorem vitam non possim illum compensare.

Deus nulli negat gratiã quoad substantiam, negat tamen quoad intensionem.

Dices Secundò: Deus nulli negat suam gratiã, ergo dat omnibus auxilia ad actus tam intensos quàm habuerint Apostoli, beatissima Virgo & Christus. Respondeo distinguendo antecedens: Non negat suam gratiam quoad substantiam, concedo; id est, omnibus dat sufficientem, vt possint mereri: Non negat secundùm intensionem, nego antecedens; quia non omnibus dat æquè intensa auxilia, & ad æquè intensos actus, sicut neque omnibus dat gratiam congruam.

Alterum

Digitized by Google

Alterum absurdum, quod ex priori conclusione videbatur inferri, illud est, quòd si homo possit semper & semper crescere sine fine, ergo poterit augere gratiam vltra terminum à Deo præfixum: quod sine dubio concedi non debet. Respondeo negando sequelam, quia cùm Deus sciat quæ auxilia, & ad quam intensos actus daturus sit homini, & per quàm longum tempus vitæ; item sciat, quibus ille respondurus sit; certè etiàsi homo semper possit totâ vitâ gratiam augere, nõ poterit tamen vltra intensionem eam ad quam eum Deus excitauit. Pone Deum voluisse illi dare per 30. annos v.g. auxilia ad actus intensos, ita vt si omnes faceret, veniret ad millionem graduum gratiæ; certè vltra istum millionem nõ potuit, quia nec tempus nec auxilia necessaria ad illud maius meritum habuit. Quæ solutio locum habet, etiamsi homo omnibus omnino auxilijs respondere cum omni conatu sibi tunc possibili: in eo enim casu illa gratia intensa ad millionem esset vltimus terminus. Respondeo Secundò, Si loquamur de eo qui sæpè non respondet gratiæ vocanti, dicimus illum in sensu diuiso potuisse habuisse maiorem gratiam, quàm Deus illi præfixerit; in sensu tamen composito, & suppositâ scientiâ Dei, non posse; eodem planè modo quo alibi diximus, prædestinatum posse damnari, & reprobum saluari: neque, eò quòd Deus suâ præscientiâ mediâ aut suæ præfinitione (quod pro præsenti quæstione idem est) terminum præfixerit gratiæ, sequitur hominem posse ad illum ita peruenire, vt posteà ampliùs crescere nõ possit; non, inquam, sequitur, quia in sensu composito, quòd præuisus sit non ampliùs operaturus, non potest operari; non est autem illi præfixus terminus nisi in eo sensu præuisionis: neque ille terminus vnquam complebitur nisi per vltimũ actum, quem præuisus est homo ille habiturus.

Iustus non potest augere gratiam vltra terminũ à Deo præfixũ in sensu composito scientiæ Dei.

potest tamen in sensu diuiso eiusdem scientiæ.

Posset hîc iam vlteriùs quæri in particulari, an ad Apostolorum aut Prophetarum aliquorum gratiam vllus de facto peruenturus sit, aut possit peruenire: superiùs enim solùm in communi diximus, ex eo quòd quilibet semper possit crescere, non sequi, posse ad cuiuslibet alterius gratiam peruenire. Verùm de taxatione particulari meritorum, quia nobis incerta, nihil dico; de Apostolis Ecclesia supponere videtur esse supra ceteros omnes; an tamen sanctus Iosephus aut aliquis alius eos adæquauerit, nos non possumus vllo modo determinare; ideò melius est ab hac quæstione penitus abstinere.

An Apostolos & aliquos Prophetas quis iustorũ superauerit, incertum est

SECTIO V.

An gratia possit ita crescere vt fomitem peccati extinguat.

34. *Quid peccati fomes.*

FOMES peccati dicitur, appetitus noster, quatenus suis motibus in obiectum aliquod prohibitum præuenit vsum rationis, & inclinat voluntatem in illud; non tamen ideò ea inclinatio peccatum est, sed pœna peccati originalis, vt Tridentinum definiit: hanc verò inclinationem ablatam non esse, licet Christus potuerit obtinere vt in nobis cessaret, constat experientia; voluit enim eam manere, vt occasio nobis esset gloriosioris victoriæ: fortè etiam, ne ex defectu illius fomitis homo certò posset cognoscere, se esse in gratia: sed neque tolli, ordinariè loquendo in iustis ipsa experientia manifestum est, eo modo, quo de iustitia interna experientiam habemus: videmus enim multos, quos in gratia esse moraliter non dubitamus, & tamen in eis tales motus agnoscimus: & verò cùm Concilium Tridentinũ supponat illum non tolli per iustitiam, supponit manere etiam saltem in aliquibus iustis: non ergo hac de re vlla potest esse difficultas; tota ergo in eo consistit, an aliqui iusti ad eum gradum sanctitatis peruenire possint, in quo fomitem non sentiant. Eius quæstionis duplex esse potest sensus: vnus, an Deus eum fauore aliquibus tribuat ex se independenter ab aliquo certo gradu sanctitatis: alter, an homines suis actibus ex gratia factis possint fomitem ipsum extinguere.

Hunc & si Christus potuit, noluit tamen sublatum.

An iusti ad talem peruenire possint sanctitatem vt fomitem non sentiant.

PRIMA CONCLVSIO pro primo sensu quæstionis, certum est Deum posse cui velit eum fomitem tollere, etiam post peccatum Adami: vt enim abstulit Adamo ante peccatum, potuit & post peccatum, etiam antequam illud remitteret quoad culpam; à fortiori ergo iam remissa culpa poterit, si velit. Et ita communiter sentit Ecclesia beatissimæ Virgini ablatum, & à fortiori Christo.

Potest Deus illum tollere ex peculiari fauore sine nostris actibus.

SECVNDA CONCLVSIO: Cùm in eo primo sensu supponatur hoc beneficium à liberalitate Dei prouenire, non licet vllo modo asserere, illud esse vlli concessum sine vrgentissimo fundamento; quia miracula non debemus admittere sine grauissimo fundamento; vnde longè tutius hoc priuilegium negatur omnibus alijs à Christo & beatissima Virgine, quàm vel vni conceditur.

Nulli de facto illum sustulit, excepto Christo & Beata Virgine.

Pro hac tamen conclusione aduerte, fomitem esse varium tam in materia carnis quàm iræ, quàm superbiæ: fortasse ergo Deus extinxit alicui fomitem ad aliquod tempus in vna materia (vt in materia castitatis de aliquibus refertur ab auctoribus fide dignis;) per hoc tamen non debet simpliciter dici extinctus: de qua totali extinctione nos in hac secunda conclusione locuti sumus.

Fomes varius.

Sepelitur aliquando in certâ materiâ, non tamen totaliter extinguitur.

TERTIA CONCLVSIO circa secundum sensum, videtur hæreticum dicere, hominem per multiplicationem operum peruenire posse ad eum statum, in quo planè fomitem expellat: etenim Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem id tribuit Pelagianis, vt vnam ex eorum hæresibus; & in Concilio Viennensi id tribuitur Begardis & Beghinis, vt refertur in Clementina *Ad nostrum*. de hæreticis. Probatur autem nostra sententia ex verbis Pauli ad Romanos 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Vbi cùm Apostolus ad summam gratiam eleuatus dicat, se adhuc sentire rebellionem appetitus, manifestè insinuat eamdem in cæteris manere. Et ita locum hunc intellexerunt ferè omnes Patres, ex eo argumentari ad cæteros homines. Vbi aduerte, etiamsi Augustinus & vnus aut alter Pater videatur semel intellexisse ea verba de Paulo in personâ peccatoris; nihilominùs eumdem Augustinum lib. 1. Retractat. cap. 24. & lib. 2. cap. 1. & ex professo lib. 1. Contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 10. & lib. 6. Contra Iulianum cap. 11. vbi profectò citat Nazianzenum, Hilarium, & Ambrosium, ea intellexisse de homine iustificato, & in gratiâ constituto. Hieronymum verò id clarissimè probat Dialogo 2. Contra Pelagianos, in principio; vbi rursus adducit in confirmationem aliud testimonium eiusdem Apostoli ad Galatas 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum &c.*

Hæreticum videtur asserere, hominem propriis actibus in gratiâ factis hunc fomitem extinguere posse.

Probatur ex S. Paulo, qui hanc rebellionem in se sensit.

Digitized by Google

Ex quibus Hieronymus sic infert, *Ecce Apostolus omnésque credentes, quod volunt implere non possunt.* Idem tradit Ambrosius lib. de Fuga sæculi, lib. 2. de Abraham, cap. 6 Gregorius in Iob lib. 6. cap. 16 Bernardus sæpè, lib. de Natura diuini amoris cap. 6 sermone 6. de Aduentu, sermone 6. Quadragesimæ, & sermone 81. in Cantica. Idem persuadent verba Pauli 2. ad Corinth. 12. *Datus est mihi stimulus carnis meæ*, &c. Quæ verba, si intelligantur de stimulo carnis, clarissima sunt pro nobis; de quocumque verò stimulo, habent vim, quatenus ostendunt, indignisse Apostolum aliquo quasi fræno, ne extolleretur. Video posse dici, vanam gloriam non esse ex rebellione appetitus; est enim passio quasi purè spiritualis; nihilominùs, quia etiam hæc valdè ex humoribus fouetur; vnde videmus aliquos vehementer ad gloriam propensos ex natura, alios non; sine dubio meritò etiam dicetur, contra motus appetitus esse illi datum stimulum, vt Augustinus sermone 5. de verbis Apostoli, & Hieronymus secundo Dialogo contra Pelagianos ea intellexerunt. Ratio huius esse potest, quòd Deus specialem hunc fauorem noluerit hominibus præstare, ob causas quas suprà dixi. Habitus item supernaturales, quantumuis intensi, id non efficiunt, quia non dant facilitatem ad operandum; sed sunt præcisè per modum potentiarum, nec magis sentiuntur, quàm si nó essent in homine; habitus verò naturales acquisiti boni, etiamsi multum frænent appetitum, non tamen omnino tollunt; sicut è contrario, habitus peccaminosi, etiamsi intensi sint, non tollunt libertatem ad non peccandum: & in appetitu, cùm præueniant actus voluntatis, res est clarior.

36.

Ratio conclusionis.

Obiectio Prima.

Obijcies Primò: Augustinus ad verba illa Matth. 5. *Beati pacifici*, lib. 1. de Sermone Domini in monte, videtur contrarium docere, dum ait, in pacificis omnia ordinata esse, nullúmque motum esse aduersus rationem rebellem; & ità in hac vita compleri, sicut credimus impleta esse in Apostolis. Respondetur, Augustinum alibi suã sententiam declarasse satis, vbi de ea re ex proposito tractauit; quid autem hîc intenderit, ostẽdit lib. 1. Retract. cap. 19. vbi ait, *Ita id accipiendũ, non vt nullum omnino motum dicamus in Apostolis fuisse, sed non tales, quales in alijs, completámque in eis pacem, prout in statu vitæ compleri potest.*

Responsio.

Obiectio Secunda.

Secundò posset ille idem locus ad Romanos 7. qui pro nobis est allatus, obijci contra nos; eò quòd, vt diximus, illum de peccatoribus intellexerint aliqui Patres. Verùm iam ostendimus, ab ijsdem etiam intelligi de iustis. In hoc sensu potest de solis peccatoribus intelligi, quatenus peccator cedit illis motibus; at quatenus eos sentit, eis tamen resistit, sine dubio ad Apostolum iam iustum cæterósque iustos spectat. Et satis de hac quæstione inter Catholicos, ipsâ etiam experientia satis clarâ.

SECTIO VI.

An iusti possint in hac vitâ vitare omnia venialia.

37. QVÆSTIO hæc inter Catholicos, maximè post definitionem Tridentini, difficilis non est, multò minùs inter hæreticos huius temporis, qui in hoc puncto Catholicis ita consentiunt, vt nimis multum dicam pro ea.

Supponendum est Primò, posse physicè quodlibet peccatum veniale vitari, alioquin non esset peccatum. Vbi enim nulla est libertas, non est peccatum nec mortale, nec veniale. In quo puncto per excessum grauiter errarunt hæretici nostri temporis, dum dixerunt, hominem non posse non peccare, & quidem in omni actione; errarunt etiam, dum motus ipsos appetitus præuenientes vsum rationis dixerunt esse peccata.

Quodlibet peccatum potest physicè vitari.

Supponendum Secundò, quod & nos superiùs ostendimus, eo ipso quòd sit libertas physica ad quodlibet peccatum diuisiuè sumptum, esse etiã potestatem physicam ad totam collectionem: nam licet in alijs rebus ea consequentia non valeat; non enim qui potest diuisiuè omnes libros v.g portare manibus, potest etiam physicè omnes simul, in libertate tamen consequentia ea euidẽs est: nam si potest hoc peccatum veniale physicè vitare seorsim, potest etiam, postquam vitauit primum; nam vitare primum non ademit illi vires physicas ad secundum, alioquin facta iam suppositione illa de vitato primo, sequeretur, ad secundum determinatè non habere vim physicam, & consequenter nec peccare tunc venialiter in eo secundo: quod est contra suppositionem, quia iam tunc vitaret omnia: quod verò impotẽtia ad totam collectionem deberet aliquando verificari ex impotentia ad vnum determinatum, ostendi euidenter suprà agendo de victoria omnium tentationum; quod ideò hîc noto, quia cõmuniter res hæc non benè distinguitur; & multi censent, non esse necessum ex ea collectione aliquando descendere ad vnum determinatum. Dico *aliquando*; libenter enim concedo, non semper id esse necessum; nam si (& maioris claritatis gratia pono tria venialia) quis cadat in primo, tunc ad omnia in particulari habuit potentiam; nam illud primum sine dubio potuit vitare, quia nondum faciebat totam collectionem; secundum & tertium etiam potuit vitare; nam suppositio quòd cecidisset in primo, iam, etiamsi steriisset in secundo & tertio, non fecisset collectionem, ergo tunc in omnibus habuit potentiam moralem: at si (vt potuit moraliter) vicisset primum & secũdum, tunc quia ad totam collectionem non habebat vim, necessariò, moraliter loquendo, debuisset cadere in tertio; ergo in illo determinatè tunc temporis exercebatur ea impotentia; ergo negari nequit, quin impotentia moralis ad collectionem debeat aliquando ad particulare determinari: ergo cùm tunc habeat libertatem ad peccandum, necessum est, vt habeat potentiam physicam ad totam collectionem, & eo sensu quo habet moralem impotentiam ad totum, habeat aliquando ad vnum; neque ideò sequitur illum hominem non peccaturum in eo vno: iam enim diximus etiam cum impotentia morali stare libertatem sufficientem ad peccandum siue venialiter siue mortaliter.

Si datur libertas physica ad quodlibet diuisiuè, datur etiam ad collectionem omnium euitandam.

Impotentia moralis ad collectionem debet aliquando determinari ad particulare.

38. Vbi Tertiò obserue, minùs benè Patrem Suarez cap. 8. num. 15. hanc impossibilitatem comparare impotentiæ ad operandum sine gratia ptoüit oportet ad salutem; etenim hæc est planè repugnantia physica; nam sine gratia nec quidẽ physicè fieri possunt actus supernaturales conducentes ad salutem, at iam ostendimus paulò antè impotentiam ad venialia etiam collectiuè non esse physicam, sed moralem; ac propterea dixi non benè multos explicare necessitatem peccandi venialiter.

Suarez hanc impossibilitatem malè cõparat impotentiæ ad operandum sine gratia.

CONCLVSIO ergo Catholica definita in Tri-

Digitized by Google

De fide est, iustum cum ordinarijs auxilijs non posse omnia venialia vitare.

Tridentino sess. 6.can. 23. docet, hominem cum ordinarijs gratiæ auxilijs sine speciali Dei priuilegio (quod beatissimæ Virgini concessum credit) vitare non posse omnia peccata venialia. Quando Concilium dicit *sine speciali auxilio*, non intēdit, debere esse speciale, vt contradistinguitur ab auxilio communi tam reprobis quàm prædestinatis: quo solo sensu donum perseuerantiæ vocatur etiam speciale ab eodem Concilio: intelligit ergo speciale, quod non datur etiam ipsis prædestinatis; & quod Concilium non audet opinari datum nisi beatissimæ Virgini. Huius veritatis fundamentum desumitur à Tridentino ex innumeris Scripturæ testimonijs, quibus asseritur, hominem non esse sine aliquo peccato; quod de veniali intelligendum est; nam sine mortali actuali mukos sæpè reperiri certissimum est; vt illo Prouerb. 24. *Septies cadet iustus*: & illo 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus*: & illo Christi ad Apostolos, *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*: quibus innuit, etiamsi in gratia sint, semper pedibus pulueres aliquos adhærere, qui adhuc indigeant lotione. Item, dum Christus hortatus est omnes etiam iustos orare frequenter Pater noster, & petere, *Dimitte nobis debita nostra*, supposuit illos ferè semper habituros aliqua leuiora. Iacobi 3. *In multis offendimus omnes*. 3. Regum 8. 2. Paralip. 6. & Eccle. 7. *Non est homo iustus in terrâ qui faciat bonum, & non peccet*. Quæ testimonia licet fortè aliquam aliam admittant expositionem, communiter tamen à sanctis Patribus ad hoc intentum adducuntur: vnde etiam secundà eius veritatis confirmatio desumitur, scilicet ex communi Patrum consensu: quos videre licet apud Bellarminum lib. 1. de Amissione gratiæ cap. 5. & Suarium suprà cap. 81. insinuabo breuiter loca, Cyprianus sermone de operibus & eleëmosyna, & lib. de Oratione Dominicâ, Nazianzenus oratione 15. quæ est consolatoria ob plagam grandinis, Ambrosius Psalm. 118. circa illud *Fac cum seruo tuo*, & lib. de Noë & arcâ c. 22. Chrysostomus homiliâ 20. in Matth. Hieronymus in Epistolâ ad Ctesiphontem, & in lib. Contra Pelagium, & Epistolâ 151. ad Algasiam, q. 8. Augustinus fusissimè in diuersissimis locis, lib. 2. Contra Iulianum c. 8. & de Bono perseuerantiæ c. 5. & l. 4. Contra duas Epistolas Pelag. c. 4. & alij multi. Ratio huius veritatis desumitur ex duobus capitibus: vnum est, quòd ad peccata venialia occurrant passim innumeræ occasiones, quas homo ob sensuum & corporis fragilitatem, ob vehementem appetitus inclinationem vix potest vitare; maximè cùm, vt ab eis deterreatur, non habeat adeò efficacia motiua: cùm enim nec per ea amittatur gratia, nec incurratur pœna inferni aut beatitudinis amissio, esto per illa suo modo Deus aliqualiter offendatur, non apprehēdit homo fortiter motiuum, vt ea vitet: id quod maximè locum habet in venialibus ex subreptione seu imperfectâ deliberatione, in quibus est supra modum difficile hominem se semper cohibere: alterum caput est, quod Deus, etiamsi posset, nolit tamen dare specialia auxilia, quibus homo superet eas difficultates; vnde fit, ita victoriam illam esse difficilem, vt moraliter sit impossibilis; & certum omnino sit, numquam ab homine obtinendam, etiamsi simpliciter physicè posset viuere. Exemplum physicum huius impotentiæ posuimus in iactu alearum: licet enim quòd semel ceciderint in quatuor aleis v. g. 24. numeri, in qualibet sex, non impediat vllo modo physicè, quò minùs ijdem numeri secundâ vice cadant, & sic tertia & quarta; nihilominùs contingere non potest casus, in quo, si centies ordine proijciantur, semper ijdem 24. numeri appareant.

Fundamentū huius à Tridentino sumitur ex varijs Scriptura locis.

Matth. 6.

Idem confirmatur ex Patribus.

39. *Hac veritas ratione ex duobus capitibus desumptâ probatur.*

Exemplum physicū huius impotentiæ.

Contra hanc conclusionem obijci potest Primò quòd in Scriptura aliqui dicantur immaculati, Psalm. 118. item ingredi sine macula, Psalm. 14. item, quòd ad perfectionem nos Deus hortetur, supponens eam possibilem: atqui perfectio omne excludit peccatum. Paulus item ad Ephes. 5. ait, *Dilexit Ecclesiam, vt exhiberet eam non habentem maculam aut rugam.*

40. *Obiectio Prima ex varijs Scriptura locis.*

Secundò, petimus à Deo vt liberet nos ab omni peccato; ergo est id possibile: petere enim id quod scimus Deum concedere omnino nolle, est mala petitio. Ad priora loca respondet Augustinus lib. de Perfecta iustitia, & in lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 15. & seqq. homines dici habere iustitiam, & dici immaculatos iuxta iustitiam & perfectionem viæ, quæ maximè in carentiâ mortalis consistit; & in hoc, quòd venialia etiam non valdè frequentet committantur, maximè ex deliberatione; Tertiò, in multitudine bonorum operum: & ob eamdem rationem Ecclesia dicitur sine macula & ruga. Ad secundum de orationibus dicimus ex eodem Augustino sermone 29. de verbis Apostoli, Etiamsi homo non possit ea omnia venialia vitare, tamen ipsū conari ad id, diminuēdo ea quantum fieri possit, esse magnæ vtilitatis, & ad hoc peti gratiam, vt semper plura & plura vitemus, & ostendamus nostrum affectum carendi, quantum est ex nobis, omnibus illis.

Obiectio Secunda.

Responsio S. Augustini ad priora loca.

Eiusdem ad Secundam obiectionem responsio.

Tertiò possunt obijci aliqui Patres, qui videntur contrarium sentire; vt Gelasius Papa Tomo 1. Epistolarum Pontif. Epistola 5. ipsius Gelasij: & ipse quidem Augustinus lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 6. ait non esse obsistendum eis qui affirmant, esse posse hominem in hac vita sine peccato: Ambrosius etiam in cap. 1. Lucæ ad ea verba, *Erant autem ambo iusti incedentes in iustificationibus Domini sine querelâ*. Respondeo Primò, Gelasium solùm docere, possibile id esse per diuinam gratiam, id est specialem: etiam addit, an de facto vllus talis fuerit, se nec affirmare, nec negare: idem docet Augustinus. Difficiliùs loquitur Ambrosius. Respondeo tamen Primò, eius auctoritatem non præualere contra tantam oppositam; Secundò, eum fortè loqui de peccatis grauibus; Tertiò, non de totâ vitâ, sed ad aliquod breue tempus.

Obiectio Tertia ex Patribus.

Responsio.

SECVNDA CONCLVSIO: Vtrum ex hac regulâ generali Deus aliquem de facto exemerit, non est ita certum, quia tamen res est tam miraculosa, & in quâ non audet Concilium excipere nisi solam beatissimam Virginem, non debemus nos vllum alium excipere; & verò sine magna temeritate id non licet: vnde nulli planè etiam Ioanni Baptistæ, id priuilegium debet concedi, quia non est sufficiens fundamentum: quòd enim vnus aut alter Doctor id tribuerit huic aut illi Sancto, non sufficit vllo modo ad exceptionē à regula: quòd item aliqui fuerint in vtero materno sanctificati, non continuò infert tale priuilegium: sunt enim ea duo valdè separabilia: non debemus autem ex regula generali in Scriptura tradita excipere aliquem in vno puncto, eo præcisè quòd fuerit in alio exceptus.

41. *Nullus, exceptâ B. Virgine, ab hac generali regulâ videtur excipiendus.*

TERTIA CONCLVSIO: In vna aut altera materia contingere potest, vt quis nullum veniale

Digitized by Google

niale committat, v.g. nullum vnquam mendaciũ, nullum nec leue furtum; neque hoc est contra definitionem Concilij, quod absolutè de omni materiâ collectiuè loquitur. Facilis huius rei ratio reddi potest, quòd ex ipso naturali temperamento aliquando homo vitium aliquod, v.g. furtum, vel mendacium, ita horret, vt accedentibus gratiæ auxilijs etiam ordinarijs eiusmodi peccatum facilè vitare possit. Neque in vnâ determinatâ materiâ vim habet argumentum suprà factum, quod ex multitudine occasionum & humanâ fragilitate desumebatur: possunt enim in vnâ aut alterâ materia nec dari tot occasiones, nec esse ex parte ipsius hominis vehemens in illam inclinatio, ideóque nulla grauis difficultas in eis peccatis vitandis.

In vnâ aut alterâ materiâ contingere potest, vt nullum quis veniale committat. Ratio huius.

42. Illud etiam est valdè notandum, longè maiorem esse difficultatem in vitandis peccatis ex imperfecta deliberatione quàm ex perfecta; nam quo libertas & iudicium perfectius est, facilius possunt peccata vitari, quàm quando tantùm est semiplena libertas & potestas. Hinc dico, valdè probabile esse, aliquos summos sanctos aliquo tempore omne deliberatum peccatum veniale vitasse. Dixi *per aliquod tempus*, quia per totam vitam id eis concedere mihi videtur minùs probabile.

Difficilius est vitare peccata cũ imperfectâ quàm perfectâ deliberatione facta. Aliquo tempore omne deliberatum peccatum vitari potest, nõ tamẽ per totam vitam.

Restat nunc determinare, quàm sit longum tempus, intra quod homo possit esse sine veniali. Respondeo, magnam esse in hoc puncto incertitudinem, cùm ex definitione Tridentini & ex Patribus nihil possit in hoc puncto inferri. Aliqui dicunt esse vnam diem: alijs id videtur nimium; dicitur enim Prouerb. 24. *Septies cadet iustus*: ergo supponitur illos singulis diebus peccare. Non displicet quod P. Suarez ait, fortè in viris valdè spiritualibus, & tota die in bonis operibus diligenter occupatis, posse admitti vnam diem sine vllo veniali; quia tamen multis diebus in eis operibus perseuerare difficillimum est, ideò non posse ad aliquos dies extendi potentiam ea omnia venialia vitandi. Sed de hoc vltimo puncto, vt omnino incerto, satis.

Quanto tempore homo possit esse sine veniali incertum est.

DISPVTATIO LII.

De conseruatione gratiæ, seu de perseuerantiâ in illâ, item de eius amissione.

1. EXPEDIAM breuiter aliqua quæ fusè tractantur à nonnullis, maximè à Patre Suario lib. 10. de Conseruatione gratiæ; quia vel alias materias concernunt, vel à nobis sunt iam suprà tractata.

SECTIO I.

Quid requiratur ad conseruationem gratiæ.

Ad gratiæ conseruationẽ quid requiratur.

2. CIRCA quod quæritur Primò, an requiratur opera bona ad eam conseruationem. Suppono contra hæreticos gratiam in adultis non acquiri Primò nisi per bona opera: suppono etiam iustos teneri legibus, posséque peccare & non peccare. His positis, resolutio huius dubij facillima est. Dicimus ergo, ex parte hominis solùm requiri, ne de nouo peccet mortaliter: etenim si peccat, eo ipso gratiam expellit; si non peccat, non est vnde illa expellatur, quia non habet cõtrarium; nec datur de facto status medius inter gratiam & peccatum: hinc infertur, quandocumque est necessarium bonum opus positiuum ad non peccandum mortaliter, esse etiam necessariũ tale opus ad conseruandam gratiam; quando verò per actum indifferentem aut venialiter malũ potest seruari præceptum graue, tunc non esse necessarium bonum opus ad gratiæ conseruationem; an autem, & quando præceptum possit per actum venialiter malum impleri, & an aliquando positiuum præceptum sit de actu amoris Dei, non est huius loci: in præsenti ergo quæstione non est difficultas maior: & ad hæc reducuntur quæ fusè per totum caput primũ Suarez tractat.

Ex parte iustificati solùm requiritur, vt non peccet mortaliter. Quando necessarium est bonum opus, ad non peccandum mortaliter, etiam necessarium erit ad conseruandam gratiam.

Secunda difficultas est, quid ex parte Dei requiratur ad eam conseruationem. Suppono ex dictis Deum, si homo non peccet, semper conseruare gratiam; ergo ex parte Dei nihil aliud requiritur, quàm quòd det homini auxilia vt non peccet. Id quod clariùs sub his terminis proponitur, quale auxilium gratiæ sit necessarium ad nõ peccandum grauiter diu, & vsque ad mortem perseuerandũ. Non agimus iam de auxilio, quod habent illi qui actu perseuerant, sed de illo quod requiritur, vt quis habeat potentiam perseuerandi.

Quid ex parte Dei requiratur.

vt det auxilia homini vt non peccet.

Communis sententia docet, omnino esse necessarium speciale auxilium; pro qua adducuntur à Patre Suario suprà cap. 2. aliqua Scripturæ loca; vt 1. ad Corinth. 1. *Qui confirmabit vos vsque in finem sine crimine:* & ad Philip. 1. *Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu:* & 1. Petri 5. *Deus omnis gratiæ ipse perficiet, confirmabit, solidabitque:* & ex Arausicano II. can. 9. *Diuini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros ab iniustitiâ retinemus:* & can. 10. *Adiuuerium Dei etiam renatis & sanctis semper est implorandum, vt ad finem bonum peruenire, vel in bono possint opere perdurare.* Alia similia ex Augustino & Patribus adducuntur. Confirmatur ratione desumpta ex Scriptura 2. ad Corinth. 4. *Habemus thesaurum in vasis fictilibus:* ibi enim denotatur fragilitas humana, ratione cuius indigemus tali auxilio speciali. Ego (vt verum fatear) neque quæstionis sensum sufficienter explicatum video, & loca hæc non esse ad rem præsentem censeo. Pro quo aduerte, non disputari iam, vtrùm sit necessarium auxilium Dei etiam supernaturale & gratuitum; hoc enim ad quodlibet opus bonum supernaturale, & non tantùm ad totã collectionem necessariũ esse, supponũt omnes. Quæstio ergo est de auxilio speciali intra ipsum ordinem gratiæ: & hoc requirit Suarez & alij, non quidem ad vnum vel alterum peccatum fugiendum, sed ad totam collectionem.

Necessarium ad hoc est speciale auxiliũ. Suarij probationes.

Suarez reijcitur.

2. *Quæstio est de auxilio speciali intra ipsum ordinẽ gratiæ.*

Hoc supposito, quis nõ videat omnia ea Scripturæ, Conciliorum & Augustini loca non esse efficacia; quia in eis & agitur de quolibet opere aut qualibet fuga peccati seorsim sumpta: & auxilium, quod in eis requiritur, non petitur quasi speciale intra ordinem gratiæ, sed solùm dicitur, quod sine gratia Dei id fieri non possit. Quæ propositio perfectissimè saluatur in quolibet auxilio

Scripturæ & Augustini loca inefficacia esse ostenditur.

Digitized by Google

silio veræ gratiæ, etiamsi speciale non sit, quia & illud est verissimum gratiæ auxilium. Confirmo: Ipsemet P. Suarez cap. sequenti ait, hoc auxiliũ, vt possit quis perseuerare (loquor, vt dixi, de potẽtia, non de actuali perseuerantia) dari omnibus iustis siue mediatè siue immediatè: ergo loca allata ex Paulo non sunt pro præsenti quæstione; nã in eis Paulus & Petrus aliquid speciale optabant pro his ad quos scripserunt, propriũ electorum, & non commune omnibus iustis etiam reprobis: ergo non est in eis sermo de auxilio, de quo in præsenti.

3. *Quid intelligi per vt speciale debet ad statũ huius quæstionis explicandum.*

Hinc Secundò dico, non benè, nec quidem consequenter declarari statum quæstionis; nam cùm dicitur requiri auxilium speciale, *vt speciale* est respectiuum, & opponitur ordinario & communi, vt per se patet: atqui ipse auctor sequenti capite fatetur, vt dixi, omnes iustos habere auxilium necessarium ad eam perseuerantiam: ergo tale auxilium est commune & ordinarium, ergo non speciale.

Dices: Speciale hîc sumitur prout contraponitur auxilio debito ipsi gratiæ. Verùm neq; per hoc declaratur difficultas; nam tunc oporteret explicare, quæ sint auxilia gratiæ communia debita ipsi gratiæ; vt sic posteà sciremus, quæ sint specialia. Imò idem auctor sequenti cap. num 6. probans omnibus iustis dari potentiam ad vincenda omnia mortalia collectiuè, ait id esse maximè connaturale & debitum gratiæ existenti in homine, ob quam diligitur homo à Deo vt amicus; ad amicitiam autem (inquit) spectat iuuare amicos, maximè in re adeò necessariâ. Vides ibi ea auxilia, etiam ad totam collectionem peccatorum vitandam necessaria, dici debita ipsi gratiæ: quo ergo sensu iam dicuntur specialia?

Tertiò idem vrgeo, quia expresè quarto cap. num. 3. adducit testimonium Milevitani cap. 3. in quo dicitur gratiam Dei, quâ iustificamur, non solùm ad remissionem peccatorum valere, sed etiam in adiutorium, ne committantur. Vnde argumentor: Vel ergo putat auctor gratiam remissionis per auxilia, quæ secum affert, sufficere ad vitanda omnia futura, vel non: si primum, ergo præter illa auxilia, non est necessarium aliud speciale ad talem finem: si verò non sufficiunt, ergo locus hic non probat omnes iustos, eò quòd habeant gratiam, habere etiam vim ad fugienda omnia mortalia. Vt ergo quæstionem clarè sine terminorum confusione decidamus.

4. *Omnes iusti habent auxilium sufficiens ad euitanda omnia peccata mortalia.*

Dico Primò: Omnes iusti habent auxilium sufficiens, vt possint vitare omnia peccata mortalia. In hac conuenio cum eodẽ Patre Suario cap. 4. éstque sententia communissima inter omnes Theologos: & id clarè denotant ea verba 2. Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestrã vocationem faciatis.* Hoc ipsum definiuit expresè Arausicanum II. cap. 25. ex Tridentino idem probant aliqui, eò quòd sess. 6. cap. 11. doceat Deũ impossibilia non iubere, sed iubendo adiuuare, &c. Ab hoc tamen loco abstineo, quia etiã probaretur iustum habere auxilia ad vitanda omnia venialia; nam & ea Deus iubet vitari, & non iubet impossibilia. Meliùs ergo suadetur, quia auxilium necessarium ad salutem omnibus datur (vt est in confesso ferè apud omnes;) nam licet de Gentilibus dubitetur, an aliquando habeant auxilium proximum, de iustis tamen ad non peccandum omnes concedunt: ergo habet quilibet iustus auxilium ad perseuerandum. Patet consequentia; nam perseuerantia est necessaria ad

Auxilium necessarium ad salutem omnibus datur.

salutem: ergo qui potest salutem, potest & perseuerantiam. Secundò eadem veritas suadetur ex dictis à nobis in Primâ difficultate; nam ad gratiam conseruandam solùm est necessarium non peccare grauiter: atqui ad non peccandum necessarium est, vt auxilium detur, alioquin iam non esset peccatum.

Obiectio.

Dices, hoc argumento etiam probari, posse sine speciali auxilio vitari omnia venialia, quia etiam illa, vtpote peccata, requirunt potentiam qua fugiantur. Respondeo, ideò me suprà dixisse, saltem physicam potentiam necessariò debere esse ad ea vitanda; ideò mortalia omnia posse physicè vitari etiam collectiuè suppono, vt omnino certum; & quidem potentia hæc physica etiam datur in homine sine vllo speciali auxilio gratiæ solùm cum concursu generali Dei; si enim hic non dat potentiam ad vitandum peccatum, ergo illi succumbere non erit peccatum.

Responsio.

5. *Conclusio nostra potentiã moralem ad totam collectionem mortalium concedit.*

Conclvsio ergo nostra, vt aliquid speciale dicat de mortalibus, & posito auxilio gratiæ (siue illud speciale siue generale, intra ordinem gratiæ vocetur, de quo paulò pòst) potentiam moralem ad eam totam collectionem concedit; vnde ad obiectionem faceor ex sola pura potentia ad peccandum non inferri potentiam moralem ad oppositum, vt benè conuincit obiectio; quia tamen in moralibus non habemus eam auctoritatem & rationem à summa difficultate desumptam, vt dicamus auxilia ordinaria data per Christum non esse ad ea vitanda sufficientia, etiam moraliter: imò id Christus ipse persuadet dum dicit iugum suum suaue esse: si enim vitare omnia mortalia, sine quibus salus non obtineretur, esset difficillimum moraliter, absque dubio grauissimum esset iugum Christi: ergo eam potentiam etiam moralem negare non debemus.

Talia auxilia non dari immediatè quibuslibet iustis fatemur cum Suario.

Fateor tamen cum Patre Suario eo cap. 4. num. 8. valdè esse probabile, non dari talia auxilia immediatè quibuslibet iustis. Explico: Fortè aliquis iustus erit aliquando in tam vehementi tentatione ad mortale, vt moraliter vix possit resistere; vnde immediatè non habebit moralem potentiam; nihilominùs hic ipse eam habuit simpliciter, quatenus priùs habuit auxilia vel vt vitaret illam occasionem, vel vt eliceret actus orationis, quibus peteret maiores vires; quia verò eos actus neglexit, non est data illi potentia immediata & moralis, vt facilis illi esset ea victoria: quo sensu ego intelligo illud principium, *Qui amat periculum, in illo peribit.*

Eccli. 3. *Obiectio.*

Verùm obijcies è contrario ad probandum, non esse necessarium vllum auxilium gratiæ ad perseuerandum; nam suprà diximus etiam peccando venialiter posse hominem conseruare gratiam, si per veniale satisfaciat præcepto obliganti sub mortali: atqui ad venialia committenda non est necessaria gratia, igitur nec ad perseuerandum. Respondeo Primò, in fuga mortalis per veniale duo esse, & graue non committere, & admittere leue. Deus ergo dat tunc auxilium gratiæ, cogitationem scilicet seu inspirationem, quæ ex se inclinat ad vitandum mortale etiam per actum bonum: & illa est gratia specialis, singularis scilicet confortatio voluntatis per eã cognitionem: quòd verò homo ea non vtatur posteà, nisi solùm ad mortale vitandum, non verò ad efficiendum actum bonum, per accidens est respectu eius inspirationis. Respondeo Secundò, & ferè in idem recidit, auxilium, de quo hîc loquimur

Responsio Prima.

Digitized by Google

quimur, non esse necessariò supernaturale, nisi debeat intervenire opus supernaturale, quo vincatur peccatum, sed esse singularem providentiam homini indebitam, quâ tentationes maiores auertantur, vel homo in eis occasionibus non ponatur, vbi difficulter se contineret, &c. hæc autem gratia locum habet, esto homo venialiter simul peccet.

6. *Gratia prouidentiæ omnibus iustis communis natura indebita est; an gratia habituali debita sit incertum.*

Dico Secundò: Vtrùm hæc prouidentia gratiæ, quæ est naturæ indebita, communis tamen omnibus iustis, ideóque in eo sensu non specialis; vtrùm, inquam, sit dicenda debita gratiæ ipsi habituali, planè est incertum, quia non possumus nos determinatè dicere quid ita exigat gratia, vt si ei non concedatur, fiat ipsi aliqua violentia. Probabile est Primò, eam non ita exigere talia auxilia, vt planè esset miraculosum, si ea negarentur; quia ad ponendam tantam exigentiam non habemus solidum fundamentum. Secundò tamen probabile est per modum congruentiæ, id exigere: quod persuadet ratio, quâ ex Suario attulimus; quia scilicet amicitiæ valdè connaturale est exigere, vt Deus non permittat suos amicos adeò in malum grauissimum tentari, vt moraliter sit illis impossibile euadere. Vnde concludo contra eumdem Suarium, hæc auxilia non debere dici specialia, vltra exigentiam gratiæ, quia & sunt illi valdè connaturalia, & de facto sunt omnibus iustis communia, ergo. Et ad has duas conclusiones sic declaratas reducitur tota substantia eorum quæ cap. 3. & 4. fusè idem auctor tractat.

Hæc auxilia non sunt specialia vltra exigentiam gratiæ.

Obiectio. Obijcies, Tridentinum sess. 6. can. 22. ait, *Si quis dixerit iustificatum sine speciali auxilio Dei in acceptâ iustitiâ perseuerare posse, anathema sit*: ergo auxilium speciale necessarium est ad perseuerandum. Respondeo, à Concilio vocari speciale, quatenus condistinguitur ab auxilijs naturalibus debitis: solùm enim contendit, sine vero auxilio gratiæ, & quidem nouo, distincto ab eo, quod necessarium fuit ad obtinendam gratiam primam, neminem posse perseuerare: vnde nihil infertur contra nos, quia nullo modo negamus esse necessarium auxilium gratiæ, sed dicimus illud exigi ab ipsâ gratiâ, ideóque negamus illud esse speciale in sensu intento ab auctoribus, cum quibus ago.

Responsio

Non est idem, dare iustis donum perseuerantiæ & potentiam ad perseuerandum.

Aduerte, optimè Patrem Suarez obseruare contra Aluarez, non esse idem, omnibus iustis dari donum perseuerantiæ, & omnibus dari potentiam ad perseuerandum; sicut non est idem, Deum omnibus dare potentiam vt saluentur, & omnes saluari; quia in vno significatur auxilium sufficiens, in altero etiam congruum: quæ duo quomodo differant sæpè diximus; malè autem in vnum ab Aluarez confundentur, vt aliquos ex Societate docentes, quemlibet iustum posse perseuerare, redargueret; ac si dixisset, quemlibet de facto perseueraturum, seu habiturum donum perseuerantiæ.

Sectio II.

An actualis perseuerantia sit ex speciali dono Dei.

7. Difficultas hinc, meo iudicio, suppositis his quæ paulò antè diximus, & sæpè, agentes de auxilio congruo, item superiùs dum de obseruatione totius legis, notauimus, nulla planè est. De eâ agit P. Suarez per tria capita. Rem totam paucissimis verbis comprehendam.

Perseuerantia dupliciter sumitur, strictè & latè.

Supponendum autem Primò, perseuerantiam sumi posse vel in toto rigore, prout dicit mortem in gratiâ, cui est æterna salus annexa; vel magis laxè, prout denotat aliquam moram temporis, quâ etiam reprobus durat in gratiâ, quam tamen posteà ante mortem amittit; nam licet aliqui contendant, hanc non vocari apud Patres perseuerantiam, verè tamen dici potest perseuerantia cum eo addito: & ne faciamus quæstionem de nomine, siue eo modo vocetur, siue non, de eâ potest esse difficultas suo modo eadem, quę de primâ perseuerantiâ.

Quando detur auxilium congruum, ex quo videtur sequi effectus in circumstantiâ mortis secutura, est speciale Dei beneficium: item, immittere mortem, quando quis in gratiâ est.

Secundò supponendum, hoc, quod est dari auxilium gratiæ congruum, quando præuidetur habiturum effectum, & maximè in eâ occasione, quando videtur statim secutura mors; esse speciale Dei beneficium, etiam intra ordinem gratiæ; quia potuit dare auxilium purè inefficax.

Tertiò supponendum, etiamsi nullum det homini auxilium congruum, hoc ipsum tamen, quod est immittere illi mortem, quando ille est in gratiâ, & non protrahere illi vitam quousque cadat, vel hoc, quod est remouere illum ab occasionibus peccati, in quibus præuidebatur lapsurus, si in eis poneretur, esse etiam singularem fauorem Dei; quem nec præstat omnibus, nec tenebatur huic præstare, etiamsi eum ad gratiam iustificantem euexisset. His positis.

8. *Conclusio est de fide.*

Conclusio certa de fide ex multis testimonijs Scripturæ, Conciliorum & Patrum, quæ videri possunt apud Suarez cap. 4. & 5. & apud alios auctores in præsenti est, perseuerantiam esse specialè Dei donum. Ratio autem manifesta est ex dictis, quia eiusmodi donum consistit vel in hoc, quòd iustus moriatur antequam veniat ad occasionem, in qua præuidebatur peccaturus; vel in eo, quòd Deus omnes omnino occasiones ab eo remoueat; vel in eo, quòd eum corroboret eis auxilijs, quæ agnita erant habitura effectum. His omnibus modis gratiam & singularem Dei fauorem interuenire ex dictis constat, & explicatis terminis est manifestum; nam & dare ea auxilia, & auertere eas occasiones, & mortem eo tempore immittere quo homo erat in gratia, prouenium à Deo, & quidem præuidente eorum vtilitatem, & specialiter eam intendente, vt sic homo ille saluetur, ergo.

Ratio clara est ex dictis.

Conclusio nostra clara est etiam in sententiâ nostrâ de electione ad gloriam ante præuisa merita, Dei beneficium vetam locum habet in infantibus qui baptizati moriãtur & amentibus.

Conclusio nostra clara est etiam in sententiâ nostrâ de electione ad gloriam ante præuisa merita; quia in ea speciali electione maximè appareret specialis Dei fauor. Ex quo capite etiam in infantibus, qui cum gratia baptismali decedunt, aut in perpetuò amentibus, baptizatis tamen, locum habet Dei fauor. Nam licet ibi non interueniat vllum gratiæ auxilium, & ex hoc capite nullum ibi interueniat beneficium nouum, tamen hoc ipsum, quod est illis mortem immittere eo tempore, vel in amente impedire ne redeat ad se, & gratiam amittat, est specialis gratia Dei: quó pacto etiam in adulto, qui immediatè post pœnitentiam moritur, potest esse gratia cum vocare, quando sciebatur responsurus, & immediatè in gratia decessurus: hoc enim haud dubiè gratia est, & fauor, ergo.

Perseuerãtia ad aliquod tempus, etsi non ad mortem, aliquis Dei fauor est.

Hinc dico Secundò: Etiam ea secunda perseuerantia ad tempus aliquod, licet non duret vsq; ad mortem, est aliquis fauor, quia & ibi interuenit hoc, quod est impedire occasiones & tentationes, dare auxilia, quæ pro eo tempore videbantur

Digitized by Google

banturad perseuerandum futura non solùm sufficientia, sed & congrua.

9 Obiectio. Dices: Totus hic discursus locum habere potest in quacumque fugâ, etiam vnius peccati: illa enim vel fit per auxilium congruum, vel certè per ablationem occasionum aut tentationum; & tamen nos suprà contra Patrem Vasquez docuimus, non omnes victorias tentationum esse non solùm specialem gratiam, sed nec absolutè gratiam per Christum; ergo eodem modo discurrere possemus de perseuerantiâ. Quòd si dicas, ideò non omnem victoriam tentationum exigere eam gratiam, quia cum concursu naturali sæpè homo præuidetur habiturus victoriam; Contrà quia potest etiam dici sæpè sine vllo speciali nouo fauore distincto ab ipsamet iustificatione videri hominem saluandum; nam si morbus sit grauissimus, naturaliterque hominem sit statim sublaturus, profectò vltra donum Dei repertum in eo, quòd homo ille immediatè antè iustificetur, nullus est fauor nouus, quòd statim moriatur, ergo.

Responsio Prima.

Impugnatur.

Responsio Secunda.

Quòd si cum aliquibus respondeas, gratiam incipere per primum sui esse, & hominem mori per primum sui non esse, inter hæc autem duo instantia semper esse aliquam morulam, in quâ homo possit à gratia cadere, ideoque ibi debere esse nouum fauorem; Contra Primò, quia in hac solutione non loquuntur hi consequenter; docerent enim, gratiam non semper incipere per primum sui esse. Contrà Secundò, & clariùs, quia, eò quòd gratia incipiat per primum esse, non sequitur, quòd interponatur aliquid inter illam & mortem; potest enim primum illud esse gratiæ esse vltimum non esse mortis. Denique illa mora, quia proportionalis est, potest talis esse, vt naturaliter non admittat intermediam operationem liberam; ergo tunc nullus erit necessarius singularis fauor ad perseuerandum. Eadem difficultas est in infante baptizato: quòd enim postea ex morbo moriatur, prouenire potest necessariò ex causis naturalibus, sine vllo nouo fauore.

Impugnatur.

10. Respondeo, quando victoria alicuius tentationis non videtur conductura de facto ad gloriam, non esse gratiam propriè Christi, sed posse tribui auxilijs naturalibus ortis ex communi prouidentiâ (vt suo loco diximus;) quando verò præuidetur talis victoria conductura, eo ipso dari à Deo ex speciali affectu salutis erga illum hominem, ideoque ex speciali prouidentiâ, ac propterea esse etiam specialem fauorem & gratiam: sæpè enim fauor & gratia denominatur non solùm à re data, sed ab animo quo datur. Ad illam alteram obiectionem de moribundo & de puero dupliciter respondere possumus. Primò, ipsum permittere causas naturales vt talem morbum nehementem excitent; qui statim extinguat, & idem de amentia est, esse fauorem Dei. Secundò, respondeo, quando dicimus, perseuerantiæ donum esse gratiam singularem, distinctam à iustificatione, loqui nos de iustificatione secundùm se sumpta, non verò vt hîc & nunc præuidetur habiturus homo finem vitæ, seu vt ea perseuerantia præuidetur connexa naturaliter cum morte; in eo enim sensu ipsum perseuerantiæ beneficium consistit in vocatione ad talem gratiam, vel in destinatione infantis ad Baptismum in talibus circumstantijs.

Secunda.

Replica. Replicabis: Hæ rationes cessant in perseuerantiâ etiam per longum tempus, quando tamen non est conductura ad salutem: tunc enim non erit necessaria specialis gratia: cuius contrarium in secundâ conclusione docuimus. Respondeo, verum quidem esse tunc non requiri gratiam ob eam rationem; dico tamen ideò requiri, quia in homine habente vsum rationis intra longum tempus naturaliter occurrunt multæ & graues occasiones peccandi mortaliter; cumque ipsum non peccare tunc, etiamsi posteà sit homo lapsurus, magnum sit Dei beneficium necessaria est aliqua gratia, quæ non est annexa creationi, per quam vel tentationes aliquæ remoueantur vel mitigentur, vel certè homo ad eas vincendas confortetur. Quæ ratio in ordine ad vnam vel alteram fugam peccati non habet locum, vt fusiùs diximus suprà dum de victoria tentationum.

Respondetur.

SECTIO III.

Appendix de necessitate gratiæ ad perseuerandum in statu naturæ integræ: vbi etiam de Angelis.

HAc de re disputat inferiùs Pater Suarez cap. vltimo huius libri; quia tamen planè est connexa his quæ de hominibus in hoc statu diximus, & addendo paucâ intelligetur, in quo sit difficultas specialis, ideò eam hîc breuissimè expediemus. 11.

Ergo suppohendum Primò est, non minùs in eo statu naturæ integræ (& idem est de Angelis) quàm in nostro, aliud esse agere de auxilio sufficienti dante posse perseuerare, aliud verò de auxilio dante etiam actu perseuerare, quod congruum diximus: igitur in vtroque casu fore speciale Dei beneficium dare auxilium efficax præ inefficaci est certo certius; nam etiamsi in eo statu nihil esset de passionibus & tentationibus; quia tamen homo esset liber, posset que vel peccare, vel stare, necesse est, vt Deus præuideat per scientiam mediam aliqua auxilia, quæ si darentur, homo staret, & consequenter quæ sint efficacia, seu congrua; alia verò, quibus datis homo per suam libertatem caderet, & consequenter, quæ sint purè sufficientia; vt constitit in Adamo & Angelis, qui de facto ceciderè: gratia ergo specialis Dei esset dare tunc ea auxilia, quæ videret fore congrua, non verò, quæ viderat fore purè sufficientia. Neque in hoc puncto, suppositis his quæ de auxilio congruo & efficaci alibi insinuauimus, dubitare amplius licet. Habet autem hæc doctrina non minùs locum in auxilijs etiam naturalibus, quàm in supernaturalibus; quia etiam in naturalibus reperiuntur efficacia & purè sufficientia: habet etiam locum non solùm ad omnia opera bona, collectiuè sumpta, sed etiam ad quodlibet seorsum.

In statu naturæ integræ alia sunt auxilia sufficientia dantia posse, alia dantia actu perseuerare. In vtroque casu speciale beneficium foret dare auxilium efficax præ inefficaci.

Hæc doctrina locum habet in naturalibus & supernaturalibus auxilijs.

Obiectio. Verùm obiicies à nobis, dum egimus contra Patrem Vasquez, fuisse dictum, etiam in ordine naturæ, non esse specialem gratiam dare auxilium congruum, quia ipse cursus naturalis sæpè petit eiusmodi auxilia: ergo esto ille, qui actu perseuerat, habeat congruum auxilium, nihilominùs non ideò erit illa datio speciale beneficium. Respondeo, nos ibi dixisse, in vnâ integrâ collectione auxiliorum pro totâ vitâ hominis sæpè debere repetiri auxilia aliquot efficacia, quia mortaliter est impossibile, vt non debeant aliquot talia occurrere, nisi Deus è contrario vellet ex proposito eligere solùm sufficientia; in præsenti autem loquimur de vno tantùm puncto seu instanti,

Responsio.

Digitized by Google

instanti, nempe de vltimo ante mortem; ibi non est necessum semper inueniri tale auxilium congruum: potest enim Deus tunc sine vllâ, vt sic dicam, volentiâ dare illud, quod sit purè sufficiens. Secundò interuenit ibi alia specialis gratia, quod permissæ sint causæ naturales tunc hominem interimere, quando illum in gratia reperit: in statu autem innocentiæ & vitæ Angelorum res est longè facilior; nam ibi non interueniret mors, sed voluntas Dei determinantis pro suo libitu finem viæ: esset autem specialis gratia, quòd illum determinauerit, quando hominem vidit in gratia, nec expectauerit aliud tempus, in quo homo ille esset in peccato.

Specialis est Dei fauor ergo homines per causas naturales interimentis, & ergo Angelos finem vitæ determinantis.

Obiicit.

Vrgebis, Licet hæc doctrina vera sit respectu cuiuslibet in particulari; quòd tamen supposito ordine gratiæ aliqui saluentur, siue hi, siue illi, non videtur esse noua gratia; ergo saltem in hoc sensu non erit necessarium auxilium speciale Dei. Respondeo, consequentiam esse nullam; quia mihi specialissimus fauor fit, quòd saluer præ Iudâ, etiamsi vnus ex nobis duobus debuisset saluari: quando autem agimus de auxilio speciali gratiæ, solùm loquimur respectu illius qui saluandus est. Constet igitur, quid sit dicendum quoad auxilium congruum pro perseuerantiâ tam in statu naturæ lapsæ quàm innocentiæ, quàm Angelorum.

Soluitur.

13. Secundò addendum, si in eâ perseuerantia in statu innocentiæ & viæ Angelorum requisita essent ad non peccandum moraliter aliqua opera supernaturalia, quæ sub peccato graui præciperentur, tunc eo ipso necessarium omnino ad eâ perseuerantiam fore supernaturale auxilium gratiæ; quia (vt suprà diximus) ad opus supernaturale debet auxilium naturale concurrere: vnde in hoc sensu etiam tunc foret necessaria vera gratia, siue intra ordinem gratiæ esset specialis, siue non, quomodo autem deberet esse fauor specialis ob congruitatem, iam dixi immediatè antè. Quòd si toto tempore eius perseuerantiæ nullum occurreret præceptum de opere supernaturali, sed solùm præcepta naturalia, tunc non esset prorsus dubio necessarium nouum auxilium gratiæ propriè dictæ: vtrùm autem illud auxilium naturale esset specialis tunc fauor ob congruitatem, tam est fusè paulò antè dictum; quod verò absolutè dicendum circa præcepta eo tempore imponenda dubium, quia pendet ex liberâ Dei voluntate, de quâ nobis non constat vllo modo. Iudico satis probabile aliquot futura præcepta supernaturalia, ideoque absolutè gratiam nouam fore ad eam perseuerantiam necessariam. Hæc videntur omnino certa.

13. Si in statu innocentiæ esset præceptum opus supernaturale sub mortali, eo ipso necessarium etiam esset auxilium gratiæ.

Si non esset præceptum de tali opere, tunc auxilio gratiæ non opus esset.

An ad tollendam impotentiam necessaria sit peculiaris gratia. Ratio dubitandi.

Quæstio ergo est, an non solùm ratione congruitatis, sed ad confortandam debilitatem naturæ aut vincendas difficultates speciales, & tollendam moralem impotentiam, quam reperiri in naturâ lapsâ diximus, esset etiam tunc necessaria aliqua specialis gratia. Ratio dubitandi sumitur ex his, quæ sæpè in hac materiâ diximus, quòd scilicet hæc necessitas oriatur tum ex fomite, tum ex naturæ debilitate & cœnsionibus: quæ omnia tunc abessent: ergo non esset tunc ea necessitas: vnde Augustinus lib. de Correptione & gratiâ cap. 11. & 12. & lib. de Dono perseuerantiæ cap. 6. & 7. ait: *Qui non inferetur in tentationem, non discedit à Deo: non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet.* Gelasius item Papa Epistolâ ad Episcopos Galliæ ait in præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse.

14. *Distinctio Suarij.*

P. Suarez ob hæc loca cap. 9. vtitur distinctione; ait enim in homine in statu innocentiæ & in Angelis sine speciali gratiâ fuisse potentiam ad perseuerandum: quod putat suaderi his testimonijs; addit tamen actualem perseuerantiam non fore sine speciali gratia, propter congruitatem auxilij, de qua nos paulò antè: quam secundam partem probat ex Tridentino sess. 6. cap. 13. definiente, donum perseuerantiæ haberi non posse nisi ab illo, qui potens est eum qui stat statuere, vt perseueranter stet; & can. 12. iustificatum sine speciali auxilio in acceptâ iustitiâ perseuerare non posse; & Arauf. Natura humana etiamsi in integritate, in quâ condita est, permansisset, nullo modo seipsam Creatori suo ipso non adiuuante seruaret: idem confirmat ex Augustino varijs in locis, maximè lib. de Naturâ & gratiâ cap. 26. vbi docet hominem etiam perfectè iustificatum benè viuere sine adiutorio gratiæ non posse: sicut oculus perfectè sanus non potest videre sine lumine: quod testimonium, etiamsi ab Augustino de homine post lapsum dictum sit, transfertur ad Adamum ante lapsum: eodem modo inducit Basilium Fulgentium, Anselmum & Bernardum.

Loca à Suario adducta si quid probant, non solùm de auxilio efficaci, sed etiam de potentiâ perseuerandi intelligenda sunt. Secundò, illa loca non solùm pro dono perseuerantiæ, sed pro quacumque victoriâ militant.

Ego, vt verum fatear, valdè miror Patrem Suarez vti his testimonijs: quæ si quid probant, sanè non de solo auxilio efficaci, sed etiam de potentiâ perseuerandi, maximè illud Augustini, *Quod sicut oculus sine lumine*, &c. atqui lumen est simpliciter necessarium ad posse, ergo & gratia; & tamen expressè distinxit posse ab actu, docuitque tunc hominem potuisse sine gratia: videat ergo iam, quomodo locis his omnibus satisfacere debeat, & an sint pro solo actu.

Secundò, ea loca non solùm sunt pro dono perseuerantiæ, sed etiam pro quacumque victoria tentationum: hanc autem supponit Suarez etiam re ipsa sæpè obtineri sine gratiæ speciali auxilio; ex quo capite etiam dixi suprà, multa loca, quæ adducuntur pro perseuerantia finali, non esse ad rem.

Ratio Suarij ipsius intentum non probat.

Tertiò, ea requirunt auxilium gratiæ: quod verò sit speciale non insinuant. Ratio etiam, quam Suarez adducit ex D. Thoma, de difficultate orta ex generali ratione perseuerantiæ, quæ in successione quadam constanti & quasi indeclinabili ad malâ consistit, & in voluntate mutabili, prout explicarur ab ipso, videtur nõ solùm probare necessitatem auxilij congrui, vt condistincti à sufficienti, sed maximè in viribus specialiter in actu primo confortantibus consistere.

15. *Ad perseuerantiam quâ talem in naturâ lapsâ auxilia viriora in se necessaria non sunt sæpè. Fauor tamen Dei aliquando interuenit. Inter perseuerantiam in naturâ lapsâ comparatam cum eadem in statu innocentiæ nulla est differentia.*

Ergo pro decisione huius dubij aduertendum est, etiam in statu naturæ lapsæ non esse sæpè ad perseuerantiam quâ talem necessaria auxilia specialiora & vberiora in se & in actu primo, quæque reddant facilem eam perseuerantiam; quia sæpè post obtentam gratiam non occurrunt ante mortem vllæ graues occasiones, fortè etiam nec naturaliter possunt occurrere; nihilominùs tunc interuenire fauorem Dei tam in eo, quòd in tali occasione vocauerit per auxiliũ efficax, tã quòd permiserit eas causas ita disponi, vt non occurrerit occasio tentandi, &c. Hoc supposito dico, si comparetur talis perseuerantia in natura lapsa cum perseuerantia in statu innocentiæ, non esse differentiam vllam tam ex parte gratiæ efficacis quà talis, quia in vtroque casu ea debet intercedere (vt ostensum est) tam ex parte auxilioru confortan

Digitized by Google

confortantium & auferétium difficultatem moralem: in neutro enim casu est sæpè vlla talis difficultas. Quia verò possumus in statu naturæ lapsæ considerare perseuerantiam per longum tempus, in quo propter fomitem, propter naturæ debilitatem, propter minora auxilia annexa ipsi statui quàm fuerint in statu innocentiæ, moraliter est valdè difficile perseuerare diu sine peccato; dicimus in eo statu nõ fuisse ea specialia auxilia gratiæ necessaria, nũc verò necessaria esse: & hoc solum voluit Augustinus in prioribus testimonijs.

In naturâ lapsâ difficile est perseuerare diu sine peccato.

16. *Quæstio est eadem cum tractatâ suprà de necessitate gratiæ ad seruandã diu legem.*

Denique (vt vno verbo rem expediamus, & quæstiones non multiplicemus) dico, si rigorosè loquamur, hanc quæstionem esse planè eamdem cum illâ, quam suprà fusiùs discussimus, de necessitate gratiæ ad seruandam diu totam legem: vbi egimus de lapsâ & de integrâ naturâ ac de statu innocentiæ, & assignauimus differentiam inter eos status, respondimusque locis quæ hîc P. Suarez adducit; & paulò antè ostendimus, non esse pro præsenti quæstione; respondimus, inquam, quatenus absolutè videntur probare in nullo statu posse esse vllam victoriam tentationum sine gratia: quæ omnia hîc applicanda; nam perseuerantia, quatenus præcisè consistit in momento mortis, seu vltimo actu bono, sæpè non habet aliam difficultatem superandam, quàm quodlibet simplex opus bonum, aut certè quàm grauis tentatio, de quibus suprà; prout verò dicit diuturnam seu longam perseuerantiam sine peccato, siue sequatur deinde mors in gratiâ, siue non, habet difficultatem de victoriâ multarum tentationum, de quâ suprà & in quâ est propria differentia inter naturam lapsam & innocentem quoad potentiam. Quam solam differentiam Augustinus voluit denotare, quando dixit, *ante peccatum vires liberi arbitrij fuisse sufficientes ad non peccandum, nunc verò non esse:* in quo loco nihil de rigorosâ perseuerantiâ, de quâ tractamus in præsenti. Et satis ad intelligendam totam hanc difficultatem.

Sectio IV.

Obserua quædam circa distinctionem duplicis perseuerantiæ.

17. *An perseuerantia diuersum sit donũ in diuersis prædestinatis.*

PAter Suarez cap. 6. & 7. fusè tractat contra Didacum Aluarez Dominicanum, vtrùm perseuerantia sit donum diuersum in diuersis prædestinatis; item, an illud pendeat à libertate ipsius hominis: meo tamen iudicio res tota reducitur tum ad quæstionem de voce, tum ad punctum de gratiâ prædeterminante; ideò res hæc non est digna longâ discussione. Duobus verbis substantiam totam comprehendo. Aluarez igitur disp. 104. & 105. valdè exagitat eos qui dicunt efficaciam doni perseuerantiæ dependere ex libera hominis cooperatione saltem vt à conditione; putat enim donum perseuerantiæ adæquatè esse à solo Deo: nam aliud, inquit, est donum perseuerantiæ, aliud ipsum perseuerare: tale enim censet esse donum perseuerantiæ, vt contumaci hominis voluntate amitti non possit: si autem hoc donum à nostrâ voluntate penderet, gratia eius non regeret voluntatem, sed esset potiùs illius pedisequa: vnde ipse censet donum perseuerantiæ non posse esse nisi vnicum in omnibus iustis.

Aluarez existimat donũ perseuerãtiæ adæquatè esse à solo Deo.

Ego in hac sententiâ, vt dixi, aliqua video ad vocem spectantia, alia ad quæstionem de auxilijs.

Ad vocem ergo spectat, vtrùm ipsum actu perseuerare sit etiam vocandum donum perseuerantiæ, an verò illud nomen solùm tribuatur ipsi auxilio in actu primo: etenim & Aluarez & omnes debent fateri, non compleri re ipsa perseuerantiam, nisi homo ipse actu operetur, seu conseruet gratiam non peccando: agimus enim hîc de perseuerantiâ adultorum, qui per proprios actus perseuerant: omnes item consentimus, auxilium ipsum ad actum illum necessarium dari à solo Deo: iam autem, vtrùm ea perseuerantia actualis sit dicenda pars doni perseuerantiæ, nec ne, quæstio est purè de voce, in quâ non potest negari optimè dici, eum actum esse complementum eius doni.

De voce lis est, an perseuerare actu sit dicendum donum perseuerantia, an verò auxilium in actu primo sic nominandum sit.

Secundò certum est, in sententia etiam Dominicanorum, donum seu auxilium Dei non efficere operationem nostram, nisi etiam concurrente voluntate nostra libera: nam amor, contritio, attritio, &c. non fit à solo auxilio Dei, sed etiam à libero arbitrio: siue iam illud auxilium sit prædeterminans, siue non: vtrùm autem ideò illud auxilium dicendum sit dependere à nostrâ libertate in ordine ad efficiendum actum, quæstio etiam erit de voce: in qua absque omni planè fundamento negat Aluarez dici posse auxilium pendere à voluntate in cooperando; per hunc enim modum loquendi nihil aliud denotatur quàm auxilium, etiamsi in suo esse non egeat voluntatis consensu; operari tamen non posse ipsum solum sine voluntate: vnde etiam meritò dici potest, vt Deus producat actum liberum creatum quà talem, egere concursu voluntatis: solus etenim non potest talem actum producere.

Auxilium Dei non efficit operationem sine libera voluntatis nostræ concursu.

Dices: Priùs operatur auxilium quàm voluntas; ergo non potest dici pendere à voluntate etiam in operando. Respondeo negando antecedens; etenim cùm actus ille liber non minùs pendeat, aut (ne hæreamus in dependentiæ æqualitate) necessariò saltem pendeat à voluntate, profecto non potest præuideri existens actus ille ex solo influxu auxilij, priùs, quàm voluntas operetur; ergo duo illa simul natura operantur: quid autem alterum ibi determinet, an auxilium voluntatem, an è contrario voluntas auxilium, dixi fusè in Physicis agens de concursu generali Dei; & ad punctum præsens est per accidens.

Obiectio.

Responsio.

18. *Cum auxilio efficaci in sententia Patrũ Societatis potest coniungi carentia operationis.*

Tertiò certum est, in sententia Societatis negante prædeterminationes physicas, auxilium congruum seu efficax esse tale, vt cum illo secundùm totam suam entitatem possit coniungi carentia operationis; quia tamen Deus præuidit, hominem per illud operaturum, si detur, fit vt in sensu compositio eius scientiæ non possit non operari. Hinc ad donum perseuerantiæ dicimus, auxilium congruum, quo Deus vocat hominem in vltimo puncto; tale esse, vt homo possit ei resistere, & possit non perseuerare. Pro quo elegantia sunt verba Prosperi lib. 2. de Vocatione Gentium cap. 27. *Deus ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, vt etiam à perseueraturis illam potestatem, quæ potest nolle, non auferat:* quia tamen Deus dat eiusmodi auxilium ex præuisione scientiæ de operatione, infallibile est, hominem consensurum & perseueraturum: vnde quando Augustinus lib. de Correptione & gratia, ad ea verba Christi, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat*, &c. sic concludit, *Quasi aliud Petrus vllo modo vellet quàm pro illo Christus rogasset vt vellet.* Quo loco vtitur Aluarez ad probandum non dari potentiam ad non perseuerandum.

Digitized by Google

Augustini loco vtitur Aluarez ad probandum non dari potentiam ad non peccandum.

Non intendit Augustinus Petrum non potuisse velle oppositum, sed non voluturum de facto; prout nos iam explicuimus: ideò non dixit, *quasi aliud non posset*, sed, *quasi aliud vellet*.

19. *Futuritio conditionata per scientiam mediam praeuisa non est motiuum ad dandum auxilium efficax; est tamen conditio.*

Hinc Quartò fit in nostrâ sententiâ (quod & in materia de prædestinatione & aliter sæpè explicui) futuritionem illam conditionatam præuisam per scientiam mediam, à quâ denominatur auxilium efficax seu congruum, non fuisse vllo modò causam meritoriam aut motiuam ad illud dandum; nam merita conditionata vt talia non sunt simpliciter merita, sicut neque è contrario peccata conditionaliter futura sunt peccata; nihilominùs tamen eam futuritionem esse conditionem, vt Deus posset benè facere, & dare certam perseuerantiam: si enim non haberet eam scientiam, non posset agnoscere, quod auxilium de facto causaturum esset perseuerantiam: sicut notitia, quam habet Princeps de valore gemmæ alicuius, non est causa motiua illam dandi alteri; mouetur enim vel ex sua liberalitate, quando ante merita illam dat, vel certè ex alterius obsequijs; est tamen necessariò requisita, vt sciat Princeps quid donet, & quale beneficium præstet, ne cæco modo donet, ignorans quid donet.

Deus non solùm dat posse, sed etiam ipsum actu perseuerare.

Ex his rursus colligimus, in nostrâ sententiâ Deum non solùm dare posse perseuerare, id quod etiam reprobis concedit, sed ipsum perseuerare, quatenus dat auxilium, quod præuidet non solùm posse causare perseuerantiam, sed de facto eam causaturum. Quæ difficultas communis est omnibus aliis actibus bonis: vnde in præsenti nihil speciale occurrit dicendum.

20. *Praeter auxilia congrua potest Deus ita hominem iustum praeuenire, vt libertatem ad peccandum illi tollat.*

Denique certum est, etiam in sententiâ Societatis, præter hæc auxilia congrua, quæ modo dicto sunt donum perseuerantiæ, posse Deum præuenire hominem iustum saltem diuinitus, ita vt libertatem ad peccandum in eo non relinquat, sed solùm ad hoc aut illud bonum opus, vel conseruando gratiam habitualem antecedenter ad omnem vsum libertatis eius hominis; eo ipso enim tolleretur libertas ad peccandum: cùm enim gratia omnino nequeat esse cum peccato mortali, sanè eo ipso, quod priùs naturâ existat quâ operatio, nequit per operationem expelli; simul autem admittere nequit peccatum. Potest etiam ea libertas tolli, si neget Deus immediatum concursum ad peccandum: quo casu procul dubio homo perseuerantiæ donum haberet, & quidem tunc quasi omnino independenter ab actu.

Vasquez negat diuinitus iusto viatori libertatem posse tolli.

Contra hanc suppositionem stat P. Vasquez 3. Tomo 3. part. disp. 120. cap. 2. opinatus, nec de potentiâ absolutâ posse puro homini viatori tolli libertatem; quia hæc solùm tollitur per visionem beatam vel per vnionem hypostaticam: nam fomitis extinctio non tollit impotentiam simpliciter, sed vt summùm ex subreptione: Adamus enim sine eo fomite potuit peccare: habitus item infusi eum non tollunt, quia eis vtimur prout volumus; per actus verò hominis etiam non potest, quia si illi liberi sunt, ergo possunt omitti; & sic procul dubio non inducent repugnantiam cum peccato: si verò necessarij sint, tunc iam hi actus simpliciter erunt incapaces meriti, & consequenter in eis homo non erit viator: & sanè cùm ea perseuerantia ob maiorem prærogatiuam concedatur, non debet tollere occasionem merendi. Denique nec potest per negationem concursus diuini; nam id non haberet locum in peccatis puræ omissionis, quam alibi concessimus; quia ad puram omissionem non requiritur concursus Dei.

Suarez affirmat eam libertatem tolli posse.

Pater verò Suarez meritò suprà num. 18. dicit non esse dubium, quin possit ea libertas tolli, si negetur concursus ad actum peccati; in puta verò omissione, si homo non ponatur in his circumstantijs, in quibus pro eo instanti determinato obliget præceptum affirmatiuum. Ego facilius adhuc idem explico in ipsamet omissione: etenim licet ea quâ talis non oriatur ab vllo auxilio, quia in se nihil est; ex parte tamen Dei longè alius concursus in actu primo exigitur ad actum, quando est liber ab eodem, quam quando est simul potentia ad omissionem eius; quia ad actum solùm requiritur concursus determinatus, ad illum verò, quando est liber, debet esse concursus indifferens in actu primo: ergo si Deus eum negauerit, statim omissio illa necessaria erit: hoc ergo modo non est dubium, quin sit possibilis omissio peccati necessaria.

Nos idem in ipsamet omissione explicamus facilius.

22. *Posse tolli libertas etiam per habitus intrinsecos.*

Secundò tamen addo contra Patrem Suarez suprà cap. 8. etiam posse tolli libertatem per habitus intrinsecos, scilicet per habitum gratiæ, eo modo quo paulò antè dixi; vt enim docui in tertiâ parte agens de vnione hypostaticâ, quatenus tollit libertatem ad peccandum, & in primo Tomo de Visione beatâ, non aliter illam tollunt, nisi quatenus sunt formæ incompossibiles cum peccato, & conseruantur priùs natura in subiecto, quàm hoc operetur: ergo si Deus vellet se determinare ad conseruandam gratiam independenter ab omni operatione liberâ iam eo ipso per eam gratiam tolleretur libertas ad peccandum. Et hoc fortè voluit Ledesma lib. de Auxilijs quæst. vnicâ principali, art. 7. docens confirmationem in gratiâ tollere libertatem, idque fieri per ipsam gratiam habitualem cum quadam perfectione participatâ ad similitudinem gratiæ consummatæ in patriâ. Non explicuit Ledesma quæ sit ea perfectio; ego autem dico esse, quòd gratia conseruetur priùs naturâ quàm homo operetur, sicut conseruatur in patriâ: in quem modum dicendi nihil est vllius momenti quod obijciatur; & hinc respondetur ad rationem Patris Vasquez; iam enim ostendimus, quî possit ea libertas tolli relictâ libertate ad meritum.

Idem videtur voluisse Ledesma.

Hoc inde prouenit quòd gratia priùs naturâ conseruetur quàm operetur homo.

23. *Hoc donum diuersum est ab eo quod fit per auxilia indifferentia.*

Hoc ergo donum perseuerantiæ omnino esse diuersum ab eo, quod præstatur per auxilia indifferentia non tollentia libertatem, satis constat ex dictis. Et immeritò negat Aluarez hos duos modos perseuerantiæ; nam licet in sententia ipsius & Dominicanorum, omne auxilium efficax sit prædeterminatiuum, omnis autem prædeterminatio (vt nos iudicamus) tollat libertatem, ideoque nos cõtra illos inferamus, per omne donum perseuerantiæ, iuxta eorum sententiam, tolli libertatem; ipsi tamen, qui contendunt prædeterminationem non tollere libertatem, debent necessariò concedere aliquod auxilium efficax pro actuali perseuerantiâ non tollens libertatem; imò talia concedunt omnibus non confirmatis in gratiâ: eumque alioquin etiam fateantur Deum posse homini tollere libertatem ad peccandum, quocumque id modo fiat, procul dubio debent etiam fateri possibile esse aliquod aliud perseuerantiæ donum, quod, tollendo libertatem, confirmet in gratiâ: qui est communissimus modus loquendi Theologorum; ideò mirandum valdè est, huic auctori displicuisse eam distinctionem duplicis perseuerantiæ: verùm autem de facto data fuerit talis cõfirmatio in gratiâ tollens libertatem, & in quibus, paulò pòst dicemus. Altera item quæstio an illud donum perseuerantiæ

cadere

Digitized by Google

cadere aliquo modo possit sub meritum, infrà decidetur.

24. *Non potest cadere sub meritum operis ad quod datur.*

Iam nunc dico pro intento Aluarez id esse planè per accidens, quia siue illud donum sit prædeterminatio physica, siue auxilium congruum ex scientiâ media(vt nos dicimus;) certè esto non possit cadere sub meritum ipsius operis ad quod datur, seu ipsius perseuerantiæ,poterit concipi cadere sub meritum priorum operum factorum ex alio auxilio gratiæ: & ad hoc per accidens est ratio prædeterminationis physicæ aut scientiæ mediæ. Ecce totam cum Aluarez in præsenti litem partim ad voces, partim ad sententiam de auxilijs reuocatam; vnde constat, illum omnino immeritò in præsenti speciale mysterium inuenisse, maleque finxisse sibi quod in Societatis Doctoribus carperet.

Sectio V.

De confirmatione in gratiâ.

25. *Qualis confirmatio gratia data est Apostolis & quibusdam alijs.*

Restat nunc declarare, qualis sit confirmatio in gratiâ, quæ de facto tribuitur Apostolis & aliquibus alijs. Quæ difficultas annexa est paulò ante dictis; ostendimus enim possibilem esse vnam confirmationem, quæ tollat etiam libertatem aliam, quæ solùm consistat in auxilijs congruis; quærimus ergo, quæ ex his constituat confirmationem in gratiâ.

Disparitas aliquorum inter alios prædestinatos & confirmatos in gratiâ.

Quidam,vt assignent disparitatem inter alios iustos prædestinatos, & eos, qui confirmati dicuntur, asserunt hos à puncto confirmationis non habuisse libertatem ad peccandum: pro quo citatur Valentia Tomo 1. disp. 1. q. 23. in primâ illius parte, puncto 4. §. 7. vers. vltimo; in eo tamen §. nihil de eâ re, sed in §. 2. vers. penultimo & vltimo: vbi pro eâ refert Victoriam, Halensem, D. Thomam, Bonauenturam, Richardum, Sotum, Vegam. Suarez verò docet,hoc priuilegium beatissimæ Virgini concedi, negari tamen probabilius; in alijs verò id nullo modo admittendum censet: imò dum initio numeri 13. dicit, circa Virginem sine omni notâ & censurâ id posse asseri, videtur tacitè innuere de alijs non posse id tutò dici, eius fundamentum est, quod à regulâ generali Scripturæ, quòd omnes possint peccare, non debet fieri exceptio sine vrgenti ratione:qualis non reperitur in præsenti. Loca autem Scripturæ sunt Eccli. 31. *Qui potuit transgredi,& non est trãsgressus.* & Apocal. 3. *Tene quod habes; vt nemo accipiat coronam tuam,* Hæc tamen loca sunt planè particularia, neque dicunt quidquam de vniuersali libertate omnium iustorum quouis tempore ad peccandum: vnde valdè parum vrgent.

Suarez hoc priuilegium B. Virgini probabiliter concedit, reliquus autem negat. Eius fundamentũ ex regulâ generali Scripturæ.

Obiectio.

Obijcit ex 2.ad Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit, siue bonum,siue malum.* Verùm in hoc loco nihil dicitur, quod omnes quouis tempore potuerint peccare. Vlteriùs ex Oratione Dominicâ, *Et ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo.* Respondeo, ea verba posse in confirmatis intelligi de libertate à peccatis venialibus; sicut in multis concedit Suarez, quòd totâ vitâ non commiserint vllum mortale: qui sanè dum dicunt, *Dimitte nobis debita nostra*, solùm agunt de debitis venialibus. Adde, si illi confirmati non sciuerunt suam confirmationem, clarum esse, quomodo potuerint sic orare.

Responsio.

Si confirmati suam confirmationem ignorarunt, clarum est quomodo sic orare potuerint.

Adducit etiam ex Philip. 2. *Cùm metu & tremore vestram salutem operamini.* Respondeo ibi non tradi regulam generalem, sed consilium, quod ferè in omnibus est necessarium. Secundò respondeo, si dicamus, eos confirmatos non scire suam confirmationem, rectè id eis dici, vt cum tremore & timore, &c. Tertiò, si velimus, posse nos retorquere hunc locum contra eumdem Suarez in eis, quibus concedit ipse factam esse reuelationem suæ salutis & perseuerantiæ: nam illi iam propriè tam non sunt capaces tremoris & timoris quàm si essent sine libertate; quia timor non fundatur propriè in potentia mali,sed in probabili eius futuritione:quãdo autem quis habet verbum Dei certum, quod non cadet, non potest timere casum; quomodo ergo iam in eis habebit locum testimonium Pauli?

26. *Locus ex Philip. 2. potest in ipsum Suarium retorqueri.*

Vltimò affert illud eiusdem Pauli 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum*, &c. Verùm retorqueo hoc modo eum locum, Paulo concedit Suarez scientiam ex reuelatione de suâ perseuerantiâ, quomodo ergo potuit timere? quòd si neget illi tunc id reuelatum adhuc fuisse, dicam ego,meritò ipsum dixisse, *Castigo*,&c. quia licet reuerà esset confirmatus in gratiâ,& incapax iam mortalis, nondum tamen id sciebat.

Eius vltima obiectio.

27. *Sententia auctoris.*

Iudico ergo primam sententiam esse valdè probabilem, quam scio à multis recentioribus defendi, imò vt certam supponi: moueor tum ob auctoritatem Theologorum citatorum, tum quia omnes videntur supponere vt certum, aliquos eximios viros confirmatos in gratiâ: non potest autem meliùs & faciliùs ea differentia declarati quàm per impotentiam cadendi;nam (vt ipsemet P. Suarez fine eius capitis dotet) differentia alia vllius momenti vix potest assignari; recurrere enim ad vberiora auxilia, omnia tamen intra terminos congrui & liberi, non sufficit; tum quia differentia magis & minùs non videtur facere differentiam simpliciter, qualis hîc ponitur communiter (vt fatetur ipse ibidem;) tum quia ea differentia etiam inuenietur sæpissimè & longè maior inter ordinarios iustos, qui tamen non possunt dici propriè confirmati in gratiâ. Alia autem differentia, quam Vasquez ponit, quòd scilicet confirmatis sit reuelata perseuerantia,alijs verò non,licet sit satis notabilis, non videtur ad confirmationem in gratia sufficere: vox enim *confirmatus* plus denotat, quàm scire se habiturum certo rem illam;semper enim denotat inamissibilitatem, non enim dicimus confirmatum in officio & dignitate illum qui scit se habere officium, sed qui ita illud habet, vt iam suo modo auferri ab eo non possit: ergo confirmatio plus dicit quàm eam præscientiam. Constet ergo in hac quæstione dubiâ satis probabiliter defendi eam impotentiam ad peccandum grauiter, seu ad amittendam gratiam.

Differentia Suarij inter confirmatos & alios iustos.

Differentia Vasquez.

Dices Primò, Quomodo ergo potuerunt illi mereri in obseruatione præceptorum? Respondeo Primò,rarissima esse præcepta,quæ obligent sub mortali ad actum vndequaque honestum, & non possint vel per indifferentem vel per venialiter malum impleri: Secundò, rarissimè etiam contingere, quòd obligent pro determinato instanti; vnde fit, vt vix vllum opus concurrerit, quod non potuerint iusti sine mortali tunc omittere, & consequenter,vbi non potuerint simpliciter mereri. Tertiò, etiãsi absolutè ad illud fuissent obligari,summùm fuisse obligatos ad vnum gradum,feciſſe autem illud in intensissimo;vnde licet

Obijcitur Primò Respondetur.

Digitized by Google

licet quoad primum gradū propter eam necessitatē on concedamus illis tunc meritū in eo extraordinariissimo casu, nihil inde absurdi sequitur.

28. *Obijcitur. Secundò.* Dices Secundò: Non est necessitas ponendi hanc confirmationem, nèc vlla accrescit eis Sanctis inde dignitas: si enim Deus decernat dare illis semper auxilia congrua, & consequenter non permittere illos cadere absolutè in mortale, quid illis, quæso, efficit ea impotentia physica cadendi? Explico id: Si ea impotentia causaretur à nouâ formâ intrinsecâ exigente, ne possint peccare, dici posset id esse perfectionis magnæ; at quòd Deus extrinsecâ suâ voluntate noluerit illis dare libertatem ad peccandum, vix vllam arguit perfectionem, imò quodammodò imperfectionem: quò enim maiorem libertatem habuerunt, eò maiorem habuēre occasionem merendi. *Explicatur.* *Respondetur ad Primam rationem.* Respondeo ad Primam rationem, fundamentum eius sententiæ esse communem Theologorum consensum, docentium aliquos fuisse cōfirmatos, aliquos verò non: quam differentiam non posse aliter commodè explicari diximus paulò antè. *Ad secundā respondetur. Primò.* Ad Secundam respondeo Primò ad hominem, Si ea impotentia non est vlla singularis perfectio, cur, quæso, probabiliter tribuitur Virgini præ aliis Sanctis singularis excellentia ab his auctoribus? *Secundò.* Respondeo Secundò, maiorem quidem futuram perfectionem, si data eis fuisset aliqua qualitas præter gratiam, quæ eam impeccabilitatem peteret; nego tamen, non esse aliquam perfectionem, non posse peccare, etiamsi id à Dei voluntate extrinsecâ proueniat: cùm enim peccatum sit grauissimum malum, certè quò quis ab eo magis est remotus, eò est felicior. *Est aliqua perfectio, non posse peccare,* Ad punctum de libertate ostendi, eam relictam fuisse sufficientissimam ad merendum, quidquid fuerit de impotentia peccandi.

SECTIO VI.

An, & quando amittatur de facto gratia per peccatum.

29. DIxi *de facto*; nunc enim quæstionem tracto independenter ab eo, quòd ea duo solum inter se repugnent ex voluntate Dei, aut etiam naturaliter. De quo puncto superiùs fusè. In hac ergo quæstione sic intellecta multa sunt controuersistica, & alioquin valdè inter Catholicos certa, quæ non est animus ex proposito discutere, ea breuissimè insinuabo. *In hac quæstione multa cōtrouersistica inter Catholicos certa. De fide est cōtra hæreticos, gratiam per mortale posse amitti.*

Primò ergo supponendum contra hæreticos nostri temporis & aliquos ex antiquioribus, gratiam semel acquisitam posse amitti per peccatum mortale: id constat in Adamo, in dæmonibus, quos priùs in gratia fuisse fides Catholica docet; & vix ipsi hæretici negare audebunt: quid enim aliud nuditas Adami, quid comminatio ipsi antè facta denotat, nisi amissionem iustitiæ, in qua conditi erant? Idem persuadet Petrus negans Christum, idem omnes, quotquot post Baptismum rectè susceptum peccarunt grauiter: idem Dauid priùs iustus, deinde adulter & homicida; iterùm iustus, rursus peccator numerando populum, & vltimò iustus. Id persuadent omnia verba, quibus in Scriptura iusti monentur, vt attendant, ne cadant, & vt cum timore & tremore operentur: ad Rom. 11. ad Philip. 2. Apocal. 3. clarissimè verò apud Ezechielem 18. *Si auerterit se iustus à iustitia suâ,* &c. 33. ad Hebræos 6. id supponit Paulus vt omnino certum. Alia sunt loca quæ videri possunt apud controuersistas, & facilè occurrent aperienti Biblia, Eadem veritas definita est in Tridentino sess. 6. cap. 11. Idem supponitur in Arausicano cap. 9. & cap. 10. dum definitur, necessum esse auxilium Dei, ne homo cadat à iustitia. Idem supponunt vbiq; Patres: quorum loca referre infinitum esset. *Probatur hæc veritas.* Probatur autem eadem veritas; eò quòd etiam iusti teneantur præceptis diuinis, & habeant libertatem ad transgredienda illa, esto sint grauia; ergo possunt peccare mortaliter, ergo amittere gratiam: vtrùm autem aliqui fuerint per breue tempus in ea gratia confirmati diximus paulò antè.

Obiicitur contra hanc veritatem Obiiciunt contra hanc certissimam veritatem Primò ex Epistola prima Ioannis ca. 3. *Omnis qui in eo manet non peccat; & omnis qui peccat non vidit eum, nec cognouit eum.* idem ibidem: *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* & c. 5. *Scimus, quia omnis qui natus est ex Deo non peccat; sed generatio Dei conseruat eum.* item ex eadem Epistola cap. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Ad prima loca facilis est responsio. Dicimus enim Ioannem ibi agere quasi in sensu composito, vt homo, quatenus filius Dei, quatenus natus ex Deo, non peccet; & in sensu eo composito nec peccare potest mortaliter; item eum, qui peccat, tunc non rectè in actu exercito de Deo sentire: per quod non negatur vllo modo, anteà eum nouisse Deum, &c. *Ad prima loca, &* Ad vltimum locum respondetur communiter, Apostolum de hæreticis locutum qui ab Ecclesia defecerunt: cur autem dixerit, *sed non erant ex nobis,* variè explicari solet. Augustinus lib. de Correptione & gratia cap. 9. putat à Ioanne ibi significatum, non erant è prædestinatorum numero. Hæc tamen expositio difficilis est: Primò, quia non est credibile Ioanni tunc fuisse reuelatam omnium illorum reprobationem, cæteros verò prædestinatos fuisse. Secundò, quia probabiliter, quando Ioannes scribebat, multi adhuc viui erant ex illis, quos non voluisset reprobationis insinuatione ad desperationem adigere. Tertiò, quia ibi videbatur Ioannes regulam generalem in futurum tradere, quòd scilicet non sint homines inflexibiles à bono incœpto. Constat autem, multos in Ecclesia manere, qui non sunt prædestinati; & è contrario aliquos qui semel defecerunt ab illa, redire tamen ad ipsam, & vltimò saluari. Melior est expositio aliorum apud Sua. lib. 11. cap. 2. & Cornelium hîc: quos etiam sequuntur. Hi ergo docent ideò non dictos fuisse ex nobis, quia aliquādiu, antequam exirent publicè; iam occultè fouebant hæresim: per quod non denotatur eos semper illam fouisse. Communis enim hic est modus loquendi; vt cùm dicitur, Religiosus ille exiuit à nobis, quia ex nobis non erat, per hoc non denotamus, illum numquam fuisse vero animo Religiosum, aut benè se gessisse, sed aliquamdiu ante exitum ita vixisse, vt opera Religiosi non faceret: quo etiam modo loquendi in aliis multis materiis vtimur. Hinc autem nihil penitus infertur pro hæreticis. 30. *ad vltimum responsio.*

Obiicitur præterea ex Cantic. 8. *Aquæ multæ non poterūt extinguere charitatem.* Respondeo, ibi solùm commendari vim charitatis, quæ dum durat omnia vincit; per quod tamen non negatur, posse charitatē cessare, & hominem tunc peccare. *Obiectio Secunda.*

Obii

Tertia. Obiicitur Tertiò ex 1. ad Corinth. 13. *Charitas numquam excidit.* Respondeo Paulum non dicere hîc eam non posse amitti per peccatum, sed in electis etiam durare in patriâ: quod non habet fides & Prophetia.

Quarta. Quartò obiicitur ex Rom. 8. *Quis nos separabit à charitate Christi?* &c. Respõdeo, ibi Paulum de se agere, quia sciebat se non casurum; vel, si in nomine omnium loquebatur, denotare voluisse fiduciam quam haberet, & quàm soleat esse potens amor Christi ad tolerandas passiones; vt in multis Martyribus apparuit: per quod nullatenus negatur, eum amorem cessare posse, & subintrare peccatum, vt etiam apparuit in multis, qui in tormentis turpiter defecerunt; & in ipso Petro ad vocem ancillę: vel certè dicendum, loqui Paulum de amore Christi erga homines, qui non periit, esto nos simus in miseriis, &c. vt aliqui interpretantur.

31. Obiectio ex Patribus. Ex Patribus obiici solent aliqua loca, quibus dicunt non esse veram charitatem, quæ deserit in aduersitate; & alibi, eam veram esse charitatem, quæ est Deo iuncta inseparabiliter, & nescit corrumpi. *Responsio.* Respondetur, eis locis insinuari, non esse eam charitatem perfectam quoad efficaciam, quia non perducit ad Regnum; vel non esse perfectam & consummatam, sicut est charitas patriæ: sæpè etiam eis locis denotatur, illos, qui facilè terrentur difficultatibus, parum fuisse in virtutibus fundatos. Explicari etiam possunt ea loca de amore, qui, quantum est ex se, non erat paratus ad omnia toleranda propter Deum; ideóque posteà in occasionibus aduersis facilè cessat: siue id proueniat ex defectu virtutis in ipso amore, siue ex mutabilitate subiecti: sæpè etiam Patres loquuntur cum aliquâ exaggeratione, vt denotẽt difficulter valdè amoueri à Deo eum, qui per intensam charitatem est illi coniunctus.

Obiectio ex ratione. Responsio. A ratione nihil est quod obiiciatur, nisi fortè, quòd gratia sit de se perpetua. Respondemus tamen esse perpetuam, nisi subintret peccatum mortale illi contrarium: sicut calor est perpetuus, nisi expellatur per frigus. Et hæc de primâ suppositione.

32. Potest gratia ita amitti, vt nullâ ratione recuperari possit. Loca Scripturæ supra allata errorem aliquorum impugnant. Secundò supponendum est, ita intelligendum gratiam semel habitam amitti posse, vt etiam possit nõ recuperari ampliùs: fuit enim error aliorum qui dixerunt, eos, qui semel in gratia fuêre, etiamsi ab illâ excidant, eamdem tamen tandem recepturos, & saluandos. Verùm omnia quæ suprà ex Scripturâ, maximè ex Ezechiele, attulimus contrarium probant. Et Paulus de se timebat, ne reprobus fieret; & non solùm negat, omnes eos qui à gratia cecidêre ad illam redituros; sed ad Hebræos 6. videtur dicere, impossibile esse vt redeant: quod licet non denotet omnimodam impossibilitatem (vt alibi diximus) ostendit tamen manifestè, esse valdè difficile & de rarò contingentibus: & profectò supponit contrarium non esse necessarium.

Obijciuntur loca, quibus Christus credentibus promittit vitam æternam. Nihil probat. Matth. 10. Obiici possunt loca illa, quibus Christus credentibus promittit vitam æternam, & ad Rom. 8. *Quos iustificauit, illos & glorificauit,* &c. Verùm iis nihil suadetur, quia Christus credenti ac benè operanti vsque in finem promittit vitam, iuxta illud ipsius Christi, *Qui autem perseueranerit vsque in finem, hic saluus erit.* Paulus item de his, qui in fine vitæ iustificati sunt loquitur. Et verò cùm hæretici nostri temporis supponunt in Baptismo paruulis dari gratiam, & insuper censeant, omnes, qui fidem Romanam tuentur, damnari, miror, quomodo ausi sint dicere, nullum ex his qui gratiam per Baptismum acceperunt, posse damnari. Sed res hæc satis est certa; vtinam ita vera non esset; non enim de salute æternâ adeò periclitaremur: non damnarentur tot quotidie ex his, qui baptizati fuêre, & qui sæpè sanctissimè vixêre: non haberemus hostem dæmonem, qui olim in gratiâ creatus fuit. Vide, si lubet, Bellarminum lib. 1. de Amissione gratiæ cap. 4. & seqq.

Obiectio. Responsio. Dices, Gratia semel acquisita dat ius ad gloriam, ergo debemus illam habere. Distinguo antecedẽs: dat ius ad gloriam, si in gratiâ etiam decedamus, concedo; si per peccatum eam abiiciamus, nego: vt è contrario peccatum meretur pœnã, non tamen nisi casu quo sine pœnitentiâ homo decesserit. Et in humanis res est certa; obsequia enim hominis erga Regem v. g. merentur præmium, nisi homo subsequente graui offensa in Regem se eo præmio reddat indignum. Quomodo autem prędestinati possint aliquando verè esse extra gratiam Dei alibi ostendi, ex eo quòd ratio prædestinationis aut reprobationis nõ constituit hominẽ actu aut sanctum aut peccatorem: id enim fit & per gratiam actu existentem, & per peccatum mortale de præsenti non remissum, etiamsi posteà remittendum sit: respiciunt ergo ac duo finem vitæ.

33. In Tridentino definitum est, per mortale perdi gratiã. Tertiò supponendum est, per omne peccatum mortale amitti gratiam & amicitiam Dei: vt definitum est in Tridentino sess. 6. cap. 15. & constat ex Paulo 1. ad Corinth. 6. vbi enumerans ea quæ Theologi peccata grauia vocant, dicit, talia facientes non possessuros Regnum Dei, nisi pœnitentiam agant de illis: si autem per ea non expelleretur amicitia Dei, sanè non excluderetur homo à Regno Dei: & hoc constat ex his quæ diximus sæpè agentes de peccato mortali ac de differentia illius à veniali, vbi simul docuimus, venialia, quantumuis multiplicentur numero, numquã posse facere vnum mortale; diximus etiam, sæpè iustos sine amissione iustitiæ posse peccare venialiter. Quæ omnia hîc supponenda non repetenda sunt.

Cum gratia expelli habitus charitatis probatur ex Tridentino. Quod verò cum gratia expellatur simul charitatis habitus, communis etiam tradit doctrina: probatur autem ex Tridentino; nam dum definit fidem non amitti per omne peccatum, sed solùm per peccatum infidelitatis, supponit expelli gratiam & charitatem. Probatur id rursus ex eodem Tridentino; nam docet in iustificatione charitatem diffundi in cordibus eorum qui iustificantur; ergo qui iustificatur non habebat antè charitatem. Video hoc argumentum, quo nonnulli vtuntur, non esse admodum efficax, maximè in principiis P. Suar. qui illud approbat; nam supponit, ante gratiam homini, qui credere incipit, infundi habitum fidei; & tamen Concilium ibi definit, in iustificatione hominem accipere hæc tria, fidem, spem & charitatem. Adducit etiam Paulum ad Galatas 5. vbi ait, in Christo Iesu solam charitatem, quæ per fidem operatur, valere. Verùm arbitror ibi non esse de habitu sermonem, sed de actu. Quidquid ergo sit de his probationibus, prima sufficiat adiuncto omnium Theologorum consensu. Ratione item suadetur; nam cùm charitas sit habitus procedens à gratia, non debemus dicere, illum perseuerare sine gratia, nisi constet nobis ex Concilio aut Patribus, Deum velle miraculosè conseruare illum sine gratia in peccatore: atqui tale fundamentum

Argumẽtum nonnullorum inefficax, maximè in principijs Suarez.

Probatur ratione.

Digitized by Google

non habemus, quin potiùs pro contrario, ergo.

34. *Idē dicendū de virtutibus moralibus infusis. Obiectio.* Hinc etiam eodem modo discurrimus de aliis virtutibus moralibus infusis, & de donis, casu quo sint habitus distincti à virtutibus; nā hi habitus oriuntur à gratiâ, & ab eâ naturaliter pendent, ergo non conseruantur sine illâ.

Dices: Fides & spes conseruatur propter actus, qui possunt fieri etiam à peccatore: atqui etiam peccator fidelis potest efficere, & verò frequenter elicit actus virtutum moralium supernaturalium attritionis, humilitatis, castitatis, &c. ergo etiam manebunt eiusmodi habitus. *Responsio.* Respondeo distinguendo antecedens, Manent illi duo habitus præcisè, quia possunt fieri tales actus fidei & spei, nego antecedens; Manent, quia possunt fieri, & quia Deus voluit eum fauorem homini præstare, de quo nobis constat ex Concilio, concedo antecedens: vnde nego consequentiam, quia ad dicendum, velle Deum illos alios habitus seruare, non habemus vllum fundamentum.

Homini non peccāti Deus numquā adimit gratiam. Denique supponendum, à fortiori homini non peccanti, nec quidem venialiter, Deum non auferre gratiam, quia Deus neminem deserit, nisi ab ipso priùs deseratur. In quo puncto nec, quod sciam, vllus hæreticus errauit. Ratio est, quia *sine pœnitentiâ sunt dona Dei*, Roman. 11. & (vt dicitur Iacobi 1.) *Dat omnibus affluenter, & non improperat.* item Matthæi 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem*, id est, qui non peccauerit graviter, *hic saluus erit*; multò ergo magis, qui nec leuiter.

SECTIO VII.

Quomodo amissâ gratiâ amittatur fides & spes.

35. HAc de re fusè P. Suarez eo lib. 11. per tria longa capita à 5. ad 7. meo tamen iudicio res est partim in superioribus tractata, partim verò non est magnæ difficultatis. Quærimus ergo, an habitus fidei & spei amittantur, quoties gratia amittitur; an verò aliquando soli maneant. Et quidem in præcedenti sectione id supposuimus, nunc verò magis explicandum erit. Vbi aduerto, *Minùs benè confunditur hæc quæstio cū illa, an sola fides ad iustificationē sufficiat,* minùs benè confundi cum hac quæstione alteram diuersam, an solus actus fidei sufficiat ad iustificationem: quæ sunt valdè distinctæ difficultates; vt patet in actu v.g. castitatis supernaturalis: etenim ille solus non sufficit ad iustificationem, & tamen habitus supernaturalis castitatis non manet sine gratiâ & sine iustificatione. Vnde non videtur mihi ad intentum præsens P. Suarez agere, dum omnia ea loca Scripturæ & Patrum adducit, quibus probatur solam fidem non iustificare; vt est ille Iacobi 2. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere*, &c. & Matthæi 17. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine*, &c. nec debere hic iterùm repeti obiectiones hæreticorum ex Scripturâ & aliquibus Patrum testimoniis: nam de hac re, omnia ea soluendo, iam egerat Suarez: & nos etiam, dum de dispositione ad gratiam; ille quidem ca. 17. lib. 8. nos verò disp. 48. sect. 4. Nunc ergo propria quæstio est de ipso habitu. *Quæstio est de ipso habitu. Vasq. docet non esse de fide, habitū fidei dari aut in peccatore manere.* In quo puncto P. Vasquez disp. 91. cap. 4. docet, etiamsi probabilius sit dari habitum fidei, quia tamen id certum non est de fide, etiam non esse de fide, habitum fidei manere, in peccatore; ac propterea sic explicat Tridentinum, vt dum docet, non per quodlibet mortale amitti fidem, intelligatur non de fide habituali, sed de statu hominis fidelis: dicitur enim etiam tunc fidelis, sicut anteà dicebatur, esto iam sit peccator.

Censeo tamen omnino (siue id sit omnino de fide siue proximum fidei) Concilium de habitu sic fuisse locutum: quod benè defendit Suarez cap. 7. à num. 9. tum quia in eo sensu videntur intellexisse Concilium omnes qui post illud scripserunt; & sanè quamdiu in scholis sum, semper à Theologis in disputationibus, lectionibus, vbique id audiui supponi, dum de hac quæstione motâ sermo fuit, & adduci semper Concilium in eius veritatis probationem. Præterea omnes, dum Cōcilium definit infundi charitatem, fidem & spem in iustificatione, intelligunt habitum, nō actum: ergo, ne tribuatur Concilio æquiuocatio in voce *fidei*, de eodem habitu intelligendum erit, dum definit, manere sine charitate. Confirmatur Primò à Suarez; nam eodem modo dicere quis posset, per peccatum mortale non amitti habitum charitatis, sed statum amici. Confirmatur Secundò ab eodem, quia etiamsi iustus, qui anteà erat castissimus, & posteà ob grauem iram in proximum peccauit mortaliter, maneat in statu casti, non tamen dicitur retinere castitatem infusam; ergo, etiamsi quis retineat statum fidelis quoad denominationem, si tamen amitteret habitum, non esset dicendus retinere fidem infusam.

36. *Concilii locutum est de habitu fidei.* *Confirmatur. Primò.* *Secundò.*

Confirmo ego id Tertiò, quia potest contingere, vt multi in infantiâ baptizati, deinde antequam eliciant actus vllos fidei supernaturalis, peccent mortaliter vel in materiâ castitatis, vel iræ, vel furti: certissimum autem est etiam de his definiisse Tridentinum, non amittere per ea peccata fidem; ergo non amittunt habitum, seu retinent habitum. Patet hæc consequentia, quia statum fidelis desumptum ab actibus nullum hi habebant, quia ponimus non elicuisse vllum actum fidei: ergo illum statum non retinent, ergo solùm retinent habitum; alioquin tam non manerent fideles, quàm non maneret fidelis aliquis non baptizatus mortaliter peccans, etiam antequam idola coleret. Ratione posset probari hæc sententia, eò quòd fides sit prior charitate & fundamentum illius; ergo potest manere sine charitate. Addit Suarez experientiam, quia videmus Christianos alioqui moribus perditissimis, in fide tamen Catholicâ esse firmissimos. Hæ tamen duæ rationes non sufficiunt, quia locum habent in solis actibus; nec est necessum ideò habitum manere; vt patet in peccatore casto, sine habitu tamen infuso castitatis, maximè cùm habitus supernaturalis fidei non det facilitatem & promptitudinem, sed solùm simpliciter posse.

Tertiò. *Probatur ratione, ex quòd fides sit prior charitate. Experientia Suarij.*

Optima ergo huius rei congruentia est, ideò relinqui illum habitum, vt homo possit se connaturali modo ad iustitiam disponere. Contra eam tamen obiici Primò potest, ob eamdem causam debere etiam relinqui eum habitum in hæretico, vt possit etiam redire ad fidem, & se ad iustitiam disponere. Secundò, in antiquâ lege, vbi ad iustitiam non disponebatur quis vltimò nisi per actum charitatis, quia non erat vllum Sacramentum, quod cum solâ attritione causaret gratiam, debuisset etiam relinqui habitus charitatis, vt se disponere possent connaturaliter ad gratiam.

37. *Optima huius rei congruentia. Contra hanc obijcitur Primò. Secundò.*

Digitized by Google

tiam. Tertiò, etiam debere manere alios habitus infusos, quia frequentissimè fiunt à peccatore actus supernaturales castitatis, misericordiæ &c. Quartò, etiam debere relinqui habitum infusum voluntatis, qui sit pia affectio. Respondeo vno verbo, ideò à me dictum, eam esse congruentiam, non rationem vincentem: congruentiæ enim facilè patiuntur aliquam instantiam, maximè cùm fuerit congruentia mouens Deum liberè: tunc enim facilè dicitur, Deum permisisse se moueri illâ ad hunc habitum, non verò aliâ simili ad alios habitus. Respondeo Secundò, adhuc assignari posse aliquam differentiam.

Tertiò.

Quartò. Respondetur Primò.

Secundò.

38. *Ad Primam instantiam.* Ad Primam instantiâ nego sequelam, quia esto ex eo capite deberet habitus relinqui, quia tamen directè quodammodò se opposuêre hæretici, connaturalius fuit, vt eo priuarentur, quàm alij, qui etsi in aliâ materiâ peccauerint, in fide tamen perseuerant integri.

Secundam. Ad Secundâ dico, etiam in antiquâ lege fuisse magnam disparitatem inter actum fidei & inter actum charitatis; nam illum poterant fæpissimè ante iustificationem facere homines, imò (vt dixi suprà) semper priùs tempore præcedebat actus ipse charitatis, non tamen, sed à peccatore poterat sine habitu fieri; nam in eodem instanti infundebatur habitus: pro vnico ergo actu non erat ita necessum relinquere habitum sicut pro multis.

Tertiam, Ad Tertiam negatur etiam consequentia; nam actus aliarum virtutum non sunt necessarij per se ad iustificationem, sicut actus fidei.

Quartam. Ad Quartam, de ipsâ affectione, respondebitur in materiâ de fide, vbi agitur, an detur talis habitus: nunc dico, probabilius illum dari & manere simul cum ipso habitu intellectuali fidei. Posset forte etiam omnibus his obiectionibus responderi, habitum fidei naturâ suâ esse independentem à gratiâ, alios verò dependentes: ab hac tamen solutione, abstineo, quia rem valdè incertam assumit; nolo autem certius per minùs certum probare.

Obiectiones hæreticorum contra hanc conclusionem, quia non tâgunt punctum de habitibus, sed maximè conantur probare actui fidei annexam gratiam, omitto, quia suprà eâ de re disputatum est.

39. *De spe eodē modo discurrendum est.* Circa spem eodem modo discurrendum est: quæ enim P. Suar. cap. 5. adducit à n. 15. non tam sunt pro præsenti difficultate de habito spei quàm pro eâ, de quâ suprà; quod scil. extra Sacramentum Pœnitentiæ & Baptismi necessaria sit ad iustificationem charitas: aliqua verò loca, quæ hæretici obiiciũt, vt ex 1. Ioan. 3. *Qui habet spẽ, sanctificat se,* & ex August. ad Psalm. 31. *Charitas benè operantis dat ei spẽ bonæ conscientiæ,* & similia, quibus videtur probari spẽ sufficere ad salutem, facilè explicantur. Ioannes enim solùm voluit dicere, spem disponere ad iustitiam & sanctitatem; Augustin. autem docet, charitatem augere spem, quia vicinior est saluti qui est iustus, quàm qui in peccato; quo sensu solet etiam dici, peccatores non habere spem, quatenus sunt in peccato, seu, quòd si in eo statu moriantur, non saluabuntur: ergo hac de actu spei difficultate omissâ,

Locus ab hæreticis obiectus.

Explicatur.

Habitus spei manet in fideli peccatore: Circa habitum illius dicimus: Etiamsi in Tridentino de illo nulla sit definitio, ex cõmuni tamen omnium ferè Scholasticorum sententia, & ob congruentiã circa habitum fidei tactam, quòd scil. spes sit vna ex præcipuis dispositionibus ad iustitiam necessariis, dicimus, cum habitum manere in peccatore fideli, quamdiu non committit actum desperationis: addimus tamen, amitti etiã, quando perit habitus fidei; nam cùm hic sit fundamentum, sine eo non stat spes. An autem possit dari actus desperationis sine infidelitate dicam Deo dante in materia de spe.

perditur cum habitu fidei.

40. *An fides & spes semel habita amitti possint.* Secundò potest è contrario quæri, vtrùm fides & spes semel habita amitti possint. Quæstio hæc etiam potest vel de solis actibus intelligi, vtrùm qui semel bene credidit, possit postea errare circa fidem, hucque desit habitus, siue non. In quo puncto certissima est Catholica veritas, asserens id esse possibile. Paulus id significauit 1. ad Timoth. 1. vbi agens de his qui bonam conscientiam neglexerunt, ait eos circa fidem naufragasse; supponit ergo eos habuisse veram fidem. Idem constat in Simone Mago, quem Lucas dicit verè credidisse; posteà tamen fuit hæresiarcha. Idem cernitur in Luthero & aliis multis qui fuêre veri Catholici aliquando: imò & ipsi debent fateri, si vt contrario loquamur de illis qui sub hæresi aliquando fuêre, & posteà ad Ecclesiam Romanam accesserè; debent, ipsi, inquam, fateri, à vera fide ad falsam (vt ipsi putant) cecidisse: dicere enim de his & illis, numquam verè credidisse, est planè contra omnem humanam experientiam: etenim & qui apud nos fuêre credidêre omnes articulos nostros, & qui apud Lutherum credidêre omnes illorum; ergo habuêre fidem veram vel apud nos, vel certè apud illos, si nolunt fateri, nostram esse veram fidem docet Christus Lucæ 8. *Qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt.* Vide hac de re Bellarminum lib. de Amissione gratiæ cap. 4. & lib. 3. de Iustificatione cap. 14. & Suarez suprà cap. 6. apud quem multa alia Scripturæ testimonia inuenientur: nobis sufficiat Tridentini definitio sess. 6. can. 15. vbi ait per infidelitatem fidem amitti: quod idem de spe dicendum est, quia est eadem ratio.

An fides & spes semel habita amitti possint.

Fides & spes possũt amitti in perpetuũ. Est autem notandum, non solùm amitti posse fidem veram & spem ad tempus, sed in perpetuũ; nam ex his ferè testimoniis non solùm constat, aliquos, qui semel habuerunt veram fidem, defeciisse ab ea ad tempus, sed etiam in perpetuum: hac ergo veritate de actibus supposita.

Habitus fidei & spei etiam amitti possũt. Facilè decidetur alterum eorum quæ ad habitus spectat, an scil. tales habitus tunc amittantur. Respondemus, omnino amitti; nam fundamentum, quo mouebamur ad dicendũ eos nõ amitti per quodlibet mortale, valet è contrario ad dicendũ amitti per infidelitatem: illud enim est communis auctoritas omnium ferè Theologorum, accedẽte ea definitione Tridentini de infidelitate, quæ maximè vrget de habitu: etenim actũ fidei amitti per infidelitatem non indigebat definitione: & licet de spe nihil sit definitum, à simili tamen ex fide discurrendum est.

41. *Per quos actus excelluntur. Non expelluntur per errorem inuincibilem aut carentiã actus. An ob aliam causã præter incredulitatẽ expelli possint.* Iam verò quæri potest, per quos actus contrarios fidei habitus hic expellatur. Respondetur Primò, non expelli per errorem inuincibilẽ, quia hic non est peccatum; non expellitur autem nisi per peccatum: neque item expelli per carentiam actus fidei, quia hæc ex se non est peccatum. Sed quid, si esset obligatio eliciendi actum interiorem fidei, & aliquis illum nõ ob incredulitatem, sed ob aliam causam, negligentiam v. g. omitteret, expellereturne tunc habitus? Respondeo, rem esse dubiam, quia talis casus de facto non potest

con

contingere: quid autem Deus eo admisso facturus esset, nos omnino latet. In re planè dubiâ si diuinare licet, non expellendum dixerim, quia illud peccatum non tam esset infidelitas quàm pigritia, aut illius speciei, ob cuius motiuum omitteretur actus fidei.

Res de facto est dubia.

Dicendum Secundò: Etiamsi quis erraret ex ignorantiâ culpabili, adhuc non amissurum habitum; nam eo casu non haberet homo aucrsionem ab obiecto formali fidei eiusque motiuis; imò videretur eo animo ignorantiam affectare, ne illis motiuis cogeretur ad assentiendum: ad assentiendum autem habitum videtur necessaria voluntaria recessio ab eis motiuis. Dixi *à motiuis fidei*, nam ab obiecto formali fidei vix potest quis voluntariè recedere: (de quo fusiùs quinto Tomo:) Deum enim esse veracem in suis dictis vix negat delirissimus hæreticus; dari verò de facto reuelationem, cùm in se sit quid occultum, non potest negari nisi motiuis credibilitatis negatis.

Error culpabilis non expellit habitum fidei.

Vltimò posset in præsenti quæri, quomodo habitus fidei & spes per contrarios actus expellantur. De hoc tamen egi suprà disp. 45. dum vniuersaliter egi, quo pacto peccatum expellat habitum gratiæ & alios infusos.

TRACTATVS DE MERITO.

DISPVTATIO LIII.

Quid requiratur ex parte operum ad meritum supernaturale.

I. DVM de augmento iustificationis disp. 51. tractaui, discussi simul, an ex parte operum certa aliqua intensio ad meritum sit necessaria; ideò eâ difficultate, quæ ex parte etiam hoc spectare videbatur, omissâ, ad alia, quæ pro merito possunt desiderari, explicanda veniamus.

SECTIO I.

Supponuntur quæ certa sunt.

SVBSECTIO I.

Opera nostra supernaturalia facta in gratiâ sunt meritoria de condigno augmenti gratiæ.

Nostri sæpe vis hæretici omnẽ rationẽ meriti bonis operibus negant.

HÆretici nostri temporis negant bonis operibus omnem rationem meriti. Contra eos fusè Bellarminus lib. 5. de Iustificatione à capite primo, Lindanus lib. 3. Panopliæ cap. 20. Stapletonus lib. 10. de Iustificatione, Vega in Opusculo de iustificatione q. 4. & alij controuersistæ.

Suadetur variis Scripturæ locis iustorũ opera mereri gloriã.

Catholica sententia verum meritum gloriæ in operibus iustorum admittit; suadetur autem variis Scripturæ locis; in quibus & vox *meritum* vsurpatur ad hoc propositum, vt Eccl. 16. & ad Hebræos 13. vel ex locis, in quibus *merces*, *corona bratium*, *præmium* inuenitur: quæ videri possunt apud citatos, & satis sunt obuia: item ex illis locis, in quibus homines iudicandi dicuntur secundùm opera, & recepturi prout gesserunt: & in quibus præmium alterius vitæ dicitur retributio. Vide Valentiam hic disp. 8. q. 6. puncto 2. Bellarminum suprà cap. 4. Suarez lib. 12. cap. 2. & Tannerum disp. 6. q. 6. dub. 1. qui multa Patrum testimonia pro eâ veritate cõgerunt: eã definijt Arausicanum cap. 18. & Lateranense cap. *Firmiter*, de summâ Trinitate, Florentinum in decreto vnionis, & Tridentinum sess. 6. cap. 18. & can. 32.

Probatur ratione.

Ratione eam persuadere, maximè quoad meritum condignum, est difficile, quia non possumus nos videre proportionem eorum operum cum gratia & gloria; nihilominùs tamen optima congruentia desumitur ex eo, quòd homo per gratiã constituitur amicus & filius Dei: opera item supernaturalia sunt in eodem genere & ordine cum eo præmio, ergo.

Etsi nihil in Scripturâ aut Conciliis habeatur expressè de merito condigno, cõmunis tamen Scholasticorum sensus admittit. Habet fundamentum in Tridentino.

Vbi aduerte, etiamsi in Scriptura & Conciliis nihil dicatur expressè de merito condigno ideòq; Durandus, qui in 2. dist. 27. q. 2. num. 1. negat tale meritum, non doceat apertum errorem, communem tamen omnium aliorum Scholasticorũ sensum esse, omnino debere illud admitti; nam ea loca Scripturæ debent propriè intelligi de corona, mercede, &c. hæc autem meritum condignum sonant, quia meritum cõgruum est meritum solùm secundùm quid.

Habet etiam in Tridentino hęc doctrina fundamentum; nam primam gratiam iustificantẽ non dixit cadere sub meritum, etiamsi de congruo illam mereamur; ergo quando respectu augmenti concessit meritum, intellexit condignum.

Obiectio. Prima. Secunda.

Potest obiici Primò, quòd non possit homo benè vmquam operari, vt dicunt Nouatores: sed id alibi reiectum est abundè. Secundò, quia Scriptura damnat eos qui in suis operibus cõfidunt. Respondeo id intelligi de operibus viribus naturæ factis, & de aliis etiam; eo tamen sensu, quasi homo à Deo gratiosè non accepisset principia ad talia opera. *Tertiò*, quòd gratia detur gratis: verùm iam id alibi est explicatum. *Quartò*, quia Paulus ad Rom. 8. ait, *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Respondeo, eum loqui de passionibus vt non condignificatis gratia, & interiori volitione supernaturali eas acceptante: eodem sensu debet intelligi quod 2. ad Corinth. 4. tradit, *Momentaneum & leue tribulationis nostræ*, &c. *Quintò* obijcitur, Opera

Tertia.

Quarta.

Quinta.

nostra

Digitized by Google

nostra non mereantur ex iustitiâ, ergo non habent condignitatem. Respondeo, falsum esse antecedens; de quo fusè primo Tomo; item consequentiam nullam, quia negantes eam iustitiam non ad defectum valoris, sed ad alios titulos recurrũt: vnde etiã operibus Christi, quę sunt infiniti valoris, negant rationem iustitiæ. Sextò, quia si opera nostra essent condigna, non posset Deus negare homini benè operanti gratiam, Negatur sequela, quia Deus habet multos, titulos, ob quos possit ea opera petere, ideóque negare illis gloriam & gratiam. Vltimò, quia derogatur per hoc meritis Christi. Respondeo negando assumptum; quia potiùs in eorum id cedit commẽdationem, quòd nobis promeritus sit gratiam, quâ tam nobilia opera efficere possimus.

Sexta.

Vltima.

Coninck vt ipsâ Durãdi sententia adhæsit.

Huic Durandi sententiæ re ipsâ, licet nõ voce, adhæsit P. Coninck Tom. de Fide disp. 8. dub. 3. ita enim nostra opera dicit esse condigna, vt neget ea esse æqualis valoris cum præmio, etiam vt dignificata per gratiam; & solùm ea censet condigna, eò quòd Deus voluit illis dare tale præmium: sicut cursus non est ex se æqualis cum brauio, licet accedente promissione Principis dicatur illud mereri. Probat autem suam doctrinam, quia & Deus, qui est præmium, est infinitus; & ipsa visio, quatenus est æterna, meritò dicitur infinitum præmium; ergo opera nostra finita non sunt ei æqualia. Confirmat ex illo Genes. 15. *protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Quæ verba denotant mercedem esse maiorem merito.

Suã doctrinã probat.

In eamdem etiam sententiam Tanner. videtur inclinare, maximè Tom. 4. disp. 1. q. 1 à n. 289. vbi ait diuinitus purum hominem in gratiâ constitutum posse ex promissione diuinâ satisfacere aliqualiter de condigno pro alieno mortali. In quâ doctrina vt certum supponit, per volũtatem Dei posse opera elevari ad plus merendum quàm mereantur ex seipsis: expressè autem affirmat ibidem, nostra opera non esse omnino condigna gloria æterna; illum tamen defectum ait suppleri per promissionem Dei, si tamen hæc promissio antecedat ipsa opera; nam si subsequatur, iudicat illam esse omnino ad condignitatem inutilem. Hæc sententia, qua parte possibilem dicit condignum satisfactionem puræ creaturæ pro mortali, displicet. Deo dante Tom. 7. ibi enim dum de necessitate Christi pro redemptione generis humani agitur, ex proposito simul tractabitur, an pura creatura possit satisfacere de condigno pro mortali. Video Patrem Tannerum per illam particulam diminuendam aliqualiter de condigno valdè accedere ad communem; sed iam dixi hoc aliò spectare; qua parte autem negat operibus nostris condignitatem perfectam, eamque ait suppleri per Dei promissionem, conuenit cum Durando & Coninck; ideóque eodem modo omnes tres reijciendi erunt. Dixi hanc sententiam à Durando solâ voce differre; nam promissionem illam non negat Durandus, neque vllus Catholicus, siue vocent ea merita condigna, siue non.

Hinc ergo reiciendus Coninck. Primò, quia communiori & meliori Theologorum parti adhæsit non re ipsa, quæ ratione naturali deciditi non potest, qualis hæc est, adhærendum profectò est maiori auctoritati. Accedit, nostram & eamdem sententiam longè magis conformem esse modo loquendi Scripturæ, Conciliorum & Patrum, dum absolutè dicimus, nostra opera esse digna gloriâ, promereri illam, hanc esse mercedem, &c. hæc enim omnia, vt & suprà insinuaui, æqualitatem significant, non autem solum debitum, eo præcisè quòd Deus promiserit gloriam: vnde fit vt multi graues scholastici, inter quos est P. Vasq. nec quidem promissionem Dei necessariam esse dixerint ad meritum, esto aliunde negent, illud esse ex rigorosâ iustitia; ergo cùm nihil in contrarium adducatur vllius momenti, vt partim iam ostendi, & statim ostendam, non est ab hac communi sententia recedendum. Secundò principaliter pro ea argumentor: nam si sola ea similitudo de benè in stadio operantibus consideranda sit, profectò nullam reddet P. Coninck rationem, cur opera naturalia bona, si Deus ob illa gloriam se daturum promisisset, non essent dicenda condigna gloria æterna: id quod vehementer euerteret fundamentum omne pro necessitate gratiæ & operum supernaturalium. Sequela probatur, quia si Deus promittendo gloriam ob opera ex se inæqualia, ea reddit æqualia & condigna, profectò eodem modo posset reddere condigna opera naturalia, quantumuis ex se inferiora, si Deus eis promisisset gloriam: licet enim ex se sint lõgè minùs perfecta quàm supernaturalia, si tamen simul dicimus, per promissionem Dei posse suppleri defectum valoris vt decem v. g. qua consequentia negabimus posse suppleri valorem vt sedecim? ergo si opera supernaturalia, habentia valorem vt decem v. g. eleuantur per promissionem ad condignitatem cuius gloria valente viginti v. g. poterunt per promissionem eleuari opera naturalia valentia tantum v. quatuor.

Multi cum Vasq. negant promissionem esse necessariã ad meritum. Argumẽtum principale pro illis.

Respondebis, in operibus naturalibus non esse vllam proportionem cum gloria. Sed contrà, quia in eis est laudabilitas & honestas? cur ergo promissio Dei non poterit supplere reliquum defectum? Sæpè dixi, quando inter duas res, vt vna dicatur alteram mereri, vel esse in eodem ordine, non requiritur æqualitas perfectionis, sed dicitur aliqua minor sufficere, summè diuinari, dum taxatur quæ & quãta minor sufficiat, cur enim non minor vt duo, si sufficit minor vt vnum, & sic de reliquis? vnde hoc argumento etiam probaretur opera naturalia facta ab homine in pura natura, hoc est sine gratia habituali, posse habere condignitatem cum gloria, item actum contritionis cũ prima gratia, quia hæc est illi promissa; & ipse actus habet ex se congruitatem, esto in eo priori non dignificetur per vllam subiecti sanctitatem. Quæ omnia absurda sine dubio censenda sunt.

Vt vna res aliã mereatur nõ requiritur æqualitas perfectionis.

Tertiò argumentor à priori (prout in hac materiâ possumus) nam esto visio Dei sit in se maximum bonum, dignitas tamen personæ merentis proueniens à gratia, quæ facit hominem amicum & filium Dei, potest ea opera elevare ad condignitatem cum gratia. Quid enim connaturalius mereatur per obsequia amicus filiúsque, quàm parens & amici conspectu frui. esto ille conspectus eis vehementem afferat voluptatem. Imò cùm iam supponatur priùs admissi ob gratiam ad conspectum illum, facilius intelligitur, quomodo eius maiorem claritatem de condigno promereantur, quia non est moraliter adeò difficile, amicum in amicitia crescere, quàm eam de nouo inchoare.

Argumẽtum à priori pro nostrâ doctrina.

Facilè hinc ad obiectiones respondetur. Ad Primam, nego visionem esse infinitam: licet enim Deus in se sit infinitus, modus tamen cum possi-

Ad obiectiones respondetur.

dendi

3. *Reijcitur sententia Coninck vt communi Theologorum contraria.*

dendi est finitus. Quod de æternitate eiusdem visionis dicitur non vrget; nam præmium quod semel donatur merenti, perpetuò debet illi relinqui, nisi ob demeritum aliquod eius ablatione puniendus sit. Constat autem, Beatos non posse culpam vllam admittere.

Testimonium ex Genesi nō est ad rem.

Testimonium ex Genesi non est ad rē, quia in eo dicitur quidem merces nostra magna nimis; at nec per vmbram denotatur ei non esse æqualia opera nostra facta in gratiâ. Vbi miror P. Coninck recurrisse ad hunc locum adeò obscurum cùm longè clariùs pro ipso stare videatur Paulus suprà: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam*, item, *Momentaneum & leue tribulationis nostræ*, &c. Sed his paulò antè respondimus, dum cum Durando egimus. Constet ergo longè probabilius esse, opera supernaturalia dignificata per gratiam verè esse æqualis valoris cum augmento eiusdem gratiæ & gloriæ.

5. Pro complemento verò, quia importunè nonnulli in præsenti vruntur instantiâ è monetâ desumptâ, ad ostendendum, eodē modo ex solâ Dei voluntate extrinsecâ posse operum nostrorum valorem augeri (imò aliqui conātur inferre etiam totum de nouo conferri) sicut Princeps potest aureæ argenteæque pecuniæ valorem augere, & verò etiam rei nullius valoris, vti corio, de nouo concedere: quia, inquam, hac instantia importunè multi vruntur, volui breuiter manifestam disparitatem, quæ inter monetam & opera nostra reperitur, declarare. Moneta haud aliter habet valorem, quàm quatenus est vtilis, vt per eam possim habere res quas opto emere: non enim mouet pecunia ob bonitatem honestam aut pulchram, quam in se habet, sed per modum communis signi, quod ego hodie accipio, cras repono, &c. hæc autem vtilitas facillimè potest à sola voluntate extrinseca Principis aut Reipublicæ procedere, volentis vt res tanti aut tanti valoris dentur pro hac vel illa pecunia. Toto cælo diuersus est modus, quo bona opera præmium à Deo extorquent, non per modum rei vtilis ad aliam emendam, sed purè putè ob bonitatem honestam quam in se habent tum ratione intrinsecæ bonitatis, tum ratione libertatis, quam homo per ea exercet generosè, & ratione cuius Deo se reddit valdè gratum, tū ratione ipsius dignitatis à gratia prouenientis, qua redditur Deo dilectum longè Deo gratius, &c. Cum autem ex eo quod Deus eis operibus promittat hoc vel illud præmium, non magis illa opera reddantur honesta, pulchra, &c. neque libertas hominis generosius propterea exerceatur, non potest concipi, quomodo ex ea promissione Dei eleuentur opera illa ad condignè promerendam gloriam, si illam antea non omninò condignè promerebantur: perinde ac inter homines non fierent vllo modo condignum pretium æqui valentis centum vel mille aureos decem aurei soli, quantumuis ex liberali sua promissione Petrus eis æqui dominus pro viginti aut decem aureis voluisset illum mihi dare. Vltimò, quod Tamer. suprà dicebat, promissione solùm conducere ad augendum valorē, quando est antecedens, habet longè maiorem difficultatem: quid enim iuuat dixisse prius Dabo tibi equum si dederis decem, magis quàm si idem Petrus videns me offerre sibi decem, tunc primò dicat, Accipe equum; quid, inquam, iuuat, vt in primo non in secundo casu ea emptio sit ex mea parte æqualis? Iudico sanè, nullam, re prudenter considerata, aliter in vno quàm in altero casu discursurum. Et de ea condignitate satis.

SVBSECTIO II.

Explicantur breuiter reliqua, quæ circa meritum supernaturale certa sunt.

6. PRimum est contra nonnullos, præter actum ipsum voluntatis, non dari aliquem conatum antecedentem virtualiter cum voluntate identificatum: eum enim vt omnino impossibilem reieci in libris de Anima, agens de libertate voluntatis; vnde facilè concluditur, non posse in tali conatu, vtpote chimærico, esse meritum.

Nullus conatus voluntati antecedēs ad meritum requiritur.

Secundum, libertatem esse essentialiter ad meritum omne requisitam: nemo enim meretur per id, quod non potest non facere; sicut nec peccat sine libertate, quia laudabilitas desumitur maximè ex eo, quòd ita quis rem fecerit, vt potuerit omittere; iuxta illud Eccli. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Quæ doctrina etiam est vera in ordine ad potentiam absolutam: nam licet possit Deus, si velit, propter bonum opus necessarium dare gratiam & gloriam, nō dabit tamen illam tamquam ob meritum: an autem libertas ad hoc potiùs opus bonum quàm illud, cum necessitate tamen ad vnum ex illis duobus, sufficiat ad meritum, dixi in materia de actibus humanis Tomo 3. an item sufficiat imperfecta libertas, quæ ad solùm veniale sufficit, valdè dubium: probabile est sufficere, si cætera adsint.

Libertas essētialiter ad meritum requiritur.

Tertiò supponendum ex eodem loco, actum meritorium debere esse simpliciter intrinsecè bonum; an autem actus voluntatis in se omnino bonus possit ex aliquo malo fine extrinseco, vitiari, ita vt simul maneat ex suo obiecto bonus & meritorius, extrinsecè verò & denominatiuè malus, saltem venialiter, fusè discursum est eodem Tomo 3.

Actus meritorius debet esse simpliciter intrinsecè bonus.

Quartò supponendum ad meritum non requiri, vt opus non sit sub præcepto, sed posse hominem mereri etiam faciendo id ad quod obligatur per præceptum: & id sonant vniuersales definitiones Conciliorum & locutiones Scripturæ, quæ sine distinctione omnibus operibus bonis cum libertate ad ea omittenda factis præmium promittunt, iuxta illud Eccli. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Ratio est, quia etiam tunc homo potuisset simpliciter, si voluisset, id omittere; ergo laudabilis est, quòd non fecerit, sed potiùs suæ satisfecerit obligationi: vnde etiam in humanis, licet seruus ex iusta causa teneatur facere quæ ipsi præcepit dominus, in hoc tamen ipso laudabilis est, si faciat, & meritò quærit illum propter hoc præmio aliquo allicere dominus: nam qui cuilibet dat voluntariè quod suum est, laudabilis est in Republica, multò ergo magis dat apud Deum, qui non respicit in operibus nostris proprium commodum, sed sudam gloriam extrinsecam; quæ ei prouenire potest ex eo quòd nos simus boni & sancti: media autem pars sanctitatis est declinare à malo; quando id fit per actum supernaturalem honestum, &c. Imò addendum videtur, cùm præceptum ex se reddat opus nobiliùs, si cætera sint paria, facit enim illud esse opus obedientiæ, augere ex hoc capite meritum.

7. Meritum abstrahit ab eo, quòd opus sit præceptum, vel non.

Ratio huius.

Obiicies; Lucæ 17. Christus dicit, *Cum feceritis*

Obiectio Prima.

Digitized by Google

ritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite Serui inutiles sumus; ergo ea opera non sunt meritoria.

Responsio. Respondetur, ideò id Christum dixisse, non quia excludere voluerit meritum, sed quia nostra bona opera nullam afferunt Deo vtilitatem intrinsecam; id quod etiam de operibus consilij dici potest; vel fortè, quia ea opera non habemus à nobis, sed ex gratiâ ipsius Dei.

8. *Obiectio Secunda. Responsio.* Secundò obijcies: Non meretur mancipium mercedem à domino, eò quòd ei seruiat; nec qui soluit debitum meretur solutionem. Respondeo Primò: Iam dixi etiam per hæc opera hominem mereri aliquam laudem & gloriam: Secundò: Iam assignaui disparitatem; nam homines magis respiciunt in hac re proprium commodum quàm laudabilitatem operantis, è contrario Deus. Tertiò addo, sine dubio hominem priuatum, & Reipublicæ non vtilem, teneri si Imperator de vitâ periclitetur, illum saluare, etiam cum periculo propriæ vitæ; & tamen nemo dicet, si id faciat, non mereri magnam à Cæsare remunerationem: vtrùm autem hæc obligatio tollat rationem iustitiæ inter nos Deúmque per hæc opera, dixi alibi fusè.

Obiectio Tertia. Responsio. Obijcies Tertiò: Præceptum sæpè tollit libertatem; vt in Christo; ergo tollit meritum. Respondeo, obiectionem non esse ad rem; nam si tollat libertatem, non mirum si etiam ex eo capite meritum tollat: hoc enim non est contra nos, qui solùm loquimur, quando libertas manet: quid autem de Christi libertate sentiendum dixi in tertiâ parte.

Actus externus nihil addit ad meritum. Quintò supponendum ex præcedenti Tomo, actum externum nihil penitus addere merito aut demerito supra internum. de quo hîc nihil amplius agendum.

Actus meritorius gratiæ aut gloriæ debet esse supernaturalis. Sextò videtur certum id, de quo suprà ex professo disputauimus, actum meritorium vitæ æternæ vel gratiæ de condigno debere esse necessariò aliquo modo supernaturalem, & ad illum requiri verum auxilium gratiæ; vtrùm autem actus naturales, eo ipso quòd fiant ab homine iusto, dignificentur à gratiâ, ita vt mereantur de condigno augmentum gratiæ, dicetur inferiùs.

9. *Quòd opus fiat ex spe præmij aut timore pœnæ non impedit meritum.* Septimò supponendum, non impediri meritũ ex eo, quòd bona opera fiant spe præmij aut timore pœnæ: etenim expectare retributionem, actus bonus est & laudabilis: vnde de se dicebat Dauid Psalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Et passim Christus Dominus spe præmiorum inuitauit ad se sequendum: vt patet in sermone de beatitudinibus, & in parabolâ operariorum vocatorum ad vineam, &c. si autem operari propter mercedem, seu moueri mercede propositâ, esset malum, seu non esset honestum, non dedisset Christus proponendo præmia occasionẽ vt illi peccarent; vel certè non proposuisset inutiliter id, cuius intuitu homo non deberet moueri. Sed de hoc puncto fusiùs in materiâ de spe: & nos agentes de timore aliquid etiam diximus Tomo 3. *Ratio à priori.* Ratio à priori est, quia ad actum bonum non requiritur vt sit summè bonus; sed sufficit, si versetur circa obiectum honestum etiam non summum: vt enim bona physica sunt inæqualia, non tamen ideò malum est quod est minus; ita etiam in moralibus dantur maiora vel minora bona, è contrario grauiora & leuiora mala: atqui retributio seu solutio laboris est quid honestum: ergo illud optare est honestum. Idem est in timore pœnæ: vitare enim malum infamiæ, doloris, &c. honestũ est; ergo cauere causas illius infamiæ & doloris, seu fugere peccatũ, ne quis ea mala incurrat, honestum erit: nisi fortè ita homo velit illud peccatũ vitare, vt simul dicat expressè, Non fugerem illud, si non esset annexa pœna; tunc enim verè peccaret, vt agens de timore dixi.

Ad meritum non requiritur, vt actus sit summè bonus.

10. *Non etiam necesse est ad meritum vt quis operetur spe præmij.* Octauò & vltimò supponendum, non esse è contrario necessum ad merendum vt quis operetur spe præmiorum: Deus enim in remunerando attendit bonitatem operis eiúsque laudabilitatem; vnde cùm, vt quis operetur benè & laudabiliter, non sit necessarium illum operari intuitu mercedis, imò gloriosiùs sit operari independenter ab vllâ spe præmij, certissimum est, non esse necessarium ad merendum talem affectum præmij.

Obiectio Prima. Responsio. Dices: Spes est necessaria ad salutem; ergo qui non operatur ex spe non merebitur. Respondeo ex dictis suprà spem esse necessariam, vt disponãtur paulatim ad pœnitentiam: quod an sit in omnibus omnino casibus verum, dixi suprà: hinc autem non sequitur eam esse necessariam posteà in omnibus actibus bonis.

Obiectio Secunda. Responsio. Secundò obijcies ex Paulo 1. ad Corinth. 9. *Debet in spe qui arat arare:* & Matth. 6. Christus ait, *Quærite primùm Regnũ Dei*, &c. Respõdeo, testimonijs his probari, spem communiter esse quę primò mouet, eámque esse vtilem, maximè, vt dixi, ad perducendum hominem ad gratiam; non tamen illis probari, hominem, qui ob alias honestates operatur, esse indignum mercede.

Sectio II.

An pura omissio sit meritoria de condigno gratiæ.

11. *Negant multi, quòd plus requiratur ad meritum quàm ad peccatum. Nonnulli affirmant.* Quæstionem hanc pauci discutiunt ex proposito; sed omnes supponunt negatiuam partem, quia ad meritum plus requiritur quàm ad peccatum; ideò eam dicunt posse esse peccaminosam, non verò meritoriam: non desunt tamen, qui ei meritum tribuant, eò quòd & libera sit & honesta; quia ipsum recedere à malo honestissimum est, ergo.

Subsectio I.

Prior pars nostræ sententiæ.

Ratio partis negatiuæ pro quæstione hac non est sufficiens. In hoc puncto Dico Primò: Ratio ea communis, quòd plus requiratur ad meritum quàm ad peccatum, non videtur sufficiens pro præsenti quæstione; quia non ostenditur, illud plus, quod requiritur, debere esse actum positiuum; etenim facile esset inuenire aliquid aliud, in quo ille excessus consisteret: v.g. quòd ad meritum condignum requiratur status gratiæ, ad demeritum verò nullus requiratur specialis status ex parte peccatoris, sed ipsum peccatum per se sufficiat.

Qui docent actum nõ esse meritoriũ, etsi rem honestam amet, nisi ipsã habeat pro obiecto formali, etiam tenentur dicere, puram omissionem nõ esse meritoriã. Dico Secundò, Omnes illi, qui asserunt actum non esse simpliciter honestum & meritorium, etsi rem honestam amet, nisi eã habeat pro obiecto formali, tenentur dicere, puram omissionem non esse meritoriam; quia esto in actu exercitò & interpretatiuè amet obiectum honestum, nempe carentiam ipsam peccati, non tamen

Digitized by Google

eam amat sub ratione formali honestâ; nam omissio peccati esset eadem, esto propositus fuisset finis indifferens, imò & venialiter malus, ad quem ipsa esset vtilis: v.g. omittere furtum proponitur bonum ad ludendum, ad orandum, ad garriendum: omittit purè quis furtum, profectò ea omissio non est amor nec quidem interpretatiuus honestatis quà talis; ergo non potest tunc esse simpliciter honesta & meritoria.

Responsio pro his auctoribus.

Respondebis id esse verissimum, quando tales fines simul proponuntur; quia tunc non magis ab vno quàm ab altero mouetur voluntas: at si solùm proponatur vnicus finis, isque honestus; v.g. *Non furari est bonum, quia in se honestum est*; nec tunc alia appareat ibi ratio amabilitatis; profectò voluntas habens pro obiecto suo modo eam carentiam, eámque volens, debet etiam suo modo velle sub aliquâ ratione bonitatis; cúmque tunc nulla alia appareat, velet illam interpretatiuè sub ratione honestæ; ergo suo etiam modo dicetur ea omissio habere pro ratione formali honestatem. Neque obstat, quòd videatur esse eadem omissio, siue hic, siue ille finis apponatur, siue cognoscatur vtilis ad hunc finem bonum, siue ad illum indifferentem, & siue ad tertium alium malum: hoc, inquam non obstat; facilè enim dicitur tunc eam esse moraliter diuersam omissionem; eo enim ipso, quòd in vno casu ideò præcisè agnoscatur omissio bona, quia honesta, censetur tunc interpretatiuè ea honestas voluntaria; in altero verò casu, quando solùm noscitur bona ob delectationem v.g. solùm censetur voluntaria seu volita delectatio illius. Hæ autem duæ volitiones, seu hæc duo interpretatiua voluntaria, proculdubio sunt diuersa; quid ergo mirum, si vnum sit honestum & meritorium, alterum verò indifferens?

Hæc duo interpretatiua voluntaria sunt diuersa.

12. *Huius solutionis impugnationi respondetur.*

Neque hanc solutionem impugnat, quòd videatur ex eâ sequi, si omissio furti proponatur vtilis ad fornicandum v.g. & quis omittat purè, eo ipso peccaturum peccato fornicationis; erit enim illi indirectè voluntaria ea fornicatio: quod absurdum valdè est: responderi enim potest negando consequentiam ex nostro ad hunc casum; nam finis, ad quem medium aliquod ordinatur, non amatur verè, nisi ametur expressè ipse finis: id quod verum est, esto non per omissionem, sed per actum positiuum illud medium ametur. Quamuis enim equus sit vtilis ad spoliandum homines in viâ, non ideò, dum habeo positiuam volitionem emendi equum, pecco aut volo spoliare, nisi expressè ordinem eam emptionem equi ad illum finem dicendo, *Volo propter hunc finem*, aut saltem volendo priùs finem, & ex illâ eiusmodi electionem imperando: vnde libenter admitterem, si quis voluisset fornicari, & noscens ad id esse bonum, non se occupare hîc & nunc furando, ac tunc purè omitteret furtum, fore peccaminosam eam omissionem; si tamen pura tunc esset dicenda, quandoquidem videtur oriri ex volitione fornicandi. Ratio à priori, cur eo casu in amore medij non ametur finis, facilis est; quia finis & distinctus realiter est à medio illo, & non oritur necessariò ex eo; ergo non amatur implicitè in medio vllo modo, etiamsi ex se possit ordinari posteà ad illum finem. At in nostro casu, quando bonitas omissionis seu carentiæ non desumitur ex vtilitate ad aliquid extrinsecum, sed est quasi essentialis seu intrinseca ipsi carentiæ volitæ, debet necessariò illa in ipsius carentiæ amore virtualiter amari; & eodem modo dico è contrario de malitiâ; vnde fit, vt quia malitiâ reperta in vsurpatione pallij Petri contra voluntatem illius non est per modum vtilitatis ad aliam rem, sed imbibita in ipsâ actione; eo ipso, qui eam actionem vult, etiam vult malitiam furti, & peccati: item, quia malitia reperta in non-auditione Sacri non est per modum ordinationis ad alium finem, sed formaliter illi intrinseca, qui omittit, vult eo ipso eam malitiam implicitè, quantumuis non amet alium finem malum. Cùm ergo bonitas reperta in non furando, seu in omissione furti, non sit per modum vtilitatis ad alium bonum finem, sicut è contrario diximus de malitiâ, quæ potest in eâ reperiri, quatenus ordinari valet ad fornicandum, censetur ille qui omittit furtum, esto non amet expressè eam honestatem, amare tamen illam implicitè & interpretatiuè, quando aliam ibi non agnoscit bonitatem; non tamen è contrario amat interpretatiuè fornicationem qui omittit idem furtum, etiamsi cognoscat ad eam fornicationem posse ordinari eam omissionem; nam omissionem posse ordinari ad fornicationem non est eam actu ordinari; ergo dum actu homo eam non ordinat, non peccat, quia posse peccare, non est peccare; debet ergo expressè velle fornicationem, vt ordinet omissionem ad illam, & vt peccet omittendo: at honestas carentiæ malitiæ actu est in eâ omissione, ergo ea actu amatur interpretatiuè ab omittente liberè, maximè dum aliam non agnoscit ibi bonitatem, quæ moueat: in quo solo casu nunc sumus.

Ratio à priori.

Bonitas omissionis in nostro casu non desumitur ex vtilitate ad aliquid extrinsecum.

13. *Replica Prima.*

Quòd si obijcias; Ergo esto simul ea omissio furti proponatur vtilis ad ludendum, dormiendum, &c. erit honesta, quia etiam tunc necessariò debebit amari virtualiter ea honestas, quandoquidem semper est illi omissioni intrinseca, quidquid sit de alijs finibus; hoc autem videtur absurdum, ergo. Si hoc, inquam, obijcias, respondebo negando consequentiam; nam quando aliæ bonitates simul proponuntur, non possumus dicere, voluntatem habere pro motiuo eam honestatem: amabit quidem illam saltem interpretatiuè, at non tamquam motiuum formale: supponimus autem in præsenti, ad meritum non sufficere amare rem honestam, nisi ipsa honestas sit motiuum formale: quando verò nulla alia proponitur bonitas in ea omissione, necessum est, vt illa sit interpretatiuè motiuum, quia voluntas semper debet habere motiuum sui amoris.

Solvitur.

Non sufficit amare rē honestam, nisi eam pro obiecto formali habeat.

Replica Secunda.

Replicabis tamen adhuc ex hac vltima ratione; Ergo si in omissione furti non proponatur vlla prorsus alia bonitas quàm vtilitas ad fornicandum; necessariò hæc debebit amari, esto finis sit extrinsecus; quia etiam tunc in ea omissione debet voluntas habere motiuum aliquod formale, vt immediatè antè diximus; aliud autem non proponitur tunc quàm ea vtilitas, ergo ea debebit amari, licet sit extrinseca. Quòd si respondeatur, necessariò in omissione furti, eo ipso quòd proponatur esse omissio rei malæ, debere proponi bonitatem eam honestã, ideóq; casum esse implicatoriũ; facilè adhuc reijcieris; Primò, quia potest contingere, vt homo ille se non reflectat ad iudicandam eam carentiam esse bonam, sed præcisè consideret vtilitatem ad fornicandũ. Secundò reijcieris, quia saltem in omissione rei indifferentis habebit locũ obiectio; ibi enim cùm nõ sit ea ea honestas, quę est in carẽtia rei turpis v.g. in omissione deambulationis, potest optimè fieri vt

Solvitur.

non

Digitized by Google

non proponatur volũtati vlla alia bonitas, quàm vtilitas eius omissionis ad fornicandum; ergo si tunc omittat, censebitur habere pro obiecto formali fornicationẽ: quod nemo prudenter dicet.

14. *Ob hanc replicam pura omissio meritoria dici nõ potest. si honestus, obiecti ametur propter seipsam.*

Iudico ob hanc replicam non posse defendi, eam puram omissionem esse in aliquo casu honestam & meritoriam, si ad meritum requiratur, vt honestas obiecti ametur propter seipsam, nec sufficiat, quòd sit quasi obiectum materiale: vnde locum habet nostra Secunda conclusio, quæ hoc ipsum dicebat. Vt verò obiectioni factæ satisfaciam, quatenus videtur probare, tunc temporis, interpretatiuè saltem, per eam omissionem amari vt obiectum formale eam honestatem, respondeo negando sequelam. Ad probationem quòd scilicet debeat voluntas in omni amore habere obiectum formale vel expresè vel interpretatiuè, distinguo; in omni actu positiuo concedo, in omissione nego. Ratio est facilis; nam vt voluntas non necessitetur ad amandum obiectum aliquod, & consequenter vt possit amorem erga illud omittere, sufficit, quòd in eo obiecto non proponatur summa bonitas attrahens & alliciens ad se: eo enim ipso habet voluntas sufficiens fundamentum ad omittendum, non attendendo ad vllam aliam bonitatem omissionis (vt diximus sæpè agentes de libertate voluntatis:) neque enim est necessum considerare reflexè ex parte omissionis aliquam bonitatem, ergo potest esse omissio libera furti, etiamsi non ametur, nec quidem interpretatiuè, honestas illius; sed eo præcisè, quòd furtum non attrahat ad se infinitè, vt sic dicam; at omittere furtum, quia non attrahit infinitè, non est amare honestatem, sed quid commune omnibus alijs omissionibus erga obiectum indifferens, imò etiam erga bonum. Constet ergo etiam omissionem rei malæ non habere nec quidem interpretatiuè pro motiuo honestatem, sed summùm carentiam bonitatis summæ in obiecto non amato: quæ carentia vt talis non est honestas; ergo omissio pura manens intra eos terminos non potest habere honestatem, si ad hanc requiratur obiecti honestatem esse motiuum terminatiuum formale actus.

Ad probationem contrariam respondetur.

Potest esse omissio, etiãsi illius honestas nec interpretatiuè ametur.

Svbsectio II.

Altera pars nostræ sententiæ.

15. *Qui docent actus naturales iusti ab auxilio supernaturali ortos non esse meritorios gratia. etiam dicere tenentur, omissionẽ puram non esse meritoriam.*

Dico Tertiò: Etiam illi qui dicunt actus naturales, esto dignificatos gratiâ & ortos ab auxilio supernaturali, non esse meritorios, nec quidem de congruo gratiæ & gloriæ, quod vt longè probabilius defendam infrà, tenentur dicere, puram omissionem numquam esse meritoriam gratiæ & gloriæ: vnde miror quosdam recentiores duas has opiniones coniungentes, & meritum omissionis & exclusionem meriti ab actu naturali. Probo autem conclusionem; nam omnis omissio cuiuscumque peccati est quid connaturale: vt enim peccatum est quid naturale, ita carentia peccati est naturalis. Expligo: Vel enim vires naturales sufficiunt ad vitandum illud peccatum, vel non: si non, ergo in non-vitatione non poterit esse peccatum; nemo enim peccat faciendo id quod vitare non potest; si verò vitare homo potest viribus naturalibus, ergo vitatio seu omissio illius aliquid est naturale; ergo non potest esse meritoria. Quod argumentum etiam premit, esto ad meritum non requiratur actus ipse supernaturalis, sed sufficiat actus naturalis, ortus tamen à principio supernaturali: etenim actio omissionis, qualis potest esse, & principium in eam suo modo influens, semper est idem: omissio enim solùm & adæquatè procedit ab eo principio, quod erat facturum opus: atqui principium peccati non est nisi quid naturale, ergo & principium omissionis naturale erit.

Obiectio.

Dices, Esto omissio peccati sit possibilis naturaliter physicè, sæpè tamen adeò est difficilis, vt moraliter sine speciali auxilio gratiæ homo non possit non peccare; ergo prodibit tunc ea omissio à principio supernaturali; ergo tunc poterit esse meritoria, iuxta sententiam, quæ ad meritum solùm requirit principium supernaturale. Sed contrà, quia in eo casu non est necessarium vllum auxilium ex parte principij influentis in omissionem, sed solùm requiritur, vt cognitio retrahens hominem ab eo peccato sit fortior: at cognitio, iuxta veram sententiam, non efficit actionem esse diuersam, quia non influit efficienter, sed solùm illuminando voluntatem: quod maximè locum habet in omissione: hæc enim, siue cognitio sit supernaturalis, siue non, solùm habet promotiuo, iuxta paulò antè dicta, carentiam summę bonitatis allicientis in obiecto quod amandum erat; ergo non habet ea omissio quidquid est necessum ad meritum supernaturale, vtpote quæ naturalis est tam in se quàm quoad principium, à quo procedit proximè; quid autem dicere debeant, qui etiam actui naturali, dummodò procedat ab homine dignificatio gratiæ, tribuunt meritum, ipsi viderint; vtrùm autem meritoria sit alicuius præmij naturalis, dubitari potest. Probabile censeo mereri, quia est in eodem ordine, & præmium illud non est magni momenti.

Refutatur.

In omni sententiâ probabilius est puram omissionem non esse meritoriam vitæ æternæ.

Denique concludo hoc punctum, in omni omnino sententiâ, etiam quæ actui naturali dignificato à gratiâ tribuit meritum, videri longè probabilius, puram omissionem non esse meritoriam præmij vitæ æternæ; nam licet id non possimus probare efficaciter, quia de hoc merito, vtpote superante ordinem naturæ, vix possumus agere rationibus naturalibus; auctoritas autem ex Scripturâ, Concilijs aut Patribus, quæ id impugnet, nulla est: nihilominùs tamen tum ob maiorem consensum Scholasticorum id negantium, tum quia ille modus operandi liberè videtur valdè imperfectus ad tam magnum præmium, quale est gratia & gloria, videtur absolutè omnino neganda ei omissioni ratio meriti.

16. *Obiectio.*

Dices: Ecclesiastici 31. laudatur vir eo præcisè quòd cùm potuerit trãsgredi nõ est transgressus, cùm potuisset mala facere, non fecit; ergo pura omissio est sufficiens ad laudem coram Deo, & consequenter ad meritũ gratię & gloriæ. Respondeo à Iesu Sirach eo loci supponi omissionem illam peccati factã fuisse humano & morali modo, in quo non solet reperiri pura omissio, sed semper admiscetur actus positiuus, qui eam comitetur: deinde locutus est etiam independenter ab omni sententiâ, ut detur nec ne pura omissio: non enim credendus est ibi voluisse definire, dari puram omissionem. Denique locus ille premit omnes; nam si quis per actum positiuum voluisset non abire post aurum, apponendo finem indifferentem, procul dubio habuisset quidquid ea verba videntur requirere, quia in eis nihil dicitur de apponendo fine alio honesto; & tamen ille actus, iuxta omnium ferè sententiam, non esset meritorius, quia careret fine honesto; ergo ab omnibus debet ille locus explicari:

Responsio.

Digitized by Google

nec magis est contra puram omissionem non meritoriam, quàm contra omissionem volitam positivè, indifferenter tamen; ideoque non meritoriam, quia solùm voluit ibi Spiritus sanctus explicare, illam fugam à malo esse ex se bonam; supponit autem illam habituram cætera, quæ ad integram bonitatem actus requiruntur: quæ qualia debeant esse non definit ibi Spiritus sanctus.

Sectio III.

An actus virtutum naturalium sint ex se meritorij vitæ æternæ in homine iusto.

17. Disputari in præsenti poterat, vtrùm solus actus charitatis seu amoris Dei super omnia sit meritorius de condigno vitæ æternæ in homine iusto, an verò id etiam conueniat alijs actibus supernaturalibus virtutum supernaturalium. Hanc tamen quæstionem in quintum Tomum, vbi de ipsis actibus charitatis disputandum erit, censui reijciendam; vbi simul etiam discutietur, vtrùm saltem imperium aliquod reflexum charitatis in eas virtutes ad prædictum meritum requiratur. Suppono autem inde nihil horum requiri, quia Tridentinum, quod suprà, dum de intensione actus ad meritum requisitâ disputauimus, adduximus, omnibus omnino operibus bonis in gratiâ factis in præmium respondere docet augmentum gratiæ; neque vllam ibi facit mentionẽ aut certæ intensionis, aut solius actus charitatis, aut imperij illius: cúmque positiuè affirmet illis operibus nihil ad meritum deesse, haud dubiè ostendit nullatenus requiri actum charitatis eiúsve imperium. Iis igitur quæstionibus omissis agendum nunc de actibus naturalibus. Hac de re P. Suarez c. 10. & 11. Vasquez disp. 207. & alij multi, qui apud ipsos videri possunt.

Duplici sensu recipitur meritum.

Pro intelligentiâ quæstionis obserno, aliud esse loqui de merito denominatiuo his operibus proueniente, ex eo quòd per actus aliquos reflexos supernaturales imperentur; aliud verò loqui de proprio merito ipsorum actuum condistincto à merito imperantis. In primo sensu quæstio

Nulla est difficultas in primo sensu.

nullam penitus habet difficultatem, quia sicut actio ipsa etiam naturalis exterior denominari potest meritoria à volitione interiori supernaturali, v.g. oratio vocalis, ieiunium, eleëmosyna, adoratio, &c. à fortiori poterit actus ipse voluntatis interior (etiamsi in se naturalissimus sit) dici meritorius denominatiuè ab actu supernaturali, à quo imperatur. Hinc vlteriùs dico; si supponamus, non solùm actum charitatis, sed etiam

18. *Actus naturales imperati à supernaturalibus sunt meritorij denominatiuè.*

omnes alios actus morales infusarum virtutum esse meritorios de condigno in homine iusto augmenti gratiæ, esto non imperetur à charitate (vt paulò antè probauimus) certum etiam omnino esse, actus acquisitarum virtutum naturalium mereri de condigno, casu quo ab eis virtutibus supernaturalibus imperentur; quia hoc nihil est aliud, quàm imperium ipsum esse meritorium, & inde denominari extrinsecè meritorium actum ab eo procedentem. Vnde miror, Patrem Suarium, qui in hoc primo sensu tractat hanc quæstionem eo cap. 10. vt testatur num. 13. tam operosè à num. 19. laborare in probanda fusè affirmatiua sententia, quòd scilicet non sit necessariũ imperium charitatis, sed sufficiat aliarum virtutũ infusarum; à num. verò 2. fusè etiam referre fundamenta contrariarum sententiarum: miror, inquam, quia id totum iam erat ab ipso probatum cap. 8. & 9. vnde vno verbo res hîc decidi debebat dicendo, eos actus imperantes esse meritorios, ideóque ab illis denominari meritorios etiã naturales, si imperentur, sicut denominatur actus externus ab interno.

An actus naturales non imperati habeant meritum proprij, & an imperati valorem ab actu imperante super. naturali accipiant.

In secundo ergo sensu maior est difficultas; quærimus enim, an habeant tales actus naturales proprium ac distinctum meritum. Et quidem hic ipse sensus potest esse duplex: Primus, an habeant meritum proprium, etiam quando fiunt sine vllo imperio virtutis infusæ. Secundus, an saltem quando imperantur tunc accipiant nouum valorem, ratione cuius dignificentur ad proprium meritum distinctum à merito imperantis: sicut actus supernaturalis factus à peccatore non habet valorem de condigno ad gratiam, eum tamen habet, si fiat ab homine grato.

19. *Sotus, Medina & alij affirmatiuè tenent: Suarez negat. nisi ab aliquâ virtute infusâ imperentur.*

Sotus lib. 3. de Natura & gratia cap. 4. Medina 1. 2. quæst. 19. art. 9. dub. penult. & quæst. 114. art. 4. quos Vasquez suprà & Turrianus de more post ipsum sequitur, affirmãt absolutè tales actus esse meritorios de condigno, neque indigere ad hoc vllo imperio charitatis: Suarez verò cap. 10. dicit, si non imperentur à charitate aut aliâ virtute infusa saltem morali, nullum habere meritum; si autem imperentur, docet cap. 11. probabile esse, habere proprium & distinctum meritum. Ego sequentibus conclusionibus rem decido; & simul, quæ possunt aliquam difficultatem habere, explico.

Non sunt meritorij, vbi præcisè quòd fiant à iusto.

Prima conclvsio: Eiusmodi actus, ex eo præcisè quòd fiant ab homine habente gratiam, non sunt meritorij de condigno augmenti gratiæ. Hanc sententiam defendit P. Suarez eo cap. 10. à num. 15. Tannetus vbi suprà num. 88. eam à fortiori defendunt illi, qui soli actui charitatis infusæ meritum tribuunt: defendunt etiam illi omnes, qui dicunt, sine imperio charitatis nó esse meritoria opera aliarum virtutum: cuius sententiæ auctores vide apud Tannerum suprà: defendunt item illam qui censent, posse opera naturalia, quantum est ex se, fieri sine gratia vlla per Christum influente: etenim cùm aliunde certum sit, non posse sine auxilio veræ gratiæ aliquid fieri quod sit conducens ad salutem, multò certius erit, non posse actus naturales factos sine gratia Christi esse condignos gratiæ & gloriæ. Neque sufficit, quod homo ea efficiens iam sit in gratia; etenim ad talem actionem gratia ea habitualis per accidens se habet, quandoquidem nullo modo influit in opus: eodem enim modo illud fieret, etiamsi gratia non esset.

Obiectio. Refutatur.

Dices: Dignificat subiectum. Sed contrà (& hæc sit probatio eius sententiæ) quia Patres & Concilia, maximè Tridentinum loco suprà citato, semper requirunt non solùm gratiam dignificantem, sed adiuuantem; vnde definiunt, sine ea gratia nihil posse fieri, quod ad salutem conducat. Atqui iam ostendimus suprà fusè contra Patrem Vasquez, talia opera esse posse sine gratia adiuuante in homine peccatore, & à fortiori in iusto; nam gratia habitualis non reddit illum magis indigentem talibus auxilijs. Quod verò Vasquez respondet, necessarium esse auxilium congruum, & illud esse ex gratia per Christum, sufficienter est à nobis suprà reiectum.

20. *Obiectio. Responsio.*

Dices: His operibus promittitur beatitudo, *Esurijt enim, & dedisti mihi manducare*, &c. Respon-

Digitized by Google

spondeo. In hoc & similibus locis solùm agere Scripturam de operibus externis, quæ tamquam obiectum sunt causa actuum bonorum; nos autem non negamus illis meritum, sed dicimus, debere ea opera externa procedere ex actibus interioribus ad meritum proportionatis: etenim etiàsi in eo loco non dicat Christus, illum, qui dedit cibum pauperibus, debere esse in gratiâ quando id facit, id tamen Vasquez omnésque alij meritò requirunt; cur ergo nos non poterimus dicere, debere intelligi, quòd ea opera externa facta sint ex voluntate supernaturali proportionatâ præmio, & in eodem ordine cum illo?

Replica. Replicabis: Ergo maior pars bonorum operũ carebit præmio gratiæ & gloriæ: etenim passim iusti per actus solos naturales bonos dant eleëmosynam v.g. ieiunant, audiunt Sacrum, &c. si ergo necessarius est actus supernaturalis ad meritũ, omnes hi eò penitus carebunt. Nego consequentiam. *Respondetur.* Ad probationem facilè negatur quod assumitur: etenim cùm omnes iusti habeant paratos habitus & concursum Dei ad eliciendos actus supernaturales, quando operantur circa materiã honestam & capacem talium actuum, dicendum est eos semper operari supernaturaliter, quando circa obiectum honestum operantur benè moraliter: id quod clariùs in meis principijs intelligitur, cùm etiam circa honestatem naturalem versari posse actus supernaturales ostenderim suprà: nec necessum est ipsos reflexè aduertere, se supernaturaliter operari. Respondeo Secundò obiectioni, Si fortè ad operandum supernaturaliter requiratur fortior aliquis conatus voluntatis, tunc me admissurum eam consequentiam; nec reputandum id durum: sibi enim ipsi homines tribuant eam iacturam, qui cùm habuerint in manu (vt dixi) supernaturale principium, non se excitarunt ad operandum cum illo prout necessum erat, seu prout in hac solutione supponimus esse necessarium.

21. *Probatur eos actus non esse de condigno meritorios.* Secundò principaliter probo, eos actus naturales non esse meritorios de condigno augmenti gratiæ & gloriæ, quia si semel admittimus in eis tale meritum, cessat penitus fundamentũ ad ponendos actus supernaturales in substantiâ: hoc enim vnicè desumitur ex proportione meriti cũ vitâ æternâ: ergo si actus naturales habent eiusmodi proportionem, cùm primùm dignificantur gratiâ, cessat penitus omnis necessitas aliorum actuum supernaturalium. Neque ad obiecta supernaturalia recurri potest, cùm ostenderimus suprà efficaciter, ea etiam posse tangi actu naturali. Adde, in Patribus vel Conciliis nihil de eã obiecti supernaturalitate inuentri; non enim aliud inculcant quàm *sicut oportet ad salutem*, ergo, admissa ea proportione in actibus naturalibus, nullum fundamentũ relinquitur ad ponendos actus supernaturales.

Replica. Quòd si dicas, In Conciliis satis clarè insinuari, habitus supernaturales infundi in iustificatione, & inde colligi existere actuum supernaturalium; facilè reijcieris; nam habitus illi ponuntur propter actus, actus verò propter proportionem cum præmio vitæ æternæ; ergo omnia tandem deuoluuntur ad eam proportionem. Confirmatur, quia Patres maximè loquuntur de auxilio necessario ad meritum: si autem opera naturalia sint meritoria, iam cessat necessitas talis auxilij; nam talia opera fieri posse sine auxilio gratiæ fusè ostendi suprà: non posse autem eam gratiam auxiliantem requiri, vt ratione illius sint; *Reijcitur.* opera magis meritoria, mihi euidentissimum est; nam, vt ostendam infrà disp. 57. sect. 2. si opus in se non reddatur melius, certè quòd auxilium pro illo detur gratis, seu sit ex gratia, potiùs minuit quàm augeat operis valorem. Vide quæ eo loco circa hoc punctum singulariter obserno.

22. *Actus naturales imperati à virtutibus infusis non habent ab illis distinctum meritum.* Secunda conclusio: Mihi videtur probabilius & magis ad doctrinam præcedentis conclusionis consequens dicere, etiamsi actus eiusmodi interiores imperentur à charitate aut alijs virtutibus infusis, non tamen habere aliud meritum quàm denominatiuè ab imperante, eodem planè modo, quo de externis operibus locuti sumus. Hæc est contra Patrem Suarez suprà; qui tamen satis formidolosè eam negauit, & meritò nam (vt iam ostendo) argumenta, quæ pro Prima conclusione militant, etiam suadent hanc nostram Secundam: etenim quantumuis præcedat supernaturalis actus imperans actum naturalem, ille tamẽ naturalis imperatus fit sine gratia, & non oritur ex fide, sed ex cognitione naturali: id quod maximè locum habet in sententia Patris Suarez, qui non concedit tale imperium efficax in eodem instanti: si enim imperium sit in hoc instanti, actus verò naturalis in sequenti, clariùs apparet talem actum naturalem non esse ex fide. *Argumenta pro primâ etiã pro hac Secundâ conclusione militant.* Secundò, ipse Suarez suprà argumentatur hoc modo: Si supposita existentia gratiæ in subiecto, homo iam per vires liberi arbitrij posset efficere actus bonos meritorios de condigno gratiæ & gloriæ, profectò posset homo gloriari, quòd de suo haberet potestatem augendi gratiam: sicut si acceptis potentijs homo posset sine influxu Dei immediato producere effectus, posset iam gloriari, quòd de suo aliquid haberet: id quod P. Suarez vt absurdum reijcit. *Argumentũ Suarij.* At hæc ratio tota quanta est pro nostra secunda conclusione, & contra ipsum; nam si actus naturalis habet proprium & distinctum meritum de condigno supra actum supernaturalem imperantem, profectò dicere meritò possumus, hominem habere de suo, in quo glorietur, quòd scilicet possit augere meritum per vires liberi arbitrij; nam, supposito imperio, certè actus, qui postea fit, per solas vires naturales producitur, & quidem sine vllo iam auxilio nouo; ergo habet ille homo tunc materiam gloriandi. *Est pro nostrâ conclusione.*

23. *Argumentũ ex improportione horum operum cum gratiâ desũptum.* Est etiam optima ratio pro hac conclusione, quæ ex diuersitate ordinis inter hæc opera & gratiam visionémque desumitur; nam ea distantia non tollitur per hoc, quòd imperentur reflexè ab actu supernaturali; semper enim in se omnino manent naturalia: quod autem extrinsecè denominentur relata, sufficit, vt & extrinsecè dicantur mereri; vt verò formale & distinctũ meritum habeant, profectò non videtur sufficere. *Confirmatio Primæ.* Confirmo Primò: Eodem modo, quo admittitur supernaturalitas operis, admittit Suarez & omnes fere recentiores capacitatem ad meritum; atqui naturalia opera imperata ab actu supernaturali non habent nisi denominatiuam supernaturalitatem; ergo neque habebunt meritum condignum nisi denominatiuè. *Secundò.* Confirmo secundò: Licet à gratia sanctificante, quam habet operans, accipiant aliquam denominationem illi actus naturales, quòd scilicet sint hominis iusti; quia tamen hoc non tollit eorum improportionem, etiam non eleuat illos tunc ad merendũ, vt supponunt, qui in hac sola cõclusione à nobis differunt: ergo eodem modo actus supernaturalis, qui non tollit (vt dicimus) ordinis diuersitatem ab alijs naturalibus imperatis, & solùm illis dat

Digitized by Google

dat extrinsecam denominationem supernaturalis, solùm poterit dare illis meritum denominatiuum supernaturale, non formale & distinctum.

14. *Obiectio Prima.* Iam non erit difficile obiectiones in contrarium soluere. Prima sit, quia opera externa bona sunt meritoria, quando fiunt ex motiuo supernaturali; ergo tota voluntas interior, à quâ procedunt, erit meritoria. *Responsio.* Respondeo Primò, si tunc sit voluntas supernaturalis imperans eam actionem externam, fore otiosum actum naturalem ad eam effectionem, ideóque non meritorium. Secundò dico; argumentum etiam esse contra Patrem Suarez: etenim si simul non imperando naturalem per supernaturalem, sed æquè immediatè per duas volitiones, vnam supernaturalem, alteram naturalem bonam, amaret quis externam elargitionem eleemosynæ, profectò tunc ea exterior datio esset meritoria, & oriretur à totâ illâ volitione interiori; & tamen non ideò tota illa esset meritoria; ergo consequentia obiectionis non est bona: dico ergo, in nostro casu etiam actum illum naturalem esse bonum denominariuè tamen tantùm, non verò per distinctum meritũ.

Obiectio Secunda. Responsio. Secunda obiectio: Actus interior differt ab exteriori, quòd habeat propriam bonitatem, ergo habebit proprium meritum. Distinguo antecedens, *Habet propriam bonitatem in ordine naturali*, concedo, *in supernaturali*, nego: vnde sub eadẽ distinctione consequentis dico, in eo genere, in quo habet propriam bonitatem, habere propriũ meritum, hoc est in ordine naturali; in genere verò supernaturali, in quo non habet talem bonitatem, nego habiturum proprium meritum: vnde dico, in ordine ad finem supernaturalem non magis mereri eos actus quàm mereantur externi.

Disputatio LIV.

De alijs requisitis ad meritum condignum vitæ æternæ.

Sectio I.

An gratia habitualis sit necessaria ad meritum condignum vitæ æternæ.

1. *Duplex in hoc titulo difficultas. Prima, an gratia habitualis requiratur talem ad meritum, quatenus expellit peccatum mortale, cum quo meritum stare non potest. Secunda, an quis in puræ naturæ per actum non dignificatum à gratia mereri possit de condigno.*

Dvplex sub hoc titulo difficultas continetur: vna, an de facto gratia habitualis requiratur, saltem quatenus expellit peccatum mortale, sub quo nullum esse potest meritum condignum; cúmque de facto non detur status medius inter gratiã & peccatum mortale, necesse sit, vt si sub mortali non potest esse tale meritum debeat gratia interuenire. Alter sensus est, an si poneretur homo in puræ naturæ statu sine peccato vllo, posset tũc per actum supernaturalem non dignificatum à gratiã habituali mereri de condigno primam gratiam & gloriam. Dixi *per actum supernaturalem*; nam naturales etiam dignificatos à gratiã ad id esse insufficientes præcedenti sectione ostensum est.

Subsectio I.

Explicatur quæstio in primo sensu.

Error Baij negans gratiam necessariam esse ad meritum. Circa. Primam difficultatem Michaël Baius proposit. 13. ex his quæ in Bullâ contra ipsum continentur, docuit, gratiam non esse ad meritum necessariam, imò, quod mirandum est, dixit contrarium esse Pelagianum. Dico *mirandum*; nam vt benè notauit Patet Suarez) requirere ad meritum gratiam supernaturalem, potiùs est recedere à Pelagio, qui necessitatem gratiæ non augebat, sed minuebat. Quidquid verò de hoc sit, non video vllum locum qui huic sententiæ fauere possit, nisi fortè quia (vt sectione præcedenti diximus) aliqua loca Scripturæ promittunt mercedem benè operantibus; neque requirunt statum gratiæ; vt in illo Matth. 25. *Esurijui enim, & dedistis mihi manducare*, &c. & ad Rom. 2. *Factores legis iustificabuntur*: vbi nihil de statu gratiæ. Dices, gratiam ibi requiri, quatenus petitur obseruatio totius legis, iuxta illud Iacobi 2. *Offendat autem quis in vno, factus est omniũ reus.* Respondebit fortè Baius hinc probari, hominem, si sit in mortali, saluari non posse, non verò suaderi, remisso mortali non deberi ei præmium etiam propter bona opera, quæ in peccato existens fecit.

2. *De fide est, hominem in mortali existentem non posse mereri de condigno gratiam & gloriam. Probatur Primò.* Certa tamen & Catholica doctrina est, hominem in mortali existentem non posse habere cõdignum meritum gratiæ & gloriæ. Ita D. Thom. quæst. 114. art. 2. & omnes Scholastici cum illo. Probatur autem Primò ex citatâ Bullâ Pij V. & Gregorij XIII. vbi contraria sententia Baij damnatur. Et licet ad propositionem 13. & 18. dici posset, eos Pontifices non tam damnasse opinionem quàm censuram contrariæ; ad 10. tamen & 19. eiusdem, quæ sine censurâ continent eamdem doctrinam; non potest applicari ea solutio. *Secundò.* Secundò probatur ex Tridentino, quod dum agit de merito, semper supponit homines debere esse in gratia: ita ea sess. 6. cap. 16. sæpè, & canone 32. Deinde dicit, ideo homines iustificari gratis, quia fides & opera, quæ præcedunt infusionem gratiæ, non merentur ipsam gratiam: ita cap. 8. Idem etiam suadetur ex Paulo ad Rom. 8. vbi solos filios Dei dicit hæredes; & vt etiam includat meritum addit, *Si tamen compatimur*, &c. ad Galatas 5. ait, solam fidem, quæ per charitatem operatur, valere: atqui si loquatur de charitate habituali, quæ debeat esse in subiecto, iam ibi gratia includitur; si verò de actu charitatis, iam per ipsum homo iustificatur. *In hoc testimonio difficultas inuenitur.* Ego tamen in hoc testimonio aliquam difficultatem inuenio; nam fides operans etiam per charitatem non est semper meritoria de condigno: vt patet in actu contritionis & charitatis, quo homo iustificatur; qui tamen non meretur de condigno. 3. Secundò, ideò inuenio difficultatem, quia Apostolus absolutè dicit alios actus nihil valere, quod tamen simpliciter nõ videtur verum; nam dispositiones, quæ præcedunt, multum valent, fides, spes, attritio imperfecta, dilectio, &c. Ideò putarem non fuisse ibi intentum Pauli agere de merito condigno, aut de opere bono, vt facto in gratia, & condistincto ab eodem facto à peccatore, sed solùm, quòd vel circumcisio secundùm se vel eius contrarium seu præputium sint indifferentia, & quòd à fide sit initium omnis valoris; adiunxit autem charitatem, non quia sine illa omnia sint planè inutilia, sed quia illa est præcipua virtus; & *Non fuit ibi mens Pauli agere de merito condigno.*

sine

Probatur hæc veritas ratione.

sine illa ad amicitiam Dei non venitur. Ratione facilè suadetur ea veritas; nam peccatum mortale reddit hominē inimicum Dei indignum omni præmio; tollit enim non solùm valorem, qui ex gratia prouenire debebat, sed & addit aliquid diminuens: quo enim opus est à viliori personâ, eo multò minùs dignum laude & præmio. Huius rationis vis percipietur adhuc magis ex dicendis circa Secundam difficultatem. Ad loca in contrarium dicimus, non esse necessum, vt in omnibus locis Scripturæ declarentur omnes conditiones meriti; sufficit enim, quòd illæ ibi non excludantur.

SVBSECTIO II.

Explicatur quæstio in secundo sensu.

4. Suarez, Tannerus & alij docent, hominem non posse naturaliter etiam absente peccato mereri de cōdigno sine gratia dignificante, posse tamen diuinitus. Hæc res dubia est.

CIrca Secundam difficultatem maior esse potest difficultas. P. Suarez suprà à n. 1. quem Tannerus & aliqui pauci recentiores sequuntur duo dicit; Primum, naturaliter loquendo, etiamsi non sit peccatum, non posse esse meritum condignum, nisi in subiecto sit gratia habitualis; alterum est, de potentiâ absolutâ posse eum defectum gratiæ suppleri per acceptationem extrinsecam Dei, quia non videtur tanta esse necessitas gratiæ, vt implicet contradictionem suppleri eius defectum.

Iudico rem hanc valdè esse dubiam; nam (vt sæpè diximus) de gratiâ, de actibus illius non possumus ex principiis naturalibus discurrere, ex reuelatis autem testimoniis Patrum circa hunc casum de potentiâ absolutâ parum aut nihil habemus; ideò non est facile inuenire solidum aliquid, quod dicatur. Verùm, si loquendum sit cum consequentiâ, & attendendo ad rationes, quibus Theologi solent hîc probare necessitatem gratiæ, naturaliter loquendo, censeo longè esse probabilius, nec de potentia absoluta consistere posse hoc meritum condignum sine gratia habituali, aut vnione hypostatica sanctificante. Et quidem hæc videtur esse sententia D. Thomæ quæst. 114. art. 2. vbi necessitatem gratiæ desumit ex duobus capitibus: Primò, ex eo quòd remitti debeat peccatum: Secundò, ob excellentiam vitæ æternæ, cui opera etiam supernaturalia sola, nisi per dignitatem gratiæ proportionentur, non sunt æqualia; atque necessitatem hanc gratiæ esse communem omni creaturæ; vnde, cùm D. Thomas loquatur de casibus, qui numquam fuêre, sed solùm possunt esse de potentia absoluta; id enim dēnotat *tò omni creaturæ*; profectò satis clarè demonstrat, se etiam in ordine ad potentiam absolutam requirere eam gratiam. Et idem videntur sentire Theologi, qui sine distinctione in ordine ad potentiam naturalem, vel absolutam, dicunt absolutè, etiam in pura natura non stare meritum condignum sine gratia: fundantur enim in hoc, quòd non sint nostra opera condigna nisi sub ea dignificatione; atqui dignificatio hæc, seu valor, iuxta probabiliorem sententiam, non potest à Deo per solam extrinsecam voluntatem tribui: vt enim facere album non potest sine albedine, neque calidum sine calore, nec sanctum sine sanctitate; ita neque potest facere opera digna nisi dando illis dignitatem: sola autem eius voluntas, si nihil ponat in operibus, profectò non videtur posse illa ex indignis digna facere: dare quidem poterit Deus ob illa gratiam, at non dabit illam tamquam ob meritum dignum: sicut non potest

Probabilius est, nec diuinitus sine gratia aut vnione hypostaticâ posse quēpiam de cōdigno mereri gratiam.

Deus non potest per solam extrinsecam voluntatem nostris operibus valorem tribuere.

mercator per solam suam acceptationem facere, vt meum pallium, ex se simplex, sit condignum altero ex aurea tela ac margaritis contexto, quod ipse venale habet; dare mihi quidem illud poterit, dum ego do meum, at vt ibi interueniat condignitas, profectò efficere non poterit.

6. Obiectio. Solutio.

Dices, Rex potest dare valorem monetæ, ergo & Deus operibus. Respondeo negando consequentiam, quia monetæ valor tantùm est per modum cuiusdam signi tanti aut tanti pretij; vt sicut ego tantum do pro illa, alter mihi pro eadem deinde tantum reddat: non enim mouet pecunia ob pulchritudinem & intrinsecam perfectionem, sed ob vtilitatem; vtilitas autem potest esse extrinseca, at opera bona mouent Deum ob suam perfectionem & pulchritudinem, quam habent tum ex se, tum ex coniunctione cum sanctitate operantis; Deus autem non potest per solam suam voluntatem vllam ex illis partibus supplere. Confirmo meo iudicio efficacissimè ex principiis, quæ P. Suarez & alij, cum quibus nunc disputo, libenter admittunt; Primò, quia communiter contra Scotum docetur, non potuisse puram creaturam satisfacere de condigno, eò quòd creaturæ non habent condignitatem sufficientem; acceptatio autē Dei non potest illa opera facere digna: id quod non alia ratione probatur, quàm quòd pulchritudo intrinseca moralis proueniens à persona infinita non potest per solam Dei voluntatem suppleri. Quæ ratio penitus corruit, si semel dicamus posse pulchritudinem, quæ à gratia prouenit, suppleri per voluntatem Dei extrinsecam; nam tunc etiam debebit dici, posse alteram suppleri; quòd enim vna sit finita, altera infinita, est planè per accidens ad punctum præsens, si semel ratio intrinsecæ perfectioni non obstat: cùm enim voluntas Dei sit infinita, non solùm æquiualebit intrinsecè finitæ sanctitati, sed infinitæ.

Confirmatur Primò.

7. Secundò.

Secundò id ipsum confirmo; nam opus naturale, eò quòd in se sit improportionatum, non potest per solam Dei extrinsecam voluntatem fieri proportionatum; vnde nec diuinitus potest esse meritorium de condigno per solam Dei acceptationem; ergo neque poterit suppleri defectus gratiæ, quia (vt dixi) non minùs hæc concurrit intrinsecè quàm entitas operis.

Tertiò.

Tertiò confirmo, quia (vt benè Suarez fatetur) Deus in opere bono semper & necessariò tam multum complacet quàm illud opus meretur; vnde nisi illud in se sit melius, non potest Deus augere suam complacentiam circa illud; vt è contrario non potest minuere displicentiam circa peccatum: hinc infero, Ergo per solam suam voluntatem, omnibus aliis ex parte operis & personæ immutatis, augere nequit complacentiam in operibus; ergo neque illis poterit dare condignitatem. Patet euidenter consequentia, quia si opera in se manent æquè bona & æquè grata Deo, planè est imperceptibile, quomodo ea transeuntia à non condignis, seu non proportionatis cum merito, ad condigna & proportionata tergo diendum, sine gratia habituali nec diuinitus dari posse tale meritum condignum. Dico *habituali*, vt omnem aliam formam sanctificantem dantemque homini intrinsecè dignitatem, quæ refundatur in opera, complectar.

Necessaria est ad meritum de condigno aliqua forma intrinsecè dignificans.

8. Replica.

Quia verò dicere quis posset, hoc discursu solùm efficaciter suaderi, si opera ex se naturaliter non habent eam condignitatem, non posse diuinitus extrinsecè eam accipere; at nullo modo

Digitized by Google

ostendi; illa esse insufficientia ad id naturaliter: addo, longè probabilius dici, & naturaliter & supernaturaliter habere proportionem, dummodò homo non sit in peccato; quàm dicere, naturaliter esse incapacia, reddi tamen capacia per solam extrinsecam Dei acceptationem: hæc enim duo non videntur cohærere ob dicta; illud autem in se est satis cohærens, nec aliunde facilè potest impugnari. Iudico tamen neq; illud esse admittendum, tum quia in materia, quæ ex sola auctoritate deciditur, habet magnum pondus communis sententia; qualis in præsenti negat naturaliter operibus sine gratia meritum condignum (vt Suarez ipse fatur; & auctoritas Pauli Rom. 8. *Non sunt condigna passiones huius temporis*; &c. id satis confirmat;) nam licet non agat expressè ibi de operibus interioribus, tamen probabilissimè ad illa etiam extenduntur ea verba, ideóque non possunt aliter explicari quàm dicendo, opera non esse condigna, si secundùm se considerentur & independenter à dignitate, quæ illis provenit à sanctitate personæ. Neque contra hanc nostram sententiam aliquid potest obiici vllius momenti, nisi quòd gratis nos eam tam magnam necessitatem gratiæ habitualis ponamus; verùm iam ostendimus satis, vnde ea colligatur; neque in re abstractâ à sensibus quærenda est maior probatio.

Reiicitur. Cõmunis sententia habet magnum pondus in materia à sola auctoritate pendente.

9. *Obiectio.* Obiicies cum quibusdam recentioribus: Potest Deus cum homine existente in purâ natura ita pacisci, Ego pro instanti sequenti dabo tibi auxilium gratiæ, vt efficias actum supernaturalem; quem si feceris, etiam dabo visionem beatam: atqui in hoc casu nihil planè deesset ad meritum condignum; non quidem ex parte operis, quia supponimus illud esse supernaturale; non ex parte promissionis, quia eã supponimus; non ex parte hominis, quia carens omni peccato nihil habet quod impediat meritum, ergo. *Responsio.* Respondeo Primò, hos auctores debere eodem modo argumentari ad probandũ, posse nos mereri vnionem hypostaticam de condigno, si paciscatur Deus eo modo nobiscum. Respondebunt fortè defore tunc proportionem cum illa vnione. Verùm ego eis eodem modo dicam, in casu ipsorum non fore proportionem in opere cum gratia & gloria, quia non dignificatur à gratia, esto aliunde in se bonum sit. Iam enim ostendi, eam dignificationem esse summè necessariam, vnde in obiectione assumunt, quod deberent probare, scilicet illud opus talium factum esse condignum.

SECTIO II.

Quomodo ad meritum requiratur status viæ.

10. *Duplex quæstionis sensus.* QVæstio hæc in vno sensu clara est, in alio nonnihil difficilior, non tamen magni momenti. Si ergo nomine vitæ intelligamus statum illum, in quo homo possit adhuc augere suum præmium, proculdubio status vitæ necessarius erit ad meritũ; si etiam loquamur de determinato præmio A v.g. certum est hominem, vt possit illud mereri, non debere actu illud possidere iam vt proprium; id enim quod homo iam habet non est materia præmij. Alius ergo sensus quæstionis est, an, si quis habeat visionem beatam, possit adhuc mereri augmentum illius; vel certè, an etiam antè ipsam visionem sit aliquod tempus, in quo homo iam non amplius possit mereri, & quale illud sit.

Vasq. putat hominem habentem visionem Dei ex natura rei meriti incapacem esse. Non defuêre aliqui, qui putauerint hominem iam habentem visionem beatam esse ex naturâ rei incapacem meriti, ergo augmenti illius. Ita Vasquez disput. 216. cap 4. Quæ sententia in eo potest fundari, quòd visio beata tollat potentiam peccandi & consequenter libertatem ad meritum. Verùm hæc doctrina minùs est probabilis; nam Christus Dominus habens visionem beatam, & carens potentiâ ad peccandum, habuit meritum; ergo hæc duo optimè cohærent. Respondebis fortè, id factum ex singulari fauore Dei & miraculosè. Sed contrà, quia si libertas ad peccandum sit ex naturâ rei necessaria ad meritum, profectò Deus id non posset supplere diuinitus; vt non potest efficere, esse meritum & non esse libertatem ad illud omittendum. *Hæc doctrina est improbabilis; vt apparet in Christo. Responsio aduersariorum.* Ratio verò à priori, quâ responsio ea reiicitur, est, quòd stante necessitate ad non peccandum, potest adhuc esse libertas ad faciendum & omittendum opus honestum, & consequenter tota libertas, quæ per se ad meritum est necessaria. *Reiicitur.* Respondebis Secundò, etiam Christum Dominum non potuisse mereri sibi augmentum gloriæ, sed solùm aliis. Verùm hæc solutio omni caret probabilitate: si enim opera Christi ita Deo placebant, vt de condigno valerent obtinere gratiam pro aliis, cur non etiam pro se, cùm facilius sit mereri sibi quàm aliis? Supponimus enim alioquin gloriam Christi fuisse capacem augmenti. *Respondent Secundò.*

11. *Obiectio ab absurdo. Soluitur.* Dices: Absurdum est asserere Beatos quotidie digniores fieri maiori præmio: & tamen Deum illis negare remunerationem. Respondeo, hanc obiectionem esse etiam contra Patrem Vasquez: etenim opera Christi Domini fuêre digna infinito præmio: & tamen Deus non dedit illis nisi finitum: neque id fuit indignum; cur ergo erit indignum admittere simile aliquid in Beatis? Respondeo absolutè, *tò digna maiori præmio* dupliciter intelligi posse, vel quòd opera ex se habuerint sufficientem dignitatem, vt Deus posset, si vellet, ea ad præmium acceptare: & in hoc sensu libenter concedimus ea esse digna, negamus tamen absurdum esse id concedere (vt iam ostendimus in Christo:) & etiam debet ipse Vasquez concedere in animabus Purgatorij, & in Patribus olim in limbo; qui cùm non habeant visionem beatam, non est cur eis negetur capacitas merendi: quod enim ait Pater Vasquez, eos ideò non mereri, quia sunt extra statum viæ, est petitio principij, in quâ nullo penitùs modo, nec quidem apparenter ostenditur, cur ea opera non sint condigna gloriæ magis quàm in nobis: & idem est in Elia & Henoch, quos tamen ipse Vasquez dicit non mereri. Constet ergo sine vllo absurdo concedi posse, dari opera ex se habentia valorem ad augmentum gloriæ; quæ tamen de facto non acceptentur ad illud. Deus enim, vt supremus Dominus, ea opera potest petere ob varios titulos, nulla facta homini iniuria, etiamsi non redundet pro illis nouum præmium: quod maximè locum habet in Beatis; cùm enim illos ad gratiam vocando & prædestinando ad gloriam tam grande contulerit beneficium, sanè optimo iure in gratiarum actionem potest ea opera ab illis petere. Si verò dicas illa ita esse digna gloria, vt non possit Deus eam negare illis sine iniuria, assumit quod est probandum; & verè falsum est ob rationem paulò antè datam. *Tò digna maiori præmio duplici sensu accipitur.* *Vasq. petit principium.*

Denique

Digitized by Google

Tota Vasq. doctrina reijcitur.

Denique inde reiicitur tota eius doctrina, eò quòd nullo modo ostendat, quare, habere visionem vt quatuor, cùm relinquat laudabilitatem in opere, libertatem, bonitatem, dignitatémque illius, debeat impedire ex natura rei, & independenter à voluntate Dei, meritum in illis operibus respectu graduum aliorum, quibus homo caret; vnde quâ facilitate id ab aduersariis dicitur, eadem negatur à nobis. Concludo ergo posse optimè ex naturâ rei, si Deus velit, etiam in statu gloriæ reperiri meritum, licet non per amorem beatificum, qui est necessarius, per alios tamen actus, quos Beati ita habent, vt omittere possint; ergo ex naturâ rei non potest assignari vllus terminus certus meriti.

Ex natura rei status gloriæ est capax meriti.

12. *Præsens vita solum de facto est tempus merendi.*

Tota ergo difficultas reducetur ad factum, quid scilicet à Deo sit in hoc puncto statutum. In quo certum est ex communi Doctorum sententiâ totam vitam in hoc mundo esse tempus merendi per se, nisi homo sit stultus; à morte autem, etiam ante visionem, vt in Purgatorio & olim in Limbo, non esse ampliùs locum meriti. Et ita Scriptura passim supponit dum ait, homines iudicandos secundùm ea quæ in corpore gesserunt. Idem Patres & omnes Catholici vt indubitatum supponunt. Neque est in eâ re diutiùs hærendum. Congruentiæ ad hanc determinationem sine dubio magnæ sunt, quia cùm non esset rationabile, vt semper homo in æternum ampliùs & ampliùs crescceret in visione, debuit esse aliquis terminus: si aliquis, nullus magis certus; quàm dum homo est in corpore mortali. Hac occasione disputat P. Suarez cap. 15. vtrùm Elias & Henoch adhuc mereantur: ac meritò contra Vegam ad cap. 11. Apocal. commen. 5. sect. 4. num. 4. negatiuam partem vt probabiliorem defendit; licet res sit simpliciter dubia.

Sectio III.

Vtrùm purus homo possit pro altero mereri de congruo gratiam.

13. *Duplex quæstionis sensus.*

Dvplex potest esse sensus huius difficultatis: Primus, an de facto homines non possint mereri nisi sibi solis, vndecumque veniat ea repugnantia. Secundus, an id repugnet ex naturâ rei, aut etiam de potentiâ absolutâ. Circa primum.

Nemo de facto nisi sibi soli meretur gratiam.

Conclvsio sit certa inter omnes Scholasticos cum D. Thom. quæst. 114. art. 6. de facto nullum hominem mereri gratiam & gloriam, nisi sibi: imò is videtur esse etiam omnium Catholicorum sensus; & desumitur ex locis Scripturæ, quæ de remuneratione & vitâ æternâ agunt; semper enim in eis supponitur, retributionem cuiusque fore iuxta opera ipsius; vt Apocal. 14. & vlt. 2. ad Corinth. 5. clariùs in formâ Iudicij Matthæi 25. descriptâ, & alibi sæpè. Patres etiam id passim docent: vnde de hoc puncto non licet dubitare.

Obiectio.

Dices: Homo merens facit sibi proprium præmium, sicut mercenarius mercedem; ergo sicut hic potest mercedem alteri donare, ita & merens poterit donare præmium.

Responsio.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quia gratia non est transferibilis à me in alium per meam voluntatem, sicut possum transferre pecuniam; ex voluntate autem Dei id fieri non potest, quia ipse non dat eam gratiam nisi pro nobis: vt si Princeps certanti in agone proponeret pro præmio nobilitatem propriam, non posset hic illud præmium transferre in alteram personam.

An repugnet ex naturâ rei etiâ diuinitus difficilius est. Fundamentum negantium. Confirmat Vasquez.

Circa secundum sensum maior est difficultas; nonnulli enim censent eam repugnantiam esse naturalem, imò in ordine etiam ad potentiam absolutam; quorum præcipuum fundamentum est; nam meritum non pendet ex voluntate aut acceptatione diuina, sed ex natura intrinseca ipsius meriti, quæ nec diuinitus à Deo potest mutari. Ita P. Vasquez 1.2. disput. 77. cap. 3. & 3.p. disput. 213. cap. 5. Confirmat sententiam ex eo, quòd meritum formalissimè consistit in laudabilitate: atqui laus operantis non potest alteri communicari; non enim possum ego dicere, Benè operabor, & tamen ob id laudaberis; ergo neque præmium poterit communicari.

14. *Rationes ipsius inefficaces sunt duplici ex capite.*

Duæ hæ tamen rationes valdè inefficaces sunt. Prima, quòd meritum non pendeat à voluntate Dei, duplici ex capite mihi hîc displicet; Primò, quia falsum supponit (vt suprà insinuaui fusiùs sectione sequenti.) Secundò, etiam data ea independentia non videtur vllo modo concludere; quia aliud longè est, hominem mereri sibi, aliud quòd illud præmium applicare ipse possit alteri: sicut miles strenuè pugnans meretur v.g. sibi dari mille aureos; certè, ex eo quòd ipse dicat Regi, Domine eos aureos, quos mihi promeritus sum, concedo Ioanni, nullatenus ille inuertit naturam meriti; cur ergo, quæso, non possit homo à Deo petere, & tunc Deus, non immutata natura meriti, ad cessionem merentis transferre in alterum præmium? Certè hoc nullatenus impugnatur, eò quòd modus merendi non immutetur.

Aliud est, hominem sibi mereri, aliud, posse applicare alteri.

Secunda ratio debilior est, & manifestam patitur instantiam.

Secunda verò ratio adhuc est longè debilior; & in primis patitur manifestissimam instantiam in creatis: etenim si miles aliquis strenuissimè triumphans mereatur donari à Rege dominio aliquo aut titulo Comitis, &c. nemo prudens negabit, quin ille possit à Rege petere vt dominium illud aut dignitatem conferat proprio fratri; quis tamen dicet laudem & gloriam facinoris posse transferre in fratrem aut in aliquem alium? Disparitas à priori est euidentissima; nam laus nihil est aliud quàm conceptus alterius, & verba illam explicantia; conceptus, inquam, de virtute & generositate militis: sicut autem generositas est propria eius militis, non fratris; ita repugnat, vt laus ex eo facinore tribuatur fratri; at præmium, quia est id quod donat renumerans, potest ad desiderium merentis dari alteri cui ille velit; quia illud præmium non est res, quæ essentialiter respiciat operantem: ergo licet non possim ego dici strenuè pugnasse, eò quòd D. Paulus pugnauerit strenuè; & consequenter licet non possim ego laudari ob facinora illius, idque omnino repugnet etiam diuinitus: at visionem beatam benè posset Paulus in me transferre, à Deo petendo, vt quod sibi debebatur detur mihi: sicut in exemplis humanis ostendimus. Quæ ratio non amittit suas vires, ex eo quòd visio beata vocetur à Patre Vasquez laus Beati: siue enim vocetur, siue non, eò quòd illa mihi detur ad instantiam Pauli merentis, non tribuetur mihi illa alia laus, quæ propriè debetur ipsi operanti. Adde, malè vocari visionem beatam laudem; est enim voluptas intrinseca Beati, non verò conceptus alterius de eius strenuitate.

15. *Tertia ratio ex eo quòd*

Tertia ratio pro ea sententia sit; nam meritum radicatur in gratia: hæc autem tendit in beatitudinem

Digitized by Google

meritum radicatum in gratiâ tendit in beatitudinem personæ, in qua est. Refutatur.

dinem eius personæ in quâ est; ergo meritum solùm ordinatur ad bonum operantis. Confirmatur; Si quis præmium transferret in alterum, peccaret contra charitatem erga seipsum, ergo non potest id fieri. Respondeo, hanc rationem eiusque confirmationem optimè probare per se, & quasi ex natura rei, meritum ordinari ad bonum ipsius operantis; non tamen probare, repugnare diuinitus aliter rem fieri: ideò ad argumentũ, quatenus hanc partem videtur impugnare, respondeo facilè, Etiamsi gratia ordinetur ad bonum operantis, posse illum cedere iuri suo, & transferre præmium in alium: sicut inter homines omnis labor, omne seruitium, omne egregium facinus promerens mercédem, solutionem, præmium, ordinatur proculdubio ad bonum laborantis, seruientis, &c. per hoc tamen non ostenditur, non posse illum, si velit cedere iuri suo, & in alterum transferre præmium.

Ad confirmationem respõdetur: Multis modis fieri potest, vt ea concessio non sit cõtra charitatem diuinitus.

Ad confirmationem dicimus, multis modis posse eam cessionem non esse contra charitatem diuinitus. Primò, si Deus iusto dedisset gratiam, eique dixisset, Nolo vt ampliùs pro te mereatis (prout de facto dicit Beatis;) si tamen volueris alteri iusto applicare tua merita, ego acceptabo; certè in eo casu sine vlla violatione charitatis erga se potuisset ea applicare. Secundò, si dixisset Deus, Si volueris tua merita alteri applicare, acceptabo; non tamen ideò tibi decresceret quidquã de gloria; gratis enim tibi deinceps omnia compensabo. Tertiò, si Deus duobus diuersis daret eam facultatem applicandi inuicem merita, & illi conuenirent inter se, vt alter pro altero; certè nihil tunc esset detrimenti. Quartò deniq; addo, Etiamsi nulla fieret compensatio, non ideò illam translationem præmij futuram contra charitatem; ita vt esset mala: vt enim benè P. Suarez obseruat, éstque ex se satis certum, charitas erga se non cogit hominem ad augenda merita quantum potest: id quod ego ampliùs sic declaro, Homo potest hoc instanti v.g. omittere actum charitatis, quo augeret gratiam, & per hoc non facit contra charitatem; neque vllo modo peccat; ergo etiam non faceret contra eamdem si diceret, Volo tamen in gratiam Petri, seu vt pro illo obtineam gratiam, operari benè: etenim si nec sibi, nec vlli benefaciendo non operatur contra charitatem, profectò eò quòd benè faciat alteri & non sibi, non faciet contra charitatem.

16.

Connaturaliter meritũ ordinatur solùm in bonum habentis illud. Absolutè tamen potest Deus liberum relinquere merenti.

Dicendum ergo in hac quæstione censeo, ex se & quasi connaturaliter loquendo, meritum ordinari solùm in bonum habentis illud: quod probat ratio facta paulò antè, vt dixi; in ordine tamen ad absolutã potentiã nullum esse inconueniens in eo, quòd Deus liberum relinquat merenti, vt in alium iustum transferat suum præmium: quod vel inde declaratur ratione à priori; nam si attendamus rem datam, nulla sanè est difficultas; ex parte enim rei datæ eadem est visio vt quatuor v.g. data Petro cũ visione vt quatuor datâ Ioanni, imò potest esse eadem omnino numero: ex parte subiecti idem est, quia supponimus vtrumque esse in gratiâ; ergo nihil est, quod impediat, quò minùs, si Deus velit, possit id permittere: quo casu præmium illud soluetur ex condigno, quia nihil plus dabitur quàm mereatur actus: vt si ego ex meâ pecuniâ emam pallium pro Petro, tam ex iustitiâ poterit esse ea emptio, quàm si pro meipso. Aduerte me solùm locutum de merito pro altero iusto, aut certè pro altero non existente in mortali; nam si alter habeat mortale, non potero ex condigno mereri illi remissionem peccati, neq; gratiam, vt suppono ex tertia parte; vbi probaui contra multos, non minùs requiri ad merendum de condigno remissionem mortalis, quàm ad satisfaciendum de condigno pro eo mortali: hæc autem satisfactio non potest fieri à puro homine, ergo neque meritum illud remissionis.

Vt quis mereatur pro altero, in cui meretur debet esse iustus aut carens omni mortali.

SECTIO IV.

Quomodo ad meritum requiratur pactum seu ordinatio diuina.

17.

Duo actus Dei hic distinguuntur à Suario.

DE hac difficultate agit fusè Pater Suarez cap. 16. & 17. ego breuissimè me ab illâ expediam, quia multa dixi primo Tomo agens de iustitia inter nos & Deum. Pro intelligentia aduerte, duos actus Dei hîc à Patre Suario distingui; vnum, qui sit tantùm ordinatio diuina; alterum, qui sit promissio: de primo agit cap. 16. de secundo cap. 17. promissionem requirit, vt nostra merita obligent Deum ex iustitia; ordinationem verò, vt determinetur tempus merendi, quantitas præmij, &c. nos circa hæc dicimus breuiter.

Promissio aut ordinatio diuina non requiritur, vt nostra opera sint, meritoria de condigno.

Primò, ordinatio, aut promissio Dei nullo modo requiritur ad dandum valorem & condignitatem nostris operibus respectu præmij. Hæc est contra Scotum & alios, qui putant nostra opera non nisi ex acceptatione diuina habere condignitatem; sicut moneta non habet valorem nisi ex determinatione Principis. In hac tamen nostra doctrina conueniunt Suarez suprà, Vasquez etiam sectione præcedenti citatus, & omnes communiter, exceptis Scotistis: id quod etiam nos superiùs probauimus, quia voluntas extrinseca Dei non potest facere opera nostra in se nobiliora, magis placentia Deo, &c. ostendimus item, etiamsi in moneta locum habeat ea taxatio Principis, non habere tamen in operibus; quia moneta non nisi per modum signi ad communes contractus valet; signa autem possunt fieri ad placitum, etiamsi in se non habeant proportionem; at opera nostra ob suam pulchritudinem & perfectionem mouent Deum ad præmium; ea autem perfectio non potest augeri ob solam extrinsecam Dei volitionem.

Non requiritur ordinatio diuina ad taxandã quantitatem præmij. Impugnatur Suarez.

Hinc DICO SECVNDÒ contra P. Suarez suprà num. 12. Non requiritur ordinatio diuina ad taxandam quantitatem præmij condigni: id quod mihi videtur necessariò sequi ex prima conclusione: vnde censeo, in hoc puncto non satis cohærere sibi Patrem Suarez; pono enim exempli gratia gloriam vt quatuor, & rogo, an actus charitatis vt quatuor factus à iusto vt quatuor cum tanta difficultate operis, &c. habeat condignitatem cum ea gloria vt quatuor, & non ampliùs, an solùm cum minori? si cum eo vt quatuor, & non ampliùs, profectò cùm ex ordinatione diuina non accrescat ei vlla dignitas, nõ poterit reddi maiori gratia dignus nec minori, quia etiam ordinatio Dei non tollit valorem; si verò ad eam perfectionem non venit, ergo ordinatio Dei non potest efficere, vt perueniat: vnde cùm condignitas (iuxta immediatè dicta) desumatur ex bonitate operis, & hæc sit determinata, necessum est, vt ipsum præmium promeritum sit determinatum, siue ad illud acceptetur de facto opus, sine non: cúmque item Deus nouerit perfectissimè gradum eius bonitatis, mihi videtur omnino certum, illum etiam determinatè nouisse

da

Digitized by Google

Assignatur disparitas, quare determinetur sæpè condignitas præmij à Principe, & non à Deo.

ad quot gradus habeat proportionem. Neq; debilitatur id per exempla ex humanis, in quibus sæpè necessum est, vt condignitas præmij determinetur à Principe. Disparitatē enim assigne manifestam; nam homines non noscunt determinatè valorem operis; & propterea sæpè vel plus vel minùs quàm valet remunerant; id quod de Deo non potest dici: ergo ordinatio Dei non requiritur propter talem determinationem quoad substantiam præmij. Nihilominùs

18. *Potest tamen ea ordinatio variis ob causas requiri.*

Dico Secundò, Ea potest requiri, tum vt determinetur, an huic an illi personæ concedendum sit, tum vt tempus, quousque debeat durare, iuxta dicta in præcedentibus; tum quia, cùm non teneatur Deus nostra opera acceptare ad præmium, etiamsi sint illi æqualia, sed possit ob alios titulos multos ea exigere (vt dixi eo loco de iustitiâ) profectò necessaria est aliqua determinatio diuina. Quæ cótra hæc obiici possunt eo loco solui; & dixi vno verbo, ilis solùm probari, per Dei acceptationem non reddi nostra opera in se meliora: quod ostendi exemplo mercatoris; si enim ille nolit acceptare meam pecuniam pro mercibus, non propterea ostendit eam pecuniam non esse illis æqualem; sed præcisè ostendit se esse dominum mercium, & non teneri eas vendere, etiamsi ei offerantur res habentes æqualitatē cum mercibus, & verò longè etiam superiores: & hinc etiam respondi ad obiectionem, quæ fieri possit de homine laborante in meâ vinea, cui teneor soluere, etiamsi cum eo non contraxerim, neque priùs de eâ solutione promissionem fecerim; respondi, inquam, disparitatem esse claram, quia ego non habeo vllum ius in eum laborem: vnde dum videns illum permitto, censeor acceptare obligationem solutionis: quod in Deo habente infinitos propè titulos ad nostras actiones longè aliter contingit.

Acceptatio Dei non reddit nostra opera in se meliora.

19. *Promissio Dei est necessaria, vt cæteris paribus Deus teneatur nobis præmium dare.*

Hinc dico Tertiò: Promissio Dei necessaria est, vt supposità æqualitate operis cum gloriâ Deus ex iustitia teneatur eam nobis dare; sicut postquam mercator promittit vendere, & acceptauit pecuniam, tenetur ex iustitiâ dare merces. Obiectio autem quæ fit tursus à Vasquez, ex eo quòd ad debitum in communi, quatenus abstrahit ab humano & diuino, non sit necessaria promissio; vt in exemplo posito de eo qui vidit alium laborantem in vinea, iam est immediatè responsum. Item, quod dicitur promissionem non inducere obligationem, nisi acceptetur; independenter autem à nostra acceptatione nos mereri apud Deum, etiam fuit ibi solutum; dixi enim & nos virtualiter censeri acceptasse: deinde, eò quòd lege publicâ id promiserit Deus, etiam teneri respectu illius, qui eam legē ignorando benè operatur. Tertia verò, quod vt peccator sit dignus pœnâ, non sit necessaria Dei acceptatio, explicata etiam fuit & assignata disparitas, quòd peccatum non obligat Deum ad puniendum, ideò non fuit necessaria promissio ipsius, sicut in bonis operibus quæ obligant ipsum; obligatio autem ea, suppositis titulis Dei ad nostra opera aliter petenda, necessariò requirit promissionem. Et hæc est totius huius puncti substantia.

Sectio V.

Vtrùm merita iustorum habeant aliquam dignitatem ex meritis Christi.

20. Svpponimus contra hæreticos, nostra merita ex se, vt dignificata à gratiâ, habere condignitatem ad gloriam, & Christum Dominum ideò esse caput nostrum, quia promeritus est nobis auxilia ad benè operandum. Quæstio ergo præsens tota est scholastica, in quâ inquirimus, vtrùm supra eum, quem in se habent, accrescat aliquis valor aut dignitas nostris operibus ex applicatione meritorum Christi. Negat P. Vasq. disp. 214. cap. 3. & 7. quem multi moderni sequuntur. Fundamentum illius est, quia neque nostræ gratiæ habituali inde quidquam accrescit: siue enim Angeli v. g. habeant gratiam ex meritis Christi, siue ex sola voluntate Dei, dummodò eosdem gradus gratiæ habeant, eodem modo sunt sancti: neque item nostris operibus quidquam accedit; nam si sint æquè intensa, libera, &c. profectò, eò quòd auxilia ad ea efficienda data sint ex meritis Christi non fiunt vllo modo nobiliora; alioquin si semel inde acciperent valorem, possent accipere in infinitum: quòd manifestè falsum est & contrà omnes. Hoc argumentum P. Vasquez non admodum vrget; facilè enim (vt ex dicendis constabit) inueniri poterit aliqua ratio, vnde ea maior dignitas tam in operibus quàm in ipsâ gratiâ habituali inueniatur, ex morali scilicet vnione inter Christum & nos: licet enim merita semper in se maneant physicè eadem, in ordine tamen ad moralem æstimationem possunt esse valdè inæqualia, vt ipsemet debet concedere: nam actus supernaturalis spei v.g. idem est in se physicè, siue in homine illum eliciente detur gratia habitualis, siue non; & tamen sine gratia non est ille actus meritorius de condigno (vt omnes supponimus) cum gratia verò meretur; ergo potest actus sine mutatione physica fieri magis dignus quàm anteà. Absurdum verò, quod inferebatur de augmento infinito, non sequitur ille vllo modo; quia licet moralis vnio sufficiat vt accipiant inde aliquam dignitatem (iuxta dicenda) non tamen sufficit vt accipiant infinitam, seu tantam, quanta est in Christi operibus: sicut beatissima Virgo ex dignitate matris, quia contingit Christum, sine dubio magnam habet dignitatem, non tamen tantam quantam ipse Christus.

Negat Vasq. cum multis recētioribus. Fundamentum illius.

Argumentū Vasq. nō valde vrget. Ratio potest inueniri, vnde maior dignitas tam operibus nostris quàm gratia habituali ex meritis Christi aduenias.

21. *Contrarium docent Caietanus, Sotus, & alij. Suarius variis modis illud augmentum declarat. Primus modus explicandi.*

In contrarium stant Caietanus, Sotus, Hosius, Vega & Ruardus; quibus P. Suarez adhæret cap. 19. variis modis declarans illud augmentum. Primò quia promissio diuina, quam præcedenti sectione diximus esse necessariam ad meritum, est efficacior ratione meritorum Christi, qui promeritus est à Patre non solùm vt promitteret nobis gloriam propter merita nostra, sed etiam vt de facto ea opera, quando à nobis offeruntur, acceptaret ad gloriam; nam licet illa acceptatio, suppositā promissione ipsius Dei, sit nobis debita, & quidem ex iustitia, nihilominùs etiam est debita meritis Christi.

Secundus.

Secundò id explicat, vt nostra opera sint oblata à Christo suo Patri, vt maiori ex obligatione & libentiùs ab eo acceptentur: id quod putat deduci ex Tridentino sess. 14. cap. 8. vbi hæc habentur, *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentia: qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.*

Tertius.

Tertiò, vt, ex eo quòd Christus sit caput morale iustorum, & consequenter coniunctus illis, det illis moralem aliquam dignitatem & valorem; sumus enim peculiariter Christi fratres, iuxta illud ad Hebræos 2. *Propter quam causam*

non

non confunditur fratres eos vocare dicens, Nuntiabo nomen tuum fratribus meis. & Matth. 28. *Nuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam; ibi me videbunt.* Specialiter autem placet in humanis filius, frater amici, imò quæcumque amicum aliquo modo contingunt, adeò vt communi prouerbio Hispanico dicatur, *Qui bene vult Beltrano, benè vult eius cani*; ergo ob hanc coniunctionem cum Christo specialiter Deo placebunt homines: ex hoc autem capite potest augeri meritum, quia, iuxta multorum opinionem, ex maiori gratia personæ operantis meritum crescit: vel certè poterunt dici augeri ex hoc capite tituli conferendi præmium, dum libentiùs Deus confert illud homini, quia membrum est Christi: vtrùm autem augeantur merita ad aliquod essentiale præmium, an verò ad solum accidentale, dubium esse dicit ibidem Suarez.

22. *Horum auctorum sententia probabilis est.*

Ego in hac quæstione PRIMVM CENSEO, sententiam Caietani, Soti & Suarez esse satis probabilem; quia exempla, quæ ex humanis pro ea afferuntur, reddunt illam plausibilem: & sanè omnes fatentur, ex sola hac morali coniunctione etiam apud Deum crescere æstimationem; vt constat in exemplo beatissimæ Virginis, quæ ob dignitatem Matris singulariter est dilecta: item in sancto Iosepho, qui ob eam coniunctionem, remotiorem licet, fuit euectus ad magnam sanctitatem. Responderi fortè poterit, Iosephum euectum fuisse per ipsam gratiam habitualem in se maiorem & intensiorem, si enim data illi sit æqualis tantùm gratia gratiæ diui Petri v. g. certè non ideò ille erit in altiori gradu: sed contrà, quia vt daretur ipsi ea maior gratia, concurrit coniunctio moralis vt motiuum: ob maiorem enim affectũ, quem Deus in illo homine habuit, ex eo capite motus est ad eam maiorem gratiam: ergo illa coniunctio moralis mouet Deum ad specialiter amandum hominem; cúmq; illa dignitas maneat, etiamsi in Petro v.g. sit æquè intensa physicè sanctitas, profectò adhuc Iosephus erit ex eo capite singulariter gratus; ergo semper ea coniunctio addit aliquam maiorem dignitatem.

Constat ab exemplo beatissimæ Virginis, ob dignitatem Matris singulariter dilectæ; item sancti Iosephi. Ad hoc aduersariorum responsio. Refutatur.

23. *Incertum est, an ex maiori complacentia augeatur præmium essentiale.*

SECVNDO tamen DICO, vtrùm ex ea maiori complacentia augeatur aliquid de præmio essentiali gloriæ, esse mihi valdè incertum; tum quia (vt paulò pòst dicam) probabilius est etiam ex maiori intrinsecâ sanctitate habituali non crescere meritum, ergo multò minùs crescet ex ea dignitate morali extrinsecâ ipsius personæ; tum quia, etiamsi sanctitas maior intrinseca augeat merita, non continuò sequitur ea augenda ex illis denominationibus: sicut licet Angeli substãtia nobilior sit quã anima rationalis, & Deo secundùm se magis placeat, non tamen sequitur, ideò Angeli merita crescere, cæteris paribus, ex eâ maiori substantiæ nobilitate (vt ferè omnes fatentur;) ergo non semper eiusmodi denominationes sunt causa meriti altioris, esto specialem aliquam complacentiam Dei mereantur, quæ pertineat fortè ad aliud genus quàm ad meritum; esto item ea sit supernaturalis.

Absolutè probabilius est non crescere meritum.

Hinc DICO TERTIÒ absolutè, esse probabilius (prout in re incerta discurrere possumus) nõ crescere inde meritum quoad rem dandam in præmium. Inducor in eam sententiam, quia non debemus sine solido fundamento noua præmij supernaturalis capita addere, quæ vel ex naturâ rei, suppositis iis quæ de eo merito reuelata sunt, colligere licet, vel ex his, quæ communiori sensu traduntur; quòd autem dignitas hæc in maius præmium conducat, solùm (vt vidimus) nititur congruentiâ quadam; quæ licet sufficiat ad specialem affectum Dei erga homines, non tamen vllo modo suadet quidquam de augmento præmij; auctoritas autem pro illâ exigua est: imò quoad hoc punctum satis (vt dixi) Suarez ipse dubius hæret; quid autem ad Concilium dicendum sit, statim ostendo.

24. *Probabile ex Tridentino, nostra merita à Christo obligata esse.*

DICO tamen QVARTÒ: Quòd nostra merita oblata sint à Christo satis probabiliter deducitur ex Tridentino, licet videatur agere de satisfactione; vnde infero eadem probabilitate dici posse, multum iuuisse meritum Christi, vt libentius acceptarentur à Deo nostra opera.

Obiectio.

Dices: Deus habebat iam voluntatẽ efficacem ea accipiendi; quid ergo necessum fuit Christum id à Patre suo petere? Confirmatur: Præmiũ debet esse aliquid, quod nondũ sit obtentum ante meritum; at voluntas efficax (vi cuius præuidebatur à Deo re ipsa futura acceptatio) iã erat antè merita Christi; ergo intuitu horum non poterat haberi talis volitio; alia verò distincta fuit omnino impertinẽs, ergo.

Confirmatur Primò.

Secundò.

Confirmo Secundò ex sententia ferè omniũ: nam baptizatus in infantiâ, aut posteà cum solo actu attritionis, nó meretur primã gloriã per opera bona quæ deinde facit in gratia, ea solùm de causa, quòd vi gratiæ iam habebat ius ad gloriam, & Deus habebat volitionẽ efficacem eam dandi. si in gratia decederet. Nec potest dici, hominem illum mereri nouam voluntatem dandi eam gloriam propter merita; ergo eodẽ modo in præsenti, cùm supponamus Deum iam voluisse acceptare merita hominum, casu quo ei offerrentur, non erit locus, vt per merita Christi dicatur noua succedere voluntas de eadem acceptatione. Respondeo ob hoc argumentũ mihi videri probabiliorem contrariam partem. Respondeo Secundò posse dici, Christum primò meruisse eam volitionem, idcóq; negandum ante merita Christi fuisse talem voluntatem; amissa enim per Adami peccatum gratia, antequam Deus habuerit vllam voluntatem efficacem, nec quidem conditionatam de nostra acceptatione, decreuisse mittere Filium, & hunc in humanitate præuisum benè operantem & offerentem sua merita, vt nostra opera acceptentur; ac tunc primò Deum eam volitionem habuisse.

25. *Respondetur Primò. Secundò.*

Tertiò.

Tertiò etiam responderi posset, non repugnare eam secundam volitionem post primam: sæpè enim in humanis contingit, vt ad rem, quam alioquin efficaciter facere quis volebat, nouo occurrente motiuo inducatur, vt eò libentiùs eam faciat.

Ad instantiã de merito primæ gloriæ respondetur Primò.

Ad instantiam verò de merito primæ gloriæ, quæ contra hanc tertiam responsionem videtur vrgere, omissis variis solutionibus dico non ideò eam tunc non cadere sub meritum, quia iam debebatur ratione gratiæ; sed quia ea secunda opera occupantur in merendo de condigno augmento eiusdem gloriæ & gratiæ; in præsenti autem casu in meritis Christi est sufficiens valor ad merendam eam secundam volitionem; cur ergo id non poterit? Secundò respondeo: aliud esse cadere simpliciter sub meritum, aliud, solùm quoad nouum modum illud dandi. Ad præmium requiritur præcessio meriti respectu absolutæ existentiæ præmij, non ad secundũ. Aliqua, quæ pertinent ad modum loquendi, & quidem metaphoricum, an scilicet Christus dicendus sit mereri in nobis, vt sentit Caietanus, vnde discussa apud Suarez fine eius capitis. Res est parui momenti, & facilis.

Secundò.

DISPV

Digitized by Google

Disputatio LV.

Vtrùm ex maiori gratiâ habituali merita crescant.

1. Difficultas hæc meo iudicio grauissima est, &, vt verum fatear, vix inuenio vllam eius solutionem, quæ possit consequenter defendi, siue negantes siue affirmantes comprehendam; vt ex discursu illius constabit. De eâ agit P. Suarez lib. 12. cap. 22. & 1. Tom. in tertiam partem disp. 4. sect. 4. P. Petrus Hurtadus disp. 11. in 3. partem à §. 16. Gaspar Hurtadus in 3. part. disp. 18. & alij communiter vel hîc in materiâ de merito, vel in 3. part. occasione infiniti valoris meritorum Christi ob dignitatem personæ.

Sectio I.

Sententia affirmans: & qui ab aliquibus respondeatur eius fundamento.

Affirmatiuã tenet Suar. Petrus Hurtadus, & multi alij.

Eam tenent Suar. & Petrus Hurtadus suprà ac multi alij recentiores; quorum diuersa sunt fundamenta: Primum est; nam gratia concurrit ad meritum vt pars illius, ergo crescente gratiâ debet etiam crescere meritum. Secundũ est, quia in humanis, quò persona est gratior alicui, vel est maioris dignitatis, eo ipso ipsius actiones sunt gratiores & maioris valoris; ergo quò gratia maior est, eò opera nostra Deo sũt gratiora & maioris apud ipsum valoris. Cõfirmatur, Opera Christi Domini, iuxta communem & veram sententiã, sunt infiniti valoris, non aliam ob causam, quàm quod sint à personâ infinitè sancta; ergo maior sanctitas personæ conducit ad maiorem valorem meritotum. Quam consequentiam adeò bonam censet Hurtadus, vt planè dicat, impossibile esse defendere infinitum valorẽ operum Christi, nisi admittatur ex maiori gratiâ merita crescere. Alij verò, qui contrarium sentiunt, incredibiliter vexantur in assignandâ disparitate: quorum responsiones breuiter examinandæ, vt nostram subiiciamus.

Fundamenta illorum.

Negatiuam partẽ tenentium responsiones examinantur.

Prima docentium gratiã habitualem concurrere ad meritum solùm removẽdo peccatum.

Primò aliqui censent, gratiam habitualem solùm de facto concurrere ad meritum condignũ removendo peccatum, putant enim opus supernaturale etiam non informatum gratiâ esse condignum gloriæ & gratiæ; vnde dicunt, cùm peccatum tam expellatur per vnicum gradum gratiæ quàm per mille, non crescere meritum, ex eo quòd crescat gratia habitualis, ideò concesso antecedenti obiectionis suprà positæ negant consequentiam; quia gratia Christi non solùm concurrit expellendo aut impediendo peccatum, sed dignificando opus. Hæc solutio ex parte continet falsam doctrinam, & ex parte petit principium: falsam, quia (vt ostendi suprà ex communiori sententia) gratia habitualis necessaria est vt cõplens valorem meriti: petit verò principium, quia sicut gratia Christi non solùm impedit peccatum, sed auget valorẽ operis, ita gratia habitualis vtrumque præstabit: vel è contrario, si maior gratia habitualis non auget meritum, nec dignificat opus; ita nec illud dignificabit maior gratia Christi, prout contendit obiectio. Hi autem respondent id negando, nullam tamen reddendo rationem, nisi suammet conclusionem.

Solutio hæc partim continet falsam doctrinam. partim etiam petit principium.

Secunda & cõmunissima solutio. sanctitatem substãtialem augerè meritum, nõ verò accidẽtalem. Huius diuersitatis rationem aliqui dant.

Secundò alij (& hæc est communissima solutio) dicunt, sanctitatem substantialem & personalem augere meritum; id verò negant gratiæ habituali accidentali: pauci verò vlteriorem huius diuersitatis rationem reddunt; quidam tamen eam afferunt, quòd gratia illa substãtialis constituat Christum merentem in eadem specie cum Deo, apud quem meretur; quod facit vt crescat inde meritum; sicut in humanis, quia omnes homines sunt eiusdem speciei, plus meretur, cæteribus paribus, apud Regem v.g. qui maioris est dignitatis quàm qui minoris; gratia verò habitualis semper relinquat hominem in inferiori ordine.

2. *Hæc non soluit difficultatem. Ratio, cur ex substantiali sanctitate crescunt opera nõ est, quia substantialis est, sed quia maior est sanctitas. Quod dicitur de eadẽ specie merentis & præmiantis, reijcitur.*

Adhuc tamen non soluitur difficultas: ratio enim, cur dignitas substantialis faciat crescere opera, non est, quia substantialis est, sed quia maior est sanctitas; ad augmentum enim meriti non requiritur augmentum substãtiæ: actus enim ipse non est substantia; & tamen quæ intensior est plus meretur: item aliæ circumstantiæ libertatis, durationis, &c. quæ non sunt substantia, augent meritum; ergo etiam hoc crescet ex maiori accidentali gratia; vel si ex hac non crescit, non crescet ex maiori substantiali. Quod verò dicitur de eadem specie merentis & præmiantis, faciliùs reiicitur; Primò, quia solùm affert rationem positiuam ad probandum, inter eos, qui sunt eiusdem speciei, meritum crescere ex maiori dignitate; non tamen ostendit, quòd non debeat crescere vbi non est vnitas speciei; cùm tota præsens difficultas in hoc versetur, cur scilicet non crescat hîc, & crescat ibi, aut è contrario. Secundò, quia si duo Angeli inæqualis speciei mererentur apud alterum altiorem, non dubium, quin plus mereretur qui nobilioris est speciei quàm alter, cæteris paribus, etiamsi neuter esset in eadem specie cum præmiante Angelo. Tertiò, quia confundis in humanis duo valdè diuersa, dignitatem scil. substantialem, ex eo quòd quis sit homo, cum dignitate maiori accidentali Nobilis, Ducis, Capitanei, &c. licet enim Dux, aut Capitaneus aut Episcopus sint intra eamdem speciem humanam, dignitates tamen illorum, eo modo quo moraliter æstimantur, sunt moralites specie diuersæ. Dignitas enim regia specie morali differt à dignitate equestri aut Episcopali. quo posito sic argumẽtor: Ex maiori dignitate nobilitatis, &c. licet specie diuersâ à regiâ, crescit meritũ cæteris paribus: non enim Nobilis ideò plus meretur, quia plus aut magis sit homo, in quo conuenit cum Rege, sed ex maiori dignitate, & maioribus in bello exantlatis laboribus, in quibus specie differt à dignitate regiâ: id quod magis appãret, si Ecclesiasticum cum sæculari comparemus; clariùs enim specie differunt, & tamen vna auget valorem coram aliâ; ergo cùm respectu Dei ad simpliciter merendum non requiratur vnitas specifica cum ipso præmiante, & aliunde, vt ex humanis ostendi, ex dignitate maiori etiam specie diuersâ augeatur meritum, augebitur ex maiori gratiâ habituali; vel, si ex hac non augetur, non augebitur ex maiori substantiali, & eiusdem speciei.

Angelus nobilioris speciei plus meretur quàm inferioris, etsi neuter eiusdẽ esset speciei cũ præmiãte. Hanc doctrinam in humanis duo valdè diuersa confundere ostenditur.

Ad merendũ non reijcitur vnitas specifica cum præmiante.

3. *Alij docent, sicut gratia*

Tertiò alij dicunt gratiam habitualem respectu infinitæ sanctitatis Dei ita esse inferioris ordinis, vt fetè pro nihilo reputetur: communiter

Digitized by Google

respectu infinitæ sanctitatis Dei pro nihilo reputatur, ita etiã illius augmentum. Hæc solutio refutatur Primò.

enim dicitur, *Parum pro nihilo reputatur*: vnde infertur, etiam augmentum gratię pro nihilo reputari, ideóq; non augere valorem operis. Improbabilis planè solutio: Primò, quia non ita apud Deum vilescit gratia, vt hi asserunt; quandoquidẽ ob illam ita homines æstimat vt & filios adoptiuos & amicos suos reputet. Quòd si non obstante ea exiguitate gratiæ, quam hi dicunt, quò tamẽ hęc est maior proportionaliter crescit amor Dei, ita vt gratia vt sex ametur vt sex à Deo, & gratia vt octo ametur vt octo; cur idem non erit in ordine ad præmium; Confirmo, non obstante ea exiguitate, quò maior est gratia, plus acquirit homo de gloria siue per modum præmij, siue per modum hæreditatis; ergo maior gratia auget ius ad maiorem gloriam; cur ergo non augebit illud idem ius in merito? Secundò, quia plus adhuc distant à Deo nostri boni actus quàm ipsa gratia; hæc enim est formalis sanctitas, illa verò non; & tamen augmentum actus causat augmentum præmij, ergo & augmentum gratiæ à fortiori illud causabit. Tertiò, quia sicut hi dicunt gratiam respectu Dei pro nihilo reputari, ita ego dicam gloriam respectu Dei pro nihilo reputari; vtraque enim est creatura infinitè Deo inferior: vnde sic concludo, Ergo debebit Deus dare plus de gloria ob maiorem gratiam; quia si parum æstimat gratiam, parum æstimat gloriam; rectè autem potest dare id quod parum æstimat pro pretio etiam parum æstimato: parum enim proportionem habet cum paruo.

Secundò, plus distant à Deo nostri actus quàm gratia. Tertiò, eodem modo Deus parùm æstimabit gloriam. Et consequẽter plus debebit Deus dare de gloria quò maior est gratia.

4. Quartò alij asserũt, quòd gratia faciès filium adoptiuum, cùm non faciat maiorem, neq; etiam magis significabit meritum. Refutantur Respectu Dei potest quis dici magis vel minùs filius adoptiuus.

Quartò alij docent gratiam concurrere ad meritum constituendo hominem filium adoptiuum Dei; cúmque maior gratia non constituat maiorem filium, aut magis filium, non magis dignificat meritum; licet illud dignificet infinita gratia Christi. Sed contrà, quia hæc solutio sumitur ex solo modo loquẽdi; quòd scil. non dicamus *plus filius* aut *magis filius*: quod licet in primæua & naturali significatione vocis *Filius* locũ habeat, eò quòd desumitur ex humanitate & generatione, in quibus nõ admittimus magis & minus; si tamen de adoptiua filiatione in ordine ad Deũ sermo sit, posset satis propriè dici, *Maior & minor filius*, aut, *Magis & minus filius*; nam & gratia, in quâ fundatur ea filiatio, habet magis & minus; & ius, quod dat ad gloriam, est maius & minus, iuxta intensionem gratiæ. Sed hoc omisso, quod ad vocem (vt dixi) pertinet, ideóque non videtur sufficere ad solidam reddendam rationem, cur ex gratia habituali non crescat meritum, sic verò ex gratia Christi; Secundò idem oppugno; nam etiam Christus Dominus non dicitur magis filius Dei, sed nobiliori modo Filius: quod sufficit vt crescat meritum ex ea nobiliori filiatione, atqui etiam qui plus gratiæ habet est nobiliori & perfectiori modo filius, ergo crescit meritum ex ea maiori gratiâ. Tertiò, quia licet filiatio non sit maior, tamen sanctitas est maior; & meritum tam videtur desumi ex gratiâ, vt constituit hominem sanctum, quàm vt constituit filium adoptiuum Dei; vnde, etiamsi vera esset sententia eorum qui dicunt Christum Dominum non dignificari in ordine ad meritum per gratiam vnionis, sed per gratiam habitualem licet hæc non constituat Christum Filium adoptiuum, sed præcisè habitualiter sanctum, nihilominùs relinqueret illum capacem meriti: & ex hoc capite non reiicitur ea sententia, licet aliunde sit falsa: ergo vel maior sanctitas habitualis augebit meritum, vel infinita sanctitas Christi illud non augebit. Ratio à priori huius tertiæ impugnationis est ea, quòd sanctitas vt talis, etiãsi separetur à filiatione adoptiua, illicit tamen amorem Dei, reddit hominem ipsi amicum, dignum amore & æstimatione: quę sunt capita sufficientia ad augendum meritum; vt in humanis crescit illud ex maiori dignitate personæ, licet ea dignitas non constituat eam personam filium adoptiuum.

Secundò refutantur.

Tertiò.

Huius impugnationis ratio à priori.

SECTIO II.

Aliorum responsiones.

5. *Responsio. P. Gasparis Hurtadi assignãtis inter gratiã habitualẽ & subsãtialẽ Christi differentiam. Refutatur.*

QVintò, P. Gaspar Hurtadus suprà cùm Patre Vasq. eam assignat differentiam, quòd habitualis gratia non est infinita simpliciter, sed tantùm in intensione; sanctitas verò Christi est simpliciter & ex specie sua infinita. Hæc tamen solutio sic proposita non est vllo modo sufficiens; nam ex ea solùm probatur, per gratiam habitualem maiorem non reddi merita simpliciter infinita, & secundùm essentiam; at non augeri secundùm intensionem nullo modo ostenditur: sicut enim se habet sanctitas infinita secundùm se & absolutè ad infinitum meritum secundùm se, ita videtur debere se habere sanctitas finita maior ad præmium finitum maius iuxta illud commune axioma, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*: ergo sicut infinita sanctitas ad infinitum meritum, ita finita ad finitum, & maior finita ad maius finitum comparari debebunt.

Sextò, alij munus gratiæ habitualis esse aiunt eleuare merita ad ordinẽ supernaturalẽ: quòd cùm primum faciat, reliqui gradus sunt otiosi. Refutantur quia falsum supponunt.

Sextò, alij dicunt gratiam habitualem solùm requiri vt eleuet merita ad ordinem supernaturalem; ad hoc autem sufficere primum gradum, cæteros autem esse otiosos: nam iam homo per primum est eleuatus ad eum ordinem sufficienter. Verùm neque hæc solutio sufficit; Primò, quia falsum supponit: homo enim independẽter à gratia habituali eleuatur ad ordinem supernaturalẽ; vt patet in peccatoribus, qui eleuati sunt, esto careant gratia. Secundò, quia fine dubio magis eleuatur homo quò habet plures gradus gratiæ, ergo etiam magis merebitur: si enim gradus eleuando subiectum auget meritum, certè secundus gradus magis eleuando magis augebit meritum, ob rationem paulò antè factam de sanctitate finita & infinita.

8. *Aliorũ vltima responsio, ad vnionem quãdam operum Christi recurrẽtiũ.*

Vltimò alij, eò quòd actiones sint suppositorũ, recurrunt ad vnionem quamdam operum Christi cum Verbo diuino; vnde inferunt ea opera reddi digna infinito amore & præmio; vnionem verò sic explicant: Verbum diuinum assumpsit intrinsecè humanitatem, ergo etiam intrinsecè est vnitum omnibus accidentibus eius humanitatis: inter quæ fine dubio sunt opera ipsius humanitatis: gratia autem habitualis, inquiunt, dignificat subiectum, quia illi vnitur, non tamen dignificat opera ad maius præmium, quia eis non vnitur. Neque hæc solutio potest sustineri, quia si dicatur in ea, Verbum immediatè vnitum hypostaticè omnibus accidentibus Christi, colori. albedini, &c. dicitur aliquid improbabile, vt in proprio loco ostendi, nec existimo auctores solutionis id voluisse vllo modo; ergo debet dici solùm mediatè ea opera & accidentia vnita Verbo: atqui hoc modo opera nostra vniuntur gratiæ habituali; ergo eodem modo dignificabuntur à maiori habituali, quo dignificantur à Verbo in Christo. Probo minorem subsumptam, quia ea

Impugnatur. Illa opera & accidentia ad vniũtur Verbo immediatè, sed solùm mediatè; & nostra gratiæ habitualẽ.

Digitized by Google

ea vnio mediata præcisè consistit in vnione operum Christi cum humanitate quæ est vnita Verbo; at etiam nostra opera sunt vnita animæ, cui est vnita maior gratia, ergo sunt immediatè vnita gratiæ maiori.

Replica. Respondebis fortè, animam per se vniri Verbo, & ab eo pendere; vnde opera animæ Christi per se vniuntur saltem mediatè Verbo; gratiam autem habitualem, quia per accidens vnitur animæ, etsam per accidens vniri operibus animæ: ideóque ea non dignificare. Sed contrà Primò, *Refutatur.* quia etiã nostri actus boni pendent à gratiã habituali, vt à radice habituum, per quos fiunt; ergo etiam ex hoc capite vniuntur quodammodò per se cum gratia. Secundò, quia humanitas solùm pendet à Verbo, vt à termino, eo modo quo essentiæ pendent à passionibus; at hoc non sufficit vt per se vniantur cum Verbo ea quæ vniuntur cum anima; sicut non vniuntur per se cum passionibus ea quæ vniuntur cum essentia: nec sufficit vnio per se duarum rerum, vt quæ vniuntur vni dicantur alteri vnita per se; non enim calor per se vnitur animæ, etiamsi hæc & calor vniantur materiæ quæ est vtriusque subiectum.

7. *Secunda totius solutionis impugnatio.* Et hæc sit secunda totius solutionis impugnatio; nam sine ea vnione per se gratia habitualis dignificat opus ad merẽdum nobiliori modo seu de condigno; poterit ergo maior gratia sine ea vnione dignificare ad maius meritum: cur enim communicabit sine vnione condignitatem, & nõ communicabit sine eadem maiorem valorem? Certè in humanis ad maiorem valorem operum personæ dignioris non attenditur, an ea opera vniãtur physicè cum ea dignitate. Quod verò dicebatur, actiones esse suppositorum, non est ad rem: Primò, quia etiam bona opera dicuntur esse actiones hominis iustioris; ergo etiam maior iustitia augebit eorum meritum. Secundò, quia substantia (vt alibi ostendi) non influit in actiones, nec illis immediatè vnitur; ergo non magis dignificabit ex hoc capite quàm gratia. Hæ sunt quas in negantibus ex maiori gratia merita crescere inuenire potui solutiones, quarum nulla satisfacere videtur.

Substantia nõ influit in actiones, nec illis immediatè vnitur.

SECTIO III.

Obseruatio quædam pro verâ sententiâ.

8. *Dignificare ad merẽdum de condigno & ad plus merendum sunt effectus ratione nostrâ distincti.* VT ergo ei argumento desumpto ex Christi infinito merito respondeam, obseruo, esse effectus ex conceptu suo ratione nostrâ vt minimùm distinctos, dignificare opus ad merendum de condigno, & dignificare ad plus merendum; aliud enim est dare actui condignitatem ad centum gradus, ad quos ex se actus non habebat nisi congruitatem; aliud autem dare condignitatem ad centum: & simul dare valorẽ ad plures quàm centum; etenim primus conceptus solùm dicit vim mutandi modũ merendi, alter dicit mutationẽ in re ipsâ quã promeretur. Id quod in satisfactione pro culpâ optimè cernitur: nam satisfactio congrua à condignâ non differt in eo, quòd vna sit ad maiorem terminum quàm altera, sed quòd vna sit ei culpæ proportionata seu condigna, altera eidem improportionata seu congrua: idem est in physicis inter causam partialem & totalem: non enim vna plus tangit quàm altera, sed vna adæquatè & proportionatè, altera inadæquatè & improportionatè: idem est in cognitione clarâ & obscurâ eiusdem obiecti, in comprehensiuâ & non comprehensiuâ, quæ non differunt ex parte obiecti, sed in modo.

Explicatur variis exemplis.

Ex hac doctrinâ infero id, quod meo iudicio nemo poterit mihi prudenter negare, non repugnare diuinitus vnã formam, quæ solùm habeat vim constituendi meritum in ratione proportionati præmio seu in ratione condigni, non tamen habeat vim illud augendi quasi obiectiuè: quæ enim, quæso, in hac virtute sic limitatâ reperiri possunt duo contradictoria? sanè nulla.

Non implicat forma quæ cõstituat meritum in ratione proportionati præmio, nõ tamẽ habeat vim augẽdi illud. Obiectio.

Dices fortè, Ea qualitas ideò causat condignitatem, quia facit subiectum sanctum & gratum, ergo eo ipso faciet opus ipsius magis amabile & nobilius respectu Dei, ergo facit vt mereatur nouum præmium. Respondeo negando consequentiã, quia illa maior amabilitas potest intelligi in hoc solùm consistere, quòd faciat opera magis condigna præmio, licet non det ius ad nouum.

Responsio.

Suppono Secundò, non valere vllo modo hãc consequentiam, Sanctitas aliqua creata, quæ finita est & limitata, non habet vim nisi ad extrahendum meritum à ratione congrui ad rationem condigni, non verò ad multiplicandum illud præmium, *Ergo sanctitas increata, infinita & per essentiam non habet nisi talem vim*: suppono, inquam, hanc consequentiam esse planè nullam, quia desumitur ex creaturâ limitatâ & finitâ ad infinitam & illimitatam Dei perfectionem, diuersam specie & infinitè maiorem quàm habeat vlla creatura. Explico rem exemplo petitò ab omnibus receptos: admittimus enim visionem albedinis in homine & in brutis esse specie diuersas, & maioris perfectionis physicæ esse humanam quàm leoninam; dicimusque non plus ex parte obiecti vnam videre quàm alteram, sed solùm nobiliori modo; non tamen inde licet inferre, Ergo neque visio Dei penetrabit plura prædicata in eadem albedine quàm visio humana, sed solùm in physica perfectione illam excedet, sicut humana excedit leoninam: hoc, inquam, non licet inferre, cùm certissimum sit, Deum magis penetrare albedinem, eámque in ordine ad plures terminos cognoscere quàm nos cognoscamus: id quod dico in præsenti quodammodò esse plus in ipso obiectò videre, seu in ordine ad plures terminos.

9. *Hæc consequentia nulla est: Aliqua sanctitas creata ita limitata est, vt nõ possit nisi ex merito de cõgruo facere de condigno, nõ verò multiplicare, ergo non infinita. Explicatur exemplo à visione hominis & bruti desumpto:*

item à duobus intellectibus specie diuersis.

Possumus item concipere duos intellectus diuersos specie, qui eadem omnia obiecta cognoscere possint naturaliter; ita vt in numero obiectorum non se excedant, sed solùm in perfectione & modo ea cognoscendi; at non propterea sequitur, non posse esse tertiũ intellectum longè perfectiorem, qui & plura obiecta & perfectiori modo possit ea cognoscere. Quòd si inter ipsas creaturas datur ea diuersitas, quomodo, eò quòd gratia creata non eleuet opera nisi ad nobiliorem modum promerendi, non autem ad maius præmium, infertur, etiam gratiam increatam & infinitam carere ea vi transferendi merita ad nouum modum merendi, & ad nouum præmium?

Ex his clarè apparet, quàm facilè negari possit ea consequentia, quam aduersarij putant omnino euidentem. Et per hoc responsum est ad eam confirmationem; ad quam vno verbo dicimus, Esto gratia habitualis, quia est gratia creata & finita, non habeat eam vim augendi materiam præmij, sed solùm modum, non ideò gratiam Christi infinitam in omni genere ea virtute carere: vt enim gratia ipsa habitualis non repugnat omni peccato etiam veniali, neque ideò sequitur,

10. *Gratia habitualis etsi nõ habeat vim augendi præmium, habet tamen gratia increata.*

Digitized by Google

Ergo gratia vnionis non excludit omne peccatũ, etiam veniale; ita dico de augmento præmij.

Gratia concurrens ad meritum non est pars nisi quoad condignitatem.

Præcipuum etiã argumentum iam est fere solutum; diximus enim gratiam concurrere ad meritum vt partem quidem, cum hac tamen limitatione, vt non sit pars nisi in ordine ad condignitatẽ, vnde ea gratia aucta augetur meritum quoad condignitatem, non quoad quãticatem præmij, iuxta hucusque dicta: vt enim initio solùm dedit condignitatem, ita deinde solùm auxit condignitatem.

Ad instantiã ex creatis respondetur Primò.

Ad instantiam ex creatis Primò respondeo, eã etiam vexari omnes qui illã vrunt contra nos: etenim sicut in humanis crescit valor obsequiorum ex dignitate maiori personæ, ita è contrario offensa crescit ex vilitate personæ; & tamen non admittunt, respectu Dei grauiora esse peccata facta ab homine magis inimico, & propter plura peccata viliori; ergo idem ego dicere potero in augmento meriti respectu Dei. Respondet Hurtadus ponens exemplum inter Angelum & hominem, ita eos distare infinitè à Deo, vt pro nihilo planè reputetur ea differentia inter Angelum & hominem: sicut licet sutor & sartor inter se sint inæquales, in ordine tamen ad offensam factam Regi ea distantia nullius est momenti, ideò ait, cæteris paribus, non magis offendi Regem, eò quòd persona iniurians fuerit sutor, quàm quòd fuerit sartor. Hæc tamen solutio meo iudicio euidenter est contra ipsum ex duplici capite; Primò, quia ego dicam id ipsum de gratiã habituali, ita scilicet infinitè distare illam à Deo, vt excessus centum graduum respectu vnius gradus gratiæ planè pro nihilo reputetur, maximè cùm hic excessus sit solùm in intensione: & sanè nemo prudens negare poterit etiam respectu Dei plus distare supremum Angelum ab homine; est enim ea differentia substantialis generica & in maximis perfectionibus, plus, inquam, quàm albedinem vt octo, & albedinem vt duo, & gratiam vt octo, aut vt millẽ gratiã vt vnum: quæ est distantia accidentalis, & solùm per multiplicationem: ergo si illa distantia nulla est in ordine ad dandam inæqualitatem peccatis; hæc à fortiori nulla erit ad dandam inæqualitatem meritis.

Hæc solutio est contra ipsũ Hurtadũ duplici ex capite.

Reiicitur Primò.

Reiicitur Secundò.

Reiicitur Tertiò.

Reiicitur Quartò.

Reiicitur Quintò.

Reiicitur Sextò.

Reiicitur Septimò.

Reiicitur Octauò.

Reiicitur Nonò.

Reiicitur Decimò.

Reiicitur Vndecimò.

Reiicitur Duodecimò.

Reiicitur Decimò tertiò.

Reiicitur Decimò quartò.

Reiicitur Decimò quintò.

Reiicitur Decimò sextò.

Reiicitur Decimò septimò.

Reiicitur Decimò octauò.

Reiicitur Decimò nonò.

Reiicitur Vigesimò.

Reiicitur Vigesimò primò.

Reiicitur Vigesimò secundò.

Reiicitur Vigesimò tertiò.

Reiicitur Vigesimò quartò.

Reiicitur Vigesimò quintò.

Reiicitur Vigesimò sextò.

Reiicitur Vigesimò septimò.

Reiicitur Vigesimò octauò.

Reiicitur Vigesimò nonò.

Reiicitur Tricesimò.

Reiicitur Tricesimò primò.

Reiicitur Tricesimò secundò.

Reiicitur Tricesimò tertiò.

Reiicitur Tricesimò quartò.

Reiicitur Tricesimò quintò.

Reiicitur Tricesimò sextò.

Reiicitur Tricesimò septimò.

Reiicitur Tricesimò octauò.

Reiicitur Tricesimò nonò.

Reiicitur Quadragesimò.

Reiicitur Quadragesimò primò.

Reiicitur Quadragesimò secundò.

Reiicitur Quadragesimò tertiò.

Reiicitur Quadragesimò quartò.

Reiicitur Quadragesimò quintò.

Reiicitur Quadragesimò sextò.

Reiicitur Quadragesimò septimò.

Reiicitur Quadragesimò octauò.

Reiicitur Quadragesimò nonò.

Reiicitur Quinquagesimò.

Reiicitur Quinquagesimò primò.

Reiicitur Quinquagesimò secundò.

Reiicitur Quinquagesimò tertiò.

Reiicitur Quinquagesimò quartò.

Reiicitur Quinquagesimò quintò.

Reiicitur Quinquagesimò sextò.

Reiicitur Quinquagesimò septimò.

Reiicitur Quinquagesimò octauò.

Reiicitur Quinquagesimò nonò.

Reiicitur Sexagesimò.

Reiicitur Sexagesimò primò.

Reiicitur Sexagesimò secundò.

Reiicitur Sexagesimò tertiò.

Reiicitur Sexagesimò quartò.

Reiicitur Sexagesimò quintò.

Reiicitur Sexagesimò sextò.

Reiicitur Sexagesimò septimò.

Reiicitur Sexagesimò octauò.

Reiicitur Sexagesimò nonò.

Reiicitur Septuagesimò.

Reiicitur Septuagesimò primò.

Reiicitur Septuagesimò secundò.

Reiicitur Septuagesimò tertiò.

Reiicitur Septuagesimò quartò.

Reiicitur Septuagesimò quintò.

Reiicitur Septuagesimò sextò.

Reiicitur Septuagesimò septimò.

Reiicitur Septuagesimò octauò.

Reiicitur Septuagesimò nonò.

Reiicitur Octogesimò.

Reiicitur Octogesimò primò.

Reiicitur Octogesimò secundò.

Reiicitur Octogesimò tertiò.

Reiicitur Octogesimò quartò.

Reiicitur Octogesimò quintò.

Reiicitur Octogesimò sextò.

Reiicitur Octogesimò septimò.

Reiicitur Octogesimò octauò.

Reiicitur Octogesimò nonò.

Reiicitur Nonagesimò.

Reiicitur Nonagesimò primò.

Reiicitur Nonagesimò secundò.

Reiicitur Nonagesimò tertiò.

Reiicitur Nonagesimò quartò.

Reiicitur Nonagesimò quintò.

Reiicitur Nonagesimò sextò.

Reiicitur Nonagesimò septimò.

Reiicitur Nonagesimò octauò.

Reiicitur Nonagesimò nonò.

Reiicitur Centesimò.

Reiicitur Centesimò primò.

Reiicitur Centesimò secundò.

Reiicitur Centesimò tertiò.

Reiicitur Centesimò quartò.

Reiicitur Centesimò quintò.

Reiicitur Centesimò sextò.

Reiicitur Centesimò septimò.

Reiicitur Centesimò octauò.

Reiicitur Centesimò nonò.

Reiicitur Centesimò decimò.

Reiicitur Centesimò vndecimò.

Reiicitur Centesimò duodecimò.

Reiicitur Centesimò decimò tertiò.

Reiicitur Centesimò decimò quartò.

Reiicitur Centesimò decimò quintò.

Reiicitur Centesimò decimò sextò.

Reiicitur Centesimò decimò septimò.

Reiicitur Centesimò decimò octauò.

Reiicitur Centesimò decimò nonò.

Reiicitur Centesimò vigesimò.

Reiicitur Centesimò vigesimò primò.

Reiicitur Centesimò vigesimò secundò.

Reiicitur Centesimò vigesimò tertiò.

Reiicitur Centesimò vigesimò quartò.

Reiicitur Centesimò vigesimò quintò.

Reiicitur Centesimò vigesimò sextò.

Reiicitur Centesimò vigesimò septimò.

Reiicitur Centesimò vigesimò octauò.

Reiicitur Centesimò vigesimò nonò.

Reiicitur Centesimò tricesimò.

Reiicitur Centesimò tricesimò primò.

Reiicitur Centesimò tricesimò secundò.

Reiicitur Centesimò tricesimò tertiò.

Reiicitur Centesimò tricesimò quartò.

Reiicitur Centesimò tricesimò quintò.

Reiicitur Centesimò tricesimò sextò.

Reiicitur Centesimò tricesimò septimò.

Reiicitur Centesimò tricesimò octauò.

Reiicitur Centesimò tricesimò nonò.

Reiicitur Centesimò quadragesimò.

Reiicitur Centesimò quadragesimò primò.

Reiicitur Centesimò quadragesimò secundò.

Reiicitur Centesimò quadragesimò tertiò.

Reiicitur Centesimò quadragesimò quartò.

Reiicitur Centesimò quadragesimò quintò.

Reiicitur Centesimò quadragesimò sextò.

Reiicitur Centesimò quadragesimò septimò.

Reiicitur Centesimò quadragesimò octauò.

Reiicitur Centesimò quadragesimò nonò.

Reiicitur Centesimò quinquagesimò.

Reiicitur Centesimò quinquagesimò primò.

Reiicitur Centesimò quinquagesimò secundò.

Reiicitur Centesimò quinquagesimò tertiò.

Reiicitur Centesimò quinquagesimò quartò.

Reiicitur Centesimò quinquagesimò quintò.

Reiicitur Centesimò quinquagesimò sextò.

Reiicitur Centesimò quinquagesimò septimò.

Reiicitur Centesimò quinquagesimò octauò.

Reiicitur Centesimò quinquagesimò nonò.

Reiicitur Centesimò sexagesimò.

Reiicitur Centesimò sexagesimò primò.

Reiicitur Centesimò sexagesimò secundò.

Reiicitur Centesimò sexagesimò tertiò.

Reiicitur Centesimò sexagesimò quartò.

Reiicitur Centesimò sexagesimò quintò.

Reiicitur Centesimò sexagesimò sextò.

Reiicitur Centesimò sexagesimò septimò.

Reiicitur Centesimò sexagesimò octauò.

Reiicitur Centesimò sexagesimò nonò.

Reiicitur Centesimò septuagesimò.

Reiicitur Centesimò septuagesimò primò.

Reiicitur Centesimò septuagesimò secundò.

Reiicitur Centesimò septuagesimò tertiò.

Reiicitur Centesimò septuagesimò quartò.

Reiicitur Centesimò septuagesimò quintò.

Reiicitur Centesimò septuagesimò sextò.

Reiicitur Centesimò septuagesimò septimò.

Reiicitur Centesimò septuagesimò octauò.

Reiicitur Centesimò septuagesimò nonò.

Reiicitur Centesimò octogesimò.

Reiicitur Centesimò octogesimò primò.

Reiicitur Centesimò octogesimò secundò.

Reiicitur Centesimò octogesimò tertiò.

Reiicitur Centesimò octogesimò quartò.

Reiicitur Centesimò octogesimò quintò.

Reiicitur Centesimò octogesimò sextò.

Reiicitur Centesimò octogesimò septimò.

Reiicitur Centesimò octogesimò octauò.

Reiicitur Centesimò octogesimò nonò.

Reiicitur Centesimò nonagesimò.

Reiicitur Centesimò nonagesimò primò.

Reiicitur Centesimò nonagesimò secundò.

Reiicitur Centesimò nonagesimò tertiò.

Reiicitur Centesimò nonagesimò quartò.

Reiicitur Centesimò nonagesimò quintò.

Reiicitur Centesimò nonagesimò sextò.

Reiicitur Centesimò nonagesimò septimò.

Reiicitur Centesimò nonagesimò octauò.

Reiicitur Centesimò nonagesimò nonò.

Reiicitur Ducentesimò.

Reiicitur Ducentesimò primò.

Reiicitur Ducentesimò secundò.

Reiicitur Ducentesimò tertiò.

Reiicitur Ducentesimò quartò.

Reiicitur Ducentesimò quintò.

Reiicitur Ducentesimò sextò.

Reiicitur Ducentesimò septimò.

Reiicitur Ducentesimò octauò.

Reiicitur Ducentesimò nonò.

Reiicitur Ducentesimò decimò.

Reiicitur Ducentesimò vndecimò.

Reiicitur Ducentesimò duodecimò.

Reiicitur Ducentesimò decimò tertiò.

Reiicitur Ducentesimò decimò quartò.

Reiicitur Ducentesimò decimò quintò.

Reiicitur Ducentesimò decimò sextò.

Reiicitur Ducentesimò decimò septimò.

Reiicitur Ducentesimò decimò octauò.

Reiicitur Ducentesimò decimò nonò.

Reiicitur Ducentesimò vigesimò.

Reiicitur Ducentesimò vigesimò primò.

Reiicitur Ducentesimò vigesimò secundò.

Reiicitur Ducentesimò vigesimò tertiò.

Reiicitur Ducentesimò vigesimò quartò.

Reiicitur Ducentesimò vigesimò quintò.

Reiicitur Ducentesimò vigesimò sextò.

Reiicitur Ducentesimò vigesimò septimò.

Reiicitur Ducentesimò vigesimò octauò.

Reiicitur Ducentesimò vigesimò nonò.

Reiicitur Ducentesimò tricesimò.

Reiicitur Ducentesimò tricesimò primò.

Reiicitur Ducentesimò tricesimò secundò.

Reiicitur Ducentesimò tricesimò tertiò.

Reiicitur Ducentesimò tricesimò quartò.

Reiicitur Ducentesimò tricesimò quintò.

Reiicitur Ducentesimò tricesimò sextò.

Reiicitur Ducentesimò tricesimò septimò.

Reiicitur Ducentesimò tricesimò octauò.

Reiicitur Ducentesimò tricesimò nonò.

Reiicitur Ducentesimò quadragesimò.

Reiicitur Ducentesimò quadragesimò primò.

Reiicitur Ducentesimò quadragesimò secundò.

Reiicitur Ducentesimò quadragesimò tertiò.

Reiicitur Ducentesimò quadragesimò quartò.

Reiicitur Ducentesimò quadragesimò quintò.

Reiicitur Ducentesimò quadragesimò sextò.

Reiicitur Ducentesimò quadragesimò septimò.

Reiicitur Ducentesimò quadragesimò octauò.

Reiicitur Ducentesimò quadragesimò nonò.

Reiicitur Ducentesimò quinquagesimò.

Reiicitur Ducentesimò quinquagesimò primò.

Reiicitur Ducentesimò quinquagesimò secundò.

Reiicitur Ducentesimò quinquagesimò tertiò.

Reiicitur Ducentesimò quinquagesimò quartò.

Reiicitur Ducentesimò quinquagesimò quintò.

Reiicitur Ducentesimò quinquagesimò sextò.

Reiicitur Ducentesimò quinquagesimò septimò.

Reiicitur Ducentesimò quinquagesimò octauò.

Reiicitur Ducentesimò quinquagesimò nonò.

Reiicitur Ducentesimò sexagesimò.

Reiicitur Ducentesimò sexagesimò primò.

Reiicitur Ducentesimò sexagesimò secundò.

Reiicitur Ducentesimò sexagesimò tertiò.

Reiicitur Ducentesimò sexagesimò quartò.

Reiicitur Ducentesimò sexagesimò quintò.

Reiicitur Ducentesimò sexagesimò sextò.

Reiicitur Ducentesimò sexagesimò septimò.

Reiicitur Ducentesimò sexagesimò octauò.

Reiicitur Ducentesimò sexagesimò nonò.

Reiicitur Ducentesimò septuagesimò.

Reiicitur Ducentesimò septuagesimò primò.

Reiicitur Ducentesimò septuagesimò secundò.

Reiicitur Ducentesimò septuagesimò tertiò.

Reiicitur Ducentesimò septuagesimò quartò.

Reiicitur Ducentesimò septuagesimò quintò.

Reiicitur Ducentesimò septuagesimò sextò.

Reiicitur Ducentesimò septuagesimò septimò.

Reiicitur Ducentesimò septuagesimò octauò.

Reiicitur Ducentesimò septuagesimò nonò.

Reiicitur Ducentesimò octogesimò.

Reiicitur Ducentesimò octogesimò primò.

Reiicitur Ducentesimò octogesimò secundò.

Reiicitur Ducentesimò octogesimò tertiò.

Reiicitur Ducentesimò octogesimò quartò.

Reiicitur Ducentesimò octogesimò quintò.

Reiicitur Ducentesimò octogesimò sextò.

Reiicitur Ducentesimò octogesimò septimò.

Reiicitur Ducentesimò octogesimò octauò.

Reiicitur Ducentesimò octogesimò nonò.

Reiicitur Ducentesimò nonagesimò.

Reiicitur Ducentesimò nonagesimò primò.

Reiicitur Ducentesimò nonagesimò secundò.

Reiicitur Ducentesimò nonagesimò tertiò.

Reiicitur Ducentesimò nonagesimò quartò.

Reiicitur Ducentesimò nonagesimò quintò.

Reiicitur Ducentesimò nonagesimò sextò.

Reiicitur Ducentesimò nonagesimò septimò.

Reiicitur Ducentesimò nonagesimò octauò.

Reiicitur Ducentesimò nonagesimò nonò.

Reiicitur Trecentesimò.

Reiicitur Trecentesimò primò.

Reiicitur Trecentesimò secundò.

Reiicitur Trecentesimò tertiò.

Reiicitur Trecentesimò quartò.

Reiicitur Trecentesimò quintò.

Reiicitur Trecentesimò sextò.

Reiicitur Trecentesimò septimò.

Reiicitur Trecentesimò octauò.

Reiicitur Trecentesimò nonò.

Reiicitur Trecentesimò decimò.

Reiicitur Trecentesimò vndecimò.

Reiicitur Trecentesimò duodecimò.

Reiicitur Trecentesimò decimò tertiò.

Reiicitur Trecentesimò decimò quartò.

Reiicitur Trecentesimò decimò quintò.

Reiicitur Trecentesimò decimò sextò.

Reiicitur Trecentesimò decimò septimò.

Reiicitur Trecentesimò decimò octauò.

Reiicitur Trecentesimò decimò nonò.

Reiicitur Trecentesimò vigesimò.

Reiicitur Trecentesimò vigesimò primò.

Reiicitur Trecentesimò vigesimò secundò.

Reiicitur Trecentesimò vigesimò tertiò.

Reiicitur Trecentesimò vigesimò quartò.

Reiicitur Trecentesimò vigesimò quintò.

Reiicitur Trecentesimò vigesimò sextò.

Reiicitur Trecentesimò vigesimò septimò.

Reiicitur Trecentesimò vigesimò octauò.

Reiicitur Trecentesimò vigesimò nonò.

Reiicitur Trecentesimò tricesimò.

Reiicitur Trecentesimò tricesimò primò.

Reiicitur Trecentesimò tricesimò secundò.

Reiicitur Trecentesimò tricesimò tertiò.

Reiicitur Trecentesimò tricesimò quartò.

Reiicitur Trecentesimò tricesimò quintò.

Reiicitur Trecentesimò tricesimò sextò.

Reiicitur Trecentesimò tricesimò septimò.

Reiicitur Trecentesimò tricesimò octauò.

Reiicitur Trecentesimò tricesimò nonò.

Reiicitur Trecentesimò quadragesimò.

Reiicitur Trecentesimò quadragesimò primò.

Reiicitur Trecentesimò quadragesimò secundò.

Reiicitur Trecentesimò quadragesimò tertiò.

Reiicitur Trecentesimò quadragesimò quartò.

Reiicitur Trecentesimò quadragesimò quintò.

Reiicitur Trecentesimò quadragesimò sextò.

Reiicitur Trecentesimò quadragesimò septimò.

Reiicitur Trecentesimò quadragesimò octauò.

Reiicitur Trecentesimò quadragesimò nonò.

Reiicitur Trecentesimò quinquagesimò.

Reiicitur Trecentesimò quinquagesimò primò.

Reiicitur Trecentesimò quinquagesimò secundò.

Reiicitur Trecentesimò quinquagesimò tertiò.

Reiicitur Trecentesimò quinquagesimò quartò.

Reiicitur Trecentesimò quinquagesimò quintò.

Reiicitur Trecentesimò quinquagesimò sextò.

Reiicitur Trecentesimò quinquagesimò septimò.

Reiicitur Trecentesimò quinquagesimò octauò.

Reiicitur Trecentesimò quinquagesimò nonò.

Reiicitur Trecentesimò sexagesimò.

Reiicitur Trecentesimò sexagesimò primò.

Reiicitur Trecentesimò sexagesimò secundò.

Reiicitur Trecentesimò sexagesimò tertiò.

Reiicitur Trecentesimò sexagesimò quartò.

Reiicitur Trecentesimò sexagesimò quintò.

Reiicitur Trecentesimò sexagesimò sextò.

Reiicitur Trecentesimò sexagesimò septimò.

Reiicitur Trecentesimò sexagesimò octauò.

Reiicitur Trecentesimò sexagesimò nonò.

Reiicitur Trecentesimò septuagesimò.

Reiicitur Trecentesimò septuagesimò primò.

Reiicitur Trecentesimò septuagesimò secundò.

Reiicitur Trecentesimò septuagesimò tertiò.

Reiicitur Trecentesimò septuagesimò quartò.

Reiicitur Trecentesimò septuagesimò quintò.

Reiicitur Trecentesimò septuagesimò sextò.

Reiicitur Trecentesimò septuagesimò septimò.

Reiicitur Trecentesimò septuagesimò octauò.

Reiicitur Trecentesimò septuagesimò nonò.

Reiicitur Trecentesimò octogesimò.

Reiicitur Trecentesimò octogesimò primò.

Reiicitur Trecentesimò octogesimò secundò.

Reiicitur Trecentesimò octogesimò tertiò.

Reiicitur Trecentesimò octogesimò quartò.

Reiicitur Trecentesimò octogesimò quintò.

Reiicitur Trecentesimò octogesimò sextò.

Reiicitur Trecentesimò octogesimò septimò.

Reiicitur Trecentesimò octogesimò octauò.

Reiicitur Trecentesimò octogesimò nonò.

Reiicitur Trecentesimò nonagesimò.

Reiicitur Trecentesimò nonagesimò primò.

Reiicitur Trecentesimò nonagesimò secundò.

Reiicitur Trecentesimò nonagesimò tertiò.

Reiicitur Trecentesimò nonagesimò quartò.

Reiicitur Trecentesimò nonagesimò quintò.

Reiicitur Trecentesimò nonagesimò sextò.

Reiicitur Trecentesimò nonagesimò septimò.

Reiicitur Trecentesimò nonagesimò octauò.

Reiicitur Trecentesimò nonagesimò nonò.

Reiicitur Quadringentesimò.

Reiicitur Quadringentesimò primò.

Reiicitur Quadringentesimò secundò.

Reiicitur Quadringentesimò tertiò.

Reiicitur Quadringentesimò quartò.

Reiicitur Quadringentesimò quintò.

Reiicitur Quadringentesimò sextò.

Reiicitur Quadringentesimò septimò.

Reiicitur Quadringentesimò octauò.

Reiicitur Quadringentesimò nonò.

Reiicitur Quadringentesimò decimò.

Reiicitur Quadringentesimò vndecimò.

Reiicitur Quadringentesimò duodecimò.

Reiicitur Quadringentesimò decimò tertiò.

Reiicitur Quadringentesimò decimò quartò.

Reiicitur Quadringentesimò decimò quintò.

Reiicitur Quadringentesimò decimò sextò.

Reiicitur Quadringentesimò decimò septimò.

Reiicitur Quadringentesimò decimò octauò.

Reiicitur Quadringentesimò decimò nonò.

Reiicitur Quadringentesimò vigesimò.

Reiicitur Quadringentesimò vigesimò primò.

Reiicitur Quadringentesimò vigesimò secundò.

Reiicitur Quadringentesimò vigesimò tertiò.

Reiicitur Quadringentesimò vigesimò quartò.

Reiicitur Quadringentesimò vigesimò quintò.

Reiicitur Quadringentesimò vigesimò sextò.

Reiicitur Quadringentesimò vigesimò septimò.

Reiicitur Quadringentesimò vigesimò octauò.

Reiicitur Quadringentesimò vigesimò nonò.

Reiicitur Quadringentesimò tricesimò.

Reiicitur Quadringentesimò tricesimò primò.

Reiicitur Quadringentesimò tricesimò secundò.

Reiicitur Quadringentesimò tricesimò tertiò.

Reiicitur Quadringentesimò tricesimò quartò.

Reiicitur Quadringentesimò tricesimò quintò.

Reiicitur Quadringentesimò tricesimò sextò.

Reiicitur Quadringentesimò tricesimò septimò.

Reiicitur Quadringentesimò tricesimò octauò.

Reiicitur Quadringentesimò tricesimò nonò.

Reiicitur Quadringentesimò quadragesimò.

Reiicitur Quadringentesimò quadragesimò primò.

Reiicitur Quadringentesimò quadragesimò secundò.

Reiicitur Quadringentesimò quadragesimò tertiò.

Reiicitur Quadringentesimò quadragesimò quartò.

Reiicitur Quadringentesimò quadragesimò quintò.

Reiicitur Quadringentesimò quadragesimò sextò.

Reiicitur Quadringentesimò quadragesimò septimò.

Reiicitur Quadringentesimò quadragesimò octauò.

Reiicitur Quadringentesimò quadragesimò nonò.

Reiicitur Quadringentesimò quinquagesimò.

Reiicitur Quadringentesimò quinquagesimò primò.

Reiicitur Quadringentesimò quinquagesimò secundò.

Reiicitur Quadringentesimò quinquagesimò tertiò.

Reiicitur Quadringentesimò quinquagesimò quartò.

Reiicitur Quadringentesimò quinquagesimò quintò.

Reiicitur Quadringentesimò quinquagesimò sextò.

Reiicitur Quadringentesimò quinquagesimò septimò.

Reiicitur Quadringentesimò quinquagesimò octauò.

Reiicitur Quadringentesimò quinquagesimò nonò.

Reiicitur Quadringentesimò sexagesimò.

Reiicitur Quadringentesimò sexagesimò primò.

Reiicitur Quadringentesimò sexagesimò secundò.

Reiicitur Quadringentesimò sexagesimò tertiò.

Reiicitur Quadringentesimò sexagesimò quartò.

Reiicitur Quadringentesimò sexagesimò quintò.

Reiicitur Quadringentesimò sexagesimò sextò.

Reiicitur Quadringentesimò sexagesimò septimò.

Reiicitur Quadringentesimò sexagesimò octauò.

Reiicitur Quadringentesimò sexagesimò nonò.

Reiicitur Quadringentesimò septuagesimò.

Reiicitur Quadringentesimò septuagesimò primò.

Reiicitur Quadringentesimò septuagesimò secundò.

Reiicitur Quadringentesimò septuagesimò tertiò.

Reiicitur Quadringentesimò septuagesimò quartò.

Reiicitur Quadringentesimò septuagesimò quintò.

Reiicitur Quadringentesimò septuagesimò sextò.

Reiicitur Quadringentesimò septuagesimò septimò.

Reiicitur Quadringentesimò septuagesimò octauò.

Reiicitur Quadringentesimò septuagesimò nonò.

Reiicitur Quadringentesimò octogesimò.

Reiicitur Quadringentesimò octogesimò primò.

Reiicitur Quadringentesimò octogesimò secundò.

Reiicitur Quadringentesimò octogesimò tertiò.

Reiicitur Quadringentesimò octogesimò quartò.

Reiicitur Quadringentesimò octogesimò quintò.

Reiicitur Quadringentesimò octogesimò sextò.

Reiicitur Quadringentesimò octogesimò septimò.

Reiicitur Quadringentesimò octogesimò octauò.

Reiicitur Quadringentesimò octogesimò nonò.

Reiicitur Quadringentesimò nonagesimò.

Reiicitur Quadringentesimò nonagesimò primò.

Reiicitur Quadringentesimò nonagesimò secundò.

Reiicitur Quadringentesimò nonagesimò tertiò.

Reiicitur Quadringentesimò nonagesimò quartò.

Reiicitur Quadringentesimò nonagesimò quintò.

Reiicitur Quadringentesimò nonagesimò sextò.

Reiicitur Quadringentesimò nonagesimò septimò.

Reiicitur Quadringentesimò nonagesimò octauò.

Reiicitur Quadringentesimò nonagesimò nonò.

Reiicitur Quingentesimò.

Reiicitur Quingentesimò primò.

Reiicitur Quingentesimò secundò.

Reiicitur Quingentesimò tertiò.

Reiicitur Quingentesimò quartò.

Reiicitur Quingentesimò quintò.

Reiicitur Quingentesimò sextò.

Reiicitur Quingentesimò septimò.

Reiicitur Quingentesimò octauò.

Reiicitur Quingentesimò nonò.

Reiicitur Quingentesimò decimò.

Reiicitur Quingentesimò vndecimò.

Reiicitur Quingentesimò duodecimò.

Reiicitur Quingentesimò decimò tertiò.

Reiicitur Quingentesimò decimò quartò.

Reiicitur Quingentesimò decimò quintò.

Reiicitur Quingentesimò decimò sextò.

Reiicitur Quingentesimò decimò septimò.

Reiicitur Quingentesimò decimò octauò.

Reiicitur Quingentesimò decimò nonò.

Reiicitur Quingentesimò vigesimò.

Reiicitur Quingentesimò vigesimò primò.

Reiicitur Quingentesimò vigesimò secundò.

Reiicitur Quingentesimò vigesimò tertiò.

Reiicitur Quingentesimò vigesimò quartò.

Reiicitur Quingentesimò vigesimò quintò.

Reiicitur Quingentesimò vigesimò sextò.

Reiicitur Quingentesimò vigesimò septimò.

Reiicitur Quingentesimò vigesimò octauò.

Reiicitur Quingentesimò vigesimò nonò.

Reiicitur Quingentesimò tricesimò.

Reiicitur Quingentesimò tricesimò primò.

Reiicitur Quingentesimò tricesimò secundò.

Reiicitur Quingentesimò tricesimò tertiò.

Reiicitur Quingentesimò tricesimò quartò.

Reiicitur Quingentesimò tricesimò quintò.

Reiicitur Quingentesimò tricesimò sextò.

Reiicitur Quingentesimò tricesimò septimò.

Reiicitur Quingentesimò tricesimò octauò.

Reiicitur Quingentesimò tricesimò nonò.

Reiicitur Quingentesimò quadragesimò.

Reiicitur Quingentesimò quadragesimò primò.

Reiicitur Quingentesimò quadragesimò secundò.

Reiicitur Quingentesimò quadragesimò tertiò.

Reiicitur Quingentesimò quadragesimò quartò.

Reiicitur Quingentesimò quadragesimò quintò.

Reiicitur Quingentesimò quadragesimò sextò.

Reiicitur Quingentesimò quadragesimò septimò.

Reiicitur Quingentesimò quadragesimò octauò.

Reiicitur Quingentesimò quadragesimò nonò.

Reiicitur Quingentesimò quinquagesimò.

Reiicitur Quingentesimò quinquagesimò primò.

Reiicitur Quingentesimò quinquagesimò secundò.

Reiicitur Quingentesimò quinquagesimò tertiò.

Reiicitur Quingentesimò quinquagesimò quartò.

Reiicitur Quingentesimò quinquagesimò quintò.

Reiicitur Quingentesimò quinquagesimò sextò.

Reiicitur Quingentesimò quinquagesimò septimò.

Reiicitur Quingentesimò quinquagesimò octauò.

Reiicitur Quingentesimò quinquagesimò nonò.

Reiicitur Quingentesimò sexagesimò.

Reiicitur Quingentesimò sexagesimò primò.

Reiicitur Quingentesimò sexagesimò secundò.

Reiicitur Quingentesimò sexagesimò tertiò.

Reiicitur Quingentesimò sexagesimò quartò.

Reiicitur Quingentesimò sexagesimò quintò.

Reiicitur Quingentesimò sexagesimò sextò.

Reiicitur Quingentesimò sexagesimò septimò.

Reiicitur Quingentesimò sexagesimò octauò.

Reiicitur Quingentesimò sexagesimò nonò.

Reiicitur Quingentesimò septuagesimò.

Reiicitur Quingentesimò septuagesimò primò.

Reiicitur Quingentesimò septuagesimò secundò.

Reiicitur Quingentesimò septuagesimò tertiò.

Reiicitur Quingentesimò septuagesimò quartò.

Reiicitur Quingentesimò septuagesimò quintò.

Reiicitur Quingentesimò septuagesimò sextò.

Reiicitur Quingentesimò septuagesimò septimò.

Reiicitur Quingentesimò septuagesimò octauò.

Reiicitur Quingentesimò septuagesimò nonò.

Reiicitur Quingentesimò octogesimò.

Reiicitur Quingentesimò octogesimò primò.

Reiicitur Quingentesimò octogesimò secundò.

Reiicitur Quingentesimò octogesimò tertiò.

Reiicitur Quingentesimò octogesimò quartò.

Reiicitur Quingentesimò octogesimò quintò.

Reiicitur Quingentesimò octogesimò sextò.

Reiicitur Quingentesimò octogesimò septimò.

Reiicitur Quingentesimò octogesimò octauò.

Reiicitur Quingentesimò octogesimò nonò.

Reiicitur Quingentesimò nonagesimò.

Reiicitur Quingentesimò nonagesimò primò.

Reiicitur Quingentesimò nonagesimò secundò.

Reiicitur Quingentesimò nonagesimò tertiò.

Reiicitur Quingentesimò nonagesimò quartò.

Reiicitur Quingentesimò nonagesimò quintò.

Reiicitur Quingentesimò nonagesimò sextò.

Reiicitur Quingentesimò nonagesimò septimò.

Reiicitur Quingentesimò nonagesimò octauò.

Reiicitur Quingentesimò nonagesimò nonò.

Reiicitur Sexcentesimò.

Reiicitur Sexcentesimò primò.

Reiicitur Sexcentesimò secundò.

Reiicitur Sexcentesimò tertiò.

Reiicitur Sexcentesimò quartò.

Reiicitur Sexcentesimò quintò.

Reiicitur Sexcentesimò sextò.

Reiicitur Sexcentesimò septimò.

Reiicitur Sexcentesimò octauò.

Reiicitur Sexcentesimò nonò.

Reiicitur Sexcentesimò decimò.

Reiicitur Sexcentesimò vndecimò.

Reiicitur Sexcentesimò duodecimò.

Reiicitur Sexcentesimò decimò tertiò.

Reiicitur Sexcentesimò decimò quartò.

Reiicitur Sexcentesimò decimò quintò.

Reiicitur Sexcentesimò decimò sextò.

Reiicitur Sexcentesimò decimò septimò.

Reiicitur Sexcentesimò decimò octauò.

Reiicitur Sexcentesimò decimò nonò.

Reiicitur Sexcentesimò vigesimò.

Reiicitur Sexcentesimò vigesimò primò.

Reiicitur Sexcentesimò vigesimò secundò.

Reiicitur Sexcentesimò vigesimò tertiò.

Reiicitur Sexcentesimò vigesimò quartò.

Reiicitur Sexcentesimò vigesimò quintò.

Reiicitur Sexcentesimò vigesimò sextò.

Reiicitur Sexcentesimò vigesimò septimò.

Reiicitur Sexcentesimò vigesimò octauò.

Reiicitur Sexcentesimò vigesimò nonò.

Reiicitur Sexcentesimò tricesimò.

Reiicitur Sexcentesimò tricesimò primò.

Reiicitur Sexcentesimò tricesimò secundò.

Reiicitur Sexcentesimò tricesimò tertiò.

Reiicitur Sexcentesimò tricesimò quartò.

Reiicitur Sexcentesimò tricesimò quintò.

Reiicitur Sexcentesimò tricesimò sextò.

*Reiicitur

pluuiam quàm mea eamdem petens: quia igitur condignitas iuuat vt certiùs detur, ideò facilius impetrat quàm ego: vix autem videtur vllus distinxisse hæc duo, sed absolutè omnes docere, plus valere eas orationes, id est, ad plura habere congruitatem: vnde potiùs hoc argumentum valdè confirmat nostram doctrinam, quòd scil. à maiori gratiâ crescat condignitas ad præmium, non verò magnitudo præmij.

13. *Explicatur magis nostra doctrina.*

Explico magis, Si Deus non fecisset certũ pactum dandi præmium (sicut diximus potuisse nõ fecisse) facilius & certiùs tunc iustus vt octo obtinuisset gratiam vt quatuor per actum vt quatuor: quàm eamdem obtinuisset per actum etiam vt quatuor iustus vt duo: sicut idem ipsum quod petunt duo inæquales iusti facilius obtinet qui iustior est, cæteris paribus: quòd verò omnibus iã infallibiliter detur præmium, est per accidens ad intentum nostrum: inde enim nõ tolluntur plures illi tituli: si enim è cõtrario in oratione Deus fecisset hanc legem infallibilem, Quidquid petierit iustus dabitur, sanè non magis obtineret beatissima Virgo quàm iustus infimus ratione suæ maioris gratiæ; & tamen negari non posset, quin tunc maior esset ratio in actu primo ad obtinendum ex parte Virginis. Vides ergo optimè & consequenter ea duo distingui, condignitatem & quantitatem præmij, etiam in oratione & merito. Nos ergo dicimus condignitatem quidem crescere ex maiori gratiâ, non verò materiam præmij. Id quod ampliùs proponendo nostram sententiam explicabitur.

Distinguitur in merito, quantitas & condignitas.

SECTIO IV.

Nostra sententia proponitur.

14. ETsi respondendo argumentis contrariæ sententiæ ferè nostram persuaserimus, nihilominùs oportet id magis ex proposito declarare. Conclusio ergo sit, Gratia habitualis auget meritum ad maiorem condignitatem, non ad plures partes præmij. Prima pars de condignitate satis in præcedentibus probata; nunc probanda est secunda, quæ est communissima inter Theologos, ita vt ipse P. Suarez n.2. fateatur, non nisi Ioannẽ Penna in manuscriptis & Victoriam subobscurè pro contrariâ stare: fateor tamen eam posteà à multis defensam: citari etiam contra nos posset D. Thomas in 2. disp.29.q.1.art.4.vbi ait, *Quantò maiori gratiâ actus informatur, tantò magis est meritorius.* Respondeo tamen, D. Thom. posse explicari eo sensu quo nos hucusque locuti sumus, vt ideò dicat magis meritorium eum actum, quia est magis condignus; sicut solet dici actus charitatis magis meritorius, quando fit à iusto, quàm quando fit à peccatore, non quia plures gradus in vno quàm in altero promereatur, sed quia in vno eos meretur solùm de congruo, in altero de condigno.

Gratia auget meritum ad maiorem condignitatẽ, nõ ad plures partes præmij.

Probatio aliquorum recentiorum, quia sequeretur processus in infinitum.

Verùm videamus, qui nostra hęc sentẽtia probari possit. Nonnulli recentiores putant ex aduersâ sequi manifestè processum in infinitum; nam si mereantur duo, vnus pro altero, Petrus v. g. pro Ioanne, & hic pro Petro, tunc gratia data Petro intuitu meriti Ioannis dignificaret meritũ Petri ad maiorem gratiam; & gratia data Ioanni ob Petrum dignificaret merita Ioannis, & sic se inuicem augerent ea merita in infinitum. Ego tamen (vt verum fatear) numquam reputaui hoc argumentum vllius momenti, sed potiùs in eo

Hoc argumẽtum exigui momẽti est & æquiuocum.

æquiuocationem committit; nam cùm in ea sententiâ supponiatur, gratiam datam intuitu operis noo augere idẽ opus ad nouum meritũ, & necessenecessùm sit in tali casu, secundùm augmentum gratiæ datum Petro ob Ioãnis maiorem gratiam ei concessam ob Petri meritum; necesse, inquam, illud augmentum mediatè venire ab opere Petri, necessium etiam est, vt sit gratia data intuitu operationis Petri saltem mediatè; ergo ea non potest tertiò augere meritum Petri: æquiuocatur autem seu confunditur atgumentum per eas duas personas; nam re ipsâ idem est ac si in vnâ personâ solâ poneretur, in quâ dicimus secundam maiorem gratiam datam intuitu operis non augere illius meritum, quo totus cessat processus in infinitum.

Aliorum probatio. Secunda.

Secundò argumentari quis posset, quia qui, cũ minori gratia quàm alter operatur æquè intensè, non est minori laude dignus, ergo nec minori præmio. Verùm neque hoc vrget, vt patet in homine, qui putans se esse in gratiâ operatur intensè vt octo supernaturaliter, ideóq; non est minori laude dignus quàm alter, qui re ipsâ est in gratia, & operatur vt octo; & tamen prior nihil meretur, secundus meretur vt octo. Dicendũ ergo id esse per accidens; nam licet ex vno capite sit ita laudabilis, quia tamen re ipsa non habet id quod dat valorem operi, non meretur tam multum: vt, si quis tam intensè operetur quàm Christus in aliquo speciali actu, esset eo sensu æquè laudabilis, non tamen æquè mereretur.

Non vrget.

Iis ergo & aliis minoris momenti argumentis omissis, Primò suaderi potest nostra sentẽtia, quia gratiam solùm dicimus concurrere dignificando; ergo non debemus ei alium effectum tribuere, cùm ad id nullum sit solidum fundamentum, vt ex dictis constat, ex eo autem quòd ille effectus augeatur, non sequitur quidquam de augmento præmij, sed de augmento condignitatis, vt fusè explicatum est.

15. *Suadetur nostra conclusio Primò.*

Secundò, quia, vt ostendimus, maior indignitas peccatoris non habet vim ad augendam malitiam in ordine ad grauiorem pœnam, ergo neque gratia è contrario habebit ad maius præmiũ. Consequentiam esse bonam suprà efficaciter ostendimus. Antecedens verò ab omnibus conceditur, ergo.

Secundò.

Tertiò, quia videtur sequi, augmentum illud fore æquale ipsius gratię intensioni, vt si v. g. quis habeat gratiam vt centum, mereatur vt centum, licet opus sit vt vnum, imò debere tunc vt centũ & vnum mereri; hoc autem omnes censent esse absurdum, vt breuiter paulò pòst insinuabo. Consequentia autem mihi videtur valdè bona; negatur tamen ab auctoribus contrariæ sententiæ, nulla addita ratione, nisi quòd quidam dicant, ex maiori gratia non crescere meritum Arithmeticè, sed Geometricè. Quidam tamen Primo dicunt cõsequentiam pati instantiam in ipsis gradibus intrinsecis actuum; qui in omnium sententia conducunt ad maius meritum; non tamen propterea dicendum est, quemlibet actum cuiuslibet virtutis etiam minimæ mereri tot gradus gratiæ quot habet in se intensionis. Secundò alij dicunt, gratiam solùm intrare in obliquo in ratione meriti, ideóque non debere illud augere tantum quantum ipsa in se est.

Tertiò.

Ego tamen (vt verum fatear) non possum his solutionibus acquiescere, quia vel destruunt omnia fundamenta eius sententiæ, vel nihil penitus valent. Et in primis instantia, quam adferunt de

16. *Non acquiescit istis solutionibus auctor.*

Digitized by Google

ipsis gradibus, discussa est suprà disput. 51. vbi contrarium vt longè probabilius defendimus; ideò inde potiùs confirmatur argumentum nostrum. Quod sic vrgeo: Iustus excedens alterum iustum etiam in vno solo indiuisibili gratiæ iustior est, Deo gratior, & ad maiorem destinatus gloriam, saltem secundùm vnum indiuisibile (suppono claritatis gratia intensionem spiritualium qualitatum componi ex solis indiuisibilibus: id quod longè iudico probabilius, licet in extensione aliter discurrerim, quia indiuisibile additum indiuisibili non facit extensionem;) ergo si maior gratia auget præmium seu meritum, etiam illud indiuisibile augebit iuxta suum excessum, hoc est in vno indiuisibili intensionis. Neque potest probabiliter responderi, illud indiuisibile moraliter nihil censeri, quia etiam ego dicerem de indiuisibili actus hoc idē; vel da rationem, cur vnum censeatur nihil, alterum non.

Obiectio Responsio.

Dices, Frequenter vnum indiuisibile nihil potest efficere. Respondeo, ad causandum efficienter physicè id libenter à me admitti, quia causæ petunt varias conditiones; at, ad moraliter dignificandum actum, nego, quia non aliter dignificat nisi informando; ergo eo ipso quòd physicè ibi sit, causat totum illum effectum, vnde, vt dixi, reddit hominem Deo gratiorem: ex eo autem capite, & ex eo quòd sit pars meriti, hi auctores intulêre, maiorem gratiam augere merita: totum autem id conuenit indiuisibili illi, ergo. Ideò dixi suprà vel hanc solutionem non esse bonam, vel destruere planè fundamenta aduersariorum.

17. Quod autem in Tertiâ solutione dicebatur, gratiam in obliquo non in recto esse partem meriti, nullo modo sufficit; nam etiâsi respectu actus secundùm se dicatur in obliquo, tamen respectu actus vt merentis debet in recto dici. Deinde siue dicatur in recto, siue in obliquo, illa auget; cur ergo, quęso, vnum indiuisibile illius non augebit, cùm reddat complexum totum vno indiuisibili melius, gratius, &c. Adde hoc de recto & obliquo solùm esse verum in ordine ad nostrum modum explicandi; nam in ipso obiecto non est rectum & obliquum, sed partes meriti. Constet ergo non posse consequenter negari illud augmentum Arithmeticum.

Augmentum Arithmeticè negare non possunt: quod esse absurdè probatur.

Potrò illud esse absurdum, & quidem graue, probo efficaciter: inde enim sequitur manifestè, si D. Petrus & Paulus v. g. post multorum annorum merita ingentia, labores, persecutiones, prædicationes, &c. post acceptam gratis siue ex opere operato gratiam per Sacramenta, ita vt haberent gradus illius ad milliones millionum, duobusque instantibus ante mortem essent omnino æquales; si in hoc, inquam, casu vnus præ altero effecisset in vltimo instanti vitę actum vnum bonum, infimum tamen, qui excogitari potest, & habentem tantùm vnum indiuisibile intensionis, sequitur per remississimum hunc actum ita auctum merita, vt duplo plus haberet quàm alter & tantumdem acquireret eo indiuisibili actu quàm tota vita infinitis propè laboribus & Sacramentorum vsu promeritus fuerat, & quantum Dei fauore singulari acceperat: hoc autem quis non videat incredibile planè esse? ergo non potest concedi iuxta magnitudinem gratiæ dignificari opera ad maius meritum; ergo cùm hoc sequatur, si concedamus semel meritum crescere ex maiori gratiâ (vt probauimus manifestè anteà) debet absolutè tale augmentum omnino negari.

SECTIO V.

Breuiter expediuntur aliquot quæstiuncula.

18. PRima est, de quâ fusè Pater Suarius cap. 23. & 24. vtrùm ex parte Christi nostra merita augeantur; sed de hoc iam diximus suprà. Secunda, an augeantur ex parte Dei per eius promissionem: de hoc etiam actum est suprà explicando necessitatem eius diuinæ promissionis, non vt det valorem, sed vt acceptentur. Tertia, vtrùm possit aliquis de condigno mereri primam gratiam; id est, an actus contritionis sit condignum meritum gratiæ: de quo fusè disputat. Verùm cùm ipse iam fusissimè suprà contra Vasquez ostenderit, contritionem neque esse sanctitatem formalem, nec condignam satisfactionem pro peccato mortali, profectò tota ea quæstio iam erat decisa, vt & nos etiam eam decidimus alibi. Si autem multorum Patrum testimonia, ad probandum, remissionem peccati non esse ex merito nostro condigno, videre cupis, lege caput 24. ipsius, vbi de eâ re agit. Nos suprà ex Tridentino etiam idem probauimus; nam definit, neque fidem, neque opera, quæ iustificationem præceduut, mereri gratiam iustificationis: vbi notauimus, necessariò ibi esse sermonem de remissione peccati, non verò de initio iustificationis; cùm supponat iam ibi Concilium præcessisse fidem. Vbi rursus noto, Patrem Vasquez vix posse ei loco Concilij respondere: vel enim dicit, ibi esse sermonem de iustificatione ipsâ; & tunc sequitur contra ipsum, actum contritionis & charitatis, &c. non esse condignum pro mortali: vel loquitur Concilium de initio iustificationis, incipiendo à primo auxilio gratiæ; & tunc sequitur à Concilio admitti ante iustificationem, id est, ante primum gratiæ auxilium, aliqua opera bona, quę tamen non mereantur illud auxilium primum: id quod etiam est cōtra eumdem Vasq. vt & notaui suprà disputans, vtrùm fieri possit viribus naturę aliquod bonum opus morale.

Prima quæstiuncula.

Tertia.

Probatum ex Tridentino opera, quæ iustificationē præceduut nō mererī gratiā iustificationis. Huic loco difficulter respondet Vasq.

Quarta quæstiuncula, de quâ Suarez cap. 25. per totum, an iustificatus mereatur augmentum gratiæ & gloriæ; & quomodo illud fiat. Verùm tota hæc quæstio iam est suprà tractata, dum de merito bonorum operum egimus: diximus enim omnia omnino opera supernaturalia iusti habere tale meritum, etiamsi remississima sint; naturalibus verò è contrario illud negauimus; ergo eâ de re nihil amplius. Insinuaui breuiter has quæstiones, ne quis in eas incidens putet esse à prioribus diuersas.

Quarta quæstiuncula.

***

DISPV

Disputatio LVI.

De his quæ possunt cadere sub meritum condignum : vbi de primâ gratiâ, perseverantiâ & primâ gloriâ.

Explicvimvs conditiones & principia meriti condigni, iam de his quæ sub illud cadere possunt agendum erit. 1.

Sectio I.

Quid de primâ gratiâ.

Quid nomine gratiæ hîc intelligatur. Status quæstionis.

Nomine primæ gratiæ pro præsenti quæstione intelligo tam gratiam primò dignificantem subiectum, quàm concurrentem efficienter ad primum meritum ; & de eâ quærimus, an possit cadere sub meritum condignum. Quæ difficultas potest tam in ordine ad potentiam ordinariam quàm ad absolutam discuti. Quia verò ex his quæ de absolutâ dicemus, à fortiori constabit quid naturaliter fieri possit; & quia naturaliter ferè omnes auctores negant id fieri posse; ideò solùm quęstionem tractabo de potentiâ absolutâ sub his terminis, vtrùm principium meriti cadere possit sub meritum : quo sensu etiam extenditur ad meritum congruum, vtrùm possit cadere sub meritum congruum id quod est eiusdem meriti principium. Denique, quia in Philosophiâ & alibi sæpè ostendi etiam diuinitus repugnare causalitatem mutuam à priori. Vnde euidenter colligitur, principium seu causam meriti non posse esse effectum eiusdé meriti, seu non posse sub illud cadere, cùm præmium, seu quod cadit sub meritum, sit effectus eiusdé meriti; ideò in præsẽti solùm reiiciam quorumdam euasiones quibus specialiter in merito conantur ostendere, vel eam mutuam priotitatem non esse impossibilem, vel certè sine ea posse concedi principium meriti cadere sub meritum.

An diuinitus possit quis de condigno mereri primam gratiam ;

vel saltem de congruo.

Svbsectio I.

Proponitur quorumdam sententia; & reiicitur primus illius sensus.

Opinio Coninck.

Nonnulli ergo, inter quos est P. Coninck disp. 8. nu. 109. pro se referens P. Suar. 3. par. Tom. 2. disp. 10. sect. 4. docent, fieri optimè posse, vt Deus infundat alicui gratiam habitualem, & eam per opera subsequentia mereatur homo de condigno, quia in hoc modo dandi gratiam nulla est contradictio, & aliunde tale opus habet de se sufficientem condignitatem cum eâ donatione, ergo. Confirmant, seu potiùs declarant id; quia homini non existenti in gratia potest Deus promittere se daturum gratiam cum onere, vt posteà faciat bona opera, per quæ mereatur eam donationem : neque obest, quòd ille tunc non sit in gratiâ; nam merces non necessariò debet dari digno, alioquin numquam per opera facta posteriùs tempore posset obtineri præmium, quia eo tẽpore antecedenti adhuc homo non est dignus. Consequens autem apertè est falsum, vt patet in Christo, qui per merita tempore posteriora promeritus est antiquis Patribus. Pro cuius maiori declaratione notat Coninck n. 113 benè operantem intendere præmium tamquam finẽ & opera, vt medium ad illud ; remunerantem verò priùs velle opus, & propter illud remunerationem. Rex v. g. priùs vult pugnam glorioſam militis, & postea remunerationem ; licet miles è contrario magis intendat remunerationem quàm pugnam. Numero verò 112. docet, etiam opera bona futura sub conditione posse mouere Deum vt det gratiam. *Notatio.*

Si verò obiicias hinc sequi, posse hominem per opera bona promereri quod creetur ; negat Primò consequentiam, quia cum homine ante creationem non potest inire Deus pactum, sicut potest cum eodem antequam habeat gratiam : Secundò concedit consequentiam, quia in consequenti nullum apparet absurdum : fusè autem ibi respondet obiectionibus, quæ in contrarium fieri possunt. *Obiectio. Responsio.*

Ego in hac quæstione censeo duas difficultates in vnam confundi, & multũ etiam de nomine misceri, ac proinde rem totam diligentiùs examinandam ; quia spectat etiam ad materiam de Incarnatione, & ad multas alias.

Obseruo autem Patrem Suarez eo citato loco in alio omnino sensu loqui quàm loquatur P. Coninck, etiamsi sæpè videatur eius terminis & comparationibus vti : etenim Pater Suarez pro eâ doctrinâ vtitur suâ frequenti distinctione duplicis ordinis, intentionis & executionis ; aitque Christum præuisum in intentione posse mereri seipsum in executione ; vbi tamen expressè ait eam præuisionem in intentione, quia essentialiter prærequisita est ad meritum, non posse nec diuinitus cadere sub meritum. Coninck autem admittit quidquid est circa gratiam posse cadere sub meritum, etiamsi hoc sit posterius ipsâ gratiâ. *Suarius citatus à Coninck aliter quàm ille loquitur. Distinctio duplicis ordinis Suarij.*

Tom. 1. Theologico disp. 33. agens contra abusum quemdam ordinis intentionis & executionis, reieci hanc doctrinam P. Suar. ostendiq; rem in ordine intentionis non posse esse causam sui ipsius in ordine executionis, nisi per modum finis : de quâ causalitate nunc non agimus : etenim accipiendo incarnationem v. g. Christi Domini, si de ipsâ in se loquamur, vnica est indiuisibiliter semel producta; ergo ex parte illius non possunt ibi distingui duo; vnum, quod sit meritum, & alterum, quod sit præmium : neque item in eâ re excogitari possunt duæ eius existentiæ; vna, quæ sit sufficiens ad meritum, altera, quæ detur per modum præmij, quia ibi non nisi vnicus est modus existendi à parte rei. Intentio autem & executio non sunt nisi actus diuersi tenentes se ex parte Dei, quorum vnus non est meritum alterius; alioquin non tam homo quàm Deus per vnum ordinem mereretur alterum. Deinde vel vi ordinis intentionis videtur incarnatio extra causas producta, vel non : sed vt summùm videtur Deus necessitatus ad habendum alium actum, quo efficaciter decernat producere incarnationem : si dicatur ptius, ergo per ordines intentionis Incarnatio iam habet suam executionem; & consequenter omnino repugnabit, vt ille ordo sit causa meritoria eius executionis. Si dicatur secundum, tunc incarnatio non habet adhuc statum capacem meriti ; non enim sufficit, Deum velle habere *Tom. 1. Theologico doctrina Suarij reiecta.*

3. *Intentio & executio ex parte Dei diuersi sunt actus, vnicus tamen modus existendi est à parte rei, ideóq; vna nõ potest esse præmium alterius.*

bere decretum de eius productione, sed debet videri producta, vt noscatur in statu capaci meriti: non enim nisi per realem existentiam constituitur meritum.

Vrgetur Suarius ex suis principijs.

Vrgeo ex his quæ docet P. Suarez cap. 10; requirit enim statim ad initium, vt Christus Dominus præuideatur priùs habiturus infinita merita; quia verò Deus posteà potuit non exequi incarnationem, nam eam liberè executus est, ideò ait potuisse moueri per eadem merita ad executionem. hæc ille. In quibus Primò includitur manifesta contradictio: si enim Christus Dominus iam erat præuisus à Deo habiturus infinita merita, profectò iam erat præuisus habiturus vnionem ad personam diuinam; ergo repugnat in terminis, vt Deus iam nolit exequi seu producere eam vnionem; repugnat item, quòd, supposita ea præuisione, sit liber ad illam; perinde ac si quis diceret, *Posteriùs naturâ quàm Deus me præuidit ab æterno operantem, potuit adhuc me non creare*: hoc enim esset dicere, *Postquam vidit me infallibiliter futurum, potuit efficere vt non essem futurus.* Vides ergo claram repugnantiam; sed eâ omissâ solùm dico ibi apparere manifestè, à Patre Suarez requiri ad hoc meritum futuritionem rei in tempore; vnde infertur eam futuritionem non posse cadere sub meritum.

4.

Res præuisa nõ potest esse causa suæ futuritionis.

Quod verò addit, sufficere præcessionem rei in præuisione, nõ verò requiri in seipsâ, est etiam in terminis repugnans pro præsenti puncto. Nam præuisio diuina supponit rem in seipsâ; non enim ideò res erit ex seipsa, quia est aut fuit in præuisione, sed ideò est in præuisione, quia in se erit tali tempore. Quòd autem realiter seu tempore præuiso sit prior, hoc non est ad rem; nam omnis omnino Dei cognitio, etiam ea quæ maximè dicitur posterior, debet esse ab æterno, ideóque prior eo sensu quàm res. Hìc autem solùm agim. a de posterioritate naturę, quam omnes fateri debemus esse in obiecto libero absolutè futuro, respectu præscientiæ Dei de illo vt tali, iuxta ea quæ fusè dixi 1. Tomo vt probarem scientiam Dei non auferre rebus libertatem: id quod & Suarez concedit: ergo non potest res præuisa vt futura esse causa suæ productionis, seu voluntatis diuinæ de eiusdem productione; quia hæc volitio iam supponitur habita; nisi quis dicat, interuenire duas actiones seu voluntates totales producendi: hoc autem non esset ad rem, quia iam non secundùm primam, sed ratione secundæ esset causa sui: de quo in præsenti nõ est quæstio; agimus enim solùm de prima productione. Addo, argumentum hoc eodem modo habere vim etiam admissa sententia Thomistarum, quòd præuisio Dei sit causa rerum: nam etiam illi concedunt, volitionem efficacem Dei esse priorem ea præscientia; vnde non possunt dicere Deum vi præscientiæ posse moueri ad habendam eam volitionem.

Hic tãtùm de posterioritate naturæ agitur.

Hoc potest recurri ad præscientiam conditionatã.

Nec denique potest recurri ad præscientiam conditionatam, quæ prior est volitione absoluta; etenim bona opera & mala, vt solùm præuisa conditionaliter, non habent rationem meriti aut demeriti, vt possimus dicere, Deum in ea præuisione moueri tamquam ex re futura: an autem sufficiat vt per modum finis possint ea opera apperi, dicam statim.

Principium meriti nec diuinitus sub meritum cadere potest.

Concludo ergo, nec de potentia absoluta posse per modum veri & proprij meriti cadere gratia seu aliud principium meriti sub meritũ sui ipsius siue illud principium sit partialis causa meriti, siue totalis; si tamen hìc & nunc est principium, quia etiam causa partialis, si tamen est necessaria ad effectum, debet à Deo priùs naturâ videri futura quàm effectus.

SVBSECTIO II.

Discutitur alter sensus eius sententiæ.

5.

Aliter quæstionis statum.

ALter sensus facilior est, & non recurrit ad vllam prioritatem mutuam, aut ad ordines executionis & intentionis eo modo explicatos; solùm enim requirit, vt Deus det alicui gratiam cum onere soluendi postea pro illa per bona opera ex eâ gratiâ facta.

De quâ explicatione hoc in primis dico, per eam reduci totam quęstionẽ ad voces, vtrùm scil. tunc temporis dicenda sint ea opera mereri priorem illam donationem gratię. De re enim certum est, posse ea opera habere condignitatem cum donatione, & ex hoc capite, si aliud non obsit, posse esse meritoria.

Ibi vera ratio meriti nõ inuenitur.

Dico tamen Secundò, nisi planè abutamur vocibus, ibi nullam veram rationem meriti interuenire, sed esse donationem gratiæ, oneroſam tamen, id est, cum obligatione aliquid posteà faciendi; & denique bona opera tunc non se habere per modũ meriti respectu donationis, sed potiùs per modum finis intenti, donationẽ verò per modũ medij. Et verò ipsemet P. Coninck disp. 6. agens contra Thomistas docet manifestam inuoluere implicantiam, duas res esse sibi inuicem causas etiam in diuerso genere, ideò negat actum contritionis posse procedere ab habitu charitatis, ad quem est meritum de congruo. Quam doctrinam verissimam censeo: & per eam reiicitur altera præsens eiusdem Coninck, de quâ agimus, quæ minimùm in modo loquendi contraria est, dum principium meriti dicit posse cadere sub meritum operis sequentis; nam quoad hoc eadem difficultas est de opere posteriori solùm naturâ, quæ de opere posteriori tempore, & è contrario. Quidquid verò de doctrinæ illius consequentiâ sit.

Coninck fatur implicare, duas res posse se inuicem causare.

Aduertendũ pro nostrâ cõclusione, opera præuisa absolutè futura vel facta, mouere remunerantem ad præmium dandum non possibilia.

Pro conclusionis nostrę probatione aduertendum est, remuneratorem, propriè loquendo, moueri ad dandum, præmiũ, cò quòd ira exigit strenuitas, laudabilitas operãtis, qui per opus se reddidit dignum tali præmio: ideò meritum quodã modò inducit obligationem ex parte remunerantis, dátque ius ipsi merenti. At hæc omnia necessariò ex suo conceptu supponunt priùs naturâ factum opus, & illud absolutè futurum: nã opera solùm vt possibilia nullum omnino dant ius, nec constituunt hominem laudabilem, absolutè strenuum; sicut è contrario per peccata purè possibilia non redditur absolutè homo vituperabilis, dignus pœna; ergo ea opera sic præuisa impertinentia sunt ad mouendum propriè ad præmium.

vel conditionata.

Idémque de præuisione conditionatâ dicendum; nam in statu conditionato homo præuidetur benè & malè operari: absolutè tamen id non potest ipsi vel vitio vel laudi verti, alioquin simul & semel deberemus dicere, illum mereri gloriam & infernum. Vnde infero, ex acceptione communi eius vocis *meritum* solùm significari opus absolutè re ipsâ existens, siue absolutè futurum: hæc enim duo, vt magis infrà declarabo, idem sunt ad punctum præsens.

Vnde infero repugnare etiam diuinitus principium meriti cadere sub meritum: semper loquor

6.

de

Principium meriti non posse cadere sub merito probatur.

de prima actione productiua meriti. Ratio est manifesta, quia meritum vt moueat necessariò, debet videri existens; si autem videtur existens, ergo etiam necessariò videtur existens causa illius, quia sine causâ existente non potest videri effectus existens; vt per se constat; ergo intuitu eius meriti non potest Deus moueri ad dandam causam illius meriti.

Obiectio. Prima. Responsio

Dices Primò, intuitu operis futuri eras moueatur ad dandam hodie iam gratiam. Sed contrà, quia, vel vt eras existat gratia & opus meritorium, requiritur hodie esse gratiam, vel non: si requiritur, ergo antequam Deus videat opus futurum eras, debet videre gratiam hodie existentem; & consequenter non poterit ob præuisionem operis moueri ad dandam gratiam, nec quidem hodie, quia iam supponitur volita, imò præuisa pro hodiernâ die. Si verò ea existentia hodierna gratiæ se habeat per accidens ad crastinum meritum, tunc concedo libenter id posse fieri: at tùc propriè loquendo, & quoad præuisiones Dei, prima gratia huic collata non erit hodierna, sed crastina; & tùc materialiter valdè dicetur mereri primam gratiam; id est, solùm merebitur primam tempore, non primam naturâ, neque primam in præuisione, ac denique neque eam quæ est principium meriti: de quâ solâ agimus.

7. Obiectio Secunda. Reycitur Primò.

Dices Secundò: Potest Deus videre opus vt dignificatum gratiâ aliquâ abstrahendo ab hac vel illâ, & sic determinari ad dãdam hanc potiùs quàm illam. Sed contrà euidenter Primò, quia si iam videt illum hominem habentem gratiam hanc vel illam; pono eas solo numero distingui; non est vllum præmium, quod det illi hanc potiùs quàm illam, vt fusè ostendi 3. Tomo agens de libertate: sicut nullâ gratiam exercet eleemosynarius, eò quòd eligat hunc præ altero nummo, si sint æquales; & cogitur à domino dare hunc aut illum: quòd si differentia sit specifica inter gratias, v. g. vnionis, & habitualem, non potest videre Deus opus illud vt dignum gratiâ vnionis, nisi etiam videat dignificatum eâ gratiâ vnionis; ergo eam gratiam dare non poterit non intuitu meriti iam enim præuidet datam: quòd si det gratiam habitualem, tunc etiam præmiat, quia dat minimum quod potest; & iam supponebatur determinatus ad dandum aliquid: si enim, vt diximus, eligens inter æqualia non præmiat, multò minùs præmiabit, qui eligit minimum ex his ad quæ tenetur.

Secundò.

Secundò eadem solutio reijcitur, quia non potest à Deo præuideri effectus aliquis existens, nisi præuideatur simul actio determinata, per quam existat: visio enim intuitiua Dei non potest tunc præscindere. Confirmo & explico: Quousque Deus determinet, quam causam velit applicare, summam potest hanc cognitionem habere, Ego habebo volitionem efficacem determinatam causæ; & consequenter poterit implicitè inferre, Ergo effectus existet. At ea cognitio non est immediatè effectus in se, neque est propriè intuitiua, sed abstractiua: vt autem moueatur opere aliquo bono tamquam merito, debet necessariò videre illud in se existens, & ex cõplacentia in illo sic existenti allici ad concedendum præmium; ergo, donec videat causam determinatam meriti, non potest Deus moueri ad præmiandum: atqui si iam videt causam, repugnat vt vi eius meriti decernat primò tunc eam causam producere; ergo non potest principium meriti cadere quâ tale sub meritum, etiam diuinitus; si propriè meritum accipiatur vt debet. Quod addo, quia non nego posse principium meriti dari animo vt fiat meritum; eo tamen casu meritum non mouet quia est, sed vt sit: quæ motio non est causæ meritoriæ; hæc enim mouet quia existit; sed est motio causæ finalis, quæ mouet vt sit: & hoc solum probant omnia quæ Suarez & Coninck afferunt, & exemplum Regis dantis equum militi vt pugnet: nemo enim dicet tunc eum hominem præmiari, sed excitari per donationem eam ad ponendum meritum: & licet Rex fecerit cum ipso pactum de acceprando pugnæ labore in meritum eius donationis, non ideò ea donatio efficitur præmiũ, quia ea donatio fuit valida; esto posteà alter vel morte præuentus, vel ob negligentiam nihil boni in bello patret; ergo ea pro eo tempore non habuit veram rationem præmij: patet, qr ia repugnat concipi verum præmium & veram remunerationem, nullo planè existente merito; & licet in Deo ratione præuisionis per scientiam mediam non possit sequi ea deceptio; nihilominùs id totum est per accidens ad punctũ præsens, quia æquè valida fuisset ea donatio prima, esto per impossibile eâ scientiâ mediâ deciperetur, aut etiam per impossibile Deus posteà mutaret voluntatem, nolletque eum hominem ponere in eâ occasione sub quâ præuisus est benè operaturus: quæ omnia posteriora sunt ad volitionem dandi eam gratiam. Deinde illud pactum non efficit rationem meriti in opere sequenti, sed solùm rationem solutionis; quia, vt dixi, meritum mouet quâ existens, non vt existat præcisè.

8. *Exemplum, quod Suarez & Coninck afferunt de rege militi equum dante, solùm probat illum excitari per illud donum, non verò præmiari.*

Repugnat concipi præmium nullo existente merito.

Obiectio

Dices: Si mercator dicat Petro, Do tibi merces, posteà solues mihi, non extrahitur ille contractus à ratione veræ venditionis & emptionis; ergo neque in casu superiùs posito extrahetur: si autem est vera emptio gloriæ, erit verum meritum illius, quia meritum habet se per modum emptionis. Respondeo Primò, Si mercator non sciat, vtrùm alter sit absolutè habiturus volitionem dandi pecuniam, non esse proprie venditionem & emptionem: sed per eam dationem induci Petrum ad dandam pecuniã; vnde vel de præsenti ea erit donatio gratuita, vel certè Petrus non faciet suas eas merces, quousque posteà det pecuniam: vnde ea retentio mercium vsque ad datam pecuniam non erit effectus pecuniæ, esto posteà fiet detur, sed quid ab eâ independens: licet enim tempore præscripto non det pecuniam, adhuc tamẽ anteà validè retinuit. Id quod clarius apparet in casu nostro; nam in gratiâ habituali respectu hominis non est alia possessio ex iustitiâ, quàm habere illam physicè sibi vnitam; vnde fit vt ea physica & antecedens vnio non possit vllo modo eo casu habere rationem effectus operis nondum præuisi, sed solùm à Deo optati aut petiti ab homine; ergo quoad illud primum tempus, de quo solùm agimus, non intercedit etiam in humanis vera emptio. Secundò respondeo, Quidquid sit de emptione, sequelam ad nostrum casum nego; quia meritum non comparatur in omnibus emptioni ac venditioni, sed præcisè in hoc; quòd sicut pecunia est æqualis mercibus, ita meritum præmio. Deinde, quod sicut mercator amittit merces, & lucratur pecuniam, vẽdens verò è contrario offert pecuniam, & lucratur merces; ita præmians amittit quodammodò præmium, illius verò loco lucratur meritum, & è contrario merens lucratur præmium, quia ex se concessit meritum. In his ea duo conueniunt; in eo autem quod meritum mouet vt præuisum existens,

Responsio. Prima.

Secunda.

iuxta

Digitized by Google

iuxta dicta suprà, comparatur emptioni, quæ vulgariter talis dicitur, esto mercator eam dationem pecuniæ solùm habeat vt causam finalem intentam, neque expectet pro absolutâ volitione dandi eas merces alterius volitionem de dandâ pecuniâ, sed ad eam obliget.

9. *Obiectio. vltima. Responsio.*

Obijcies vltimò: Christus Dominus meruit antiquis Patribus, & tamen fuit posterior illis. Respondeo facilè, Christum fuisse solùm tempore posteriorem, non naturâ: nullum autem est absurdum in eo, quòd qui est tempore posterior, si natura sit prior, promereatur pro præcedenti, quia non sequitur mutua causalitas. Pro quo aduerte, meritum, etiam si vt existens moueat, non mouere physicè causando præmium, sed delectationem causando in præmiante, & inde illum alliciendo intentionaliter ad volendum dare præmium. Hinc apparet respectu Dei, qui motus est meritis Christi ad præmiandum Patres antiquos, nullam penitus esse maiorem difficultatem respectu eius præmij quàm respectu illius quod datur nobis; qui sumus etiam tempore posteriores Christo. Id quod paucissimi benè consideratunt; est tamen ipsamet veritas, & quidem clarissima. Etenim respectu scientiæ & volitionis diuinæ omnia obiecta in tempore futura sunt præsentia ab æternitate. Hoc supposito, si priùs naturâ videat Deus id quod futurum est cras, antequam quidquam videat de his quæ hodie futura sunt, in quo nulla est difficultas; nam & ego possum priùs deliberare quæ sum facturus perendie quàm quæ cras; & Deus mihi potest priùs reuelare quæ contingent perendie, quàm quæ contingent cras: si ergo Deus videt priùs naturâ Christum die Veneris benè operantem, profectò iam ab æterno sufficientissimè mouetur, & quidem æqualiter, vt possit dicere, In gratiam talis meriti volo dare die Iouis Petro gratiam, ac vt possit dicere, Volo eidem Petro die Sabbati dare gratiam. Vides quàm clarè ea omnia intelligantur. At quod possit dicere Deus, Volo hanc gratiam ipsi Christo, vt illud bonum opus efficiat, omnino repugnat, cùm iam supponat, præuisum opus illud futurum ex gratia. Quod dico de Christo, dico de meipso & de quocumque homine: si enim Deus priùs naturâ vidit quid ego essem facturus anno duodecimo, quàm quæ essem facturus decimo, quod optimè fieri potest, dummodò ea opera anni duodecimi non sint dependentia in suo esse ab operibus anni decimi, vt passim contingit; non enim hæc mea scriptio hodierna huius quæstionis pendet ab eo, quòd heri fecerim Sacrum, aut allocutus sim Petrum: si ergo priùs naturâ Deus videat opus hodiernum quàm hesternum, sine dubio potest ea complacentia in eo opere futuro (& quidem pro Deo eodem modo existenti, ac si extitisset à millenis annis & ab æternitate ipsâ) tam facilè moueri, vt dicat, Volo dare Roderico anno decimo gratiam vt studeat, quàm dicere, Volo dare eidem pro anno decimoquarto. Pono, vt dixi, illud bonum opus esse independens ab studio & ab eâ gratiâ, quæ datur ob illud opus.

Meritum non mouent physicè.

Respectu Dei obiecta in tempore futura sunt ei præsentia ab æternitate.

Deum que ad dandam gratiam in tempore mouetur.

Quod de Christo dictum est de quocumque homine dici potest.

10. *Obijcit Coninck.*

Dices cum Patre Coninck, Esto ergo anno duodecimo sim futurus dignus eo præmio, anno tamen decimo, quando datur, sum indignus; ergo præmium illud datur indigno. Respondeo, respectu Dei me esse dignum, quia ipse præuidit iam me benè operantem: & illa datio non habet rationem præmij respectu mei in instanti quo rem accipio, sed quo Deum moui, perinde ac si anno vno vel altero post elapsum opus daretur præmium; dicor enim tunc dignus non ab opere quod faciam eo momento, sed quod feci: ostendi autem; causalitatem meriti, quia in præuisione consistit, optimè posse esse etiam quando non existit physicè, dummodò præuisum sit iam futurum, aut fuisse: in quo differt à causalitate physicâ, quæ non solùm non potest esse à re futurâ nondum existente, sed nec potest esse à re quæ iam præterierit; cùm tamen certum sit, meritum præcedens, & iam non existens physicè, posse causare hodie, quia existere potest in mente præmiantis; quod etiam posse fieri respectu, meriti tempore posterioris sufficienter probatum est. Vnde concludo contrà Patrem Coninck, me non negare, opus posterius posse esse meritum gratiæ prioris, eò quòd sit tempore posterius, fateor enim libenter id non repugnare; sed ob prioritatem naturæ, quam necessariò debet habere gratia respectu meriti, & è contrario quam habet meritum respectu præmij; vnde repugnat, præmium esse principium aut constitutiuum meriti, licet possit, iuxta dicta, bonum opus incendi, dum datur principium illius seu gratia. Id quod ad causalitatem finalem, non verò ad meritoriam pertinet, vt ostensum est. Quod denique dicebatur, posse opera futura sub conditione vt talia, etiam antequam præuideantur absolutè futura, esse meritoria, planè est contra sensum omnium Doctorum, maximè Augustini; qui contra Semipelagianos fusè probauit, non fuisse parnulos aliquos ad gratiam Baptismi vocatos ob merita quæ præuidebantur habituri, si viuerent: ea enim opera nullo modo admisit esse posse meritoria; de quo nos egimus fusè prima parte; vbi concessimus quidem eam præuisionem requiri, vt Deus sine præiudicio libertatis possit eligere aliquem efficaciter ad gloriam ante præuisa absolutè merita, non tamen vt ex meritis vllo modo; quia, vt ibidem ostendi, etiam in eo, quem non elegit, vidit alia multa, fortè plura bona opera eodem modo futura; sicut è contrario vidit in vtroque multa peccata eo modo futura; nemo tamen audebit dicere ea sic præuisa esse posse verum meritū inferni: vnde formatur ratio à priori, quia meritū debet constituere hominem specialiter dignum laude, non autem ita dignum, vt eodē planè modo sit indignus eâ laude, & dignus vituperio; tūc enim, sicut non potest magis dici peccator quàm benè operans, ita nec potest magis concipi placens Deo quàm eidē displicens; ergo neque erit, propriè loquendo, merens aut demerens. Atqui in statu conditionato sicut videntur bona opera, ita eodem planè modo mala, & (si diuinare licet) multò plura mala; ergo in eo statu æquè est homo odibilis ac amabilis, imò fortè magis odibilis: ergo secundùm eum statum repugnat eum esse propriè absolutè merentem aut demerentem. Quæ ratio meo iudicio demonstrat intentum.

Quomodo differat causalitas meriti à causalitate physicâ.

Concluditur contra Coninck.

Opera sub conditione futura non sunt meritoria.

11. *Argumentū contra Coninck.*

Secundò argumentor ex instantiâ suprà ab ipso Coninck contra se factâ, & non benè solutâ indeque desumpta, quòd nullus possit per opera conditionata mereri suā creationem; ergo neque primam gratiam, quia tam hæc quàm illa supponuntur ad meritum. Respondet Primò negando consequentiam, quòd cum homine ante creationem non possit Deus inire pactum. Hæc solutio nulla planè est; ad meritum enim non requiritur vllo modo tale pactum: si enim Deus nihil penitus dicens homini, cum videat benè & strenuè operantem supernaturaliter, poterit in omni

Respondet Primò.

Reijcitur

omnino

Digitized by Google

omnino rigore mouerit ad dandum ei præmium ob ea bona opera: ergo si status conditionalis vt talis capax est meriti, profectò quòd non possit pactum iniri cum homine antequam creetur, nõ impedit quò minùs possit homo suam creationẽ mereri. Respondet Secundò concessâ sequela, negando tamen in ea vllum esse absurdum. Sed neque hæc solutio potest defendi, quia fine dubio repugnat ex terminis, aliquem absolutè esse meretem antequam absolutè concipiatur existens. Respondebis, nõ mereri tunc, sed posteà quando existet, & habebit ea bona opera; licet tunc mereatur rem præcedentem. Sed contrà, quia ibi habet maiorẽ vim obiectio, quam feci suprà. Quomodo enim potest dici mereri id quod necessariò debet esse, antequam se determinet ad merendũ? Declaro id magis: Meritum requirit ex conceptu suo libertatem, vt possit opus illud non haberi; ergo etiam suppositâ iam existentia ille est liber, potestque omittere illud opus. Quomodo ergo possumus concipere, quòd ab illo opere sit dependens ea ipsa existentia, quam dicimus posse manere, esto homo nollet tale opus habere? certum est autem, præmium in suo esse verè & propriè pendere à merito; ergo duo hæc non possunt vllo modo rectè combinari. Et satis de hoc puncto.

Respondet Secundò. Refutatur.

SECTIO II.

De merito perseuerantiæ in gratia ad finem vitæ. Proponitur status quæstionis, & deciditur quoad potentiam ordinariam seu naturalem.

12. *Notãdus Primò duplex sensus quæstionis.*

QVæstio hæc fusè valdè à nonnullis discutitur; est autem, meo iudicio, satis facilis; ne tamen in eâ laboremus in æquiuoco, oportet Primò duos eos sensus distinguere: vnus est, an de facto possit cadere sub meritum: secundus, an saltem de potentiâ absolutâ. De secundo sensu pauci agunt; & meo iudicio in eo solo est aliqua difficultas: primum, quia faciliorem, priùs expediemus.

Notandum Secundò duplex in gratiâ perseuerantia.

Secundò oportet aduertere, perseuerantiam gratiæ dupliciter posse accipi: Primò, quòd ea duret perpetuò, si per peccatum mortale nõ expellatur. In quo sensu nulla est difficultas, quia omne meritum condignum eam durationem exigit; etenim ex se gratia semel acquisita perpetuo durat, nisi per mortale expellatur; ergo mereri eam conditionalem perseuerantiam nihil est aliud formalissimè, quàm mereri gratiã ipsam: aduerto tamen id intelligendum de solo gratiæ augmento, seu de solâ perseuerantiâ gratiæ auctæ; nam sola hæc cadit sub nostrum meritum cõdignum: prima verò gratia vel nullo modo cadit; vt in his, qui in infantiâ baptizantur, aut per solam attritionem cum Sacramento iustificantur, si eam attritionem à merito cõgruo reiiciamus: vel solùm cadit sub meritum congruum per contritionem; ergo etiam perseuerantia conditionalis illius non cadet sub meritum condignum.

Expeditum dubium Caietani & Suarij breuiter.

Hinc breuiter expeditum est dubium, quod cũ Caietano mouet Suarez cap.26. à n.34. de merito eius perseuerantiæ; nam quoad hoc meritum conditionatum non est (vt dixi) difficultas; primam enim gratiam & eius conseruationem non meremur de condigno; secundam verò meremur; nisi fortè, quia prima gratia est initium meriti respectu secundæ, dicatur secunda absolutè non cadere sub meritum; quod ad quæstionem reducetur de voce.

Aliter ergo potest accipi meritum eius perseuerantiæ physicæ, vt absolutè homo promereatur etiam ipsam conditionem pro eâ perpetuâ conseruatione necessariam; hoc est, ne ponatur peccatum: hic autem sensus iam relabitur in præcipuam quæstionem de merito perseuerãtiæ, quam nunc explicatori sumus.

13. *Notãda Tertiò alia acceptio doni perseuerãtia.*

Tertiò obserua, hoc donum perseuerantiæ posse ita accipi, vt planè nulla queat esse difficultas, si scil. per illud intelligas non solùm mortem in gratiâ, sed etiam ea quæ moraliter illam mortem causauêre. Explico: Deus intuitu meriti decreuit vt homo in gratia moriatur: dicis. Illud decretum Dei, & ipsum meritum illius, imò & auxilium præcedens meritum, omnia, inquam, hæc ad donum perseuerãtiæ pertinere; quia per scientiam mediam præuidit Deus connexionem omnium eorum cum morte in gratia. Si in hac ergo latissimâ significatione vox illa *perseuerantia finalis* accipiatur, nemo vel dubitare quidem poterit, eam perseuerantiam nec naturaliter, nec etiã diuinitus posse cadere sub meritũ non solùm condignum, sed nec congruum. Ratio est euidens, quia primum auxilium, cùm sit ante omne meritum, vtpote principium illius, non cadit, nec potest cadere sub meritum etiã diuinitus; quia nullus etiam diuinitus fieri potest actus bonus, qui præcedat omne auxilium: ipsum etiam meritum vlterioris auxilij non cadit sub meritum: ergo in hoc sensu nulla est difficultas explicatis terminis, seu data ea acceptione vocis *donum perseuerantiæ*.

In hac significatione nec naturaliter, nec diuinitus potest cadere sub meritum de congruo aut condigno.

Est ergo sensus alter, vtrùm homo iam existẽs in gratia, & supposito auxilio dato ad benè operandum, possit mereri de condigno per actum illum bonum, vt Deus eum statim accipiat, antequam de nouo peccet, vel certè possit mereri, vt Deus illi semper det in posterum auxilia non solùm sufficientia, sed etiam congrua ad vitanda mortalia, quamdiu vixerit; siue omnia auxilia ea mereatur per primum actum siue per hunc mereatur auxilium congruum ad secundum, & per secundum ad tertium, & sic vsque ad mortem, ita tamen, vt tota illa series auxiliorũ sit ex efficacibus. Hic est naturalis & genuinus sensus difficultatis de re, siue dicendus sit homo tũc mereri totã perseuerantiã, siue id negetur, eò quòd nõ meruerit primum auxilium. Dixi, *homine iam existente in gratiâ*; nam si mors in gratia contingat antè omne meritum post iustificationem, procul dubio non potuit perseuerantia tunc cadere sub meritum; quia actus, quo ille homo primò iustificatus fuit antequam moreretur, cùm nõ prodierit ab homine iusto, nõ potuit esse meritorius de condigno ipsius gratiæ, multò minùs perseuerantiæ illius, qui enim, antequam acquirat donum aliquod, non meretur illud sibi dari, à fortiori nõ meretur tunc, vt illud posteà perpetuò duret; post acceptam verò gratiam non habuit (vt supponimus) nouum meritum, quo perseuerantiam mereri posset; ergo de illo nulla potest esse difficultas. his positis,

An habito auxilio pro primo actu possit homo de condigno per illum actum mereri vt moriatur antequam peccet, vel vt Deus det auxilia congrua ne peccet mortaliter.

Si includatur auxilium ad primum actũ in perseuerantiã, non potest illam homo mereri.

14. *Ista perseuerantia nõ potest cadere sub meritum de condigno.*

Communis & vera sententia quam D. Thom. tradidit q.114. art.9. & cum eo Thomistæ omnes ac Scotistæ cæteri; recentiores Theologi, negat de facto eam perseuerantiam cadere sub meritum condignum: imò aliqui putant eam esse de fide, eò quòd in Scriptura & Conciliis dicatur, hominem

Digitized by Google

nem iustum posse cadere; item, incertum esse donum perseverantiæ; item, iustos in hac vitâ non esse impeccabiles; item, donum hoc esse à Deo: verùm hæc omnia (vt rectè notauit Suarez) leuissima sunt pro eâ censurâ; nam iustus posset cadere etiamsi per aliquod bonum opus mereretur de condigno perseuerantiam: nam saltem antequam haberet illud opus seu illud meritum posset cadere. Secundò, quòd perseuerantia sit incerta minùs vrget; nam etiam est incertum, an de facto quis mereatur augmentum gratiæ; quia incertum est, an sit in gratiâ, & an habeat actus supernaturales ad meritum requisitos; non tamen propterea sequitur, non posse nos mereri de condigno tale augmentum, maximè si diceretur eam perseuerantiam non dandam ob quoscumque actus bonos, sed ob aliquos singulares: non enim scimus, an eos haberemus, & consequenter nec, an obtinuissemus perseuerantiam. Impeccabilitas verò multò minùs sequitur ex eo merito; nam multi de facto perseuerant, & tamen sunt peccabiles: ergo licet mererentur perseuerare, non redderentur impeccabiles, sed non peccaturi: quod longè est aliud. Denique non sequitur, non esse à Deo illud donum, cùm ipse concesserit & gratiam ad illud, & illud concedat intuitu meriti.

Quæ ab aliquibus pro hac probandâ afferuntur esse leuia ostenditur Primò. Secundò.

Tertiò.

Hinc non sequitur, semel iustum non damnandum;

Hinc colliges, non sequi, semel iustum non damnandum, vt aliqui obiiciunt contra oppositâ sententiam: etenim ostendi, & ante operationem potuisse damnari: & præterea, si dicatur illud meritum in speciali aliquo actu consistere, posset iustus alios bonos actus efficere, & mereri augmentum gratiæ, & tamen damnari, quia non elicuit illum actum, cui tale meritum perseuerantiæ est alligatum.

15. *Nec donum perseuerantiæ esse ab ipso homine,*

Colliges item, nõ sequi ex oppositâ sententiâ, donũ perseuerantiæ esse ab ipso homine; etenim, etiamsi dicatur cadere sub aliquod meritum, dici etiam simul potest, independenter ab eo merito sæpè dari; quo casu à Deo solo necessariò deberet oriri: Secũdò, etiamsi aliquis illud mereatur, quia tamen Deus donat & gratiam dignificantem & auxilium ad illud meritũ, iure optimo in Deum solum vt in primum fontem reducendum est tale donum.

Propter auctoritatem communiori sententiæ adhæremus.

Iis ergo rationibus & censurâ reiectâ tenenda est sententia communis vt certa, tum propter auctoritatem cõmunem, tum propter duas rationes quas subiungo, vnam à posteriori, alteram à priori: eas tangunt etiam communiter auctores. Tertiam aliam quorumdam recentiorum, quia eò tendit, vt etiam diuinitus implicare ostendat tale meritum, commodiùs examinabo sect. seq.

Probatur ratio à posteriori.

Sit ergo Prima à posteriori ratio, quia omnibus actibus tribuere tale meritũ condignum nullo modo potest; sequeretur enim inde, omnem iustum, si semel actum bonum efficeret, eo ipso saluandum: id quod contradicit manifestæ experientiæ, prout in te aliquantulum occulta haberi potest; nam multi, qui fuêre diu in gratiâ, & gloriosè se gesserunt, postea tamen periêre; repugnat etiam id sacræ Paginæ; nam & Petrus fuit in gratiâ, & benè operatus est, & postea cecidit; similia possunt adferri ex Dauide, Salomone & aliis innumera exempla. Concilia item & Patres id videntur supponere semper. In hoc ergo sensu sine dubio esset erroneum dicere, perseuerantiam cadere sub meritum cõdignum. Quòd si propterea id concedatur aliquibus tantùm actibus, iam locum habet argumentum; nam id diceretur, aut potiùs confingeretur sine vlla planè auctoritate aut ratione; vbi enim, quæso, vel in Scriptura vel in Patribus quidquam eâ de re extat quæ ratio persuadet id concedendum huic merito potiùs quàm illi?

Versatum est in hoc sensu dicere perseuerantiam cadere sub meritum.

Secunda ratio à priori sit, quia omnia merita occupantur de facto secundùm totum suum valorem in promerendo augmento gratiæ & gloriæ (iuxta dicta suprà); ergo nõ manet in eis valor ad promerendum de condigno auxilium congruum pro perseuerantiâ: non enim potest habere actus duo præmia de condigno sibi adæquata, aut vnum adæquatum & alterum partiale. Simili argumento probaui alibi, de facto non satisfieri de condigno per actus contritionis etiã à iusto elicitos pro peccato veniali; quia licet ad id haberent æqualitatem, cùm tamen totum suum valorem impendant in augmentum gloriæ, non potest simul eis aliquid restare quo satisfaciant de condigno pro veniali.

16. *Secunda ratio à priori. Meritum de facto exhauritur in promerendâ gratiâ.*

Obiectio

Dices, Melius esset homini, si media pars gratiæ habitualis ei daretur, & loco alterius partis concederetur donum perseuerantiæ. *Responsio.* Respondeo, Pro his, qui damnandi sunt de facto, fuisset sine dubio id longè melius; ac Deus noluit disponere res eo modo quo cuilibet esset optimum; nam si id promisisset, magna data fuisset negligentiæ occasio. Pro his verò, qui perseueraturi sunt nego esse melius, quia alioquin habebunt gratis eam perseuerantiam, & simul totum augmentum gratiæ respondens bonis operibus, & consequenter quasi duplicatum præmium visionis beatæ.

Tertia ratio Actus supernaturales vi. habẽt proportionem cum auxilio congruo aut morte ipsâ.

Tertia ratio solet afferri, quòd actus supernaturales non videantur habere proportionem vel cum auxilio congruo vel cum morte ipsâ seu fine viæ, quando homo est in gratiâ. Hæc tamen ratio nihil valet; Primò, quia res, quæ habet condignitatem & valorem sufficientem pro præmio maiori, habet à fortiori pro minori, nisi alibi opus illud occupetur. Secundò, cùm ea auxilia congrua maximè ordinentur ad consecutionem vitæ æternæ, sine dubio sunt ex hoc capite valdè proportionata eiusdem gloriæ merito: hac ergo ratione omissâ, sufficiant quæ à nobis datæ sunt.

17. *Obiectio Prima.*

Pro cõtrariâ sententiâ nihil est vllius momenti quod possit obiici, & non soluatur ex dictis facillimè. Primò obiicitur: Plus est mereri augmentum gratiæ quàm perseuerantiam. Respondeo, plus esse mereri vtrumque simul: cumque ostenderimus, de facto occupari bona opera in merito condigno augmenti, ostendimus non posse esse condigna simul pro dono perseuerantiæ etiamsi seorsim possent: de quo iam nõ disputo. Secundò, Homo meretur de condigno auxilia saltem sufficientia, ergo poterit etiam congrua. Respondeo, non aliter mereri auxilia sufficientia, quàm prout ea sunt connexa cum gratiâ, quam meretur: cùm ergo congrua quà talia sint speciale beneficium; non potest ea mereri eo titulo; alius autem non manet, vt diximus, ergo. *Secunda,* Adde in rigore nec dici propriè ea auxilia sufficientia dari intuitu gratiæ (loquor de sufficientibus ad non peccandum, quatenus ad perseuerandum requiritur;) dantur ergo ea auxilia intuitu libertatis humanæ, quia sine his non consistit peccatum; vnde ex hoc capite quodammodò melius esset homini eis carere, quia tunc eo ipso non peccaret, non peccando autem non amitteret gratiam. Verùm, quidquid de eis sit, constat consequentiam ad congrua non esse bonam.

Auxilia sufficientia intuitu gratiæ in rigore non dantur, sed intuitu libertatis humanæ.

Tertiò

Digitized by Google

Obiectio Tertia.

Tertiò obiicitur: Potest iustus de congruo seu impetrando obtinere perseuerantiam, ergo etiam de condigno mereri. Respondeo de antecedenti inferiùs agendum, consequentiam autem malam esse; quia illud meritum & illa impetratio non habet certitudinem, sed ex liberalitate Dei pendet, quòd hîc & nunc acceptetur: vnde neque repugnat id condignitati meritorum, neq; specialiter id adstringitur alicui actui: propter quas rationes diximus paulò antè repugnare de facto tale meritum condignum.

18.

Soluitur dubium, an in mortale lapsus de condigno mereri possit auxilium congruũ ad pœnitentiam. Respondetur non posse.

Ex hac decisione soluitur aliud dubium, de quo Suarez cap. 27. an scilicet homo possit mereri de condigno; vt si cadat in peccatum, detur ei auxilium congruum ad pœnitentiam: decidit, inquam, quia si non interposito peccato non potest de facto mereri auxilium congruum, multò minùs poterit interponendo peccatum. Secundo, quia peccatum sequens ita mortificat omnia merita, vt tunc actu non moueant, ergo: vnde ex hoc capite multi censent, nec diuinitus posse id cadere sub meritum condignum. Sed de hoc me vide sectione 4. vbi id ex proposito discutio.

Obiectio.

Obiicies Paulum ad Hebræos 6. *Non iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius:* ergo merita ante peccatum habita obligant de facto Deum ex iustitia ad reuocandum homines à peccato. Respondeo, contrarium me inde suadere; nam Paulus dixit id vt Hebræos ad pœnitentiam excitaret: si autem essent cerò eam actuti vi præcedentium meritorum, non fuisset ita eâ de re Apostolus sollicitus. Absolutè dico Paulum agere conditionaliter; *Non obliuiscetur, si egeritis pœnitentiam*, quia tunc ea merita redibunt: per quod nihil dicit, quod ea actu obligent Deum ad dandum auxilium congruum. Scio hoc testimonium aliter exponi, vt non agat Paulus de his qui erant in peccato; quà datâ explicatione, multò minùs erit contra decisionem nostram præsentem.

Solutio.

SECTIO III.

Quid de potentiâ absolutâ.

19.

Status quæstionis.

IN hoc sensu est aliquantò difficiliõr quæstio, quam ab vno vel altero recentiore motam video. Quærimus ergo, an si Deus diuinitus liberum faceret homini eligere præmium quod vellet pro actu supernaturali, dummodò illud non esset vltra valorem & condignitatem operis, & homo tunc eligeret dationem auxilij congrui ad perseuerantiam, haberet actus ille condignitatem ad tale præmium. Quæ difficultas potest intelligi vel de auxilio ad non ampliùs cadendum, vel de auxilio ad resurgendum, casu quo in mortale lapsus fuerit. De hoc secundo sensu, quia difficiliot, sectione sequenti; in hac solùm de primo. In quo recentiores nonnulli negant id posse etiam diuinitus fieri: vnum ipsi pro se argumentum adducunt, aliud ego ex eorumdem principiis video posse formari.

Recentiores aliqui negant.

Prima eorum obiectio.

Argumentantur ergo sic: Perseuerantia est bonum quodammodò infinitum, quia est præseruatio à peccato mortali; tantum autem donum est, imò longè maius, præseruare hominem ne cadat quantum erigere lapsum: ergo sicut purus homo nõ potest satisfacere de condigno pro mortali, nec eius remissionem de condigno mereri; ita nec poterit mereri præseruationem ab illo mortali. Huic argumento respondebitur dum probauero nostram sententiam.

Secunda.

Secunda ratio, quam ex eis ego desumo, fundatur in eo, quòd Deus non possit habere volitionem antecedentem, quâ velit dare auxilium efficax quà tale; tolleret enim eiusmodi volitio libertatem (vt hi dicunt;) ergo non potest Deus ex iustitia seu de condigno obligari ad habendam talem volitionem. Hæc Secunda ratio sufficienter reiecta est primo Tom. in materiâ de prædestinatione, dum de præfinitionibus disputaui.

Tertia.

Tertia ratio posset addi ex P. Vasquez, qui videtur opinari merita nostra non posse promereri nisi gratiam, etiam diuinitus, eò quòd meritum nostrum non pendeat ex Dei promissione aut pacto. Verùm hæc ratio in superioribus etiam reiecta fuit.

Nõ repugnat diuinitus eiusmodi meritum æquale dumlio congruo, ad perseuerantiam.

Censeo ergo dicendum, nullo modo repugnare diuinitus eiusmodi meritum; imò, si rem prudenter consideremus, minoris longè valoris videri auxilium etiam quà congruum quàm augmentum gratiæ, ideóque longè facilius posse concipi in merito nostro condignitatem cum eo auxilio, quàm cum augmento gratiæ.

20.

Eiusdem mentis nobiscum videtur Suarius.

Hanc conclusionem puto esse è mente Patris Suarez, qui, licet quæstionem non tractet, rationes tamen, quibus probat, de facto non cadere sub meritum eam perseuerantiam, videntur insinuare, saltem diuinitus posse, si opera in promerendo augmento gratiæ non occuparentur: id quod in sententia ipsius possibile est. Vt ergo hanc sententiam probem, & simul respondeam argumẽto primo aduersæ partis; nam secundum, vt dixi, in materiâ de prædestinatione à nobis reiectum est vt planè nullius momenti, & manifestè contra omnium sensum, alioquin neque orare Deum possemus, vt daret nobis auxilium congruum; cùm tamen Christus Dominus videatur nos de ea petitione instruxisse, dum dixit, *Et ne nos inducas in tentationem*; id est, *Non permittas nos succumbere tentationi*; hoc est, *Da nobis auxilium congruum ad vincendam tentationem*: ergo in præsenti solum primum argumentum facessit nobis negotium: dum illud igitur soluo, simul nostram sententiam persuadeo.

21.

In venditione non debet res taxari ex vtilitate quam affert emenli, sed ex valore proprio.

Suppono ergo (quod non videtur vllo modo considerandum ab aduersâ parte) in emptione & in venditione aut in solutione mercedis (vbi est quædam species emptionis; laborans enim vendidit suam operam pro mercede) non debere rem venditam æstimari ex vtilitate quam affert homini, cui datur, sed ex valore, quem in se habet: etenim si fartor, qui non potest sine acu viuere, velit eam emere, non debet mercator plus ab eo exigere, eo titulo quòd vtilior illi erit, quàm esset petiturus ab altero, qui eam emit solùm vt eam frangat, vel abiiciat: & idem est in omnibus aliis rebus: id ipsum locũ habet in donatione: si enim aliquis donet Petro & Paulo cuilibet gladium, & Petrus eo sit tutaturus suam vitam, alter potiùs se læsurus, non propterea debet ille gladius magis æstimari, ita vt plura obsequia censeantur fuisse necessaria ad promerendam donationem vnam quàm alteram: id quod verum est, licet donans præscierit diuersitatem effectus, & ex eo capite censeri possit maius beneficium vni contulisse quàm alteri.

Maius beneficium non semper requirere pro condigno pretio rem maioris valoris ostenditur.

Pro quo suppono Secundò, non semper maius beneficium requirere pro condigno pretio rem maioris valoris. Id ostendo; nam si ego habeo

Digitized by Google

beo duos equos, quos nulli teneor dare aut vendere, & sciam Petrum, si ei vendidero equum, obtenturum in bello imperium; quod amittet, si hic & nunc ad bellum ob defectum equi non eat; Ioannem verò nihil speciale obtenturum; sine dubio in ipsa volitione vendendi liberali (liberalem dico, quia non teneor vendere) maius beneficium præsto Ioanni propter eam scientiam vtilitatis quàm Petro; at non ideò pro pretio condigno equi possum plus petere à Petro; ergo maius beneficium non semper plus requirit ex parte meriti condigni ipsius quà condigni: id quod maximè locum habet, quando (vt in exemplo posito constat) illa maior vtilitas, ob quam præuisam beneficium est maius, ponenda est ab ipso cui præstatur beneficium; tunc enim certissimò apparet, non requiri plus pretij ad promerendum illud.

22. *Auxilium congruum & sufficiens euitatione non distinguuntur.*

Tertiò suppono ex sententia Societatis, ex parte auxilij dati non plus ordinariè esse in auxilio congruo quàm in purè sufficienti, imò sæpè vnum idémque auxilium iam esse congruum, iam sufficiens; differentiam autem totam desumi ex eo, quòd homo responsurus sit pro sua libertate vni auxilio, non verò alteri, & Deus id præuiderit: hinc pater, Deum dando illud auxilium nihil amplius à se abalienare, quam si daret sufficiens; item, rem datam esse eamdem, licet vtilitas secutura ex vno sit longè maior, quàm quæ ex altero, ob consensum scilicet præuisum ipsiusmet recipientis.

Ostenditur discrimen inter actum Dei peccatū condonantem & ab eodem præseruantem, ne labatur in illud.

Quartò suppono, etiamsi homini tam bonum, imò melius sit præseruari à peccato, quàm redimi ab illo, in ordine tamen ad Deum præseruantem, vel condonantem peccatum, esse infinitam propè differentiā; quam parum videntur cōsiderasse auctores aduersi, vnde fortasse argumentū illorū efficacius erit pro me contra ipsos, quàm è contrario. Differentia ergo hæc est, quòd Deus præseruando hominē à peccato, sibimet quodāmodò bonum summum procurat, nempe carentiam grauissimæ illius offensæ, quæ ipsi summè displicitura erat: & ex hoc capite, quo magis hi auctores defatigantur exaggerando peccati malitiam, eò magis nobis fauent; nam eò magis Deus retrahitur à permissione eius peccati, & magis quasi determinatur ad concedendum auxilium congruum: quod adeò verum est, vt sit valdè nobis captu difficile, quomodo permittat Deus, cùm possit ea facillimè euitare, tam grauia damna seu mala extrinseca propria. Aliter sanè res contingit, quando iam est commissum peccatum, & illud Deus dimittit; nam tunc (vt sic loquar) sibi soli nocet & nihil habet quod ipsum inuitet ad remissionem; sed potiùs omnia è contrario cogere videntur, ne dimittat: etenim iam tunc ipsa iniuria illata ei est, & per remissionem non obtinetur, ne fuerit. Vtilitas autem, quæ ex illa offensa relicta erat, nempe ius ad satisfactionem infinitā pro ea exigenda, tota illa à Deo remittitur, quia cedit illi iuri; ergo, quidquid sit de commodo ipsius hominis, certè ex parte Dei summa est differentia. Idem potest declarari in ipsis hominibus: si enim in manu Regis esset impedire, ne illum grauissimè offenderem, aut remittere iniuriam iam ipsi à me illatam, sanè mihi melius esset, si ab irroganda impediret, quàm si iam à me irrogatam dimitteret mihi: at quis prudens dicet, ipsi Regi fore tam durum impedire, ne offendatur, quàm, postquam iam esset grauissimè læsus, omnia condonare, & reconciliari inimico, nulla sumpta satisfactione?

Declaratur ab exemplo humano.

23. *Entitas auxilij ex se data ad non peccandum non excedit valorem gratiæ.*

Ex his facilè deducitur ratio nostræ conclusionis: dicimus enim entitatem auxilij dati ad non peccandum non esse rem, quæ ex se excedat vllo modo valorem gratiæ, imò quodammodò illam esse debitam homini ratione libertatis: nam si tale auxilium non daretur, homo non peccaret, & eo ipso perseueraret in gratia (vt suprà notaui) quia gratia iam acquisita non amittitur nisi de nouo peccando: quòd autem detur illud auxilium, quando præuidetur futurum vtile homini, non facit, vt propterea debeat plus requiri ad condignitatem cum eo, etiamsi inde speciale sit beneficium; vt constat ex tribus primis suppositionibus: denique, quòd per illud homo detineatur, ne cadat in magnum malum, non reddit difficiliorem, sed potiùs faciliorem ex parte Dei donationem talis auxilij, quia illud ipsum cedit in maius bonum extrinsecum Dei (vt ex quarto notato constat:) non est ergo, cur non concedi debeat æqualitas inter illud opus & auxilium præseruatiuum etiam quà tale.

Opus nostrum habet condignitatem ex auxilio præseruatiuo.

Confirmatur Primò. Scientia Dei de efficacia illius auxilij non facit illud magis vel minùs æquabile per meritum.

Confirmo Primò: Quòd Deus sciat illud auxilium fore efficax, non facit auxilium in se magis aut minùs æquabile per meritum: solùm enim iuuat illa scientia, vt Deus noscat, quibus, & quando benefacere potest: atqui si eam scientiam Deus non haberet, posset homo mereri volitionem dandi illud idem auxilium A; quod tunc respectu Dei casu esset efficax; ergo, etiamsi habeat illam scientiam, poterit offerre homo aliquid condignum pro illo eodem auxilio. Patet consequentia; nam ea scientia Dei non facit in se pretiosiorem illam donationem auxilij: vel certè ille excessus valdè est in ordine ad eam æqualem emptionem exiguus.

Confirmatur Secundò.

Secundò: Nemo prudens dicet, hominem iustum incidere in perpetuam amentiam adeò esse magnum Dei beneficium, vt nullus iustus per actum supernaturalem dignificatum gratia possit promereri eam amentiam. Idem dico de eo, quòd infans ritè baptizatus statim moriatur; & tamen in ea morte & stultitia habet locum argumentum aduersariorum, quòd per eam homo præseruetur à peccato morali infinito, &c. quòd enim præseruetur sine nouo merito, vel cum nouo merito, per accidens est ad punctum præsens, in quo difficultas tota desumitur non ratione actus boni quo vitatur peccatum; nam illi actui æqualis potest esse alter præcedens, sed ratione peccati quod vitatur: quæ magnitudo eadem est, siue homo per stultitiam, siue per somnium, siue quocumque alio modo illud vitet.

Tertiò.

Tertiò, ex oppositā sententia sequeretur, non solùm ipsam perseuerantiam, sed nec vnicum quidem auxilium congruum in vnica occasione ad vitandum mortale posse diuinitus cadere sub meritum condignum: quod sine dubio absurdissimum est: sequela verò euidenter infertur, quia si præseruatio est tam difficilis quàm remissio, sicut non possum vel vnius remissionem mereri, nec potero præseruationem. Constet ergo diuinitus non repugnare tale meritum.

SECT

SECTIO IV.

An possit quis diuinitus ita mereri de condigno perseuerantiam finalem, vt illud meritum non impediatur per subsequens mortale.

SVBSECTIO I.

Status quæstionis & conclusio nostra.

24. *Pleriq; supponunt esse impossibile.*

HAnc quæstionē nullus tractat, quem sciam, sed vniuersaliter, vt omnino certum suppo-nunt id esse omnino impossibile, eò quòd totum meritum hodiernū, quantumuis illud condignum sit, penitus retractatur, seu sepelitur per subsequēs mortale; ergo repugnat postea tali peccatori dari de cōdigno auxilia, vt moriatur in gratiâ.

Quæstio est sola de morte in gratia.

Pro intelligentiâ quæstionis aduerte Primò, me solùm agere (vt in titulo posui) de perseuerantia finali, seu de morte in gratia; nam perseuerantiam absolutè in gratia, id est, vt non interrumpatur gratia per peccatum, non potest in tali casu homo ille mereri, cùm supponamus eum posteà cadere ipsâ in peccatum; est ergo difficultas, an possit, dum est in gratia, mereri de condigno, vt etiamsi ex illâ cadat per peccatū, nihilominùs tamen Deus illum in fine vitæ vocet ad pœnitentiē per auxilium efficax, & ita id mereri, vt (iuxta dicta) detur illi ea vocatio ob condignum meritum: hicque videtur habere locum suprà adducta ratio, in contrarium probans omnino id repugnare, quia status peccati sepeliuit totum meritum: imò ex hoc capite neque meritum de congruo volunt aliqui admittere, vt vidimus, assignántq; differentiam inter peccatum, quod præcedit meritum, esto moraliter duret, & inter illud, quod subsequitur; nam præcedens peccatum videtur reuocari saltem affectiuè per bonum opus, ideóq; rectè admittitur congruum meritum in peccatore; at bonum opus præcedens peccatum planè retractatur per ipsum peccatum subsequēs, &, vt dixi, sepelitur; ergo nec relinquit congruum meritum, quod ibi anteà fuerat, multò ergo minùs relinquet meritum condignum.

Status quæstionis declaratur.

25. Secundò aduerte, posse absolutè bonum opus iusti (vt diximus sectione præcedenti fusè) habere condignitatem cum auxilio efficaci ad finalem pœnitentiam, seu ad perseuerantiam; nunc verò solùm inquiri, an peccatum subsequens eam condignitatem impediat. Hoc posito,

Possibile est meritum perseuerantiæ in gratiâ.

Crediderim, satis probabiliter posse huiusmodi meritum admitti. Demus v. g. meum actum bonum dignificatum gratiâ habere condignitatem cum tali auxilio, casu quo non detur ei in præmium vllum augmentum gratiæ, neque aliquid aliud: si ergo homo mœrens dicat sic Deo, *Domine, ego ratione istius operis habeo ius, vt statim de condigno des mihi quatuor gradus gratiæ, loco illorum vellem habere in fine vitæ auxilium efficax ad amorem tui super omnia:* profectò si Deus huic voluntati annuat, dicens, *Ita fiet*, iam eo ipso merebitur hic homo de condigno tale auxilium; & cùm illa voluntas de eo auxilio dando fuerit absoluta, non poterit reuocari propter subsequens peccatum, ideóque, non obstante eo peccato, Deus de iustitia (si meritum condignum includit eam iustitiam, vt alibi dixi) tenebitur

Probatur.

illi dare tale auxilium in fine vitæ. Hæc ratio sufficientissimè ostendit intentum; & solùm oportet respondere diuersis obiectionibus, quæ contra eam fieri possunt, aut (melius dixerim) præcludere euasiones diuersas.

SVBSECTIO II.

Proponitur præcipua in contrarium difficultas.

PRimò ergo respondebitur, Deum non posse respectu talis habere voluntatem omnino absolutam dandi illi auxilium efficax finale, sed debere expectare quousque videat, an per peccatum sequens sit planè impediturus illud meritum, nec ne. Sed contrà, quia iam supponimus in eo merito esse condignitatem cum tali auxilio; cur ergo Deus non poterit, non expectato alio vllo signo rationis, determinare se omnino absolutè ad dandum id, quod actui illi debetur, de condigno? quod enim dicitur per peccatum impediri præcedens meritum, non est absolutè verum; nam peccatum subsequens non potest efficere, quò minùs actus ille habuerit condignitatem cum eo auxilio; ergo nec impediet quò minùs se Deus determinare potuerit liberè ad dandum ei actui quidquid promeritus est; ergo neq; impediet illam voluntatem absolutam dandi auxilium efficax.

26. *Prima quorumdam responsio.*

Reijcitur.

Replica.

Replicabis: Eo ipso quòd iam sit redditum subiectum illud indignum gratiâ, non potest meritum antiquum esse condignum: id quod declaratur facilè ex doctrinâ à nobis traditâ in materiâ de incarnatione; ibi enim diximus, Etiamsi iustus suo opere bono possit de condigno mereri diuinitus gratiam alteri homini existenti in gratiâ, aut certè in pura naturâ, hoc est sine peccato & gratia, non tamen posse de condigno meteri eamdem gratiam ei qui existit in peccato; ad hoc enim debet habere opus, quod valeat tantū in genere boni, quantū est in ratione mali ipsum peccatum per illam gratiam remittendum; hoc autem non habet vllo modo opus puræ creaturæ: ergo licet meum opus factum in gratia habuerit condignitatem ad merendum mihi auxilium, quamdiu adhuc ego in gratia intelligor, quia tunc nullum est ex parte mea impedimentum, idcóque possit optimè perseuerare condignitas operis; at cùm primùm ego pecco mortaliter, esto nihil de valore præcedentis operis tollatur, quia tamen iam ea donatio auxilij efficitur maius longè beneficium quàm fuerat anteà; nam dare illud auxilium amico, aut saltem non inimico, in prudentum iudicio longè minus est, quàm dare illud inimico; idcóque esto operis valor non decreuerit, valdè tamen præmium excreuit, iam ea proportio, quàm habebat opus cū præmio, omnino extinguetur. Et in hoc sensu potest habere locum quod in prima obiectione dicebatur, scilicet, per peccatum sequens impediri meritum illud, licet non in ratione congrui, saltem ne sit condignum.

27. *Quædam pro soluenda replica prænotantur.*

Purus homo non potest alteri mereri remissionem peccati mortalis.

Hæc replica videtur totam substantiam aduersæ sententiæ declarare; & haud dubiè eam valdè confirmat: adhuc tamen potest satis probabiliter ei responderi. Pro quo aduerte Primò, quæstionem iam reduci ad aliam magis vniuersalem, vtrùm scilicet possit purus homo iustus mereri alteri de condigno non quidem gratiam habitualem & remissionem peccati, hoc enim suppono

ſuppono omnino repugnare, de quo Tom. 7. Deo dante fusè, ſed tamen ſaltem auxilium congruum ad pœnitentiam.

Aduerte Secundò me etiam agere, caſu quo bonum opus illius iuſti non eſſet occupatum in promerendâ ſibi gratiâ habituali, ſed quòd eſſet ei iuſto à Deo data optio vel pro ſe offerendi illud opus bonum, vel pro peccatore, an tunc, ſi pro obtinendo auxilio congruo illud applicaret, haberet condignitatem cum tali donatione auxilij, vt initio ſtatim notaui. Quòd ergo ea difficultas de merito pro ſuâ perſeuerantiâ reducatur ad eam magis vniuerſalem quæſtionem, inde patet; nam ſicut in propriâ perſonâ peccatum illud ſubſequens efficit, vt ea donatio auxilij ſit longè maius beneficium, eò quòd dandum ſit inimico; ita eodem modo efficit, vt donatio eiuſdē auxilij alteri tertiæ etiam in mortali exiſtenti ſit maius beneficium, quia etiam tunc illud auxilium donandum eſt inimico. Quòd autē in vno caſu peccatum illud ſit poſt meritum, in altero verò reſpectu proximi ſit ante meritum, non auget vllo modo difficultatē præſentem, quia non ideò ipſa donatio efficitur maioris valoris; quandoquidē eadem res ſit donanda, & eadē ſit ex parte recipientis indignitas, ſcil. habituale mortale: neq; item efficit illa anteceſſio, quò minùs ſuo tempore fuerit tam gratum Deo illud opus iuſti, quod pro ſe obtulit, quàm illius qui offert pro altero. Deus enim ad ponderandum valorem operis non conſiderat, quid ſit homo habitutus poſteà, ſed quid habeat dum operatur benè; ergo cùm tempore operationis tam fuerit in gratiâ quàm alter, & opus vtriuſque fuerit æquè bonum, vt ſupponimus; profectò ex eo quòd ſequatur deinde peccatum, antequam dandum ſit auxilium, inferri nihil poteſt de inæqualitate meriti; imò verò duplici ex capite videtur longè maior eſſe proportio pro ſe quàm pro aliis: Primò, quia, vt D. Auguſtinus ait Tract. 102. in Ioan. magis frequenter, & cum maiori infallibilitate exaudiuntur iuſti pro ſe orantes quàm orantes pro aliis in bonis ſpiritualibus; quia charitas magis nos obligat ad orandum pro nobis in his rebus quàm pro aliis: ideò ex eo capite magis accepta eſt Deo oratio pro nobis quàm pro aliis. Secunda cauſa, cur ſit in noſtro caſu magis potens illa oblatio pro ſe quàm pro altero, eſt, quia eo tempore, quo opus illud efficiebatur, tam perſona offerens, quàm ea, pro qua offerebatur, erat in gratia, cùm pro ſeipſo illud obtulerit, videtur autem valdè ad meritum conducere, quòd, dum vis illius conſummatur, nullum ſit impedimentum neque ex parte orantis, nec ex parte alterius pro quo offertur (quidquid ſit de tempore futuro, quando præmium eſt concedendum:) in altero autem caſu, tam dum meritum conſummatur, quàm dum largiendum eſt præmium, homo ille pro quo offertur opus, eſt in peccato, ergo ex eo capite minor eſt repugnantia in eo, quòd pro ſe mereatur eam perſeuerantiam, quàm in eo, quòd alteri peccatori mereatur auxilium congruum. His ergo poſitis.

Ratio, cur quis ſibi dum iuſtus eſt poſſit mereri auxilium efficax pro ſtatu lapſo, & non alteri.

SVBSECTIO III.

Reſpondetur ei difficultati.

28. *Probabile eſt, poſſe quem alteri lapſo mereri auxilium efficax vt reſurgat.*

DIcendum eſt, valdè eſſe probabile, tale opus habere poſſe condignitatem cum ea donatione auxilij efficacis, etiam pro inimico: id quod re prudenter conſiderata mihi certum videtur: etenim cùm alioquin ſupponamus, Deum etiam antecedenter ad illud meritum, habuiſſe voluntatem dandi auxilium tali homini, ſiue auxilium illud ſit efficax, ſiue ſolùm ſufficiens, infertur in primis indè, in promerendâ, vt ſic dicam, donatione auxilij ſiue huius, ſiue illius, non inſumi vllo modo valorem eius operis; quia etiam illi peccatori quamtumuis indigno volebat Deus dare neceſſarium auxilium ad conuerſionem; ergo ille actus ſolùm debet promereri, quòd Deus det tali peccatori auxilium illud, quod vidit habiturum effectum, non autem illud, quod vidit eo carituram: atqui hæc differentia non eſt tanta, vt non cenſeatur ei æquiualere opus ſupernaturale hominis iuſti: etenim tota ea vtilitas maior deſumitur ex operatione, quā homo ipſe poſiturus eſt liberè; ideóque in auxilij venditione non debet includi ea vtilitas, vt propterea tanti æſtimetur auxilium, quanti illa operatio; alioquin qui ſciret me gladio, quem mihi vendit, patraturum facinora egregia in bello, quibus promereret fieri Comes aut Marchio, deberet mihi eū gladium vendere tam carò quàm æſtimatur Comitatus: quo nihil abſurdius dici poſſet: tunc enim ego deberem bis promereri illū Comitatū, ſemel in gladio emendo, & ſemel in bello: ergo ratione illius vtilitatis, quæ ex operatione à me ponenda proueniet, non debet auxilium illud tanti reddi valoris, vt dicatur excedere condignitatem ſupernaturalis operis in gratiâ facti. Quod argumentum adhuc magis vrgebo paulò pòſt.

Quod item dicebatur, ob indignitatem ſubiecti reddi auxilij donationem maioris valoris, admittimus quidē, negamus tamen tam multum inde creſcere, vt maior fiat quàm dignitas operis in gratia facti: quod vt intelligas aduerte, aliud eſſe mereri peccati remiſſionē, aliud mereri peccatori aliquod aliud bonū minus: ad illud dicunt communiter Theologi non poſſe eſſe condignitatem in merito puri hominis quantumuis dignificati gratia; at pro ſecundo nemo id dicet: & ratio à priori eſt manifeſta, quia ſicut incredibiliter minus eſt dare aliquod bonum peccatori, quàm illum facere amicum Dei; ita incredibiliter minus requiritur ad illud promerendū quàm ad hoc: vnde inter homines certo certius eſt, vt quis obtineat à Rege pro inimico ipſius Regis vnam vel alteram rem leuem, non requiri incredibiliter tam multum, quàm vt obtineat ab eo remiſſionem totius iniuriæ. Cùm ergo adhuc difficulter poſſimus oſtendere, multa ſupernaturalia opera hominis iuſti in gradu intenſo non eſſe condigna cum remiſſione vnius mortalis (vt conſtabit Tom. 7. dum de neceſſitate incarnationis agendum erit) profectò non debemus dicere, neq; talia opera habere condignitatem ad hoc, vt vel ſolam dationem auxilij mereantur, quam iam oſtendimus eſſe propè infinitè minorem quam ſit ipſa remiſſio; ergo, quidquid ſit de condignitate cum remiſſione peccati mortalis, non eſt neganda proportio operi ſupernaturali iuſti cum donatione auxilij etiam pro peccatore.

Indignitas ſubiecti auget quidem rationem ita vt non poſſit illi eſſe condignum opus iuſti.

Replicabis, totum diſcurſum præcedentem veriſſimum eſſe, ſi præciſè conſideretur datio auxilij efficacis, quatenus eſt illatura actum bonum pœnitentiæ, quia cum illo videtur habere condignitatem; at cùm ex voluntate diuinâ ſit hîc & nunc adiuncta remiſſio mortalis tali pœnitentiæ, profectò in genere moris idem beneficium erit dare

29. *Replica.*

Digitized by Google

dare auxilium efficax ad eam pœnitentiam, ac remittere illi mortale; ergo si opus iusti non habet condignitatem cum ea remissione, neque habebit cum auxilio. *Confirmatur Primò.* Confirmatur. Primò: Christus Dominus suis infinitis meritis non aliud effecit, quàm obtinere nobis de condigno auxilia, quibus iuvaremur ad benè operandum; nam ipsa immediata remissio peccatorū veré fit ex liberalitate Dei, posito ex parte nostrâ amore supernaturali & contritione; atqui omnes iudicarunt, ad condignam redemptionem nostram fuisse necessariam Christi incarnationem; ergo ea obtentio auxiliorum pro pœnitentia non potest cadere sub meritum condignum puri hominis. *Secundò.* Confirmatur Secundò; nam licet datio ipsa gratiæ habitualis secundùm se non sit remissio actualis peccati, vt nos fusè suprà probauimus, imò etiam possit de potentia absoluta consistere cum peccato habituali; nihilominùs, quia hìc & nunc Deus infusâ gratia remittit peccatum, diximus paulò antè, purum hominem non posse mereri infusionem gratiæ pro homine existente in mortali; ergo cùm actus pœnitentiæ hìc & nunc habeat adiunctam remissionem mortalis, profectò opus illud, quod non potest de condigno mereri remissionem, nec poterit mereri actum pœnitentiæ, neque auxilium ad illum; quia etiam cum auxilio illo est coniuncta remissio medio ipso actu.

30. *Soluitur replica. Non requiritur tantum ad merendam contritionem quantum ad remissionem peccati.* Respondeo, Etiamsi ex Dei liberâ voluntate sit annexa remissio mortalis actui contritionis, non propterèa tam multum requiri ad promerendam contritionem, quàm ad promerendam ipsam peccati remissionem. Ratio est manifesta; nam sicut ipsa contritio, quantumuis sit illi annexa remissio, non est tam bona quàm remissio; ita neque tam multum illa requirit, vt cadat sub meritum condignum, quàm requirit ipsa remissio; id quod meo iudicio efficacissimè probo; nam etiamsi de condigno promeritus sit Christus nobis talia auxilia ad contritionem, non continuò Deus remittens peccatum, posità eâ contritione, dicitur remittere ex merito de condigno, sed solùm ex merito congruo: atqui si valor ipsius remissionis censeretur translatus ad ipsam pœnitentiam, vt propterea hæc censeretur esse tanti valoris quanti ipsa remissio (vt contendit obiectio) profectò mereri de condigno eam pœnitentiam, & mereri de condigno remissionem, esset idem, repugnaretque, post promeritam de condigno pœnitentiam, adhuc manere nouum præmium promerendum, ad quod esset necessarium secundum meritum infinitum: id quod manifestissimè falsum est; nam inde rursus sequeretur, ad merendum de condigno auxilium pro pœnitentiâ requiri duplo plus, quàm ad immediatè merendam ipsam remissionem; quia, vt homo mereatur eam remissionem immediatè, sufficeret vnicum opus; vt verò eam mereretur mediatè, deberent esse duo opera æqualia illi priori; vnum, quod mereretur auxilium, seu pœnitentiam, & in eâ remissionem: alterum, quod etiam post pœnitentiam mereretur immediatè remissionem; quia bis illa poneretur in vnâ bilance præmij, vt requireretur duplo maius pondus in altera bilance meriti: id quod apertè falsum est, & contra omnium sensum.

Ad æqualitatem meriti & præmij non spectant ea quæ ex liberâ Dei voluntate præmium sunt secutura. Hinc dico in formâ, ad rationem æqualitatis inter meritum & præmium non considerari, quid posito præmio secuturum sit vltrò ex voluntate liberâ Dei, sed cuius valoris propriè & per se sit præmium illud: si v. g. mercator aliquis sciat me obtenturum apud alios magnam gratiâ offerendo eis aliquas materias pretiosas, quas ab ipso volo emere, profectò non propter eà debent merces ipsæ mihi ementi reddi tanti valoris, quanti erunt gratiæ illæ deinde obtinendæ. Idem est in eo qui vendit mihi panem, sine quo ego morerer; non enim ideò debet mihi illum tanti æstimate quanti mea vita valet, sed quanti hìc & nunc alijs venditur etiam ad delicias; ergo ex eo, quòd posità eâ pœnitentiâ Deus sciat se facturum nouum fauorem tali pœnitenti, dando ei remissionem mortalis, non propterea sequitur, in donatione ipsius auxilij non attendisse ad rigorem iustitiæ, seu ad condignitatem operis, sed solùm sequitur, posito eo auxilio posteà adhuc remittendo peccatum exercendum ab ipso actum liberalitatis, id est solùm de congruo remittendum deinde peccatum.

31. *Satisfit Primæ confirmationi.* Ad Primam confirmationem respondeo, instantiam suprà allatâ ex meritis Christi, non esse ad rem; Primò, quia Christus Dominus non solùm meruit nobis auxilia, sed sæpè immediatè ipsam gratiam & remissionem mortalis; vt quando datur gratia infantibus per Baptismum, & remittitur peccatum originale. Secundò, quia, vt Deus nobis non solùm daret auxilia gratiæ ex merito condigno, non quidem nostro, sed Christi, fuêre necessaria eius opera: cùm ergo posità contritione nobis remittit Deus peccatum, ex se quidem ea remissio, attento solo nostro merito, non habet nisi rationem præmij de congruo, attenta tamen redemptione Christi, seu respectu operum Christi, debet dici præmium condignum: & in hoc consistit maximè perfecta & adæquata Christi satisfactio pro peccato, ex quo potius (vt dixi) nostra sententia confirmatur; quia Christi meritum, quamuis fuerit meritum auxilij etiam congrui ad pœnitentiam, non ideò formalissimè fuit propriè meritum ipsius remissionis; vnde vlteriùs infertur manifestè, ipsam remissionē non censeri inclusam in eâ donatione auxilij, vt propterea ex illa reddatur quasi infiniti valoris, & iudicetur esse vltra sphæram meriti puræ creaturæ.

Ad Secundā confirmationem respondetur. Infusio gratia secundum esse physicum potest absolutè cadere sub meritum. Ad Secundam confirmationem de gratiâ dupliciter responderi potest; Primò concedendo, posse eam infusionem gratiæ cadere etiam tunc sub meritum, si consideretur vt quid distinctum ab ipsâ remissione: quando verò nos suprà diximus, nullum iustum posse mereri peccatori gratiæ habitualis infusionem, locuti sumus de gratiæ infusione non in esse physico tantùm, sed quatenus includit remissionem peccati seu effectum formalem sanctificandi; nam vt sanctificans includit (iuxta dicta sæpè) carentiam actualem peccati mortalis. *Non est bona sequela à gratiâ ad pœnitentiam & auxilium.* Secundò respondetur negando consequentiam à gratiâ ad pœnitentiam & auxilium: etenim remissio peccati ita annectitur gratiæ infusioni, vt non sit distinctus fauor ab illâ, eò quòd naturaliter debetur illi, ideóq; Deus teneatur peccatum tunc remittere; esséque miraculum, si id non faceret: vnde locum habet tunc quod dici solet, Qui est causa causæ, est causa causati; quod maximè habet locum, quando illud causatum sequitur necessariò ex causa, vt alibi diximus sæpè. Longè aliter se res habet in nostro casu. Primò, quia ex auxilio dato non 23.
sequitur necessariò ipsa contritio, vt ostensum est. Secundò, quia sequitur, vt opus liberum à me ipso faciendum, vt in exemplis suprà positis de vtilitate, quæ sequitur mihi ex gladio, quem emo, & quo ego strenuè pugno; non enim potest faber

Digitized by Google

fabet ex ea vtilitate mihi vendere cariùs gladium, quia non venditur vtilitas, quæ ementis, vt sic dicam, industria sequi inde poterit. Tertiò, est magna differentia; nam remissio peccati habitualis mortalis, posita pœnitentia, non sequitur necessariò neque ex natura rei ex ipsa pœnitentia; vnde hæc nequaquam æquiualet quasi eminenter ei remissioni; sequitur ergo ex pura puta Dei liberalitate noua; ideò in merito pœnitentiæ non includitur meritum remissionis, sed solùm est meritum vnius rei, qua posita Deus ex sua liberalitate determinabitur ad faciendam gratiam nouam homini.

Replicabis: Siue ex natura rei, siue de facto; ex decreto Dei ea duo inter se sunt actu connexa; ergo qui meretur vnum, meretur & alterum.

Soluitur replica, alia,

Respondeo negando consequentiam, quia hinc solùm sequitur hominem mereri vnum, Deum verò posteà liberaliter ex suo decreto facere aliud: vt si ego meis orationibus certò impetraturus sum beneficium aliquod, non propterea idem est, me esse causam adæquatam & principalem orationis, & me esse causam principalem eius beneficii: ita dico, non esse idem me habere vires condignas & æquales, vt mereat pœnitentiam, & me habere vires condignas pro eo quod Deus liberaliter mihi dat occasione eius pœnitentiæ; alioquin, posita iam ea pœnitentia, non esset fauor Dei remittere peccatum: cuius oppositum certissimum est, & superiùs fusè deductum.

35. *Probabilius est, posse hominem iustè mereri peccatori auxilium efficax ad opus bonum supernaturale, etiam pœnitentiam.*

Ex quibus omnibus concludo vt longè probabilius, de potentia absoluta posse hominem instum suis operibus supernaturalibus ex gratia factis mereri de condigno peccatori auxilium congruum ad bonum opus supernaturale, & ad pœnitentiam, etiamsi illi pœnitentiæ ex voluntate liberali Dei sit re ipsa annexa remissio peccati; quia eo casu non mereretur ille remissionem, sed vnum fauorem minorem, quo posito Deus facturus est ex sua liberalitate aliũ longè maiorem: vnde vlteriùs ad intentum nostrum dicimus, posse etiam mereri sibi ipsi eiusmodi auxilium ad pœnitentiam finalem, ita vt etiamsi post tale meritum peccet mortaliter, non tamen ideò reddatur indignus per modum subiecti tali præmio: illud enim meritum erat (vt probatum est) ex se condignum cum donatione eiusmodi auxilij etiam pro inimico Dei; ergo ex eo quòd ipse sit factus inimicus, non est redditus iam incapax cui debeatur tale præmium.

SVBSECTIO. IV.

Reliquæ obiectiones soluta.

34. *Obiectio,*

ADhuc tamen non aquiescis, dicésq; Quodlibet peccatum mortale ita omnia bona opera & merita præcedentia mortificat, vt planè nihil Deus teneatur de condigno dare tali homini quamdiu in peccato manet, id quod conuenit peccato ex sua natura; ergo etiam eo casu mortificabit illud meritum, ita vt ampliùs nulla obligatio maneat in Deo ad dandum tale auxilium.

Confirmatur primò.

Confirmari id potest ex humanis, vbi sæpè contingit per aliquod graue delictum hominem amittere omnia iura quæ priùs habebat ad bona aliqua, imò ita, vt etiamsi mihi v.g. concessisset mutuò centum, iam post eius delictum & offensam in me absoluat ego ab omni obligatione quidquam ei restituendi; ergo cùm omne peccatum mortale sit grauius longè delictum in Deum quàm sit in ipsam creaturam, profectò à fortiori incurret homo respectu Dei, ob peccatum mortale, eam priuationem antiqui iuris, quod priùs habebat; ita vt etiamsi Deus anteà tali homini aliquid debuerit, iam nihil amplius ei debeat.

Secundò.

Confirmatur Secundò: Quodlibet mortale potest à Deo puniri omnium bonorum temporalium priuatione, etiam vitæ in sequenti instanti; ergo non potuit Deus verè esse obligatus bono opere illius hominis ante peccatum facto, vt expectaret illum vsquedum pœnitentiam ageret; quia id esset efficere, vt opus illud bonum præcedens euerteret meritum & condignitatem peccati sequentis: id quod manifestàm dicit repugnantiam. Et ex hoc capite potest assignari diuersitas inter hominem iustum merentem pro peccatore, & inter eumdem promerentem pro se auxilium ad conuersionem, si deinde peccauerit; nam quando meretur pro aliis, totum bonum opus ipsius, totus valor, tota condignitas est integra, etiamsi subiectum, pro quo meretur, indignitatem aliquam habeat. At in nostro casu, quia ipse merens posteà est priuatus omni suo iure, iam nihil potest ei Deus debere.

35. *Soluitur obiectio.*

Respondeo, hoc argumento eiúsque confirmationibus omnino probari, debere ex parte Dei in casu nostræ conclusionis interuenire aliquam condonationem liberam; addo tamen, illam non esse vllo modo contra rationem meriti condigni, quia ferè similis reperitur in aliis multis casibus. Ergo per partes respondeo, & in primis ad argumentum dico, ideò per mortale mortificari de facto bona nostra opera, quia illa non absolutè merentur gloriam, sed solùm sub conditione, si homo in gratia decesserit: quamdiu igitur est in peccato nihil meretur, nec amorem pro eo tempore, quiá pro eo iam supponimus esse indignum; neque ipsam gloriam, quia iam dixi illum non habere ius, nisi quamdiu est in gratia, & pro eo tempore, pro quo est in gratia; at in nostro casu supponimus illud meritum fuisse applicatum ad hoc, vt Deus illi homini det auxilium congruum ad agendam pœnitentiam, si lapsus fuerit; vnde, supposito lapsu, locum habet propriè in Deo ea obligatio dandi tale auxilium, ideóq; non poterit illud meritum dici propriè mortificatum respectu huius præmij, sed solum respectu amoris diuini; nam pro eo tempore, quo ille est in peccato, non amatur à Deo etiam ratione præcedentium operum: & in hoc solo sensu conuenit peccato ex natura sua mortificare præcedentia merita.

Non est contra rationem meriti condigni, etsi interueniat aliqua libera condonatio, dummodò meritum & præmiũ sint æqualia.

36. *Satisfit primæ confirmationi.*

Ad Primam confirmationem ex humanis fateor, per modum pœnę optimè posse imponi eam priuationẽ præcedentis iuris, vt in humanis aliquando contingit; at non propterea sequitur, formaliter & directè tamquam quid incompossibile cum ipso peccato debere tolli illud ius; aliud enim longè est, aliquid posse vt pœnam imponi, aliud, esse necessariò annexum peccato ipsi: id quod ostendo ad rem nostram manifestè; etenim peccatũ Adami fuit tale, vt potuerit Deus iustissimè eum priuare statim vita, & ad infernum detrudere, potuerit etiam eum priuare omni redemptore, etiamsi ius haberet ad illum; eodem modo potuit illum priuare omni auxilio tam congruo quam sufficienti, non tamen ideò ea omnia sunt per se annexa necessariò ipsi peccato, quasi connaturaliter ex eo sequantur. Hinc fit vt etsi Deus fecerit Adamo eam gratiam dandi illi adhuc vitam & redemptorem, non tamen propterea censeantur opera Christi Domini in satisfactione

Digitized by Google

factione pro mortali exhibita non promeruisse de condigno remissionem eius peccati, seu non satisfecisse ad æqualitatem pro illo. Ideò paulò antè dixi, in multis casibus intervenire eiusmodi favorem Dei, per illum tamen nullo modo impediri rationem meriti condigni, dummodò inter rem concessam & ipsum meritum sit æqualitas. Hæc confirmatio, cui iam respondeo, in principijs Vasquez haberet aliquam vim, quia ille ideò iudicat per actum contritionis non fieri satis pro mortali, quia iam supponitur remissum debitum carendi auxilio pro contritione ipsâ requisito, (debuisset etiam hic auctor dicere, Supponitur præterea remissum gratis debitum, quod homo contrahebat, vt statim immediatè post peccatum priuaretur vitâ; ante contritionem enim haud dubiè supponitur homo iam à Deo misericorditer permissus viuere;) ergo per contritionem non extinguit totum debitum, quod incurrerat per peccatum; & consequenter non satisfacit de condigno; si hæc, inquam, principia P. Vasquez admitteremus, haberet vim confirmatio supra posita; quia verò nos doctrinam hanc cum communi sententia reijcimus, & vt alibi tradidimus, illa remissio gratuita nihil omnino de condigno merito tollit, de quo Tom. 7. ideò in præsenti dicimus, Etiamsi in casu nostro supponamus Deum liberaliter voluisse hunc hominem non occidere statim immediatè post peccatum, sed dare illi tempus pro pœnitentiâ & auxilium necessarium pro illa, non tamen propterea impediri, quò minùs ille homo suo opere potuerit mereri de condigno, vt illud auxilium esset efficax, & non purè sufficiens: nam talis congruitas non videtur excedere valorem præcedentis actus facti in gratia, casu quo Deus, vt supponimus, nolit in pœnam ei homini negationem omnis auxilij infligere; vnde ea suppositione facta dicimus omnino manere in illo actu ius totum, quod fuit antea ad eam donationem, & illud esse vt ad rem sibi æqualem, ideóque esse meritum de condigno.

37. *Satisfit Secundæ confirmationi.*

Secunda confirmatio relabitur in hanc priorem, ideóque ex dictis abundè est illi satisfactum; solúmque restat examinare quod in ea dicitur de differentia inter meritum auxilij efficacis pro altero existente in peccato, & meritum pro se, si postea ceciderit. Fateor igitur in eo puncto aliquid esse; illud tamen potest suo modo dici in vtroque casu repetitum: nam sicut ego omnino promereor per sequens peccatum non vltrà viuere, sed statim damnari; item, vt nullum detur mihi auxilium; ita alter, pro quo ego oro dum in gratia existo, videtur suo peccato mortali exigere seu promereri, vt statim occidatur, & æterna pœna statim puniatur; meretur item, ne Deus vllum alium pro ipso rogantem exaudiat; & nihilominùs, si supponimus iam Deum decreuisse illum non punire ea pœna (sicut decreuit non punire peccatum Adami statim priuatione instantanea vitæ & auxiliorum necessariorum ad salutem; quo posito condignum Christi meritum habuit locum ad positiuè promerenda ea auxilia); ita dicimus in nostro casu, etiamsi per meum subsequens mortale promeritus sim oblivionem boni operis præcedentis; nihilominùs, posito quòd nolit Deus me ea pœna punire, seu posito, quòd antea dixerit Deus hoc modo, *Dabo tibi infallibiliter id, cum quo habet condignitatem de facto ruum meritum, & pro quo in illud vis offerre*, dico, data ea Dei voluntate & applicatione mea pro auxilio efficaci in hora mortis, Deum teneri ex iustitia ad mihi dandum illud auxilium, etiamsi inter opus illud bonum & horam mortis interponam ego peccatum aliquod, quia iam antea se obligauit ad non infligendas statim peccato secuturo omnes pœnas, quas illud meretur; & consequenter iam non habet locum in Deo obliuio eius meriti, quia contrarium antea promiserat: vt in humanis si Rex diceret, Ego volo à te emere equum, ita vt licet ante solutionem pretij tu fias mihi rebellis, & amittere debuisses omne ius in me, nihilominùs teneàr illud soluere tibi aut hæredibus; profectò fateri debemus in tali casu, esse hominem illum fiat rebellem, nihilominùs pretium illud ei dandum non liberalitas, sed ex iustitia: quia esto in aliqua remissione pœnæ fuerit liberalitas, in solutione tamen æqualis eius pretij pro equo antea Regi tradito intervenit rigorosa æqualitas. Quod exemplum ex integrò declarat nostrum intentum; & ostendit in tali casu Regem non posse eum hominem punire priuatione eius pecuniæ. Et satis de condigno merito perseverantiæ.

Ostenditur quomodò liberalis condonatio non tollat rationem meriti de condigno.

SECTIO V.

De merito condigno primæ gloriæ.

QVÆRIMVS, vtrùm adulti omnes mereantur primam gloriam de condigno. Quæ difficultas apud nonnullos celebertima est. Cano Relectione de pœnitentia parte 1. in fine dixit eam esse de nomine; ergo dico ferè esse de solo nomine, vt ex dicendis constabit.

38. *An adulti primam gloriam mereantur de condigno.*

Pro illius intelligentia aduerte Primò, non esse sermonem de infantibus; illi enim, vt non possunt habere propria merita, ita neque primam neque secundam gloriam possunt promereri.

Dupliciter potest adultus bene operari.

Secundò aduerte, dupliciter posse adultum benè operari; Primò, vt antea fuerit in gratia acceptâ per Sacramentum sine dispositione; vt qui infans baptizatus postea benè operatur vsque ad mortem non amittens gratiam; Secundò, vt existens priùs in mortali, dein gratiam accipiat; id quod rursus dupliciter fieri potest, vel vt eam recuperet per contritionem extra Sacramentum, vel per attritionem in Sacramento siue Baptismi siue Pœnitentiæ. Sequentibus conclusionibus iuxta hos tres casus rem totam dilucidè expediemus.

Dupliciter potest quis gratiam recuperare.

SVBSECTIO I.

Quid de primis duobus casibus.

PRIMA CONCLVSIO: Qui sine dispositione propria infans baptizatus, & postea non amittendo gratiam moritur, etiamsi decursu vitæ habuerit multa merita, non meretur primam gloriam de condigno. Hæc est communissima; & videtur manifestè suaderi; nam in Baptismo eam non meruit (vt per se constat) nec postea, quia opera deinde facta fuêre meritoria augmenti gratiæ & gloriæ; in quo augmento insumpsêre totam suam vim, ergo. Secundò, quia vi prioris gratiæ iam ille erat acceptatus ad gloriam primam absolutè; ergo non datur illi in præmium ea gloria; nam præmium non debet esse aliquid, quod sit iam quasi proprium merentis ante meritum: ob quam rationem prima gratia non potest cadere sub meritum. Hæc ratio forte non omnino conuincit, quia posset dici per eum actũ

39. *Infans, vtpote sine sua dispositione baptizatus, etiamsi gratiam semper retinuerit, & multa merita habuerit, primam gloriam non meretur de condigno.*

Digitized by Google

hominem mereri secundùm Dei voluntatem de dandâ eâ gloriâ: quod non videtur absolutè repugnare: quidquid ergo de ea sit, prima certè sufficientissima est.

Aliqui negãt, afferentes gloriã esse per modum mercedis. Fundamentum.

Hanc conclusionem videntur negare nonnulli, qui indiscriminatim asserunt totam gloriam esse per modum mercedis. Ita Bellarminus lib. 5. de Iustificatione cap. 20. Fundamentum est, quia gloria absolutè proponitur in Scripturâ per modum mercedis: id quod de totâ debet intelligi, & non de solo augmento. Antecedens constat ex parabolâ denarij diurni Matth. 20. Quam propositionem Bellarmini Suarez cap. 18. num. 9. dicit esse probabilem. Miror tamen, id ita vniuersaliter asseri, cùm saltem tota illa gratia, quæ datur virtute Sacramentorum, seu ex opere operato, vt dici solet, sit sine meritis: ergo gloria illi respondens erit sine meritis: ergo non potest indiscriminatim dici tota gloria ex meritis, maximè cùm sæpè tota sit eo modo per Sacramenta acquisita. Dico ergo, in eis locis, vbi simpliciter gloriam esse mercedem, siue id de tota, siue de parte intelligatur.

40. SECVNDA CONCLVSIO: Qui per attritionem cum Sacramento iustificantur, si in instanti iustificationis non duret ea attritio, aut non sit alius actus bonus supernaturalis, non merentur de condigno primam gloriam. In hac etiam maiori ex parte conueniunt Theologi facilèque suadetur; nam attritio illa quando extitit non fuit meritoria de condigno; homo enim erat tunc in mortali; quando autem gratia est infusa, iam attritio non existebat, vt significaretur, posséque mereri: ergo per illam non potuit talis homo mereri de condigno primam gloriam; hæc denique potuit per opera subsecuta iustificationem, quia illa erant meritoria augmenti gloriæ, & iam supponebant perfectum ius ad primam gloriam, ergo.

In Sacramẽto non meretur gloriam quis de condigno, nisi in instãti iustificationis detur attritio vnà cum alius actus supernaturalis.

Obiectio.

Fortè dices, illam attritionem, etiamsi non extiterit physicè in instanti iustificationis, exstitisse tamen moraliter; perinde enim se habet in ordine ad disponendum pro effectu Sacramenti, ac si actu existeret physicè: ergo potuit etiam dignificari moraliter, in ordine ad merendam primam gloriam. Respondeo negando eam perseverantiam moralem, alioquin pari ratione omnes actus supernaturales peccatoris reddetentur posteà adueniente gratia meritorij de condigno gloriæ: quod est absurdissimum. A priori verò id impugnatur, quia licet actus moraliter maneret merendo id quod primò fuerat promeritus; at vt dignificetur ad nouum meritum vel nouum modum merendi, postquam iam desijt esse, planè est impossibile. Quod verò dicebatur illum moraliter permanere pro Baptismi aut pœnitentiæ valore, non est ad rem, quia ea permanentia nihil est aliud, quàm sufficere quod præcesserit paulò antè, eò quòd Christus in institutione eorum Sacramentorum non petiuit, vt in puncto Sacramẽti existeret attritio, quia id sæpe esset moraliter impossibile: inde autem quid, quæso, ad meritum condignum primæ gloriæ eius attritionis?

Solvitur.

41. Circa hanc tamen eamdem attritionem sit CONCLVSIO TERTIA, Si in ipso instanti iustificationis perseverat physicè, putare me debere idem dici quod de contritione respectu primæ gloriæ. Non decido iam, an mereatur nec ne eam primam gloriam, de hoc enim in Quartâ conclusione, sed solùm dico eamdem esse de vtroque actu rationem. Hæc est contra Patrem Suarez supra num. 34. & alios communiter, qui dum soli contritioni tribuant tale meritum, insinuare tacitè videntur attritioni non conuenire, etiamsi de eo puncto non agant expresè. Sed quid Pater Suarez ibi dicat videamus.

In hoc puncto quæstio eadẽ est de cõtritione quæ de attritione physicè durãte.

Est contra Suarium.

Duo docet: primum, attritionem nõ mereri totã primam gloriam: acquiescimus in hoc Suarij.

Duo ergo docet: vnum est, eam attritionem non mereri totam primam gloriam quæ datur virtute Sacramenti, quia ad eam totam non videtur habere sufficientem proportionem. In quo puncto illi acquiesco, nam gradus gratiæ qui ex opere operato respondent Sacramento, sunt semper vltra intensionem & valorem dispositionis: quod si hæc esset valdè intensa, tunc etiam gratia respondens Sacramento esset valdè intensior, vnde semper intercederent ibi aliqui gradus vltra attritionis meritum: & id locum habet, etiamsi homo attritus accedens ad Sacramentum Pœnitentiæ non habeat morale, sed esset in gratiâ.

Secundò docet, nihil illius gratiæ respondere attritioni, respondere.

Secundò ibi docet, nihil illius gratiæ respondere attritioni. Probat, quia ea attritio non meretur de congruo quidquam de eâ gratiâ & gloriâ, ergo per superuenientem gratiam non potest dignificari ad meritum condignum. Confirmat: Illa gratia non datur intuitu actus, sed Sacramẽti à Christo instituti, & ob merita eiusdem Christi: licet enim attritio dicatur impetrare gratiam, id non habet, nisi quia de facto ex voluntate Dei requiritur vt dispositio ad effectum Sacramenti; nam ex se non est sufficiens dispositio ad illam. Hæc tamen ratio nullo modo placet; etenim attritio etiam in peccatore est meritoria de congruo; licet enim non habeat infallibilitatem in ordine ad gratiam, vt eam habet contritio, nihilominùs, ex se congruitatem habet cum aliquot certis gradibus gratiæ; vnde, accedente posteà dignificatione gratiæ, non est, cur non reddatur meritoria de condigno eorum graduum.

42. *Aliud est, infallibiliter cum præmio coniungi, aliud, eâ connexione carere.*

Pro quo aduerte, meritum congruum habere latitudinem; aliud enim est, quod infallibiliter est coniunctum cum præmio, vt contritio cum gratiâ; aliud verò, quòd eâ connexione careat; item, inter ea, quæ non sunt connexa, aliqua esse magis, alia minùs congrua. Aduerte item, etiam ipsam contritionem naturæ suæ non esse nec quidem per modum dispositionis connexam cum peccati remissione & infusione gratiæ, vt etiam videtur admittere hîc P. Suarez, sed id habere ex sola ordinatione diuina, sicut ipse dicit de attritione intra Sacramentum. Ratio à priori huius est, quia cùm contritio non sit vllo modo æqualis satisfactio pro peccato, etiamsi sit nobilissimus actus inter eos, quos pura creatura potest producere, non potest habere annexam sibi eam remissionem nec quidem per modum dispositionis; ergo quòd ad eius præsentiam infundatur gratia, prouenit ex voluntate diuina; hoc autem sensu idem habet attritio intra Sacramentum: ergo si contritio adueniente gratia dignificatur ad meritum condignum primæ gloriæ, etiam ad illud dignificabitur attritio. Neque video vllam disparitatem vllius momenti. Confirmatur, quia argumentum Suarez & aliorum desumptum ex testimonio Tridentini pro contritione, quòd illa sit actus supernaturalis & hominis iusti, &c. habet etiam locum in attritione eodem modo, ergo.

Ratio huius à priori.

43. *Attritio præter gratiam Sacramenti respondentem aliquem gradum gratiæ & gloriæ mereri potest.*

Addit ibi Suarez Tertiò, eam attritionem, vltra totam gratiam respondentem Sacramento, mereri de condigno aliquem gradum gratiæ & gloriæ, eò quòd sit actus supernaturalis, &c. Hæc tamen

Digitized by Google

43. *Attritio præter gratiam Sacramento subsequentem aliquem gradum gratiæ & gloriæ mereri potest.*

tamen doctrina mihi est valdè difficilis in vno sensu, in altero verò non ita; in quo tamen non est ad rem: si enim dicamus, plus gratiæ absolutè recipere eum hominem propter attritionem & Sacramentum, quàm si Sacramentum solùm datum fuisset homini alioqui non ponenti obicem, admitti potest; licet non sit id omnino certum in pœnitentiâ: quod vltimum meo iudicio euidenter ostendo; nam à Christo Domino nulla est statuta certa gratia conferenda per Sacramentum Pœnitentiæ independenter à dispositione, sed tanta v. g. si sit attritio, tanta si contritio: quomodo ergo possumus tunc dicere aliquid ibi respondere ob vim Sacramenti, & aliquid ob attritionem? si Sacramentum hoc aliquando causaret in recipiente gratiam independenter ab eius dispositione, vt causat Eucharistia, & alia Sacramenta viuorum, posset habere locum ea doctrina; at in pœnitentiâ non potest; in Baptismo etiam potest, quia ille etiam infantibus confert gratiam sine dispositione; ideò dixi posse admitti eam doctrinam in alijs, exceptâ pœnitentiâ. Addo, etiamsi in hac concedatur non esse ad intentum nostrum; hîc enim solùm agimus de merito condigno; si verò dicatur, illud augmentum gratiæ respondere de condigno, quod videtur hic auctor intendere, planè non placet: tum quia illa attritio influeret eodem modo, etiamsi non esset præsens physicè; & etiâ tunc daretur maior ea gratia: quod sine fundamento negatur ab eo auctore. Vt enim quis per Sacramenta plus gratiæ recipiat, sufficit si immediatè ante per nobiliorem actum se ad illud disposuerit: & ita sentiunt communiter omnes: atqui, si præcessisset physicè ille actus, non haberet meritum de condigno augmenti gratiæ, ergo neque habebit, esto duret. Ratione item à priori suadetur, quia actus ille ante aduentum gratiæ in priori naturæ iam exercuit suam vim meritoriam; vnde non potest aliquid plus posteà mereri, sed summùm diuerso modo: ergo si anteà non meruerat de congruo eam gratiam, neque posteà de condigno: vnde tandem in hanc resolutionem videtur consentire hic auctor circà finẽ eius n. 34.

Attritio præter gratiam Sacramento subsequentẽ aliquem gradum gratiæ & gloriæ mereri potest.

Non est certa gratia statuta Sacramẽto Pœnitentiæ à Christo independẽter à dispositione.

Non placet quod videtur intendere Suarius, illud augmentum respondere de condigno.

Svbsectio II.

Probabile est etiam, in tertio casu non dari condignum meritum primæ gloriæ.

44. *Probabile est contritionem non mereri primam gloriam.*

Qvarta conclvsio, contritionem non mereri primam gloriam est probabilissimum. Id vt probabilius defendunt Vega Opusculo de Iustificatione q. 6. ad 9. & Lorcar. 2. q. 214. art 5. disp. 49. & multi recentiores. Probatur autem, quia nulla auctoritas est, nulla ratio quæ contrarium persuadeat: non auctoritas; neque enim in Scripturâ aut Concilijs vel leue verbum eâ de re reperietur: quod enim dicantur homines iudicandi secundùm opera, non denotat eos promerituros primam gloriam: vt patet in omnibus qui conseruarunt iustitiam baptismalem in infantiâ acceptam, & in eis, de quibus in Primâ & Secundâ conclusione: ad quos eodem modo extenduntur loca Scripturæ, quia generalia sunt; & tamen ferè omnes cum quibus iam ago sentiunt illos non mereri de condigno primam gloriam.

Testimonium Tridentini pro cõtrario.

Ex Conciliis solùm adducitur Tridentinum sess. 6. cap. 16. vbi ait, *Iustificatis nihil deesse credendum est, quò minùs bonis operibus vitam æternam promereantur.* Verùm miror à viris doctis locum hunc pro eâ sententiâ adduci, cùm manifestissimè loquatur Tridentinum non de opere, quo se homo ad iustificationem disponit, sed de factis post iustificationem; ait enim *iustificatos hortandos ex Apostoli verbis, vt abundent in omni opere bono*, &c. Quis autem non videat, eam adhortationem post iustificationem non posse esse ad opera priùs naturâ facta quàm sit iustificatio, multò minùs ad conseruationem illorum in posteriori naturâ, cùm ea conseruatio realiter nihil sit diuersum à productione eorum operum in eo instanti? Secundò, Concilium agit ibi cum iustificatis omnibus tam in infantiâ cum Baptismo, quàm adultâ ætate cum eodem & attritione, aut pœnitentiâ & attritione, etiamsi hæc attritio nõ fuerit in eodem instanti Baptismi: atque his non potest prima gloria proponi vt præmium (vt & fatentur hi cum quibus ago:) quomodo ergo illud testimonium vniuersale ita affertur? Tertiò, in eo testimonio definitio est distributiua. ac si diceret, *Cuilibet bono operi factõ in gratiâ*, &c. *nihil deesse vt gloriam promereatur*: at tale meritum gratiæ soli vni operi conuenire potest, cetera illo carent; quomodo hi ergo explicant definitionem Concilij vniuersalem & distributiuam, vt solùm in vno opere verificatur, innumera verò alia excludantur ab ea definitione, si nomine æternæ vitæ prima gloria intelligatur? Respondeo ergo, ibi vitam æternam poni indefinitè, vt abstrahit à prima & secunda, quia Concilium de eo augmento non cogitauit: vt enim etiam de illo, qui anteà erat dines, meritò tamen dici potest, hic homo acquisiuit diuitias, si post primas alias acquisiuit; ita dico de gloria.

Ad hoc respondetur. Primò.

Secundò.

Tertiò.

45. *Alterum testimonium eiusdem Tridentini.*

Secundò adducitur ex eadem sessione Tridentini can. 23. vbi definitur, iustificatem operibus, quę per gratiam Dei ab eo fiunt, mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, atque etiam gloriæ augmentum: iudicant autem quidam per eam distinctionem *vitæ æternæ & gloriæ augmentum* denotari primam & secundam: quid enim Concilium gratis eam repetitionem faceret, quam in gratia non fecit? Respondeo tamen Primò, me efficaciter ex hoc loco argumentari contra aduersarios: etenim manifestè Concilium agit de operibus quæ augmentum gratiæ merentur: id enim primum eis tribuit Concilium: atqui (vt fatentur hi cum quibus ago) opera, quæ merentur augmentum gratiæ, non possunt mereri primam gloriam, sed illius augmentum; ergo Concilium agit ibi de operibus quæ nõ possunt mereri primam gloriam; & tamen comprehendit omnia bona opera meritoria de condigno; ergo nullũ potest esse meritorium primæ gloriæ. Secundò respondeo eodem modo quo præcedenti testimonio, cùm hoc respõdeat definitioni eius c. 16. planè ea verba esse vniuersalia ad iustificatos tam in infantia quàm cum attritione, &c. quibus negatur meritum primæ gloriæ: item, ibi comprehendi omnia opera, cùm tamen in aduersa sententia id vni operi soli conueniat.

Respondetur Primò.

Secundò.

36. *Replica.*

Responderi fortè posset Concilium non definire, per quodlibet opus ea omnia iustos promereri, sed per aliquod augmentum gratiæ & gloriæ, per aliquod gloriam. Sed contrà manifestè Primò, quia debuisset vti Concilium particula disiunctiua *vel*, non autem coniunctiua *&*. Neque credendum est, à Concilio, in quo tot doctissimi Scholastici interfuêre, non magis eas particulas, quæ planè sensum totum permutant, considera-

Reijcitur Primò.

Digitized by Google

Secundò. consideratas. Contrà Secundò, quia si ea fuisset mens Concilij, ineptam fecisset transmutationem interponendo inter augmentum gratiæ τὸ *vitam æternam*. *Tertiò.* Contra Tertiò, quia si nomine vitæ æternæ Concilium intellexit primam gloriam, mirabile profectò fuisset, quod illud verbũ *primæ gloriæ* non occurrisset, vt clariùs res intelligeretur: item, quòd non dixerit primam gloriam & gloriæ augmentum, sed vsum fuerit verbo obscuro vitæ æternæ, vt non intelligeretur, quod voluerit, cùm tamen meritum primæ gloriæ definire intenderit. *Quartò efficaciter.* Quartò, & efficaciùs reijcio eam solutionem ad hominem; nam & Suarez, & Vasquez & alij ferè omnes contendunt ex hoc loco probare contra Bañes, quodlibet opus iusti quantumuis remissum mereri augmentum gratiæ: vnde manifestè colligo, hos auctores sentire, Concilium ibi ita loqui, vt quodlibet opus iusti dicat esse meritorium augmenti gratiæ, non verò sub disiunctione, *vel augmentum gratiæ, vel primã gloriam*; atqui per opera, quæ merentur augmentum gratiæ, iam dixi sæpè ex horum mente, non posse primam gloriam de condigno obtineri: ergo Concilij locus non pro illis, sed potiùs pro conclusione nostrâ stat.

Explicatur, quare Cõcilium posuerit verba illa vitam æternam & augmẽtũ vitæ æternæ. Quid ergo posuit ibi *vitam æternam & augmẽtum vitæ æternæ*? Respondeo Primò, ad declarandam vim meriti; quòd scilicet, eo ipso quòd significetur à gratiâ, esto non supponeretur ius ad vitam æternam, eam mereretur: seu vt clariùs dicam, opus bonum in gratiâ de se meretur præmium æternum; & quia iam supponitur per gratiam ius ad eam vitam, meretur illius augmentũ; sic aliquando ad maiorem emphasim solemus dicere, *iste homo est doctus, & doctissimus*, cùm certum sit in τὸ *doctissimus* includi quidquid in τὸ *doctus*. Idem patet etiam in ipso Cũcilio, quòd cùm dixisset *vitam æternam*, addidit, *& ipsius vitæ æternæ consecutionem*; cùm tamen mereri vitam æternam & mereri consecutionem illius sit idem. Nec sufficit dicere id positum, ad declarandum pro tali merito necessum esse, vt homo in gratiâ moriatur; hoc, inquam, non sufficit, quia totum declarabatur dicendo vitam æternam; si tamen in gratiâ decesserit; ergo τὸ *consecutionem* posuit pro maiori explicatione.

47. Adde, Esto concedamus Concilium dixisse, vel primam gloriam, vel secundam nostram conclusionem liberam esse, quia ad veritatem disiunctiuæ propositionis sufficit, quòd in vnâ parte verificetur. Constet ergo testimonium hoc nullo modo nos vrgere.

A ratione nihil est quod obijciatur. Recurrunt ad hoc, quòd gratia sit prior contritione. Hoc admisso, difficultatem integrã manere ostenditur. A ratione verò nihil est quod contra hanc conclusionem obijciatur, quin potiùs qui eam negant summè laborant, quomodo possit tale meritum reperiri: & (vt verum fatear) vix vllus bene respondet; nam vel recurrunt ad hoc, quòd gratia sit prior contritione: id quod à nobis est impugnatum: & quo admisso adhuc difficultas integra manet; nam per illam gratiam priorem homo non habet ius ad gloriam, ergo non potest illam promereri, quia quod cadit sub meritum, non debet antecà esse debitum homini: alij verò recurrunt ad secundum instans temporis, in quo conseruatur contritio: qui non satisfaciunt magis quàm primi; nam iam supponitur debita gloria vi prioris instantis. Quod si in secundo non sit nouum meritum, quia non est noua libertas (vt, ego opinor) minùs adhuc poterit esse condignũ meritum gloriæ; si verò è contrario noua admittatur libertas & nouum meritum, iam homo merebitur augmentum gloriæ, non verò primam illius dationem. Item, qui dicunt contritionem mereri in eo instanti secundum decretum gloriæ, vt Coninck disp. 8. dub. 8. secutus Patrẽ Suarez, adhuc non satisfaciunt difficultati; quia semper ponunt volitionem præmij, postquam iam homo habeat ius in præmium illud: quod, vt diximus, videtur esse contra rationem meriti: & relabuntur in opinionem Bañes, quem acriter impugnauerant; ille enim negat quidem operibus remissioribus meritum augmenti gloriæ; nihilominùs dicit ea mereri, vt detur nouo titulo gloria iam priùs promerita: & hoc modo explicat ipse Concilium, dum ait omnia opera iusta esse meritoria vitæ æternæ. Hoc autem à Suario & ceteris reijcitur, quia reuerà illud est nihil moueri; ergo si debemus concedere verum meritum primæ gloriæ, oportet illud explicare, ita vt non sit meritum solius noui tituli ad eam, aut solius noui decreti: quod ab his non præstatur. Denique *Qui simul dicunt esse vtrumque decretum, non satisfaciunt.* nec satisfaciunt, qui dicunt simul esse vtrumque decretum, quia non explicant, quomodo id possit esse, cùm ex alterâ parte supponant contritionem vt significatã esse posteriorem gratia; inde enim manifestè ostenditur, ipsum etiam meritum condignũ esse posterius gratia, & consequenter esse posterius iure ad gloriam: formaliter enim hoc ius in gratia consistit.

SVBSECTIO III.

Defenditur vt probabilius tale meritum.

48. QVINTA CONCLVSIO: His tamen non obstantibus propter maiorem auctoritatem Theologorum Scholasticorum, quos sequuntur & referunt Suarez illo cap. 28. num. 7. & Vasquez disp. 219. probabilius est, posse primã gloriam cadere sub meritum condignum. *Probabilius est contritionem primam gloriam mereri propter auctoritatem Doctorum.* Ratio est, quia nihil est quod contrarium ostendat, & (vt statim reiectis aliorum explicationibus vt insufficientibus facilè declaro) commodissimè saluatur, quî eo secundo instanti naturæ cõtritio possit accipere valorem ad tale meritum. *Ratio huius. Contritionẽ significari ad meritum non est posterius realiter aut naturâ, imo nec ratione, in rigore ipsâ gratiâ in subiecto existenti.* Pro quo aduerte, contritionem significari per gratiam ad meritum condignum, non esse posterius non solùm realiter, sed nec naturâ, imò in rigore, nec ratione nostrâ, quàm sit ipsa gratia existens in subiecto: vt enim hominem esse album, non est posterius ratione ad hoc, quod est, eum habere albedinem; ita hominem esse gratum Deo non est posterius nec ratione ad hoc, quod est eum habere gratiam; actum autem contritionis esse meritorium de condigno, nihil est aliud formalissimè, quàm subiectum eliciens illum actũ esse gratum: atqui existentia illius actus non est posterior gratia, dignitas item subiecti non est posterior ipsa gratiæ infusione, cùm in ea formalissimè consistat, ergo.

Obiectio. Dices tamen, Non intelligitur opus significatum, donec intelligatur etiam subiectum carens peccato; nam si (vt docuimus suprà) gratia esset simul cum peccato habituali (vt potest diuinitus fieri) contritio non esset meritoria de condigno: atqui peccatũ expelli est posterius natura quàm infusio gratiæ, ergo & significatio contritionis erit posterior natura quàm sit ipsa gratiæ infusio. Respõderet fortè quis, ad condignitatem operis sufficere, quòd gratia sit in subiecto, & præscindatur à peccato, etiamsi positiuè illud non intelligatur exclusum. Sed contrà, quia adhuc non intelli-

Digitized by Google

intelligitur tunc positiuè subiectum gratum Deo: cùm enim peccatum impediat amorem, non potest intelligi dignitas amoris, quousque intelligatur positiuè peccatum remissum. Melius ergo conceditur, in eo priori non esse dignitatem ad præmium (vt obiectio contendit;) inde tamen nihil contra nostrum intentum: nam si in eo priori subiectum non est dignificatum ad præmium, neque etiam adhuc in eo priori habet ius vllum ad gloriam. Ego autem in hac suppositione solùm contendo euincere, quàm cito homo dignificatur vt habeat ius ad gloriam, tam citò dignificari contritionem ad merendum; quia dignificatio contritionis est formaliter dignificatio subiecti: ergo non potest vllo modo priùs intelligi homo habens ius ad gloriam, quàm intelligatur dignificata contritio, ita vt si aliud non obstet, possit mereri de condigno.

Nostra & melior responsio.

47. *In eodē signo, quo infunditur gratia, & remittitur peccatū datur meritum de condigno.*

Dico ergo absolutè, in eodem signo, quo gratia infunditur, & peccatum remittitur, dari meritum de condigno primæ gloriæ: illi enim actui, qui iam anteà de congruo eam gloriam merebatur, nihil deerat ad condignitatem respectu eius gloriæ, nisi vt gratia dignificaret subiectum; ergo in ipso signo naturæ, quo gratia dignificauit, fuit etiam meritum. Rursus hinc colligo meritum condignum gloriæ fuisse prius natura quàm Deus habuisset voluntatem vllam dandi gloriam tali homini; nam voluntas ea fuit posterior natura quàm gratia; quia gratia fuit causa talis volitionis: atqui meritum fuit in eodem priori naturæ cum gratia dignificante, ergo fuit antequam Deus haberet volitionem dandi gloriam; ergo in eodem signo, quo ex præuisa gratia dignificante motus est ad volendum dare gloriam vt hereditatem, potuit optimè moueri simul ad dandam eam gloriam vt præmium; quia tam citò vidit meritum quàm vidit gratiam dantem ius hereditatis seu dignificantem, vt explicatum est.

Meritum gloriæ condignum prius naturâ fuit voluntate Dei dandi gloriam tali homini.

Manifesta disparitas, cur prima gloria cadere possit sub meritum, & non prima gratia.

Et hinc apparet manifestissima ratio disparitatis inter primam gratiam & primam gloriam, cur illa non possit cadere sub meritum condignū, hæc verò possit: etenim præmium debet esse posterius naturâ merito, vt sæpè diximus, gratiæ autem infusio non potest esse seipsâ posterior: licet enim non sit prior quàm condignitas, vt probaui, posterior tamen non est; ergo non potest esse effectus eius condignitatis, quia est forma constituens condignitatem: at prima gloria, seu volitio dandi primam gloriam, quia est posterior ad gratiam, poterit etiam esse effectus eiusdem gratiæ vt constituentis filium, & vt dignificantis. Vnde vnico verbo rem declaro: Quàm citò etiam ratione nostra ea gratia prima dat ius ad gloriam per modum hereditatis, tam citò constituit meritum condignum eiusdem gloriæ, ergo.

50. *Obiectio.*

Dices: Ius ad gloriam per modum hereditatis est idem cum ipsa gratia: atqui per illud ius formaliter est gloria debita homini, ergo meritum condignum non est prius quàm gloria debeatur, ergo neque causa illius; quia causa debet esse prior natura suo effectu. Respondeo, hoc argumento probari, ius hereditatis ad gloriam non esse præmium contritionis, quia est simul natura cum ipso merito; id autem clarioribus verbis nihil est aliud, quàm formaliter ipsam primam gratiam non esse effectum meriti: quod libentissimè concedimus: nego autem inde vllo modo inferri, ipsam gloriam non esse effectum; etenim gloria non est tam citò quàm ius ad illam: est enim effectus eius iuris. Vbi aduerte, ius illud nihil esse aliud quàm dignitatem ratione cuius Deus eum hominem teneatur acceptare ad gloriam: quousque autem Deus habet volitionem acceptatiuam, seu volitionem dandi gloriam, non cēsetur gloria esse illius hominis; ergo cùm ea volitio Dei (vt fusè probauimus) sit posterior quàm condignitas, potest optimè eam promereri actus ille condignus: vnde dico, nullam esse repugnantiam in eo, quòd in eodem signo, in quo est ius meriti ad vnam rem, sit aliud ius seu alius titulus, ita vt tituli duo sint simul, dummodò res ad quā est titulus, posterior sit vtroque. Hæc est declaratio vnica huius sententiæ, iuxta quam facillimè defenditur illud meritum, & assignatur disparitas sufficiens inter primam gratiam & gloriam, non recurrendo ad ea principia falsa, ad quæ multi, si non omnes, qui defendunt hanc sententiam, recurrunt.

Non repugnāt duo iura diuersa ad eamdem rem pro eodē signo si res vtroque posterior sit.

Vna sola restat difficultas, quòd scilicet gratia data in præmium actus non possit actum dignificare eo instanti, maximè cùm iam actus prior naturæ exercuerit totam libertatem, & habuerit suum præmium. Respondeo tamen, gratiam datam in præmium non posse dignificare ad nouum præmium, ad nouum tamen modum idem merendi posse; quia sicut ille modus nouus non tenet se ex parte actus, sed ex parte gratiæ, ita actu ipso immutato, & nulla noua libertate aduenient e, solùm ex eo quòd accipiat eam formam, quæ ei deerat ad condignitatem, potest in secundo instanti esse condignus eiusdem rei, cuius anteà solùm erat meritum congruum. Et satis de merito primæ gloriæ.

Gratia data in præmium non potest dignificare ad nouum præmium, potest tamen ad nouum modū merendi.

SECTIO VI.

Appendix: Quæ alia dona gratiæ cadant sub meritum condignum.

51. *Alia sunt dona gratiæ ad ipsam essentialem beatitudinē pertinentia, alia ad ipsius augmentum. Gratia habitualis in patriā nihil accipit physicū, ratione cuius consummata dicitur, nisi forte lumen gloriæ. Respectu tamen volitionis Dei extrinsecæ duas accipit denominationes, quòd nimirum sit incapax noui meriti. & peccati. Beatitudo accidentalis, vt distincta ab essentiali nō cadit sub meritum condignum: datur tamen per modum passionis naturaliter ex essentiali cōsecuta.*

DVPLICIA possunt esse dona gratiæ: quædam, quæ ad ipsam essentialem beatitudinem pertinent & ad eius augmentum: de quibus satis dictum est suprà. Vbi obiter aduerte, à nonnullis disputari fusè, quid sit gratia consummata, & in quo à gratia viæ differat; ac denique, vtrùm ea cadat sub meritum. Res est facilis, ideò duobus verbis expedietur. Dico ergo, gratiam habitualem in patria nihil accipere physicum ac reale ratione cuius dicatur consummata, nisi forte habitum luminis gloriæ, quo intellectus Beati completur ad efficiendam visionem beatam; in ordine tamen ad volitionem extrinsecam Dei accipere duas denominationes: vnam quòd iam sit incapax noui meriti: alteram, quòd sit incapax peccati: vtraque verò hæc denominatio conuenit etiam gratiæ hominis existentis in Purgatorio. Denique possumus addere denominationem, quòd iam careat omni culpa etiam habituali, & omni reatu ad pœnam: & hæc est denominatio propria hominis iam existentis in cælo: has verò denominationes meretur sine dubio homo de condigno, casu quo in gratia decedat; quia imbibuntur in merito beatitudinis.

Circa beatitudinem verò accidentalem, quæ in scientia infusa, in alijs dotibus animæ, in sensuum voluptatibus consistit, & nos fusè explicuimus Tomo 2. agentes de beatitudine, dicimus Primò eam beatitudinem, vt condistinctam ab essentiali, non cadere sub meritum condignum, ob rationem sæpè à nobis datam, quòd actus cōgnitas

Beatitudo accidentalis non infertur hinc, primam gloriam non esse effectum meriti.

Digitized by Google

dignitas occupatur tota in merito beatitudinis essentialis, ergo non potest simul aliquid aliud promereri: datur ergo ea beatitudo vel per modum passionis naturaliter consecutæ ex beatitudine essentiali; sicut si quis mereretur de condigno productionem hominis v.g. mediatè & per modum proprietatis mereretur passiones, quę ex essentiâ hominis promanant: vel certè dicendum est, eam dari ex liberalitate Dei.

52. *Per nullum actum homo meretur beatitudinem accidentalē, per quem non mereatur etiam essentialem.* Secundò dicendum, per nullum actum bonum hominem mereri eam beatitudinem accidentalem, per quem non mereatur etiam beatitudinem essentialem: vel enim actus est ab homine iusto, & in se supernaturalis, & tunc eo ipso merebitur beatitudinis essentialis augmentum: vel est naturalis actus, & tunc nullam neque accidentalem merebitur.

Obiectio. Dices, Propter actus naturales bonos habebit homò in cælis specialem voluptatem; ergo per eos actus augebit beatitudinem accidentalē sine essentiali. *Responsio.* Respondeo Primò, id non esse propriè mereri augmentum beatitudinis per eos actus, sed date occasionem vt ea augeatur per modum proprietatis debitæ ipsi visioni, vel certè emanāti ex speciali Dei volitione & liberalitate.

Laureolæ à Deo dantur specialiter ob certas causas. Tertiò dico: Laureolæ aliquæ speciales (quas suo loco explicuimus) dabuntur, non quia arguant maiorem gloriam in eis qui illas habent, quàm in alijs qui eisdem carent: sed quia Deus specialiter eas concessit ob alias causas, sæpè non tam ob opus meritorium internum quàm ob actionem externam, dabuntur etiam non ex merito condigno, sed summùm ex congruo; quia etiā illæ vt tales addunt aliquid supra præmium essentiale: vnde si in hoc promerendo occupatur tota condignitas operis, vt dictum est, non potest vlla manere pro obtinendis eis laureolis: quomodo autem nullum absurdum sequatur, eò quòd aliquando minùs beatus excedat in eis, ostendi suo loco.

SECTIO VII.

An post hanc vitam augeatur gratia iustorum.

53. ADVERTE, nos non agere de augmento ratione meritorum præcedentium: quidam enim (vt suprà vidimus) docent gratiam debitam actibus remissioribus primò infundi in fine vitæ. De hac ergo gratiâ non agimus, sed quærimus, an præter totam debitam actibus meritorijs, item, præter datam virtute Sacramentorum, aliqua superaddatur siue in instanti mortis, siue in initio beatitudinis.

Status quæstionis, an præter totam gratiam debitā & datam aliqua superadda-tur.

Varię circa hanc sententię.

Asserit quidam infanti post Baptismum moriēti plus addi gratię quàm vllus in hac vitā habuerit ante mortem, excepto Christo & B. Virgine habuerit. Matth. 11.

In quo puncto variæ sunt sententiæ; quidam enim adeò hoc augmentum extollunt, vt dicant, infanti cum solâ gratiâ baptismali decedenti superaddi à Deo maiorem gratiam quàm vllus in hac vitâ habuerit ante mortem, excepto Christo & beatissimâ Virgine. Cuius sententiæ illud videtur esse fundamentum, quòd cùm Christus Dominus de Ioanne Baptistâ dixerit, *Non surrexit inter natos mulierum maior*; per quod ostendit nullum Sanctum illo esse maiorem; statim tamen addiderit, *Qui autem minor est in Regno cælorum, maior est illo:* vnde inferre possunt hi auctores, Ergo minimus Beatus maior est Ioanne: hoc autem non potest fieri propter gratiam, quam ille Beatus habuit in via; ergo debet id intelligi ob superadditum augmentum in fine vitæ.

Aliqui dicunt, aliquid addi, non tamen tantū. Alij verò absolutè dicunt aliquid addi, non tamen rem adeò exaggerant: quorum fundamentum desumitur ex illo cōmuni axiomate Theologorum, *Deus præmiat vltra condignum, & punit citrà condignum.* Præterea Patres aliqui videntur significare Deum in remuneratione beatitudinis vti misericordiâ, quia merces est supra condignitatem. Ita Gregorius in Psal. 142. Verùm ibidem S. Doctor aliam reddidit rationem, quia scilicet opera nostra facta sunt præcedente Dei misericordiâ. Fulgentius lib. 1. ad Monim. c. 20. & alij in eumdem ferè sensum loquuntur. Coniectura est, quia decet magnificum Principem aliquid addere operarijs supra salarium debitum.

Alij dicunt illud augmētum non dari omnibus, sed aliquibus. Denique Tertiò alij auctores dicunt, illud augmentum non dari omnibus, sed aliquibus. Vt optarem sententiam hanc, maximè primam illā, esse veram, vtpote nobis incredibiliter fauorabilem, ita illam censeo omnino improbabilem tum ratione vniuersāli, quam circa secundam & tertiam vrgebimus, quòd scilicet sine sufficienti fundamento in re purè supernaturali, & à solâ Dei voluntate pendente, discurratur; tum quia tantus ille excessus omni omnino etiam apparenti fundamento destituitur, etiamsi fortè ad aliquid admittendum possit saltem esse apparens motiuum.

Duplex sensus primæ intentię. Vt verò rem magis distinctè refutemus, aduerte dupliciter posse eam primam sententiam intelligi; Primò, vt additamentum illud non sit in omnibus æquale, sed cuilibet iusto addatur v. g. quidquid illi deest, vt in cælo excedat sanctissimum iustum qui in vitâ fuit; vel, vt detur omnibus æqualis gratia, siue præcesserit in vitâ æqualis siue inæqualis; vel vt non omnibus æqualis, nec præcisè ad adæquandam intensionē sanctissimi hominis in mundo, sed inæqualiter, plus minus, ita tamen vt minima additio sit tanta, quanta tota gratia sanctissimi hominis in vita, aliquibus tamen adhuc plus superaddatur. his positis.

54. *In primo sensu hæretica videtur, quia omnes homines æquales facit.* DICO PRIMÒ: Ea sententia in primo sensu hæretica videtur, quia faceret in cælo æquales omnes homines, infantem cum Ioanne aut Petro: etenim supponitur infanti addi tantū de gratia, quantum deerat illi vt æquaret Ioannem, quem nunc claritatis gratia pono esse primum, Ioanni verò nihil addi; quia vt se æquaret non egebat augmento: igitur ea sententia omnes faceret æquales: deinde daret omnibus occasionem, vt nihil penitus curarent perfectionem in hac vita, quandoquidem quidquid deesset illis, & nihil amplius esset superaddendum in fine vitæ sine illorum labore.

In secundo sensu improbabilius est, propter absurda quæ inde sequuntur. SECVNDÒ DICO: In secundo sensu licet non sit ea doctrina erronea, est tamen planè improbabilis: quis enim Patrum aut Theologorum dixit, sanctissimum hominem inter omnes habiturum in cælo visionem duplo maiorem quàm promeruerit, alios verò Sanctos ex inferioribus habituros etiam millies millies maiorem? non enim dubium, quin gratia Ioannis Euangelistæ aucta in tot occasionibus, vbi suam liberalitatem Christus erga Apostolos exercuit, item per 70. aut 80. annos continuis ardentissimis meritis, continua susceptione sanctissimæ Eucharistiæ etiam martyrio in affectu admisso, non inquam dubium quin fuerit ea gratia millies millies maior quàm in infante Iudæo olim cum sola circūcisione mortuo. Quo ergo fundamento Iudæolo dicemus millies millies in cælo plus gratiæ infundendum quàm habuerit in mundo? Et hinc

Digitized by Google

hinc eodem modo reijcitur ea sententia quoad tertium sensum; nam inconueniens non vitatur per hoc, quod adultis superaddatur etiam plus: id enim potiùs auget quàm minuit difficultatem.

55. *Ad locum Matth. 11. Respondet Maldonatus.*

Ad locum verò Matth. 11. de Ioanne variæ adhibentur expositiones, omnésque præter intentũ auctorum cum quibus ago: probabilis valdè est quam Maldonatus noster ad hunc locum adhibet, vt dicatur Ioannes maior Sanctis qui in veteri Testamento fuerant: addit Maldonatus eum deinde dici minorem minimo in Regno cælorũ, intelligendo Regnum cælorum legem gratiæ: ac si dixisset Christus, *In lege tamen gratiæ etiam minimus potest esse maior Ioanne.* Hanc tamen secundam partem nullo modo approbo, quia si Ioannes accipiebatur vt pertinens ad legem veterem, etiam potuit in illa excedi, esto nullus eum excesserit de facto; ergo non debuisset dici maior illis: patet, quia sicut dicitur minor respectu legis gratiæ, quia potest excedi in eâ lege gratiæ, etiãsi non excedatur, ita debuit dici minor respectu legis scriptæ, quia etiam in eâ potuit excedi: non ergo benè concordãt eæ duæ expositiones Maldonati. Meliùs ergo, admissâ primâ, qui minimus in cælo est ratione visionis, impeccabilitatis &c. dicitur maior esse Ioanne dum est in vitâ: per quod nec leuiter insinuatur ille excessus in gratia. Addo ego, sicut Christus loquebatur de Sanctis tantum qui fuerant, ita posse intelligi sequẽtia verba de solis illis, qui tunc erant in cælo; nã Angeli beati saltem ratione naturæ erant meliores. Et satis de hoc loco; qui etsi difficilis sit, à nemine tamen explicatur in faubrem eius sententiæ.

Secunda pars expositionis Maldonati non est valdè probabilis.

Melior eius explicatio.

Reijcitur in secundo sensu.

Illam autem in hoc secundo sensu reijcio, quia quo, quæso, fundamento excipit gratiam beatissimæ Virginis? certè cùm cuilibet dicat addendum plus quàm supremus Sanctus habuit; potuisset etiam dici addendum plus quàm habuit beatissima Virgo: esset enim hoc ipsum in gloriam eiusdem Virginis, quia etiam ipsa reciperet tale augmentum: vnde quo magis illud ponatur, eò plus reciperet Virgo, esséque inde gloriosior in se, & aliunde maneret semper æquè superior ceteris Sanctis; nam simul cum illis additur, multum etiã ipsa recipiet; ergo manebit semper in illâ excessus, quem habuit in vitâ. Vides hos, dum volunt beatissimam Virginem extollere, ei negare magnum incrementum gratiæ. Vltimò ea sententia reijcitur, quia Deus in præmiando Petro v.g. non considerat quod alij Beati habeant, sed quod sit illis debitum, ergo non est dicendus Deus attendere quid habeat supremus Sanctus, vt det tantundem aut plus infanti, daturus alioquin minus, si alter iustus non habuisset illam magnã intensionem; non enim ob labores gloriosos Pauli datur plus infanti, ergo.

Vltimò reijcitur.

56. *Secunda sententia minùs probabilis est.*

TERTIÒ DICO contra secundam sentẽtiam, eam esse minùs probabilem, quia (vt insinuaui paulò antè) in re miraculosa, & solùm à Dei voluntate pendẽte, discurrit sine solido fundamẽto, imò non parum videtur reijci modo loquendi Scripturæ, quæ sæpè insinuat, præmium vel pœnam in cælo & inferno futuram iuxta ea quæ homo habuit in vita; & licet per hoc expressè non negetur illud augmentum, virtute tamen satis reijcitur (vt benè ait Pater Suarez) eò quòd fides dicat Verbum incarnatum, etiamsi non neget Spiritum sanctum incarnatum, non licet hoc vltimum asserere; item, quia fides docet, tres esse personas Trinitatis, non licet addere quartam; et-

go eodem modo in præsenti, cùm præmium seu visio dicatur iuxta ea quæ homo habuit in vita, non licebit addere aliquid præter hoc.

Magis displicent, qui augmentum illud aliquibus tribuũt, aliquibus negant sine fundamento.

Vltimò dico, qui illud augmentum aliquibus tribuunt, alijs verò negant, longè magis displicent, quia incurrunt inconuenientia aliorum, & simul eam inæqualitatem absque fundamento asserunt: si enim loca Patrum suprà posita aliquid persuadent, cùm sint vniuersalia, cogunt vniuersaliter loqui; si verò nihil probant, tunc clarius apparet, quàm sine fundamento pro libitu solo discurratur.

Respondetur ad Patres.

Iam hinc ad ea quæ suprà allata sunt. Ad Patres dicimus, omnes illos vel prædicare misericordiam Dei, quæ præcessit opera nostra, vel loqui per aliquã auxesim, comparando gloriam in esse physico non in valore cum meritis: id quod sit mihi valdè probabile; nam sæpè dicunt excedere incomparabiliter & ineffabiliter; hoc autem non videtur posse habere sensum probabilẽ ob solos aliquos gradus intensionis, sed ob differentiam essentialem, iuxta ea quæ Paulus 2. ad Corinth. 4. dixit, *Momentaneum & leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis:* & ad Romanos 8. *Non sunt condigna passiones*, &c. vbi maximè loquitur de præmio respondituro operibus, non de augmento gratis addẽdo, de quo hi loquuntur: iuxta quem sensum mensura dicitur conferta & coagitata, copiosa, &c. vel denique loquuntur Patres de alijs præmijs ad beatitudinem accidentalem pertinentibus, in quibus maior locus est liberalitatis.

Axiomatis Theologici tres expositiones. Prima.

Axioma illud Theologicum varias habet expositiones, quas tangit Suarez cap. 31. mihi tres placent: duæ sunt quæ præcedentem solutionem confirmant: Prima, vt dicatur præmium vltra cõdignum, considerando opera secundùm se, & non vt significata à gratia: Secunda, vt dicatur in esse rei præmium vltra condignum: Tertia, vt vltra condignum Deus præmiet ratione beatitudinis accidentalis. Ad illam congruentiam dicimus eã habere locum in humanis, quia Princeps ante solutionem nullam exercuerat liberalitatem cum operarijs: at cùm Deus omnia illa ipsa merita liberaliter dederit, non fuit necessum date postea amplius per nouam liberalitatem.

Secunda. Tertia. Ad congruentiam responsio.

DISPVTATIO LVII.

De merito congruo.

SECTIO I.

An detur.

1. *Sotus negat meritum de congruo. Affirmant Scholastici.*

ESTI Sotus lib. 2. de Natura & gratia c. 4. neget vllum dari meritum de congruo, eò quòd in Augustino & Patribus de eo non fiat mentio; nihilominùs communis omnium aliorum Scholasticorum consensus illud admittit, vt videre est in Diuo Thoma q. 114. art. 6. & in 2. dist. 17. Bonauentura ibi art. 2. q. 2. & dist. 27. & alibi passim. Admittitur etiã re ipsa licet non sub hac voce, ab Augustino, alijs Patribus & Concilijs, maximè à Tridentino: etenim Augustinus passim admittit fidem esse

Patres re ipsâ admittunt.

Digitized by Google

meritorium iustificationis, etiamsi ad eam debeat præcedere auxilium gratiæ. Ita lib. de Prædestinatione Sanctorum c. 2. Epistolâ 105. vbi ait, *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides eam impetrat; nequeenim nullum fuit meritum illius qui dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori.* & Epist. 106. *Si quis dicas, quòd gratiam benè operando fides mereatur, negare non possumus.* & alibi passim. Idem docet Prosper contra Collat. c. 6 & ad Excerpta Genuensium dub. 3. Fulgentius lib. de Incarnatione & gratiâ c. 18. & Petrus Diaconus lib. etiam de Incarnatione & gratiâ cap. 8. hos autem locutos de merito congruo patet, quia condignum esse non potest ante gratiam. Hoc ipsum ex Tridentino suadetur; nam sess. 6. cap 6. dum describit modum præparationis ad iustificationem, ponit re ipsâ meritum congruum: illas enim dispositiones sic præparantes vocamus nos meritum congruum; de quibus ex Scripturâ docet, quod expellant peccatum: & iterùm sess. 14. cap. 5. docet, contritionem extra Sacramentum ad iustificationem disponere id quod per solum meritum congruum fieri potest: ibidē etiam de attritione & alijs actibus minùs perfectis ait disponere ad impetrandam iustificationē: neque obest quòd ea sess. 6. dixerit, nullum opus, quod iustificationem præcedit, eam mereri; negat enim ibi solùm meritum condignum, non congruum. Idem denique suadetur ex Scriptura, in qua eleëmosynis, ieiunijs & orationibus tribuitur, quòd liberent à peccato, iuxta illud Danielis ad Nabuchodonosorem, *Peccata tua eleemosynis redime.* & alibi: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* atqui hoc non potest esse per meritum condignum, ergo debet intelligi per impetrationem seu meritum congruum.

Dan. 4. Eccli. 3.

2. Obiectio Prima. Responsio.

Dices Primò: In homine existente in peccato non est meritum vllum, in iusto verò omnia sunt condigna, ergo. Respondeo negato antecedente, quoad vtramque partem; nam peccator etsi non habeat condignum, habet congruum meritum: quoad secundam item, iustus augmentum gratiæ meretur de condigno, at auxilia aliáve dona gratiæ solùm de congruo.

Obiectio Secunda. Responsio.

Secundò dices: Meritum de congruo non dat ius vllum ad præmium. Distinguo, *ius perfectū*, concedo; *imperfectum*, nego. Vtrùm autem conueniant duo merita hæc analogicè, potest in dubium verti: dico tamen posse vocari vniuoca, licet posteà differentiæ sint valdè inæquales: vt ens in nostrâ sententiâ dicitur vniuocum respectu Dei & creaturæ.

Aliqui tertiam speciem meriti admittunt.

Tertiò dices, Deus non potest fieri debitor nisi promittat; si autem promittit, iam meritum erit condignum, ergo. Nego minorem, quia condignum meritum vltra promissionem requirit æqualitatem cum præmio; vnde licet contritioni sit promissa iustificatio, non tamen ideò eam meretur de condigno, sed solùm de congruo.

Aduerte, aliquos posuisse tertiam speciem meriti, immeritò tamen, quia quidquid attingit æqualitatem dicitur condignum, quidquid ab eâ deficit, dicitur congruum; licet posteà intra genus congruitatis sint variæ species: quando enim semel ab æqualitate deflectitur, magna est in æqualitate latitudo.

SECTIO II.

Quæ conditiones ad meritum congruum requirantur.

CVM dixerimus meritum congruum esse speciem meriti vt sic, certum est ad illud requiri vt actus sit liber & bonus; nam indifferens nihil meretur, multò autem minùs qui malus est: id quod intelligendum de absolutâ bonitate; nam si ex aliquo capite Deo displicet simpliciter, nihil poterit apud Deum mereri: item intelligendum, debere tale opus bonum existere; nam quod non est, non potest nec de congruo, nec de condigno operari. 3.

SVBSECTIO I.

Quid de supernaturalitate actus: & an opus ex se condignum possit esse meritum congruum.

CIRCA primum quærimus, vtrùm ad meritum de congruo requiratur opus bonum esse supernaturale. Pro solutione aduerte, meritū congruum posse comparari vel cum præmio naturali, vel cum supernaturali: si de naturali sermo sit, non dubium in opere naturali bono posse esse congruitatem cum illo, & verò etiam sæpè cōdignitatem, & vltra condignitatem, quia cùm sint in eodem ordine, potest contingere, vt præmium sit leuis momenti, meritum verò naturale sit magnæ considerationis. Solùm ergo agitatur præsens difficultas circa præmium supernaturale: est autem ratio dubitandi, quòd in merito congruo non exigitur æqualitas, sed sufficit imperfectissima conueniētia cum præmio; hæc autem videatur sæpè dari inter opus bonū naturale, & præmium supernaturale, v.g. auxilia gratiæ, aut, si vis, ipsam etiam gratiam sanctificantem, ergo. Hac de re tractat Pater Turrianus disp. 41. dub. 6. solùm referens varias opiniones; propendet tamen in affirmantem, quam Tom. de Gratia disp. 6. de merito absolutè defendit. imò in eisdē operibus factis ab homine iusto admittit cum Patre Vasquez cōdignitatem ad gratiam & gloriam. Ego tamen longè iudico probabilius, & cōformius Concilijs ac Patribus, Primò, non dari condignitatem, quia ea semel admissa, vix possumus probabilem rationem reddere, cur de facto dentur alij actus in substantia supernaturales: de quo suprà fusiùs. Hinc Secundò consequenter cēseo negandum eis operibus meritum etiam congruum, licet longè mihi probabilius sit illud primum quàm secundum hoc. Id quod probo Primò ex ipsis contrarijs auctoribus; admittunt enim tale opus, si fiat sine auxilio gratiæ, non esse meritorium; inde infero, Ergo esto fiat cum eo auxilio, non erit meritorium: quòd enim Deus liberaliter det auxilium ad efficiendum tale opus, non auget valorem operis magis quàm si illud idem auxilium dedisset ex necessitate naturæ. Id quod, re prudenter considerata, mihi videtur euidens, quia neque inde subiectum operans redditur magis iustum aut magis Deo placens; neque opus ipsum est laudabilius, maximè cùm ea ratio gratiæ ignoretur ab operante & consequenter sit omnino inuoluntaria. Denique, auxilium in se non est nobilius, vt

An supernaturalitas ad meritum de congruo requiratur.

Ratio dubitādi, quia tali non requiritur æqualitas cum præmio. Turrianus propendet in affirmantem.

4. *Talis condignitas non requiritur.*

Probatur.

Digitized by Google

vt possit propterea efficere actum esse meliorem: etenim in sententia Vasquez & Turriani (cum quibus nunc disputo) idem numero auxilium, quod est efficax, & consequenter ex gratiâ per Christum, potuit esse putè sufficiens, si non præuisus fuisset homo ei responsurus: quo casu non fuisset ex gratia, iuxta hos auctores; ergo in se idem est, siue detur ex gratia siue sine illa; ergo & opus erit eiusdem valoris. Sed permittamus, illud auxilium esse nobilius, certè non ideò faciet opus melius. Quod enim principium extrinsecũ operis sit in se nobilius, non efficit opus esse melius, nisi diuersum in specie producat. Id euidenter probo ex auxilio extrinseco, quod est ipsa Dei omnipotentia, ideóque longè & infinitè nobilius quàm habitus charitatis v.g. & tamẽ nemo propterea dicit nobiliorem esse actum charitatis, factum per auxilium extrinsecum, quàm factum per habitum; seu, vt melius inferam, nemo dicet minùs esse meritorium, quando fit per habitum, quàm quando fit per auxilium extrinsecum. Idẽ ergo dicendum de opere facto ex auxilio per gratiam, aut ex auxilio non gratuito, si entitas operis in se eadẽ sit. Ratio à priori facilis est, quia illud auxilium non vnitur operi, vt possit illud dignificare. Iam verò addo (quod fortè primo aspectu paradoxum videbitur) si liberalitas seu gratia reperta in donatione auxilij immutatura esset valorem operis, potiùs diminuturam illud quàm auctura: id quod reputo omnino certum, re prudenter considerata. Si enim Rex det v.g. equum liberaliter & gratiosè Petro, vt pugnet in eo, profectò minùs inde Rex tenebitur eum remunerare, quàm si eumdem equum dedisset ex obligatione, seu quia eum illi debebat. In priori enim casu vt minùs ex suo Petrus posuit; nam equum gratis accepit; ita etiam iudicatur minùs promeritus à Rege, & hic minùs obligatus ad remunerandum: in secundo verò, quia magis ex proprijs pugnauit (suppono cetera paria) ad maius præmium censetur habere ius; sicut etiam qui sine vllâ obligatione inseruit alteri, ceteris paribus, plus meretur, quàm qui ad id multis titulis erat obstrictus. Ratio à priori, quia magis in eo ostendit suam ingenuitatem & suum affectum erga alterum, quàm si coactus quodammodò ipso beneficio accepto præstaret obsequium.

Idem numero auxilium, quod est efficax, potuisset esse putè sufficiens, si non fuisset præuisa responsio.

5. *Ratio à priori.*

Obiectio.

Dices, ideò in tali casu opus esse magis Deo gratum, quia ex meritis Christi datur illud auxilium. Sed contrà Primò manifestè; nam totũ hoc ad operis dignitatem habet se per accidens: neq; enim ideò opus in se est melius, aut homo operans magis gratus. Contrà Secundò; nam quòd Christus petierit illud auxilium, potiùs efficit, vt respectu Dei ea donatio sit minùs gratiosa: quantò enim persona petens rem aliquam leuem est maioris momenti, eò donatio talis rei est minùs liberalis; ergo potiùs ex eo quòd Christus sit tale auxilium promeritus, illúdve petierit, erit minùs gratiosum, & propterea opus factum ex illo erit minùs meritorium, si liberalitas in donatione possit augere meritum. Quòd verò Deus infinitè amet Christum, ob quem dat Petro auxilium, nõ reddit Petrum in suâ operatione digniorem laude: sicut si ad instantiam alterius Regis donaret Rex equum Petro pro pugnâ, nemo diceret, illũ ex eo solo capite futurum digniorem præmio præ alijs, qui proprijs equis, vel immediatè ab ipso Rege sine intercessore donatis, æquè se gesserunt generosè. Constet ergo non posse concedi meritum congruum eis operibus naturalibus factis ex auxilio gratiæ, si eisdem, casu quo fierent sine auxilio gratioso, idem meritum negaretur, ideóque argumentum à nobis factum ad hominem efficax esse.

Respõsio Prima.

Secunda.

6. *Difficile est probare, tale opus non esse meritorium de congruo, siue ex auxilio à Deo liberaliter cõcesso, siue ex necessitate naturæ fiat.*

Difficiliùs sanè probari poterit absolutè, tale opus non esse meritorium de congruo, siue fiat ex hoc siue ex illo auxilio, siue liberaliter concesso, siue ex necessitate naturæ: nihilominùs tamen probatur ex dictis suprà contra Patrem Vasquez; ostendimus enim dari talia multa bona opera naturalia ante fidem in Gentilibus; ostendimus etiam ex Patribus & Concilijs non cadere sub meritum (nec quidem congruum, vt volebant Semipelagiani) vocationem ad fidem, seu auxilia ad fidem; ergo ea opera non sunt meritoria de congruo talium auxiliorum supernaturalium. Quæ ratio si non omnino euidenter ostendit intentum, certè persuadet, magis nos accedere ad modum loquendi Patrum & Conciliorum per hanc sententiam. Ratio à priori illius esse potest, quòd opus naturale, cùm sit in diuerso ordine respectu præmij supernaturalis, non videatur habere vllam neque congruam exigentiam illius; & licet, dum homo est in gratiâ, inde aliquantulùm eiusmodi opera dignificentur, & fortasse tunc possit minùs improbabiliter admitti in eis tale meritum congruum; quia tamen semper manet inferioris ordinis, dicendum censeo, etiam ex eâ dignificatione non eleuari nisi summùm ad plura præmia ordinis naturalis promerenda. Quòd verò poterat responderi, Patres & Concilia negare meritum eis operibus ante fidem factis, ea solùm ratione, quòd non sint ex auxilio gratiæ, iam est à nobis reiectum; ostendimus enim, potiùs ex eo capite debuisse esse magis meritoria: neque vmquam in Patribus ea ratio inuenietur, sed potiùs quòd talia opera sint ad id improportionata. Et satis de prima quæstione huius subsectionis.

Ratio à priori.

Ex eâ dignificatione eleuatur tãtùm ad præmia naturalia.

Circa secundam verò, an opus alioquin ex se condignum præmio possit ex alio capite habere defectum, ratione cuius solùm sit meritorium de congruo respectu eiusdem præmij, notandũ est: si tale opus, omnibus pensatis, habeat condignitatem, implicare in terminis, vt tunc sit congruũ, quia esse condignum, & congruũ, est esse æquale & inæquale: id quòd respectu eiusdem præmij ac simul & semel omnino repugnat. Ideò eam quæstionem ita proposui, vt opus illud ex se quidem condignum foret, si aliunde non impediretur ea æqualitas. Quo posito iudico omnino id posse fieri, si meritum illud occupatur in promerendis alijs præmijs de condigno; tunc enim respectu alterius præmij, alioquin ex se minoris, non habebit hîc & nunc condignitatem, sed solùm congruitatem: ex quo capite diximus suprà, de facto per actus supernaturales iustorum non obtineri de condigno auxilia congrua, aut bona temporalia, aliáve dona, etiam minora, non quia actus illi ex se non sint tali præmio condigni, sed quia sunt alibi occupati. Et verò de facto Vasquez ponit in Beatis tale meritum congruum in ordine ad res minoris valoris, quàm sint supernaturalia opera ipsorum, ideò paulò antè contrà Sotum dixi malè negari iustis tale meritum.

An opus aliàs ex se cõdignum præmio ex defectu saltẽ mereatur de cõgruo.

Obiter hinc deciditur dubium (de quo aliqui fusè) an status gratiæ requiratur ad eiusmodi meritum; probatum enim est, tantũ abesse vt requiratur, vt frequentius sine eo statu reperiatur, & obesse potiùs quàm prodesse videatur, quia status gratiæ dat condignitatem, quæ est contra rationẽ

7. *Respondetur ad dubium.*

Digitized by Google

meriti congrui, vt diximus; nihilominùs tamen absolutè non obesse constat ex ratione datâ.

Obiectio ex Paulo. Obijcies Paulum 1.ad Corinth.13.docentem, alia opera sine charitate nihil prodesse. *Responsio Prima.* Respondeo, Paulum eo sensu locutum vt dicat, absolutè & ad meritum condignum non prodesse quidquam, nisi accedat charitas; non verò negasse, ea opera disponére & mereri de congruo, vt veniat ipsa charitas, seu, vt dentur auxilia congrua ad illam. *Secunda.* Secundò respondeo, summùm inde suaderi extra statum gratiæ non dari tale meritum, at in iustis & in charitate existentibus illud non dari nullo modo inde suaderi.

SVBSECTIO II.

Quid de statu viatoris.

8. *An ad meritum de congruo requiratur status viatoris. Viator in vno sensu idem est ac capax merendi. Vasquez vno in loco tale meritū Beatis respectu sui negat. Affirmat alibi.*

GRAVIOR difficultas est, an ad hoc meritū requiratur status viatoris. Vt verò voces vitemus, aduerte viatorem in vno sensu idem esse ac capacem merēdi; quo sensu, si negamus illum esse viatorem, negandum eo ipso est, esse capacē meriti: vt ergo ea æquiuocatio tollatur, quærimus, an in cælo vel in Purgatorio iusti aliquid tam sibi quàm alijs promereantur de congruo. P. Vasquez in hoc puncto videtur fuisse inconstans; nam primâ parte disp. 230. (per errorem ab aliquibus citatur disp.20.) cap.2.n.2.omnino negat Beatis meritum etiam congruū respectu sui; at verò 1.2.disp.216.cap.4.contrarium asserit, nec retractando, nec explicando, quæ priùs dixerat. Pro priori parte negante stat D. Thomas 1. p. q.62.art.9.ad 3. Medina 1.2.q.114.art.6.& Suarez fusiùs Tomo 2. de Religione, lib. 1. de Orat. cap.11.& 22.& hîc lib.12.cap.34. pro affirmante verò sententiâ stat Vasquez eo loco 1. 2. vbi refert D. Thomam in 2. dist. 5. q.2.art.2. Bonaventuram, Sotum, Gabrielem: quos etiam Suarez hîc refert.

9. *Præmiū accidentale non merentur Beati de congruo.*

DICO PRIMÒ: Si de præmio etiam accidentali ipsis Beatis concedendo loquamur, probabilius est, eos nec de cōgruo illud mereri; quia in primis nouum præmium essentiale non merētur, accidentale verò, etiamsi augeatur, totum tamen videtur respondere prioribus meritis, quatenus illa præmia debentur essentiali præmio, seu quatenus ex illo connaturaliter consequuntur. Addit Suarez aliam rationem; nam si semel illis concedatur meritū respectu beatitudinis accidentalis, illud debebit esse condignum; nam opera illa in cælo facta, cùm non occupentur in merito gloriæ, procul dubio retinent plus quàm condignitatē cum alijs præmijs minoribus; qualia sunt beatitudo accidentalis, quæ est propriè infinities minor visione beatâ: atqui meritum condignum nemo illis tribuit, ergo nec debemus illis dare congruum. Si verò dicas, ideò illud esse congruum, quia non acceptatur à Deo, qui non promisit dare illis operibus præmium;

Ratio Suarij.

Replica. Rursus vrgeberis; nā sine promissione non stat vllum meritum, nec quidem congruum. Hæc tamen impugnatio nullius est momenti, quia peccator habet congruum meritum auxiliorum ad pœnitentiam; & tamen non est promissio infallibilis Dei de illis dandis. Meliùs ergo ea obiectio reijcitur, quia solùm probat, non semper Beatos habere tale meritum condignum, seu, non semper Deum moueri eorum operibus ad dandū præmium: quod autem, quando mouetur, non moueatur de condigno, suppositâ æqualitate operis cum præmio, nullo modo persuadet; ergo vel concedendum est meritum cōdignum, quod, vt dixi, nullus admittit, vel certè etiam congruū negandum; ergo adhuc bona est ratio ea Patris Suarez: nihilominùs, ob dicenda paulò pòst circa Secundam conclusionem, non iudico eam sufficientem, ideóque standum Primæ.

Reijcitur.

Possunt de congruo accelerationem resurrectionis mereri. Dixi de præmio accidentali; nam de acceleratione resurrectionis, pro quâ etiam illi orant (vt aliunde suppono) dicendum idem erit quod de oratione pro alijs, pro quibus mereri de congruo statim probabo.

10. *Obijcitur, illos etiam mereri beatitudinem accidentalem. Respondetur.*

Obijci tamen potest, ad probandum eos mereri etiam beatitudinem accidentalem; nam Christus habens visionem beatam promeruit sibi gloriam corporis, etiamsi ea esset debita connaturaliter ei visioni, ergo eodem modo poterunt eam promereri Beati. Respondeo Primò, fine dubio potuisse Deum id ita disponere in Beatis; negamus tamen factum esse, quia Christus non habebat ius meriti ad eam gloriam corporis, ideò voluit eam promereri: at Beati habuerunt in terris talę ius, vnde non fuit necessarium illud repeti in cælo: deinde Christus fuit simpliciter viator, at Beati iam in cælo sunt absolutè in termino: id quod colligimus (ne sit petitio principij, vt suprà notaui) ex consensu Theologorum, & quia in hac materiâ supernaturali pendente à solâ Dei voluntate non debemus dicere plus quàm habeamus ex Scripturâ, Concilijs, Patribus & constanti doctrinâ Theologorum: Christum certè promeruisse gloriam sui corporis habemus probatum ex Scripturâ Lucæ vltimo: *Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Vt autem dicamus Beatos mereri, non est vlla ratio aut auctoritas; imò, cùm sit præter naturam rerum, vt id quod debetur iam vno titulo cadat sub meritum, & beatitudo accidentalis iam sit eis debita, potiùs habemus rationem ad asserendum contrarium.

Obijcitur Secundò. Dices Secundò, Beati orant pro se; atqui ea oratio est meritum congruum; ergo de hoc argumento paulò pòst.

11. *Beati merentur pro alijs de congruo.*

DICO SECVNDÒ: Beati pro alijs merentur de congruo. Hanc tenet constanter Vasquez tum locis proximè citatis, tum 3.p.disp.76.n.7.& alij, de quibus statim: vt verò eam probemus, oportet Primò soluere argumentum quo ea maximè videtur impugnari; illud autem circa præcedentem conclusionem tetigimus; formatúrque sic: Si semel admittimus eos mereri, debemus admittere meritum condignum; nam auxilia, quæ maximè pro alijs possunt obtinere, non excedunt (vt suprà diximus) condignitatem operis supernaturalis à iusto facti, nisi tale opus sit impensum in meritum condignū alterius præmij; atqui Beati nihil aliud tunc merentur, ergo vel nullū habebunt meritum, vel illud erit condignum.

Argumentū, quo maximè impugnatur hæc veritas.

Soluitur. Actiones iustorum non ordinantur nisi ad promerenda dona gratiæ ipsis. Pro huius ergo solutione dicimus, actiones iustorum etiam Beatorum natura sua non ordinari nisi ad bona gratiæ ipsi subiecto promerenda, Deúmque noluisse ea acceptare de facto, nisi per modum impetrationis: quam impetrationem solùm esse meritum congruum statim dicemus: vnde ex hoc capite etiam circa se possent habere meritum congruum respectu accelerationis beatitudinis, quam petunt; eo ergo argumento soluto.

Probatur nostra cōclusio. Probo nunc conclusionem: Beati orant pro alijs, & impetrare possunt quod petūt: atqui impetratio est meritum congruū, vt supponit Augustinus Epistola 105. his verbis: *Nec ipsa remissio peccatorum*

Digitized by Google

peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat, ergo, apud Augustinum impetrare est mereri. P. Suarez eo cap. 34. n. 8. respondet, à D. Thomâ supra accuratè distinctum meritum ab impetratione. Ego tamen puto D. Thomam solùm condidisse meritum condignum ab impetratione, non autem meritum congruum, de quo nunc nobis sermo; agit enim de oratione, quatenus procedens ex charitate habet vim merendi; hoc autem meritum est condignum, non congruum: id quod magis declarat ad primum, vbi ait orationem sine gratiâ gratum faciente non esse meritoriam: constat autem eam esse de congruo meritoriam, seu impetratoriam, quia meritū innititur iustitiæ, oratio seu impetratio gratiæ. Quæ omnia quis non videat esse de solo merito condigno intelligenda. Ergo non benè D. Thomas adducitur ad probandam distinctionem impetrationis à merito congruo; vnde haud improbabiliter Medina & alij recentiores apud eumdē Suarez dixerunt, quæstionem esse de nomine, an ea impetratio sit dicenda meritum congruum. Neque differentiæ quas idem auctor ibi adducit, sunt sufficientes; summùm enim eis probatur, orationem non tam latè petere quàm meritum, quia hoc abstrahit à petitione, & conuenit alijs actibus; impetratio verò fundatur in petitione: & hoc probat vltima differentia, quam ipse addit. Prima verò D. Thomæ, quòd meritum fundetur in radice charitatis, conuenit soli merito condigno; sicut & Secunda, quòd scilicet oratio sine gratiâ non sit meritoria de condigno: Tertia, quòd oratio solùm sit rei postulatæ, præmium verò etiam aliarum rerum. Quòd item impetratio fundetur in liberalitate Dei non iuxta, quia id ipsum conuenit merito congruo, vt condistincto à condigno; vnde dicere possumus, hoc congruū meritum non respicere Deum vt retribuentem, sed vt donantem.

Meritum de congruo non distinguitur ab impetratione.

12. Non benè distinctionem meriti de congruo ab impetratione adducitur S. Thomas.

Obiectio Prima.

Dices: Supponitur aliquid ex parte operis: fateor; at addo, etiam orationem seu petitionē quà talem esse aliquod motiuū vt concedatur res petita. Quòd dicit impetrationem posse separari à merito congruo, non sufficienter probatur.

Secunda.

Dices: Peccator impetrat, & non meretur. Respondeo, De condigno non meretur, concedo; de congruo, nego.

Tertia.

Dices: Christus non meretur in cælo, & tamen orat. Respondeo sub lite esse, an oret: de quo alibi. Secundò responderi potest, sicut orat repræsentando sua antiqua merita, ita etiam posse dici mereri nunc; non quia de nouo sint merita, sed quia nunc de facto operantur mouendo nunc Deum.

Quarta.

Denique dices: Si Beati orando merentur, etiā quando non orant merebuntur, quia etiam tunc habent opera congrua cum præmio. Respondeo, mereri actu non solùm denotare quòd exhibeatur opus meritorium, sed etiam quòd obtineatur illud præmium aut quasi præmium; sicut impetrare non solùm denotat eos petere, seu orare, sed quòd actu obtineant quod petunt. Dico ergo illos, sicut non impetrant actu, ita neque actu mereri: id quod in merito congruo sæpè contingit; quia enim non est infallibile, sæpè actu non habet effectum: id ego voco non mereri, seu actu non obtinere quòd merentur.

Idem dicendum de animabus Purgatorij.

Hinc circa animas Purgatorij eodem modo discurrimus: vt enim illæ possunt orare tam pro se quàm pro nobis, de quo alibi; ita possunt aliquid sibi & nobis mereri de congruo.

SVBSECTIO III.

An pro altero possit quis habere meritum congruum: & quid ex parte Dei debeat ad illud interuenire.

14. An iustus aut peccator possit mereri pro alijs.

QVÆRIMVS, an in viâ iusti, aut etiam peccatores, possint pro alijs mereri de congruo. Hac de re P. Suarez cap. 33. vbi id probat multis testimonijs, in quibus mereri vnus alteri dicitur. Verùm hæc testimonia in principijs ipsius sunt nullius momenti; omnia enim sunt de oratione, quæ vt talis apud ipsum non est meritum congruum. In nostrâ sententiâ facillimè ea testimonia inducuntur; indeque vno verbo conclusio probatur, quia & iusti pro ipsis orant, & verò etiam sæpè peccator pro iustis; illæ autem orationes sunt meritum congruum, vt probauimus, ergo.

Difficulter ostenditur à Suario orationes iustis pro alijs meritorias esse.

Hîc autem notandum est rursum, valdè difficulter ostendi à Patre Suario, quomodo oratio etiam iusti sit alijs meritoria de congruo; quòd enim ait, ad hoc meritum non esse necessarias tot conditiones quot in merito condigno, admitto libenter, at cùm ipse ostendat, impetrare & mereri non esse idem, numquā declarat, quomodo orationi iusti vltra impetrationem conueniat ratio meriti congrui respectu alterius.

Non benè docet peccatorē sibi soli & nō alijs mereri posse. Amicitia nō est necessaria ad meritum de congruo.

Addo vlteriùs, immeritò ab ipso doceri, peccatorem non posse alteri mereri de congruo, sed solùm sibi: quod enim ait, meritum de congruo fundari in amicitiâ, dupliciter potest accipi: vel vt ex amicitiâ sit maius, & id concedo; vel vt sit ea amicitia omnino necessaria, & id nego: vt patet manifestè in omniū principijs: nam saltē sibi ipsi potest peccator aliquid mereri de congruo, esto non sit amicus Dei; nec redditur ratio, cur ea amicitia requiratur in merito pro alijs, & non in merito pro se: & idem est in oratione pro alijs. Constet ergo in eo puncto non discurri consequenter, nisi dicamus, & sibi & alijs, alijs quidem per orationem, sibi etiam independenter ab eâ, omnes iustos & peccatores posse mereri de congruo.

Quando dico *alijs* etiam includo existentes in peccato; nam possumus illis impetrare de congruo auxilia, vt ab eo exeant: sic Stephanus Paulo promeruit auxilia; sic vnus peccator potest pro altero eadem impetrare.

15. Obiectio difficilis contra dicta, ex eo quòd iustorū opera exhaurirentur in merito de cōdigno.

Solùm restat obiectio difficilis contra dicta, quatenus in iustis ponimus meritum congruum; nam illorum opera sunt occupata tota quanta in merito condigno, ergo non relinquitur eis locus ad merendum simul de congruo; quia hoc ipsum plus est, quàm solùm mereri de condigno. Respondeo negando consequentiam; nam cùm meritum congruum consistat in quadam quasi decentia, ob quam Deus liberè mouetur, non est inconueniens, si supra totum præmium æquale debitum operi acceptet etiam inde occasionem ad dandum aliquid aliud ferè (vt sic dicam) liberaliter.

Quid ex parte Dei ad meritum de congruo requiratur. Promissio Dei non requiritur.

Nunc disquirendum, quid ex parte Dei ad hoc meritum sit necessarium. Et primum quidem occurrit promissio, de qua dico nō requiri; alioquin semper omne meritum congruum haberet annexum suum effectum: quod est aperte falsum: addo tamen, neque è contrario illi repugnare; vt patet in contritione respectu remissionis peccati, quam infallibiliter habet annexam, etiamsi solùm de congruo eam promereatur.

Digitized by Google

Quando opus non habet effectum, nec requiritur acceptatio.

Secundò de acceptatione actuali post exhibitum ipsum opus quæritur, an sit necessaria. Respondeo, quando illud non habet effectum, non requiri, licet fortè tunc illud opus non denominaretur meritum: quod ad vocem spectat: quando verò sortitur effectum, procul dubio debet acceptari, quia per illam acceptationem Deus concedit id quod cadit sub tale meritum.

16. Tertiò quæritur à quâ virtute procedat in Deo remuneratio talium operum; non enim videtur ex solâ fidelitate posse oriri, neque item ex iustitiâ. Pater Vasquez putat esse à gratitudine, Suarez verò fusè tum cap. 30. tum 36. putat in Deum non cadere gratitudinem, quia non potest accipere beneficium. Nolo hîc tractare quæstionem quæ aliò spectat; non esset sanè difficile gratitudinem, seclusis imperfectionibus, in Deo defendere: & verò virtus remuneratiua habet totum, quod gratitudo; sic etiam seclusis imperfectionibus defendimus iustitiam in primâ parte. Quidquid igitur hac de re sit, censeo oriri partim à liberalitate, partim à iustitiâ; neque enim necesse est semper vnicam indiuisibilem virtutem ponere, à quâ procedat actio: quatenus ergo in opere est aliqua saltem imperfecta ratio congruentiæ, seu (vt sic dicam) proportionis, oritur à iustitiâ; quatenus præmium est incomparabiliter maius, oritur à liberalitate. Pater Suarez dicit hanc esse quamdam iustitiam legalem, seu decentiam diuinæ prouidentiæ. Faciliùs id ad eas duas virtutes, alioquin notas nobis, reducitur, quàm noua, & quæ vix explicari potest, virtus adstruitur.

Remuneratio hæc oritur partim à liberalitate, partim à iustitiâ.

SECTIO III.

Quid possit mereri peccator de congruo.

17. AGIMVS de præmio ad vitam supernaturalem pertinente; etenim si actus sunt supernaturales, nihil de facto meretur naturale, nisi quatenus conducit ad obtinendam beatitudinem: quo sensu iam illa res non reputatur naturalis: si verò actus sit naturalis, & vndequaque bonus, poterit mereri de congruo intra ordinem naturæ aliquod bonum; quia, vt diximus, peccatum habituale non impedit in actu bono supernaturali rationem meriti congrui rei supernaturalis; ergo neque impediet in opere naturali meritum congruum rei naturalis: nam status inimici Dei obest merito condigno, non verò congruo. Quòd verò actus naturalis nihil supernaturale etiam de congruo mereatur, diximus suprà. Hac ergo quæstione omissâ, ad præmium supernaturale & actus supernaturales veniamus.

Actus supernaturales nō merentur de congruo nisi in ordine ad vitam æternam.

Aliqui actus supernaturales non necessariò connectuntur cū gratia. alij verò connectuntur per eodem instans.

In eo ergo ordine includi possunt tum auxilia ad actus, tum ipsa infusio gratiæ; possunt etiam ex parte peccatoris concipi aliqui actus supernaturales boni, qui non necessariò sint connexi cum infusione gratiæ & remissione peccati; alij verò qui connexi sunt, & quidem in eodem instanti, vt contritio: & de his omnibus breuiter aliquid dicendum.

Contritio prior gratia infusione est.

PRIMA CONCLVSIO: Contritio est prior naturâ gratiæ infusione & remissione peccati. Hæc verò datur intuitu contritionis, non è contrario gratia datur, vt homo conteratur. Hæc fusè suprà probata est contra Patrem Vasquez; vnde non est, cur in eo puncto hîc amplius hæreamus cum Patre Suario cap. 37. à num. 9. qui aliquoties in hoc Tomo eam doctrinam Vasquez refutauit ex proposito. Hinc colligitur eam contritionem esse meritoriam de congruo gratiæ; & quidem immediatè; non enim inter illam & gratiam intercedit alius actus hominis, quem ea contritio promereatur, & ratione cuius dici possit mediatè solùm promereri eam remissionem. Hanc conclusionem omnes ferè defendunt, negat verò Vasquez ob insinuatū principium, quòd gratia præcedat contritionem; quo euerso ipse etiam nobiscum sentiret. Ergo de hac veritate satis; obiectiones aliquæ, quæ contra eam fieri possunt, soluentur circa Secundam & Tertiam.

Contritio est immediatè meritoria gratiæ de congruo.

18. SECVNDA CONCLVSIO sit: Primum auxilium, seu prima vocatio supernaturalis, non potest cadere sub vllum meritum peccatoris. Hæc est à nobis probata suprà fusè contra Semipelagianos. Et ratio illius est clarissima, ac sæpè insinuata, quia auxilium illud est ante omne meritum, ergo non potest dari ob meritum. Ex hac conclusione infertur, totam iustificationis seriè esse gratuitam, quia auxilium, à quo illa inchoatur, est gratuitum: & hinc respondetur argumentis illorum, qui ob ea loca Scripturæ, Conciliorū & Patrum, quibus dicitur gratiam non fore gratiam, si daretur ex meritis, putant nec contritionem, de quâ in Primâ conclusione, neque alia opera, de quibus in Tertiâ, esse meritoria de congruo; respondetur, inquam, eis solùm probari, initium eius iustificationis seu primum auxilium esse sine vllo merito: quod negarunt Semipelagiani.

Primum auxilium non potest cadere sub vllum meritum peccatoris. Ratio illius clara.

Alij actus supernaturales peccatoris mediatè mereri possūt iustificationem.

TERTIA CONCLVSIO: Alij actus supernaturales peccatoris distincti à contritione mereri possunt de congruo mediatè ipsam iustificationem; hoc est, primus actus auxilium ad secundum, hic ad tertium, donec tandem veniatur ad iustificationem. In hac conueniunt ferè omnes, vt videre est apud Suarez suprà & Vasquez disp. 218. stant tamen contra illam nonnulli apud eosdem propter loca Scripturæ quæ immediatè explicauimus. Probatur autem multis Scripturæ locis, quibus eiusmodi bonis operibus tribuitur vis promerendi remissionem peccati: sic eleemosyna dicitur redimere peccata, sic ieiunia, orationes, &c. & ex Augustino idem suprà probauimus. Item Tridentinum, dum ea sess. 6. sæpè eiusmodi, quo ad iustificationem præparamur, describit, enumerando varios actus, quibus ascendimus paulatim ad iustificationem, ostendit, eos esse meritorios de congruo; nam illa dispositio est moralis aliquo modo promerens à Deo vlteriora auxilia. Ratio à priori huius est, quia ea bona opera licet ratione peccati non sint meritoria de condigno, habent tamen adhuc suam intrinsecam honestatem, ob quam valdè Deo placent; & ob quam congruenter Deus, licet non necessariò, potest tamen liberè permittere se moueri ad dandum eiusmodi auxilium.

19. Verùm circa hanc conclusionem duo possunt in dubium verti. Primum, an etiam ipsammet iustificationem immediatè mereatur de condigno peccator. Hanc quæstionem mouit P. Suarez num. 13. & negatiuè respondet, eò quòd non detur vnquam, nec velit Deus immediatè dare gratiam, nisi interuenientibus alijs actibus; quæ interpositio actuum repugnat merito congruo.

An ipsa iustificationem immediatè mereri possit peccator de condigno. Resoluitur Suarij.

Auctoris sententia.

Ego in hoc puncto aliquid censeo interuenire de nomine ideòq; aliter quæstionem expediendam:

Digitized by Google

dam: vt verò eam intelligas, aduerte, eo ipso quòd dicat Suarez ad meritum congruum alicuius rei requiri, vt ea immediate intuitu illius siue vllo actu interposito concedatur, sine dubio non posse dari tale meritum in eis actibus; quia de fide est, de facto no remitti peccatum eis solis positis, sed debere intervenire vel contritionem, vel Sacramentum cum attritione: vt ergo vitemus quæstionem de voce, quæramus, an ille actus habeat congruitatē cum ipsa remissione, & possit illam immediatè mereri, ita vt Deus annuens ei merito dicat, Volo tibi dare illam; sed quia illa pendet ab aliis actibus, Volo etiam dare illos actus, vt dem quod promeruisti. Pono exemplum elatum in merito gloriæ: etenim etiamsi gloria non detur, nisi homo in gratia moriatur, homo tamen meretur immediatè gloriam de condigno, non merendo tamen ipsam mortem in gratia; ergo aliud est mereri immediate vnam rem, aliud verò, quòd ea non detur, nisi aliis rebus præuiis. Hoc ergo sensu supposito,

An actus ille habeat congruitatē cum iustificatione, vt possit illā immediatè mereri.

20. Ad quæstionem propositam respondeo, me non videre rationem, quare dicamus, eo modo posse immediatè sub congruo merito humilitatis aut alterius cadere remissionem, ita vt Deus det auxilia eo animo vt concedat, quòd ob meritum congruum decreuerat date hic & nunc. Confirmo supponendo, neque ipsam contritionem esse dispositionem ex natura rei sufficientem ad iustificationem, sed ex sola Dei voluntate eam acceptantis id prouenire; vnde dico, eum potuisse acceptare, si voluisset, actum aliquem spei, aut humilitatis, aut attritionis, & ei infallibiliter gratiam adiungere: quo casu sine dubio esset talis actus meritum de congruo eius remissionis: ergo etiam de facto erit, quantum attinet ad bonitatem requisitam vt moueat, esto Deus non ita de facto moueatur. Neque obstat, quòd tales actus sint minoris perfectionis quàm contritio, quia cum hoc meritum non consistat in indiuisibili, potest maior & minor congruitas admitti vnde, licet non sint illi actus tam congrui quàm contritio, poterunt tamen absolutè esse congrui.

Remissio peccati potest cadere sub meritum de congruo.

Minor perfectio talis actus non impedit.

21. Addo verò, vtrum Deus de facto ita moueatur per eos actus, an verò solum ad danda auxilia, & cætera, non esse ita certum; nihilominus valdè probabile esse moueri, vt ex solutione alterius præcipui dubij constabit. Quæri ergo adhuc circa dubium præcedens potest, vtrum saltem attritio, quando de facto est coniuncta cum Sacramento, eam gratiam promereatur immediatè de congruo. Suarez supra num. 14. dicit id esse probabile; probabilius tamen contrarium; quia neque iustus accipiens Eucharistiam ex. g. promeretur de condigno sacramentalem gratiam, ideo ex gratia dicitur ex opere operato. Censeo tamen in Sacramento Baptismi, vbi datur gratia certa independens à dispositione, vt patet in infantibus, commodissimè dici, eam, quæ respondet Sacramento soli, non dari intuitu attritionis, nec quidem de congruo; quemadmodum eodem modo asserendum est etiamsi quis per contritionem disponatur ad tale Sacramentum: at in pœnitentia, vbi talis gratia certa non est, sed maior est minore, iuxta dispositionem, etiam illa quæ dicitur dari ex opere operato, censeo probabilius coram respondere de congruo ei attritioni. Hoc saltem mihi certum, attritionem ex se habere congruitatem ad illam; verùm verò intuitu illius Deus eam det, non ita certum. Probabilius tamen affirmauerim: nam quòd ea dicatur gratia ex opere operato, nullo modo obest; quia sufficit quòd non detur ex merito condigno; item sufficit, quòd detur multò maior quàm data fuisset de condigno, si actus ille fuisset dignificatus à gratia: & idem proportionaliter dici potest de iusto accipiente Eucharistiam, vbi tamen, quia est certa gratia independens à meritis & dispositione, vt quæ infanti communicanti daretur, ostendi eam mensuram esse extra meritum.

An attritio in Sacramento immediatè iustificationi mereatur de congruo.

In Baptismo gratia illi fideli respondens non datur intuitu attritionis etiam de congruo.

In pœnitentia totum respondet de congruo attritioni.

Contrarium tamen probabilius est.

Sed iam ad secundam præcipuam difficultatem, vtrum scil. peccator promerens de congruo auxilia promereatur solum sufficientia, an verò etiā efficacia? Suarez omnino negat posse dari meritum efficacis auxilij; impetrationem tamen admittit, quia iustus non meretur de condigno tale auxilium; ergo nec peccator de congruo. Hoc tamen argumentum leue est, quia iusti opus occupatur in promerendo de condigno augmento gratiæ; quid ergo mirum, si non promereatur simul illud auxilium, qua efficax?

An peccator mereatur de congruo auxilium efficax, an verò sufficiens tantùm. Negat Suarez meritū illius impetrationem admittit.

Vrgebis: Multi docent etiam iustum non posse tale auxilium mereri. Bene: quid inde? Censeo, illos minùs bene docere. Adde, fortasse posse adhuc consequentiam negari, quia actus iustorum etiamsi ob dignitatem personæ sint ampliores pro merito congruo quàm actus peccatoris; quia tamen tori videntur occupari in augmento gloriæ promerendo, non ita facilè intelligimus, in eis manere congruitatem ad aliud præmium: at actus supernaturales peccatoris in nulla alia re occupantur quàm in merito congruo eius auxilij; cur ergo ad illud non sufficient?

Replica.

Tertiò dices: Auxilij efficacis donatio pendet ex libera Dei electione & prædestinatione, ergo non cadit sub meritum; quia actus de se non habet proportionem cum tali genere beneficij. Verùm neq; hæc ratio probat quicquam, non enim est contra præmium congruum illud libere à Deo concedi: quòd verò asseritur, in actu non esse proportionem cum eo beneficio, sicut sine vlteriori ratione dicitur, ita negatur à me facilè.

Solutio.

Dicendum ergo censeo, omnimò posse cadere sub meritum & quidem iuxta dicta supra, quòd omnis impetratio sit meritum congruum, facilè admissa impetratione habemus meritum congruum. Et verò in hoc puncto non videtur satis constanter locutus hic auctor; ageus enim c. 34. an impetratio sit meritum, idq; negans, admittit tamen in impetratione peccatoris non separari de facto meritum congruum ab impetratione, ita expresse num. 9. Vnde ibi fatetur ad probandum separari impetrationem à merito congruo, non sum bonam instantiam ex dicta oratione peccatoris: iam autem hic contrarium docet. Sed quidquid de eius consequentia sit, adeò conclusionem hanc veram censeo, vt plane credam omnia testimonia Scripturæ & Augustini (quibus Suarez vtitur ad probandum absolutè in peccatoribus meritum congruum) probare illud esse respectu auxiliorum efficaciū, quia nisi ea auxilia sint efficacia, non posset dici vllo modo eleemosyna extinguere peccata, aut eleemosynis redimi peccata, aut misericordes misericordiam consequi: quo loco vtitur Suarez ad probandum dari meritum congruum in peccatoribus; vti & illo ad Hebræos 13. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci? talibus enim hostijs promeretur Deus.* Si enim non det Deus auxilia congrua, non magis placatur Deus quàm circa illos qui pereunt. Tertiò argumentor ex Augustino, qui

Responsio nostra est posse cadere sub meritum.

Non satis constanter locutus Suarius.

Testimonia Suarij, quibus probat in peccatoribus meritum de congruo, non sufficere ad probandum.

Argumentum ex Augustino.

docet si dem impetrare remissionem peccatorum, vt suprà vidimus. P. Suarez ait, nomine impetrationis solùm intelligi meritum congruum, non veram impetrationem. inde argumentor: Si re ipsâ homo non conuertitur, non impetrat profectò fides conuersionem; qui autem conuertitur, sine dubio habet auxilia congrua; ergo manifestè Augustinus admisit meritum congruum eorum auxiliorum efficacium. Quartò ratione idem probo, quia auxilia sufficientia promereri, si non detur efficacia, non est vllius momenti; tum quia per se Deus illa dat sine vllo merito, vt & ipse Suarez fatetur; tum quia illa non faciunt homini: imò quodammodò esset melius iis carere, quia tunc non imputaretur ipsi peccatum; ergo si in gratiam ipsius operis aliquid Deus dignatur facere, profectò illud debet esse, dare auxilium congruum, non verò purè sufficiens. Deniq; idem probo, quia si potest impetrare tale auxilium (vt ait Suarez) non est cur non possit etiam mereri de congruo, cùm opus sit supernaturale, & homo sit in statu merendi, esto concedamus ea duo inter se aliquo modo differre.

SECTIO IV.

Quid iustus possit de congruo mereri de facto tam sibi quàm alijs.

23. *Gratiam iustificantem iustus mereri non potest. An separationem post lapsum mereatur.*

PRima gratia iustificans non potest à iusto obtineri per meritum iusti, cùm per illam in ratione iusti constituatur; obtinetur ergo solùm ea ab homine vt præscindente à iusto & peccatore, modo quo suprà diximus: de quo nihil amplius. Prima ergo quæstio moueri potest circa reparationem post lapsum, vtrùm iustus per opera bona aliquando mereatur, vt à superueniente peccato liberetur. In quâ dico breuiter cum P. Suario cap. 38. cum Vega q. 6. de Iustificatione ad 6. Bellarmino lib. 5. de Iustificatione cap. 2. Bonauenturâ in 2. dist. 28. dub. 2. lit. in fine. Gabriele in 1. dist. 27. q. vnicâ art. 3. dub. 2. & Scoto in 4. dist. 2. q. 1. art. 2. in fine; cum his, inquam, dico omnino posse id quod breuiter sic probo, quia (si res bene ponderetur) non magis potest impediri tale meritum per superueniens peccatum quàm per habituale durans, dum existit meritum; quia sicut superueniens efficit hominem indignum amicitiâ, ita illud, quod erat quando fuit meritum, effecit indignum amicitia. Præterea peccatum superueniens non efficit, vt illud opus factum in gratia non placuerit Deo, magis quàm placeat idem opus factum præsente peccato. Ex quo capite ego inuenio potiùs maiorem rationem in tali opere quàm in facto à peccatore; ergo cum ostensum sit, peccatorem posse mereri de congruo auxilia ad exeundum à peccato; poterit etiam quilibet in gratia operatur, mereri vt Deus eius recordetur postea, casu quo peccaueris. Hanc eamdem conclusionem probat Suarez ex 2. Paralipom. cap. 19. vbi Iehu Prophera dixit ad Iosaphat. *Impio prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini mereberis; sed bona opera inuenta sunt in te.* Vbi videtur intelligendum vt operum bonorum illorum præcedentium eum vocatum ad pœnitentiam. Ego tamen nequaquam puto Iosaphat tunc mortaliter peccasse, sed venialiter ex ignorantia, meruisse autem vel pœnas temporales graues, vel fortè etiam vt permitteretur cadere in graue peccatum.

Homo in gratia potest mereri vt Deus in lapsu eius recordetur. Probat Suarius ex 2. Paralipom.

Melius suaderi potest ea sententia iudicio fere omnium bene sentientium, qui non putant gratis se orare Deum, dum ab eo omni conatu petunt, vt si fortè in peccatum labantur, non permittat tamen eos in æternum perire; vbi sine dubio supponunt, illam impetrationem posse esse alicuius momenti: & verò D. Thomas, etiamsi contrarium sentiat 2. q. 114. art. 7. in corpore, tamen ex Augustino (non citando locum) ait, in primo argumento, nihil à Deo iustius peti quàm reparationem post lapsum. In contrarium stat, vt dixi, D. Thom. ibi, motus eo, quòd meritum etiam de congruo impediatur per peccatum ipsius merentis: hæc tamen ratio vel probat peccatorem nihil sibi mereri posse de congruo, vt diximus paulò antè, vel certè nihil valet.

24. *Probatur melius ex communi hominum iudicio.*

Secundò obiici potest locus ille Ezechiel. 18. quem obiicit D. Thom. in argumento *Sed contra*: in eo enim minatur Deus iusto, quòd si cadat, omnes iustitiæ eius tradentur obliuioni. Respondeo id intelligi de obliuione, quoad meritum condignum, & quoad vim saluandi hominem, si pœnitentiam non egerit: vtrùm autem Deus ipse ex aliqua congruitate sit mouendus ad talem hominem euocandum ad gratiam, nihil ibi dicitur. Aduerte tamen, tale meritum non infallibile, alioquin omnes iusti deberent posteà resurgere: quod est apertè falsum. Verùm, excepta contritione respectu gratiæ, iam diximus suprà, omnia alia merita de congruo carere ea infallibilitate.

Obiectio ex Ezechiele. Refutatur.

25. *An sub meritō de congruo cadat perseuerantiæ donum.*

Secunda difficultas est, vtrùm homo possit sibi perseuerantiæ donum de congruo mereri. Suprà dum egimus de merito condigno eius perseuerantiæ, obiter diximus, posse cadere sub meritum congruum: quod & Vasq. ad art. 9. q. 114. & Suarez suprà num. 10. alios referentes defendunt; & D. Thomam sine distinctione negantem meritum perseuerantiæ explicant de merito condigno; quomodo autem debeat accipi donum perseuerantiæ, vt possit cadere sub meritum, eo loco explicuimus. Quæ omnia debent hîc applicari: nam quoad punctum præcedentiæ est eadem vtrobique difficultas: ratio huius est, quia congruens est, vt Deus sæpè moueatur intuitu operum factorum in gratia, maximè quæ sunt heroica & singularia, ad retinendos iustos, ne amplius cadant, dando eis auxilia congrua.

An tale meritum sit infallibile.

Quæritur, an eiusmodi meritum sit infallibile, & habeat annexam promissionem Dei. Respondeo, si per modum solius meriti loquamur, certissimum est, non esse infallibile; quia multi iusti & iustissimi post innumera opera gloriosa cecidere; ergo eis meritis non est annexa perseuerantia: si verò ea merita consideremus quatenus simul sunt oratio, maiorem res habet difficultatem. P. Vasquez ad citatum art. 9. affirmat, quia orationi facta est promissio generalis, *Petite, & accipietis, &c.: Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, &c. Confirmari id potest auctoritate Augustini, qui Tractatu 102. in Ioannem ad citata verba ait, *Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro seipsis, non autem exaudiuntur pro omnibus vel amicis vel inimicis*; ergo, quando perseuerantiam prosequuntur, exaudiuntur, ergo infallibiliter. P. Suarez dupliciter limitat hanc sententiam; Primò, vt ea petitio seu oratio sit constans; nam promissio facta orationi est sub certis conditionibus, quæ si absint, non sortitur effectum: inter illas autem debet annumerari perseuerantia. Secunda limitatio est, vt non obtineatur per vnam orationem

Ioan. 16. ibid.

nem etiam longo tempore durantem, sed ob illam detur gratia ad vitandum v. g. imminens peccatum: post quod vitatum, si constanter iterùm iustus oret, obtinebit pro secundo; & orando post secundum vitatum obtinebit pro tertio, & sic vsque ad finem vitæ: & hoc modo dicit esse infallibilem eam promissionem.

26. *Hæc res valdè incerta est*

Difficulter valdè potest in hoc puncto aliquid certi dici, & quidem non sufficere ad eam perseuerantiam infallibiliter obtinendam vnam aut alteram petitionem, imò etiamsi longè plures sint manifesta ostendit experientia (qualis in talibus materiis haberi potest;) nam multi iusti, qui eam enixè sæpè petierunt, postea sunt lapsi. Neque contra hoc obstant testimonia suprà allata; nam intelligendæ sunt illæ promissiones factæ orationi sub certo gradu fidei, sub perseuerantia, &c. quæ à nobis difficillimè determinari possunt. Et eodem etiam sensu intelligo Augustinum; vnde colligo, adhuc resolutionem Patris Suarez, quòd sub ea perseuerantia habeant orationes infallibilitatem, incertam esse, quia fortè vltra perseuerantiam aliæ sunt conditiones requisitæ, de quibus non possumus facilè determinare quæ sint, & quando adsint, ideò rem hanc vt planè incertam non definio.

An gratia gratis data cadant sub hoc meritum.

Quæri Tertiò potest, an alia dona gratiæ cadant sub meritum congruũ. Præter gratiam sanctificantem & habitus illi annexos, qui à iusto de condigno obtinentur, & præter auxilia, de quibus egimus immediatè, solùm manent gratiæ gratis datæ, vt fides miraculorum, gratia sanitatum, &c. in quibus locum habere potest quæstio proposita. Dico ergo, etsi Deus sæpè illa concedat non ob merita personæ, sed ob bonum publicum, ad quod ea persona à Deo est electa; nihilominùs tamen sæpè etiam ea conferre ob sanctitatem personæ; vt è contrario solet tollere illa ob imperfectiones aut peccata: vt in sancto Martino; cui abstulit Deus gratiam curationum, eo quòd cõmunicauerit cũ Episcopis excõmunicatis.

Concedantur aliquando ob bonũ publicum, non ob meritum: etiam aliquando ob sanctitatem personæ.

Quartò dubitari posset, an iusti mereantur temporalia de congruo. Respondeo, vt dixi, de peccatoribus, si opus sit purè naturale, posse mereri talia bona; si verò sit supernaturale, numquam ea mereri, nisi quatenus ad vitam æternam ordinantur.

Possunt etiã per opus naturale tẽporalia mereri, non verò supernaturale.

Denique Quintò quæritur, quid iustus alteri mereri valeat de congruo. Respondeo; quidquid sibi, & aliquid amplius. Prima pars est per se nota, maximè si loquamur de altero iusto; in quo per peccatum non impediatur meritum. Verùm etiamsi peccatum aliquo modo resistat, non propterea impediet hoc meritum congruum, iuxta superiùs dicta. Quoad secundam partem patet, quia nemo sibi potest mereri primum auxilium, potest tamen alteri, quia primum meum auxilium v. g. est ante omnia mea opera; ergo non potest cadere sub meritũ meorum operum: at auxilium primũ datum Petro non est ante meũ opus, ergo potest esse effectus mei operis. Quo sensu etiã peccator ipse potest alteri mereri hoc auxilium; quod tamen sibi non potest. Præterea potest iustus quà talis alteri mereri de congruo primam gratiam sanctificantem, seu remissionem peccati, quam sibi quà iustus non potest, quia ea prima iustitia non potest esse effectus sui. Deniq; potest faciliùs longè alteri mereri reparationem post lapsum quàm sibi, quia si perseuerat in iustitia, nõ interrumpitur eius meritum per peccatum: ex quo capite impediri illud meritum poterat. Perseuerantia verò & alia auxilia intrant in numerum eorum, quæ etiam sibi potest mereri, in quibus faciliùs ea sibi quàm alteri meretur, ob maiorem ordinationem meriti ad bonum ipsius merentis: an autem prædestinationem alteri possit, diximus suo loco. Et nunc satis de gratia eiúsque effectibus: qui de illa nobis concessit disserere, det illâ in ipsius gloriam perpetuò abundare.

27. *Iustus potest alteri mereri quidquid sibi, & aliquid amplius.*

Alteri mereri potest auxilium primum.

gratiam iustificantem.

reparationem post lapsum, &c.

FINIS.

Digitized by Google

Index & Ordo TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, Sectionum & Subsectionum, huius Quarti Tomi Theologici.

TRACTATVS

De Legibus.

PRÆFATIO AVCTORIS. Pag. 3.

DISPVTATIO I.

De lege in communi : an consistat in actu intellectus, an voluntatis.

SECTIO I. VID *nomine legis in præsenti; & eius definitio.* 4

2. *Vtrùm lex sit actus intellectus, an voluntatis.* 5

SVBSECTIO I. *Quid sit lex naturalis.* ibid.

2. *Examinatur sententia P. Vasquez.* 6

3. *Qui actus re ipsâ ad legem positiuam necessarij sint.* 8

4. *An sit necessarius actus intellectus qui sit imperium.* 9

5. *Qui actus sit propriè dicendus lex,* 10

DISPVTATIO II.

Explicatur obiectum actus constituentis legem.

SECTIO I. *Reijcitur sententia Medina.* 12

2. *Proponitur ratio dubitandi circa obiectum actus legislatiui.* 13

3. *Proponuntur & reijciuntur aliquæ explicationes.* ibid.

4. *Alia solutio discutitur.* 16

5. *Soluitur difficultas.* 19

6. *Duæ obiectiones contra dicta soluuntur.* 20

7. *Insinuatur alia solutio.* 23

DISPVTATIO III.

Quomodo lex debeat respicere communitatem ac auctoritatem publicam, per quam fertur.

SECTIO I. *An lex debeat respicere communitatem.* 23

2. *Quomodo lex debeat ferri in bonum commune.* 25

3. *Aliqua dubia ex dictis orta explicantur.* 27

4. *An sit de ratione legis prodire ab auctoritate publicâ.* 29

DISPVTATIO IV.

De aliis conditionibus legis in communi.

SECTIO I. *An lex debeat esse iusta & iustè lata.* 30

SVBSECTIO I. *Lex debet esse de materiâ non malâ moraliter.* ibid.

2. *Materia legis non debet esse subdito iniuriosa, sed ex se positiuè bona.* 31

3. *Quid si materia legis dubiè sit honesta.* 32

SECTIO 2. *Quo sensu lex debeat esse possibilis.* 34

3. *De perpetuitate legis.* 35

4. *Quomodo promulgatio ad legem pertineat.* 36

5. *Quo*

Digitized by Google

5. *Quomodo hæ conditiones ad legem pertineant.* 37
6. *Concluditur ex dictis definitio legis.* 38

DISPVTATIO V.

De effectibus, subiecto, mutatione & virtute productiuâ legis.

SECTIO 1. *De effectibus legis in communi.* 39
SVBSECTIO 1. *Vtrùm effectus à lege intentus sit facere homines bonos.* ibid.
2. *Quomodo obligatio sit effectus legis.* 40
3. *Quomodo sint effectus legis præcipere, prohibere, permittere, & punire.* 41
4. *Duo dubia circa hos effectus expedita.* 42
SECTIO 2. *De subiecto legis, seu, an viatores omnes sint legibus subiecti.* 43
3. *Respondetur primo testimonio.* 44
4. *Explicantur alia testimonia.* 45
5. *De mutatione legis: an fieri possit: & quotuplex ea sit.* 46
SVBSECTIO 1. *Explicantur hæ mutationes, & præcipuè quæ ex parte Legislatoris proueniunt.* ibid.
2. *Aliæ duæ mutationes ex parte subiecti & materiæ declarantur.* 47
SECTIO 6. *Ad quam virtutem spectet condere leges.* 48

DISPVTATIO VI.

De lege naturali diuinâ.

SECTIO 1. *Diuisio legis in communi.* 50
2. *An detur ab æterno lex aliqua diuina.* 51
3. *Quomodo lex æterna respiciat Deum.* 52
4. *Quando lex æterna respiciat creaturas.* 54
5. *Vtrùm volitio Dei, quæ est lex æterna respectu creaturarum, sit necessaria in Deo, an verò libera.* 55
6. *Aliquæ quæstiuncula ex dictis ortæ expediuntur.* 56

DISPVTATIO VII.

De lege naturali creatâ.

SECTIO 1. *An lex naturalis sit præceptiua.* 57
2. *An lex naturalis extendat se ad particulares materias.* 58
3. *De vnitate aut multiplicatione legis naturalis.* 59
4. *An lex naturalis obliget in conscientiâ: & quomodo ad eam reducatur obligatio legis humanæ.* 60
5. *Obiectio difficilis contra vltimam resolutionem.* 61
6. *An lex naturalis obliget etiam ad modum actus.* 62
SVBSECTIO 1. *Aliqua supponuntur.* ibid.
2. *Deciditur quæstio.* 63
3. *Vtrùm lex naturalis obliget ad modum operandi ex dilectione Dei.* 64
SECTIO 7. *Quando lex naturaliter irritet actus.* 66
SVBSECTIO 1. *Examinatur quorundam doctrina.* ibid.
2. *Quid sit in hac quæstione dicendum.* 67
SECTIO 8. *De distinctione iuris naturalis à iure gentium & ciuili.* 68
SVBSECTIO 1. *Referuntur aliquot sententiæ.* ibid.
2. *Quid de sententiâ Patrum Suarez & Salas.* 69
3. *Quid sit tandem dicendum.* 70

DISPVTATIO VIII.

De mutabilitate, dispensatione & epicikia legis naturalis.

SECTIO 1. *De mutatione.* 71
2. *De dispensatione humanâ in lege naturæ.* 72
SVBSECTIO 1. *Duæ oppositæ sententiæ: & quæ sit probabilitas.* ibid.
2. *Respondetur obiectionibus aduersariorum.* 74
SECTIO 3. *Vtrùm Deus possit dispensare in iure naturæ.* 76
4. *An aliqua sint obiecta, ad quæ Deus nec diuinitus dare possit licentiam.* 77
5. *Quid de epicikia & interpretatione legis naturalis.* 78
SVBSECTIO 1. *Deciditur quæstio.* ibid.
2. *Qui respondeatur à nonnullis obiectioni in contrarium.* 79
3. *Vera responsio.* 80

DISPVTATIO IX.

De legis positiuæ Mosaicæ naturâ & existentiâ.

SECTIO 1. *Vtrùm ante Mosaicam fuerit aliqua lex diuina.* 82
2. *De auctore legis Mosaicæ.* 83
3. *An ea lex fuerit iusta & sancta.* 84
SVBSECTIO 1. *Ea lex fuit sancta.* ibid.
2. *Obiectiones in contrarium soluuntur.* 85
SECTIO 4. *An lex antiqua præceperit actus etiam internos.* 86
5. *De distinctione inter se præceptorum veteris

Digitized by Google

veteris legis : & an omnia fuerint sub peccato. 88
6. De promulgatione & extensione eius legis ; de loco item & tempore in quo data fuit. 89
7. De effectibus legis antiquæ. 91
Svbsectio 1. De obligatione & permissione veteris legis. ibid.
2. De duobus alijs effectibus legis antiquæ. 92
Sectio 8. An lex vetus iustificarit : vbi, an sit dicenda perfecta. 94

DISPVTATIO X.

De eius legis cessatione.

Sectio 1. Quæ certa sunt præmittuntur. 96
2. Ea lex de facto destructa est. 97
3. Declaratur in ordine ad quæ præcepta lex cessauerit. 98
Svbsectio 1. De cæremonialibus. ibid.
2. Examinantur rationes pro communi doctrinâ. 99
3. Quid de iudicialibus. 101
4. Quid de præceptis moralibus sentiat P. Vasquez. ibid.
5. Respondetur huic rationi ; & vera sententia suadetur. 102
Sectio 4. An lex antiqua cessauerit ante aduentum Spiritus sancti. 104
Svbsectio 1. Non cessauit ante mortem Christi. ibid.
2. Proponitur sententia docens legem antiquam periisse ipso puncto mortis Christi. 105
3. Reiectâ alterâ opinione, concluditur quid sit dicendum. 107

DISPVTATIO XI.

Vtrùm lex vetus, cùm primùm desiit esse sub obligatione, fuerit eo ipso prohibita.

Sectio 1. Quæ certa sunt & status controuersiæ declarantur. 108
2. Prima pars nostræ sententiæ. 109
3. Altera pars nostræ sententiæ. 110
4. Vltima pars nostræ sententiæ. ibid.
5. Aliqua ex obiectionibus contra nostram sententiam soluuntur. 112
6. Cætera obiectiones explicantur. 114
7. De cessatione effectuum legis veteris. 115.

DISPVTATIO XII.

De lege diuinâ gratiæ nouâ & Christianâ.

Sectio 1. Quædam certiora præmittuntur. 116
2. Explicatur lex moralis Euangelica prohibens. 117
3. Explicatur lex Euangelica moralis præcipiens. ibid.
4. Obiectio quædam soluta : & ad quid aliud obliget lex Christiana. 119
5. Quando inceperit obligare lex nouæ. 121
Svbsectio 1. Examinantur quorumdam sententiæ ibid.
2. Quid sit in hoc puncto probabilius. 123
Sectio 6. De efficaciâ legis gratiæ. 124
7. An in lege gratiæ fieri possit dispensatio. ibid.
Svbsectio 1. Reiectis duabus sententijs, statuitur certa & Catholica. ibid.
2. Respondetur aduersariorum argumentis : vbi aliquid de epieikia & interpretatione. 125
Sectio 8. De duratione & perfectione nouæ legis. 127

DISPVTATIO XIII.

De potestate humanâ legislatiuâ.

Sectio 1. Supponuntur quæ certa sunt. 129
2. Vtrùm potestas ferendi leges sit à Deo. 130
3. Quædam ex dictis inferuntur. 131
4. An sit potestas in Summo Pontifice ad ferendas leges ciuiles pro toto mundo. 132
5 An Imperator habeat iurisdictionem in totum orbem ad ferendas pro eo leges. 133
6. Concluditur in genere, in quibus personis sit potestas legislatiua. 135
7. An potestas legislatiua possit esse in fœminâ. 136
8. Vtrùm potestas ferendi leges humanas pendeat à fide & bonis moribus Principis. 137
9. Ad quid ordinetur potestas legislatiua humana. ibid.

DISPVTATIO XIV.

De materiâ, quam potest præcipere lex humana, maximè ciuilis.

Sectio 1. Materia præcepta per legem humanam non potest esse mala moraliter. 139
2. Vtrùm lex humana possit præcipere omnem materiam honestam, & solam eam ; an etiam possit omnem malam prohibere. 140
3. Quid de actibus internis : vbi de externis occultis. 142

Svb

SVBSECTIO 1. *Communis sententia & gravia contra eam obiecta proponitur.* ibid.
2. *Quid sit probabilius in hoc dubio.* 145
3. *An actus interne sint materia saltem indirecta legis humanæ.* 144
SECTIO 4. *An materia legis ciuilis sit actus tam præsens, quam præteritus, quam futuras.* ibid.
5. *An lex humana obliget ad materiam vbiquaque honestam.* 145
6. *An sit materia legis humanæ ea, cui est graue periculum animæ.* 147
7. *Respondetur obiectionibus in contrarium.* 148

DISPVTATIO XV.

Quas personas obliget lex humana & ciuilis.

SECTIO 1. *Quæ certa sunt præmittuntur.* 150
2. *An obligetur quis propriis legibus, dum est extra territorium.* 151
SVBSECTIO 1. *Proponitur communis & vera sententia.* ibid.
2. *Soluuntur aliquæ obiectiones.* 152
3. *Vltima obiectio soluitur: vbi de loco exempto intra alienum territorium.* 153
SECTIO 2. *An peregrinus obligetur legibus loci per quem transit.* 154
3. *An Ecclesiastici obligentur legibus ciuilibus.* 156
SVBSECTIO 1. *Communis sententia, & aliquæ rationes pro illa.* 157
2. *Optima eius sententiæ ratio proponitur.* 158
3. *Quid de vi coactiua? & duæ aliæ quæstiunculæ solutæ.* 159
SECTIO 4. *Vtrum Legislator obligetur suis legibus.* 160
SVBSECTIO 1. *Status quæstionis, & eius resolutio.* ibid.
2. *Respondetur obiectionibus: & magis declaratur ea obligatio Principis.* 162
3. *Quomodo Legislator subiaceat vi coactiuæ legum & legibus irritantibus.* 164

DISPVTATIO XVI.

Quæ & qualis sit legis ciuilis obligatio.

SECTIO 1. *Vtrum lex humana obligare possit in conscientia.* 166
2. *Obiectiones contrarias soluuntur.* 166
3. *An possit lex humana obligare in conscientia, non tamen sub vllo peccato.* 168
4. *Vtrum lex humana in præsumptione fundata obliget in conscientia.* 170
SVBSECTIO 1. *Quæ sit communis sententia* ibid.
2. *Quid in hoc casu sit probabilius.* 174
SECTIO 5. *Vtrum ciuilis obligatio possit sub mortali.* 174
SVBSECTIO 1. *Propositiones sunt præmittendæ.* ibid.
2. *Respondetur argumentis in contrarium.* 175
SECTIO 6. *An peccatum contra quamcumque legem sit mortale.* 175

DISPVTATIO XVII.

SVBSECTIO 1. *Quid sit contemptus.* ibid.
2. *Quis contemptus sit semper peccatum* [illegible]

DISPVTATIO XVIII.

De formâ externa, promulgatione, & acceptatione legis ciuilis.

SECTIO 1. *An lex debeat esse multorum consilio facta.* [illegible]
2. *Duæ primæ difficultates circa promulgationem legis expediuntur.* ibid.
3. *An lex feratur aliquando sub formâ sententiæ.* ibid.
4. *De solemnitate promulgationis legis: & quando hæc incipiat obligare.* 184
SVBSECTIO 1. *In quo sit quæstio de voce.* ibid.
2. *Decidituria quæstio.* 185
3. *An de facto aliquæ leges requirant certum tempus vltra promulgationem.* ibid. 186
SECTIO 5. *Vtrum ad promulgationem legis necessaria sit ad valorem earum ciuilis.* 187

DISPVTATIO XIX.

De potestate ad leges Canonicas ferendas.

SECTIO 1. *Quædam certa supponuntur.* 189
2. *An hæc potestas Canonica sit propria legis gratia.* ibid. 190
SVBSECTIO 1. *Quid de lege naturæ.* ibid.
2. *Quid de lege scripta.* 191
SECTIO 3. *An Episcopi habeant potestatem ferendi leges in suis Episcopatibus; & vnde eam acceperint.* 192

Digitized by Google

SVBSECTIO 1. *Proponuntur duæ extremæ sententiæ.* ibid.
2. *Iudicium de his sententijs.* 193
3. *Respondetur obiectionibus in contrarium: vbi ostenditur defectus auctoritate oppositam sententiam.* 194
4. *Aliqua ex dictis inferuntur.* 196
SECTIO 4. *Quæ communitates Ecclesiasticæ vim habeant ferendi leges.* 197
SVBSECTIO 1. *De Concilio generali.* ibid.
2. *Quid de Concilijs inferioribus.* 198
3. *De Capitulo Ecclesiæ Cathedralis & Collegiatæ.* 199
SECTIO 5. *An potestas Canonica pendeat à bonis moribus, aut Summus à fide Legislatoris.* 200
6. *Comparatur potestas legislatiua Canonica cum ciuili.* 202

DISPVTATIO XIX.

De materiâ legis Canonicæ.

SECTIO 1. *In quo ea materia differat à materiâ legis ciuilis.* 204
2. *Lex Canonica non potest præcipere per se actus merè internos.* ibid.
3. *Obiectio præcipua contra dicta: vbi, an possint præcipi actus interni simul cum externis.* 206
SVBSECTIO 1. *Quid P. Suarez respondeat.* ibid.
2. *Quid P. Vasquez & alij respondeant.* 207
3. *Quid sit in hac quæstione probabilius.* 208
4. *Soluuntur cætera, quæ ad probandum, actus internos posse compræcipi, obijciuntur.* 209
SECTIO 4. *Alia argumenta ad probandam directam Ecclesiæ iurisdictionem in actus purè internos.* 211
SVBSECTIO 1. *Soluuntur tria priora.* ibid.
2. *Quatuor alia argumenta.* 213
3. *Cætera obiectiones.* 214

DISPVTATIO XX.

Expediuntur cætera quæ de lege Canonicâ desiderantur.

SECTIO 1. *De formâ legis Canonicæ.* 216
2. *De promulgatione legis Canonicæ.* 217
3. *Vtrùm lex Canonica vt obliget indigeat acceptatione fidelium.* ibid.
4. *Duæ quæstiuncula ex dictis ortæ soluuntur.* 218
5. *De obligatione legis Canonicæ.* 220
6. *Quas personas obliget lex Canonica.* 221

DISPVTATIO XXI.

De lege odiosâ & pœnali.

SECTIO 1. *Quæ sit lex odiosa, & quâ à fauorabili distinguatur.* 223
2. *Vtrùm lex pœnalis possit simul obligare in conscientiâ.* 225
3. *Vtrùm de facto leges pœnales simul etiam obligent in conscientiâ, an solùm ad pœnam.* 226
4. *Vnde dignoscantur tales leges.* 227
5. *Vtrùm lex possit obligare in conscientiâ ad subeundam pœnam ante Iudicis sententiam.* 228
6. *Quando per leges intelligatur pœna imposita vt ipso facto incurrenda.* 229
SVBSECTIO 1. *Duæ priores regulæ.* ibid.
2. *Duæ posteriores regulæ.* 231
3. *Obseruatio tertia præcedentes regulas.* ibid.
SECTIO 7. *Vtrùm lex pœnalis obliget reum post latam sententiam ad eam acceptandam, & Iudicem ad sententiam ferendam.* 233
8. *An ignorantia excusset pœnam legis* 235

DISPVTATIO XXII.

De lege tributum imponente.

SECTIO 1. *An lex imponens tributa obliget in conscientiâ.* 236
2. *Deciditur tota quæstio.* 237
SVBSECTIO 1. *Tres prima conclusiones.* ibid.
2. *Duæ vltimæ conclusiones.* 238
3. *Obiectiones aliquæ solutæ.* 239
SECTIO 3. *In quo sit potestas imponendi tributa.* 241
4. *Ex hac doctrinâ deciditur quoddam dubium.* 242
5. *Quæ vtilitas requiratur, vt tributa sint iusta.* 243
6. *De alijs conditionibus pro iustitiâ tributi necessarijs.* 245
7. *Vtrùm peregrini ad ea tributa teneantur.* 247
8. *An tributa exigant consensum populi; & quomodo obligent in conscientiâ.* ibid.

DISPVTATIO XXIII.

De lege irritante.

SECTIO 1. *An lex irritans sit pœnalis, & obliget in conscientiâ.* 248
2. *An irritatio actus, quæ per legem fit, possit aliquando impediri.* 250
SVBSECTIO 1. *Expeditur secunda difficultas.*

Digitized by Google

cultas. ibid
2. *Respondetur primo dubio.* 251
Sectio 3. *Vtrùm lex irritans fundata in præsumptione sortiatur effectum, quando præsumptio non subsistit.* 253
4. *Vtrùm lex, eo ipso quòd prohibeat aliquem actum, illum etiam irritet.* 255
5. *Examinatur lex,* Non dubium, *& aliæ obiectiones.* 256
6. *Vnde possit colligi, legem prohibentem velle etiam simul irritare.* 258
Svbsectio 1. *Communes regulæ examinantur.* ibid.
2. *Quas regulas eâ de re tradat P. Vasquez.* 259
3. *Examinantur limitationes aliquæ eius vltimæ regulæ.* 260
Sectio 7. *Aliqua dubia de lege irritante expediuntur.* 261
8. *An lex imponens pœnam contra facientem actionem comprehendat eos qui eam faciunt inualidam.* 263
Svbsectio 1. *Quæ certa sunt præmittuntur, & declaratur status quæstionis.* ibid.
2. *Quid in hoc dubio dicendum.* ibid.

DISPVTATIO XXIV.

De variis diuisionibus consuetudinis prout ad legem pertinet.

Sectio 1. *Explicatur definitio consuetudinis.* 266
2. *De differentiâ consuetudinis à traditione, stylo, ritu & foro.* 267
3. *Diuisio consuetudinis in eam quæ est iuxta, præter, aut contra legem.* 268
4. *Secunda diuisio consuetudinis.* 270
5. *De diuisione consuetudinis in bonam & malam, rationabilem & irrationabilem.* 271
6. *De diuisione consuetudinis in reprobatam & non reprobatam seu permissam.* 272
Svbsectio 1. *An lex dicens,* non obstante consuetudine, *abrogari tamen per consuetudinem possit.* ibid.
2. *Variæ sententiæ circa eam difficultatem, an lex abrogans futuram consuetudinem possit per consuetudinem tolli.* 273
3. *Deciditur quæstio.* 274
4. *Euasiones nonnullæ reiiciuntur; & explicatur, quid requiratur, vt consuetudo censeatur reprobata.* 276
Sectio 7. *De diuisione consuetudinis in præscriptam & non præscriptam.* 277
Svbsectio 1. *Duæ oppositæ sententiæ circa consuetudinem præscriptam.* ibid.
2. *Præmittitur pro verâ doctrinâ, à quâ voluntate Principis consuetudo vim habeat.* 278
3. *Quid sit probabilius in hac quæstione.* 280
4. *Aliquæ quæstiunculæ circa prædicta soluuntur.* 281
5. *An id sit intelligendum de consuetudine contra leges Ecclesiasticas.* 282
6. *Vtrùm consuetudo non præscripta possit aliquando abrogare legem.* 284

DISPVTATIO XXV.

De conditionibus quæ requiruntur vt consuetudo inducat ius legale.

Sectio 1. *Quomodo requiratur animus se obligandi.* 285
2. *An ea consuetudo debeat esse à maiori parte populi, & an possit per actus malos inchoari.* 287
3. *Quæ personæ possint consuetudinem inducere.* 289
4. *De numero actuum, & de probatione in contradictorio iudicio.* 290
5. *Quomodo consuetudo se habeat circa irritationem.* 291
6. *Quæstiunculæ aliquot circa consuetudinem expediuntur.* 293
7. *Quibus modis possit consuetudo mutari.* 295
8. *Quæ clausulæ sint necessariæ, vt per legem censeatur reuocata consuetudo.* 296
9. *Quomodo consuetudo consuetudine tollatur.* 297

DISPVTATIO XXVI.

De interpretatione & extensione legis.

Sectio 1. *Quid sit & quotuplex legis interpretatio.* 298
2. *Declarantur amplius ea capita interpretationis.* 299
3. *De extensione legis ratione verborum.* 300
4. *De extensione legis ob tertium caput, id est, ob rationem illius.* 301
Svbsectio 1. *Declaratur status quæstionis; & quædam obseruationes præmittuntur.* ibid.
2. *Deciditur quæstio.* 302
3. *Respondetur argumentis in oppositum.* 304
4. *Obseruationes quædam circa dicta.* 305

Digitized by Google

DISPVTATIO XXVII.

De restrictione legis per interpretationem & epieikiam.

SECTIO 1. *De restrictione legis per interpretationem.* 307
2. *Quædam præmittuntur, vt explicetur cessatio per epieikiam.* 308
3. *An ad epieikiam sufficiat cessare rationem legis in particulari materiâ.* 309
SVBSECTIO 1. *Duæ oppositæ sententiæ.* ibid.
2. *Qui d sit probabilius.* 310
SECTIO 4. *Illationes quædam ex dictis: vbi, quomodo cesset obligatio, quando occurrit ratio in contrarium.* 311
5. *Quanta debeat esse certitudo de cessatione rationis legis, vt homo excusetur ab eâ seruandâ.* 312
6. *An cesset lex, quando vniuersaliter cessat illius ratio.* 314
SVBSECTIO 1. *Variæ sententiæ, & quædam præmittuntur.* ibid.
2. *Deciditur quæstio.* 315
3. *Quid si ratio legis cesset pro vnâ parte Regni: vbi magis ostenditur consequentia doctrinæ nostræ.* 317

DISPVTATIO XXVIII.

De essentiâ, materiâ, subiecto & formâ dispensationis.

SECTIO 1. *Quid sit dispensatio; & an possit dari.* 319
2. *Diuisio dispensationis; & qui eius effectus.* 320
3. *De materiâ & subiecto dispensationis.* 321
4. *De formâ dispensationis.* 322
SVBSECTIO 1. *De dispensatione per signum expressum.* ibid.
2. *De dispensatione tacitâ.* 324

DISPVTATIO XXIX.

De potestate dispensandi.

SECTIO 1. *Vtrùm Episcopi per se habeant potestatem dispensandi in iure communi Canonico.* 326
2. *Vtrùm Episcopus possit dispensare in legibus Conciliorum Prouincialium.* 327
3. *Sub quibus conditionibus possit Episcopus dispensare: vbi, an qui potest dispensare possit permutare.* 329
4. *Soluuntur argumenta opposita: vbi, an in aliquo casu sit illicita permutatio.* 330
5. *Cuius iuris sit potestas dispensatiua.* 331
SVBSECTIO 1. *Status quæstionis & variæ sententiæ proponuntur.* ibid.
2. *Deciditur omnino quæstio.* 333

DISPVTATIO XXX.

De his quæ ex parte recipientis requiruntur ad dispensandum: vbi de causis dispensationis.

SECTIO 1. *An dispensatio data sine causâ sit licita.* 334
SVBSECTIO 1. *Examinantur communes rationes pro eâ doctrinâ.* ibid.
2. *Probabilior ratio: & explicatur quæ debeat esse causa.* 335
3. *An ea obligatio non dispensandi sine causâ sit sub peccato graui.* 336
SECTIO 2. *An dispensatio sine causâ sit valida.* 338
SVBSECTIO 1. *Quid dicendum, si dispensatio sit in legibus altioris potestatis.* ibid.
2. *Duæ sententiæ de dispensatione Principis in proprijs legibus.* ibid.
3. *Quid sit in his sententijs difficile.* 339
4. *Quid videatur in hoc puncto probabilius.* 340
5. *Aliquæ quæstiuncula præcedentibus annexæ soluuntur.* 341
SECTIO 3. *An dispensatio ex iustâ causâ concessa cesset causâ cessante.* 343
SVBSECTIO 1. *In quo sit punctum difficultatis; & duæ oppositæ sententiæ.* ibid.
2. *Quî sit difficultas expedienda.* 344
SECTIO 4. *Quomodo dispensatio requiratur, ne ei renuntietur formaliter aut virtualiter ab ipso cui conceditur.* 345
5. *Vtrùm, quando petitur secunda dispensatio in eadem materiâ, nullâ factâ mentione prioris, censeantur ambæ valide.* 346
SVBSECTIO 1. *Fundamenta communia communis sententiæ.* ibid.
2. *Tres primæ conclusiones.* 347
3. *Discutitur grauis obiectio, & magis declaratur hæc tertia conclusio.* 348
4. *Concluditur quæstio.* 349
SECTIO 6. *Vtrùm dispensatio obtenta in vno impedimento alijs tacitis subreptitia sit.* 350
7. *Appendix de abrogatione legis.* 352
SVBSECTIO 1. *Quis possit legem abrogare.* 353
2. *Quando, & quâ de causâ lex possit abrogari.* 354
3. *Quibus modis fieri possit abrogatio.* 355
4. *De promulgatione abrogationis.* 357

Digitized by Google

DISPVTATIO XXXI.

De definitione & diuisione priuilegij.

SECTIO 1. *Definitio priuilegij.* 358
2. *Definitio priuilegij in reale & personale.* 360
SVBSECTIO 1. *Prima regula ad dignoscendum priuilegium reale à personali.* ibid.
2. *Cætera regulæ pro eâ differentiâ.* 361
3. *Quid sit dicendum in dubio realis aut personalis priuilegij.* 362
SECTIO 3. *Tres aliæ diuisiones priuilegij.* 363
4. *Quatuor aliæ diuisiones priuilegij.* 365
5. *Vltima diuisio priuilegij.* 366

DISPVTATIO XXXII.

De causis priuilegiorum, & de formâ quâ concedi debent.

SECTIO 1. *De causâ efficiente priuilegij, seu de personâ quæ illud potest concedere.* 368
2. *De causâ subiectiuâ priuilegij, seu de personâ cui conceditur.* 370
SVBSECTIO 1. *Quid circa capacitatem priuilegiorum.* ibid.
2. *Quid circa personas quæ de facto habent priuilegium.* ibid.
SECTIO 3. *De his quæ requiruntur per modum dispositionis ex parte subiecti priuilegiorum.* 372
4. *De formâ quâ priuilegium debet concedi.* 374
5. *De formâ concedendi priuilegium* ad instar. 376
6. *De formâ concedendi priuilegium per communicationem.* 377
SVBSECTIO 1. *Duæ priores quæstiones.* ibid.
2. *Reliquæ difficultates.* 278

DISPVTATIO XXXIII.

De confirmatione, innouatione, publicatione, valore, ampliatione & restrictione priuilegij.

SECTIO 1. *De confirmatione priuilegij.* 380
SVBSECTIO 1. *Quî distinguatur confirmatio communis à speciali.* ibid.
2. *De diuersis effectibus harum confirmationum.* 381
3. *Vtrùm confirmatio ex certâ scientiâ reualidet priuilegia iam reuocata.* 382
4. *Quomodo extendatur confirmatio ex certâ scientiâ.* 384
SECTIO 2. *De innouatione priuilegiorum.* 385
3. *Aliquæ difficultates circa valorem & effectus priuilegij.* ibid.
4. *De publicatione necessariâ ad valorem priuilegij.* 387
SVBSECTIO 1. *Prima difficultas expeditur.* ibid.
2. *Secunda difficultas in vno sensu discutitur.* 388
3. *Quid sit dicendum de facto.* 390
SECTIO 5. *An priuilegium vbique valeat.* 391
SVBSECTIO 1. *Decidituir quæstio.* ibid.
2. *Respondetur obiectionibus in contrarium.* 393
SECTIO 6. *De restrictione & ampliatione priuilegij.* 394

DISPVTATIO XXXIV.

De interitu Priuilegij.

SECTIO 1. *Explicantur aliqui modi quibus priuilegium perire potest.* 395
2. *Satisfit obiectionibus contra dicta.* 397
3. *Alia capita, ex quibus perire potest priuilegium.* 398
4. *De renuntiatione priuilegij per ipsum priuilegiatum.* 400
5. *Quid de amissione priuilegij per non vsum.* 401
SVBSECTIO 1. *Proponitur sententia Patris Suarez.* ibid.
2. *Decidituir quæstio.* 402
3. *Quid de tempore aut multitudine actuum contrariorum necessariorum ad amissionem priuilegij.* 403
4. *Quid de amissione priuilegij per abusum.* 404
SECTIO 6. *De priuilegij amissione per reuocationem.* 405
7. *De modis quibus ea reuocatio fieri potest.* 406

TRACTATVS

De Diuinâ gratiâ, Iustificatione, & Merita.

DISPVTATIO XXXV.

Proœmialis de gratiâ adiuuante: vbi, reiectis erroribus, declarantur quæ inter Catholicos sunt certa.

SECTIO 1. *Significatio gratiæ, & tres primæ diuisiones illius.* 408

Digitized by Google

2. *Duæ vltimæ diuisiones gratiæ.* 410
3. *Quæstiones aliquot de nomine breuiter expediuntur.* 411
SVBSECTIO 1. *Expeditur prima quæstio: vbi, an omne donum Dei sit per Christum.* ibid.
2. *Reliquæ quæstiunculæ de voce solutæ.* 412
SECTIO 4. *Quis fuerit error Pelagij circa necessitatem gratiæ.* 413
5. *De errore Semipelagianorum.* 415
6. *Quæ inter Catholicos vt omnino certa, vel ferè certa sunt, statuuntur.* 417

DISPVTATIO XXXVI.

Declaratur status quæstionis inter Scholasticos circa necessitatem gratiæ adiuuantis.

SECTIO 1. *Declarantur puncta dubia, & proponitur P. Vasquez explicatio.* 419
2. *Primò reijcitur ea explicatio, vt quæ non tangit dissensionem inter Catholicos & Semipelagianos.* 420
3. *Tria alia argumenta contra eam explicationem.* 422
4. *Vltima eius explicationis impugnatio.* 424
5. *De varijs statibus naturæ humanæ in ordine ad necessitatem gratiæ.* 425
SVBSECTIO 1. *Quot & quales sint hi status.* ibid.
2. *Aliquæ comparationes eorum statuum inter se.* 426
3. *Aliæ comparationes eorumdem statuum.* 427

DISPVTATIO XXXVII.

De viribus naturæ humanæ ad cognoscendum verum.

SECTIO 1. *De viribus necessarijs ad cognoscendam veritatem tam speculatiuam quàm practicam.* 428
2. *Obiectiones aliquæ soluuntur.* 430
3. *Explicatur locus Concilij Mileuitani.* 431
4. *Concluditur quæstio.* 432

DISPVTATIO XXXVIII.

Vtrùm possit homo sine gratiâ elicere actum honestum naturalem.

SECTIO 1. *Quædam certiora supponuntur.* 433
2. *Statuitur vera sententia.* 434
SVBSECTIO 1. *Probatur hæc sententia ab auctoritate.* ibid.
2. *Probatur ex parte voluntatis non esse necessariam gratiam.* 436
3. *Quid de gratiâ ex parte intellectus.* 437
SECTIO 3. *Respondetur obiectionibus à ratione in contrarium.* 438
SVBSECTIO 1. *Expediuntur tres priores.* ibid.
2. *Quarta & quinta obiectio soluta.* 439
3. *Tres vltimæ obiectiones explicantur.* 440
SECTIO 4. *Argumenta contrariæ partis ab auctoritate.* 441
5. *Sententia quædam media reijcitur.* 443

DISPVTATIO XXXIX.

An viribus naturæ haberi possit Dei amor.

SECTIO 1. *Quædam supponuntur.* 444
2. *Quid de errore Michaëlis Baij, & de sententia P. Vasquez.* 446
3. *Aliorum sententia varia, & eorum fundamenta.* 447
4. *Reijcitur præcedens fundamentum.* 448
5. *Quid in hac quæstione probabilius.* 450

DISPVTATIO XL.

De gratiâ necessariâ ad vincendas tentationes seorsim sumptas.

SECTIO 1. *Quid de leui tentatione.* 452
SVBSECTIO 1. *Duæ oppositæ sententiæ proponuntur, & affirmans eligitur.* ibid.
2. *Amplius reijcitur contraria sententia, & confirmatur nostra.* 454
3. *Respondetur obiectionibus aduersariorum.* 455
SECTIO 2. *Quid de victoriâ grauis tentationis.* 456
SVBSECTIO 1. *Propositis varijs sententijs, statuitur prima nostra conclusio.* 457
2. *Aliæ nostræ conclusiones.* 458
3. *Obiectiones aliquæ solutæ.* 459
4. *Alia obiectio difficilis proponitur: & quâ à nonnullis ei respondeatur.* 461
5. *Examinatur responsio Patris Suarez.* 461
6. *Respondetur obiectioni è subsectione quartâ; & proponitur vltima obiectio.* 463

DISPV

DISPVTATIO XLI.

De necessitate gratiæ ad implendam totam legem naturalem, seu de victoriâ omnium tentationum collectiuè.

SECTIO 1. *Quid de obseruatione totius legis in naturâ integrâ.* 465
2. *Quid de naturâ lapsâ.* 466
3. *Duæ annexæ difficultates soluuntur.* 467
4. *An, & quomodo sit in potestate hominis habere auxilium gratiæ.* 469
SVBSECTIO 1. *Status quæstionis, & variæ solutiones.* ibid.
2. *Respondetur quæstioni: vbi de eo principio*, Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam. 470
3. *Obiectiones contra dicta.* 472
SECTIO 2. *De necessitate supernaturalis fidei & gratiæ habitualis ad obseruationem longam totius legis.* 473
SVBSECTIO 1. *Prior pars veræ doctrinæ.* ibid.
2. *Altera pars nostræ sententiæ.* 474

DISPVTATIO XLII.

De necessitate gratiæ ad actus supernaturales.

SECTIO 1. *In quo sit huius quæstionis difficultas: & præmittitur, possibiles esse actus in substantiâ supernaturales.* 476
2. *Sententia negans eos dari de facto examinatur.* 477
3. *Duæ explicationes eius sententiæ.* 478
4. *Aliæ explicationes negantis sententiæ reiiciuntur.* 480
5. *Vera sententia.* 481
6. *Decidantur facilè ex dictis aliquot quæstiones.* 483
SVBSECTIO 1. *Duæ primæ expediuntur.* ibid.
2. *Sex sequentes difficultates expeditæ.* 485
3. *Vltima difficultas de adimpletione præcepti expeditur.* 486

TRACTATVS

De Iustificatione.

DISPVTATIO XLIII.

De excellentiâ & perfectione gratiæ habitualis.

SECTIO 1. *Dari talem gratiam probatur auctoritate.* 488
2. *An probetur ratione eiusdem gratiæ existentia.* 490
3. *Quanta sit perfectio gratiæ tam respectu aliarum rerum supernaturalium quàm naturalium.* 491

DISPVTATIO XLIV.

De iustificatione vt est effectus formalis gratiæ habitualis.

SECTIO 1. *An gratia habitualis faciat ex se & intrinsecè hominem sanctum & amicum Dei.* 492
2. *Respondetur rationibus in contrarium.* 493
3. *Quomodo gratia constituat filios adoptiuos Dei: & an id soli ipsi conueniat.* 495
4. *Vtrùm per solam extrinsecum denominationem possit constitui effectus sancti & filij adoptiui.* 497
5. *Quomodo per gratiam iustificatio fiat: & quid hæc sit.* 499

DISPVTATIO XLV.

De gratiâ iustificante comparatâ cum remissione mortalis.

SECTIO 1. *Quomodo in iustificatione distinguantur remissio peccati & infusio gratiæ.* 500
SVBSECTIO 1. *Status quæstionis proponitur; & obseruatio quædam necessariò præmittitur.* ibid.
2. *Vera sententia.* 501
SECTIO 2. *Vtrùm gratia naturâ suâ expellat peccatum mortale.* 504
3. *Magis declaratur præcedens doctrina; & illustratur excellentia gratiæ habitualis.* 506
SVBSECTIO 1. *Proponitur Coninck sententia.* ibid.
2. *Reiicitur prima pars de amicitiâ, & de exigentiâ amoris diuini.* 507
3. *Discutitur quædam euasio eius auctoris; & satisfit reliquis argumentis contra nostram doctrinam.* 508
4. *Discutiuntur tres sequentes partes eius doctrinæ.* 510

Digitized by Google

5. *Tres vltimæ partes eius doctrinæ examinantur.* 512
6. *Declaratur in quo genere & qualis sit ea oppositio gratiæ cum peccato.* 513

DISPVTATIO XLVI.

An forma sanctificans necessariò sit res absoluta : vbi, an peccatum sine formâ intrinsecâ deleri queat diuinitus, vel è contrario cohærere cum gratiâ possit.

SECTIO 1. *Vtrùm forma sanctificans sit res, an modus.* 516
2. *Quid de sententiâ Ioannis Vincentij.* 517
3. *Vtrùm peccatum mortale deleri possit sine actu peccatoris, aut etiam sine aliâ physicâ mutatione eiusdem.* 518
SVBSECTIO 1. *Necessaria obseruatio & decisio quæstionis?* ibid.
2. *Deciduntur quædam ex dictis.* 519
SECTIO 4. *Vtrùm diuinitus peccatum & gratia possint esse simul in animâ.* 520
SVBSECTIO 1. *Proponitur sententia affirmans.* ibid.
2. *Nostra sententia proponitur.* 521

DISPVTATIO XLVII.

An remissio peccati venialis ad effectus gratiæ habitualis pertineat.

SECTIO 1. *Vtrùm de facto omni remissioni venialis sit adiuncta gratiæ infusio.* 523
2. *Per quæ de facto tollatur veniale.* 524
3. *An alijs modis tollantur venialia : & quid post hanc vitam in iustis.* 526

DISPVTATIO XLVIII.

De dignitate, causâ materiali & efficienti iustificationis : vbi de dispositione in communi ad primam gratiam.

SECTIO 1. *Vtrùm iustificatio sit maximum opus Dei.* 527
2. *De causâ finali & materiali gratiæ habitualis.* 528
3. *De causâ efficiente iustificationis.* 529
4. *De dispositione physicâ pro gratiâ habituali.* 530
5. *De dispositione morali ad gratiam requisitâ.* 531
SVBSECTIO 1. *Statuitur certa & Catholica doctrina.* ibid.
2. *Qualis debeat esse ea dispositio ad gratiam.* 532

DISPVTATIO XLIX.

De dispositionibus in particulari ad iustificationem requisitis ex parte intellectus : vbi de reflexâ certitudine illarum.

SECTIO 1. *Hæreticorum error reijcitur : vbi, quæ fides sit ad salutem necessaria.* 533
2. *An possit esse certitudo Theologica de propriâ iustitiâ.* 535
3. *Declaratur magis, quanta possit esse ea certitudo.* 537
4. *An & quomodo possit quis esse certus se habere fidem diuinam.* ibid.
SVBSECTIO 1. *Proponitur sententia Patris Vasquez.* ibid.
2. *Aliquæ obiectiones soluuntur.* 539

DISPVTATIO L.

De dispositionibus ad iustificationem ex parte voluntatis requisitis.

SECTIO 1. *Statuitur contra hæreticos Catholica sententia.* 540
2. *Obijciuntur & explicantur testimonia S. Pauli.* 541
3. *Declaratur in particulari, qui actus voluntatis sint ad iustificationem necessarij.* 542
SVBSECTIO 1. *De spe : vbi discutitur sententia P. Vasquez.* 543
2. *De alijs actibus disponentibus ad iustificationem.* 545
SECTIO 4. *Quem ordinem debeant hi actus seruare cum iustificatione.* 546
SVBSECTIO 1. *Quid de ordine temporis inter dispositiones ad gratiam.* ibid.
2. *Quid de prioritate naturæ inter dispositiones pro iustificatione.* 547

DISPVTATIO LI.

De augmento iustificationis.

SECTIO 1. *Gratia esse potest inæqualis ; & vnde id oriatur.* 548
2. *An gratia augeatur per quodlibet opus bonum quantumuis remissum.* ibid.
SVBSECTIO 1. *Proponitur sententia negans.* ibid.
2. *Proponitur vera & communis sententia.* 550
3. *Probatio eiusdem sententiæ ex Scripturâ & Patribus.* 551
4. *Probatur idem ratione.* 552

5. Quan

Digitized by Google

5. *Quando tale augmentum concedatur: & quæstiuncula aliquæ solutæ.* 553
SECTIO 3. *Vtrùm quilibet actus virtutis tot mereatur gradus gratiæ, quot habet in se intensionis.* 555
4. *Vtrùm habitus gratiæ habeat terminum suæ intensionis: vbi, an iusti possint in hac vitâ semper in gratiâ crescere.* 557
5. *An gratia possit ita crescere vt fomitem peccati extinguat.* 559
6. *An iusti possint in hac vitâ vitare omnia venialia.* 560

DISPVTATIO LII.

De conseruatione gratiæ, seu de perseuerantiâ in illâ, item de eius amissione.

SECTIO 1. *Quid requiratur ad conseruationem gratiæ.* 561
2. *An actualis perseuerantia sit ex speciali dono Dei.* 564
3. *Appendix de necessitate gratiæ ad perseuerandum in statu naturæ integræ: vbi etiam de Angelis.* 565
4. *Obseruatio quædam circa distinctionem duplicis perseuerantiæ.* 567
5. *De confirmatione in gratiâ.* 569
6. *An, & quando amittatur de facto gratia per peccatum.* 570
7. *Quomodo amissâ gratiâ amittatur fides & spes.* 572

TRACTATVS
De Merito.

DISPVTATIO LIII.

Quid requiratur ex parte operum ad meritum supernaturale.

SECTIO 1. *Supponuntur quæ certa sunt.* 574
SVBSECTIO 1. *Opera nostra supernaturalia facta in gratiâ sunt meritoria de condigno augmenti gratiæ.* ibid.
2. *Explicantur breuiter reliqua, quæ circa meritum supernaturale certa sunt.* 576
SECTIO 2. *An pura omissio sit meritoria de condigno gratiæ.* 577
SVBSECTIO 1. *Prior pars nostræ sententiæ.* ibid.
2. *Altera pars nostræ sententiæ.* 579
SECTIO 3. *An actus virtutum naturalium sint ex se meritorij vitæ æternæ in homine iusto.* 580

DISPVTATIO LIV.

De aliis requisitis ad meritum condignum vitæ æternæ.

SECTIO 1. *An gratia habitualis sit necessaria ad meritum condignum vitæ æternæ.* 582
SVBSECTIO 1. *Explicatur quæstio in primo sensu.* 583
2. *Explicatur quæstio in secundo sensu.* ibid.
SECTIO 2. *Quomodo ad meritum requiratur status viæ.* 584
3. *Vtrùm purus homo possit pro altero mereri de condigno gratiam.* 585
4. *Quomodo ad meritum requiratur pactum seu ordinatio diuina.* 586
5. *Vtrùm merita iustorum habeant aliquam dignitatem ex meritis Christi.* 587

DISPVTATIO LV.

Vtrùm ex maiori gratiâ habituali merita crescant.

SECTIO 1. *Sententia affirmans: & quî ab aliquibus respondeatur eius fundamento.* 589
2. *Aliorum responsiones.* 590
3. *Obseruatio quædam pro veritate sententiâ.* 591
4. *Nostra sententia proponitur.* 593
5. *Breuiter expediuntur aliquot quæstiunculæ.* 594

DISPVTATIO LVI.

De his quæ possunt cadere sub meritum condignum: vbi de primâ gratiâ, perseuerantiâ & primâ gloriâ.

SECTIO 1. *Quid de primâ gratiâ.* 595
SVBSECTIO 1. *Proponitur quorumdam sententia; & reijcitur primus illius sensus.* ibid.
2. *Discutitur alter sensus eius sententiæ.* 596
SECTIO 2. *De merito perseuerantiæ in gratiâ ad finem vitæ. Proponitur status quæstionis, & deciditur quoad potentiam ordinariam seu naturalem.* 599
3. *Quid de potentiâ absolutâ.* 601
4. *An possit quis diuinitus ita mereri de condigno perseuerantiam finalem, vt illud meritum non impediatur per subsequens mortale.* 603
SVBSECTIO 1. *Status quæstionis & conclusio nostra.* ibid.
2. *Proponitur præcipua in contrarium diffi*

Digitized by Google

difficultas. ibid.
3. *Respondetur ei difficultati.* 604
4. *Reliquæ obiectiones solutæ.* 606
SECTIO 5. *De merito condigno primæ gloriæ.* 607
SVBSECTIO 1. *Quid de primis duobus casibus.* ibid.
2. *Probabile est etiam, in tertio casu non dari condignum meritum primæ gloriæ.* 609
3. *Defenditur vt probabilius tale meritum.* 610
SECTIO 6. *Appendix: Quæ alia dona gratiæ cadant sub meritum condignum.* 611
7. *An post hanc vitam augeatur gratia iustorum.* 612

DISPVTATIO LVII.

De merito congruo.

SECTIO 1. *An detur.* 613
2. *Quæ conditiones ad meritum congruum requirantur.* 614
SVBSECTIO 1. *Quid de supernaturalitate actus: & an opus ex se condignum possit esse meritum congruum.* ibid.
2. *Quid de statu viatoris.* 616
3. *An pro altero possit quis habere meritum congruum: & quid ex parte Dei debeat ad illud interuenire.* 617
SECTIO 3. *Quid possit mereri peccator de congruo.* 618
4. *Quid iustus possit de congruo mereri de facto tam sibi quàm alijs.* 620

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERVM, QVÆ QVARTO hoc Tomo continentur.

Abel.

ABEL, iuxta Salas, putatur fuisse Sacerdos. pag.191.num.10

Abrogatio legis, vide legis.

Abrogatio.

Abrogatio legis est cessatio totalis legis. 319.n.1.352.n.75

Abrogare potest Princeps summus aut ei æqualis legem. 353. item Legislator suam, nisi impediatur. ibid. & superior Legislator inferioris. ibid.

Inferior non potest abrogare Superioris. ibid.

Non ideò potest lex abrogari à subditis, quòd in eorum bonum cedat. 354.n.78

Quando possit lex abrogari ab eo in cuius est fauorem data. ibid.n.79

Abrogare potest Legislator suam legem etiam sine causa. ibid.n.81

Ad abrogandam iustè legem sufficit causa honesta, etsi non sufficiens ad epieikiam. ibid.n.82

Abrogare sine causa non est graue, sed leue peccatum. 355.n.83

Quæ causæ esse possint ad licitè eam abrogandam. ibid.n.84

Duo modi abrogandi legem. ibid.n.86

Priuatiuus. ibid.

Maior causa requiritur ad commutationem quàm ad abrogationem legis. ibid.

Positiuus modus abrogandi legem. ibid.n.87

Abrogatio legis per subsequentem censetur odiosa. 356.n.88

Ad renouationem sufficit sola interior voluntas Legislatoris. 357.n.91

Ad abrogationis promulgationem sufficit vt innotescat subdito. ibid.

An sicut ad obligationem requiritur solemnis promulgatio & certum tempus, ita & ad abrogationem. ibid. quando sit per legem positiuam sunt necessaria. ibid.n.92

Si purè tollendo, tantùm requiritur manifestatio voluntatis Principis. ibid. quæ debet certò innotescere. ibid.

Tantum temporis requiritur ad abrogandam, quantum ad ferendam legem. ibid.n.93

Quales habeat effectus abrogatio. ibid.

Absolutio à reseruatis.

Data à nesciente se habere facultatem nulla est. 390.n.42

Acceptatio legis. Vide *Legis acceptatio.*

Acceptationem populi ad valorem legis necessariam esse, non repugnat ex naturâ rei. 187.n.37

Talis conditio non esset iniusta. 188.

Non est ex natura rei necessaria. ibid.n.38

Non requiritur de facto. ibid.n.41

Acceptatio maioris partis populi an præualeat minori, vel æqualis æquali. 219.n.20

Actio externa.

Quomodo possit prohiberi in se alioquin bona. 212.n.39

Actio moralis.

Actio moralis tribuitur principali agenti. 231.n.45

Actio peccaminosa.

Actio peccaminosa potest alicui esse fructuosa, si permittat Legislator. 257.n.53

Actio quando reddatur mala, quam lex prohibet, ex concursu alterius præcepti, vel huc aut illâ circumstantia. 308.n.12

Actus bonus.

Dari actus bonos, qui non fiunt ex charitate, certum est contra Baium. 65.n.39

Actus intentatus.

Pro actu tentato, sed re ipsa non consummato, non incurritur pœna legis. 263.n.79

Actum attentatum multæ leges punientes non habent locum, cùm actus re ipsa est validus. ibid.n.80.

Actus interni.

Quomodo sint occulti. 204.n.4

Actus irritatus.

Actus alicuius irritari potest omnino inscij. 187.n.35

Actum irritatio duplex est, vel facto ipso vel per sententiam. 250.n.11

Actus si sit irritabilis, tenentur ad eius rescissionem. 251.n.14. etiam ante Iudicis sententiam. ibid.

Actus irritati per sequentes leges, esto in se validi, quomodo excusent à pœna priori. 265.n.91

Actiones etiam inuincibiliter ignorantium inualidantur. 250.n.10

Actiones quando à legibus irritentur. 262.n.75

Actus occultus.

Actus occultus per accidens an sit ita occultus ac purè internus. 214.n.49

Actus pœnâ dignus.

Actus pœna dignus est, si sit contra legem tentatus siue validus sit, siue non, nisi obstet ignorantia. 263.n.79

Actus, quem lex punire cogitat, si ex alio capite quam lex supponat sit nullus, estne dignus pœna præscripta? ibid.n.81.

Declaratur id exemplis. ibid.

Actus supernaturalis.

Actus in substantia supernaturales nequeunt fieri sine speciali auxilio Dei. 419.n.37

Ad talem actum requiritur auxilium supernaturale. 428.n.1

Potest

Potest elici actus supernaturalis simul cum naturali circa idem obiectum. 444.n.37.
Vnde probatur possibilitas actuum supernaturalium in substantiâ. 476.n.1.
In illum actum influit potentia naturalis. ibid. num.2.
Supernaturalitas actus non obest libertati potentiæ. 477.n.3.
Per quid constituatur actus supernaturalis. 478. num.4.
Supernaturalitas actus condigni non potest desumi ex dignitate personæ elevatæ per gratiam. 479.n.6.
Neque potest desumi ab aliqua denominatione extrinseca proueniente ex eo, quòd Deus hominem destinet ad finem supernaturalem. 480.n.8.
Supernaturalitas non consistit in esse quodam morali aut modali entitativo. ibid.n.9.
Actus morales supernaturales distincti à Theologicis possunt reperiri in homine peccatore. 486.n.13.
An actus supernaturalis efficienter tanquam causa principalis intendat gratiam. 530.n.8.
Actus supernaturales de facto non producunt suos habitus. ibid.
Sed meritorie. 548.n.21
Nemo potest habere indicium reflexum certum se elicere actum supernaturalem. 537.n.12. & seqq.

Actuum obligatio. Vide *Obligatio.*

Adamus.

Adamo materia præcepta num fuerit grauis. 173.num.57.
Si Adam vicisset primam tentationem, fortè non fuisset secundò tentatus. 465.n.2.

Adoptio Dei.

Adoptio à Deo est idem quod eleuatio ad visionem beatificam. 510.n.27.

Affectio pia.

Supernaturalis sine gratia esse non potest. 484. num. 19.

Amicitia.

Amicitia potest esse inter inæquales. 494.n.4.
Deus potest cum homine vel Angelo habere amicitiam. 494.
Per rò *amicitia* intelligitur forma exigens amorem mutuum. 507.n.19.
Homo non potest fieri amicus Dei sine forma reddente illum dignum amore Dei. ibid. n.19.

Amor Dei.

Lex naturæ obligat ad amandum aliquando Deum super omnia. 64.n.35.
Non tamen obligat vt omnia ŏperà fiant ex tali amore. 65.n.38.39.
Dari opera bona, quæ non fiunt ex amore Dei, certum est contra Baium. ibid.n.39.
Amor Dei est duplex, alius concupiscentiæ, alius benevolentiæ. 444.n.1.
Non omnis amor benevolentiæ est super omnia. ibid.
Maior perfectio amoris Dei consistit in maiori appretiatione illius. 445.
Hæc appretiatio inuoluit expressam comparationem. 445.n.1.
Vterque amor potest ferri in Deum vt finem supernaturalem & naturalem ibid.n.2.
In natura lapsa potest haberi amor Dei imperfectus. 446.n.5.
Pater Vasquez putat nullum amorem concupiscentiæ erga Deum posse esse supernaturalem. 446.& seq.n.6
Potest in natura integra elici amor Dei perfectus sine speciali gratia. 447.n.7.
Satisfit testimonijs in contrarium. ibid.n.7.
Variæ sententiæ de hoc amore in varijs statibus naturæ. ibid.
Examinatur & reijcitur ratio P. Suarez, qua probat non posse dari amorem perfectum Dei in natura lapsa sine speciali gratia. 448.n.10.
Actus amoris Dei naturalis super omnia vi suæ existentiæ non aliud requirit quàm vt adhibeantur omnia media, quæ hîc & nunc requiruntur ad non offendendum Deum grauiter. 449.n.11.
Reuelatio lapsus futuri non impedit perseuerantiam in amore Dei super omnia. ibid.
Amor Dei efficax concitat efficax odium peccati & dolorem appretiatiuè maximum de peccatis commissis. ibid.n.12.
Potest haberi absolutè naturalis amor Dei super omnia absque speciali gratia. 456.n.14.
Impotentia amandi Deum non prouenit per se ex peccato. ibid.
Possibilis est amor Dei super omnia breuissimo tempore durans. ibid.n.15.
Supernaturalem comitatur amor Dei super omnia naturalis. 452.n.17.
Superata difficultate præceptorum per auxilia gratiæ, potest naturaliter elici amor Dei super omnia. ibid.n.18.
Gratia, quæ requiritur ad amorem super omnia naturalem, non est in substantia supernaturalis. ibid.n.18.

Angelus.

Angelus custos in natura lapsa homini datus contra diabolum tentantem. 427.n.30.

Anima rationalis.

Habet quasdam imperfectiones nullo Dei odio dignas. 169.n.25.
Animæ separatæ debetur aliqua cognitio. 419. num.4.

Animus.

Animus auferendi legem non est connexus cum transgressione externa. 288.n.16.

Appetitus.

Appetitus rebellio fuisset homini naturalis etiam in statu naturæ integræ. 426.n.26.
Fuisset miraculosè impedita in statu innocentiæ. ibid. n.27.
Dispositio corporis multum facit ad actus appetitus. 428.n.34.

Attritio.

Attritio ad iustificationem sufficit intra Sacramentum. 545.n.16.17.
Includit propositum deinceps non peccandi. 546. num.19.
Non meretur in Sacramento gratiam immediatè de congruo. 619.n.21.

Auditio Sacri.

Audiens Sacrum, & nolens per id præcepto satisfacere, an satisfaciat. 215.n.61.
Suarij mens. ibid.
Vasquez & auctoris. ibid.
Etiam violentè detentus in Sacro satisfacit. 216.

S. Augustinus.

Doctrina S. Augustini de gratia. 418.n.33.

Auxilium.

Auxilia & inspirationes non sunt gratiæ sanctificantes. 409.n.4.

Pri

Digitized by Google

Primum auxilium non est gratia gratis data. 412 n. 16
Auxilium congruum à sufficienti in Societatis sententiâ non distinguitur nisi per scientiam mediam videntem futuritionem vel non-futuritionem effectus. 419. n. 2
Inter auxilium congruum & auxilium supernaturale datur medium. 422. n. 12
Auxilium congruum naturale non potest propriè vocari gratia. ibid. n. 13
Auxilia efficacia ad bona naturalia sunt aliquando annexa dono creationis. 438 n. 18
In nostrâ potestate est reddere auxilium efficax, non tamen est in nostrâ potestate illud nobis dare. 440. n. 24.
Ideò oramus pro auxilio congruo, quia Deus simpliciter poterat illud nobis non dare. ib.
Non sunt idem, auxilium esse à Deo, & esse gratiam. ibid. n. 25
Examinatur commune axioma Theologorum, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.* 471. n. 13. & seqq.
Non potest certa regula assignari, quamdiu debeat homo facere quod in se est, vt à Deo impetret auxilium gratiæ, sed id pendet ex prudenti æstimatione. 472. n. 16
Bonum opus naturale non est causa vt detur auxilium gratiæ, sed tantùm occasio. 472. n. 17
Omnes iusti habent auxilia sufficientia ad vitanda peccata mortalia non tantùm physicè, sed etiam moraliter. 563. n. 4. 5. 6
Dare auxilium efficax præ inefficaci, siue illud sit naturale siue supernaturale, est peculiare beneficium etiã in statu purę naturæ. 565. n. 11
Cum auxilio efficaci in sententia Patrum Societatis potest componi absolutè carentia operationis. 567. n. 18
Auxilium congruum & sufficiens entitatiuè non distinguuntur. 602. n. 22
Auxilium primum non potest cadere sub meritum peccatoris. 618. n. 18

Baptismus, baptizans.

VI Baptismi & martyrij in instanti mortis remittuntur peccata venialia tam quoad culpam quàm quoad pœnam. 526. n. 10
Gratia respondens Baptismo non datur intuitu attritionis neque de congruo. 619. n. 21
Baptizans quomodo obligetur ad habendam intentionem. 209. n. 28

Beatitudo.

Beatitudo supernaturalis non potest haberi nisi per media supernaturalia, sicut naturalis per media naturalia. 513. n. 38
Beatitudo accidentalis non cadit sub distinctum meritum à beatitudine essentiali. 611. n. 51.
Beatitudinem accidentalem non merentur Beati de congruo. 616. n. 9
Possunt tamen de congruo meteri accelerationem resurrectionis. ibid. n. 9
Possunt item alia dona sine precibus alijs mereri de congruo. ibid. n. 11

Beneficiarius.

Beneficiarius non tenetur iure diuino ad orandum attentè suum officium. 208. n. 23
Varia argumenta. ibid.

Bona physica.

Potentiùs attrahunt voluntatem nostram quàm bona moralia. 460. n. 19

Bonitas moralis.

Bonitas moralis pro fundamento habet bonitatem physicam. 31. n. 6

Bonum.

Multa bona à Deo distincta sunt honestè amabilia propter se. 64. n. 36

Bonum commune.

An ad legis rationem requiratur vt tendat in bonum commune, quatenus est de nomine: cui ex communi vsu respondendum affirmatiuè. 25. num. 10. 26 n. 12
Non rectè docet P. Vasquez legem tantùm ordinari in bonum commune, quatenus debet ab omnibus obseruari. 26. n. 11. 12
Lex tendit in bonum commune, eo ipso quo est honesta & iusta. ibid. n. 14. 15
Non licet ob bonum commune innocentem spoliare, vel occidere. 27. n. 16
Lex tantùm ordinatur ad bonum commune subditorum. ibid. n. 17
Lex validè ferri potest in bonum vnius tantùm, dummodò ille sit membrum communitatis cui lex imponitur. 28. n. 21
Deus legem ferre potest tantùm ob suam gloriam, non attendendo nostrum commune bonum. 28. n. 22
Sufficit leges in actu exercito tendere in bonum commune. ibid.

Bonum opus. Vide *Opus.*

Bulla Cœna.

Quomodo obliget. 217. n. 6.

Canonica potestas.

AN fuerit in lege naturæ, & quid sit. 190. num. 5
In quo statu naturæ ea possit & verò debeat esse. ibid. n. 6
Nõ pẽdere à bonis moribus est de fide. 200. n. 65. ibid.
An pendeat à fide. ibid.
Affirmat Turrecremata, Castro, alij. ibid.
Negatiua probabilior Caietani, Cani. 201. n. 66
Rationes conclusionis. ibid.
Occurritur argumentis aduersariorum. ibid.
Non potest concedi laico cõmuniter. 201. n. 72.
Ad eam potestatem cur requiratur character Baptismi. ibid.

Capitulum Ecclesiasticum.

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ viuo Episcopo nequit ferre leges; cum eo potest. 199. n. 59.
Eo tamen absente aliqua statuta ipsum Capitulum concernentia dare potest. ibid.
Capitularium hæc iurisdictio vnde sit. ibid. n. 60.
Sintne hæc statuta contraria Pontificiis. ibid.
Capitulum Sede vacante non potest pro toto Episcopatu ferre leges. 200. n. 61. 62
Enodantur capita in contrarium. 200. n. 62
Fundamentum auctoris huius negationis. ibid. num. 63.
Probatur efficaciter negatiua conclusio. ibid.
Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ quid possit. ib num. 64

Cardinalis.

Cardinalium electio est solùm de iure humano 180. n. 4
Qualem de facto habeant iurisdictionem. 198 num. 43
In Conclaui an possint creari alij Cardinales. 198. n. 53
Quid de hac re constet ex Clementinâ *Ne Romani.* ibid. n. 54

Causa formalis.

Causæ formalis secundarius effectus potest esse aliquando nobilior ipsâ causâ formali. 503. num. 9.
Ratio. ibid.

Digitized by Google

Causa matrimoniales.

Causæ matrimoniales cur ab Ecclesiâ sint resectuatæ. 204. n.2

Censura.

Censuræ appositio ad legem an inferat grauem obligationem. 220.n.24
Minor excommunicatio non indicat. ibid.
Si primum sit ferenda à Iudice excõmunicatio post monitionem, distinguit Suarez. ib.n.25
Quid Vasquez sentiat. 221.n.27
Resolutio. ibid. n.28
Suspensio, interdictum & irregularitas an sint indicium grauis obligationis. ibid. n.29
Vasquez & Suarez dissentiunt. ibid.
Vtrumque conciliat author. ibid.

Charitas.

Charitatis habitus non potest solus constituere hominem filium adoptiuum Dei. 495.n.8
Affirmat Turrianus. 496
Habitus charitatis supernaturalis non potest naturaliter esse cum peccato mortali. 520.n.15

Christus.

Christus & verè & propriè Legislator noster. 117.n.4
Christus non dedit Ecclesiæ iurisdictionem in actus externos. 205.n.9
Congruentia. 206
Obiectio contra. ibid.n.19
Gratiæ datæ per merita Christi potuerunt sine illis gratuitò conferri. 409.n.3
Omnia dona temporalia etiam creationis post peccatum Adami probabiliter dantur ex meritis Christi. 411.n.11.12
Christi aduentus non causat dona nobis aliàs naturaliter debita. 430.n.6.
Christus in aliquorum sententiâ non omnia meruit per solam mortem. ibid.n.9.
Probabilius est determinatè omnia dona etiam naturalia meruisse. ibid.
Christi gesta & dicta aliquot annis solâ traditione credebantur. 267.n.9

Christiana libertas.

Christiana libertas in quo sita sit. 189.n.1

Circumcisio.

Circumcisio post promulgationem Euangelij semper fuit illicita. 111. num. 14
Id Apostoli aliquamdiu ignorarunt. 112.n.18
Etiam Paulus, cùm Timotheum circumcidit: sed postea diuinitus edoctus, in Epistolâ ad Galatas docuit circumcisionem esse illicitam. 113.num. 24.

Ciuilis potestas.

Quando & quomodo possit resistere Pontificiæ. 203.n.75
Cur eadem ciuilis potestas Ecclesiasticæ subiecta. ibid.

Clausula.

Clausulæ legibus addi solitæ distinguendæ. 273. num.37

Coactio.

Coactiua vis in aliũ transferri nõ potest. 205.n.8

Codex Iustiniani.

Cur multas leges pro Ecclesiasticis contineat. 204. n.2.

Cogitatio.

Cogitatio sancta naturaliter excitatur in homine. 423.n.16
Qui negant cogitationem congruam esse speciale beneficium Dei, non sunt athei. 438.n.20
Deus nõ potest negare sine miraculo homini alicui cogitationem omnem congruã. 441.n.26

Cognitio.

Cognitiones sensuum ad quæ obiecta se extendant. 205.n.5
Cognitio naturalis non potest determinare ad amorem supernaturalem propter improportionem. 410.n.6
Deus non potest hominem naturaliter conseruare sine omni cognitione. 429.n.4
Naturalis conducens ad vitam æternam non potest haberi sine gratiâ. 430.n.8
Naturalis congrua non est propriè congrua, prout accipitur à SS. Patribus. 437. n.17

Communitas.

Communitas variè accipitur. 25.n.7
Quælibet est capax legis. ibid.n.8.9
Non est necesse vt lex obliget omnes personas eiusdem communitatis. ibid. n.9
Communitates generales Religiosæ & Capitula quid possint. 200.n. 64
Communitas potest transferre in alium iurisdictionem suarum actionum tam internarum quàm externarum. 205.n.8
Non dedit Ecclesiæ iurisdictionem in actus internos. ibid.n.9

Concilium.

Concilium generale, cui interest Papa, habet vim legislatiuam. 197.n.46
Cui solùm per Legatos interest Papa, ante confirmationem legum eius non obligat. ib.n.47
Concilium generale, vel Collegium generale quid possit in electione Pontificis. 198.n.52
Concilium idem mortuo Papâ quomodo possit ferre leges. ibid.n.54
Concilia triplicia. ibid.n.55
Concilia omnia pro suo districtu possunt ferre leges. ibid.
An, vt obligent eiusmodi leges, opus sit consensu omnium Episcoporum. ibid.
Suarij & aliorum opinio. ibid.n.56
Deciditur quæstio. 199. n.57
In tali Concilio oportet omnes Episcopos, imò & Primatem consentire. 199.n.57
Concilij leges ab eodem approbatæ an possint ab Episcopo reuocari. ibid.n.58
Respondetur disiunctiuè. ibid.
Concilium tantum circa tributa potest quantum ei à Papâ conceditur. 241.n.29
Concilium Prouinciale non habet ius maius quàm Episcopus quilibet seorsim. 327. n.8
Habet ius ad puniendum Episcopos. ibid.
Duo capita, ex quibus Concilium Prouinciale potest acquirere iurisdictionem supra singulos Episcopos. 328.n.10
Episcopi possunt dare aliquam supra se iurisdictionem in ijs in quibus non impediuntur per Pontificem. ibid.
De facto non potest præsumi concessa Concilijs talis iurisdictio. ibid.n.11
Leges latæ à Concilio non censentur propriæ Primatis præsidis Concilij. ibid.
Iurisdictio specialis concessa Concilio conceditur Metropolitano. ibid.n.12
Datur ratio, cur Episcopi subiaceant Concilio quoad pœnam, non quoad ferendas leges. ib.

Conditio.

In contractibus aliisque rebus moralibus non debent plures conditiones requiri, quàm quæ ex natura rei sunt necessariæ, nisi clarè constet eas ex mente contrahentium vel aliunde esse appositas vt essentiales. 37.n.37.

Condi

Conditio vt talis debet esse ad aliquid à se distinctum. 38. n.41

Conditionatus.

Conditionata mala non nocent, nec bona conditionata prosunt. 418.n.34

Condonationis diuinæ obiectum.

Condonationis diuinæ obiectū est carentia odij & displicentiæ erga hominem ob peccatū antiquū; & consideratio eiusdem hominis ac si illud peccatum non commisisset. 21.n.38

Auctor antiquam suam & aliorum sententiam de condonationis diuinæ obiecto explicando per futuritionem conditionatam iniustam odij reprobat. 14.n.13.14

Referturque Lugo explicans condonationem diuinam; quasi diceret: *Vellem, quamum est ex me, vt ex offensâ præteritâ non amplius resultaret mihi ius aduersum &c.* 16. n.21

Ea explicatio improbatur. 19.n.30

Confirmatio in gratiâ.

Confirmatio in gratiâ præter perseuerantiam finalem probabiliùs addit & impotentiam ad peccandum. 569. n.27

Pater Suarius eam constituit in vberioribus auxilijs; sed reijcitur. ibid.

Consecratio.

Consecratio Sacerdotis & Episcopalis non admittitur in hæretico. 202. n.70

Consensio, Consensus.

An verum sit illud, *Qui tacet consentire videtur.* 275. n.49

Consensus Principis quando sit præsumendus circa abrogationem legis ante tempus pro præscriptione requisitum. 284.n.93

Noua voluntas ex consuetudine colligitur. 285. n. 96

Tolerantia Principis quando non arguat consensum, quando verò sic. ibid.

Consuetudo. Vide *Lex consuetudinem prohibens.*

Consuetudo minuit peccatum. 178. n.85

Non facit è veniali mortale. 220. n.26

Consuetudo immemorialis quibus in rebus ad præscriptionem iuuat. 244.n.45

Consuetudo eos habet effectus obligandi, quos aliæ leges. 266 n.1

De hac fusè agit Salas, Suarez & Vasquez. ibid.

Quid sit vsus, mos, consuetudo: & quibus competat. ibid.n.2.

Consuetudo duplex. ibid

Eius definitio optima apud Isidorum. ibid. n.3.

Alia definitio. ibid. n.4

Quomodo differat à præscriptione. ibid.

Vasquez opinio reiecta. ibid.n.4

Consuetudo circa hominum facta versatur; circa quæ etiam præscriptio versari potest. ibid.

Differentiæ consuetudinis à præscriptione Iurisstarum. ibid. n.5.

Meliores suggeruntur ab auctore. ibid.

Consuetudo habet se per modū legis scriptę. ib.

Non omnis consuetudo inducit ius legis. ib. n.6

Primo modo sumpta circa quę versari possit. ib.

Circa rem malam natura sua non inducit legem. 267.n.7

Vnius priuati aut familiæ consuetudo non inducit obligationem. ibid.

In rebus indifferentibus quà talibus etiam vniuersalis obligationem non inducit. ibid.n.8

Quid oppidi aut vrbis vnius. ibid.n.8

Respublica libera potest sua consuetudine sibi legem parare. ibid.

Quomodo differunt traditiones à consuetudine. ibid.n.9

Differentia styli à consuetudine. ibid.n.10

Differentia eiusdem vrbis & fori. 268. n.12

Consuetudo alia est præter legem, alia iuxta, alia contra legem. ibid.n.13

Nulla præualet contra legem naturalem aut diuinam. ibid.

Quando præualeat cōtra positiuam humanā. ib.

Quæ sit iuxta legem. ibid.

An hæc detur, quæstio de voce. ibid.n.14

Cui bono sit talis consuetudo. ibid.n.15

Quid sit præter legem. ibid.

Iuxta legem consuetudo non habet propriè vim legis. 269

Quo sensu sit consuetudo, quando deficit lex. ibid.n.16.

Consuetudo in legem redacta an desinat esse consuetudo. ibid. n.17

Consuetudo dicit carentiā alterius legis. ib.n.18

Quando censeatur quasi reuiuiscere. ibid. n.19

Conciliantur opiniones præcedentes. 270. n.20

Quo sensu consuetudo dicatur ius non scriptum. ibid. n.21

Alia est circa res vel circa personas, alia circa facta hominum. ibid.n.22

Vtraque potest esse præscriptio. ibid. n.23

Quænam consuetudines non obligent ex iniustitia. ibid.

Vnde ea diuisio consuetudinum sit desumenda. ibid. n.24

Nota difficultatem qua hîc Suarez premitur. ibid.n.25

Inconsequentiæ arguitur. ibid.

Consuetudo alia est priuatiua, alia positiua. 271 n. 27.

Bona item & mala. ibid. n.28

Quid sit bona vel mala secundùm quid. ibid.

Mala non inducit ius. ibid.

An, & quomodo differat rationabilis & irrationabilis consuetudo à bona & mala. ibid.n.29

Quid sit rationabilis & irrationabilis. ibid.

An omnis sit rationabilis, quæ nec est directè nec indirectè contra legem naturalem vel diuinam. ibid.n.30.

Longè minor est obligationis repugnantia in ordine ad consuetudinem quàm legem. 272. num.31.

Omnis materia, quæ nullo pacto est contra legem Dei, est rationabilis. ibid.n.32

Non omnis contraria iuri positiuo, adeóque mala, est simul irrationabilis. ibid.n.33

Hæc irrationabilis numquam præscribit. ibid.

Quomodo sciri possit, quæ materia in particulari sit capax cōsuetudinis rationabilis. ib.n.34

Quæ consuetudo dicatur permissa. ibid.n.35.

Aliud est reprobare consuetudinem, aliud reuocasse. ibid.

An semel consuetudo lege abrogata secundò exsurgere possit & præualere contra legem. ibid. n.36.

Auctor distinguit inter clausulas legibus dari solitas. 273.n.37

Conceditur cum Suarez. ibid.

Non abrogat legem, nisi quatenus fulcitur aliqua voluntate Principis. 274. n.45.

Ratio efficax est consuetudo non posse aboleri sicut ceteræ leges. ibid.

Duplex consuetudo præscripta. 277. n.58

De legali hîc agitur. ibid.

Quando possit esse præscripta. ibid.n.59

Casus difficultatis. ibid.
Quid hîc propriè præscriptio. ibid.
Suarij opinio. ibid.
Duo requiruntur vt consuetudo iuri positiuo prævaleat. 278
Quænam hîc præscriptio sumatur, est controuersum. ibid.
Contrariũ Suario Vasquez docet, & alij ib.n.61
Fundamentum Vasquez. ibid.n.62
Consuetudo potest legem facere sine actuali Principis notitiâ. ibid.n.64
In iure Canonico vt præscribat, requirit certum tempus suæ durationis. 280.n.72
In iure ciuili nõ requiritur talis præscript.ib.n.73
Ostenditur ad quas consuetudines etiam in iure Canonico non sit necessaria illa præscriptio stricta. ibid.
Consuetudo præscriptione non egens inducitur ante decennium. ibid.n.75
De quâ præscriptione intelligenda sunt verba Pontificia. ibid.n.76
Consuetudinem præscribentem continuatam esse oportet; aliàs non est legitima. 281.
Quomodo differat præscriptio in materia iustitiæ ab hac. ibid.
An in iure consuetudini non additum vt *præscripta*, semper tamen intelligendum sit. ibid. num. 77.
Et præscripta & non præscripta in vi ferendi ius legale conueniunt vnicè. ibid.n.77.
Explicatur cap. *Cumana*. de electione. ibid. n.78
Quantũ tẽporis requiratur vt præscribat. ib.n.79
Veterum Doctorum mens requirit tempus immemoriale. ibid.
Consuetudo reuocans antiquum ius eget præscriptione. ibid.
Aliorum opinio asserens consuetudinem Principe præsente requiere solum decem, absente verò viginti annos ad præscriptionem. ibid. num.80.
Suarez putat independenter à præsentiâ vel absentia esse præscriptam. ibid.n.81.
An expedient sit rationabiles consuetudines habere firmitatem. 282
Reijcitur Suarez. ibid.
Nona replica. ibid. n.82.
Satisfit illi. ibid.
Replicatur denuò, & satisfit. ibid. n.83
Ostenditur, ad quam consuetudinem requiratur præsentia Principis, ad quam non. ibid.n.84
Consuetudo præscripta tam in præsentia quàm in absentia Principis non requirit nisi decennium. ibid.n.85.
Quid sui §. 4. Institut. de vsucap. vocet tempus longæuum. ibid.
Cur vocetur decennium longum tempus. ibid.
Sententia communis requirens in ciuili iure decem, in Canonico verò quadraginta annos ad præscriptionem. ibid.n.86
Fundamentum huius opinionis. 283
Refutatur hæc sententia fusè. ibid.n.87
Consuetudo non præscripta an possit abrogare aliquando legem. 284.n.93
Opinio Panormitani. ibid.
Affirmat communis. ibid.
Consuetudinis rationabilitas est essentialiter requisita ad abrogationem legis. 285.n.95
Quænam consuetudo intra idem tempus magis obligare possit quàm altera. ibid.
Consuetudo non indiget tanto tempore quanto præscriptio. ibid.n.95
Non inducitur nisi per actus moraliter liberos ibid. n.2
Legalis non inducitur per actus metu graui vel vi factos. 286 n.5
Si Princeps iniustè metum hunc incutiat, iniuriosus est. ibid.
Hi actus ita debent esse voluntarij, vt simul habeant subditi animum se obligandi. ibid.n.6
An de facto aliqua consuetudo inducat obligationem. ibid.
Multæ Ecclesiasticæ consuetudines per longissima tempora continuatæ legem non induxerunt. ibid.
Occurritur obiectioni. ibid.n.7.
Multa consueuerunt fieri, non tamen obligationis gratia. ibid.n.7
Poloni Feria quarta ieiunant, etsi ad hoc nulla lege teneantur. 286.n.7
Nulla de facto est talis legalis consuetudo, quæ non accedente aliqua lege vel voto à Principe vel communitate lato, obliget sub peccato 287. n.8
An voto firmata inducat obligationem voti & legis. ibid.n.9
Nota differentiam inter consuetudinem præter & contra legem. ibid.n.10
Consuetudo abrogatiua legis necessariò est à maiore parte populi. ibid. n.11
Actus, quibus consuetudo contra legem aliqua inducitur, ordinariè malos esse oportet. ibid. num. 13.
Quomodo possit etiam bonis actibus lex tolli. 288. n. 14
Motiuo honesto niti debet vt præualeat. ib.n.18
Non inducitur ab vna vel altera persona, sed à communitate aliqua perfecta. 289.n.19
Explicatur cap. *Non est*. de consuetudine. 289 num.20.
Pro se an quis possit consuetudinem inducere. ibid.
Consuetudo non est propria causa legis, sed magis conditio. ibid.n.21
Non repugnat consuetudinem à minori parte inductam abrogare legem. ibid.n.22
Ad eam inducendam requiritur actuum multitudo. 290.n.23
Differentia consuetudinis iustitiæ & legalis. ibid.
Quot actus esse oporteat, incertum est. ibid.
An probata esse debeat in iudicio contradictorio. ibid.
Duo in consuetudine considerandа. ibid. n.25
Dissidium Suarij & Vasquez ratione legis Hispanicæ. ibid.n.26
Explicatur. ibid.
Vnde de consuetudine nobis constare possit. 291. num.27
An sit aliqua consuetudo, ad quam pauciores actus sufficiant introducendo iuri. ibid.
Consuetudini induci potest irritatio actuum ex se aliàs validorum ibid.n.28
An eadem induci possint impedimenta semel matrimonium validè contractum irritantia. ibid. n.29
Nequeunt induci, etsi lege scripta possint. ibid. num.31.
Quales esse debeant actus inducentes eam abrogationem. 292. n.33
Consuetudo est æquè efficax ad auferendam quàm inducendam irritationem. ibid.n.34
Neque in matrimonio repugnat ex se per consuetudinem ea abrogatio. 293.n.36

Digitized by Google

Consuetudo contrahendi in gradu prohibito ab Ecclesiâ non est irrationabilis. ibid.
Quomodo tolli possit incapacitas personæ ad contrahendum per consuetudinem. ibid.
Eadem potest prævalere contra Sacramentalia. ibid.n.37.
Potest obligare ad pœnam. ibid.n.38
Quos obliget. ibid.num.38
Vniuersalis totius Ecclesiæ omnes obligat, nisi contra eam alibi sit præscriptum. ibid.
An vna Prouincia alterius consuetudinibus obligetur. ibid.
Consuetudo laicorum non præiudicans Ecclesiasticæ libertati obligat etiam Ecclesiasticos. ibid.n.40.
Quid de spirituali sentiendum. ibid.
Vna an possit trahi ad aliam materiam similem. 294. n.41
Suarez negat. ibid.
Melius affirmatur ibid.
Cur non possit habere vim declarandi legem omnino certam. ibid.n.42
Potest inducere obligationem obseruandi legem priorem prout à se explicatâ. ibid.n.43
Qualem vim habeat consuetudo interpretandi in diuinâ & naturali lege. ibid.
Abrogatiua legis ipsam etiam pœnam tollere potest. ibid.n.44
De facto desuetudo alias pœnas sustulit. ibid.
Consuetudo irrationabilis contra legem positiuè abrogare debitum pœnæ retentâ obligatione culpæ. ibid.n.45.
An vice versâ obligationem culpæ, relicto debito pœnæ. 295.n.46
Affirmat auctor. ibid.
Eadem potest abrogare legem priorem, & obligationem positiuam inducere ad contrarios actus. ibid. n.47
Eadem potest mutari, si materia desinat esse honestâ, si fiat irrationabilis, si lege latâ reuocetur. ibid.n.48
Cur tam diuersæ sint in Prouincijs difficulter abrogabiles. 296.n.50
Quàm potens sit hæc clausula, *non obstante consuetudine in contrarium.* ibid.n.51
Vniuersales consuetudines totius Ecclesiæ per sequentem legem abrogantur ibid. n.53
Vniuersali lege non abrogantur, modò sint rationabiles, nisi adijciatur clausula suprà dicta. ibid.n.55
Clausula illa non est superflua. 297.n.56
Contraria consuetudo non inducens ius est duplex. ibid.
Nota contra quam consuetudinem non sit opus dictâ clausulâ. ibid.
Contraria quali particulâ comprehendi debeat. ibid. n.57
Varij diuersorum sensus. ibid.
Immemorialis comprehenditur abundè hac particulâ *quacumque.* ibid.n.58
Vetus potest abrogari nouâ illi contrariâ. ibid. num.59.
Quanto tempore oporteat vigere nouam, vt tollat veterem. ibid.
Introductiua iuris minùs requirit temporis quàm derogatiua iuris prioris. ibid.
Diluitur obiectio. ibid.n.60.
Facilius ibi ius inducit, vbi nullum antè fuit impedimentum, quàm vbi vel exiguum inuenit. 298.n.60.
Vide *Lex consuetudinalis.*

Contemptus.

Contemptus qui differat ab alijs peccatis. 178 num. 83.
Dari potest duplex. ibid.n.84
Contemptus respectiuus capax est meriti & demeriti. ibid.
Absolutus semper est malus: & triplici modo fieri potest. ibid,n.85.
An sit actus superbiæ. ibid. n.86
Est peccatum iniustitiæ, prout versatur circa personam. ibid.
Circa res quales sit peccatum. ibid.
Alter quomodo contemni possit. ibid.
Contemptus proprius quis sit. ibid.
Quando sit à superbiâ, vel odio. 179.n 88
Quid sit contemptus ex parte materiæ. ibid. num. 90.
Omnis externus respectu Dei cur sit mortalis ibid.
Deum contemnere potest quis absque hæresi & signo exteriore & voluntate. ibid. n.92.
Potest eumdem contemnere ex odio illius. ibid num. 93,
Contemptus Legislatoris humani quà particularis personæ non est per se mortalis, imò sæpè ne quidem venialis. ibid.
Causa quare benè loquendum de Superioribus, & quomodo periculo famæ occurri possit. 180. num.94.
Legislatoris humani contemptus ne quidem quà talis semper est mortalis. ibid.n.95
Neque plurium est eo ipso mortalis. ibid.n 96
Legislatoris & Vicarij eius contemptus sunt longè dispares inter se. ibid.n.97
Contemptus Legislatoris quando semper sit mortalis. 181.n.100.
Contemptus materiæ imperatæ non est ex se mortalis; potest tamen esse. ibid. n.101.

Contractus iure naturæ irritus.

Iure naturæ irritus est contractus qui fit à non habente potestatem: & qui celebratur cum personâ naturaliter inhabili: & in quo deficit consensus. 67.n.47.48
Error in substantiâ materiæ reddit contractum iure naturæ irritum. ibid.n.48
Deceptio in pretio, etsi enormis, non reddit contractum iure naturæ irritum: id tamen facit illa, quâ equum occulto malo statim moriturum scienter cum alterius ignari equo permutans. ibid.n.49

Contrahens.

Contrahentes possunt sibi imponere pœnam ipso facto incurrendam. 230.n.38.
Contractus metu graui initus ante omnem iudicis sententiam est nullus. 258.n.55
Contractus forma necessaria & substantialis bifariam sumi potest. 260.n.65.
Non omnes cæremoniæ primitus institutæ censentur ad valorem actionis essentiales. ib. n.66
Auctor excutit hanc regulam ponentium mentem. ibid. n.66
Suarez defendit hanc regulam. 261. n.67
Non est tamen infallibilis. ibid.
Absolutè loquendo contractus metu iniusto extorti videntur esse validi. 342.n.35

Contraria, Contrarietas.

Vt duæ fomæ contrariæ se expellant, non est opus vt sint inter se æquales. 510.n.28
Eodem influxu potest contrarium miraculosè conseruari cum suo opposito, quo conseruabatur sine illo. 512.n.35

Digitized by Google

Contrarietas ex naturâ rei non tantùm reperitur inter res physicas, sed etiam inter morales. 515.n.46.

Contritio.

Contritio non iustificat formaliter. 498.n.17. 517.n.5.
Ioannes Vincentius docet à contritione produci modum qui animam pereunte contritione iustificat. 517.n.4.
Reijcitur. ibid.
Est condigna satisfactio pro veniali. 517.n.14
Etsi Deus accepter contritionem post hanc vitam ad satisfaciendum pro peccato veniali, non tamen ad satispatiendum. ibid.n.15
Non necessariò ex naturâ suâ exigit actum spei. 544.n.14
Sufficit ad iustificationem extra Sacramentum. 545.n.16
Quæ non est dignificata à gratiâ meretur probabiliùs de congruo tot gradus gratiæ, quot in se ipsâ habet gradus intensionis. 557.n.28
Est prior naturâ infusione gratiæ. 618.n.17
Meretur gratiam immediatè de congruo. ibid

Copula.

Potest Deus dare licentiam ad copulam naturalem extra matrimonium. 77.n.35.37.
Numquam tamen ad copulam Sodomiticam aut bestialem. 78.n.38

Correctio fraterna.

Lex correctionis fraternæ cessat etiam in individuo cessante vtilitate. 317.n.50
In correctione fraternâ an interueniat epieikia aut cessatio legis propter cessationem finis. ibid. n.51.

Creatio.

Creatio est gratia. 409.n.2.

Culpa.

Culpa constituit dignitatem pœnæ, non contrà. 169. n.23
Est vnica pœnæ ratio. 264.n.86.

Decalogus.

DEcalogi præcepta quomodo inter se numero distinguantur, dissensio est inter Doctores potiùs de modo loquendi quàm de re. 88.n.32
Decalogus toti populo immediatè ab Angelo promulgatus est. 89.n.38

Denominatio.

Denominationes tam physicæ quàm morales quomodo varientur. 269. n.19

Detractio, Vide *Contemptus.*

Vbi datur causa, quare benè loquendum specialiter de Superioribus.

Deus.

Respublicáne an Deus dicatur contemni per legum inobedientiam. 166.n.5.
Cur statuerit graues pœnas in legum humanarum transgressores. 168.n.18
Mandatum Dei est obedire Præpositis. ibid.
Liberè produxit creaturas. 421.n.1.
Fecit speciale beneficium conferendo auxilium congruum præ sufficienti, esto non intendat efficaciam auxilij. 420. n.4
Non subtraxit nobis omnia quæ amisimus per peccatum. 441.n.26
In Deo sunt duæ bonitates ratione distinctæ. 445.n.2.
In se consideratus est adæquatè ens naturale ibid.n.3
Quatenus productiuus creaturarum dicitur natura naturans. ibid.
Vocatur Auctor supernaturalis tantùm respectiuè. ibid.
Vt auctor supernaturalis est minùs perfectus seipso, vt est Auctor naturalis. ibid.n.4.
Non est contra eius perfectionem, vt semel producta aliqua creatura teneatur sibi complacere in illa. 494.n.4.
Non potest eodem actu amicitiæ amare hominem iustum & non iustum. 498.n.16

Dictamen naturale.

Operari contra dictamen naturale esset malum, moraliter, etsi per impossibile non existeret Deus, vel ignoraretur inuincibiliter. 58.n.21
Dictámen naturale est præceptiuum & obligatiuum. ibid.
Dictamen naturale potiùs dicitur lex quàm dictamen, quo ob legem positiuam iudicamus, *non esse licitum non ieiunare.* ibid.n.3
Dispensatio in lege. *Vide* Legis dispensatio.
Dispensare in lege, est reuocare voluntatem Legislatoris. 74.n.15
Potestas humana nequit dispensare in lege naturæ. 73.& seqq.
Si lex dicat, *Nemo id faciat sine licentiâ*, non est censendus dispensare is qui concedit licentiam. 73.n.10.14.15.16
Deus in legibus suis positiuis dispensat per aliâ volitionem naturâ posteriorem volitione legislatiua generali. 74.n.18.
Relaxans votum non dispensat in lege naturæ. 75.n.24.
Deus non potest dispensare in lege naturæ. 76. n.27.29.& seqq.
Potest Deus hominem liberare obligatione faciendi vllum actum bonum. 78.n.38.
Christus potuit suo Vicario dare potestatem dispensandi in legibus ab ipso Christo latis; at de facto non dedit. 125.n.46 47.48.
Respondetur argumentis contrarijs. ibid. n.50
Dispensatio in lege quid sit. 308. n.8
Cessatio legis partialis dicitur dispensatio. 319. num. 1
Circa vocem *dispensatio* possunt esse variæ quæstiones. ibid.n.2
Quid sit propriè accepta. ibid.
Definitio eiusdem. ibid.
Quomodo differat ab absolutione à culpa vel censuris. ibid.n.3
Quomodo differat à simplici licentia. ibid.
Quomodo ab abrogatione. ibid.n.4.
Quomodo à priuilegio. ibid.
Quid intelligatur per relaxationem iuris positiui. ibid.
Possibilitas dispensationis vsu & ratione probatur. ibid.n.5.
Diuus Thomas non videtur eam distinxisse ab epieikia. ibid.
Explicatur pro communi sententia. 320. n.5.
Diuisio dispensationis iuxta leges particulares est nimis prolixa. ibid.n.6.
Prima in totalem & partialem. ibid.
Alia in plenissimam & semiplenam coincidit cum præcedenti. ibid.
Explicatur aliter totalis & partialis. ibid.num.7.
Remissio debiti pro pœna vel culpa iam contracta non est dispensatio, sed condonatio. ibid.
Potest relaxari obligatio ad culpam, non laxata obligatione ad pœnam. ibid.
Effectus dispensationis est liberare ab obligatione legis. ibid.n.8.

Vtrum

Digitized by Google

Vtrùm obliget ad actum, quem contra legem licitum reddit. ibid.
Non obligat, nisi addatur simul præceptum. ibid. n.8
Obligat aliquando per accidens. ibid.
An oporteat manifestare dispensationem impedimenti ei à quo accipitur beneficium. ibid.
Respondetur negatiuè. ibid.
An interpretanda sit districtè & per modum legis odiosæ, an contrà. 321.n.9
Respondetur strictè. ibid.
Numquam dicenda est fauorabilis, ideoque ad plura extendenda. ibid.
Materia dispensationis est quæ legis. ibid.n.10
Subiectum illius sunt omnes legi subiecti. ibid. n.11
An possit secum dispensare Legislator in lege à se positâ. ibid.n.12
Fundamentum partis negatiuæ ibid.
Defenditur affirmatiua. ibid.
Signum dispensationis quod sit. 322.n.15
Duplex est, vel expressum, vel præsumptum. ibid.n.15
Expressum debet determinatè significare legem in quâ dispensatur. ibid.n.16
Potest fieri etiam per nutum. ibid.n.17
Inferiori Superiori potest præscribi certa forma dispensationis à superiori Legislatore. ibid.
Vt valeat dispensatio an debeat peti. 323.n.20
Non requiritur absolutè. ibid.n.20
Declaratur relaxatione voti. ibid.
Necessitas petitionis non est ex iure probabilis. ibid.n.21
Vix tamen dari potest sine petitione per solum nutum. ibid.n.22
Securè operatur quis cum dispensatione tacitè sibi reuelatâ diuinitus. 324.n.23
Potest præsumi voluntas tacita Superioris in ordine ad dispensationem. ibid.
Ex natura rei non est necessaria cognitio causæ ad dispensationem. ibid.n.24
Esto requiratur, adhuc non impediret tacitam dispensationem. ibid.
Ex quibus signis colligatur voluntas tacita Principis. ibid.n.25
An ex solo silentio præsentis, & non prohibentis violationem legis. ibid.
Fundamentum affirmantium & negantium. ibid.
Differentia Patris Suarez inter dispensationem & simplicem licentiam. ibid.n.26.
Præsumptio dispensationis debet esse ante opus. 325.n.27
Præsumpta dispensatio in vno casu non debet extendi ad alios similes. ibid.
De silentio Principis sententia affirmans est probabilis, in conscientia, modò non fundetur in sola taciturnitate dispensatio præsumpta. ibid.n.28
Respondetur ad textum iuris allatum pro sententiâ negante. ibid.
In ratihabitione in futurum, quam Pater Suarez ponit, latet æquiuocatio. ibid.n.29
Potest certo modo præsumi ratihabitio in futurum. ibid.
An qui potest dispensare possit commutare. 329. n.25
Defenditur pars negatiua. ibid.
Quot modis possit esse debita dispensatio. 330. n.17
Etiam quando est debita potest ei apponi conditio. ibid.n.17
Conditio apposita est etiam in materia pecuniaria. ibid.
Quo sensu dicat Tridentinum dispensationem debere fieri gratis. ibid.n.18
Etiam in lege Superioris semper potest addi conditio, nisi id expressè prohibeat Legislator superior. ibid.
Soluuntur argumenta oppósita de permutatione. ibid.n.19
Non est bona consequentia, Episcopus potest commutare legis obligationem ex iusta causa ergo etiam sine illa. ibid.
Quando liceat dispensationi apponere onus pecuniarium dictabit ptudentia. 331.n.21
Duæ regulæ P. Suarez ad hoc cognoscendum. ibid.
Quando ex dispensatione prouenit vtilitas corporalis, videtur posse apponi onus pecuniarium. ibid.n.22
Non item, quando prouenit vtilitas spiritualis. ibid.
Potestas dispensandi sitne iuris stricti, an fauorabilis. ibid.n.23
Est duplex: alia in Legislatore respectu suarum legum; alia delegata. ibid.
Delegata alia est ordinaria, alia extraordinaria. ibid n.23
Ordinaria est iuris fauorabilis. ibid.
Quæstio procedit de extraordinaria. ibid. & seq. n.24.
Prima sententia affirmat esse odiosam. 332.
Secunda esse fauorabilem. ibid.
Aliæ tres sententiæ. ibid.
Non est fundamentum dicendi omnem potestatem determinatam esse odiosam, indeterminatam verò fauorabilem. ibid.n.25
Ratio disparitatis reijcitur. ibid.
Vtraque respicit bonum commune. ibid.
Declaratur exemplo particulari. ibid.
Ratio disparitatis ampliùs refutatur. ibid.n.26
Quinta sententia ex parte approbata. 333.n.27
Quando Papa iubet dispensare cum aliquo, cognita causa, is qui causam cognoscit non est propriè dispensans. ibid.
Omnis potestas dispensandi, excepta hac vltima, est fauorabilis. ibid.n.28
Doctrina quartæ sententiæ refutatur. ibid.n.26
Potestas dispensandi non est eiusdem ordinis cum actu dispensandi. ibid.n.28
Ratio disparitatis. ibid.
Si alicui concederetur potestas dispensandi contraria iuri, ea esset odiosa. ibid.n.29
Non sunt idem, esse potestatem permanentem & fauorabilem. ibid.n.29
Communis sententia requirit causam iustam ad licitè dispensandum. 334.n.1
Fundamentum ex iure & ex Tridentino. ibid.
Ratio D. Thomæ, Suarez & Salas pro communi sententia. ibid.n.2
Diui Thomæ variè deducitur. ibid.
Non est solida. ibid.n.3
Malè supponit D. Thomas Legislatorem non esse dominum legis; hoc enim est in quæstione. ibid.n.3
Non ageret contra prudentiam Legislator, si sine iusta causa dispensaret. ibid.n.4
Examinatur ratio desumpta à conformitate cum toto. ibid.
Non est turpis discrepantia partis à toto. ibid.
Alia ratio pro communi sententia. ibid.n.5
Non est sequela bona, Lex non potest ferri nisi

Digitized by Google

ex iusta causa, ergo etiam neque dispensari in eâ sine iustâ causâ. ibid.
Dispensatio in legibus, quæ non sunt onerosæ communitati, non potest censeri iniuriosa communitati. ibid.n.6
Non cedens in præiudicium alterius non potest dici infidelis. ibid.
Melior ratio, quare debeat haberi iustam causam, desumitur ex Tridentino; quia scilicet aperiretur via ad leges non seruandas. ibid.n.7
Legislator semel concessa dispensatione sine causa, difficulter potest eam secundò negare. ibid. n.8
Neque iuuat concessio secreta. ibid.
Argumenta probantia non requiri iustam causam ad licitè dispensandum. 336.n.9
Qualis causa intelligatur necessaria. ibid.
Non requiritur causa necessaria ad epieikiam. ibid.
Neque tam grauis, vt Princeps teneatur dispensare. ibid.
Sufficit causa quæ denominat dispensationem honestam & prudenter concessam. ibid.n.10
Etiamsi dubitetur de iustitiâ causæ, licita erit. ibid.
Plus requiritur ad obligandum quàm ad tollendam obligationem. ibid.n.11
Dispensatio ex causa illicita potest reddi licita ex modo eam conferendi. ibid.n.11
Non est mortale dispensare sine causa. ibid.n.12
Potest quis cum peccato veniali tantùm se liberare ab obligatione mortalis. 337.n.13
Non est grauis iniuria Prælati obtinere ab eo dispensationem per mendacium. ibid.n.14
Alterum exemplum. ibid.
Subditus petens dispensationem sine causa peccat. ibid.n.15
Inducens Prælatum scienter ad iniustam dispensationem peccat vel mortaliter vel venialiter, iuxta varietatem sententiarum de dispensatione sine causa. ibid.n.15
Ex nullo capite probari potest dispensationem obtentam per fraudem leuem esse peccatum mortale. ibid.
Desiderare esse liberum ab obligatione legis etiam sine causa nulla ratione est peccatum. ibid.
Non peccat qui sola expositione sui desiderij inducit alterum ad dispensandum sine causa. ibid.n.16
An liceat acceptare dispensationem oblatam sine causa. ibid.n.17
Negat Sanchez; affirmat Suarez. ibid.
Approbatur Suarij sententia. ibid.
Quid dicendum de dispensatione sine iusta causa in legibus altioris potestatis. 338.n.18
Communis sententia negat validam esse. ibid.
Non est opus cognitione iudiciali ad validè dispensandum. ibid.
Ratio dubitandi de communi sententia. ibid.n.19
Concessio dispensationis sine causa non est iniqua. ibid.n.20
Quando non limitatur potestas dispensandi, censetur se etiam extendere ad dispensandum sine causa. ibid.
Ratio à priori, quia talis potestas non est mala in se. ibid
Principis dispensatio in propriis legibus sine causa sitne inualida. ibid.n.21
Prima sententia negat. ibid.
Eius fundamentum. ibid.
Altera communis affirmatiua. 339.
Eius ratio. ibid.
Neutra sententia satis firmo nititur fundamento. 339.n.22
Primò quia non ostenditur eiusmodi dispensationem excipi à numero actionum iniustarum simul & inualidarum. ibid.
Secundò, quia non ostenditur cur sit iniusta, & non inualida. ibid.
Tertiò, quia non benè sequitur, Legislator potuit validè non imponere legem, ergo etiam poterit validè auferre. ibid.
Maior apparet difficultas in legibus Canonicis. ibid.n.23
Item in aliquibus ciuilibus. ibid.
Argumenta pro communi sententia soluuntur. 340.n.24
Alia difficultas desumpta ex sententia Suarez. ibid.
Argumentum pro eodem refutatur. ibid.n.24
Alia Suarij doctrina circa præsens punctum refutatur, quia arbitraria. ibid.n.25
Quia non est consequens alias doctrinas. ibid. n.26
Prima conclusio defendens communem sententiam. ibid.n.27
Solidior probatio eiusdem. ibid.
Secunda extendens communem sententiam ad Legislatorem & circa seipsum. ibid.
Tertia docens idem esse intelligendum de legibus irritantibus. ibid.
Quarta docens vtentes tali dispensatione esse tutos in conscientia. ibid.n.28
Quinta: Legislator tenetur reuocare dispensationem iniustam. ibid.
Neque potest illa vti sine nouo peccato. ibid.
Potest tamen subditus. ibid.n.28
Non tenetur reuocare dispensationem iniustam sub mortali ibid.n.29
Quid dicendum sit de dispensatione in lege inferioris. ibid.
Dispensatio obtenta per causam falsam sitne valida. ibid.n.30
Respondetur negatiuè. ibid.
Ratio. ibid.
Qualis error in allegatione causæ tollat valorem dispensationis. ibid.
Quando illi demitur vel additur falsè quod necessarium est vt appareat valida. ibid.
Quomodo error ortus ex mala explicatione obligationis auferendæ impediat valorem dispensationis. 342.n.32
An dispensatio vi obtenta aut metu sit valida. ibid.n.33
Si Legislator non habuit volitionem internam dispensandi, estne valida? ibid.
Si verò habuit, eritne valida? ibid.
Sententia Suarez. ibid.
Si contractus metu iniusto extorti sint irriti ipso iure, etiam erunt irritæ tales dispensationes. ibid.n.34
Si metu iniusto extorti sint tantum irriti iure positiuo, adhuc valida est dispensatio eiusmodi. ibid.n.35
Absolutè loquendo contractus metu iniusto extorti videntur esse validi. ibid.
Si fuit dispensatio ad aliquem actum, eo executioni mandato non potest cessare dispensatio. 343.n.36
Sed quid si non sit redacta ad omnem vsum antecessationem causæ, ob quam data est. ibid.

Eiusmodi

Digitized by Google

Eiusmodi dispensatio dupliciter potest considerari, vel vt concessa absolutè ante cessationem causæ; vel vt concessa ex suppositione causæ existentis. ibid.n.37
Sententia Suarez docens dispensationem absolutam non cessare cessante causa, secùs verò altera. ibid.
Pater Sanchez docet vtramque cessare cessante causa. ibid.n.38
Perfectam esse dispensationem & esse perfectum eius vsum non sunt idem. ibid.
Dispensatio tollens obstaculum à lege positum & ab eadem moraliter distinctum non cessat cessante causa dispensationis. 344.n.40
Non omnis potest ante vsum reuocari. ibid.n.42
Quænam dispensationes possint reuocari. 345.
Quid sit formaliter dispensationi renuntiare, quid virtualiter. ibid.n.43
Subditus non potest validè ex natura rei ei renuntiare. ibid.
Etsi ostendat verbo vel signis se eam nolle. ibid.
Qui habet dispensationem ducendi consanguineam non censetur renuntiare dispensationi ducendo aliam. ibid.n.44
Si Legislator acceptet renuntiationem, vel dispenset cum animo obligandi, si acceptans renuntiauerit dispensationi, obligabitur. ibid.n.44
Quandiu certò non constat Legislatorem acceptasse renuntiationem, aut dispensasse cum condizione, nisi renuntietur, licitum erit vti dispensatione. ibid.
Petitio secundæ dispensationis non est signum renuntiationis primæ. 346.n.45
Communis sententia docet Principem dando secundam dispensationem reuocare eo ipso primam. ibid.n.46
Fundamenta eius sententiæ ex iure. ibid.n.47
Textus non fauet ei. ibid.
Obiectio pro hoc textu ex auctoris sententia deducta. ibid.
Alter textus examinatur. ibid.n.48
Et hic non fauet communi. ibid.
Tertius textus examinatur. ibid.
Explicatio Suarij reijcitur. 347
Rationes ad improbandum hanc explicationem. ibid.n.49
Afferuntur alia verba textus, qui possunt fauere communi sententiæ. ibid.n.50
Sed & illa non fauebr. ibid.
Imò videntur esse contra communem. 347.n.50
Valida est dispensatio iterata in eadem materia, & ob easdem causas petita, etsi prior non manifestetur. ibid.n.51
Obiectio soluitur. ibid.n.52
Ex causa iusta petita ob maiorem extensionem prioris valida est, etsi nona fiat mentio prioris. 348.n.53
Neque est opus ad eam extensionem obtinendam nouam causam allegare. ibid.
Si ampliatio dispensationis cedat in damnum tertij, id manifestandum erit. ibid.
Quando sine notitia prioris non potest agnosci qualitas gratiæ conferendæ, ea manifestari debet. ibid.
Obiectio grauis proponitur. ibid.n.55
Responsio Suarij impugnatur. ibid.
Eadem ampliùs impugnatur. 349.n.56
Quid ad obiectionem respondendum. ibid.n.57
Quando causa allegata pro secunda dispensatione est eadem cum causa allegata pro prima, manifestanda erit. ibid.n.58
Quòd si causa est nona, vel æquiualenter distincta, non est opus manifestare priorem dispensationem. ibid.n.59
Si verò dispensationes & causæ sint omnino diuersæ, non est etiam opus eam manifestare. ibid.n.60
Dispensatio secunda incompossibilis cum priore, & petita ante vsum illius, non est valida, nisi prior manifestetur. 350.n.61
An in secunda petitione dispensationis sit opus dicere primam fuisse negatam. ibid.n.62
Negat Sanchez & Suarez, & benè. ibid.
Etsi negata dispensatio à supremo Legislatore concedatur ab inferiore, valida erit quamuis non dicatur fuisse negata à supremo. ibid.n.63
An obtenta in vno impedimento alijs tacitis subreptitia sit. ibid.n.64
Qui habet votum castitatis & religionis potest petere dispensationem à voto religionis tacito voto castitatis, non contra. 351.n.68
An petens in voto castitatis dispensationem teneatur manifestare factam in voto religionis. ibid.
Negat Suarez, & benè, licet inconsequenter ad sua principia. ibid.
Pars negatiua approbatur. ibid.
Circa irregularitatis dispensationem ita discurrendum vti circa impedimenta matrimonij. ibid.n.69
Non est idem absolutio ab excommunicatione & dispensatio. 352.n.71
Sententia auctoris: & quomodo explicanda stylus Curiæ, qui videtur contrarius. ibid.n.72
Regula vniuersalis, quomodo valet vna dispensatio vel non valeat sine altera. ibid.
Quid sit abrogatio legis, vt est aliqua dispensatio. ibid.n.73
Ex eo quòd valeat dispensatio antequam mihi innotescat, non sequitur vllum animæ periculum. 389.n.53

Donatio.

Donatio est talis voluntatis vsus, quam ex causa sua in actu exercito constituat alteram personam dominam. 221.n.48

Donum.

Donum non consideratur præcisè secundùm se, sed ex circumstantijs, in quibus datur. 504.n.9
Donum perseuerantiæ non potest cadere sub meritum operis ad quod datur. 569.n.24

Dubium.

Quî in dubijs tutiora sint sequenda. 312.n.28
Quando ex duobus vnum eligendum, & quod nam. 313.n.28

Dubium circa legem.

P. Vasquez docens in dubio de iurisdictione non teneri subditum legi obedire, tenetur autem in dubio de honestate rei præceptæ, impugnatur. 332.n.11
Quando dubitatur, vtrum Legislator habeat ius ad rem certam de se iuxta præcipiendi, tunc tenetur subditus obedire. 332.n.13
Similiter tenetur, quando dubitat, an materia præcepta sit iusta, vel, an subditus possit iuste ad eam obligari. ibid.n.14
Dubitans an lex sit lata, non obligatur tenui, dubitans an hoc sensu lex sit lata, non obligatur ad hunc sensum. ibid.n.16
Quando dubium est tantùm de exceptione à lege vel à iurisdictione, tunc standum est pro lege vel iurisdictione. 333.34.n.18

Obiectum

Obiectum legis est in possessione bonitatis, quando non ostenditur esse malum: & ratione illius etiam Superior est in possessione illud præcipiendi. 34.n.20
Quando possessio est pro homine, & quando non. 312.n.28

Ebrius.

EBrius Sacrum audiens aut diuinum Officium recitans an præcepto satisfaciat. 215.n.56
Solutio Vasquez reprobatur. ibid.n.57
Suggeritur alia solutio insufficiens. ibid.n.58
Resoluitur quæstio. ibid.n.59

Ecclesia.

Ecclesia habeátne potestatem ad ferendas leges. 189.n.1
Quomodo ea potestas sit supernaturalis. ibid.n.2
Quid sit. ibid.
Est à Christo immediatè data Petro. ibid.n.3
Etiam immediatè alijs Apostolis. ibid.
Ecclesiastici etiam antiquitus erant exempti à ciuili lege, etsi non omni. 204.n.2
Ecclesiæ non repugnat iurisdictio in actus purè internos. 205.n.7
Quando possit actus internos præcipere ex mente Suarez. 206.n.11
Quando non. ibid.
Arguitur inconsequentiæ Suarez. ibid.n.12
Ostenditur malè distinxisse Suarium inter suos illos actus internos. ibid.n.13
Arguitur Secundò. 207.n.16
Ratione agitur contra eumdem. ibid.n.17
Retorquetur eius ratio. ibid.
Exemplum de voto castitatis nil fauet Suario. ibid.n.18
Vasquez Responsio. ibid. & seq.n.19
An possit Ecclesia præcipere dationem eleemosynæ, ne fiat ob vanam gloriam. 207.n.14
An ab eadem pro hac vel illâ intentione ieiunium imperari possit. ibid.n.15
Idem est de Sacro. ibid.
Ecclesia solam recitationem externam præcipit. 208.n.21
Vasquez putas duo præcepta tali casu reperiri. ibid.n.20
Refellitur. ibid.n.22.23
Quorumdam sententia circa hoc punctum. 208. n.24
Quos actus purè internos Ecclesia imperare possit. 209.n.25
Et quos non. ibid.
Quomodo præcipiat titulos Ordinum gratis dari, vt & temporalia Ecclesiæ officia. ibid.n.27
In quas actiones exteriores non habeat potestatem. 210.n.30
Refellitur aduersariorum audacia. ibid.
Potest forsè excommunicationem ob peccata externa soli peccatori nota. ibid.n.31
Quam iurisdictionem habeat in hæresim. ibid.
An in aliquo casu possit ea potestas remota concedi in ordine ad fortum confessionis. ibid.
Posset tamen, si confessio iure diuino esset libera, præcepta confessione externa præcipere dolorem internum. ibid.n.32
Respondetur sub distinctione. ibid.
Soluitur replica. ibid.
Ecclesia, vel potestas ciuilis quid præcipiat in contractibus. 211.n.33
Obiectio contra Ecclesiæ negatam iurisdictionem in actus purè internos à dispensatione in votis internis. ibid.n.36
Refutatur quorumdam solutio. ibid.
Ex ea dispensatione nil ad rem præsentem infertur. ibid.n.37
Ecclesia habet potestatem dispensandi in votis. 212.
Obiectio secunda ex Clementinâ 1. ibid.n.38
Vasquez eam explicat, sed displicet. ibid.
Suarez aliter explicat; & meliùs. ibid.
Salas explicatio. ibid.n.39
Argumento tertio ex Clementinâ 1. de statu Monach. satisfit. ibid.n.42
Quartum argumentum, vbi cap. *Commissa.* de electione in 6. explicatur. 213.n.43
Eam explicationem gratis Vasquez infestat. ibid. n.44
Soluitur eiusdem replica. ibid.
Suggeritur alia solutio dicti capitis. ibid.n.45
Salas eam malè impugnat. ibid.
In Ecclesiâ quale sit ius hæreticos interrogandi. ibid.n.46
Cur ei data sit iurisdictio in actus per accidens occultos, & non purè internos. 214.n.49
Quos actus præcipere possit. 215.n.54
Interiores directè non potest præcipere. ibid.n.55
Ad quos actus efficaces possit obligare. 216.n.62
Quod sit Ecclesiæ motiuum in præcipiendo ieiunio. 307.n.4

Ecclesiastici. Vide *Ecclesia.*

Ecclesiastici obligantur legibus ciuilibus quæ immunitati Ecclesiasticæ non aduersantur. 157. n.37
Ea sententia non rectè à quibusdam probatur ex eo, quòd pars debeat se conformare toti. ibid. n.39
Neque ab alijs, ex eo quod Pontifex dederit Regibus potestatem obligandi Ecclesiasticos. ibid.n.41.43
Optima probatio sumitur ex eo, quòd Ecclesiastici in hoc puncto non sint exempti à iurisdictione temporali. 158.n.45. vsque ad 51
Ecclesiastici delinquentes contra leges prædictas possunt puniri à suis Superioribus Ecclesiasticis, non à laicis. 159.n.52
Vt leges ciuiles reputentur iustæ pro Ecclesiasticis, non est necesse vt redundent in commodum ipsorum. 160.n.54

Entia moralia.

Qui negant entia moralia habere entitatem à realibus & fictis distinctam, magnam difficultatem patiuntur in assignando obiecto volitionis legislatiuæ, voti, donationis, relaxationis voti, remissionis peccati, &c. 13.n.7. vsque ad 48

Epieikia.

Epieikia est, dum quis prudenter ob circumstantias interpretatur certum casum sub lege non comprehendi. 48.n.46.79.n.42.
Lex naturæ est capax interpretationis, non autem epieikiæ. 79.n.41.43
Difficilis obiectio proponitur & vrgetur. ibid. n.46
Soluitur peculiari declaratione in quo consistat epieikia, & in quo mera interpretatio. 80.81. n.51.52
Epieikia non requirit necessitatem. ibid.n.56
Præcepta Christi non admittunt epieikiam. 126. n.59
Cur non omnes leges epieikiam patiantur. 252. n.30
Quænam patiantur. 253.n.31
An ad illam sufficiat cessare rationem legis in particulari materia. 309.n.15

Affirmant

Affirmant quidam. ibid.
Negatiua est communior. ibid.n.16
Auctoris sententia est priorum cum limitatione 310.n.19
Probatur exemplis. ibid.
Epieikiæ locum facit damnum ex obseruatione præcepti secutum, etsi non commune. 312.n.25
Non requiritur, vt grauamen sit proprium obseruaturi legem. ibid.
Per epieikiam etiam præcepta affirmatiua cessare possunt. 317.n.51
An sit epieikia, non dare pauperi eleëmosynam, si sciam ei nocituram. 318.n.51
Præcepta naturalia & per legem positiuam lata sunt capacia epieikiæ. ibid.n.53

Episcopus,

Episcopus, vt & omnis simplex persona, habet potestatem ex commissione Papæ ferendi leges. 192.n.16
Episcopi quà tales sunt, habent eam potestatem. ibid.
Hæc iurisdictio an eis sit immediatè collata à Christo. ibid.
Affirmat Vasquez. ibid.n.17
An ea sit separabilis à consecratione Episcopi. ibid.n.19
Negat Suarez hanc iurisdictionem à Christo immediatè determinatam. 193.n.20
Si Christus præscripsit Petro iurisdictionem Episcopis dandam, quid sentiendum. ibid.n.21
Quid si solùm in genere mandauit Petro constitutionem Episcoporum, & dandam eis iurisdictionem pro libitu. ibid.n.23
Spectato Episcopi charactere, & ordinatione, quid dicendum de ea. ibid.n.24
Si Episcopus sumatur vt animarum Pastor à quo accipit iurisdictionem. 194.n.26
Non eam determinauit Christus, sed Petro reliquit. 194.n.27
Rationes variæ. ibid.n.28
Optima & vnica ratio. ibid.n.30
Ad dirigendum suas oues Episcopi non egent potestate leges ferendi. 194.n.30
Expedit eos eandem à Papa mutuari. ibid.
Non habent tantam iurisdictionem in suos, quantam Pontifex in totam Ecclesiam. ibid.n.31
Ea potestas non est eis necessariò annexa. 195.n.33
Eorum & Apostolorum est dispar ratio. ibid.
Quomodo Spiritus sanctus posuerit Episcopos ad regendam Ecclesiam. ibid.n.34
Quomodo accipiat Episcopum sanctus Paulus Act.20. ibid.n.34
Veteres Episcopi an & quomodo suam iurisdictionem sumpserint à Papa. 196.n.37
Non omnes de facto habentes eam potestatem legislatiuam habent à Papâ. ibid.n.40
Leges Episcoporum quando sunt nullæ. ibid.n.41
Hæreticus Episcopus non est statim suâ iurisdictione priuandus. 201.n.67
Probatur ex locutione Patrum. ibid.
Talis quando priuandus eadem. ibid.
Episcopum scire oportet suæ Dœcesis consuetudines. 296.n.54
An Episcopus habens facultatem dispensandi cum subditis possit etiam secum dispensare. 322.n.13
Pendet id à voluntate Pontificis, qui, nisi restringat, censetur concedere. ibid.
Ius Episcopis potestatem non concedit dispensandi in iure communi Canonico. 326.n.3
Neque est illis talis potestas concessa à Christo. ibid.
Quomodo sit intelligendum cap. Nuper. ibid.
Episcopi non habent ius dispensandi in quouis voto. ibid.n.4
Quando lex Papæ ait in eâ posse dispensari, habet Episcopus ius in eâ dispensandi. ibid.
Potest dispensare in lege Pontificia non obligante sub mortali. 327.n.6
Item in casibus frequentibus, vbi est moraliter impossibilis recursus ad Papam. ibid.
Item in casu graui non patiente moram. ibid.
Legem Pontificis esse tantùm particularem non probat Episcopum posse in ea dispensare. ibid.
Potestas dispensandi in lege Superioris concessa Episcopis est ordinaria. ibid.n.7
An possint Episcopi dispensare in Conciliorum Prouincialium necdum à Papa approbatorum legibus. ibid.n.8
Potest Episcopus dispensare in legibus Concilij Prouincialis. 328.n.10
Episcopi possunt dare Concilio aliquam iurisdictionem in se in iis casibus, in quibus non impediuntur à pontifice. ibid.
De facto non potest præsumi in Episcopos concessa Concilijs talis iurisdictio. ibid.n.11
Etsi essent subiecti Concilio; possent nihilominùs dispensare in legibus eiusdem pro suo Episcopatu. 329.n.13
An possit Episcopus in legibus Synodalibus dispensare. ibid.n.14
An vt dispenset, requiratur consensus Capituli. ibid.n.15
Ratio, cur possit commutare votum in rem meliorem, & non obligationem legis. 330.n.19
Pater Sanchez ideò negat Episcopum posse commutare legem Superioris, quia potestas dispensandi non est eadem cum potestate commutandi. 331.n.20
Respondetur fundamento huic. ibid.
Ostenditur exemplo, quomodo potestas dispensandi soleat esse coniuncta cum potestate commutandi. ibid.
Episcopus non potest dare priuilegium liberans à lege alterius territorij. 392.n.51

Epistola.

De epistola Principis alicuius dubij resolutoria quid dicendum. 183.n.16
Episcoporum epistolæ pro suis Episcopatibus ab obtineant vim legis; & quando. 217.n.4
Pontificiæ epistolæ quando inducant legem Canonicam, & quando non. 216.n.1

Eucharistia.

Per Eucharistiæ susceptionem, si non ponatur obex, tolluntur venialia. 526.n.12

Excommunicatio.

Excommunicatio generalis an fieri possit in reticentes peccata interiora. 209.n.29
Suarij & victoriæ mens. ibid.
Resoluitur dubium. 210.
Declaratur solutio. ibid.n.30

Excusatio à lege.

Triplex causa excusationis à lege. 368.n.12
Prima, ob concursum alterius legis naturalis magis obligantis, aut alterius circumstantiæ. ibid.
Secunda, ob difficultatem vel onus quod inducit. 309.n.13
Tertia, cùm Legislator hîc & nunc non iudicatur obligare, etsi potuisset. ibid.n.14

Excusamur

Digitized by Google

Excusamur à lege ob periculum bonorum non solùm acquisitorum, sed etiam acquirendorum. 312.n.25
Licéne præcepta negligere lucri gratia; & quando. ibid.n.26
Certa cognitio de excusatione à lege sufficit ad eam non seruandam. ibid.n.27
Certitudo de mutatione materiæ in iniquam non solùm excusat à lege, sed etiam obligat ad eam non seruandam. ibid.
Cognitio probabilis tutos nos reddit in non obseruatione legum. ibid.n.28
Dubia excusatio neminem eximit ab obligatione legis. ibid.

Exemptus. Vide *Locus exemptus.*

Exempti Religiosi non tenentur se accommodare communitati, nisi in quo sunt pars illius. 222. n.31
Vel ratione scandali. ibid.
Non exempti non tenentur legibus Synodalibus. ibid.

Extrema vnctio.

Per extremæ Vnctionis Sacramentum remittuntur peccata venialia. 525.n.9

Fides.

FIdes seruanda etiam hostibus 234.n.59
Ante fidem supernaturalem possunt fieri aliqua opera bona. 433.n.3
Potest quis esse Christianus sine habitu fidei supernaturalis. 444.n.36
Ad credendum aliqua mysteria requiritur gratia reuelationis. 483.n.16
Ea non præsupponit meritum. ibid.
Ad credendum sicut oportet ad salutem requiritur gratia supernaturalis ibid.
Ad omnem actum supernaturalem fidei prærequiritur pia affectio supernaturalis. 484.n.19
Mysteria supernaturalia possunt credi actu fidei naturali. 485.n.23
Differentia inter actum fidei naturalem & supernaturalem ex parte est, quòd naturalis possit esse falsus, non verò supernaturalis. ibid.
Supernaturalis supponit reuelationem Dei actu existentem. ibid.
Potest fieri, vt naturalis maiori certitudine adhæsiuâ adhæreat alicui veritati quam supernaturalis. ibid.
Possunt omnia mysteria fidei credi actu naturali; non tamen sine speciali gratiâ. ibid.
Fidei habitus pellitur per solam hæresim. 515. n.47
Fides supernaturalis necessaria est ad iustificationem. 533.n.1
Numquam conclusio est de fide, nisi vtraque præmissa sit de fide. 534.n.3
Non tenetur, neque potest quis credere se certò esse in gratia. ibid.n.2.3.4
Nemo potest habere iudicium reflexum certum, se credere aliquid actu supernaturali fidei. 537.n.12.& seqq.
Reijcitur Pater Vasquez contrarium sentiens. ibid.n.13
Reuelatio non existens non potest esse motiuum fidei. 539.n.19
Sola fides non sufficit ad salutem. 540.n.1
Si fidei habitus priùs infundatur natura quam gratia, etiam infunditur priùs quàm spes. 547. n.23
Fidei habitus supernaturalis non amittitur amissa gratia. 573.n.40
Tam actus quàm habitus fidei supernaturalis possunt amitti. ibid
Habitus fidei non pellitur per errorem inuincibilem aut carentiam actus. ibid.n.41
Omissione actus fidei, si illa præciperetur, non expelleretur probabiliter habitus fidei. ibid.
Neque errore culpabili aliquo circa fidem. 574. n.41

Filius.

Filius quid in iure. 301.n.10
Quando in fauorabilibus filiorum nomine veniunt adoptiui. ibid.n.11

Fomes peccati.

Fomes peccati est appetitus noster præueniens rationem, & inclinans in obiectum prohibitum. 559.n.34
Potest autem à Deo tolli sine operibus nostris. ibid.
Eum de facto Deus nulli sustulit nisi Christo & B. Virgini. ibid.
Potest sepeliri in aliqua certa materia, non tamen totaliter extingui. ibid.
Hæreticum est asserere, hominem iustum posse suis operibus extinguere eumdem. ibid.n.35

Gentilis.

NOn omnes Gentiles habuerunt semper immediatam potentiam ad conuersionem. 470.n.13
Non damnantur omnes in pœnam non conuersionis, sed quia grauiter peccarum. ibid.
Multi numquam habuerunt immediatam potentiam ad conuersionem; non tamen sequitur non potuisse saluari. ibid.
Omnes habuerunt remotam. ibid.
Consistebat in potentia fugiendi peccatum mortale. ibid.n.14

Gratia.

Variæ acceptiones gratiæ. 408.n.2
Propriè accipitur pro dono liberali. 409
Diuisio eiusdem in creationis & redemptionis. ibid.
Per Christum est ea quæ denotat meritum & intercessionem Christi. ibid.
Esse illam datam per Christum, non facit illam magis necessariam quàm sit alia, quæ non est data per eumdem. ibid.n.3
Gratia redemptionis subdiuiditur in permanentem & transeuntem, siue in sanctificantem & non sanctificantem. ibid.n.4
Diuisio in excitantem & adiuuantem; & quid illæ sint. 410 n.5
Gratia excitans est in se aliquâdo naturalis. ibid. n.6
Fit in peccatore & Gentili per auxilium Dei extrinsecum. ibid.
Influit in consensum tantùm moraliter. ibid.
Adiuuans alia est in actu primo, alia in secundo. ibid.n.7
Alia diuisio in operantem & cooperantem, item in præuenientem & concomitantem, non differt à diuisione in excitantem & adiuuantem. 411.n.10
Subsequens est, quæ datur in præmium bonorum operum. ibid.
Alia diuisio in sufficientem & efficacem. ibid.
Nomen gratiæ accipiunt Patres, Concilia & Theologi pro dono gratuito non spectante ad ordinem creationis, & ordinato ad finem visionis beatificæ. ibid.n.11
Alia est creata, alia increata. 412.n.15
In scholis tamen nomine gratiæ intelligitur donum creatum & externum. ibid.

Iterùm,

Digitized by Google

Iterùm, alia est interna, alia externa: interna est, quæ inhæret subiecto cui datur: externa, quæ non inhæret; vt adhortatio, prædicatio, &c. ibid.
Melius dividitur in gratias gratis datas, & gratias non gratis datas, quàm in gratiam gratis datam, & gratiam sanctificantem ibid.
Actualis habet varia nomina pro varietate munerum quæ exercet. 413.n.18
Quæ est semen vitæ æternæ est nobis supernaturalis. 418.n.32
S. Augustinus Epistola 107. ad Vitalem complexus est totam doctrinam de gratia adiuuante Catholicorum. ibid n.33
Puncta controuersiæ in Catholicos de gratia adiuuante. 419.n 1
Pater Vasquez putat absolutè posse fieri bonum opus naturale sine gratia per Christum, de facto tamen id non continget. 420 n.3
Examinatur hæc doctrina. ibid.n 5
Reijcitur Primo, quia non tangit punctum controuersiæ inter Catholicos & Semipelagianos. ibid.n.6& seq.
Secundò, quia congruum naturale auxilium non potest propriè vocari gratia. ibid.n.9.& seq.
Tertio, quia relabitur in doctrinam Pelagij. 423.n.15
Quartò, quia refragatur Patrum & Conciliorum menti. 423.n.17
Quintò, alio argumento efficaci. 424.n.18
Nomine gratiæ per Christum intelligitur auxilium supernaturale in substantia, vel saltem quoad modum. 425.n.21
Gratia latissimè accipitur, pro eo quod à Deo impediri potuisset, & non impeditur. 428.n 2
Sed hoc sensu numquam accipitur à Patribus & Concilijs. 429.
Si ratio gratiæ ponatur in congruitate cogitationis sanctæ, nemo posset pro illa gratia orare. 439.n.22
Non omnis gratia habitualis data est ex meritis Christi. 412.n.13
Hæc gratia siue sanctificans duo dicit, remissionem peccati & infusionem gratiæ habitualis. 413 n.18
Est qualitas supernaturalis. 418.n.36
Eam comitantur habitus infusi virtutum moralium. 419.
possunt fieri opera bona sine gratia habituali. 433.n.1
Per habitualem significatur qualitas physica inhærens animæ, & reddens eam dignam amicitia Dei & vita æterna. 488.n.1
Datur de facto. ibid.
Eius existentia non potest sufficienter probari ex Scriptura & Patribus. ibid.
Neque ex Concilio Arausicano. 489 n.2
Probatur ex Viennensi & Tridentino. ibid.
Magister Sententiarum dixit gratiam esse ipsum Spiritum sanctum. ibid.
Existentia gratiæ non probatur ratione bona à D.Thomâ, prout eâ explicat Suarez 490.n.4 5
Ostenditur quo sensu hæc ratio possit admitti. ibid.n.5
Ratio auctoris pro existentia gratiæ. ibid.n.6
Est perfectior habitibus supernaturalibus huius vitæ. 491.n.8
Item lumine gloriæ. ibid.
Non est perfectior visione beatifica, licet id putet Suarez. ibid.
Neque est nobilior ipsa animæ substantiâ. ib.n.9
Variæ sententiæ de modo quo gratia constituit hominem iustum & sanctum. 493.n.1.2
Ioannes Vincentius nimiùm extulit vim gratiæ habitualis. ibid.n.2
Habet ex naturâ suâ vim iustificandi. ibid.
Probatur ex Tridentino & Patribus. ibid.n.3
Independenter ab omni acceptatione extrinsecâ Dei constituit hominem amabilem & dignum gloria. 494.n.5
Neque indiget etiam eadem acceptatione ad reddendum hominem actu amabilem à Deo. ibid.n.6
Vt ad gratiam habitualem sequatur actualis gloria, opus est acceptatione & nouo fauore Dei extrinseco. ibid.
Ideò dicitur participatio naturæ diuinæ, quia debetur illi visio beatifica, qua homo Deo assimilatur. 495.
Constituit eadē homines adoptiuos Dei 495.n.7
Idque ex natura sua. ibid.
Qui diceret habitus supernaturales simul cum gratia partialiter hominem iustificare tamquàm complementum illius, non potest erroris conuinci. 496.n.10
Neque is qui diceret gratiam habitualem vt separatam ab habitibus non posse expellere peccatum. ibid.n.11
Effectus formalis & intrinsecus gratiæ non potest suppleri per aliquod extrinsecum. 497.n.14
Gratia non accipit maiorem vim iustificandi intrinsecam ex meritis Christi, vel alia quacumque causa intrinseca, quàm ipsa habeat ex se. 499.n 18
Potest infundi sine remissione peccati mortalis. 502.n.6
Probatur ex Tridentino. ibid
Item ratione. ibid.
Reijciuntur inefficaces quorumdam probationes. 503.n 7
Melior est homini absolutè remissio peccati quàm infusio gratiæ. ibid.n.8
De facto tamen melior est infusio gratiæ quàm sola remissio peccati. ibid.
Aliqui docuerunt gratiam naturaliter posse componi cum peccato. 504.n.11
Probabilior tamen & communiter recepta negatiua. ibid.
Est conformis Concilijs, Scripturæ, Patribus & Theologis. 505.n.13
Pater Coninck docet gratiam non excludere naturaliter peccatum. 506 n 15
Item docet non magis opponi peccato, quàm opponatur dignitas Episcopalis moribus scurrilibus. ibid.n 16
Item docet non distingui realiter à charitate. ibid.
Gratia naturaliter infert amorem Dei; potest tamen Deus ab eo absolutè diuinitus abstinere. 508.n.20
Deus nec diuinitus potest abstinere ab affectu simplicis complacentiæ circa gratiam. ib.n.21
Potest tamen liberè abstinere à volitione libera eam producendi. 509.n 25
Amor amicitiæ non debetur gratiæ nisi pro eo instanti quo ipsa est in subiecto. ibid.n 24
Non expellit gratia peccatum, quòd sit æqualis satisfactio pro peccato mortali. 511.n 30
Sed quia est talis naturæ, vt exigat secum naturaliter non esse peccatum. ibid.
Vnde qui potest producere gratiam, eo ipso potest expellere peccatum. ibid.n.31

Digitized by Google

Condistinguitur à charitate. ibid.n.35
Connaturaliter exigit secum alios habitus supernaturales. 512.n.34
Gratia ex naturâ suâ, non tantùm ex promissione Dei, exigit beatitudinem. 513.n.38
Æquè opponitur actuali ac habituali peccato. ibid.n.40
Si dicatur malitiam esse intrinsecam actui, tunc non opponitur eodem modo habituali sicut actuali. 514.n.41
In sententia constituente malitiam extrinsecam actui peccaminoso peccatum non opponitur physicè gratiæ. ibid.n.42
Neque pellitur ab eo physicè efficienter ex subiecto. ibid.n.43
Sed tantùm efficienter moraliter. 515.n.44
Pendet tam in esse quàm in conseruari ab anima. 514.
Qui peccat mortaliter, mediatè, efficienter physicè expellit gratiam. 515.n.46
Non est idem ex naturâ rei mereri & causare expulsionem gratiæ. ibid.
Oppositio gratiæ cum peccato consistit in eo, quòd peccatum fundet inimicitiam Dei, gratia autem amicitiam ibid.
Non videtur esse de fide, gratiam & habitus supernaturales esse res, & non modos. 516.n.1
Neque Patres quidquam hac de re definiuerunt. ibid.
Theologicè loquendo, tam probabile est eam esse rem quàm modum. ibid.n.2
Ex munijs illius non potest probari eam esse modum: idem esto de effectibus formalibus. ibid.
Philosophicè loquendo probabilius est eam esse rem quàm modum. 517.n.3
Cætentia gratiæ non maculat animam. 520.n.13
Fundamenta eorum qui negant peccatum diuinitus posse cohærere cum gratiâ. 521.n.16
Potest diuinitus componi cum peccato mortali, ibid.n.17
Possibilis est essentialiter pugnans cum peccato. ibid.
Item possibilis quæ non pugnat essentialiter cum eodem, sed tantùm ex natura rei. ibid.n.18
Nostra de facto est talis. 521.n.21
Si Deus eam conseruaret cum peccato, conseruatio peccati non esset miraculosa. 521.n.18
Si peccatum cum gratiâ simul conseruaretur, anima non esset absolutè amica Dei. 522.n.22
De facto cum remissione peccati venialis semper est coniuncta infusio gratiæ. 523.n.2
Potest augeri gratia sine bono opere aut dolore de venialibus. 525.n.7
Actio productiua gratiæ, quatenus habet adiunctam collationem donorum supernaturalium, est perfectior actione creatiua Angeli vel animæ rationalis, 527.n.1
Gratia non creatur, sed educitur è subiecto. 529. num.4
Prius natura educitur è subiecto, & posterius vnitur. ibid.
Physicè efficienter producitur à solo Deo. ibid. num.5.
Nil obesset supernaturalitati gratiæ, etsi connaturaliter produceretur efficienter ab aliqua creatura. ibid.
Implicat aliqua substantia, non item accidens, connaturaliter productiua gratiæ. 530.n.7
Ex suo conceptu formæ supernaturalis præcisè non exigit vllam dispositionem supernaturalem in subiecto. ibid.n.10.
Actus, qui de facto disponunt, non requiruntur per modum dispositionis physicæ, sed moralis. 531.n.11
Non datur de facto medium inter statum gratiæ & peccati. ibid.n.15
Gratia prius natura infunditur quàm reliqui habitus supernaturales. 547.n.22
Non est æqualis intensionis in omnibus. 548. num.1
Augetur physicè in instis. ibid.n.2
Vtrùm intendatur per actus remissiores. ibid.n.3
Fundamenta negatiuæ. 549.n.4 & seqq.
Defenditur affirmatiua. 550.n.7. & seqq.
Probatur ex Tridentino. ibid.
Scriptura, Patribus. 551.n.11. & seqq.
Et ratione. 552.n.14. & seqq.
Augmentum gratiæ fit in instanti operationis. 553.n.16
Gratia non habet naturaliter terminum intensionis. 557.n.29
Potest à iusto augeri in hac vita sine termino. 558.n.31
Non tamen in quacumque intensione, propter defectum auxiliorum. ibid.n.32
Vtrùm aliquis iustorum in gratia superauerit Prophetas & Apostolos, incertum. 559.n.33
Non potest in hac vita ad hanc intensionem peruenire, vt extinguat fomitem. ibid.n.34
Ad eius conseruationem ex parte hominis nil requiritur, quàm vt non peccet. 562.n.1
Ex parte Dei requiruntur auxilia ad non peccandum. ibid.
Perseuerantia in eadem vsque ad finem vitæ, ita vt quis in gratia moriatur, est speciale donum Dei. 564.n.8
Hoc habet etiam locum in infantibus, qui statim post Baptismum moriuntur. ibid.
Confirmatio in gratia præter perseuerantiam finalem probabiliter addit impotentiam ad peccandum. 569.n.27
Gratia amittitur per peccatum mortale. 570.n.29 & seqq.
Probatur ex Scriptura, Patribus, Concilijs. ibid.
Homini non peccanti nunquam Deus adimit gratiam. 572.n.34
Magis intensa non magis dignificat in ordine ad plures partes præmij quàm minùs intensa; sed tantùm magis in ordine ad eamdem partem præmij. 593.n.14
Nihil essentiale accipit in patria, quòd non habuit in vitâ, nisi fortè lumen gloriæ. 611.n.51
Iustorum non augetur post hanc vitam. 612. n.53. & seqq.

Gratiæ gratis datæ.

Gratia gratis data est, quæ non est communis omnibus iustis, nec propriè ordinatur ad bonum habentis, sed aliorum. 412.n.15
Non est contra rationem huius gratiæ cadere sub meritum. ibid.n.16
Non omnes gratiæ gratis datæ inter se adæquatè distinguuntur. 413.
Non æquè clarè decidi potest de omnibus in quo consistant, ibid.n.17
Cadunt aliquando sub meritum de congruo. 621.n.26

Habitus.

NOn repugnat habitus productiuus actuum quibus tibi, & alijs eamdem honestatem velis. 49.n.51

Nec

Nec repugnat, vt diuersi tales actus à diuersis habitibus producantur. ibid.n.52.53
Probabiliùs de facto datur vnicus habitus ad vtrosque actus. 50.n.54

Habitus supernaturalis.

Habitus supernaturales omnes & fidei & spei intenduntur proportionaliter cum intensione gratiæ habitualis. 554.n.20

Hereditas.

Hereditatem adiens sine iure peccat in præceptum naturale. 249.n.9

Homo.

Homo habet iurisdictionem directam & indirectam in alterius conscientiam. 167.n.14
Non obligantur homines, vt in Sacris sibi constituant caput aliquod. 190.n.8
Homines in statu naturæ puræ, qui de facto fuit, qualem potestatem habuerint. ibid.
Quid potuerunt imperare. 191.n.11
An tunc potuerint dispensare potestate supernaturali. ibid.
Multa punire & prohibere possunt, quæ tamen sub humanum iudicium non cadunt. 204. num.4
Quomodo homo possit per opera pœnalia huius vitæ pro pœnis Purgatorij satisfacere. 225. num.13

Honestas.

Honestas obiecti est pars legis. 165.n.2

Ieiunium.

IN ieiunio præscribendo quodnam sit motiuum Ecclesiæ. 307.n.4
Possum licitè ieiunare, etsi mihi ieiunium præcipiat qui iurisdictione caret. 313.n.32

Ignorantia.

Ignorantia inuincibilis quos non obliget. 185. num.26
An excuset pœnam legis. 235.n.63
Status quæstionis. ibid.
Diuisio ignorantiæ. ibid.
Potest dari inuincibilis non solùm facti, sed etiam iuris naturalis. ibid.
Inuincibilis & coram Deo & coram hominibus excusat. ibid.
Ignorantia sola pœnæ non excusat à pœnâ ciuili, licet excuset quandoque à Canonicâ. ibid.
P. Sanchez opinio reijcitur. ibid.n.64
Ab ignorante excommunicatio non incurritur, si nesciat eam pro delicto impositam. ibid.
Ignorantia etiam crassa quando excusare possit à pœnâ. ibid.n.65
Ignorantia affectata est scientia in iure; secùs crassa. ibid.
Excusans à culpâ graui eo ipso excusat à pœnâ graui. ibid.
Per actus ignoranter & etroneè factos nullum ius inducitur. 285.n.2
Ignorantia circa rem substantialem causat inuoluntarium. 373.n.21

Impediens.

Impediens alterum fraudulenter à certatione secum pro cathedra quare teneatur ad restitutionem. 251.n.17

Imperator Romanus.

Eum esse Dominum totius orbis est improbabile 133.n.26
Non habet vllam potestatem in Regnum Sinarum, Iaponum, &c. 134.n.30
Nec in Regnum Galliæ, Hispaniæ & Angliæ. ibid.n.31.
Non potest leges ferre pro tota Christianitate, multò minùs pro Gentilibus. 135.n.34
Leges Imperatoriæ quà tales non obligant in locis Imperio non subiectis. ibid.

Imperium. Vide *Præceptum, & Lex.*

Imperium non pendet essentialiter à consilio. 17. n.23.24
Imperij obiectum est actio quæ præcipitur; non autem obligatio: sed ipsa volitio est obligatio in actu exercito. 19.n.33

Inhabilitas.

Circa inhabilitatem Suarij mens. 232.n.53

Inquisitores fidei.

Quomodo sint obligati ad puniendum. 212.n.41

Inspiratio.

Inspirationes diuinę excitantur in nobis ab Angelis. 410 n.5

Intellectus.

Intellectus veritati semel cognitæ sæpè deinde assentitur sine vllo motiuo formali. 21.n.42.

Intentio.

Non habens intentionem rebaptizandi aut contrahendi secundum matrimonium viuente vxore non incurrit pœnas à lege præscriptas. 263.n.82

Interpretatio.

Interpretatio legis quid sit propriè; & quotuplex. 298.n.2
Quid sit authentica. 299.
Legislatorum cur censeatur authentica. ibid.
Quas conditiones hæc postulet; & quomodo per aliam illa ipsa possit explicari. ibid.n.3
Quæ sit vsualis. ibid.
Quæ sit doctrinalis; & cur sic dicta. ibid.
Quænam reddat certum sensum legis & consequenter obliget; quæ verò secùs. ibid.
Vt bona sit, quibus principijs niti debeat. ibid.
Verba in naturali significatione vsurpanda sunt, nisi quid obster. ibid.n.4
Si verborum significatio naturaliter sit æquiuoca, determinanda tum erit ex alijs verbis eiusdem legis. ibid.n.4
Præcipuum iudicium interpretatiuum legis est mens Legislatoris. ibid.n.5
Præter verba multa sunt alia signa declaratiua mentis eiusdem. ibid.
Quæ sint illa signa. 300.n.6
Verba materiæ legis sunt accommodanda. ibid.
Eadem ad iustitiam legis sunt trahenda non retentâ etiam rigorosâ eorum significatione. ibid.
Eadem ita sumenda sunt, vt ius cohæreat prioribus. ibid.
Nota duplicem limitationem. ibid.
Verba legis posterioris sumenda eo sensu quo prioris, etsi neutra videatur habere posse sensum naturalem. ibid.n.7
In interpretatione contrariarum legum proprietas verborum retinenda. 356.n.88

Irritatio. Vide *Lex irritans.*

Irritatio non semper est pœna. 248.n.3
Actuum irritatio est duplex: alia de facto, alia per sententiam. 250.n.11
Per sententiam in quibus actibus locum non habeat. ibid.
Irritatio multarum legum nec per epieikiam aliquando potest impediri. 252.n.29.
In quo capacitas epieikiæ fundetur. ibid.
Probatur conclusio exemplo matrimonij clandestini

Digitized by Google

destini ex Tridentino & professione facta ante expletum annum Nouitiatus. ibid.
Intentum Tridentini in irritatione matrimonij clandestini. 254 n.34
Aliud esse irritum, aliud prohibitum, est de fide. 255.n.40
Duæ iuris regulę quomodo intelligędę. 257.n 52
Sanchez interpretatio Suario displicet. ibid.
Refellitur Suarij explicatio. ibid.
Ius naturale multa prohibet quæ non irritat. 258. n.54
Quando irritatio non ipso facto, sed per sententiam Iudicis irritetur; & vicissim. ibid.n.55
Mens auctoris. ibid.
Secunda harum legum limitatio respuitur. ibid. num.56
Ostenditur, quomodo quis possit acquirere ius ad actum iniustum. ibid.
Aliud quorumdam indicium. ibid.n.57
Ad irritationem alicuius actus quid requiratur. 259.n.58
Suarij discursus à voto ad legem bonus est. ibid. num.59
Non omne, quod prohibetur intuitu iustitiæ, irritatur. ibid.n.60
Hæc regula continetur in generali auctoris. ibid. n 61
Difficultatem tamen non soluit. ibid.
Probatur id instantijs manifestis. ibid.
Occurritur replicæ Vasquez. ibid.
Hanc reijcit Suarez, sed malè. 260.n.63
Iuristarum hîc criticus Suarez. ibid.n.64
Prima Iuristarum limitatio æquiuocatione laborat. ibid.
Altera æquiuocatio. ibid.
Secunda aut falsitatis aut impertinentiæ conuincitur. ibid.n.65
Tertia non est vniuersaliter vera. ibid.n.66
Suarez id probat ex rebus physicis & moralibus. ibid.
Quomodo sit intelligenda tertia limitatio. 261. num.68
Quarta limitatio est communis, sed spinosa. ibid.
Obseruatio Suarij bona. ibid.
Nouum dubium oboritur. ibid.n 69

Iudæi.

Iudæi de facto non possunt validè per libellum repudij soluere prius matrimonium, & nouum contrahere. 115.n.34
Reguntur iam non suis, sed aliorum populorum, inter quos habitant, legibus ciuilibus, non autem Ecclesiasticis. ibid.n.35

Iudex humanus.

Iudex humanus quî sit minister Dei. 166.n.6
An inobediens Iudici humano peccet contra ius naturæ. 167.n.10
Talis peccat immediatè in ius positiuum, mediate in ius naturale. ibid.n.11
Iudiciale forum externum quomodo differat à foro pœnitentiæ. 214.n.51
Iudex quando teneatur imponere pœnam; & quantam. 234.n.61
Quando nequeat pœnam remittere. ibid.n.62
Quando possit. 235
Iudex seu iustè siue iniustè non irritans actum finit eum validum. 250.n.12
Declaratur amplius conclusio. ibid.
Præscribi potest contra negligentem litem intendere. ibid.n.13
Occurritur obiectioni. ibid.
Iudex supremus quomodo possit vnico actu indu, cere nouum stylum. 291.n.27

Iuramentum fictum.

Fictè iurans falsum peccat. 10.n 4

Iurans.

Iurans tenetur iuramento in materiâ quacumque à se licitè factibili. 234.n.59
Iuramentum vi extortum quando obliget, & quando non. ibid.
Discrimen inter iuramentum violenter & directè extortum, & inter oblatum alteri vt medium libertatis. ibid.n.60
An sustinenda sint iuramenta contra leges ciuiles irritantes, cùm licitè impleri possunt. 252. num.26
Citantur quædam iuris capita. ibid.
Improbatur quorumdam explicatio dictorum capitum. ibid.
Refutatur secunda solutio eorum. ibid.n.27
Genuina explicatio. ibid.n.28

Iurisdictio. Vide *Legislatiua potestas.*

Exponitur fundamentum & formalitas iurisdictionis. 23.n.47
Habens iurisdictionem, etsi dubitet an eam habeat, potest eadem validè vti. 8.n.21
Iurisdictio tantùm ordinatur in bonum subditorum. 27.n.17.28.n.23
Potestas iurisdictionis non rectè dicitur in eo differre à potestate dominij, quòd priorem præceptam statuat necessariam materiam virtutis, ad quam ea materia pertinet, non ita altera. 29.n.28
Iurisdictio differt à potestate patris, mariti & patris familias. ibid.n.29.30
Iurisdictio Regum extendit se ad omnia, nisi sint iniusta. 34.n.19
Iurisdictio humana ciuilis non pendet ex speciali Dei commissione. 51.n.4
Iurisdictio diuersimodè sumitur. 129.n.4
Non est deriuata ab Adamo in alios. 130.n.6
Differt à potestate patria. ibid.
Qualem iurisdictionem Ecclesiasticam possit Papa feminis committere. 202.n.72
Non potest concedi communiter. ibid.
Iurisdictio duplex à summo Iudice participata. 195.n.36
In actus purè internos non datur in Ecclesiâ. 203.n.7
Iurisdictionem suarum actionum tam internarum quàm externarum potest communitas in alium transferre. ibid.n.8
Ciuilis est à communitate, Ecclesiastica verò à Christo. 217.n.9
Data Petro & successoribus æquè respicit vniuersalia mandata ac particularia. 218.n.10

Ius.

Ius naturale multa prohibet, quæ non irritat. 258.n.54
Ius nullum inducitur per actus ignoranter aut erroneè factos. 285.n.2
Iuris regulæ quomodo sint intelligendæ. 257. num.52

Ius Gentium.

Variæ iuris Gentium acceptiones reijciuntur. 68. num.51.
Ius Gentium non obligat ad exteros Legatos admittendos. 69.n.58
Neque ad permittenda commercia cum exteris. ibid.
Ius belli inferendi non est ex iure Gentium. 70. num.60

Neque

Digitized by Google

Neque etiam ius redigendi iusto bello captos in seruitutem. ibid.n.62
Auctor propendet in sententiam negantem vllas dari leges humanas obligatorias respectu omnium Gentium. 69.n.56.70.n.58..63.66
Non rectè assignatur istud discrimen inter ius Gentium & ius naturæ, quòd hoc nulla mala permittat, illud quædam. 70.n.64

Iustificatio.

In iustificatione infunditur gratia, quæ est qualitas supernaturalis. 418.n.36
Præter gratiam infunduntur habitus virtutum Theologicarum. 419.n.36
Item habitus virtutum moralium ibid.
Actus requisiti ad iustificationem sunt in sua entitate supernaturales. ibid.
Nec fidei, nec spei, nec alij habitus morales possunt hominem constituere filium adoptiuũ Dei. 495.n.8
Etiamsi actus virtutum supernaturalium absente mortali constituerent hominem filium adoptiuum, non esset tamen opus id dicere de ipsis habitibus. 496.n.9
Quando Tridentinum docet fieri per infusionem gratiæ & donorum, non tribuit habitibus supernaturalibus vim iustificandi. 497.n.12
Si ea nil sit aliud quàm destinatio ad vitam æternam, potest fieri sine gratia habituali. 497.n.13
Hæretici huius temporis in duobus erraruntcirca eamdem; Primò, quòd negauerint eam fieri per aliquam formam intrinsecam: Secundò, quòd negauerint veram remissionem peccati. 499.n.19
Contrarium docet Tridentinum. ibid.
Fundamenta hæreticorum reijciuntur. ibid.n.20
Deum post iustificationem non imputare peccatum, idem est quod remittere. 500.n.21
Peccata non tantùm teguntur, vt volunt hæretici, sed omnino delentur. 499.n.20
Distinguitur iustificatio realiter à condonatione siue actu condonante peccatum. 500.n.1
Qui constituunt peccatum habituale in priuatione gratiæ, difficulter possunt remissionem peccati distinguere ab infusione gratiæ. 501 num.2
Idem est in sententiâ Vasquez. ibid.n.3
Remissio peccati in genere entis non est tam bona sicut infusio gratiæ. 503.n.9
De facto non remittitur peccatum sine infusione gratiæ. 518.n.7
Potest remitti peccatum sine actu peccatoris aut infusione gratiæ. ibid.n.9.19
Etiam in statu puræ naturæ. 520.n.14
Frustra fingunt aliqui in eodem statu aliquam Qualitatem respondentem nostræ gratiæ, per quam homines iustificantur, ibid.
In iustificatione maiorem moraliter Deus exercet liberalitatem cõdonando peccatum quàm infundendo gratiam, non tamen physicè. 528, num.2
Melius est homini manendo in purâ naturâ carere peccato quàm in lapsæ naturæ statu acquirere gratiam remissiuam peccati. ibid.
Melior est homini moraliter iustificatio quàm beatificatio. ibid.
Iustificatio non est, strictè loquendo, miraculosa, si τὸ *miraculum* accipiatur pro re, quæ rarò & extraordinariè fieri solet. ibid.
Finis eius præcipuus est gloria Dei. ibid.n.3
Secundò, gloria Christi vt hominis. ibid.n.3
Tertiò, nostra beatitudo. ibid.
Ad impij iustificationem requiritur aliqua dispositio moralis per actus bonos. 531.n.14
Probatur ex Scripturâ & Conciliis. ibid.
Congruentiæ. 532.n.14
Duplex dispositio requisita ad iustificationem, proxima & remota. ibid.n.16
Remota duplex est, alia per se, alia per accidens. ibid.n.17
Remota per se diuiditur in partialem & totalem. ibid.
Debet esse dispositio supernaturalis. ibid.n.18
Potest aliqua, quæ non influit vllo modo, sed tantùm habet se præcisè per modum remouentis prohibens, esse sine gratia. ibid.
Omnis dispositio, excepta prima vocatione, pendet à consensu libero. 533.n.19
Ad iustificationem necessaria est fides supernaturalis. 533.n.1
Debet esse non specialis, sed Catholica. 534.n.2
Nemo potest certitudine Theologica scire se esse in gratiâ 535.n.6.7
Potest quis habere certitudinem moralem se esse in gratia. 536.n.8
Etiam hæc certitudo potest esse maior in vno iusto quàm in alio. ibid.
Non potest esse tanta, quanta certitudo habetur de existentia v.g. Romæ. 537.n.11
Ad iustificationem non sufficit sola fides. 540. num.1.2.
Soluuntur rationes hæreticorum desumptæ ex Scriptura. 541.n.3.& seqq.
Actus voluntatis spectantes ad iustificationem enumerat Tridentinum sessione.6. cap.5.542. n.9
Requiritur etiam actus spei, & quidem duplex: vnus, qui versatur circa beatitudinem; alter, qui sperat veniam à Deo. ibid.
Etsi ordinariè & moraliter requiratur, posset tamen quis singulari Dei illustratione sine eo iustificari. 544.n.14
Actus timoris conducit ad iustificationem; non tamen est absolutè necessarius. 545.n.15
Extra Sacramentum requiritur contritio, intra Sacramentum sufficit attritio. ibid.n.16,17
Requisiti actus ad eam non requirunt certam moram temporis. 546.n.20
Actus fidei prior est natura actu spei & amoris, & actus spei prior actu amoris. 547.n.22

Iustinianus.

Iustiniani Codex cur multas leges pro Ecclesiasticis contineat. 204.n.2

Iustitia.

Variæ acceptiones iustitiæ. 500.n.21
Primò accipitur pro virtute seruante integrum ius vnicuique. ibid.
Secundò, pro virtute vniuersali, qua quis legibus rectæ rationis conformatur. ibid.
Sic accepta duplex est, actualis & habitualis. ibid.n.22
Vtraque diuiditur in naturalem & infusam. ibid.

Legatus.

Legatus an, & vbi potest leges condere. 196. n.44
Eius officium quod sit. ibid.

Legitimus.

Legitimus quid naturaliter significet. 301.n.10

Lex.

Lex variè accipitur, & deriuatur. 4.n.1.2
Lex in communi definitur præceptum stabile iustum, commune, ad faciendam vel omittendam rem aliquam obligans .5.n.5.39.n.44

Digitized by Google

Duplex legis definitio à D. Thomâ tradita improbatur. 38.n.42.43
Lex diuiditur in præcipientem & prohibentem. 41.n.11
Lex naturalis & diuina, tum antiqua tum noua, & lex humana, partim præcipit, partim prohibet. 42.n.15
Lex diuiditur in naturalem & positiuam. 50.n.1
Lex non dicitur de ideis rerum faciendarum nisi abusiuè. 52.53.n.11
Ad legem sufficit vnius Legislatoris consideratio 181.n.1
Quando requiratur aliorum iudicium vel consilium. ibid.n.2
An lex aliquando feratur sub forma sententiæ. 182.n.8
Quomodo lex censeatur semper loqui. 273.n.37
Legis duplex motiuum. 300.n.7
Cur sæpè nulla sit ratio legis in particulari. ibid. num.8
Legis extensio fit verbis, vel mente Legislatoris, vel ratione. ibid.n.9
Duplex legum & consuetudinum differentia. 274.n.43
Non soli legi est proprium durare post mortem mandantis. 14.n.5
Si legis vtilitas omnino cesset, cessat eius obligatio. 27.n.18
Si Legislator tulerit legem, quam tempore futuro iudicabat vtilem, ab initio fuit valida; si autem iudicabat eam tum pro præsenti, tum pro futuro tempore fore inutilem, fuit manetque inualida, etsi per accidens postea fiat vtilis. ibid.n.19 20
Lex etsi lata sit malo animo, potest tamen esse valida. 28.n.23
Lex debet esse de materia non malâ. 30.n.1
Item de materiâ subdito non iniuriosâ. 31.n.4
Imò debet esse de materiâ ex se positiuè bona moraliter. 31.n.5.6.7.8
Sufficit vt sit bona bonitate possibili independenter à lege. 84.n.13
Legis materia debet esse possibilis non tantùm physicè, sed etiam moraliter. 34.n.21.22
Obiectio de lege veteri, & de vitandis omnibus venialibus, & de superanda graui tentatione. 34.35.n.23.24.25
Iustitia & vtilitas materiæ sunt de intrinseca essentia legis; vt etiam durabilis modus imperandi. 38.n.39
Lex variè diuiditur: in naturalem & positiuam; in æternam & temporalem. 50.n.1.2.3
Aliæ diuisiones & nomina. 213.n.1.2
Materia legis Canonicæ & ciuilis sæpè est eadem, sed diuerso respectu. 204.n.1
Quænam sit lex odiosa, quæ fauorabilis. 223.n.3.5.224.n.19
Materia legis irrationabilis quomodo fiat rationabilis. 276.n.55
Leges obligantes in conscientia, non tamen sub peccato, quomodo differant à consilio. 170. num.30

Lex æterna.

Non datur lex æterna, si promulgatio externa est pars legis. 52.n.6
Neque verbum nec libet, vitæ dici potest promulgatio legis æternæ. ibid.n.7
In sententia auctoris datur ab æterno vera & propria lex. ibid.n.9
Lex æterna respectu Dei est iudicium: non est [illegible] actionis: neque obligat Deum ad creaturas primò producendas. 52.n.11
Lex æterna respectu nostri est volitio diuina. 54.n.17
Non autem ideæ. 53.n.11.57.n.30
Opera mala cadunt sub æternam Dei legem prohibentem, bona obligatoria sub præcipientem, opera consiliorum sub permittentem. 54.n.18.19
Lex æterna obligat omnes omnino; non tamen bruta propriè loquendo. ibid.n.19
Lex æterna dicens ordinem ad promulgationem à nostro dictamine distinctam non est in Deo necessaria, suppositâ volitione creandi hominem. 55.n.23.24
Displicentia mali est quidem in Deo absolutè necessaria, sed non videtur vocanda lex. 56.n.25.26
Dictamen nostrum naturale non est promulgatio legis æternæ. ibid.n.25
Lex æterna distinguitur à prouidentia vt pars à toto. 57.n.30
Lex æterna est realiter vna, ratione multiplex, vel etiam vna per aggregationem. ibid.
An lex æterna sit omnium aliarum legum causa, pendet ex modo loquendi. ibid.n.32

Lex Canonica. Vide *Legislatiua potestas Canonica.*

Lex Canonica potest prohibere actiones externas ocultas non nociuas alteri, etsi lex ciuilis probabiliter nequeat. 143.144.n.21.22
Leges priorum Pontificum cur sæpè sint à successoribus reuocatæ. 197.n.48
Quæ sit specialis materia legis Canonicæ. 204. num.2
Quid possit præcipere. ibid.
Vt obliget, an indigeat acceptatione fidelium. 217.n.9
Aliqui affirmant. ibid.
Per consuetudinem toleratam non acceptatam quando censeatur abrogari. 219.n.16
Si Legislator non sciat suam legem non acceptari, an hoc ipso abrogetur. ibid.n.17
Quando lex Canonica non habeat vim nisi ciuilem. 283.n.88
De ratione legis Canonicæ non est, vt seruetur vbique. 298.n.62
Lex Canonica habet vim obligandi in conscientia. 220.n.22
Etiam sub mortali. ibid.
An in eam peccetur solùm venialiter. ibid.n.23
Canonica pœnalis obligat in conscientia. 226. n.18
Leges Canonicæ non abrogantur per consuetudinem contrariâ nisi maioris partis. 287.n.12
Leges Episcoporum quando sunt nullæ. 196.n.41
Maior Pars Episcoparus consuetudine à se introducta leges per se latas abrogat. 287.n.12
Quando lex Canonica post promulgationem obliget. 262.n.73

Lex Cæsarea.

Leges Cæsareæ quà tales non obligant in locis quæ non sunt Imperio subiecta; vt in Hispania, Gallia, Anglia, &c. 135.n.34

Lex ciuilis.

Lex ciuilis quà talis non ordinatur ad æternam vitam. 138.n.49
Aliquo tamen modo vtilis est ad spirituale bonum & beatitudinem. ibid.n.52
Christiani Principes sæpè per leges suas ciuiles intendunt euitationem peccatorum. 139.n.55

Digitized by Google

Lex ciuilis non potest licitè nec validè præcipere materiam moraliter malam. ibid.n.1
Non potest etiam obligare ad omnem actum bonum nec collectiuè nec diuisiuè, 140.n.4
Potest tamen imperare multos alios præter actus iustitiæ. ibid.n.5
Et præter illos quos præcipit lex naturalis. ibid. num.6
Lex ciuilis potest præcipere aut prohibere materiam de se indifferentem, dummodò habeat extrinsecam vtilitatem aut malitiam. ibid.n.6.7
Lex ciuilis potest prohibere omnia peccata externa publica. 141.n.7.& seq.
Etiam aliquos actus bonos externos, quando impedirent maius bonum in Republica. ibid.n.11
Lex ciuilis nequit per se imperare aut prohibere actus purè internos. 142.n.13
Imò probabiliter neque actum externum occultum non nociuum alteri. 143.n.19
Communis sententia asserens contrarium impugnatur. 142.n.15
Lex ciuilis tantùm potest indirectè præcipere actus internos. 144.n.23
Lex prohibens vel præcipiens actum non respicit præteritum; id tamen potest respicere lex punitiua. ibid.n.25.26
Lex irritans actum per se non versatur circa præteritum. 145.n.26
Lex declaratiua potest circa præteritum versari. ibid.n.27
Ea aliquando potest actum priùs nullum reddere validum, aliquando non potest. ibid.n.28
Lex declarans obligationem vel nullitatem actionis præteritæ eo ipso se extendit in futurum, nisi contrarium exprimat. ibid.n.30
Lex ciuilis respiciens solos Ecclesiasticos est iniusta. 159.n.51
Lex ciuilis obligare potest in conscientia. 165.n.4
Etiam sub mortali in materia graui. 173 n.54
Etiam in materia indifferente. ibid.n.58
Legem ciuilem obligare sine acceptatione, nequit probari ex legibus. 188.n.39
Quid de Rege dicendum iusto bello Prouinciam occupante. ibid.n.4
Quando possit punire lex ciuilis delinquentes in lege Canonica. 204.n.2
Per se non potest prohibere actus per accidens occultos. 214.n.50
Quid respicit. ibid.
Ciuiles pœnales obligant sæpè in conscientia. 226.n.19
Quis sit finis harum legum. 227.n.21
Lex ciuilis imponens formam essentialem & irritans obligat etiam in conscientia. 261.n.70
Quando lex ciuilis post promulgationem obligat. 262.n.73

Lex consuetudinalis. Vide *Consuetudo.*

Lex consuetudinalis eosdem effectus habere potest quos scripta. 293.n.38

Lex diœcesana.

Lex diœcesana & iurisdictionis quomodo inter se differant. 222.n.53

Lex diuina positiua.

Ante Moysem fuerunt aliquæ positiuæ leges latæ à Deo. 82.n.2
Sæpè non obligant cum periculo vitæ. 148.n.45

Lex dubia.

Quomodo in dubijs tutiora sequenda. 312.n.28
Quando possessio est pro homine, & quando non ibid.
Quando ex duobus dubijs vnum eligendum. 313. n.29
Solis coniecturis nixus non operatur quis temerariè. 314.n.34
Licitè sequimur opinionem probabilem, etsi minus tutam. ibid.n.35

Lex fauorabilis.

Quid sit lex fauorabilis. 223.n.3.5
An possit lex esse simul odiosa & fauorabilis. 224.n.10
Lex abrogans reducens rem ad antiquum ius est fauorabilis. 356.n.89

Lex gratiæ, seu nouæ, Euangelica, Christiana.

Lex Euangelica continet vera & propriè obligantia præcepta non tantùm moralia, sed etiam cæremonialia. 216.n.2.3
Cur dicatur iugum suaue, & lex libertatis, gratiæ & fidei. ibid.n.3
Christus nulla tulit præcepta iudicialia; nec ciuilia nec Ecclesiastica. 117.n.5
Lex noua moralis tantùm prohibet ea quæ ex natura sua sunt mala. ibid.n.7
Lex noua nulla alia opera præcipit nisi Sacramenta, & ea quæ per se pertinent ad rationem virtutis. 118.n.10.12
Ad dilectionem mutuam à Christo præceptam obligamur ex natura rei. 119.n.16
Legis nouæ excellentia est, quòd fuerit immediatè à Christo promulgata. 120.n.21
Quo sensu dicatur lex noua esse scripta in cordibus fidelium. 121.n.25
De tempore quo lex noua cœperit obligare variæ sententiæ referuntur; ostenditur earum incertitudo. pag.121
Lex noua probabiliùs tantùm cœpit in festo Pentecostes obligare præsentes non tantùm Iudæos, sed etiam Gentiles. 123.n.35
Quare lex noua dicatur lex gratiæ, iustificans & saluans, &c. 124.n.40
In lege noua Christi non potest Pontifex dispensare. 125.n.46
Lex noua durabit vsque ad finem mundi. 127.n.58
Lex noua in variis est perfectior quàm vetus. 128.n.61.65
Lex Christi non est tota scripto data. 181.n.4

Lex Hispanica.

Lex Hispanica solam Hispaniam obligat: vbi etiam, quando & cur lata sit. 148.n.63
Leges Hispaniæ si abrogandæ sunt, consuetudine contraria maioris partis tollendæ sunt. 287.n.12

Lex humana eiusque obligatio.

Lex humana negatiua exteriùs impletur eo ipso quo actus prohibitus non fit. 145.n.32
Affirmatiua aliquando requirit actum positiuum voluntarium vt impleatur, aliquando non. 146.n.33
Lex humana potest impleri actu vitioso. ibid. n.34
Nequit præcipere opus vndequaquè bonum. ibid.n.35
Lex humana sæpè etiam cum periculo vitæ aut graui incommodo obligat. 147.n.40
Non tamen potest sic obligare sine graui necessitate vel magna vtilitate. 148.n.44
Non licet ob periculum vitæ facere contra legem, si ob contemptum religionis ad id cogamur. ibid.n.47
Ob graue malum vitandum aliquando in certis circunstantijs posset celebrari sine vestibus sacris, & communicari ciuiliter cum excommunicato denunciato, & matrimonium contrahi cũ impedimento dirimente. ib.n.49 149.n.52

Digitized by Google

Mouetur difficultas contra communem doctrinam de cessante obligatione legis humanę ob graue damnum, non tamen cessante irritatione. ibid,n.54
Eadem soluitur. 150.n.55
Certum est Christianos etiam iustos subesse legibus humanis etiam ciuilibus. ibid.n.1
Contrarium asseruit olim Iudas Galilæus, & nuper Lutherus. 151.n.2
Testimonia Scripturæ quæ hæretici citant explicantur. ibid.n.3
Lex humana est à Deo vt Creatore. non vt Legislatore. 166.n.5
Eius transgressio quomodo sit peccatum. 168. num.18
Eamdem posse obligare in conscientia, non tamen sub peccato, negant aliqui, aliqui affirmant. ibid.n.19
Suarij de hoc opinio. ibid.n.20
Auctoris mens. ibid.n.21
Quæ verba innuant legem obligare in conscientiâ. 226.n.19
Lex humana actum quem præcipit non facit esse materiam necessariam alterius virtutis naturalis. 315.n.39.40

Lex in præsumptione fundata.

Lex in præsumptione fundata quid sit. 170 n.32
Cur obliget in casu particulari. 172.n.44
Quænam leges propriè fundentur in præsumptione. ibid.n.48
Fundatæ in præsumptione incerta ordinariè non obligant. ibid.n.49

Lex irritans.

Lex irritare potest dupliciter; vel omnino prohibendo actum, vel præscribendo modum, sine quo non sit validus. 45.n.19
Lex irritans prohibet ne subditi vtantur actu tamquam valido. ibid.n.20
Non versatur per se circa præteritum, sed circa futurum. 144.n.26
Cur lex irritans odiosa. 248 n.1
Quomodo multę leges irritantes non sint pœnales. ibid.n.2
Quænam nullam culpam supponant. ibid.n.2
Cur irritant, cùm possint esse pœnales. 249.n.4
Ostenditur ex varijs legibus non repugnare legi irritanti, vt simul sit pœnalis. ibid.
Quomodo sciri possit legem tantùm esse irritantem vel pœnalem simul. ibid.
Duos irritandi modos adstruit Suarez, eosque declarat exemplis. ibid.n.5
Reijcitur eius doctrina. ibid.
Quænam leges irritantes obligent in conscientia. ibid.n.6
Cur aliquæ per se non prohibentes actũ habeant tamen actus absolutè malos. ibid.n.7
Occurritur replicæ. ibid.n.8
Fusiùs refellitur solutio Suarij. ibid.n.9
Secunda regula dignoscendi an lex irritans obliget in conscientiâ; & quando. 250.n.10
Lex quando actum ipso actu irritet. 251.n.20
Quædam certa præmittuntur. ibid.
Quid si irritatio sit pœnalis ob culpam in actione commissam. ibid.n.21
Quid si lex irritans sit reuocata, vel quoad hanc actionem in eâ dispensatum. ibid.n.22
Proponitur huius dubij difficultas. ibid.
Non impeditur effectus legis irritantis ob metum vllum aut periculum. ibid.n.23
Non impeditur irritatio, etsi quis iuri suo cedat. 252.n.24
Locus Tridentini de Nouitijs nobis fauet. ibid. num.25
Ante Tridentinum non fuit ea irritatio Nouitios concernens absolutè imposita. ibid.
Suarez & alij relati à Salas censent nullam legem irritantem in præsumptione fundari, sed in certâ scientia. 253.n.32
Robur addunt menti suæ ibid.n.32
Obiuatur replicæ. ibid.n.33
Hæc quæstio ferè eadem est cum ea de epieikia. ibid.n.34
Multæ leges in præsumptione fundatæ semper suos actus irritant, etsi in hoc aut illo casu deficiant. ibid.
Aliquas pati epieikiam efficaciter probatur. 254. num.35
Quando leges in præsumptione fundatæ non invalident actum. ibid.n.36
Axioma Theologorum & Iuristarum. ibid.n.36
Obiectio Vasquez. ibid.n.37
Exemplum eiusdem fauet auctori. ibid n 38
Respondetur obiectioni Vasquez. ibid.n.39
Occurritur eiusdem confirmationi. ibid.
Refellitur quorumdam mens. 255.n.41
Legi irritanti addi potest pœna. 255.n.41
Altera sententia à quibusdam inefficaciter reijcitur. ibid.n.42
Quando lex prohibens irritare censetur secundùm alios. ibid.n.43
Quarta aliorum explicatio. ibid.n.44
Sæpè non irritatur actus etiam vbi nullum est præiudicium tertij. 256.n.44
Opinio quinta displicet. ibid.n.45
Lex dicens *Nolumus esse talem obligationem* penitus irritat actum. 258 n.58
Quid si in lege nihil addatur de ea obligatione. 259.n.58
Lex irritans an statim obliget; & quando. 261. num.70
Quando incipiat operari suum effectum; & quomodo in hoc differat ab obligante. 262.n.73
Requirit de facto sui promulgationem. ibid.
Vi plurium legũ aliquid irritari potest. ibid.n.75
Lex irritans an consuetudine reuocari possit. 292.n.33
Fundamentum negantium. ibid.
Lex lata per verbum imperatiuum non innuit pœnam incurri ipso facto. 231.n.43

Lex naturalis. Vide *Dictamen naturale.*

Lex naturæ continetur sub definitione legis in communi. 5.n.7
Lex naturæ est actus intellectus, quo ratio dictat v.g. furtum esse contra naturam rationalem, & vitandum. ibid.n.7
P. Vasquez asserens naturam rationalem esse legem naturæ, exponitur & refutatur. 6.n.12. & seqq.
Lex naturæ obligat ex ipsa natura rei independenter ab omni libera voluntate Legislatoris. 50.n.1
Diuidi potest in diuinam & creatam. 51.n.3
Item in eam quæ Deum & in eam quæ creaturas respicit. ibid.
Lex naturæ se extendit ad materias particulares. 58 & 59.n.4 7
Non omnia in lege veteri tradita pertinent ad legem naturæ. 59 n.7
Non cuiuslibet virtutis aliquis actus cadit sub obligationem legis naturæ. ibid.n.8
Lex naturalis in quolibet homine est multiplex ibid.n.9

Digitized by Google

Lex naturalis generaliter diuersificatur in ordine hominis ad se, ad proximum, & ad Deum. ibid.n.11
Per se lex naturalis est æquè multiplex in vno atque in alio homine; per accidens tamen non. 60.n.12
Lex naturæ semper est eadem. ibid.n.13
Lex naturalis obligat in conscientiâ. ibid.n.14
Obligatio gratitudinis ex lege naturæ proueniens non est propriè obligatio, sed tantùm decentia. ibid.n.15
Peccans contra votum non magis peccat contra legem naturalem quàm transgrediens legem humanam. 62.n.22.23
Lex naturæ aliquando irritat actus quos prohibet, aliquando non. 66.n.41
Regulæ id dignoscendi discutiuntur. ibid.n.43. 67.n.46
Lex naturæ quomodo differat à iure Gentium discutitur. pag.68.69.70
Legis naturæ materia propriè non mutatur ex honesta in non honestam. 71.n.4
Nec alij nisi loquendi modo dissentiunt. 72.n.5
Probabilius est potestate humana non posse dispensari in lege naturæ: neque hîc est dissensio nisi de modo loquendi. ibid.n.9.& 73.n.10.11
Obiectio difficilis soluitur. ib.n.13.14.& 74.n.15
Lex naturæ non prohibuit diuisionem dominiorum. ibid.n.19
Neque prohibuit omnino dissolutionem matrimonij rati. 75.n.20
Neque ius naturale præceptiuum neque dominatiuum propriè mutari potest. ib.n.25.& 76. n.26
Nequit Deus in lege naturæ dispensare. ibidem num.27 29
Lex naturæ est capax interpretationis. 79.n.41
Non tamen epieikiæ propriè dictæ. ibid.n.43
Difficilis obiectio proponitur. ibid.n.46
Soluitur. 80.n.51
Lex naturalis aliqua & illicita reddit & inualida. 258.n.54
Semper positiuæ præualet in concursu. 313.n.29
In eadem interpretandâ nemo cogitur adire Pontificem, sed sufficit ad hoc ratio probabilis. 314.n.35
Ostenditur, quando Princeps vel Legislator sit adeundus. ibid.
Non est aliud quàm dictamen rationis. 461. num.22
Non potest tota lex naturalis in natura lapsa seruari sine speciali gratia. 466.n.5
Ad obseruationem totius legis de facto non est physicè necessaria gratia habitualis. 473.n.19
Probabile est tamen requiri moraliter. ibid.
De statu puræ naturæ nihil potest certò affirmari. 475.n.24

Lex Non dubium.

Ea lex examinatur. 256.n.47
Variæ huius legis explicationes refutantur. ibid. n.48.& seq.
Ostenditur in eâ annullari certas actiones ante sententiam Iudicis. 257.n.50
Vbi & quatenus ea lex obliget. ibid.n.51
An à Pontifice sit canonizata. ibid.n.52

Lex odiosa. Vide *Lex fauorabilis.*

Quænam sit lex odiosa. 223.n.3.& 224.n.5.10
Verba legis odiosæ non sunt extendenda. 280. n.73
Etiam in bonum animæ ordinata est onerosa. 223.n.4
Omnis lex quà talis est onerosa. 224.n.5
Odia à legibus, fauores à priuilegijs oriuntur. ibid.
Lex taxans pretium frumenti vendenti est odiosa, non verò ementi. ibid.n.6
Odia quomodo sint restringenda. ibid.n.7
Lex feminas hereditate excludens simpliciter est odiosa. ibid.n.8
Ratio huius. ibid.
Satisfit replicæ. ibid.n.9
Legum odiosarum prima pœnalis. 225.n.11
Lex tributa imponens maximè odiosa est. 236. num.1
Odiosa lex quando sit mitiùs explicanda; quando non. ibid.n.3
Suarij opinio. ibid.
Mens auctoris. ibid.

Lex permissiua, Permissio.

Lex permissiua non est propriè lex respectu personæ cui aliquid permittitur, sed respectu aliorum. 40.n.7
Propriè non datur lex naturalis permissiua. 41. n.12.42.n.16
Permissio diuina peccati non pertinet ad genus legis. 41.n.12
Explicatur dictum Isidori. *Omnis lex permittit aliquid.* ibid.n.13
Solæ leges ciuiles aliquæ sunt propriè permissiuæ, quatenus prohibent ne mala aliqua puniantur. 42.n.17
Sub legem diuinam permissiuam cadunt opera consiliorum. ibid.n.18.& 43.n.19

Lex pœnalis. Vide *Pœna.*

Lex pœnalis obligat Iudices vt pœnam infligant. & reos vt pœnam accipiant. 40.n.7.42.n.14
Aliquę leges imponunt pœnam ipso facto incurrendam. 42.n.14
Lex naturalis nullam pœnam in particulari determinat, neque lex gratiæ. ibid.n.17
An possit lex morte punire, & non obligare in conscientia. 227.n.25
Quare Hispani flagellêt fugientes è carcere. ibid.
An possit lex in conscientia obligare ad subeundam pœnam ante Iudicis sententiam. 228. n.17.& seqq.
Lex simpliciter comminans pœnam, nec ampliùs mentem Legislatoris explicans, non facit pœnam ipso facto incurri. 229.n.37
Lex pœnalis non omnis grauiter obligat. 175. n.69
An simul obliget in conscientia, an verò tantùm ad pœnam. 226.n.17
Nauarrus negat. ibid.
Salas & rationes & auctores pro ea sententia refert. ibid.
Quæstio hæc sola auctoritate est decidenda. ibid.
Quando pœnales leges sint restringendæ. ibid. n.20
Obuiatur Nauarro. ibid.
Leges quædam pœnales non obligant in conscientia. 227.n.21
Quomodo quis obligetur ad pœnam talis legis. ibid.n.23
Modus primus cognoscendi tales leges. ibid.n.24
Lex pœnam imponens per verba de futuro non facit eam ipso facto incurri. 230.n.39
Imponens infamiam faciátne illam ipso facto incurri. ibid.n.40
Vasquez ratio arridet. ibid.
Imponens irregularitatem de præsenti eam imponit. ibid.n.41

Item

Digitized by Google

Item imponens irritationem matrimonij aut professionis in pœnam certæ actionis. ibid.
Requirens sententiam solùm declaratoriam, eò ipso quòd Iudex declaret crimen, obligat ad acceptandam & exequẽdam pœnam. 233.n.55
Multò magis requirens sententiam condemnatoriam, etsi iniustam. ibid.
Lex de non apponendâ pœna sponsalibus explicatur. 259.n.59
Imponens pœnam contra facientem actionem an comprehendat eos qui eam faciunt inualidam. 263.n.76
Status quæstionis. ibid.
Quædam hîc certa, quædam dubia. ibid.n.77
Explicatur prima suppositio certa. ibid.
Ratio à priori conclusionis. 264.n.83
Etiam à posteriori. ibid.n.87
Legis pœnam imponentis motiuum. ibid.n.86
Quædam leges Suario teste olim etiam obligatoriæ nunc solùm factę sint pœnales. 295.n.46

Lex Pontificia.

Lex Pontificia obligat solùm eos quos Papa vult. Etiam laicos. 221.n.30

Lex positiua. Vide *Lex diuina positiua, Lex humana, Lex Canonica, & Lex ciuilis.*

Ad legem positiuam ordinariè requiritur in Legislatore iudicium de honestate obiecti. 8.n.20
Item naturali necessitate requiritur cognitio voluntatis obligandi, non tamen essentialiter. ibid.n.21
Absolutè necessariò requiritur cognitio obiecti ad quòd Legislator vult obligare, & cognitio potestatis obligandi saltem apprehensiua. ibid. num.22
Præter hos actus intellectus requiritur volitio obligandi & manifestatio exterior. ibid.
Lex positiua non consistit in actu intellectus qui sit imperium. 9.n.25.& seqq.
Nec in cognitione honestatis obiecti aut potestatis obligandi. 10.n.32
Non benè vocantur lex signa externa manifestantia voluntatem Legislatoris. ibid.n.33
Neque sola promulgatio. ibid.
Probabilius sola volitio obligandi appellatur lex. 11.n.36
Honestas, vtilitas & durabilitas sunt legis partes essentiales; non autem perpetuitas actualis, 38.n.39
Lex positiua est quæ à libera Legislatoris volitione prouenit. 50.n.1
Lex positiua diuiditur in diuinam & humanam, humana in Canonicam & ciuilem. 51.n.4
Contra leges vel præcepta positiua sæpè grauius peccatur quàm contra naturalia. 314.n.36
Positiuæ legi semper præualet naturalis in concursu. 295.n.50

Lex præscribens formam contractui.

Talis lex obligat ad formam præscriptam si fiat contractus; vel etiam irritat contractum aliter celebratum. 43.n.19

Lex priuatiua.

Lex priuatiua quando obliget ante sententiam Iudicis. 232.n.49 50.51

Lex prohibens. Vide *Lex irritans.*

Lex prohibens quãdo irritare censeatur. 255.n.43
Lex substantiam actus prohibens non ideò illam inualidat. 259.n.60
Hæc regula vera est inadæquatè. ibid.
Quid sit legem prohiberi & reprobari. 272.n.35

Lex prohibens consuetudinem.

Quando lex solùm in actu excercito consuetudinem de futuro reijciat. 273.n.38
Quæ lex prohibens in futurum consuetudinem non possit per consuetudinem ipsam vllatenus abrogari. 274.n.44
Ab inferiore Legislatore lata, etiam prohibens induci contrariam consuetudinem, potest tamen abrogari. 275.n.47
Verius etiam contrarium. ibid.n.49
Quando non possit lex tolli per consuetudinem indicantem tacitum cõsensum Principis. ibid. num.49
Non abrogatur consuetudine nisi vi taciti consensus aut præcedẽtis, aut subsequẽtis. ibid.n.51
Vbi omnis consuetudo excluditur, ibi etiam tacitus consensus cessat. 276.n.52
Lex reprobans consuetudinem vt irrationabilem eo ipso obstat, ne ea posthac inducere possit vim legis. ibid.n.54
Quid & quando consuetudo contra legem præualeat iudicandum ex circunstantijs. ibid,n.54
Quid sit necessarium, vt censeatur à lege non solùm prohiberi, sed etiam vt irrationabilis reprobari. ibid.n.55
Opinio Molinæ & Suarez refutatur. 277.n.56

Lex taxans rerum pretia.

Lex taxans pretium obligat ne merces cariùs aut viliùs vendatur; & ne ementes aut vendentes eo pretio puniantur. 42.n.18

Lex tributa imponens. Vide *Tributum.*

Leges tributa imponentes ordinariè quando obligent in conscientia. 236.n.2
Quæ de facto sunt an obligent. ibid.n.4
Negant Nauarrus, Angelus, Tabiena, &c. ibid.
Opinio Suarez circa tributa noua & vetera distinguens. 237.n.5
Tertia sententia absolutè affirmat. ibid.n.6
Infirmatur ratio eiusdem. ibid.
Alia suggeritur, sed non vndequaque satisfacit. ibid.n.7
Alia probabilior. ibid.
Vltima sententia longè est probabilior. ibid.n.8
Ostenditur, quando lex tributa imponens sit putè pœnalis. 238.n.11
Explicatur in hoc mens Nauarri. ibid.
Si modus ferendi legem sit conditionalis, tuta conscientia reputatur ea lex solùm pœnalis. ibid.n.12
Imò etsi sit absolutus, non semper tenetur quis ad tributum dandum. ibid.
Quando non obligat lex ad soluendum tributum Principi talem potestatem, quæ requiritur, habenti. ibid.n.14
In legibus tributarijs cur consensus Consiliariorum sit necessarius, & non in alijs. 243.n.39
Non est necesse vt constet plebi legem esse iustam. ibid.

Lex vetus, siue Mosaica.

Cur ab Apostolo appelletur lex mortis, dicaturque operari iram, & subintrasse vt abundaret delictum. 40.n.5
Legem veterem fuisse à Deo malo latam stultè asseruerunt aliqui hæretici. 83.n.5
Fuisse conditam à vero & bono Deo, & promulgatã ab Angelo docet Fides Orthodoxa. ibid.
Lex vetus non est specialiùs Verbo quàm alijs personis tribuenda. ibid.n.8
Moyses non condidit veterem legem, sed promulgauit tamquã merus interlocutor. ibid.n.9
Lex vetus fuit sancta. 84.n.11
Idem quoad omnia eius præcepta per classes ostenditur. ibid.n.10

Legis

Digitized by Google

Legis veteris finis vltimus à Deo intentus erat beatitudo supernaturalis, non autem temporalis felicitas. 85.n.15
Explicantur varia loca Scripturæ quæ videri possent facere contra sanctitatem veteris legis ibid.n.19.& seqq.
Lex vetus aliquos actus internos directè præcipiebat, alios indirectè. 87.n.25.& seqq.
Cur à S. Paulo vocetur *lex factorum*. ibid.n.27
Veteris legis præcepta moralia qua ratione inter se distinguantur. 88.n.34
Probabilius omnia veteris legis præcepta erant sub obligatione. 89.n.36
Legis veteris præcepta cæremonialia & iudicialia immediatè fuerunt tradita Moysi & ab eodem promulgata populo. 90.n.40
Lex vetus solos Israelitas obligabat; cæteros autem, si circumcisionem susciperent. ibid. n.40.41
Promulgata fuit in monte Sinai, qui etiam appellatur Horeb. ibid.n.43
Obligabat sub mortali vel veniali iuxta materiæ grauitatem vel leuitatem. 91.n.45
Inducebat maiorem obligationem quàm lex naturæ præscindens ab offensa Dei. ibid.n.47.48
Præcepta iudicialia obligabant in conscientia. ibid.n.49
Lex vetus merè positiua non obligabat cum periculo vitæ. 92.n.50
Lex vetus numquam suis obseruatoribus promisit æternam beatitudinem; habebatur tamen aliunde eius notitia. ibid.n.53
Opera bona veteris legis non merebantur de condigno præmia temporalia. 93.n.57
Lex vetus cum noua in multis punctis comparatur; & exponitur, cur noua dicatur iustificare, & non vetus. 94.n.63.& seqq.
Lex vetus non fuit imperfecta priuatiuè, sed respectiuè ad legem nouam; idque pluribus declaratur. 95.n.66
Legem veterem fuisse abrogatam ostenditur. 97. n.9.& seqq.
Idem specialiter ostenditur quoad cæremonialia. 98.n.14
Lex vetus ne quidem Iudæos in Christum non credentes obligat nisi ex culpa ignorantia. ibid.n.13
Veteris legis cæremonialia nunc obseruare per modum cultus diuini est grauè peccatum. 99. num.16
Reprehenditur Caietanus dicens licitam nunc esse circumcisionem, si fiat tantùm vt quis Christo adhæreat. ibid.n.17
Examinatur, quare immolationes animalium iam sint illicitæ, & quare non possint nunc ab Ecclesia institui. 101.n.27
Veteris legis iudicialia sunt abrogata; potest tamen Ecclesia ex eis quædam vsurpare. ibid. n.27.28
Discutitur sententia docens legis veteris præcepta moralia etiamnum obligare, quatenus per Moysem data fuêre. ibid.n.29
Præfertur sententiæ contrariæ. 102.n.35
Lex vetus non cessauit obligare ante mortem Christi. 104.n.43
Examinatur sententia docens eam cessasse in ipsa morte Christi. 105.n.45
Explicatur difficilis locus S. Pauli Rom. 7. de muliere liberata à lege viri per mortem eiusdem. 106.n.52
Reiicitur opinio Soti dicentis veterem legem fuisse abrogatam ipso puncto resurrectionis. 107.n.55
Verior sententia affirmat mortem Christi dedisse veteri legi causam interitus breui secuturi. ibid.n.56
Expenditur dissensio S. Hieronymi & Augustini de vsu cæremoniarum legis, & de Petri reprehensione facta à Paulo. 109.n.3.5.110. num.9.10
Legis veteris cæremoniæ tempore Apostolorum erant mortiferæ, si fierent per modum cultus Dei. 111.n.13
Id Apostoli aliquamdiu ignorarunt: videturque primum Paulo reuelatum. 112.n.17.18.19.113. n.24.25
Exponitur quare S. Petrus ob seruatas quasdam cæremonias veteris legis fuerit à S. Paulo reprehensus. 114.n.28.29.115.n.31
Quando cessarunt veteris legis præcepta cæremonialia, etiam tunc perierunt iudicialia. 116. n.36
Legis Abrogatio. Vide *Abrogatio legis.*
Quando dicatur lex abrogari apertè vel tacitè. 47.n.39
Lex semel à Legislatore abrogata non redit, nisi de nouo rursus condatur. 48.n.44
A quo, & quando censeatur abrogari. 188.n.42
Lex pro vno loco abrogata non tollitur absolutè. 218.n.14
Plus requiritur ad antiquas leges abolendas quàm ad condendas nouas. 280.n.74
Ad legem abrogandam requiritur consensus Principis. 284.n.94
Potest simul vetus abrogari & noua introduci. 275.n.47
Quando lex sequens reuocet particulares consuetudines. 296.n.51
Etiam leges Hispaniæ aut totius Ecclesiæ, si abrogandæ sunt, consuetudine contraria maioris partis tolli debent. 287.n.12
Quis possit legem abrogare. 289.n.22
Quomodo possit ex inuicta scientia etiam per expressam voluntatem lex abrogari. 288. num.18
Quando materia duarum legum est incompossibilis, vna censetur abrogata. 355.n.87
Tantum temporis requiritur ad abrogandam legem quantum ad ferendam. 357.n.93
A quo tempore valeat reuocatio. ibid.
Lex abrogans vnam legem non potest extendi ad alias cum quibus non pugnat. 356.n.89
Lex abrogans destruit antiquam sub ea vniuersalitate quam in se habet. ibid.n.98
Aliquæ limitationes. ibid.
Sola interior voluntas Legislatoris sufficit absolutè ad reuocandam legem. 357.n.91
Si abrogatio fiat per legem positiuam, opus est promulgatione; alias non. ibid.n.92
Maior pars Prouinciæ consuetudine à se introductâ leges per se latas abrogat. 287.n.12
An lex Canonica per consuetudinem tolerata non acceptata censeatur abrogari. 219.n.16
Si Legislator non sciat suam legem non acceptari, an hoc ipso abrogetur. ibid.n.17
Lex abrogans consuetudinem futuram possitne per consuetudinem tolli. 273.n.46
Legis acceptatio. Vide *Acceptatio legis.*
Lex primitus non acceptata, postea verò obseruari cœpta, an obliget. 219.n.20
Vnica legis acceptatio non facit extensionem. 306.n.9

Digitized by Google

Legis cessatio.

Lex ob mutationem materiæ cessans primam vim obtinet, si materia redeat in priorem statum, 48. n. 44

Quando cessante motiuo legis in particulari cesset obligatio. 308. n. 7

Legis defectus duplex est possibilis. ibid. n. 8

Lex vniuersaliter vim suam retinens cessare potest in hac indiuiduali occasione; vt & respectu huius vel illius personæ. ibid. n. 9

Probatur id lege ieiunij & audiendi Sacrum. ibidem.

Cessatio non requirit expressam Legislatoris voluntatem. ibid. n. 10

Hæc doctrina respicit præcepta negatiua & affirmatiua. ibid. n. 11

Cessante ratione legis & insuper insurgente difficultate cessat obligatio legis à fortiori. 311. num. 24

Quanta debeat esse certitudo de cessatione rationis legis, vt homo excusetur ab eâ seruandâ. 312. n. 27. & seqq.

Vniuersalis cessatio legis qui fieri possit. 314. num. 37.

Declaratur quando lex per se cesset. 316. n. 44

Cessante fine legis ita cessat legis obligatio, vt ne quidem sit necessaria cessationis promulgatio. ibid.

Cur cessante fine legis non sit necessaria cessationis promulgatio, legis verò sit. ibid. n. 46

Sufficiátne caussam cessationis vni tantùm aut alteri notam esse. ibid.

Distinguit auctor. ibid.

An cessatio particularis periculi sufficiat, vt quis in tali particulari non obligetur. ibid. n. 47.

Materiâ ex circumstantijs impossibili vel malâ redditâ consensus Principis non requiritur ad cessationem legis. 317. n. 48

Pro quâ parte Regni vel diœcesis cessauit ratio legis, pro eâ cessat lex. ibid. n. 49

Impugnatur aliquorum solutio. ibid.

Lex correctionis fraternæ cessat etiam in indiuiduo cessante vtilitate. ibid. n. 50

Siue ratio legis sit bonum publicum siue priuatum, si tantùm cessat vtrumque, neutrum obligabit. ibid.

An in correctione fraternâ interueniat epieixis aut cessatio legis propter cessationem finis. ibid. n. 51.

Vt cessante legis ratione totali cessat lex pro omnibus; ita etiam pro singulis eâ cessante totaliter cessat lex ipsa. 318. n. 54

Totalis cessatio dicitur abrogatio. 319. n. 1

Partialis dispensatio. ibid.

Cessante caussâ, ob quam consuetudo in futurum est prohibita, cessat lex prohibens. 273. num. 41.

Legis dispensatio.

Dispensatio se extendit ad paucas personas, vel ad certum tempus. 47. n. 40

Dispensatio differt ab interpretatione legis. 48. num. 47.

Differentia inter subiectum legis & dispensationis. 321. n. 12

Legis effectus.

Lex per se ordinatur ad faciendos homines bonos; non quidem effectiuè, sed directiuè. 39. num. 2.

Obligatio non tam est effectus legis quàm essentia. 40. n. 6

Præcipere nō rectè dicitur effectus legis. 41. n. 11

Pœna est legis effectus. 42. n. 14

Lex humana magis fertur ad pœnam quam ad præmium; aliter diuina. ibid.

Taxare præria, determinare formas pro contractibus, irritare contractus, diuidere dominia, & fauores concedere, reducuntur ad prohibitionem vel præceptum, vel permissionem, seu punitionem. ibid. n. 18. & 43. n. 19. 20

Lex positiua non constituit medium virtutis. ibid. n. 20.

Legis extensio. Vide *Legis ratio.*

Quando lex aut sententia vnum respiciens extendat se etiam ad alia indiuidua, & quando non. 305. n. 25

Quando sententia per modum legis nequeat trahi ad alios casus. ibid. n. 27

Extensio materiæ legis ob identitatem variè appellatur. 306. n. 31.

Extensio per correlatiua, per radicationem plurium in eadem radice, per connexa, ex vno casu ad alium, in personis & locis, & quoad tempus. ibid. n. 31. & seqq.

Quando lex certum tempus determinans non possit ad aliud extendi. ibid. n. 35

Lex vniuersaliter loquens, & ratio eiusdem ad omnes illos terminos sub vniuersali contentos se extendens restringi nequit. 307. n. 1.

Vnica legis acceptatio non facit extensionem. 300. n. 9.

Verba legis odiosa non sunt extra legem extendenda. 280. n. 73

Extensio fit ex verbis, vel ex mente Legislatoris, vel ex ratione. 300. n. 9

Est species interpretationis. ibid.

Quando cesset. 301. n. 11.

Lex abrogans vnam legem non potest extendi ad alias cum quibus non pugnat. 356. n. 89

Lex præcipiens & positiua pari passu ambulant circa extensionem legis in materias. 302. n. 14

Legis interpretatio. Vide *Interpretatio.*

In interpretatione legum contrariarum proprietas verborum retinenda. 356. n. 88

Verba legis odiosa non sunt extra legem extendenda. 280. n. 73

Verba legis aliquando possunt accipi in sensu naturali & ciuili; aliquando non. 301. n. 10

Legislatiua potestas humana Vide *Iurisdictio, Papa, & Potestas.*

Potestas legislatiua potest esse penes homines; estque hominibus necessaria. 129. n. 2

Est per se penes supremos Principes. 30. n. 33

Ea potestas est iurisdictio. 129. n. 4

Non tamen omnis iurisdictio est potestas legislatiua. 130. n. 6

Ea potestas in hominibus est à Deo, quatenus creante & conseruante homines, sine aliâ ipsius speciali concessione. ibid. n. 8. 9

Radicalis potestas est ipsa natura hominum: proximâ importat insuper actualem hominum ad formandam Rempublicam consensum, & negationem impedimenti ex parte Dei. ibid. n. 10. 131. n. 12. 14

Non est de iure naturæ, vt actu sit in hominibus illa proxima potestas: sed vt sit monarchica, Aristocratica, vel Democratica pendet à liberâ eorum voluntate. 131. n. 13

Potestatem illam non habent Reges à iure naturæ, sed à Republicâ; non tamen semper potest Respublica eam auferre. ibid. n. 14. 15. 16

Supremi Principes possunt potestatem legislatiuam alteri delegare. 132. n. 18. 19

Digitized by Google

Potestas legislatiua non aliter est in Principe supremo quam prout ei collata est à communitate primùm eligente. 135.n.35
Quatenus sit in Ducibus, Marchionibus, &c. ib. num.36
Ea potestas potest esse in femina, siue non sit maritata, siue sit maritata: nec tunc transit vlla potestatis pars in maritum. 136.n.39.40
Potestas legislatiua non amittitur per peccatum mortale. 137.n.44
Quinam sint capaces potestatis legislatiuæ. 289. num.22.
Quis eam de facto habeat. ibid.
Potestas legislatiua Canonica respicit animam: est immediatè à Christo data. 202.n.71
Non potest esse in feminis. ibid.
Legislatiua potestas Canonica an possit concedi feminis aut laico. ibid.n.72
Ad eam requiritur Baptismus. ibid.
Legislatiua potestas à Papâ alicui delegata est infallibilis. 197.n.48

Legislatiua virtus.

Ea pro obiecto formali respicit aliarum virtutum honestates quatenus vtiles ad vitam politicam. 50.n.55

Legislator.

Legislator obligatur legibus suis. 160.n.57
Varijs probationibus quæ pro ea re fieri solent reiectis, auctor est aliter probat. 161.n.59.&seq.
Obiectiones soluuntur. 162.n.65 & seqq.
Probabiliùs est illa obligatio sub mortali; probabiliter tamen sub veniali tantùm. ibid.n.69
Probabilior est communis sententia, Legislatorem non obligari legibus municipalibus Prouinciarum sibi subditarum; contraria tamen etiam probabilis, quando in ijs Prouincijs versatur. 163.n.70.74
Princeps non subest legibus quoad vim coactiuam; subest ex rigore vxor Principis. 164.n.77
Probabilius est Principem posse fieri dignum pœnâ. ibid.n 78
Princeps per se æquè tenetur legibus formas contractuum præscribentibus, eósve irritantibus, ac alijs. ibid.n.82
Si tamen scienter in contractu aliquo non seruet præscriptas solemnitates, censendus est secum dispensare. 165.n.83
Quando Legislator obligat in communi & in præsenti. 274.n.42
Legislator humanus indirectè solùm prohibet sub pœnâ inferni. 168.n.17
Eius est præcipere sub mortali aut veniali, aut quadam indecentiâ. 169.n.36
Legislatores quomodo quandoque in suis legibus moueantur. 172.n.49
Legislator potest obligare etiam falsò præsumens. ibid.n.50
Quomodo Legislatores discernant inter mortale & veniale. 174.n.61
Si se non explicent, quid tunc. ibid.n.62
Si Legislator dicat, *Obligo sub peccato*; quale intelligendum. ibid.n.66
Si materia præcepta sit maximi momenti, intelligendum mortale. 175.n.68
Potest se leuiter obligare in materiâ graui. ibid. num.70.
Eius voluntas vnicè causat obligationem legis. ibid.n.71
Quomodo prohibitione adæquatâ, inadæquatâ vel nullâ possit grauiter, leuiter, vel omnino non obligare. 176.n.78
Legislatores ciuiles vices gerunt communitatis propriè, & non Dei. 180.n.96
Legislator ferens sententiam, & aperiens, se velle vt ea obtineat vim legis, obtinebit. 182.n.10
Quando possit subditos obligare. 185.n.26
Quando velit suas leges obligare. 186.n.29
Si nesciat suam legem non acceptari, an hoc ipso abrogetur. 219.n.17
Opinio Suarij improbabilis. ibid.
Explicatur textus. ibid.
Quomodo Legislator legem scienter dissimulans eam tollat. 220.n.21
Cur à Legislatore expectetur secunda trãsgressio ante censuram. 221.n.28
Cur Legislator nõ addat pœnã æternã. 226.n.20
Quando præsumitur velle in conscientiâ obligare. 228.n.27
Lex Legislatoris nomine proprio verbis de præsenti vtentis, & pœnam imponere potentis, indicat eam ipso facto incurri. 231.n.45
Iustè imponens tributa obligat in conscientiâ. 236.n.2
Potest tamen, si velit, non obligare in conscientiâ ad tributum, sed dumtaxat ad pœnam. ibid.
Quando obliget in conscientiâ. ibid.
De potestate summi Legislatoris quando possit dubitari. 238.n.13
An si absolutè obliget ad solutionem tributi, etiam ante petitionẽ possit tamen subditus in conscientiâ non teneri ad solutionẽ. 241.n.26
Suarij opinio. ibid.
Legislatoris mens non est in omni euentu absolutè irritare. 253.n.31
Quænam mens fuerit Legislatorum de consuetudine. 279.n.65
Ostenditur non requiri actualem nouum consensum Principis. ibid.
Probatur id ex lege Canonicâ. ibid.n.66
Ciuilibus item legibus. ibid.n 67
Ex Legislatorum voluntate oritur, quòd consuetudo abrogare possit legẽ, non verò statutũ. ib.
Quomodo possint facere, vt consuetudo non prævaleat legi. ibid.n.70
Cur requisiuerint certum tempus, ante quod consuetudo non haberet vim legis. 280.n.71
Quisque Legislator censetur in scrinio pectoris sui habere iura suæ Prouinciæ tam ciuilis quàm Ecclesiasticus. 296.n.55
Quomodo voces accipere debeat. 299.n.4
Quas materias eidem motiuo substantes generico prohibere aut præcipere teneatur. 301.n.12
Vltra eius mentem nihil extendi potest validè. ib.
Nequit plus præcipere de materia quàm ratio complectatur. 308.n.6
Legislator non iudicatur hîc & nunc obligare, etsi potuisset. 309.n.14
Non imperat actionem, quando non est vtilis fieri vt parlatur assuetudo in vtilibus. 310.n.10
Multa etiam honestissima opera præcipere nequit, neque valet, etsi possit. 311.n.24
Ostenditur vbi hæc doctrina potissimũ valeat. ib.
Ex eius mente obligatio legis cumprimis est ponderanda. 312.n.26
An sit consulendus circa scientiã certam & probabilem, cùm id cõmodè fieri potest. 313.n 30
Ob quæ consuli non potest. ibid.
Cùm nequit adiri Princeps, & probabiliter quis iudicat se nõ teneri, excusatur à lege. ibid.n 31
In neutro casu tenemur principẽ cõsulere. ib.n.33
An possit Legislator secum ipse dispensare in lege à se posita. 321.n.12

Digitized by Google

Fundamentum partis negatiuæ. ibid.
Affirmatiua defenditur. ibid.
Differentia inter supremum & inferiorem Legislatorem in hoc puncto. ibid.n.13
Quomodo possit Legislator destruere legem Superioris inferioris. 322.n.17
Supremus non potest coarctari ad certam formam dispensationis. 323.n.18
In proprijs legibus potest Legislator commutare. 329.n.16
Quomodo possit peccare mortaliter contra suam legem. 336.n.13
An inferior possit dispensare in suâ lege postquam est à superiore approbata. 353.n.75
Quid sentiat Bartolus. ibid.n.76

Legislatoris voluntas seu volitio.

Legislator non obligat subditos nisi habeat voluntatem obligandi. 11.n.5
Potest homo Legislator velle subditos ad aliquid obligare, etsi optet eos id non facere. ibid.n.5
Volitionis legislatiuæ obiectum est sola actio exterior quæ præcipitur. 19.n.31
Ea volitio non fertur directè in obligationem, sed potiùs ipsamet est obligatio in actu exercito. ib.
Eadem est inefficax; explicaturque per hæc verba; *Volo hoc tanquam Superior*, seu, *Mando hoc*; Fac hoc. 20.n.34
Eius natura experientiâ ipsâ melius quàm per aliquid aliud innotescit. 19.n.33
Volitio legis latiua seu præceptiua potest consistere cum inefficaci volitione, ne fiat id quod præcipitur. 20.n.34.35
Volitio sola Legislatoris vel Superioris per se obligaret, si subditis diuinitus innotesceret sine vllo externo signo. 37.n.36
Oppositum tamen probabile est. ibid.n.37

Legis mutatio. Vide *Lex naturæ.*

Mutatio legis alia accidentalis, alia substantialis. 46.n.36
Vtraque triplici ex capite oriri potest; idque variis modis. ibid.n.37.& seqq.
Quomodo possit Deus legem à se latam mutare. 96.n.2

Legis obiectum.

Refutatur Medina asserens obiectum legis esse externam Legislatoris locutionem imperatiuam. 11.n.1 & seqq.
Exponitur difficultas assignandi obiectum legis seu volitionis obligandi. 12.n.6
Et non satisfacit Suarez dicens obiectum esse, constituere rem præceptam vt necessariam materiam certæ virtutis. 13.n.8.9
Nec alij dicentes esse entitatem libertatis moralis ad oppositum; aut consistere in eo, ne amplius physica actionis bonitas sit moraliter bona; vel, vt actu sit iniusta, si fiat. 14.n.10.& seqq.
Neque sufficit dicere obiectum esse, vt subditi prudenter iudicent actū esse illicitum. 15.n.19
Lugo docens obiectum voluntatis præceptiuę esse obligationem quandam diuersam ab eâ quam causat in actu secundo, fusè refutatur. 17.n.23. & seqq.
Legis obiectum est sola actio exterior quæ præcipitur non autem ipsa obligatio: sed ipsamet lex est obligatio in actu exercito. 19.n.31
Fortasse rectè diceretur obiectum legis esse æstimationem, quâ prudentes iudicent actum qui prohibetur perinde esse malum seu illicitum, ac si intrinsecam haberet malitiam: id tamen auctori non omnino placet. 23.n.48
Legum mala permittentium obiectum est negatio punitionis, non autem ipsa permissio, nec mala vt permissibilia. 30.n.2.31.n.3

Legis obligatio. Vide *Lex humana*, & *Obligatio.*

Lex diuinitus tantùm cognita probabilius obligaret. 37.n.37
Leges obligantes in conscientiâ, non tamen sub peccato, quomodo differat à consilio. 170.n.30
Obligatio legis non tam est effectus legis quàm essentia. 40.n.6
Omnis lex obligat. ibid.n.6.7
Non soli legi conuenit vis obligandi. 41.n.9.10
Præcipere & prohibere sunt species obligationis. ibid.n.11
Omnes homines tā iustos quàm peccatores legibus obligari probatur cōtra hæreticos. 43.n.23
Nonnulla Scripturæ testimonia ab hæreticis allegari solita explicantur. 44.n.25.& seqq.
Lex naturæ obligat in conscientiâ. 60.n.14
Omnis obligatio legis humanæ & diuinæ positiuæ mediatè reducitur in legem naturæ, non autem immediatè. ibid.n.16
Obiectio difficilis soluitur. 61.n.17.
Lex naturalis obligat non tantùm ne ponas actum, quem ipsa verat, sed etiam ne velis eum ponere, si abesset timor pœnæ. 63.n.26
An grauiter vel leuiter lex obliget, quomodo cognoscatur. 174.n.59
Legis grauitet obligantis etiam in conscientiâ indicium est adiectio grauis pœnæ. 175. num.68
Obligant sæpè leges quamprimum promulgantur. 217.n.6
Explicantur quoad præsens aliquot capitula iuris Canonici. ibid.
Lex primitus non acceptata, postea verò obseruari cœpta, an obliget. 219.n.20
Quæ verba innuant legem obligare in conscientiâ. 226.n.19
An possit lex in conscientiâ obligare ad subeundam pœnam ante Iudicis sententiam. 228.n.28.& seqq.
Lex ciuilis obligare potest in conscientia. 165. num.4.
Etiam sub mortali in materia graui. 173.n.54
Etiam in materia indifferente. ibid.n.58
Legem ciuilem obligare sine acceptatione nequit probari ex legibus. 188.n.59
Quid de Rege dicendum iusto bello Prouinciam occupante. ibid.n.40
Leges ciuiles pœnales obligant sæpè in conscientia. 226.n.19
Lex ciuilis imponens formam essentialem & irritans obligat etiam in conscientia. 261.n.70

Legis obseruatio seu impletio. Vide *Lex humana.*

Plus requiritur ad legis obseruationem quàm ad non violationem. 62.n.25
Obseruatio legis requirit eius cognitionem & voluntariam obedientiam. ibid.
Lex negatiua non potest obseruari per omissionem puram nisi per liberam. ibid.
Voluntarium prout ad implendam legem requiritur, non excludit inuoluntarium secundùm quid. 63.n.27
Lex affirmatiua præcipit rationem voluntarij, non autem negatiua. ibid.n.29
Ad impletionem præcepti sufficit, vt sciens præceptum velit illud facere. ibid.n.31
Lex naturalis non semper obligat ad modū virtutis, seu ad actū vndequaque honestū. 64.n.32

Quando

Digitized by Google

Quando cessante motiuo legis in particulari cessset obligatio. 308.n.7

Legis perpetuitas.

Leges ordinariæ sunt perpetuæ, nisi reuocentur, vel omnino cesset illarum finis. 35.n.27
Perpetuitas actualis non est de intrinsecâ essentiâ legis. 38.n.39

Legis promulgatio. Vide *Promulgatio.*

Promulgatio sola non est lex. 10.n.33
Neque est de essentiâ legis. ibid.n.35
Est tamen pars legis vt acto seu proximè obligantis. 10.n.39.40.36.n.31
Promulgatio externa non est necessaria vt lex diuina positiua possit obligare. 36.n.31
Neque ea ex naturâ rei requiritur in lege humanâ. ibid.n.32.37.n.33
Quòd leges de facto non obligent sine solemni promulgatione, pendet ex voluntate Legis latoris. ibid.n.33
Promulgatio non magis in lege humanâ quàm diuina requiritur. 52.n.8
Promulgatio legis æternæ non est nostrum dictamen naturale. 56.n.25
Qualis promulgatio ad legẽ requiratur. 181.n.4
Non requiritur scripta. ibid.
Solum propter subditos requiritur promulgatio. 184.n.23
Quando lex post promulgationem obliget. 185. num. 26
Obligant sæpè leges quam primùm promulgantur. 217.n.6
Explicantur quoad præsens aliquot capitula iuris Canonici. ibid.n.7
Promulgatio legis Canonicæ quid & quantum temporis requirat. ibid.n.5

Legis ratio.

Cur sæpè nulla sit ratio legis in particulari. 300. num.8
Lex in quâ nó est expressa ratio, est inferior. ib.
Legis duplex motiuum. ibid.n.7
Legis alia ratio. ibid.
Vbi ratio legis inuenitur, censetúrne pœna imposita? 301.n.12
Ratio legis expressa est difficilior quàm præsumpta. ibid.
Ratio legis in diuersis materijs vel per similitudinẽ vel per identitatẽ reperiri potest. 302 n.13
Sola similitudo generica in ratione legis non inducit extensionem ad materias in ipsâ legẽ non expressas. ibid.n.14
Neque similitudo specifica per se sufficit. ib.n.15
Vtrumque declaratur. 303.n.16
Legis ratio quomodo possit esse regula quam imitentur homines. 305.n.29
Ratio non expressa in lege supponi debet esse adæquata. 307.n.4
De ratione in lege expressâ quid sentiendum. ib.
Quando cessante legis motiuo in particulari cesset obligatio. 308.n.27

Legis respectus ad communitatem.

An lex debeat ferri pro communitate, quæstio est de nomine: affirmatiuam partem probat cõmunis vsus potiùs quàm ratio. 23.n.1. & seqq.
Lex potest ferri cuicumque communitati; etiam vni domui: & sufficit si vel vnicam illius personam obliget, dummodò ad ciusdem successores extendatur. 25.n.9

Legis respectus ad publicam auctoritatem seu iurisdictionem.

Lex necessariò prodit ab auctoritate publicâ 29. num.27
Ad eam non sufficit sola potestas Domini, aut patris familias, aut mariti. ibid.n.29.& seqq.

Legis restrictio. Vide *Legis extensio.*

Lex necessariò restringẽda est, cùm accipi nequit in eâ verborũ vniuersalitate quâ lata est. 307.n.2
Sola legis iustitia non sufficit ad restitutionẽ. ib.
Quid sit tunc iustum vel iniustum. ibid.n.3
Nouum dubium. ibid.n.4

Legis subiectum siue subditi. Vide. *obligatio legis.*

Subiectum legis sunt omnes omnino personæ rationales. 43.n.21
Verba illa Apostoli 1. Timoth. 2. *Lex iusto non est posita*, diuersimodè exponuntur & discutiuntur. 44.n.25.& seqq.
Differentia inter subiectum legis & dispensationis. 321.n.12

Legis transgressio.

Legẽ primò non obseruantes an peccẽt. 219.n.19
Ad peccandum graniter contra leges non requiritur contemptus. 173.n.55
Contra leges vel præcepta positiua sæpè peccatur grauiùs quàm contra naturalia. 314.n.36

Liberè, Libertas.

Liberè & aduertenter facta non fiunt hoc ipso ex contemptu. 177.n.82
Explicantur testimonia SS. Patrum, qui videntur docere liberum arbitrium non nisi ad peccandum valere. 443.n.32
Deus potest homini tollere libertatem ad peccandum. 568.n.20 Negat Vasquez. ibid.

Locus exemptus.

Loca exempta per Pontificẽ à iurisdictione Ordinarij nõ sũt omnia æqualiter exẽpta. 154.n.20
Iudex sæcularis potest ex Ecclesiâ & domo Religiosorum extrahere reum qui commisit delictum carens priuilegio Ecclesiæ; at non potest ex loco territorij alieni. ibid.n.21
Non est eadem ratio de loco exempto à iurisdictione Episcopi intra territorium, & de loco exempto extra territorium. ibid.n.22
Secùs res habet in exemptis ciuiliter. ibid.n.23

Maiores causſa.

MAIORES causſæ quæ sint solius Papæ legibus subiacentes. 196.n.41

Malum.

Quædam essent moraliter mala, etsi à Deo non prohiberentur: v. g. mendacium: neque ea hypothesis inuoluit contradictionem. 56.n.28
Malum & irrationabile non est idem. 288.n.17
Non omnia quæ sunt mala obiectiuè sunt mala formaliter. 461.n.22

Mando.

Tò *mando* non séper est legis & imperij. 182.n.5

Materia.

Materiam præcepti circumstantiæ determinant. 173.n.58.
Grauis quæ sit, & contrà. ibid.
Ea materia, quæ ex se non est honesta, non præsumitur præcipi. 307.n.5

Matrimonium.

Ad matrimonialem contractum nemo directè obligari potest. 211.n.33
Clandestina matrimonia ante Tridentinum fuerunt prohibita, sed non irrita. 255.n.40
Clandestinum apponit pœnã cõtrahenti. ib.n.41
In quo sit fita in decentia, quæ reperitur in contractu matrimonij, emisso antè castitatis voto. ibid.n.42.
Matrimonium tentans contrahere, sciensque se illud validè non posse conficere, incurrit pœnas. 264.n.84

Digitized by Google

Obiectio Suarij diuinatoria. ibid.n.85
Cur intendens contrahere matrimonium, quod scit non posse esse validum, puniatur. ibid.n.85
Matrimonium clandestinum cur non sit licitum. 310.n.20
Motiuum legis eiusmodi matrimonium prohibentis. ibid.

Meritum.

Opera bona veteris legis non merebantur de condigno præmia temporalia. 95.n.57
Vt opus moraliter bonum de condigno mereatur præmium temporale, non est necessarius status gratiæ. 94.n.61
Iustus quolibet actu bono meretur augmentum gratiæ. 550.n.7.& seqq.
Quilibet actus bonus meretur tot gradus gratiæ, quot in se habet intensionis. 555.n.23.& seq.
Opera supernaturalia facta in gratiâ sunt de condigno meritoria augmenti gratiæ. 574.n.1.& seqq.
Ad meritum non requiritur æqualitas perfectionis inter opus & præmium. 575.n.4
Non requiritur aliquis conatus antecedens voluntatem. 576.n.6
Requiritur vt sit opus intrinsecè liberum & honestum. ibid.
Meritum abstrahit ab eo, quod opus sit præceptum vel non. ibid.n.7.
Spes præmij aut metus pœnæ non impedit meritum. 577.n.9
Meritorius actus gratiæ aut gloriæ debet esse supernaturalis. ibid.n.8
Non requiritur vt opus sit summè bonum. ib.n.9
Plus requiritur ad meritum quàm demeritum. ibid.n.11.
Actus naturales & imperati à supernaturalibus non habent proprium meritum præmij supernaturalis de condigno, sed summum denominationem ab actu imperante. 580.n.18.& seq.
De fide est, hominem in peccato mortali existentem non posse de condigno mereri gratiam & gloriam. 582.n.2.
Probabile est, nec diuinitus in statu puræ naturæ posse hominé aliquid mereri de condigno sine gratiâ vel vnione hypostaticâ. 583.n.4
Valor operum & dignitas gratiæ non potest supleri à Deo. ibid.n.6.7
Ad meritum de condigno necessaria est forma intrinsecè dignificans. ibid.n.7.
Status viæ non requiritur ex naturâ rei ad meritum. 845.n.10
De facto sola vita præsens est tempus merendi. 585.n.12
De facto nemo nisi sibi soli meretur gratiâ. ib.n.15
Meritum connaturaliter ordinatur ad solum bonum operantis. 586.n.16
Potest tamen diuinitus quis alteri mereri augmentum gratiæ & gloriæ. ibid.
Vt quis mereatur alteri, ille cui quis meretur debet esse iustus aut carens peccato mortali. ib.
Promissio vel pactum Dei non requiritur ad meritum de condigno, neque ad taxandam quantitatem præmij. ibid.n.17
Potest tamen requiri ob varias causas: v.g. vt nobis Deus teneatur dare præmium. 587.n.18.19
Merita iustorum habere aliquam dignitatem ex meritis Christi est probabile; probabilius tamen contrarium. ibid.n.20.21
Merita & oblatio Christi faciunt vt opera nostra libentiùs acceptentur à Deo. 588.n.24
Fundamenta eorum qui docent crescere meritum ex maiori gratiâ habituali. 589.n.1
Etiam si ex maiori substantiali sanctitate crescret meritum, non ideò sequeretur crescere etiam ex maiori gratiâ. ibid.n.2.
Dignificare ad merendum de condigno simpliciter, & dignificare ad plus merendum sunt effectus realiter separabiles. 591.n.8
Condignitas ad præmium non consistit in indiuisibili. 592.n.12
Preces iusti non merentur plus quàm preces minùs iusti; merentur tamen idem efficaciùs. ib.
Gratia auget meritum ad maiorem condignitatẽ, non tamẽ ad plures partes præmij. 593.n.14
Prima gratia non potest nec diuinitus cadere sub meritum. 595.n.1.& seq.
Res præuisa in ordine intentionis non potest esse causa suæ existentiæ in ordine executionis. 596.n.4
Potest Deus conferre gratiam primam cum onere soluendi eam postea; non erit tamen hoc propriè mereri primam gratiam. ibid.n.5
Principium meriti non potest cadere sub meritum. 597.n.6
Merita non mouent physicè ad conferendum præmium. 598.n.9
Opera sub conditione futura nihil possunt mereri. ibid.n.10
De facto non potest homo iustus mereri perseuerantiam finalem eo sensu, vt vel moriatur antequam peccet, vel Deus det illi auxilia efficacia ne peccet mortaliter. 599.n.13.& seqq.
Diuinitus tamẽ id nõ repugnat. 601.n.19.& seqq.
Potest quis diuinitus mereri de condigno perseuerantiam finalem, ita vt illud meritum per subsequens peccatum mortale non impediatur. 603.n.24.& seqq.
Purus homo non potest alteri mereri remissionem peccati mortalis. ibid.n.27
Potest quis diuinitus mereri alteri existenti in peccato mortali auxilium efficax ad resurgendum. 604.n.28
Non requiritur tantum ad merendã contritionẽ quantum ad remissionem peccati. 605.n.30
Ad æqualitatem meriti & præmij non spectant ea quæ collationem præmij ex liberâ Dei voluntate subsequuntur. ibid.
Infusio gratię secundum esse physicum potest absolutè cadere sub meritum. ibid.n.31
Non est contra rationem meriti condigni, vt in eo interueniat aliqua libera condonatio, dummodò meritũ & præmiũ sint æqualia. 606.n.35
Qui infans baptizatur, licet totâ vitâ suâ gratiam retinuerit, non meretur primam gloriam de condigno. 607.n.39
Qui iustificatur per attritionẽ in Sacramẽto nõ meretur primã gloriã de cõdigno, nisi in instãti iustificationis duret illa attritio. 608.n.40
Probabile est, neque contritionem extra Sacramentum neque attritionem cum Sacramento durante instanti iustificationis mereri primam gloriam de condigno. 609.n.44
Probabilior tamen propter communem auctoritatem affirmatiua. 610.n.48
In eodem signo, in quo remittitur peccatum, & infunditur gratia, datur meritum de condigno. 611.n.49
Meritum condignum est prius naturâ voluntate Dei dandi gloriam. ibid.
Gratia data in præmium non potest dignificare actũ eodẽ instanti ad nouum præmium, potest tamẽ dignificare ad nouũ modũ merẽdi. ib.n.50

Non

Digitized by Google

Non datur tertia species meriti distincta à merito condigno & de congruo. 614.n.2.
Datur meritum de congruo. 613.n.1.614.n.2
Ad meritum de congruo requiritur vt sit opus supernaturale. 614.n.3
Potest contingere aliquo casu, vt opus ex se condignum præmio mereatur illud tantùm de congruo. 615.n.6.7
Beati non possunt mereri beatitudinem accidentalem de congruo. 616.n.9
Possunt tamen mereri accelerationem resurrectionis. ibid.
Possunt etiam suis precibus mereri alijs de congruo. ibid.n.11
Meritum de congruo non distinguitur ab impetratione. 617.n.12
Ad meritum de congruo non requiritur gratia habitualis. ibid.n.14
Potest quis alteri mereri de congruo. ibid.
Hoc meritum non habet necessariò annexam promissionẽ Dei, aliàs sæpe esset efficax. ib.n.15
Actus supernaturales peccatoris (excipe contritionem) non merentur gratiam habitualẽ de congruo immediatè, sed tantùm mediatè. 618.n.18
Remissio peccati potest cadere sub meritum de congruo. 619.n.20
Peccator potest mereri auxilium efficax de congruo. ibid.n.21
Homo in gratiâ existens potest mereri, vt Deus in lapsu illius recordaretur. 620.n.23
Potest item sibi mereri de congruo donum perseverantiæ. ibid.n.25
Item bona temporalia. 621.n.26
Quidquid potest sibi iustus mereri de congruo, potest etiam alijs. ibid.n.27

Mendacium.

Mendacium numquam potest esse licitum. 77.n.35
Id tamen auctoritas sola persuadet, non ratio. ibid.n.35.78.n.36.37

Metropolitanus.

Specialis iurisdictio concessa Concilio conceditur Metropolitano. 328.n.12
Metropolitanus non potest transacto Concilio dispensare in legibus ab eodem latis. ib.n.13

Modus.

Modus tam realiter distinguitur à subiecto quàm aliud accidens absolutum. 516.n.1
Ratio modi non obstat vt aliquid formaliter sanctificet. ibid.n.3.517.n.4

Modus loquendi.

Modus loquendi Superiorum Iudicum. 195.n.36

Mors.

Mors quid significet in iure. 302.n.10

Mortale peccatum.

Dignum est quod statim puniatur pœnâ æternâ. 225.n.14

Motus.

Motibus semideliberatis potest quis moraliter resistere. 463.n.27
Non sunt peccaminosi grauiter. ibid.

Mulier.

Cur mulier, quæ mariti lenocinio adulterata est, dote priuari nequeat. 304.n.23

Natura, Naturale.

ENtia naturalia absolutè sunt perfectiora quàm entia supernaturalia. 445.n.4
Si Deus non esset, culpa contra naturam rationalem posset remitti à Principe. 519.n.12

Notarius.

An, & quando Notarius instrumentum falsificans incurrat pœnam falsarij. 365. numero 89

Obligatio. Vide *Legis obligatio.*

OBLIGATIO legis ciuilis quæ & qualis. 165.n.1
Obligatio in conscientiâ neque transiens ad mortale neque ad veniale explicatur. 168.n.22
Aliud est obligare in conscientia, aliud, sub peccato. 169.n.24
Obligatio est quid consecutum ad transgressionem regulæ. ibid.n.23
Obligãdi potestas in conscientia vnde sit. 173.n.55
Obligare voto se nemo potest grauiter in materia leui. ibid.n.56
Obligatio faciendi imperata naturaliter ex mandato sequitur. 176.n.75
Ad grauẽ obligationẽ quid requiratur. ib n.76
Leuis an esse possit in iuramento promissorio. 177.n.80
Quæstio noua circa quædam verba quæ non ita clarè obligationem denotant. 182.n.6
Nemo obligatur actu & proximè vlla lege, nisi eam actu cognoscat. 184.n 20
An tunc censeat obligatus, quæstio est de voce. ibid.n.21
Obligatum esse quid sit. 185.n.27
Quantum tempus requiratur à promulgatione legis, vt obliget. 186.n.32
Obligatio grauis à leui quomodo dignoscenda. 220.n.24
Appositio censuræ ad legem an grauem afferat obligationem. ibid.
Opinio circa hæc Suarij, Salas & Vasquez. ibid.
Minor excommunicatio non indicat grauem culpam; sic verò maior. ibid.
Si ea excommunicatio primùm post Iudicis sententiam est ferenda, distinguit Suarez. ib.n.25
Displicet vltima Suarij resolutio. ibid.n.26
Quid Vasquez sentiat. 221.n.27
Maior, etiam vt ferenda post admonitionem, indicat grauem obligationem. ibid.n.28
Quæ verba non obligent nisi post sententiam. 231.n.45
Obligatio potest esse irrationabilis, etsi facta sint rationabilia. 271.n.30
Quando non censeatur obligatio cessare, etsi in hoc aut illo particulari casu finis extrinsecus cesset. 311.n.21
Quando censenda sit manere obligatio legis, etsi motiuum adæquatum Legislatoris hic & nunc cessare videatur. ibid.n.23
Cessante ratione legis & insuper insurgente difficultate cessat obligatio à fortiori. 312.n.24

Odium inimici.

Odium inimici an & quomodo olim in lege veteri permissum fuerit. 117.n.8

Omissio pura.

In pura omissione est aliqua laudabilitas & honestas moralis. 437.n.14
Non potest esse meritoria præmij supernaturalis, in sententia eorum qui requirunt ad honestatẽ operis, vt sit amor honesti propter se. 577.n.11
Idem tenentur dicere, qui docent, actus naturales iusti ab auxilio supernaturali ortos non esse meritorios gratiæ. 579.n.15
probabilius est, puram omissionem non esse meritoriam vitæ æternæ. ibid.n.15

Opinio probabilis.

Opinionem probabilem licitè sequimur, etsi minùs tutam. 314.n.35

Opus. Vide *Actus bonus.*

Opera consilij Euangelici quomodo non cadant sub legem. 272.n.34

Digitized by Google

Bonum opus, vt tale sit, non requirit actualiter dirigi ad Deum. 433.n.5.
Vt possit in Deum dirigi sufficit cognitio & fides naturalis. ibid.
Probatur ex D. Augustino. 434.n.6
Potest fieri opus morale honestum sine speciali gratiâ. ibid.n.8
Probatur ex S. Paulo. 435.n.9
Ex Sanctis Patribus. ibid.n.10
Ex Bullâ Pij V.& Gregorij XIII. ibid.n.11
Item ex Tridentino. 436.n.12
Denique ratione. ibid.n.13.& seq.
Ad bonum opus naturale nulla noua gratia requiritur ex parte voluntatis præter cognitionem indifferentem. ibid.
Neque ex parte intellectus. 437.n.17
Deus ex operibus bonis, licet naturalibus sumit occasionem dandi auxilia vberiora. 438.n.18
Connaturalius est subinde homini benè agere quàm malè. ibid.
Auxilia efficacia ad bona opera naturalia sunt subinde annexa dono creationis. ibid.
Opera bona naturalia aliquando nec indirectè disponunt ad salutem. 441.n.28
Respondetur testimonijs Patrum, quæ videntur asserere nos nullum bonum opus posse elicere sine speciali gratiâ. ibid.n.29
Multa bona opera naturalia fiunt sine intuitu proprij commodi etiam ab Ethnicis. 443.n.35
Omne opus bonum fit cum aliquâ leui tentatione. 454.n.7
Bonum opus coniunctum cum graui tentatione non potest fieri sine speciali gratia. 467.n.6

Oratio.

Orans distractè quibus pœnis possit subijci. 209. num.26.
Quòd potest in oratione Ecclesia, non potest in alijs actibus interhis. ibid.

Ordo.

In Ordinum susceptione an Ecclesia præcipiat emissionem voti, an verò solùm exigat; & quomodo. 211.n.35
Ordinari cur voto castitatis teneantur. ibid.

Papa. Vide *Pontifex.*

PAPA non habet directam potestatem temporalem in omnia Regna infidelium aut fidelium. 132.n.21.133.n.22.23
Non potest leges ciuiles condere pro locis sibi non subiectis; potest tamen declarare ius naturæ & tunc obligat fideles tantùm. ibid.n.24
Sic declarauit possessorem malæ fidei numquam posse præscribere. ibid.n.25
Papa dum est in locis quæ sub sunt dominio alieno temporali, obligatur legibus ciuilibus non repugnantibus ecclesiasticæ immunitati. 160.n.53
Potestas à Christo quomodo sit in Papa. 186.n.4
Cur summa in eo requiratur, & nō in alijs. 194.n.32
Eius est ad minus personam pro Episcopatu designare. 196.n.38
Papa potest erigere Episcopatum, vbi Episcopus careat vt legistarua, aut certe habeat limitatam. ibid.n.39
Papa cur excommunicari nequeat. 201.n.67
Papa notorius hæreticus bis monitus, nec resipiscés potest à Cōcilio hæreticus declarari: & hoc ipso à Christo iurisdictione priuatur. ibid.n.69
Papa qualem possit feminis committere iurisdictionem. 202.n.72
In omni re Ecclesiastica habet Papa iurisdictionē in omnes Reges & Imperatores Christianos. ibid.n.73
Potest eos excommunicare. ibid.
Habet etiam in rebus ciuilibus inditectum ius in illos. ibid.
Cur Papæ iam sit subiectus Rex, & in veteri lege è contrario summus Sacerdos Regi. 203 n.76
An ante Siluestrum Papam Pontifices fuerint subiecti legibus ciuilibus: & quomodo. ib.n.77
Papa potest eâ formâ quâ vult ferre leges. 216.n.1
Alij inferiores illo ab eo præscriptâ formâ vti debent, si sit aliqua; si non, pro placito. ibid.
Papa determinans de nouo aliquid in certo casu legem fert. ibid.
Hoc sentit Suarez, Salas, Vasquez. ibid.
Item Nicolaus Papa. ibid.
Alexandri III. in cap. Sua. de sponsalibus, circa præsens punctum mens explicatur, ibid.n.2.
Eiusdem in cap. Litteras de sponsalibus duorum ib.
Item Innocentij III. ibid.
Papa potest obligare, si velit, independenter ab acceptatione fidelium. 218.n.10
Probatur id ex Scriptura. ibid.
Item perpetua Ecclesiæ praxi. ibid.
Papa ferens legem simpliciter censetur velle cogere etiam inuitum. ibid.n.11
Soluitur obiectio circa Tridentinum non obligans, nisi vbi est acceptatum. ibid.n.12
Papa non habet ius in non baptizatos, etsi habeat in hæreticos. 220.n.30
Papa in suis terris habet ius Regis. 241.n.28.
Non potest extra suas ditiones imponere contributiones temporales nisi in graui Ecclesiæ necessitate, vel Ecclesiasticis. ibid.
Papa quæ Legato suo præscribit non omnia sunt essentialia. 261.n.67
Potest decernere, vt non nisi per consensum expressum abrogetur lex. 275.n.49
Papa quomodo soleat consuetudines rationabiles vel irrationabiles dicere. 276.n.55
Potest dispensare in matrimonio rato. 291.n.29.
An possit dissolutionem primi matrimonij efficere per secundum consummatum. ibid.n.30
Statuens legem generalem non comprehendit ideò Prouincias consuetudinem priuatam habentes. 298.n.62
Potest absolutè concedere Papa, vt per consuetudinem habeant simplices Sacerdotes facultatem conferendi Ordines minores, vel Confirmationem. 368.n.43.
Rarò tur de facto ea facultas per consuetudinem non possit obtineri. ibid.n.44

Parochus.

Parochus an suo beneficio ob delictum priuandus teneatur ad restitutionem, si ma impediat in assecutione sui beneficij. 251.n.18
Sit delictum sufficiens, non probetur, dicitē resistit. ibid.
An si contra eum agatur solùm infligendæ pœnæ gratiâ, etsi iniustè resistat condemnationi, teneatur ad restitutionem. ibid.n.19
In defectu Episcopi possunt Parochi in rebus leuioribus dispensare. 327.n.6
Attendendus tamen vsus Ecclesiæ. ibid.

SS. Patres.

Sanctorum Patrum dicta an & quando in decreto Gratiani censenda habeāt vim legis. 196.n.45
Statuta sanctorum Patrum per modum definitionum num possint mutari. 221.n.11

S. Paulus Apostolus.

S. Paulus Epistolam ad Galatas scripsit longè post circumcisionem Timothei & post suam purificationem. 33.n.14

Digitized by Google

Vera ratio, cur Paulus Petrum Iudaizantem reprehenderit. 114.n.28

Peccatum.

Peccatum consistátne in priuatiuo an in positiuo; vti & obligatio. 169.n.29
Positiua imperfectio quid sit. ibid.
Peccatum ex consuetudine non fit eo ipso ex contemptu. 177.n.82
An omne peccatum etiam veniale sit quidam contemptus Dei; & qualis. 179.n.91
Peccata possunt & temporaliter & æternum puniri. 225.n.12
Peccatum mortale dignum est statim poena æterna. ibid.n.14
Peccatum duo inuoluit: quorum vtrumuis suo dignum est supplicio. ibid.
Quid respondeat damno externo, & voluntari. ibid.n.15
Occurritur replicæ. ibid.n.15
Potest omitti peccatum sine speciali gratia. 436.n.13
Non potest esse peccatum sine potentia physica ad illud fugiendum. 466.n.4
Deus potest indirectè conseruare peccatum. 521.n.19

Peccatum habituale.

Habituale peccatum consistit in peccato praeterito nondum condonato neque sufficienter retractato. 502.n.4
Non tollitur formaliter peccatum sine aliqua volitione Dei distincta ab infusione gratiæ. ib.

Peccatum originale.

Originale nihil mutauit physicè in natura humana. 426.n.27
Non omnia quæ de merito simus per peccatum originale de facto amisimus, idque independenter à gratia Christi. 441.n.26
De fide est, posse remitti sine actu proprio peccatoris. 519.n.10

Peccatum veniale.

De facto numquam remittitur peccatum veniale sine infusione gratiæ. 523.n.2
Pater Vasquez negat posse etiam diuinitus remitti veniale per solam gratiam habitualem, vel per solam attritionem, vel per vtramque simul extra Sacramentum. ibid.
Eius fundamenta. ibid.n.2.3
Non expellitur formaliter per gratiam habitualem. ibid.n.4
De facto tollitur per attritionem extra Sacramentum. 524.n.6
Negat Vasquez. ibid.
Reijcitur. ibid.n.7
Venialia remittuntur per Sacramentum, si non fuerit attritio de illis. ibid.
Non semper remittuntur quoties augetur gratia. 525.n.8
Remittuntur etiam per Sacramentum Extremæ vnctionis. ibid.n.9
Per Baptismum & martyrium remittuntur in instanti mortis tam quoad culpam quàm quoad poenam. ibid.n.10
Remittuntur etiam per susceptionem Eucharistiæ, si non sit habex. 526.n.12
Probabile est remitti per alia Sacramentalia. ibid.n.13
Sacramentalia non habent vim remittendi venialia. ibid.n.14
Per bona opera, quæ non sunt retractatio venialium, non remittuntur. ibid.
Contritio est condigna satisfactio pro eis. 527.num.14
Post hanc vitam remittuntur de condigno per actum contritionis. ib.d.
Hæc remissio fit primo instanti mortis. ibid.n.15
Deus non acceptat contritionem in altera vita ad satisfaciendum. ibid.
Iusti non possunt sine specialibus auxilijs in hac vita moraliter vitare omnia venialia collectiuè; possunt tamen physicè. 560.n.37.& seqq.
Speciale auxilium omnia venialia vitandi videtur fuisse concessum B. Virgini. 561.n.41
Potest quis in vna vel altera materia vitare omnia venialia. 562.n.41
Difficilius est vitare peccata venialia semideliberata quàm deliberata. ibid.n.42
Non potest per totam vitam moraliter vitari omne veniale deliberatum, potest tamen per aliquod tempus. ibid.
Non potest certò definiri, quanto tempore quis esse possit sine peccato veniali deliberato. ibid.

Pelagius Hæresiarcha & Semipelagiani.

Error Pelagij circa gratiam consistit in tribus: Primò, vel non agnouit gratiam sanctificantem, vel putauit nos illam viribus naturæ posse mereri: Secundò, negauit omnes actus supernaturales liberos, saltem necessarios ad salutem: Tertiò, negauit omne auxilium Dei intrinsecè adiuuans. 413.n.20.& seq.
Principium eius fuit, *Non est liberum arbitrium, si Dei egeat auxilio.* 414.n.20.
Per auxilium Dei intellexit externam propositionem fidei. ibid.n.21
Distinxit vitam æternam à Regno cælorum. ibid.n.22
Negauit item infantibus visionem beatificam, sed concessit beatitudinem naturalem. ibid.
Nauarrete falsò docet, eumdem omne auxilium admisisse præter prædeterminationem physicam. ibid.n.23
Probabilius, omnem concursum Dei generalem ad actus liberos negauit. 415.n.24
Fundamentum erroris Pelagiani fuit, quia si daretur gratia, illa tolleret libertatem. ibid.n.24
Semipelagianorum error docuit in nobis dari initium gratiæ. ibid.n.26
Non differt multùm ab errore Pelagij. ibid.
Fundamentum erroris Pelagianorum siue Semipelagianorum fuit, vt non facerent Deum acceptorem personarum, si dicerent initium saluationis esse à Deo. 416.n.27
Semipelagiani non tantùm primam gratiam, verùm etiam alias probabiliùs subijciebant bono vsui liberi arbitrij. ibid.
Catholici, qui docent opera naturalia facta in gratia esse meritoria augmenti gratiæ, non labuntur in errorem Semipelagianorum, quia admittunt talia opera dignificari à gratia, quod negant Semipelagiani. ibid.n.28
Semipelagiani docuerunt semper dari à Deo æquale auxilium efficax ob æqualem actum naturalem bonum. ibid.n.29
Aliqui ex eis dixerunt Deum ad dandū auxilium semper prærequirere nostrum conatum præuium, alij tantùm aliquando. 417.n.30
Semipelagiani admiserunt internam illuminationem possibilem. ibid.n.30
Error eorumdem in eo consistit, quòd dixerint nos opere naturali posse mereri dona supernaturalia non quidem de condigno, sed de congruo. ibid.n.31
Quid eos induxerit, quòd dixerint opera liberi arbitrij

arbitrij naturalia disponere ad gratiam. 422. n.11
Durandus, cùm negauit concursum Dei generalem immediatum, non est lapsus in hæresim Semipelagianorum. ibid.
Cùm Semipelagiani dixerunt non operibus naturalibus mereri auxilium gratiæ, non egerunt de sufficienti, sed de efficaci. 471.n.15

Peregrinus.

Peregrinus non obligatur legibus proprij territorij, dum extra illud versatur. 151.n.4
Rationibus quibus id communiter probari solet reiectis, alijs idem probatur. ibid.n.5.& seqq.
Soluuntur variæ obiectiones. 152.n.9.& seqq.
Peregrinus obligatur legibus territorij alieni in quo ad breue tempus moratur. 155.n.25
Explicatur ab auctore peculiariter cap. *A nobis.* de sent.excom. 156.n.31
Peregrini possunt puniri, nisi sint personæ exemptæ; quamquam etiam hæ legibus loci in quo sunt teneantur. ibid.n.33
Peregrini debent seruare formam contractuum & testamentorum iuxta leges loci in quo sunt. ibid.n.34
Tenentur soluere tributa & vectigalia loci ad quem veniunt. ibid.n.35
Peregrinus an, & quibus particularibus ciuitatum contributionibus vrgeatur. 247.n.59
Tributa toti Regno generalia, seruata debitâ proportione, peregrinus soluere tenetur ibid.
Etiam ea quæ sunt in sustentationem Regis. ibid. n.60
Quidnam vtilitatis capiat, quòd ad ea tributa teneatur. ibid.

S. Petrus.

S. Petrus Iudaizans solùm leuiter deliquit: & fortè ne quidem venialiter: exponitur ratio ob quam à S. Paulo fuerit reprehensus. 114.n.28. 29.31
Sancti Petri potestatis & aliorum Apostolorum differentia. 189.n.4
Eius verus & legitimus successor accipit à Christo omnem eius potestatem. ibid.
Illa potestas quomodo sit in Papa. ibid.

Pia affectio.

Non potest haberi pia affectio supernaturalis sine gratia supernaturali. 484.n.19

Pius V.

Quid requirat ad professionem licitam simul & validam. 260.n.53

Pœna. Vide *Lex pœnalis.*

Ad pœnam ex lege tantùm obligante in conscientia nulla requiritur culpa. 170.n.51
Quæ pœna incurratur ob actionem externam etiam ex ignorantia inuincibili inculpabilem. 213.n.45
Propter peccata putè interna nemo ab humana potestate puniri potest. 214.n.47
Professus exteriùs suam hæresim; etsi solus sit in campo, excommunicatur. ibid.n.48
Quando non intelligitur incurri pœna ipso facto, & quando nè. 229.n.36
Status quæstionis. ibid.
Prima regula ex quatuor quas hîc ordinariè assignare solent auctores. ibid.n.37
An huic regulæ sit locus in pœna conuentionali. 230.n.38
An reperiatur hæc regula in pœna testamentaria. ibid.n.39
Secunda regula. ibid.
Exceptio cuiusdam casus ab vtraque regula. ibid. n.40
Exemplum Tiraquelli non est ad rem. 230.n.41
Tertia regula. ibid.n.43
Quæ verba sint ab hac regula excepta. ibid.
Tò *fiat* quomodo accipiendum. ibid.
Tò *sum* quomodo pœnam significet. ibid.n.44
Quarta & vltima regula. ibid.n.45
Regulæ datæ concernunt pœnas tam in actione quàm negatione aut passione sitas. ibid.n.46
Vasquez & Salas opinio. ibid.n.47
Regula Salas generalis de pœnis purè priuatiuis. 232.n.51
Occurritur obiectioni factæ. ibid.n.52
Pœna quando possit imponi etiam ob legem ignoratam. 235.n.63
De voce pœna dissidium auctorum. 248.n.2
Nemo punitur ob facta conditionata, sed absoluta. 264.n.85
Quando non incurritur pœna nisi per actum validum. 265.n.90
Pœnæ Ecclesiasticæ multæ incurruntur absque censura de facto inferenda. 229.n.34
Pœnæ negatiuæ possunt esse acerbissimæ, vt & positiuæ leues. ibid.n.35
Pœna periurij an incurratur ipso facto. 230.n.42

Pœnitens.

Pœnitens quomodo per Ecclesiam obligetur ad confitenda omnia mortalia. 209.n.38

Pœnitentia virtus.

Ea pro obiecto formali respicit honestatem quæ reperitur in pace habenda cum Deo, vel cauenda omnis occasio displicentiæ vel offensæ. 50.n.55

Pollutio.

An pollutio sit ita intrinsecè mala, vt nequeat Deus licentiam dare ad eam directè immendendam & procurandam. dubium est. 78.n.37

Pontifex. Vide *Papa.*

Pontifex summus Synagogæ habuerunt potestatem vniuersalem. 191.n.13
Non videtur habuisse. ibid.n.15
Potest tamen & contrarium dici. 192.
Pontifex summus an, quando, & quomodo non possit errare. 197.n.49.& seq.
In eiusdè electione quid possit Collegium Cardinalium, vel eo mortuo Concilium generale. 198.n.52
In omnibus legibus humanis potest secum dispensare. 322.n.13
An Pontificis dispensatio in lege inferiori sit aliquando inualida. 323.n.18
Valida est, sed non semper licita. ibid.n.19
Si videlicet positiuè nolit legem inferioris reuocare, & tamen dispenset. ibid.
Quomodo Pontifex possit dare priuilegia temporalia. 369.n.5
An possit dare contra se. ibid.n.6

Populus.

Populus an sibi reseruauerit vim inducendi legem per consuetudinem. 278.n.63
Vt se obliget obligatione legis, debet id facere animo obligandi per modum consuetudinis. 287.n.9
Populi voluntas quomodo possit obligare legem consuetudine. ibid.n.10

Potentia.

Potest dari potentia physica sine morali. 437.n.15
Physica potest stare cum impotentia morali. 458. n.15
Cum potentia physica adhuc actè potest componi necessitas gratiæ. ibid.

Mo ralis

Digitized by Google

Moralis sumitur aliquando pro potentia in genere moris, aliquando pro facilitate. 461.n.22
Impotentia moralis non tollit libertatem peccanti. 463.n.26
Potestas. Vide *Legislatiua potestas humana.*
Potestas Canonica an fuerit in lege naturæ: & quid hæc sit. 190.n.5
In quo naturæ statu possit & verò debeat esse. ibid.n.9
Penes quos tunc esset. ibid.
Et à quo oriretur. ibid.n.7
Non haberet vim peccata remittendi. ibid.
Circa hanc potestatem quid dicendum esset, si homines solitarij viuerent. ibid.n.8
Qualis fuerit de facto in statu naturæ. ibid.
Potestas duplex à summo Iudice participata. 195. n.36
Potestas Canonica legislatiua excellentior est ciuili. 202.n.71
Cur Canonica habeat ius in temporalia, non verò ciuilis in Ecclesiastica, datur disparitas. ibid.n.74
Secunda disparitas. 203.n 75
Potestas vtraque an possit vni conferri. ibid.n.77
Multi Episcopi habent vtramque. ibid.n.78
Locus Lucæ 22. contrarius explicatur. ibid.
Vt & mens sancti Bernardi lib.2.de Consideratione ad Eugenium cap.6. ibid.
Exponitur intentum Pauli. ibid.
Item Nicolai Papæ. ibid.
Hæ potestates reperiuntur aliquando coniunctæ, aliquando separatæ. ibid.n.79
Potestas cõsecrãdi cur sit de iure diuino. 193.n.22
Potestas S.Petri. Vide *S.Petrus.Præceptum.*
Præceptum vni positum non expirat necessariò morte mandantis. 24.n.5
In Societate Iesu durat post mortem vel depositionem Superioris, donec à successore reuocetur. ibid.
Præcepta ordinariè sunt temporanea, nisi ferantur per modum statuti aut legis. 35.n.27
Præceptum particulare potest oriri à Principe quà tali, & durare post mortem mandantis. 35 36 n.27.28
Præceptum orandi attentè purè est affirmatiuum. 208.n.22
Declaratur id à priori. ibid.
Hoc præceptum etsi non attentionem, intentionem tamen orandi requirit. ibid.n.24
Conditionatum non cogit absolutè ad efficiendum opus imperatum. 212.n.41
Liceátne præcepta violare lucri gratiâ; & quando. 312.n.26
Ratissima sunt præcepta quæ obligent ad actum vndequaque honestum sub mortali, aut pro determinato instanti. 569.n.27
Præcepta naturalia magis obligant quàm votum. 463.n.26.
Obligant in quacumque difficultate etiam ad rem moraliter impossibilem. ibid.n.27
Omnia physicè possũt impleri sine gratia 466.n.4
Moraliter tamen per longum tempus seruari non possunt sine gratiâ speciali. ibid.n.5
An sine gratiâ habituali. pag.475
Præcepta supernaturalia possibilia non possunt impleri sine gratiâ. 486.n.24
Si præceptum est de re supernaturali in substantiâ, requiritur gratia supernaturalis in substantia; si de re supernaturali quoad modum, sufficit gratia supernaturalis quoad modum. ibid.
Negatiua possunt impleri sine gratia. 487.n.25
Negatiuam sequitur Suarez. ibid.
Supernaturale præceptum imperans solum actum externum, qui non est necessariò connexus cum aliquo actu interno supernaturali, potest fieri sine gratia supernaturali, etiamsi habeat connexum effectum supernaturalem; secùs dicendum erit, si sit necessariò connexus cum aliquo actu interno supernaturali. ibid. & 488. n.27.28
Prædestinatio.
Multò minùs potest homo esse certus de sua prædestinatione quàm de statu gratiæ. 537.n.11
Prælati.
Prælati, qui solùm sunt de iure humano, nullum habent ius nisi prout à Papa sibi datum. 196.n.43
Præscriptio.
Ad præscribendum in lege quantum temporis requiratur. 219.n.19
Num præscribi possit per actum malum. ibid.
In quibus rebus iuuet ad præscriptionem consuetudo immemorialis. 244.n.45
Discrimen à priori inter præscriptionem ad pallium & tributum. 245 n.47
Præscriptio numquam fit pro continuatione tributi, nisi constet de continuatione iustarum causarum eiusdem. ibid.n.49
Quando præscribatur contra Ecclesiam Romanam. 283.n 89
Propria præscriptio plus petit temporis quàm legalis. ibid.n.90
Quando sit præscriptio contra alterum. ibid.
Sufficiunt ad præscriptionem decẽ anni. 284.n.92
Ad præscriptionem legalem non est opus quadraginta annis, sed solùm ad præscriptionem contra res aut iura Ecclesiæ. 298.n.61
Quid in sententia quorumdam respondendum. ibid.
Opinio quorumdam hac super re. ibid.
Confirmatur hæc auctorum opinio. ibid.
Displicet tamen secundùm quid. ibid.n.62
Ad præscriptionem contra ius Ecclesiasticum sufficiunt quadraginta anni. ibid.
Præsumptio.
Præsumptio duplex apud Suarez. *facti & periculi.* 170.n.34
Præsumptio certa numquam fallitur. 171.n.37
Etiam de ipso periculo est fallibilis. ibid.n.38
Præsumptio causarum præteritarum, nisi etiamnum eæ durent, non facit præscribi in tributis. 245.n.47
Occurritur obiectioni. ibid.n.48
Item nouæ replicæ. ibid.n.49
Præsumendi fundamentum oportet esse inefficax. 284.n.94
Princeps. Vide *Rex.*
Princeps quomodo possit studium præcipere. 211.n.34
Potestas Principis dubia non exturbat subditum possessione bonorum suorum certa. 238.n.13
Omnis Princeps supremus in suo ordine habet potestatem imponendi tributa. 241.n.28
Inferiores Principes quid possint. ibid.n.29
Quænam potestas imponendi tributa possit inferiori Principi à Superiore delegari. ibid.n.30
Doctrina Suarij & Salas. ibid.n.31
Eorumdem ratio declaratur. ibid.
Mens auctoris. ibid.
An possit Princeps abalienare ea quæ ei vt tali sunt propria, & consequenter potestatem imponendi tributa. ibid.n.33

Digitized by Google

Suarij sensus. ibid.
Iuristæ suismet principijs conuincuntur. ibid.
Princeps inferior habens consuetudinem ab immemoriali tributa imponendi potest ea vti. ibid.n.36
Est Medinæ & Panormitani. ibid.& 243
Approbatur Medinæ discursus. 243.
Probatur sententia auctoris. ibid.n.37
Distinguuntur in Principe diuersæ volitiones 275.n.50
An & quando Principis sententia in casu vno particulari constituat legem,etiam in omnibus similibus. 304.n.24
Quando possit tributa protrahere causam ignorante populo. 316.n.45
Princeps sęcularis supremus potest secum dispensare in omnibus legibus à se latis. 322.n.13
Etiam inferiores Legislatores in suis legibus.ibid.
Princeps non præsumitur vmquam ignorare ius commune, sic verò particulare. 323.n.18
Mandans aliquid cum scientia impedimenti præsumitur dispensare. 325.n.30
Vnde constare possit de scientia impedimenti in Principe. ibid.
Quid dicendum sit in foro externo. ibid.
Potestas iurisdictionis in personas distinguitur à potestate dominij respectu legis. 334.n.4
Quando censeatur Princeps subijcere legem potestati Magistratus. 354.n.78

Priuilegium.

Qualiter priuilegium obliget? & an debeat dici lex. 40.n.7.8
Communis definitio priuilegij. 358.n.1
Vnde propriè possit deriuari. ibid.n.2
Quod per illud conceditur debet esse fauorabile. ibid.
Bonum,quod per illud conceditur,non debet esse ex iure debitum. ibid.n.3
Concessio eiusdem debet explicari de noua gratia non tantùm quoad modum, sed etiam quoad rem. ibid.n.4
Nisi verba restringant ad solum modum. ibid.
An concedere debeat aliquid contra ius, an sufficiat præter ius. ibid.
Datur medium inter esse contra ius, & esse permissum à iure. 359.
Satis est, si aliquid concedat præter ius. ibid.
Debet se extendere ad multos actus. ibid.n.5
An ad illud requiratur scriptura. ibid.n.6
Ad valorem beneficij non requiritur. ibid.
Aliquæ gratiæ ad valorem requirunt formam & definitionem iuris. ibid.
Vt beneficium dicatur priuilegium non requiritur scriptura. ibid.n.7
Quomodo priuilegium differat à scripto & dispensatione. ibid.
Duplex potest esse rescriptum, iustitiæ & gratiæ. ibid.n.8
Priuilegium diuidi solet in reale & personale. 360.n.9
Requiritur notitia distinctionis inter personam fictam & realem. ibid.n.10
Quid sit hîc ficta persona, quid realis. ibid.
Priuilegia realia possunt conuenire personis veris sub aliqua communi appellatione.ibid.n.11
Distinctio realis à personali desumi solet ex causa. 361.n.14
Sed non est vniuersalis. ibid.
Quomodo possit colligi mens concedentis circa reale & personale. ibid.n.15
Perpendenda sunt verba ipsa priuilegij. ibid.n.15
An verbum *in perpetuum* denotet priuilegium reale. ibid.
Non semper denotat. ibid.n.16
Neque semper personale. ibid.
Reijcitur sententia quædam media. ibid.
Regula ad noscendum, quando vocula in perpetuum signet reale vel personale. 362.n.17
In gratijs ex se non perpetuis, ne quidem ad vitam, vox *in perpetuum* signat personale.ibid.n.18
Ad dignoscendum reale à personali ponderanda etiam est materia priuilegij. ibid.n.19
In dubio quidam aiunt esse præsumendum reale. ibid.n.20
Alij esse præsumendum personale. ibid.
Distinguitur pro solutione duplex priuilegium, odiosum & fauorabile. ibid.
Quando priuilegium est purum beneficium,censetur esse reale. ibid.
Quando est odiosum, & pro nullâ parte rationes suppetunt, censeri debet personale. ibid.n.21
Quòd si circa tale priuilegium dubium est vtrimque probabile, reputatur reale. idib.
Obiectio difficilis. 363.n.22
Solutio. ibid.
Replica,quia sequeretur posse dari bellum vtrimque iustum. ibid.n.23
Quid responderi possit. ibid.
Impugnatur responsio. ibid.
Responsio verior ad replicam. ibid.n.23
Priuilegium iterùm diuiditur in remuneratiuum & non remuneratiuum. ibid.n.24
Esse remuneratiuum non probat esse personale potiùs quàm reale. ibid.
Neque contrarium ex iure ostẽdi potest .ib.n.25
Potiori iure debet non remuneratiuum,dici personale quàm remuneratiuum 364.n.26
Tertiò diuiditur in conuentionale & non conuentionale. ibid.n.27
Conuentionale est verum priuilegium. ibid.
Conuentionale non est necessariò reale .ib.n.27
Quartò diuiditur in temporale & perpetuum. ibid.n.28
Quid sit perpetuum, quid temporale. ibid.
An concessum vsque ad beneplacitum concedentis pereat mortuo concedente. ibid.n.29
Sententia negans perire est probabilis, probabilior autem affirmatiua. 365.n.31
Quid respondendum ad fundamentum negatiuę. ibid.
Quomodo pereant priuilegia in perpetuum concessa deficiente subiecto. ibid.n.32
Non pereunt, nisi subiectum tam in se quàm in semine pereat. ibid.
Destructa aut exusta Ecclesia non pereunt illius priuilegia;nisi ab habente auctoritatem omnino aboleatur vel alio tranferatur. ibid.n.33
Quintò diuiditur priuilegium in datum priuato quà tali,& datum communitati. ibid.n.34
Differentia communis circa effectum horum duorum priuilegiorum. ibid.
Reijcitur vniuersaliter. ibid.
Potest subinde priuatus renuntiare priuilegio dato communitati. ibid.
Aliquæ limitationes doctrinæ præcedentis.ibid.n.35
Quando priuilegium est simul lex irritans aliquam actionem,non potest ei renuntiari.366.
Sexto diuiditur in purè fauorabile & mixtum ex fauore & odio. ibid.n.36
Septimò in affirmatiuum & negatiuum.ibid.n.36

Octauò

Digitized by Google

Octauo in priuilegium interni fori & externi. ibid.n.37
Quid sit externi fori. ibid.
Quid interni. ibid.
Quomodo forum internum comparetur in iure cum foro pœnitentiæ. ibid.n.38
Forum conscientiæ latiùs patet quàm pœnitentiæ. ibid.
Etiam pœnitentiæ latiùs patet quàm Sacramentale. ibid.
Vltimo diuiditur in scriptum & non scriptum. ibid.n.39
An sit possibile non scriptum. 367.
Pars affirmatiua defenditur. ibid.
Ratio à priori. ibid.
Seruanda in priuilegio: Primum, consuetudinem in vnica persona non posse abrogare legem. ibid.n.40
Secundum, priuilegium consuetudine acquisitum est verum priuilegium. ibid.
Tertium, tale esse fortius aliquando expressè acquisito à Principe. ibid.n.41
Quando per aliquam clausulam generaliter reuocantur priuilegia, non includuntur consuetudine acquisita. ibid.
Quartum, consuetudine acquisitum minùs latè patet quàm scriptum. ibid.
Probatur. ibid.n.43
Duo casus, in quibus patet consuetudinem non posse omne id quod potest priuilegium. ibid. & 368.n.45
Textus iuris, qui videtur probare, per consuetudinem non posse obtineri priuilegium. 368. n.46
Quantum temporis requiratur, vt per eam acquiratur priuilegium. ibid.n.47
Solus ille qui potest legem ferre potest priuilegium concedere. ibid.n.1
Quando concedunt priuilegia qui leges ferre non possunt, id faciunt vi altioris potestatis. 369.
Legislator inferior non potest dare priuilegium contra ius superioris vel æqualis. ibid.n.2
Nisi ex commissione superioris aliud ei concedatur. ibid.
Obiectio. ibid.n.3
Duplex obiectionis solutio. ibid.
Priuilegium etsi non sit contra ius, non potest concedi nisi ab habente iurisdictionem. ibid.n.5
Quomodo possit Pontifex dare priuilegia temporalia. ibid.
An possit Princeps dare priuilegia contra se. ibid.
Præcipuè Pontifex. ibid.
Secularis Princeps an possit dare priuilegium spirituale. ibid.n.7
Omnis homo aliquo modo inferior donante, est capax priuilegij. 370.n.8
Etiam non subditis aliquo tamen modo inferioribus concedi possunt priuilegia. ibid.n.9
Item nobilioribus ab ignobiliori. ibid.
An possint quis sibi ipsi dare priuilegium. ibid.n.10
Affirmatiua vt probabilior defenditur. ibid.
Ad quales personas se extendunt verba priuilegij. ibid.n.11
Primò ad eas quæ expressè nominantur. ibid.
Potest etiam expressè nominata persona in priuilegio ab eodem excludi. 371.
Illi tantum frui possunt priuilegio, quos verba priuilegij comprehendunt. ibid.n.12
Quædam notata ad intelligendum, quantum se extendant verba priuilegij. ibid.
Quando materia priuilegij per se peculiarem personam, etiam ad illam extenditur. ibid.n.13
Vtrum comprehendat illas personas, quæ præcisè ad decentiam actionis requiruntur. ibid.
Probatur affirmatiua. ibid.
Vox significans vnam personam, si priuilegium non sit contra ius commune, potest extendi ad plures. ibid.n.14
Datum filijs aut Religiosis sub nomine masculino, si parè fauorabile sit, potest extendi ad filias & Religiosas. 372.n.15
Nomen *vir* raro potest accipi pro fœmina. ibid.
Neque nomen *masculus* extendi ad fœminam. ibid.
An nomen *vxor* comprehendat maritum, & contrà. ibid.n.16
Item, nomine filij an significentur nepotes; aut nomine patris filij. ibid.
Si priuilegium sit odiosum, sub nomine masculino non intelligantur fœminæ. ibid.
Neque etiamsi sit fauorabile, nisi aliunde constet eas voces hoc modo extendendas. ibid.
Priuilegijs, quæ non fundantur in nobilitate, sed, officio, non gaudet vxor aut filij. ibid.
An priuilegio extenso ad filios fruantur ijdem mortuo parente, an viuo. ibid.n.17
Si non potest esse nisi in vnâ persona, non fruentur nisi mortuo patre. ibid.
Si vsus eius possit esse in multis, & aliunde non prohibeatur, fruentur etiam viuo. ibid.
Aliud datur ad instantiam patris, aliud motu proprio. ibid.n.18
Idem potest dari vtroque titulo. 373.n.19
Quando in eo non fit mentio motus proprij, censeri debet datum ad instantiam patris. ibid.
Tres differentiæ inter hæc duo priuilegia. ibid.n.20
Quomodo aliqui Tertiam differentiam explicent. ibid.
Quando priuilegium non est petitum, non potest esse subreptitium. ibid.n.22
Esto sit partialiter datum motu proprio, si tamen fuit error substantialis in petitione, non est validum. ibid.n.22
Quando datur purè motu proprio validum est, esto error interueniat. ibid.n.23
Datum ex motuo erroris priuatiui cur sit validum. 374.n.24
Datum ex motuo erroris positiui inualidum est. ibid.n.23
Aliquando datur absolutè, aliquando conditionatè; idque dupliciter. ibid.n.25
Verba, quæ onus significant aut conditionem, strictè accipienda sunt. ibid.n.26
In priuilegio contra ius an oporteat esse verba, non obstante, &c. ibid.n.27
Affirmant aliqui, aliqui negant. ibid.
Quando potest stare sine derogatione iuris, non est ad illud extendendum. ibid.
Secùs verò si verba priuilegij non possint explicari sine derogatione iuris. ibid.n.28
Iuri priuato non derogat priuilegium, nisi in eo ponatur, *non obstante quocumque iure*. ibid.
Non est tamen opus, vt fiat specialis mentio illius iuris. 375.n.29
An contra commune ius qualificatum valeat priuilegium carens particula *non obstante*. ibid.
Negat Suarez. ibid.
Affirmatiuam eligit auctor. ibid.n.30
Respondetur ad fundamentum negatiuum. ibid. num.32

Digitized by Google

Particula in lege, *vt non derogetur*, non impedit quò minùs possit illi derogari sine clausula expressâ. ibid.n.33
Quid sit dicendum ad secundam regulam ex iure contra doctrinam positam allatam. 376.n.34
Particula ad instar denotat omnimodam similitudinem cum altero priuilegio. ibid.n.35
Hoc priuilegium non augetur nec minuitur, etiamsi augeatur vel minuatur exemplar. ibid.
Exemplar non augetur vel minuitur pro augmento vel diminutione secundi priuilegij. ib.
Quid sentiendum sit, quando non extat exemplar priuilegij ad instar. ibid.n.36
Si in priuilegio *ad instar* non fiat mentio alicuius materiæ, & exemplar non extet, inualidum est. ibid.
Secùs erit si declaretur in priuilegio *ad instar* certa materia. ibid.
An priuilegiatus *ad instar* possit eo vti contra habentem exemplar. ibid.n.37
An verba, *Concedimus Episcopatum tibi sicut suo prædecessori*, sit priuilegium *ad instar*. ibid.
Quid probabiliùs respondendum. 377.n.38
Priuilegia specialia concessa prædecessori ob singulares dotes, quæ non apparent in successore, non transeunt ad illum. ibid.n.39
Communicatio priuilegiorum inter Religiosos an se extendat ad particularia domorum. ibid. n.40
Negatiua est amplectenda, nisi contrarium constet ex verbis. ibid.
An, & quomodo communicatio differat à priuilegio *ad instar*. ibid.n.41
Tam priuilegium *ad instar* quàm *per communicationem* includit duo priuilegia numero moraliter distincta. ibid.
Verumque requirit omnimodam similitudinem cum exemplari. ibid.
In aliquibus effectibus non potest Princeps per priuilegium alterum omnino similem facere, ibid.n.42
Cur in priuilegijs præter verbum *ad instar* soleant poni alij clariores termini. ibid.
Aliqui sunt effectus, in quibus potest Princeps alterum omnino similem facere; si nempe ambo effectus immediatè à iure proueniant. 378. n.43
Communicatio priuilegiorum aliquando fit ex eo, quia personæ reputantur eædem. ibid.n.44
Priuilegium *ad instar*, quod non est per fictionem iuris, non differt à communicatione. ibid. n.45
Secùs si fiat per fictionem iuris. ibid.
Tale per fictionem differt aliquando à communicatione imperfectâ, aliquando non differt. ibid.
An priuilegia concessa toti Religioni communicet quilibet Religiosus in particulari. ib.n.46
Quæstio est de nomine: & affirmatiua eligitur. ibid.
Priuilegium *per communicationem* non augetur vel minuitur pro augmento vel decremento exemplaris. ibid.
An communicetur cum restrictionibus, quibus datum est primo priuilegiato. ibid.n.47
Triplex restrictio ab aliquibus assignari solita. ib.
Rationes quorumdam ex doctrina posità. 379. n.48
Doctrina posita approbatur cum limitatione. ibid.n.49
An priuilegium restrictum communicetur cum sua totali latitudine, quam primò habuit. ib.n.50
Quid sit hîc probabilius. ibid.
Probabilius est communicari cũ restrictione. ib.
An illud, cui annexa est restrictio ne communicetur, censeatur communicari generalibus terminis concedentibus communicationem omnium priuilegiorum. 380.n.51
Si Papa communicans omnia priuilegia censeatur scisse illud cui annexa est clausula ne communicetur, etiam illud communicabit. ibid.n.52
Quando quæritur de confirmatione priuilegij, non est quæstio de ea prout significat vltimam approbationem. ibid.n.1
Sed de ea quæ supponit perfectam rei possessionem. ibid.
Diuiditur hæc in communem & specialem. ib.n.2
Quibus verbis cõfirmationes distinguantur. ibid.
Aliquorum sententia. ibid.
Secunda sententia. ibid.& 381.
Posterior approbatur. 381.n.3
Duæ regulæ ad internoscendos effectus harum duarum confirmationum. ibid.n.3
Prima, quòd confirmatio communis nouum ius non conferat, neque suppleat defectus in prima donatione priuilegij admissos. ibid.
Quomodo verum sit, priuilegio dato à Papa in forma communi non posse contrauenire sententiam Iudicum inferiorum. ibid.n.4
Declaratur doctrina cap. 1. de confirmatione vtili vel inutili. ibid.
Priuilegia à Papa collata & in ius commune non inserta non censentur specialiter confirmata, nisi fiat eorum mentio. ibid.
Confirmatio facta ab æquali nil addit præter maiorem auctoritatem. ibid.n.5
In forma speciali æquiualet donationi noui priuilegij. ibid.
Cap. *Veniens.* de transact. & cap. 1. non faciunt hîc ad præsentem quæstionem. ibid.
Melius potest probari ex cap. *Examinata.* 382.n.5
An facta per verba *ex certâ scientiâ* sit valida, si Princeps nesciuit priuilegium esse inutile. ibid. n.6
Affirmatiua tenenda. ibid.
Duæ limitationes, sed non necessariæ. ibid.n.7
An verba *prout sunt in vsu* significent non confirmari priuilegia inualida. ibid.
Quid significent verba, *Dummodò sub nullis reuocationibus sint comprehensa.* ibid.
Sententia Suarez circa verba, *Dummodò non sint contraria Concilio Tridentino.* ibid.
An confirmatio ex certa scientia reualidet priuilegia iam reuocata. ibid.n.9
Affirmatiua reijcitur. ibid.
Priuilegium falsum & subreptitium non reualidatur per confirmationem ex certa scientia. ibid.
Priuilegia data à Principe & ex aliquo capite nulla reualidantur per confirmationem ex certa scientia. 383.n.10
Si confirmationis forma desumatur ex tenore priuilegij, non verò addatur *ex certâ scientiâ*, non reualidantur priuilegia ab homine reuocata. ibid.
Si addatur *ex certâ scientiâ*, & fiat mentio priuilegij, reualidatur priuilegium ab homine reuocatum. ibid.
Vtrùm reuocatum iure communi reualidetur per confirmationem ex certa scientiâ. ibid.n.11
Ratio dubitandi. ibid.

Sententia

Sententia Suarez & Rodriguez. ibid.
Solvitur quæstio. ibid. n. 12
Occurritur obiectioni. ibid. n. 12
Altera obiectio. ibid.
Quorundam solutio. ibid. n. 13
Satisfit obiectioni. 384
Quomodo extendatur confirmatio ex certa scientia. ibid. n. 14
Distinguitur duplex vis communicandi in privilegijs. ibid.
An, dum confirmantur priuilegia particularia, confirmentur etiam omnia particularia & communia eorum qui communicant. ib. n. 15
Aliqui affirmant. ibid.
Negatiua est probabilior. ibid.
Quid sit sentiendum de cõfirmatione priuilegiorum communium; an communicetur & extendatur ad specialia. ibid. n. 16
Negatiua cum Suarez defenditur. ibid.
Respondetur ad fundamenta & instantias oppositæ sententiæ. ibid. n. 17
Communis sententia non distinguit innouationem à confirmatione. 385. n. 18
Innouatio alia est in forma communi, alia in speciali. ibid.
In forma communi non reualidat priuilegia renouata. ibid.
Probatur ex Bulla Iulij II. ibid.
Alius specialis effectus, qui ab aliquibus datur innouationi in forma communi. ibid.
Est sine fundamento. ibid.
Innouatio ex certa scientia non reualidat priuilegia renouata. ibid. n. 19
An ad concedendum priuilegium requiratur iusta causa. ibid. n. 21
Si sit contra ius, idem dicendum quod de dispensatione. 386
Si verò sit præter ius, requiritur aliqua causa, minor tamen quàm si esset contra ius. ibid.
Quando censeatur esse ex subreptione nullum. ibid. n. 22
Præter ius datum sine causa validum est, si dolus absit. ibid.
Qui & quot sunt effectus priuilegij. ibid. n. 23
In rigore non videntur esse nisi duo. ibid.
Quid conferat priuilegium concessum ad rem aliàs licitam sine licitam. ibid.
Verba vniuersalia priuilegij comprehendentia tam rem licitam quàm illicitam ad vtramque extendi debent. ibid. n. 23
Illatio ex doctrina posita. ibid.
An priuilegium non continens fauorem nisi derogetur iuri communi, censeatur illi derogare. ibid. n. 24
An effectus priuilegij fiant sola actione iuris, an verò & realiter. ibid. n. 25
An sic causati æquiparentur naturali. 387
An aliquando priuilegium obligans priuilegiatum ad aliquid faciendum. ibid. n. 26
Potest duobus modis. ibid.
An duo æqualiter priuilegiati teneantur iure mutuum seruare. ibid. n. 27
Si sint omnino pares, v. g. Doctores, tenentur. ibid. n. 28
Reijciuntur quædam exempla vel impertinentia ad præsentem casum. ibid.
Quando priuilegiati habent contraria priuilegia, non tenetur vnus alterius iure seruare. ib. n. 29
Explicatur melius conclusio. ibid.
Aliquæ limitationes doctrinæ positæ. ibid.
An priuilegia debeant publicari. ibid. n. 30
Priuatim concessa non est opus publicentur. 388
Qualis debeat esse intimatio priuata ad priuilegium priuatum. ibid. n. 31
Concessum per leges publicas debet non minus quàm leges promulgari. ibid.
Vtrum nondum notum priuilegiato possit in eo aliquid operari. ibid. n. 32
Quæstio est de possibili. ibid.
Communis sententia docet priuilegium eximens à lege posse aliquid operari antequam innotescat priuilegiato. ibidem. n. 33
Fundamentum illius. ibid.
Iudicium auctoris de quæstione. ibid. n. 34
Videtur esse pura quæstio de nomine. ibid.
Priuilegia eximentia à pœna possunt habere effectum antequam innotescant priuilegiato per retractationem. 389. n. 36
Quid dicendum sit de priuilegijs concessuis alicuius iuris. ibid.
Si det facultatem præ faciendi aliquid, quæstio est de nomine, an sint dicenda priuilegia ante notitiam priuilegiati. ibid. n. 37
In ordine ad aliquos actus vel effectus possunt valere antequam innotescant priuilegiato. ibid.
Ratio à priori. ibid. n. 38
Declaratur exemplis. ibid.
Ratio alia à priori. ibid.
Explicatur exemplo. ibid. n. 39
Sententia cõtraria falso nititur fundamento. 390
Si agatur de priuilegio cõcedẽte aliquã actionem ante illicitam, quæstio est de nomine. ib. n. 40
In priuilegijs eximentibus à pœna aut concedentibus aliquid vltra ius attendenda est ad verba priuilegij. ibid. n. 41
Quòd si ex verbis nil colligi possit, attendendum ad materiam. ibid.
Priuilegium cõcedens facultatem faciendi validè aliquam actionem non habet effectum antequam innotescat. ibid. n. 42
Eximens ab alterius iurisdictione habere potest effectum, etsi ignoretur ab eo cuius iuri eximit. ibid. n. 43
Neque requiritur notitia ipsius priuilegij. 391. num. 44
Quid sit dicendum ad sententias oppositas. ibid. num. 44
Quid ad primam negatiuam absolutè. ibid.
Quid ad secundam affirmatiuam absolutè. ibid.
Quid ad Tertiam distinguentem inter priuilegium concessum per legem publicam & priuatam. ibid. n. 45
Quid ad Quartam distinguentem inter priuilegia eximentia ab onere & concedentia ius. ibid. n. 46
Quid ad Quintam asserentem priuilegium ante scientiam habere effectum tantum inchoatiuum. ibid.
Quid ad Sextam distinguentem datum ad instantiam partis & concessum ex mera liberalitate. ibid. n. 47
Concessum à Papa sine limitatione aliqua valet. ibid. n. 48
Secus dicendum, si locus aut species non recitè determinetur. ibid.
An priuilegium datum ab Archiepiscopo valeat ab alterius Archiepiscopi diœcesi. 392. n. 49
Sententia quorundam distinguentium inter priuilegia contra ius commune vtriusque diœcesis & ius particulare. ibid.
Illationes quorundam ex doctrina posita. ibid. num. 50.

Digitized by Google

Episcopus non potest dare priuilegium liberans à lege alterius territorij. ibid.n.51
Occurritur taciturnæ cuidam obiectioni. ibid.n.52
Etiam in communi iure non valet priuilegium Episcopi extra proprium territorium. 393.n.53
Confirmatio doctrinæ præcedentis. ibid.
Respondetur argumentis. ibid.n.54
Satisfit instantiæ Primæ de voto. ibid.n.56
Secundæ de irregularitate. 394.n.56
Item Tertiæ de Legato. ibid.
Respondetur ad congruentias. ibid.
In restrictione & ampliatione priuilegij standum verbis eiusdem. ibid.n.57
Si sit purè fauorabile, extendenda verba, si odiosum, restringenda. ibid.
Priuilegium in fauorem causæ piæ, etsi sit contra ius commune, ampliari potest. ibid.
Item, quando datum est ex motu proprio, modò tertio non præiudicet. ibid.
Aliquæ regulæ Suarez vt inutiles reijciuntur. ib.
Vitanda est in ampliatione priuilegij iniustitia quæ reperiri potest in vsu illius. ibid.n.58
Item ea quæ fuit in ipsâ datione eiusdem. ib.n.58
Priuilegium ampliandum est aut restringendum, si aliunde Principis voluntas innotescat. ibid.
Quando derogat tertio, restringendum. ibid.
Etiam in causâ piâ non extendendum ad alios propter paritatem rationis. 395
Ampliatio priuilegij semper debet esse intra significationem verborum. ibid.n.59
Interitus potest esse totalis & partialis. 395.n.1
Perit priuilegium Primò ex parte naturæ ipsius, v.g. quia datum ad certum tempus. ibid.
Vel quia desinit conditio, cui annexum fuit. ibid.
Eodem spectat priuilegia annexa certo statui. ib.
Secundò perit priuilegium pereunte causâ finali. ibid.n.2
Nisi iam fit habitum ad actum, & ille duret. ib.
Eo ipso quòd vsus reddatur iniquus cessat priuilegium. 396.n.3
An cessante causâ finali, & manente vsu priuilegij non malo, cesset. ibid.n.4
Negat Suarez, cum aliquâ tamen exceptione. ib.
Duplex potest esse causa finalis priuilegij; per modum meriti, & per modum rei pugnantis cum lege. ibid.n.5
Quando causa priuilegij fuerunt mixta, manet priuilegium ijs cessantibus. ibid.
Quando causa est per modum rei pugnantis cum lege, pereunte causa perit priuilegium. ib.n.6
Ratio à priori huius. ibid.n.7
Confirmatur exemplo priuilegiorum conditionatorum. ibid.
Occurritur taciturnæ responsioni. ibid.
Potest Princeps dare priuilegia quæ durent pereunte causa finali. ibid.n.8
De facto tamen nó debet præsumi id fecisse. 397
Soluitur obiectio Prima. ibid.n.9
Secunda, desumpta à decimis & pluralitate beneficiorum. ibid.
Item ab aliquibus priuilegijs Religionum. ibid.
Item à dispensatione in voto castitatis. ibid.
Respondetur ad exemplum de decimis. ibid.n.10
Item ad instantiam de priuilegijs Religionum. ibid.n.11
Altera responsio ad idem. ibid.
Respondetur ad instantiam de dispensatione voti. 398
Altera responsio. ibid.
Priuilegium, nisi limitetur, non perit morte concedentis. ibid.n.13
Textus iuris pro hac sententiâ. ibid.
Hæc regula etiam extenditur ad priuilegia odiosa. ibid.
An vt valeat hæc regula debeat priuilegium esse firmatum aliquo vsu. ibid.n.14
Fundamentum pro affirmatiuâ. ibid.
Negatiua communis est & probabilior. ibid.
Peculiaris circa hoc difficultas. ibid.n.15
Quid respondeat Pater Suarez. 399.n.16
Approbatur eius responsio. ibid.
Altera eiusdem reijcitur. ibid.n.17
Respondetur ad rationem dubitandi in positâ suprà difficultate allatam. ibid.n.18
An vt priuilegium non pereat morte concedentis, debeat esse scriptum. ibid.n.19
An acceptatum à priuilegiato. ibid.
Respondetur negatiuè. ibid.
Quæ verba significent perpetuitatem priuilegij. ibid.n.20
An verba, *Concedimus tibi ad annum, ad beneplacitum nostrum*, faciant priuilegium elapso anno expirare. ibid.
Priuilegiatus non potest renuntiare priuilegio validè concesso. 400.n.21
Neque per voluntatem intrinsecam eidem renuntiare vt tali. ibid.n.21
Concessum sub conditione, nisi ei renuntietur, perit per renuntiationem. ibid.
Triplex renuntiatio. ibid.n.22
Vna expressa. ibid.
Altera, quâ efficitur quod agnoscitur contrarium priuilegio. ibid.
Tertia, quæ fit per vsum contrarium. ibid.
Actus contrarius priuilegio alius est positiuus, alius priuatiuus. ibid.n.23
Vterque est licitus. ibid.
Potest dari abusus priuilegij. ibid.
Priuilegium amittitur per renunciationem expressam. ibid.n.24.
Ratio à priori. ibid.
Secundò amittitur per renuntiationem implicitam. ibid.
Duplex non vsus priuilegij contrarius vsui: alius in materiâ non concernente tertium, alius in concernente. 401.n.25
Suarez asserit per non vsum priuilegij, quod tertio nil præiudicat, non amitti. ibid.n.26
Eius fundamentum. ibid.n.26
Confirmatio eiusdem. ibid.
Responsio ad l. 1. ff. de nundinis. ibid.n.27
Responsio eiusdem ad replicam factam ex legibus particularibus Hispaniæ. ibid.
Docet Secundò priuilegia in præiudicium tertij amitti per non vsum. ibid.n.28
Quantum temporis requiratur ex sententiâ Suarez ad præscribendum per non vsum priuilegij. ibid.
Non amittitur per vnicum non vsum. ibid.
Responsio Suarez ad iura quæ videntur contraria. ibid.n.29
Cap. *Cùm accessissent*. explicatur. 402
Respondetur ad legem vlt. ff. de priuilegio veteri. ibid.
An per vnum actum contrarium amittatur priuilegium; & in quo foro. ibid.n.30
Pater Suarez non benè distinguit inter non vsum priuilegij tempore debito & vsum contrarium illius. ibid.n.31
Reijcitur Suarez docens priuilegium numquam amitti nisi per præscriptionem. ib.n.32
Attentis verbis Canonum pereuntur priuilegia etiam

Digitized by Google

etiam non præiudicantia, tertio per non vsum eorumdem. ibid.
Obiectio, & eius solutio. ibid.n.35
Altera, & eius solutio. 403
Per vnum actum non retractatum non amittitur priuilegium. ibid.n.34
Respondetur ad rationem in contrarium. ibid.
Exemplo declaratur conclusio. ibid.
Obiectio, & eius solutio. ibid.n.35
Altera. ibid.
Vrgetur. ibid.
Respondetur obiectioni; & datur ratio à priori conclusionis. ibid.n.36
Ad amittendum priuilegium requiruntur tot actus contrarij, quot sufficiunt ad prudenter iudicandum priuilegiatum renuntiasse priuilegio. 404.n.37
Satisfit instantiæ de vno actu renunciante. ibid.
An qui sine animo renuntiandi admisit vsum contrarium priuilegio, amittat illud in conscientiâ. ibid.n.38
Respondetur affirmatiuè, si omnino liberè admisit. ibid.
Abusus non est idem quod culpa digna priuatione priuilegij. ibid.n.39
Quid sit abusus. ibid.
Est triplex. ibid.
Primus, exercere plus quàm concedat priuilegium. ibid.
Secundus est occasionalis. ibid.
Tertius, qui directè repugnat fini priuilegij. ibid. num.39.
Quilibet tollit priuilegium. 405
Quæ tamen pœna vi legis non incurritur ipso facto. ibid.n.40.
Abusus non tollit priuilegium totaliter. ibid.
Reuocatio priuilegij spectat ad concedentem. ibid.n.41
Priuilegium concessum non subdito non potest à concedente tolli vel reuocari. ibid.
Nisi fuerit de re successori valdè præiudicante. ibid.
Aut nisi rerum status ita mutetur, vt iustum non censeatur. ibid.
Concessum subdito per modum contractus non potest reuocari. ibid.n.42
Item priuilegium remuneratiuum. ibid.
Item concessum liberaliter per modum donationis. ibid.
An si tale donatum reuocaretur, teneatur Princeps facere compensationem. ibid.n.43
Negat Suarez. ibid.
Contrarium tamen est probabilius. ibid.
Priuilegium purè contra commune ius potest à concedente reuocari. 406.n.44
Satisfit tacitæ obiectioni. ibid.
Non possunt eiusmodi priuilegia sine causâ licitè reuocari. ibid.n.45
Conclusio se extendit ad omnes Legislatores respectu suorum priuilegiorum. ibid.
Superior Princeps potest reuocare priuilegia inferioris. ibid.
Iuris communis omnia reuocantur per generalem clausulam. ibid.n.46
Particularia non reuocantur per terminos generales. ibid.n.47
Princeps decernens scienter aliquid contrarium antiquo priuilegio censetur illud reuocare. ib.
Proponitur difficultas contra allatam doctrinam. ibid.n.48
Sententia Suarez, numquam derogari priuilegio antecedenti per priuilegium contrarium. 407
Reijcitur Primò. ibid.
Secundò. ibid.n.49
Respondetur ad eam difficultatem. ibid.
Priuilegium per sententiam rejectum non reuocatur, sed reprobatur, nisi sit in pœnam eius qui damnatur. ibid.n.50
Abrogatio priuilegij per legem tunc incipit, quando lex est sufficienter promulgata. ibid.
Vt reuocatio innotescat priuilegiato, non requiritur nuntius. ibid.n.51

Professio religiosa.

Ad eam Pius V. quid requirat vt sit licita & valida. 260.n.63
Quid Clemens VIII. statuerit. ibid.

Promulgatio. Vide *Legis promulgatio.*

Tò *oportet* non est promulgatorium legis. 182. num.7.
Promulgatio distinguitur à lege. 184.n.18
Promulgatione eadem non statim omnes obligantur. ibid.n.23
An sine aliquâ possit Legislator ex naturâ rei obligare. 185.n.24
An leges promulgatæ in Metropoli obligent totam Prouinciam. ibid.n.25
Solemnitas promulgationis an sit seruanda in Prouincijs vi iuris imperialis; & quomodo. 187.n.33.
Pro promulgatione legis Canonicæ quid & quantum temporis requiratur. 217.n.5
Sententia quorumdam. ibid.
Suarij mens & fundamentum. ibid.
Promulgatio non est pars legis secundùm se, sed tantùm vt potentis proximè obligare. 357. num.91
Ad promulgationem abrogationis sufficit ex naturâ rei, vt subdito innotescat. ibid.

Prorogatio.

Prorogatio ad duos menses cur facta sit. 187.n.34
Noua hîc exurgens difficultas aliò transcribitur. ibid.n.35.

Prouidentia.

Prouidentia Dei etiam versatur circa permissionem malorum. 439.n.20

Ratio naturalis.

RAtioni naturali non repugnat esse contrarias leges in diuersis Regnis. 183.n.14

Rebaptizans.

Rebaptizans quando incurrat pœnas rebaptizatoris. 264.n.82
Ratio à priori conclusionis. ibid.n.83
Cur rebaptizans, etsi inualidè agat, puniatur. ibid.
Rebaptizans aliquem seriò quantum est ex se aquâ rosaceâ, incurrit pœnas rebaptizãtis. 265.

Regula.

Regulæ obligantes in conscientiâ, non tamen sub peccato. 169.n.24
Superiorum quomodo & an semper obligent in conscientiâ. ibid.n.26

Relaxatio.

Relaxatio iuris positiui quid sit. 319.n.4
Potest relaxari obligatio ad culpam, non relaxatâ obligatione ad pœnam. 320.n.7

Religio, Religiosi.

Religio vna minùs, alia magis eximitur à lege diœcesanâ. 222.n.33
Religiosi exempti à iurisdictione Ordinarij non tenentur Synodalibus legibus. 222.n.30
Ostenditur ex Tridentino, & cap. 1. de priuilegijs in 6. ibid.

Digitized by Google

Etiam non exempti non tenentur ijsdem legibus. ibid.n.31
Conceptus religiosi vt sic neminem à lege Episcopi vendicat. ibid.n.32
Cur religiosi & sui Ordinis & Episcopi legibus obligentur, sæculares verò solius Episcopi. ib.
Religiosus Societatis Iesu non professus est capax dominij, & validè id acquirit; licet eius vsus sit illi illicitus. 258.n.56
Religiosus incurrit pœnam contrahendo matrimonium, etsi non faciat illud validũ. 263.n.77
Remissio peccati. Vide *Iustificatio* & *Peccatum.*
Rescissio.
Quando quis teneatur ad rescissionem sui actus irritabilis etiã ante sententiã Iudicis. 250.n.14
Suarez solutio arridet. ibid.
Respublica.
Respublicáne an Deus dicendus sit contemni per inobedientiam legum. 166.n.5
Eidem sitne satis prouisum sine obligatione in conscientia. ibid.n.8
Restitutio.
Restitutio quomodo alteri sit in specie facienda. 250.n.14
Retunditur replica. ibid.n.15
Suarez exceptio. 251
Ea reijcitur fusiùs. ibid.n.16
Satisfit replicæ. ibid.
Reus.
Reus non potest seipsum necare, nec mutilare. 228.n.28.
Probabilius est posse eumdem obligari ad infligendam sibi pœnã aliquam licitam. ibid.n.29
Nullus ob delictum occultum ante sententiam Iudicis tenetur sibi pœnam imponere. ib.n.32
Morti adiudicatus tenetur ire ad supplicij locum. 233.n.56
Carceri condemnatus, vtremibus, &c. tenetur non fugere, nisi de vita periclitetur. ibid.n.57
Mancipatus carceri perpetuo ob debita non tenetur manere. ibid.
Soluitur obiectio.
Reus sese iuramento adstringens an teneatur manere, vel dimissus redire; vt & pecuniam latroni promissam dare. 234.n.58
Vasquez opinio. ibid.
Excutitur eadem. ibid.
Ostenditur nullum esse discrimen inter vtrumque casum in præsenti. ibid.
Datur solutio ob discrimen. ibid.n.60
Qui possit Iudex reo impertare remissionem pœnæ; & quando. ibid.& 235.n.62
Rex. Vide *Princeps.*
Rex duorum Regnorum dispatatorum non potest vni imponere leges tantùm in fauorem alterius. 203.n.24.25.26
Reges quà tales non sunt Sacerdotes. 203.n.77
Regia potestas varia. 242.n.32
Rex potest aliquis esse, etsi careat potestate imponendi tributa. ibid.
In Regiâ potestate quantum præscribi possit quoad tributa. 243.n.37
Quo iure sic præscribi possit. ibid.n.38
Rex an possit quibuscumque vsibus addicere pecuniam ad sui sustentationem contributam. 244.n.42
Ritus.
Ritus est species quædam consuetudinis, vti & stylus. 268.n.11
Sacerdos.
SAcerdotes quinam satisfaciant præcepto Ecclesiæ in recitatione Officij, qui nõ. 209.n.25
Cur Sacerdos excomunicatus & denuntiatus non absoluat validè nisi in mortis articulo. 265.n.90
Sacramentalia, Sacramentum.
Potuit Deus Sacramentalibus dare vim ad satisfaciendum pro peccatis venialibus, de facto tamen non tribuit. 526.n.12
Sacramentorum administratio & susceptio quomodo imperetur. 209.n.28
Sacramento irritando vnicum impedimentum essentiale sufficit. 265.n.88
Sanitas spiritualis.
Quid sit sanitas perfectissima ad salutem. 454.n.6
Scientia media.
Pelagius & Massilienses admiserunt scientiam mediam. 429.n.6
Futuritio conditionata per scientiam mediam præuisa non est motiuum ad dandum auxilium efficax, sed tantùm conditio. 568.n.19
Sententia.
Sententiam ferens si sit Legislator, aperiatque se velle vt ea obtineat vim legis, tũc erit. 182.n.16
Quid si sit per modum fauoris vel priuilegij. ib. num.11
Quid si absque fauore. 183.n.12
Sententia Principis quando vt plurimùm censeatur vim legis obtinere. ibid.n.15
Sententia an & quando condat ius vt sententia. ibid.n.16
Inferiorum Iudicum non obtinet vim legis. ibid.
Post sententiam declaratoriam an quis teneatur sua bona fisco vltrò addicere. 234.n.60
Suarez negat. ibid.
Auctor distinguit. ibid.
Obiectio. ibid.n.61
Sententiam ferenti quando accusatio & audisio sit necessaria. 229.n.32
Ante sententiam Iudicis quando subditus possit cogi. ibid.n.33
Sententia particularis non considerat individuationem physicam eiusque differentiam, sed circumstantiarum. 305.n.26
Explicatur. ibid.n.26
Quando sententia per modum legis nequeat trahi ad alios casus. ibid.n.27
Doctrina hæc & in lege pœnali & fauorabili locum habet. ibid.n.28
Societatis Iesu Religiosi.
Vi regulæ obligantur ad actus internos, v.g. meditationem, examina. 214.n.53
Salas opinio. ibid.n.52
Displicet solutio Salas. ibid.n.53
Voto obedientiæ potest se quis obligare ad obediendum Superiori in talibus actibus. ibid.
Religiosus Societatis Iesu non professus est capax dominij, & validè id acquirit; licet eius vsus sit illi illicitus. 258.n.56
Spes.
Spes est amor imperfectus. 446.n.5
Ad sperandum sicut oportet requiritur gratia supernaturalis. 485.n.22
Pater Suarez non benè probat supernaturalitatem spei. 486.n.22
Habitus spei pellitur per solam desperationem. 515.n.47
Qualis actus spei requiratur ad iustificationem. 542.n.9.& 544
Potest quis absolutè sine actu spei iustificari. 544.n.14
Actus spei non est necessariò coniunctus cum actu contritionis. ibid.

Habitus

Digitized by Google

Habitus ſpei nõ amittitur amiſſa gratia habituali 573.n.40
Poteſt abſolutè amitti. ibid.
Status naturæ humanæ.
In ſtatu puræ naturæ quid homines potuerint imperare. 191.n.11
In eodem ſtatu an potuerint diſpenſare poteſtate ſupernaturali. ibid.
In eodem potuiſsétne aliquid præſcribi circa Sacramentum remiſſiuum originalis. ibid.n.12
Huius ſtatus iuriſdictio extrinſecè ſolùm fuiſſet ſupernaturalis. ibid.
Quatuor ſtatus humanæ naturæ aſſignantur ordinariè à Theologis. 425.n.23
Poſſent addi adhuc duo alij. ibid.n.24
Imò & plures, iuxta variam combinationem ſtatuum inter ſe. ibid.
Status iuſtitiæ originalis collatus cum ſtatu puræ naturæ. 426.n.25
Idem collatus cum ſtatu gratiæ. ibid.
Homo in ſtatu naturæ lapſæ quoad naturalia non eſt debilior quàm in ſtatu puræ naturæ. ibid.n.26
Homo in ſtatu naturæ lapſæ ab homine in ſtatu naturæ integræ non differt niſi extrinſecè. ibid.n.26
Inclinatio in peccatum non eſt per ſe annexa naturæ lapſæ. ibid.n.28
Neque inflicta eſt à Deo in pœnam peccati. 427.
Deus in ſtatu naturæ lapſæ non minuit ſuam ordinariam prouidentiam circa naturam humanam. ibid.n.29
In ſtatu naturæ reparatæ dantur maiores vires ad benè operandum, quàm eſſent in ſtatu naturæ non reparatæ. ibid.n.33
In ſtatu naturæ lapſæ & integræ eſt æqualis impotentia ad actus ſupernaturales. 428.
Homo in ſtatu innocentiæ habuit maiores vires ad bonum opus naturale, quàm habeat in ſtatu naturæ lapſæ. ibid.
Sententia eorum qui docent in natura integra non poſſe totam legem ſeruari ſine gratia Dei. 465.n.2
Eorum fundamenta. ibid.
Contraria ſententia eſt communior. ibid.
Auctores qui eam ſequuntur. ibid.
Fundamenta. ibid.
In natura lapſâ poteſt etiam moraliter ſeruari tota lex per aliquod tempus ſine gratia. 466.n.4
Non tamen per longum tempus. ibid.n.5
Probatur. ibid.
In ſtatu innocentiæ non eſſet opus auxilio ſupernaturali, niſi caſu quo eſſet implendum præceptum ſupernaturale. 566.n.13
Studioſus.
Studioſi ad ferenda ſuffragia admiſſi quando teneantur interrogati fateri veritatem. 233.n.54
Stylus.
Styli differentia à conſuetudine. 267.n.10
Quid ſtylus apud Suarez. ibid.
Quid ſtylus hîc. ibid.
Subditus.
Subditus, ſecluſo ſcandalo, nec ante nec poſt petitionem tenetur offerre tributa Legiſlatori, de cuius poteſtate dubitatur. 238.n.13
Tenetur obedire Superiori opinione licet ſolùm probabili vſo. ibid.n.14
Quando Legiſlatori cedere debeat. 239.n.15
Niſi vel probabiliter conſtet de iuſtitia tributi, non tenetur ſubditus ad ſoluendum. ibid.n.16
Vt lege tributi obligetur, quid requiratur. ib.n.17
Regula generalis. ibid.n.18
An cogatur ad bellum ire, de quo, an iuſtum ſit dubitatur. ibid.n.19
Regulæ generales Suarij. ibid.
Quomodo ſciri debeat à ſubditis tributa iuſta eſſe. 240.n.20
Reſpondetur argumentis in contrarium. ib.n.21
Diſcrimen inter bella & tributa. ibid.
Debet conſtare ſubditis de vtilitate tributorum, iuxta cap. *Peruenit.* de cenſibus. ibid.n.22
Item reſpondetur dicto Auguſtini. ibid.n.23
Obuiatur Caroli Imperatoris ſcito. ibid.
Qua de re agat cap. *Super quibuſdam.* ibid.n.24
An ſubditus validè poſſit facere quod Superior prohibet. 257.n.53
Suffocata.
Apoſtolica prohibitio de ſuffocatis non edendis cur facta fuerit; & quando ceſſarit. 101.n.16
Suffragium actiuum & paſſiuum.
Suffragij actiui & paſſiui diſcrimen. 232.n.52
Circa inhabilitates Suarij mens. ibid.n.53
Soti & Ledeſmæ ſenſus. ibid.
Diſtinguit hîc Suarez. 233.
Summus Pontifex. Vide *Pontifex.*
Superior.
Superior quomodo ſua lege cauſet obligationem indirectè in aſtero. 168.n.16
Superior Religioſus non habet iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, niſi purè purè in eos qui ſunt Religioſi; non autem in alios qui habitant intra locum Monaſterij. 154.n.20
Superioribus inferioribus Papâ, ſi ſint notorij hæretici, obediendum non eſt; ſecus, ſi occulti. 201.n.68
Superior Religionis an obligare poſſit ad meditationem, examina. 214.n.52
Salas opinio. ibid.
Diſplicet Salas ſolutio. ibid.n.53
Voto obedientiæ poteſt ſe quis obligare ad obediendum Superiori in talibus actibus. ibid.
Supplicatio.
Supplicare Pontifici an liceat contra legem. 218.n.13
Supplicatio quando ſit appellatio. ibid.n.14
Cur ita ſupplicare liceat. ibid.
Quid facto opus in ſupplicatione ante reſolutionem Papæ. ibid.n.15
Supremus Princeps. Vide *Papa, Princeps & Rex.*
Supremus Princeps quantam habeat poteſtatem in legibus. 183.n.13
Synagoga.
Synagoga videtur habuiſſe poteſtatem vniuerſalem. 191.n.13
An verò fuerit ſupernaturalis, eſt controuerſum. ibid.
Temperantia.
TEmperantia naturalis ſeruari poteſt à comedente carnes die Veneris. 315.n.39
Tentatio.
Tentatio leuis eſt, quæ hominem non multùm allicit. 452.n.2
Contra præceptum ſupernaturale affirmatiuum non poteſt vinci ſine gratia ſupernaturali. ibid.n.1
Poteſt, & de facto vincitur leuis tentatio ſine gratiâ ex meritis Chriſti. 453.n.2
SS. Patres non negarunt potentiam phyſicam reſiſtendi tentationibus, ſed tantùm moralem. ibid.n.3
Homo non tantùm phyſicam, ſed etiam moralem

Digitized by Google

lem potentiam habet ad aliquam tentationem vincendam. ibid.
Tentationem inducentem ad peccatum mortale vincere per peccatum veniale non est gratia per Christum. 454.n.6
Satisfit testimonijs, quæ videntur docere, nullam tentationem posse vinci sine gratia. 455.n.9 & seqq.
Potest cum vehementissima tentatione stare libertas physica. 456.n.12
Non possunt vinci graues tentationes collectiuè sumptæ sine speciali gratia. 457.n.13
Examinantur testimonia ad probandam hanc sententiam afferri solita. ibid.
Impotentia resistendi tentationibus grauibus oritur ex earum vehementi attractione ad obiecta. ibid.n.14
Nulla tentatio grauis in particulari potest vinci sine speciali gratia. 458.n.15
Potest esse tentatio tam grauis, vt sit moraliter impossibile vel vno instanti illi resistere. ibid.
Ex solâ duratione longiore potest prouenire, vt tentatio in se leuis non possit vinci sine gratia, ibid.n.15.& seq.
Tentatio ad graue peccatum numquam superatur per peccatum veniale. 459.n.18
Non vincitur tentatio, nisi bonitas obiecti formaliter moueat. 460.n.19
Numquam ex motiuo vnius peccati potest vinci tentatio ad aliud. ibid.n.20

Testamentum.

Testamento alteri aliquid donandi duplex via. 262.n.71
Vi solius voluntatis donatiuæ testatoris, si lex aliqua obstet, non licet hæreditatem adire. ibid.
Suarij doctrina placet. ibid.

Timor.

Timor non est absolutè necessarius ad iustificationem, valdè tamen conducit. 545.n.15

Traditio.

Traditio quid sit. 267.n.9

Transgressio.

Transgressio voti an secũ trahat trãsgressionem præcepti. 167.n.14
Transgressionem rei magnæ velle esse leue peccatum, non est stultum. 176.n.77
Transgressio legis ex contemptu Dei Legislatoris semper est mortalis. 179.n.90
Transgressio legis ciuilis quî censeatur trãsgressio legis Dei. 180.n.97

Tributum. Vide *Lex tributum imponens.*

Tributum latè sumptum quid sit. 236.n.1
A Legislatore impositum quid sit; & quænam ipsius subiecta. ibid.
Clarè iniustum nec ante nec postquam petitur ad solutionem obligat. 237.n.9
Obligatio illud soluendi quando locum habeat, ibid.n.10
Quomodo Regibus inscijs sæpè à ministris augeantur tributa sua experientia probat auctor. ibid.
Ad talia non obligantur Ecclesiastici. 238.n.10
Attendendus modus quo tributa imponuntur. ibid.n.11
Subditus, secluso scandalo, nec ante nec post petitionem tenetur offerre tributa ei Legislatori de cuius potestate dubitatur. ibid.n.13
Tributorum quatuor genera. 239.n.19
Quomodo sciri possit & debeat à subditis tributa esse iusta. 240.n.20
Quid facto opus sit, si tributum sit injustum. ibid.n.25
Quæ praxis seruanda in tributis soluendis. 241. num.27
Suarij mens. ibid.
Est vera eius doctrina, sed vitio publicanorum non est in praxi. ibid.
Etiam ad inferiorum Principum sustentationem ordinantur tributa. 242.n.34
De facto eam potestatem ad inferiores esse translatam ab Imperatore docet experientia. ib.n.35
Quomodo licita sit talis concessio. ibid.
Tributorum finis iustus sit oportet; quomodo. 243.n.39
Ob quos fines sint imponenda. 244.n.40
Quantitas eorum indigentiæ fini commensuranda est, vt sit iusta. ibid.
Quomodo differant tributa data Regi pro eius sustentatione, & data pro publicis necessitatibus. ibid.n.41
An Rex possit pecuniam ad sui sustentationem contributam quibuscumque vsibus addicere. ibid.n.42
Vt tributa iustè continuentur, finis illorum perseuerare debet. ibid.n.43
Quinam excessus in eorum exactione sit iniustus. ibid.
An eadem, etsi de causa eorum impositionis non constet, possint licitè retineri. ibid.n.44
Corduba negat. ibid.
Medina asserit. ibid.
Suarez suam opinionem vrget. ibid.
Auctor adhæret Cordubæ, sed reiecta eius ratione. ibid.n.45
Continuatio eorum requirit continuationem necessitatis. 245.n.46.246.n.49
Tributa subditis commensurari debet. ibid.n.50
Eadem iure ciuili & Imperiali prohibita non ideò vbiuis gentium tolluntur. 247.n.58
Ad eorum valorem an sit magis Regni consensus necessarius quàm in alijs legibus. ibid. n.61 62
Occurritur rationibus. 248.n.62
Explicatur regula 29 Iuris in 6. ibid.
Lex Hispanica solam Hispaniam obligat: vbi etiam, quando & cur lata sit. ibid.n.63
In Bohemia requiritur consensus Regni pro impositione nouarum contributionum. ibid.
Conclusioni robur additur. ibid.n.64
Placent dicta Suarij circa legem Hispanicã. ibid.

Tridentinum Concilium.

Tridentinum quomodo non obliget, nisi vbi est acceptatum; & cur. 218.n.12

Tyrannus.

Tyranno manifesto non teneris obedire: aliquando potes. 137.n.46.47

Valor.

VAlor rerum cur aut recta ratione, aut lege determinandus sit. 315.n.40
Ad valorem actus num liceat aliquid de forma præscripta vt substantiali auferre. 262.n.72
Non semper parum pro nihilo reputatur, ibid.
Probatur id è suffragijs Cardinalium pro Papæ electione. ibid.

Valor pecuniæ.

Valor pecuniæ prouenit fundamtaliter ex voluntate Principis aut Reipublicæ; formaliter autẽ consistit in eo quòd debeat tanti æstimari. 23.n.47

Vectigalia.

Vectigalia pro rebus ad proprium vsum allatis imponi

Digitized by Google

imponi solita per se non sunt communiter iniuncta. 246.n.52
Explicantur loca nonnulla ex iure Canonico & ciuili. ibid.n.56
Veniale peccatum. Vide *Peccatum veniale.*
Venialis peccati differentia à mortali an sit ex naturâ rei. 176.n.77
Veniale ex consuetudine cur numquam fiat mortale assignatur ratio. 177.n.83
Verbum.
Verba *mando*, *præcipio* an magis in Canonicis legibus obligent quàm ciuilibus. 174.n.64
Verba illa sola in lege ciuili posita quando obligent sub mortali. ibid.n.65
Verba legis quomodo explicanda. ibid.n.66
Veritas.
Aliqua veritas potest cognosci sine gratia. 429.n.3
Etiam plures veritates simul possunt cognosci sine singulari gratia. ibid.n.5
Siue speculatiuæ siue practicæ sint. ibid.
Explicantur Concilia quæ videntur docere, nullam veritatem motalem practicam posse cognosci sine speciali gratiâ. 430.n.8
Non possunt omnes veritates collectiuè sumptæ cognosci sine gratia. 432.n.16
Non requiritur tamen gratia supernaturalis in substantia. ibid.
Etiam ad aliquarum veritatum cognitionem requiritur specialis gratia. ibid.n.17
Cognitio veritatis ad salutem conducentis indiget gratia per Christum. ibid.
Veritas est accidentalis propositioni. 539.n.20
Vicarius.
Vicarius Christi vt Legislator an sit capax imprudentiæ. 181.n.98
Virtus.
Habitus virtutis in gradibus remissis potest acquiri sine speciali gratia. 467.n.7
Imò etiam in gradibus intensis. 468.n.9
Frequens lapsus non impedit acquisitionem virtutis etiam in gradibus intensis. 468.n.8
Vis.
Vis coactiua in aliã transferri non potest. 205.n.8
Visio.
Visio beatifica est homini omnino supernaturalis. 417.n.32
Eleuatio hominis ad eãdẽ est fundamentũ totius doctrinę Catholicæ contra Pelagiũ. 425.n.22
Homo non exigebat naturaliter eleuari ad visionem beatificam. ibid.n.22
Ad vitam æternam promerendam non magis conducit gratia per Christum quàm gratia data à solo Deo. 441.n.27
Obseruatio legis naturalis non sufficit ad vitam æternam. 475.n.23
Omnes actus meritorij vitæ æternæ vel disponentes ad illam sunt in substantia supernaturales. 481.n.11
Probatur ex Scriptura, Patribus & Concilijs. 482.n.12.13
Ad vitam æternam assequendã præter fidẽ supernaturalẽ requiruntur alia bona opera. 533.n.1
Soluuntur obiectiones hæreticorum ex Scripturâ. 534.n.2.& seqq.
Vocatio. Vide *Auxilium*
Volitio.
Diuersæ volitiones possunt habere idem obiectum. 19.n.32
Experientia docet differre inter se volitionem imperatiuam, optatiuam & efficacem licet, non differant obiecto. ibid.n.33
Volitio Legislatiua est inefficax respectu obiecti. ibid.n.33.34
Volitio quęnam præmietur & puniatur. 226.n.15
In quo se accommodat auctor Vasquez. ib.n.16
Volitio diuina.
Deus non potest agere contrariũ volitioni semel positæ; quia ea est perpetua, & non potest cum opposita consistere. 53.n.12
Volitio Legislatoris. Vide *Legislatoris volitio.*
Volo, Voluntas.
Volo à Superiore dictũ est obligatorium. 182.n.7
Velle alicui malum dupliciter cõtingit. 178.n.87
Voluntas peccaminosa abrogatiua legis quibus constet actibus; & cui eorum Legislator annuat. 288.n.15
Voluntas mota duobus finibus ita quolibet eorum delectatur, vt etiam deficiente altero adhuc illud medium eligeret. 316.n.43
Velle carere lege non est malum. 288.n.15
Differentia inter volitionem Dei efficacem & creaturæ est, quòd volitioni Dei nemo possit resistere, possit autem creaturæ. 450.n.13
Potest quis naturaliter velle ea quæ nullo sensu percipit. 451.n.17
Potest naturaliter velle, quod non potest nisi supernaturaliter perficere. ibid.n.16
Facilitas, quæ est in actibus voluntatis, non est aliquis modus superadditus actui, sed denominatio extrinseca ab habitu. 480.n.9
Diuersitas actuũ tã naturaliũ quã supernaturaliũ nõ cõsistit in aliquo modo superaddito. ib.n.20
Voluntarium.
Voluntariũ, quod ad implendã legẽ requiritur, nõ excludit inuoluntariũ secũdùm quid. 63.n.27
Habens vnam volitionem absolutam non furandi, & aliam conditionatam furandi, si non obstaret pœna, peccat per hanc conditionatam, non per illam absolutam. ibid.
Votum.
Votum obligat, sed non immediatè iure naturæ. 62.n.22.23
Voti transgressio an secum trahat præcepti transgressionem. 167.n.14
Vouere potest quis sub nullo peccato se obligando. 169.n.28
In voto dispensari potest, etiam non manifestato Superioribus. 211.n.37
Voto vt obliget quid requiratur. 239.n.16
Pro eo quando stet præsumptio. ibid.n.18
Eodem adstrictus cur teneatur vxorem ducere. 259.n.59
Qui vouit dare pallium aut elcëmosynam alteri non tenetur statim ad id. 271.n.26
Votum est obligatio positiua ab homine sibi imposita. 463.n.26
Non obligat ad rẽ moraliter impossibilẽ. ib.n.27
Quæ inter ipsum & legem sit disparitas. 169.n.28
Voti relaxatio.
Voti relaxatio est volitio reputandi vouentem deinceps perinde ac si non vouisset; vel non exigendi actum promissum. 22.n.43
Cur votum non possit ab hominibus relaxari, possit tamen lex. 321.n.10
Vouens.
Vouens absque animo votum exequendi verè obligatur. 11.n.5
Vouens etsi habeat volitionem non exequendi, habet tamen simul aliquam volitionem inefficacem exequendi. 20.n.36
Peculiaris circa hæc casus. 22.n.44

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google